
37
29 F
20

ANGELI MARIÆ VERRICELLI QVÆSTIONES Morales, & Legales.

QVAESTIONES
Morales, & Legales
IN OCTO TRACTATVS
Distributæ,

Qui sunt:
- I. Singularium Opinionum.
- II. De Opinione Probabili.
- III. De Obligationibus Iustitiæ.
- IV. De Castitate, & oppositis vitijs.
- V. De Scrupulorum causis, atque remedijs.
- VI. De Absolutione Moribundi nullo præstito pœnitentiæ signo.
- VII. De Alchimia, & VIII. Miscellaneus.

Opus in vtroque foro versantibus vtile, varia eruditione refertum; In eo plurima noua Opiniones examinantur: pleraque quæstiones hactenùs intacta enucleantur.

AVCTORE
D. ANGELO MARIA VERRICELLI
Congregationis Clericorum Regularium Presbytero, Theologo, & V.I.D.

AD BEATISSIMAM DEI MATREM.







VENETIIS. Apud Franciscum Baba. M.DC.LIII.
SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



SERENISSIMÆ Vniuerſorum Reginæ MARIÆ Sanctiſſimæ Puriſſimæq; DEI MATRI, ET VIRGINI.



INchoatum, exactumq; à me MAIESTATIS TVÆ auſpicijs opus inuolabat in ſinum tuum, Auguſtiſsima Dei Mater, & Virgo; vt quod eſt tuum exciperes ipſa, foueresſque beatiſſimis vlnis, ac benignitate, qua vales. At enimuerò, quod ad ſinum iſtum, hoc eſt ad Corporatæ Diuinitatis Conclaue beata quædam, at nimia temeritas propelleret ambitioſiùs volumen meum, coercui ipſe impetum, deflexumque ab excelſiore ea mente, aduolutum Virgineis tuis pedibus volui: Neque verò ad pedes tuos abijci, exiguum id eſt clementiæ tuæ munus, aut parùm inde exiſtit dignitatis, ac lucis: nam proniore

quodam obſequio venerabunda ſubijci pedibus voluit Luna, vt adaucto lumine explendeſceret inde luculentiùs. Iam libros, ſiue liberos meos, partuſque ingenij, cui potiùs conſecrauerim, quàm Magnæ Matri? Doctrinarum verò monumenta an non rectà contendere, ac ſponte ſua ad te videntur, quæ [A] *profundiſsimum Diuinæ ſapientiæ penetrali abyſſum?* Immo quæ [B] *Dei ſapientia es, & in qua omnes theſauri ſapientiæ Dei?* Tu [C] *Magiſtra Apoſtolorum*, Tu [D] *Cathedra ad docendum*, Tu [E] *Elegantiſsimum ſcripturæ Diuini Verbi volumen*, Tu [F] *Sceptrum rectæ doctrinæ*, Tu ab ſcientiarum ſplendore, ac plenitudine [G] *Thronus Cherubicus*, Tu [H] *Turris* illa *Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, ſiue [I] *conſtructa ad diſciplinam*, ſiue [K] *ædificata ad docendum*. Eccleſia, ſiue infantiam, ſiue creſcentem, adultamq; eius ætatem ſpectes, tuis erudita inſtitutionibus, imbuta diſciplinis, informata pręceptis fuit. A te iura, Leges, Conſulta, Sanctiones, Monita, Sacra & Oecumenica Patrum Concilia afflaſti tuo numine, ac ſapientia. Faues Doctorum, Scriptorumq; vigilijs, quorum affuſione quadam cœleſtium doctrinarum fœcundas ſtudia, ac mentem, addiſque ingenijs aciem, doctrinæ robur, pondus verbis, calamo lucem, dictioni flores, ſtylo aurum. Quæ cùm explorata omninò ſint, Sapientiſſima Deipara, quicquid vſpiam ſtudiorum eſt, atque eruditi operis, tibi iure omni acceptum referri debet, tuæque appendi Aræ, ac Templo, vt ſtet ſuo Auctori laus, recurratque ingenij vena ad fontem. Verùm vt morales haſce lucubrationes meas tibi, Domina, nuncuparem, alia profectò cauſa, ac debiti cauſa me impulit, nempè voti Religio, qua fidem olim obligaui, vt ſi quid vnquam ingenij mei facultas, ſiue tenuitas procuderet, id inclyto tuo nomini inſcriberem. Faue clienti tuo, & ſcripta hæc, vigiliaſque, & foueas quà Mater, & ornes quà Virgo, & illuſtres quà Regina, ac tuearis quà Patrona, & tota adſis Auctori, ac operi, nomine, numine, clientela, ope. Hac ſpe bona fretus, litterarum hoc qualecumque donarium tuis pedibus addico de genu. Debiti ſolutio ea eſt, ſimulque nouum, ac ſempiternum obſeruantiæ in te meæ authoramentum.

[A] S. Bernard. *in verb. Apocal. Mulier amicta ſole.*
[B] S. Anſel. *in illud: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum.*
[C] Riccard. *lib.* 2. *par.* 2.
[D] S. Chromatius Aquileienſ. *ſer.* 1. *de Annunciat.*
[E] Leo Imperator *homil.* 6.
[F] S. Cyrillus Alexandr. *ſerm.* 6. *contra Neſtor.*
[G] S. Epiphanius.
[H] Cantic. *cap.* 4. *verſ.* 4.
[I] Ex Hebræo.
[K] Ex Pagnino.

CAN-

CANDIDO LECTORI.





VÆ te in hoc operis vestibulo monitum velim, amice Lector, pauca ea sunt, & expediam paucis. Nouas hic interdum opiniones, nulla, aut paucorum Scriptorum auctoritate subnixas offendes, quas planè haud mihi consilium fuit, ita legentibus obtrudere, vt eas ceu probabiles sequantur: sed abundè fuit, rationes aliquas, atque argumenta eruditis Viris examinanda, in medium proponere, vt si qui fortè Scriptores subindè probauerint, accipiant ab eorum iudicio, & calamo pondus, eisque postmodum inoffenso, vt aiunt pede, vti quis possit. Scio ego nihil non suspectum à nouitate: audio Augustinum contra Iulianum verissimè declamantem: [A] Mira sunt, quæ dictis, noua sunt, falsa sunt. *Et addit:* Sunt nouæ, cauemus. *Adstipulatur graui supercilio, censuraque Bernardus:* [B] Nouitas mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis. *At enimuerò non ignoro, nouas ab antiquis principijs conclusiones deducere, vt minimum quidem nouitatis, ita nihil habere suspicionis. Scitum illud sapientis Viri:* [C] Veritas inuoluta in alto latet. *Quare non id continuò falsum, quod est recens: aliorum namque industria, ac studijs trahitur persæpè in lucem veritas, quæ diu latuit. Habes hoc etiam ab Anastasio Sinaita in ea verba:* [D] Qui ante nos ista docuerunt, non domini nostri, sed duces sunt: patet omnibus veritas, nondum est occupata; multum ex illa futuris relictum est.

A S. August. contra Iulian. lib. 3. cap. 3.

B S. Bernard. ep. 174.

C Seneca de beneficijs lib. 7. cap. 1.

D Anastasius Sinaita lib. 1. ep. 35.

Ad hæc in quæstionibus examinandis, sæpè aliquis è recentioribus à me non laudatur. Id quod haud verti vitio, siue indiligentiæ à Lectore meo velim: Religioso namque Viro, cui census ipsa inopia est, non ea in promptu librorum suppellex fuit, & copia, quæ scriptionem locupletaret, ac in ea præterea domo degere, ac lucubrare contingit, in qua non adeò instructa communis bibliotheca est, vt in plerisque è nostris Ædibus.

Porrò, quæ duo Scriptori sunt pernecessaria, perspicuitas videlicet, ac breuitas, quamuis difficillimum quidem sit, ea simul nectere, nam vt inquit ille, breuis esse volo obscurus fio, *miscere in his lucubrationibus omni ope studui: quamuis quò ad breuitatem attinet, spissa interdum difficultatum seges, atque enata alta ab alijs dubia, quibus fieri satis oportuit, in causa aliquando fuerit, vt æquo longius sese calamus diffunderet.*

Postremò felicis recordationis Vrbani VIII. Constitutionibus inhærendo, si quid in hoc opere miraculorum, virorum nempè, qui nondum in Sanctorum numerum sunt adscripti, enarrauerim, profiteor, non ea mente à me dici, ceu sint Romanæ Sedis iudicio comprobata, sed sit penès auctorem suum fides. Vale, & dum hasce meas lucubrationes libas, alias quàm primùm expecta.

APPROBATIONES.



IVbente Admodum Reuerendo P.D. Vincentio Caracciolo Præposito Generali nostræ Congregationis, perlegimus librum, cui titulus est, *Quæstiones Morales, & Legales Auctore D. Angelo Maria Verricelli Clerico Regulari*, nihilque Catholicæ Fidei, aut moribus contrarium ostendimus, sed cuncta solidè, ac perspicuè disputata, varia doctrina, & eruditione referta, pleraque exactissimè tractata, ab alijs antea nec summis labijs tacta comperimus; proinde typis dignissima censemus. Datum Neapoli die quinta Iunij 1650.

D. Iacobus Dentice Clericus Regularis Sacræ Theologiæ professor.

D. Ioseph Maria Caracciolus Clericus Regularis Sacræ Theologiæ professor.

VINCENTIVS CARACCIOLVS
PRÆPOSITVS GENERALIS
Congregationis Clericorum Regularium.

HOC opus inscriptum, *Quæstiones Morales, ac Legales à R. P. D. Angelo Maria Verricelli elucubratum*, cùm iuxta præfixam assertionem Patrum, quibus id commissum fuit, fuerit recognitum, & approbatum, vt typis mandetur quoad Nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra subscriptas, ac solito nostræ Congregationis sigillo munitas


Damus Romæ die secunda Iulij 1650.

D. Vincentius Caracciolus Præpositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

Loco ✠ Sigilli.

D. Ioannes Montoya Secretarius.

INDEX



INDEX QVÆSTIONVM, ET SECTIONVM,

Quæ in hoc Opere continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

Singularium Opinionum.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Opinione Probabili.

MONITIO AD LECTOREM.

Grauis error in huius Tractatus margine, ob Authoris abſentiam, irrepſit; inſcriptum eſt enim *Singularium Opinionum*: at non ita, ſed *De Opinione Probabili* imprimi debuerat.

SECT.4.

TRACTATVS TERTIVS.

De Obligationibus Iustitiæ.

deinde

6 Opi-

SECT. 5.

P A R E R G O N.

Index Quæstionum, & Sectionum Finis.

QVÆ-



QVAESTIONVM MORALIVM ET LEGALIVM;

Tractatus Primus

SINGVLARIVM OPINIONVM.



QVÆSTIO PRIMA.

An liceat scienter emere rem furtinam, cuius nulla sit spes Dominum inueniendi, animo tamen restituendi Domino, si fortè comparuerit, alioquin sibi retinendi?

SVMMARIVM.

Prima opinio negans est communis. num.1.

Emens furtina an recuperet pretium? quid si protestetur? num.2.

Prima conclusio licitum est emere animo restituendi Domino. num.3.

An tunc recuperet pretium? num.4.

In foro externo quando recuperet pretium? num.5.

Si emit animo sibi retinendi, in neutro foro recuperat pretium. num.6.

Quid si cogitat de inueniendo Domino? num.7.

An recuperet pretium, si iusto pretio emit à fure? numero 8.

Capta ab hostibus, si recuperentur, an restituenda sint prioribus Dominis? num.9.

Secunda conclusio licitè emuntur furata, quando nulla spes est Dominum inueniendi.

An tunc recuperet pretium? num.10.

Non comparente Domino sibi retinere poterit. numero 11.

Bona incerta, sine delicto aquisita, non sunt restituenda pauperibus. num.12.

Obligatio restituendi pauperibus non oritur ex Iure naturali, sed ex Iure Ecclesiastico. num.13.

Bona pro derelictis habita, sunt occupantis. numero 14.

Moralis impossibilitas recuperandi, facit rem haberi prò derelicta. num.15.

1 NEgant omnes, Caietanus *tomo 1. opusc.31. respons. vltima*. Medina *C. de restit. q.10.* Rebellius *par.2. lib. 9. q.18. sect.1. num.15.* Laym. *lib.3. tr.1. c.7. n.25. S. porrò*, & alij passim.

Probatur primò, quia fur iniustè vendit: ergo alter iniustè emit.

Secundò, quia dominium rei furtiuæ semper manet apud Dominum, sed iste est inuitus, eique iniuria infertur à fure, cum retinet, aut vendit rem furatam; ergo est quoque inuitus, eique iniuria infertur dum alter emit.

Tertiò, quia furata obnoxia sunt restitutioni faciendæ, vel Domino, vel eo non comparente pauperibus, iuxta præsumptam ipsius voluntatem; ergo non potest emere animo sibi retinendi, Domino non comparente.

Quartò, quia Emptor rei furatæ fouet fures in suo crimine, non enim isti raperent, nisi emptores inuenirent. Neque excusor quod me non emente, alius emeret, sicut neque excusor quod me non furante alius furaretur, me in [illegible] non occidente, alius occideret.

2 Quintò, ideo emens furtiua non recuperat pretium *l. incivilem C. de furtis*, imò neque excusatur si protesꝭetur, se emere animo restituendi Domino comparenti, vt docent Clarus *§ furtum num.27.* Menoch. *lib.5. præsump.29. num.13.* Farinac. *tit. de furtis q.177. num.43.* Ioseph Ludouicus *decis. Perusina 42.* Benintend. *decis.34.* Et ita statuit in Regno Neapolitano pragmatica *prima sub tit. de emptio. & vendit.* Hinc quoque communiter Doctores docent; non

excusari, neque recuperare prætium ementem publicè in nundinis rem furtiuam. Hostiens. *in Sum. tit. de pœnit. & remis. §. quid de furtis vers. quid si quis emat.* Menochius *loco citato num.* 22. & Farinac. *num.* 31. imò neque valeret statutum, quod emens in nundinis rem furtiuam prætium recuperet, vt refert decisum Cappella Tholosana *decis.* 151. Franciscus Marcus *decis.* 8. *par.* 2.

His tamen non obstantib. hęc opinio non videtur vniuersim vera, sed vt certa ab incertis secernamus.

3 Dico primò, licitum est emere scienter rem furtiuam, animo Domino restituendi, quando iste non fuisset aliter recuperaturus, nisi me emente, & tūc in
4 vtroque foro potero recuperare prætium, ita omnes Hostiens. *in Sum. tit. de pœnit. vers. quid de prædam ementibus.* Io: Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 26. *ad finem.* Angelus *v. restitutio primo num.* 5. & Syluest. *eod. v.* 3. *quæs.* 7. Molina *tom.* 3. *disp.* 721. *num.* 2. Caietan. *tom. primo opusc.* 31. *respons. vlt. vers.* 3. *est* Lessius *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 3. *num.* 20. & *cap.* 21. *dub.* 18. *vers. dico primo, & dico secundo.* Cardin. Lugo *de instit. disput.* 17. *sect.* 1. *num.* 2. Vasquez *de restit. cap.* 9. *§.* 2. *dub.* 5. *num.* 28. Villalobos *tomo primo tract.* 1. *difficul.* 20. *num.* 8 Bann. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 1. Salon. *ibid. controuers.* 4. *conclus.* 2. Thom. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 29. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput. vnica sect.* 23. *num.* 237. Cepolla *cautela* 10. Couarr. *regula peccatum par.* 3. *in initio n.* 5. Castropalaus *tomo* 1. *tract.* 1. *disput.* 3. *punc.* 3. *num.* 4. Layman *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 7. *num.* 25. *§. porrò.* Diana *par.* 4. *tract.* 3. *resol.* 33.

Quod autem non peccet. Probatur *ex text. in Can. rapinam* 14. *q.* 5. ibi: *rapinam emere non licet, nisi ea intentione, vt cui est ablata restituatur.* Quod patet apertissima ratione, nam ita Dominus non est inuitus rem suam emi, cum vtiliter agatur eius negotium.

Quod autem recuperet prætium. Probatur ex *tex. in l. mulier in opus salinarum ff. de captiuis, & postlim. reuersis*, vbi per illum textum Doctores omnes docent: ementem rapta à latrunculis exteræ gentis prætium recuperare; id autem ideo est, quia alioquin non fuisset Dominus recuperaturus, & iustum non est emptorem, qui vtiliter rem Domini gessit, pati pretij iacturam, & quia æquum non est Dominum cum aliena iactura locupletari, suumque recuperare *l. nam hoc natura ff. de condit. indeb.*

5 Aduertit tamen Couar. *in reg. peccatum p.* 3. *in initio num.* 5. ex authoritate Baldi, & Castrens. *in l.* 1. *ff. de negotijs gestis*, in foro externo emptorem non recuperaturum prætium, nisi euidentibus coniecturis ostendat, se emisse, non animo sibi retinendi, sed inquirendi Dominum, eiq; restituendi, in dubio enim, & regulariter loquendo, emens furtiua, prætium nō recuperat, *vt est text. in l. inciuilem C. de furtis*, & docent Alciatus *de præsumpt. regula* 3. *præs.* 29. *num.* 2. Bossius *tit. de furtis num.* 50. Natta *cons.* 436. *n.* 1. Clarus *§. furtum num.* 27. Baiardus ibidem *num.* 106. & 107. Menoch. *lib.* 5. *præs.* 29. *n.* 9. Mascardus *de probat. lib.* 2. *concl.* 831. *n.* 18. Farin. *tit. de furtis q.* 177. *n.* 29.

6 Cęterum qui animo sibi retinendi, emisset, iste, neque in foro externo, neque in foro conscientiæ, poterit prætium recuperare, vt probat Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 18. *vers. dico secundo.* Ratio est, quia tunc dominus, neque pro re recepta mihi tenetur, vtpotè quæ ipsius est; nemo enim suam rem emere cogitur; neque tenetur pro gestione negotij, quia cum emerim animo mihi retinendi, non suum, sed meum egi negotium.

7 Quæres quid si emens rem furtiuam, non cogitat de restituendo, quia putat impossibile esse, dominum inueniri; an tunc licitè emat, & an inuento domino recuperet prætium? Respondeo licitè emere, non enim in illis circumstantijs dominus est inuitus, nam si impossibile sit ipsum inueniri, parùm curat rem furatam manere apud furem, vel alium. Quoad prætium verò, dico non recuperare prętium, Ratio est, quia non domini, sed suum egit negotium; ergo non poterit prętium petere, quasi vtiliter egerit negotium domini.

8 Sed difficultas est, quid si non modico, sed iusto prætio à fure emisti, an totum prætium recuperes à domino comparente? Affirmat Diana *p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 33. cui fauet *tex. in l. mulier in opus salinarum ff. de captiu. & postlim. reuers.* ibi enim non distinguit text. an modico, vel magno prætio fuerit mulier redempta. Fauet quoque communis opinio indistinctè docens, ementem res ab hostibus furatas prætium recuperare. Hostiens. *in Sum. de pœnit. vers. quid de prædam ementibus.* Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 29. *num.* 26. Ancharanus *in reg. peccatum col.* 13. *de regul. Iur. in* 6. Cepolla *Cautela* 10. Iason *in l. si pactum in fine C. de procuratoribus.* Alciat. *reg.* 3. *præs.* 29. *vers.* 2. *declarat*, Couar. *regul. peccatum par.* 3. *initio num.* 5. Petrus Caball. *resolut. Criminal. casu* 292. *num.* 20. Farinac. *tit. de furt. q.* 177. *num.* 40. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 18. *vers. dico tertio*, vbi ait prętium recuperare.

Contrarium tamen docent communiter, nempè comparente domino non recuperare, nisi id quod dominus arbitrio prudentis impendisset pro recuperatione rei suæ, ita Vasq. *de restit. cap.* 9. *§.* 2. *dub.* 5. *num.* 28. Molina *tom.* 3. *disput.* 721. *num.* 2. Merolla *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *dub.* 1. *coroll.* 5. *num.* 36. & Mordicus defendit Card. Lugo *disp.* 17. *sect.* 1. *num.* 3. & ita decisum refert Laurentius *decis. Auenonensi* 30. *n.* 7.

Ratio est euidens, quia res furata semper manet in dominio sui domini, vnde rem suam non cogitur emere, sed tantum dare id, quod prudentis arbitrio pro recuperatione dedisset, alioquin non fuisset vtiliter gestum eius negotium.

Non obstat tex. *in l. mulier in opus salinarum*, nam ibi fuit mulier ab hostibus redempta, quare videtur agi negotium pietatem redolens, meritò redemptor totum prętium recuperare debuit. Qua ratione puto ementem ab infidelibus, Sacra vasa ne profanentur recuperare totum prætium, etiam si iusto, imò magno prętio ea sint empta, & in hoc sensu accipio, quæ docent communiter Doctores, dum scribunt ex causa pietatis licitè ista emi, & recuperari prętium, ita Caietan. *opusc. tom.* 1. *opusc.* 31. *resp. vltima vers. vltimo.* Rebellius *par.* 2. *lib.* 9. *quæs.* 18. *num.* 17. Layman *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 7. *num.* 25. *vers. porrò.*

9 Vel dicendum, iure positiuo iustè statutum esse, capta ab hostibus, si in tuto apud hostes recepta sunt, non esse prioribus dominis restituenda, sed fieri accipientium à manibus hostium, vnde mirum non est, si recuperent totum prętium, & ita docent communiter Doctores *in l. ab hostibus la* 2. *C. de Captiuis*,

tiuis, & postlimin. reuers. & in l. 1. ff. de acquir. posses. Francus *decis.* 248. & ita decisum referunt Gama *decis.* 388. Thesaur. *qq. forens. lib. 2. q. 98.* Regens Galeota *responso fiscali* 13. & doctissimè Regens Capycius Latro *consult.* 97. Molina *tract. 2. disp.* 118. Vbi tamen negat id procedere in emente, sed tantum in recuperante per bellum, sed immeritò nam si quis emit seruum ab hostibus captum, fit seruus redimentis, neq; tenetur restituere Domino, nisi oblato pretio *l. in bello, §. si quis seruum ff. de captiuis, & postlimin. reuers. & l. ab hostibus 2. C. eod.*

Insuper aduerto communiter Doctores locis citatis, vt Rebellium, Sanchez, Lugo, Castropalaum, Dianam, & alios docere eum, qui animo restituendi Domino emit rem furtiuam, post sufficientem diligentiam, domino non comparente teneri deducto prætio restituere pauperibus, id in quo factus est ditior, emendo rem furtiuam: at oppositam opinionem probabilem esse infra ostendam.

10 Dico secundò, emens rem furtinam animo restituendi Domino, si post adhibitam diligentiam, moraliter sit impossibile dominum inuenire, sibi retinere potest, neque tenetur dare pauperibus, id in quo factus est ditior. Hæc opinio est contra communem, ea tamen probabilis est.

Probatur primò, authoritate grauissimorũ Theologorum Molina *de Iustitia tract. 2. disput. 118. §. Illud postremò*, sic inquit, *Ad pacandas tamen conscientias illud est addendum. Quando verisimile esset, illas deuenturas nunquam esse in potestate suorum dominorum, vt ordinariè eueniet, licitum est eas emere, vili etiam prætio, & animo, vt si proprius Dominus comparuerit accipiat pro eodem prætio, sin minus, illas emptor sibi retineat. Quoniam verisimile est eam esse præsumptam dominorum voluntatem: & quoniam quodammodo essent irrationabiliter inuiti, nisi id ita vellent.* Ita Molina qui vniuersaliter loquitur de quacumque re furtiua, & postea subdens exemplum de rebus emptis ab hostibus sic scribit. *Atque ita respondi quibusdam Christianis captiuis, qui in Affrica emerunt vili prætio à Mauris aliqua de spolijs Lusitanorum, quando Rex Sebastianus occubuit. Illud obserua in eo euentu si proprius Dominus compareret, velletque rem ita emptam, teneretur tum in conscientia, tum in externo foro soluere prætium pro ea solutum, eò quòd hostis qui illam vendidit non teneatur emptori de euictione, vtiliterque emptor egerit negotium talis Domini, vili prætio rem redimendo. Vnde Iure Cæsareo, vt supra dictum est, quando alienus seruus etiam scienter redimebatur de manu hostium, tenebatur illius Dominus persoluere prætium redemptori, vel relinquere illi mancipium redemptum.* Hæc Molina.

Lessius *de Iustitia lib. 2. cap. 21. dub. 18. vers. Dico 3.* perspicuè, & doctè nostram sententiam probat, sic scribens. *Quando non est probabilis spes rem Domino posse restitui, eaque publicè venditur, possum, & ego per se loquendo emere, animo mihi seruandi, vel vendendi, si Dominus non comparuerit, & si comparuerit illi eodem prætio relinquendi. Probatur, quia in hoc casu nulla fit iniuria Domino ab Emptore, imò agitur negotium Domini, quantum agi potest, vnde nec ipse censetur inuitus, sed consentiens in translationem dominij cum illo onere. Hoc modo catholici in Hollandia possunt emere merces ibi publicè propositas, quas hæretici in Mari ceperunt*, ita Lessius, qui paulo infra vers. ad secundum sic docet. *Expedit communiter Reipublicæ, vt bona incerta non ma-*
11 *neant vacantia. Neque necesse est, vt fiat restitutio in Pauperes, quando res empta esset, præsertim tali animo, consulendum tamen est, vt id in quo facti sunt ditiores, pauperibus conferant*, ita Lessius.

Caietanus *tomo 1. opusc. 31. resp. vltima vers. primus est*, quoad aliquas res furtiuas idem censet, sic scribens. *Quoniam feræ, vestes, & id genus reliqua publicè exposita Romæ, nullum inuenientia Dominum, quia nullus scit discernere feras suas ab alienis, cum etiam vendentes lateat cuius fuerint, pro derelictis habentur per accidens, & licitè emuntur publicè. Dixi per accidens, quia discernere nemo potest, cuius fuerint, & publicè, ac promiscuè quilibet emit, quamuis non dubitetur, quod pars direptionis Romanæ fuerint, hæc enim signa derelictionis sunt*, ita Caiet. qui idem fateri tenetur de cœteris rebus, quarum Dominum inuenire est impossibile, nam etiam istæ pro derelictis habentur, vt infra ostendã.

Probatur secundò, nostra opinio à pari, nam pro-
12 babilis est Doctorum sententia, quid non adsit obligatio restituendi pauperibus ea, quæ sine delicto aquisita sunt, prout sunt debita incerta sine delicto contracta, sic etiam sortuitò inuenta, & alia huiusmodi, ita docuerunt Sotus *lib. 5. de Iustitia q. 3. art. 3. ad secundum.* Aragonius 2. 2. *q. 66. art. 5. §. sed dubitabis fol. 168. col. 2. & ibidem art. 5* Salonius, & Bannes. Petrus Nauarra *de restitutione lib. 4. cap. 2. num. 75.* Mercado *de contractibus cap. 5.* Ledesma 24. *q. 18. artic. 5. fol. 266.* Rodriquez *p. 2. Summæ cap. 41. conclus. 5.* Sarmiento *selectarum lib. 6. cap. 10.* Bartholomæus *Medina in Summa lib. 1. cap. 14. §. 34. regula 5.* Diana *par. 2. tract. 17. resol. 5.* Lopez *in instruct. par. 2. cap. 2.* Sà *verbo thesaurus num. 4.* Hancque opinionem ipsimet aduersarij probabilem fatentur, ita Vasq. *de restit. c. 5. §. 4. num. 43.* Lessius *lib. 2. cap. 14. dub. 7. n. 48.* Laym. *lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 24.* Malderus 2. 2. *trac. 4. c. 4. dub. 2. concl. 2. num 4. & concl. 3.* Cardin. Lugo *de Iustitia disp. 6. sect. 12. num. 136. & seq.* Ratio est, quia ob-
13 ligatio restituendi pauperibus non oritur ex Iure naturali, ex eo quod hæc sit præsumpta volũtas Domini, sed oritur ex Iure humano Ecclesiastico, ex textu *in cap. cum tu de Vsuris, & cap. cum sit, de Iudeijs:* hæc autem Iura non loquuntur, nisi de alienis, & incertis, & ex delicto acquisitis: ergo non sunt extendenda ad bona incerta, sine delicto, & iustè acquisita: Sed qui emit à fure animo restituendi domino, si fortuitò inueniretur, iustè aquirit ea bona; ergo iste non tenetur restituere pauperibus, domino non inuento.

Probo eam obligationem restituendi bona incerta pauperibus non esse ex iure naturali, sed ex iure positiuo, ita enim docent Lessius *lib. 2. cap. 14. dub. 7.* Layman *lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 24.* Malderus 2. 2. *tract. 4. cap. 4. dub. 3.* Vasq. *de restitut. cap. 5. §. 4. num. 7.* quamuis alij oppositum doceant, quos affert Vasq. vbi supra, & tradit Lugo *de Iust. disp. 6. sect. 12. n. 144.*

Primò autem id suadetur, quia id est verisimile, quod frequentius accidit *l. in obscuris, ff. de regulis iuris*, at ex mille vix vnum reperies, qui aliqua re deperdita, aut sibi furata, velit eam dari pauperibus, quinimò vult eam conseruari, sibique restitui; ergo ea præsumptio voluntatis domini non nititur soli-

do fundamento, ex frequenter accidentibus; quod si aliquis hanc habeat voluntatem dandi pauperibus, cũ hæc interna sit, & in mente retēta nihil operatur.

Secundò, quia plerumque homines sunt in statu peccati mortalis, quibus ea restitutio facta pauperibus, nihil prodest.

Tertiò, si ex Iure naturali ex præsumpta voluntate Domini, bona incerta siue iustè, siue iniustè acquisita, essent pauperibus restituenda; sequeretur plerasque leges humanas, tum ciuiles, tum Canonicas esse iniquas, & iniustas, sic enim iniquè bona vacantia applicarentur fisco. Neque prodest responsio Eminentissimi Lugo *vbi supra num.*147. qui ait, quod successio fisci, ordinatur ad bonum cōmune, & publicum, quod etiam præsumitur voluisse defunctus, saltem post bonum suorum consanguineorum, faciliter enim præcluditur euasio Card. Lugo, nam inter millia millium neque vnum reperies, qui velit deficientibus consanguineis, sua bona ad fiscum deuenire, ergo gratis, & sine vllo fundamento, ait Lugo voluntatem defuncti esse, ea bona deuenire ad fiscum; ergo non ex præsumpta voluntate defuncti, sed aliundè ex potestate, quam habet Princeps disponit de his bonis. Præterea, si voluntas præsumpta domini esset bona deperdita restitui pauperibus iniquæ essent leges statuentes thesauros fieri occupantis, finge enim, quod in thesauro inueniatur scriptura, qua disponat dominus, qui pecuniam abscondit, vt ea inuenta esset tali hospitali, vel pauperibus danda, vtique tunc non fieret thesaurus occupantis, sed esset illius hospitalis; ergo si præsumpta voluntas dominorum est bona deperdita dari pauperibus, idem dicetur in domino abscondēte pecuniam thesauri, nec rectè euadit Lugo *vbi supra num.*146. Vbi ait: non esse spectandam voluntatem abscondentis pecuniam, nam cum eam voluntatem signo aliquo externo, non manifestarit, talis voluntas nihil operatur: sed est spectanda voluntas præsentis domini, nunc autem thesauri nullus est Dominus, consequēter fit occupantis. Hæc euasio Lugo meam conclusionem magis confirmat, nam si ideo non spectatur voluntas abscondentis thesaurum, quia illa nullo signo externo manifestatur; ergo neque attendenda est voluntas presentis domini rei furto deperditæ, cum illa nullo signo externo manifesta sit. Præterea gratis asserit Lugo, non attendi voluntatem domini thesaurum abscondentis, sed præsentis domini, nam præsens hæres defuncti, esto inueniretur, non posset de ea pecunia disponere, nisi eo modo quo constaret tacitè, vel expresè de voluntate abscondentis. Idem argumentum fieri potest de bonis pro derelicto habitis, ob impossibilitatem moralem, recuperandi, quæ tamen non pauperibus, sed occupanti acquiruntur, vt mox dicam.

Itaque non ex præsumpta voluntate domini, & sic non Iure naturali, sed Iure humano tantùm, bona incerta danda sunt pauperibus; Iure autem humano, id tantum de bonis incertis iniustè acquisitis statutum est, non autem de iustè acquisitis.

Quod autem emens rem furtiuam animo restituendi domino iustè acquirat, ipsimet aduersarij docent ex S. Ambros. *in cap. rapinam* 14. *q.*5. & patet, quia hic agit vtile negotium domini, & conformiter ad eius voluntatem, quare domino inuento, recuperat prætium.

Vnde sic arguo, is qui bona incerta iustè, & sine peccato accepit, hic post adhibitam diligentiam, non inuento domino, sibi retinere potest, nec tenetur dare pauperibus: sed hic emptor iustè accepit; ergo non inuento domino, sibi retinere potest.

Probatur tertiò nostra conclusio, nam bona pro
14 derelictis habita fiunt occupantis, neque sunt restituenda pauperibus *l.* 1. & 2. *ff. pro derelicto l. in fine ff. ad legem Rhodiam de iactu l. falsus* §. *si iactum ff. de furtis* §. *penult. Instit. de rerum diuisione*. Sed quando est moralis impossibilitas rem recuperandi, tunc dominus abijcit spem, ea inter res suas habendi, & vult amplius non requirere, & videtur habere pro derelictis vt *ex l. falsus* §. *si iactum ff. de furtis*, quod mox ostendam: Ergo quando prudenter, perpensis omnibus circumstātijs apparet moralis impossibilitas inueniendi dominum rei furtiuæ, tunc is, qui emit rem furtiuam, iuxta intentione restituendi domino, potest rem possidere tanquam suam, & tanquam pro derelicta habitam occupare, suamque facere, neque pauperibus restituenda ea res est.

Quod autem Moralis impossibilitas recuperandi,
15 faciat rem haberi pro derelicta, atque ita fieri occupantis, docent grauissimi Authores, loquentes de bonis naufragantium ita expresè. Nauarr. *cap.*17. *num.*99. Molina *tract.*2. *disp.*55. *vers. de bonis*. Petrus Nauar. *de restitut. lib.*4. *cap.*1. *num.*57. & 58. Suarez *de censuris disp.*21. *sect.*2. *num.*34. Layman *lib.*3. *tract.* 1. *cap.*5. *num.*22. & Cardin. Lugo *de Iustit. disp.*6. *sect.* 10. *num.*99. vbi *num.*100. sic scribit. *Regula generalis videtur esse, vt quando, siue ratione temporis longinqui, siue aliarum causarum æquiualentium, res sit iam extra potestatem Domini, ita vt ab illo non possit vllo modo recuperari, eo ipso censeatur Domino carere*. Ita ille Eminentissimus. Probatur apertè ex *text. in l. falsus* §. *si iactum ff. de furtis*, vbi dicitur, *quod si in tempestate quis derelinquendi animo iactauit, quod plerumque credendum est, cum sciat periturum, qui inuenerit, suum fecit nec furti tenetur*. Ergo quando is, qui iactat scit moraliter esse impossibile merces recuperare, & proindè habet animum vlteriùs non requirendi, tunc videtur eas habere pro derelictis, quod si spes sit posse recuperari, & habet animum requirendi, tunc, qui accipit animo sibi acquirendi furtum committit, nam non habentur tunc pro derelictis, *vt in d. l. falsus* §. *si iactum*, & *l. qui leuandæ ff. ad legem Rhodiam de iactu*, & §. *fin. Instit. de rerum diuisione*. Quare dicendum est, dupliciter aliquid haberi pro derelicto. Primò, quādo dominus ea mente abiecit, vt in numero rerum suarum esse nolit, ideo statim dominus eius esse desinit, huiusmodi sunt missilia, vt habetur *in* §. *penult. Instit. de rerum diuisione*, & tunc occupans fit irreuocabiliter dominus: huiusmodi etiam censetur res exigui prætij, quam dominus faciliter posset recuperare, eamque negligit, & tacet, videtur enim pro derelicta habere. Nauar. *cap.*17. *num.*170. Azor. *par.* 3. *lib.*1. *cap.*14. *q.*5. Bonacina *in Bullam Cœnæ quæst.*5. *pun.*4. *num.*7. Lugo *de Iustit. disp.*6. *sect.*10. *numero* 99. Secundò aliquid habetur pro derelicta, vt *in d. l. falsus* §. *si iactum ff. de furtis*, quando quamuis merces proijciens maximè cupiat saluari, & sibi restitui, tamen,

men, quia scit id esse impossibile, desperans se posse recuperare, non habet animum requirendi, tunc etiam dicitur haberi pro derelicto, & occupans fit dominus, sed fit dominus reuocabiliter, quia inuento priori Domino tenetur restituere, vt docet Layman *tract. 3. cap. 5. num. 22.* Præterea, quod dicatur haberi pro derelicto id, quod recuperare impossibile est, probat doctissimus Lugo *dicta disput. 6. sect. 10. num. 102. & 103.* Hoc argumento, nam sicut feræ dominium amittimus, quando hæc euadit, & recuperat suam naturalem libertatem, ita vt non sit in potestate nostra ea vti, ita inanimatæ rei dominium amittimus, quando moraliter impossibile est eam recuperare, atque ad nostram potestatem deuenire, cùm enim dominium sit potestas vtendi re, pro suo arbitratu, mox quod amittimus omninò potestatem ea vtendi, eius dominium pariter perdimus.

Dices primò, is qui animo restituendi domino rem retinet, hic non est verè possessor, sed nudus detentor, quippe, qui nomine domini retinet, vt docet Molina *tract. 2. disp. 12. vers. apprehensio*, & Lugo *de Iust. disp. 2. sect. 4. num. 59.* Ergo cùm emptor rei furtiuæ animo restituendi domino, si fortuitò inueniatur, retineat, non est verè possessor; ergo neque dominus.

Respondeo, quod animus restituendi, si fortuitò inueniatur dominus, non tollit, quin possit emptor absolutè, & simpliciter velle rem vt suam possidere. Quare considerandum est duplex tempus: Primum, quando est moralis spes dominum inueniendi, & hoc tempore emptor, neque verè possidet, nec naturaliter, nec ciuiliter, neque est dominus, sed est nudus detentor. Secundum tempus est, quando moraliter est impossibile dominum inuenire, tunc res censetur pro derelicta, & incipit emptor naturaliter, & ciuiliter possidere, vt patet *ex l. clam possidere §. qui ad nundinas ff. de acquirenda possess.* Et etiam incipit esse dominus, tunc enim incipit res haberi pro derelicta, sed est dominus reuocabiliter, quippe qui cessat esse dominus, priori domino fortuitò reperto.

Dices secundò, ergo fur potest occupare rem tanquam suam, cùm res habita pro derelicta fiat occupantis.

Respondetur furem à Iure fieri incapacem talis dominij.

Dices tertiò, ergo saltem alius posset à fure rapere.

Respondetur fieri furi iniustitiam, nam tenetur ipse, vel pauperibus, vel domino restituere rem, vel prætium.

Dices quartò, non est à quo transferatur rei furtiuæ dominium in emptorem, non enim transfertur à fure, quia nemo dat, quod non habet, neque transfertur à domino, cùm non constet de tali voluntate, imò ipse maximè cupit sibi restitui.

Respondet Petrus Nauar. *lib. 4. cap. 2. numero 75.* non transferri dominium, sed tantum rei vsum, cùm semper debeat esse animus restituendi, inuento domino. Hęc responsio non placet, nam vt supra ostendi, optimè stat rem haberi pro derelicta, ac transferri dominium, tamen reuocabiliter, cum obligatione restituendi inuento priori domino.

Respondet secundò Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 18. vers. dico tertio.* Quod Dominus censetur consentiens in translationem dominij, cum illo onere restituendi. Neque placet hæc responsio; nam saltem pro eo tempore, quo est moralis spes dominum inueniendi, tunc emptor rei furtiuæ, neque verè possidet, neque est dominus, sed est nudus detentor.

Respondeo tertiò, quod ab ipsa lege, & à Iure Gentium transfertur dominium, quando prudenter creditur esse moraliter impossibile, dominum inuenire, cùm enim res pro derelicto habita sit in bonis nullius, à lege transfertur in dominium iniustè eam occupantem.

Dices quintò, quia *in l. falsus §. qui alienum ff. de furtis* habetur ad furtum minuendum nihil facere, quod cuius sit, ignoretur.

Respondetur tunc id esse verum, quando causa sum, vt domino suo res auferatur; secus si aliundè supponatur impossibile ad dominum rem suā peruenire, tunc enim non infero damnum domino, neque dominus est inuitus, vt patet in rebus deperditis, aut pro derelicto habitis.

Restat vt respondeamus ad argumenta initio huius quæstionis adducta.

Ad primum respondetur, furem iniustè vendere, quia vendit tanquam suam, & vt sibi retineat prætium; At emptor iustè emit, quia contraria intentione emit, vt domino restituat, si fortuitò, vel adhibita diligentia inuenietur.

Ad secundum respondetur, furem vendendo iniuriam inferre suo domino, quia vendit rem vt suam; At emptor non infert iniuriam, quia non emit vt possideat tanquam suam, quousque est moralis spes dominum inueniendi, sed vt tanquam nudus detentor retineat nomine domini, animo illi reddendi, quando verò nulla est spes dominum inueniendi, adhuc fur iniuriam infert domino, quia etiam casu inuento domino non habet animum restituendi, at emptor habet animum restituendi, & vult esse dominus rei emptæ reuocabiliter.

Ad tertium respondetur, obligationem restituendi pauperibus esse à Iure humano, talisque obligatio non est realis, sed est personalis iniuncta ipsi furi in pœnam furti: quare non infertur iniuria domino, si emptor, eo non inuento, sibi rem retinet: nam obligatio restituendi pauperibus, non sequitur rem furatam, sed personam furis, qui semper manet obligatus ad restituendum rem, vel pretium pauperibus.

Ad quartum respondetur, quod supposito furto, non est fouere fures in suo crimine, emendo furata, præsertim cùm fur propè infinitos emptores promptos inueniet.

Ad quintum respondetur, non recuperare prætium in foro exteriori, quando non constat de animo restituendi domino, nam tunc non domini, sed suum negotium egit, vt ex Couarru. & Less. supra dixi.

QVÆSTIO II.

An qui vſurarium contractum celebrauit bona fide, credens eſſe iuſtum, quod ſi ſciuiſſet, vel non fuiſſet mutuatus, vel aliàs licitum contractum celebraſſet, poſſit retinere lucrum, quod acquiſiuiſſet celebrando contractum iuſtum? Et quid ſi mala fide, ſciens ſe vſurarium contractum celebrare, an poſſit ratione lucri ceſſantis, iuſtè aliquid exigere vltra ſortem.

S V M M A R I V M.

Prima ſententia negatiua. num. 1.
Secunda ſententia affirmatiua. num. 2.
Opinio ſingularis, ſed probabilis, num. 3.

QVoad primum dubium. Negat Leſſius *lib. 2. c. 20. dub. 12. num. 110.* niſi expreſſerit ſe velle contrahere omni meliori modo quo poteſt.

Probat primò, quia non alio titulo hic accipit aliquid vltra ſortem, niſi ratione mutui, qui titulus illicitus eſt, quamuis enim potuiſſet recipere ratione lucri ceſſantis, & ſic titulo iuſto; at dum nihil dè eo actum eſt inter partes, non poteſt eo titulo aliquid accipere; ergo remanet ſolùm titulus ille illicitus, & iniuſtus.

Probatur ſecundò, quia ſi emiſti rem minoris iuſto bona fide, poſtea tamen intellecta veritate, teneris complere pretium, nec potes confugere ad alium contractum, quem cum alio iniuiſſes, & quo plus lucratus fuiſſes; ratio eſt, quia venditor non conſenſit in illum titulum, non enim mens eius eſt, rem ſuam minoris iuſto vendere propter intereſſe emptoris.

Probatur tertiò. Nam vel mutuatarius conſenſit dare intereſſe lucri ceſſantis, & hoc non, quia ignorauit illud, & voluntas non fertur in incognitum: Vel mutuatarius conſenſit ſoluere vſuras, & hic conſenſus non iuſtificat acceptionem, nam eſt inſufficiens, cùm ſit per iniuriam extortus.

3 His tamē non obſtantibus reſpondetur affirmatiuè, ita Eman. Sà *v. vſura, num. 8.* Tannerus 2. 2. *diſp. 4. quæſt. 7. dub. 3. num. 99.* Diana *p. 1. tr. 8. reſ. 47. & p. 3. tr. 5. reſol. 92.* ac probabilem cenſet Leſſius *li. 2. cap. 20. num. 100.* ait enim, *ſe non audere hos cogere ad reſtitutionem.*

Probat primò Tannerus, *quia hoc ipſo, quod mutuans beneuolo affectu, & bona fide in gratiam mutuantis ſuam pecuniam exponit, probabiliter cenſeri poteſt, ipſum omni, quo poteſt modo licito auctarium lucri accepiſſe, è contra etiam mutuatarium, etſi expreſsè non monitum, ſaltem implicitè conſenſiſſe ad mutuantem in contractu indemnem ſeruandum, adeoque ad præſtandum intereſſe, niſi aliundè contrarium conſtet: licitè ergo mutuans ſaltem ratione lucri ceſſantis, retinet, quod accepit, modo alioquin cætera conditiones ad hunc titulum requiſita, dum contraheretur adfuerint.* Ita Tannerus.

Probat ſecundò idem Tannerus, *quia talis non tenetur niſi iuxta leges poſſeſſoris bonæ fidei, ad reſtituendum id, in quo ex contractu ditior eſt factus; non videtur autem, ex contractu abſolutè ditior factus, ſecundum id, quod ſecluſo tali contractu erat lucraturus, quia hoc potius ad eum indemnem ſeruandum pertinet, meritò enim diceret ex tali contractu ſe damnum ſenſiſſe.* Ita Tanner.

Ex his patet reſponſio ad contraria argumenta.

Ad primum reſpondetur, quod mutuatarius implicitè conſenſit ſoluere titulo iuſto lucri ceſſantis, & mutuans implicitè voluit eodem titulo iuſto fieri ſolutionem.

Ad ſecundum reſpondetur diſparitas eſt, quia contractus emptionis, & venditionis per ſe fit in gratiam vtriuſque contrahentis, quare vendens minus iuſto prætio, neque explicitè, neque implicitè conſentit ſoluere lucrum ceſſans. At mutuum fit in gratiam mutuatarij, quare non eſt inconueniens, quod iſte, qui expreſsè promiſit vſuras, implicitè conſentiat ſoluere lucrum ceſſans.

Reſpondetur ſecundò retorquendo argumentum *ex tex. in cap. nauigant. de vſuris*, nam ſi in gratiam emptoris nunc vendis merces, quas alio tempore cariori pretio deſtinaueras vendere, potes exigere lucrum ceſſans, nempè quanti eo tempore vendidiſſes deductis expenſis, ac periculis in conſeruatione mercium.

Ad tertium reſpondetur conſenſum mutuatarij promittentis vſuras eſſe per iniuriam extortum, ſi à parte rei nullus ſubeſt titulus iuſtus, ſed tantùm vſurarius, tunc enim eſt rationabiliter inuitus; At non eſt conſenſus per iniuriam extortus, quando ſubeſt reuera iuſtus titulus lucri ceſſantis.

Quoad ſecundum dubium negat Leſsius, *lib. 2. cap. 20. dub. 12. num. 102. verſ. dices*, imò nullus dixit, quod ſi mala fide, ſciens contractum vſurarium contraxiſti, quod poteris ratione lucri ceſſantis exigere aliquid vltra ſortem. Probat Leſsius, quia diſpar ratio eſt eius, qui bona fide, ac alterius, qui mala fide contraxit, nam dum mala fide contrahit iudicans contractum eſſe iniuſtum, tunc in contrahendo non cenſetur habere rationem lucri ceſſantis per alios contractus iuſtos, ſi enim illius rationem habere vellet, facilè in ſuo contractu poſſet conſtituere iuſtitiam, & æqualitatem, & ita contractus non eſſet iniquus. Qui autem bona fide contrahit, putat contractum eſſe iuſtum, non intendens niſi iuſtè contrahere; ergo implicitè videtur accerſere omnes titulos iuſtos, qui in tali contractu poſſunt reperiri, & conſequenter etiam titulum lucri, quod ceſſat ex alio contractu, quem feciſſet, niſi hunc contractum probum putaſſet.

3 His non obſtantibus, reſpondetur affirmatiuè, nempè ſi mala fide ſciens contractum eſſe vſurariū, acceptaui ratione mutui promiſsionem auctarij vltra ſortem mutuatam, quia propter ignorantiam putabam me non poſſe illud auctarium accipere, titulo iuſto lucri ceſſantis, eo caſu comperta rei veritate, idem dicendum eſt, ac in præcedenti, poſſe me licitè illud auctarium accipere.

Probatur, quia adhuc adeſt implicitus, & virtualis conſenſus vtriuſque contrahentis in titulum iuſtum lucri ceſſantis, nam mutuans ſi ſciuiſſet, vtique conſenſiſſet iuſto titulo lucri ceſsantis accipere, ideò autem expreſsè non conſenſit, quia ignorabat ſe eo titulo lucri ceſsantis iuſtè poſse exigere; ſic quoque mutuatarius, qui conſenſit, vſurario titulo, ſoluere; vtique interpretatiuè, & implicitè conſenſit ſoluere titulo iuſto, qui re vera ſubeſt.

Pro-

Probatur secundò ad hominem contra Lessium, qui *lib. 2. cap. 20. dub. 10. num. 73. & 74.* agens de interesse damni emergentis sic scribit: *Ad hoc, vt possit exigi aliquid ratione damni emergentis, requiritur, vt mutuatarius moneatur de damno emergente, ne illum decipias, nam fortè nollet mutuum cum tanto onere; Verum si exigas decem vltra sortem pro damno, quod re vera subsit, licet mutuatarius de illo non moneatur, qui nesciat illa decem solui pro damno, sed credat esse vsurarium lucrum, tamen non teneris restituere; ratio est, quia in re nulla adest inæqualitas, quamuis ipse hoc ignoret, ac existimet te ratione mutui exigere, ac proindè des ei occasionem scandali. Neque ipsum decipis contra Iustitiam, quia per hoc non datur ei occasio, vt putet pecuniam illam pluris valere, quàm valeat, aut accepect contractum, quem aliàs non erat acceptaturus vti suppono.* Hæc Lessius, sed idem est quando ratione lucri cessantis re vera erat æqualitas in contractu, licet mutuatarius hoc ignoret, nec enim tunc decipitur mutuatarius, quia etiam si sciuisset iusto titulo accipi, dedisset idem quod dederat, putans se soluere iniustam vsuram.

Confirmatur nam, vt rectè docet Molina *tract. 2. disp. 113. in fine. Iniustitia quæ prouenit ex conscientia erronea, qua quis putat se iniustè facere, quod facit iustè, non inducit obligationem restituendi ex parte iniustè acceptionis.* Ita Molina, sed in tali contractu quando reuera adest cessatio lucri, & titulo iniusto mutui, non autem titulo iusto lucri cessantis, quis accipit vltra sortem, adest tantùm ex conscientia erronea iniustitia: ergo non inducit obligationem restituendi.

Aduerte tamen, quod si mutuatarius credidit se soluere illa decem, vt iniustum lucrum, putans sibi restituenda fore deinde, vt iniustè accepta, quod si sciuisset iustè accipi titulo lucri cessantis, aut damni emergentis, & proindè nunquam restituenda, non recepisset mutuum, tunc eo casu ex defectu consensus erit nullus contractus, aut saltem omnino illicitus, & debet fieri restitutio, quia mutuatarius verè liberè non consentit, neque implicitè, neque explicitè illa dare titulo lucri cessantis. Sed hic casus raró euenit.

Ex his patet responsio ad contrarium argumentum Lessij, procedit enim in eo, qui sciebat se posse iusto titulo lucri cessantis auctarium accipere, & cõtraxit cum titulo vsurario: Sed hic casus est planè metaphysicus, quis enim adeò stolidus est, qui sciens se posse iustè contrahere, velit iniustè, & cum obligatione restituendi, celebrare contractum?

QVÆSTIO III.

Quomodo pauperi, & indotatæ vxori viri diuitis, defuncti sit taxanda quarta iuxta authenticam, Præterea C. vnde vir, & vxor? seu quot ducati hodie libram auri constituant?

SVMMARIVM.

Quarta nequit excedere centum libras auri. num. 1.
Quarta debetur etiam in Regno Neapolitano. num. 2.
Datur ad necessaria alimenta, non ad status conditionem. num. 3.
Quarta non augetur, quamuis insufficiens esset ad alimenta. num. 4.
Quot ducati libram auri constituant? num. 5.
Solidi 72. olim libram auri constituebant. num. 6.
Solidus idem est, ac aureus. num. 7.
Prima sententia, hodie libram auri continere 96. ducatos. num. 8.
Secunda sententia, quod contineat centum aureos. num. 9. Tertia est, quod contineat centum, & septem. num. 10. Quarta opinio est continere centum, & quatuordecim. num. 11. Quinta est, non posse certam regulam assignari. num. 12. Nostra autem opinio singularis est, tot aureos pro libra supputandos, quot purissimi auri massa æstimatur. num. 13.

1 QVartam hanc non posse excedere centum libras auri, habetur ex textu *in §. quia verò legem authentica, vt liceat matri, & auiæ;* Ex hac
2 Iuris communis dispositio in Regno Neapolitano, neque consuetudine sublata, neque aliquo modo immutata est, vt tradunt Napodanus *in consuetudine quartam autem, verbo constitutam versic. ad hæc*, Francus *decis. 318.* Molfesius *ad consuetud. tom. 2. in addit. part. 7. q. 1. num. 1.*

3 Porrò huiusmodi quarta non datur, vt vidua viuat iuxta sui status conditionem, & honorificè, sed tantùm præstatur ad necessaria alimenta, ne turpiter mendicare cogatur, quare non augetur vltra centum libras auri, esto ijs nequeat iuxta sui status gradum viuere, ita Surdus *decis. 61. in fine* referens, ita decisum in Senatu Mantuano.

4 Imò esto non sufficeret pro necessarijs alimentis hæc quarta, adhuc non erit augenda, ita Corneus *cons. 4. col. penult. vers. & quando vxor vol. 4.* Surdus *de aliment. tit. vltimo q. 35. num. 14.*

5 Tota difficultas iam est, quot hodie aurei, seu ducati libram auri constituant? & quidem certum est, olim libram auri comprehendisse septuaginta duos
6 solidos, vt habetur *in l. quotiescumque C. de susceptoribus, & arcarijs lib. 10.* Solidus autem idem est, ac au-
7 reus, vt docent omnes, nec re, nec nomine vnquam dissimiles fuerunt, vt inquit Couarr. *de collatione veterum numismatum cap. 3. num. 3. vers. 5. Conclusio*, vbi rectè obseruat aureum veterum Iurisconsultorum, ab aureo Codicis Theodosiani, & Iustiniani ex eo differre, quod aureus ille vetus fuerit quarta vnciæ pars, aureus autem Iustiniani, & aliorum Cæsarum, qui à Constantino Imperium obtinuere sextam tantùm appenderit vnciæ partem, quare septuaginta duo aurei libram conficiebant, cum autem hodiernus aureus pondere, ac bonitate metalli Iustiniani aureo minoris sit, vt docent omnes, quæritur quot aureos hodie libra auri contineat? qua in re variæ sunt Doctorum sententiæ.

8 Primò, aliqui dicunt continere libram auri nonaginta sex ducatos, asserentes aureum hodiernum esse octauam vnciæ partem, ita Bartolus, Albericus & Iason *in l. fin. num. 2. ff. de in ius vocando*. Felinus *in cap. conquerente de officio ordinar.* Iason *in l. 2. §. ex his ff. de verborum obligation.* Alexand. *cons. 4. colu. penult. vol. 1.* Decius *cons. 249.* Natta *cons. 28. num. 2.* Clarus *in §. donatio q. 15.* Bellonus *cons. 4. num. 13. & 14.* Ludouicus Gomezius *in regulas Cancellariæ in regula de*

valore exprim. in impetrat. benef. quæst. 9. Afflictus *in constit. quicumque mulierem num.* 2. Carauita *ritu* 16. *num.* 6. Antonius de Canario *trac. de Insinuatione q.* 6.

9 Secundò, alij docent hodie vnam libram auri valere centum aureos, ita Gaspar Thesaurus *tract. de augmento monetarum par.* 1. *num.* 18. Et ita decisum in Sacro Cōcilio Neapolitano in causa d. Tiberij Carrafæ Principis Bisiani, refert Thorus *in Compend. decisionum tomo* 2. *decis.* 4. *col.* 2. *fol.* 530. Nam pro quarta taxauit decem mille aureos. Et ab hac opinione non longè abest sententia Eminentissimi Lugo *de Iustit. disp.* 23. *sect.* 10. *num.* 149. quem sequitur Diana *p.* 8. *trac.* 6. *resolut.* 46. Qui docent quingentos solidos continere ex nostra moneta scuta septingenta, ac tredecim, ita vt singula scuta contineant decem Iulios Romanos, seù decem regales Hispanos, quare cùm quingenti solidi antiqui contineant septem libras auri, sequitur hodie libram auri continere scuta ferè centum, & duo.

10 Tertiò, alij docent libram auri hodie constitui centum, & septem aureis, ita Rolandus à Valle *tract. de lucro dotis q.* 53. *in fine*. Ioseph Ludouicus *decis. Perus.* 7. *num.* 2.

11 Quartò illi, qui docent valere hodie donationem vltra octingentos solidos, tenentur quoque fateri, libram auri esse ducatorum centum, ac quatuordecim, nam quingenti solidi ad rationem antiqui solidi continent septem libras auri, octingenta autem per septem libras diuisa constituunt singulas libras centum quatuordecim ducatorum. Quod autem hodie valeat donatio vltra octingentos solidos, seù ducatos docent Angelus *in l. sancimus, C. de donationibus*, Iason *in l.* 2. *§. ex his num.* 16. *ff. de verb. obligation.* Marianus Soccinus senior *cons.* 48. *col. vltima volum.* 1. Alciatus *in l. hac enunciatio ff. de verborum significat.* Felinus *in c. consequente num.* 2. *de offic. ordin.*

12 Quintò, Andreas Gayllus *lib.* 2. *obseruat.* 39. *num.* 3. *&* 4. sic scribit; si aurei sint minoris valoris, & variati in bonitate intrinseca, ita vt septuaginta duo aurei non conficiant vnam libram, tunc reducendi sunt ad valorem legalem, siue ad aureos legales. Itaque contingere potest, vt valeat donatio etiam vltra quingentos aureos, videlicet si in loco contractus, vel factæ donationis non sint tales aurei quorum septuaginta duo conficiant libram, vnde Coloniæ vltra 1200. & Aquisgrani vltra duo millia aureorum monetæ currentis, vt vocant valet donatio sine insinuatione; ita Gayllus. Vnde videtur certam regulam tradi non posse nam diuersis in regionibus, diuersa est aurei bonitas ac pondus.

Quid dicendum? Respondeo, nihil posse certò definiri, quot aurei libram constituant, nam vt supra dixi pro varietate temporum, ac regionum aurei pondus, & intrinseca bonitas variantur.

13 Dico igitur tot aureos, seu ducatos pro libra auri supputandos, quot massa purissimi auri, vulgò de cupella communiter eo loci æstimatur.

Probo hanc assertionem, nam olim solidi ex purissimo auro, quod obryzum dicebatur, constabant, vt patet ex *lege vltima C. de veteris numismatis potestate lib.* 11. & notat Albericus *in l. fin. C. de in ius vocando* obryzum autem aurum esse purissimum, patet ex Plinio *lib.* 33. *c.* 3. Porrò septuaginta duo solidi massam purissimi auri vnius libræ appendebant, *vt in l. quotiescumque C. de susceptoribus, & arcarijs lib.* 10. quare optio erat, vel solidos, vel materiam appendere, æqua tamen lance, & libramentis paribus *l.* 1. *C. de ponderator. lib.* 10. Sic legatis alicui decem pondo auri, satisfaciet hæres, si vel auri massam, vel prętium auri soluat *l. prima §. vltimo, & l. vtia ff. de auro, & argento legato*; Ergo hodie tot aureis libra constat, quot purissimi auri massa communiter æstimatur, hac enim ratione optimè ad antiquos solidos nostri aurei reducuntur.

De auri autem, & argenti prætio plura scribunt Agricola *de re metallica lib.* 1. *&* 3. Plinius *lib.* 33. *c.* 9. Alexand. ab Alexandro *dierum genialium lib.* 4. *c.* 24. Couar. *de veter. numismatum collat. cap.* 1. *vide textum in l. vnica C. de argenti prætio lib.* 10.

Sed cùm cœterarum rerum, ita, & auri prætium in dies, & pro diuersis regionibus varietur, certa regula tradi nequit, Molfesius *in consuet. tom.* 2. *part.* 7. *q.* 1. Scribit suo tempore Neapoli massam auri purissimi vnius libræ æstimari ducatis centum quadraginta quatuor; quare taxanda erit quarta pauperis viduæ viri diuitis ducatis quatuordecim mille, & quadringentis, quicquid sine fundamento dicat in oppositum ibi Molfesius, qui ait esse tantùm ducatorum septem mille, ac ducentum, nam totidem solidos continebant tempore Iustiniani centum libræ auri, & eiusdem opinionis videtur Alciatus *in l. hac enunciatio* 232. *ff. de verb. significat.* vbi sic scribit: Nobis videtur aureum quo hodie vtimur ex generali omnium populorum consuetudine esse veteri illi subrogatum, & ideo quę de solido in Iure Ciuili cauta sunt, ad nostrum hunc, quamuis leuioris sit ponderis referenda, nam, & in præsentia propter temporum qualitatem, pauperiores sunt ciues, quàm olim essent.

Sed eorum pace, falsa, & contra communem opinionem est hæc sententia, nam libra auri ex Iustiniano debet esse auri purissimi, ad quam conficiendam septuaginti duo solidi tunc satis erant, quia solidus sexta vnciæ parte, & ex purissimo auro constabat; hodie verò aureus, seù ducatus minor est sexta vnciæ parte, & admixto ære impurioris materiæ, quare nostrates septuaginta duo ducati, seu aurei non conficiūt Iustiniani libram. Vnde meritò Doctores omnes vno ore docent, hodie valere donationem vltra quingentos solidos, & aliqui asserunt valere vltra septingentos, alij vltra octingentos. Dicendum ergo hodie pro libra auri tot ducatos supputandos, quot massa purissimi auri, nulla impuritate admixti æris fędatam, vulgo de cupella communiter æstimatur.

QVÆSTIO IV.

An grauiter indigenti fratri teneatur intra claustra religiosus succurrere, cùm potest, ex sui ingenij, aut manuum opera, salua obedientia, & regulari obseruantia?

SVMMARIVM.

Frater tenetur egentem fratrem alere. num. 1.

Reijcitur Sanchez docens differri posse notum religionis ob so-

ob sororum inopiam non autem fratris. num.2.
Quæ necessitas sit grauis, cui religiosus frater teneatur succurrere? num.3.
Quando nobilis dicatur pauper? num.4.
An illi dari possit legatum pauperibus distribuendũ. n.5.

RƐspondetur affirmatiuè. Ita sentiunt Molfesius *in Sum. trac.11.c.18.n.88.* & Bonacina *in decal. disp.6.q.vnica punc.5.num.4.* Dum docent probabile esse fratrem non posse religionem ingredi relicto fratre grauiter egente.

Probatur tenetur succurrere grauiter egentibus parentibus, vt docent omnes ex S. Thom. 2.2.*q.101. art.4.ad quartum*. Ergo, & fratribus, vt sentit idem S. Thom. *d.q.101.art.2.ad 3.*

Consequentia probatur, ideo tenetur succurrere parentibus, quia per religionem non tollitur, sed perficitur virtus pietatis erga parentes, & obligatio illis egentibus succurrendi, vt ait D. Thom. *d.art.4. in Corp.* Ergo ideo tenetur succurrere fratribus egẽtibus, quia per religionem non tollitur, sed perficitur virtus pietatis erga sanguine iunctos, qua tenetur eos egentes sustentare si possit, vt docet idem S. Doctor *d.art.2. in 3. argumento iuncta responsione ad tertium.*

Probatur secundò, frater egentem fratrem tenetur alere: ergo etiam si sit religiosus tenetur cum potest eum grauiter egentem alere, salua tamen obedientia, & religiosi status regula, illa enim naturalis obligatio, orta ex virtute pietatis erga fratrem pauperem non tollitur, sed perficitur per religio-
1 nem. Quod autem frater teneatur alere pauperem fratrem, est communis, & receptissima opinio omnium Doctorum, ita docent glossa *in l. qui filium in fine ff. vbi pupillus educari debeat*, Glossa *in l. prima §. sed nonnullos in verbo præstiterit ff. de tutelis, & ration. distr. in l. si quis à liberis §. item rescripsit ff. de lib. agnoscendis, & in l. prima C. de alendis lib.* Cynus Bartol. & Albericus, qui de communi testatur *in l.2. C. de alendis liberis.* Speculator *in tit. qui filij sint legitimi in princ. num.23.* Baldus *cons.103.num.3.vol.5.* Iason, Aretinus, & Faber *in §. sed si quis Institut. de action.* Bart. *in tract. de alimentis num.15. & in l.5. §. item rescripsit ff. de lib. agnoscendis.* Castrensis *cons.436. num.3. lib. primo.* Francus *decis.178.* Thesaurus *decis.119.numero 3.* Franc. Marcus *q.225.par.2.num.7.* Abbas, Fulgosius, Io: Deliguano, Ferrariensis, Ruinus, Corasius, Alciatus, Gomezius, Tiraquellus, Oroschus, Padilla, Syluanus, & alij, quos citat, & sequitur Corduba *in l. si quis à liberis §. item rescripsit. num 83. ff. de liber. agnoscendis.* Surdus *tract. de alim. tit.1.q.25.* Molses. *in Sum. tract.11.c.18.num.85.*

Confirmatur, nam si vxor habeat sororem, aut fratrem egentem, potest ex communibus bonis mariti, illum alere, Petrus Nauarra *de restit. lib.3.cap.1. num.161.* Lessius *lib.2.cap.12.num.89.* Castro Palaus *tomo 1. tract.6.disp.2.punct.13.num.16.* Diana *part.5. trac.8.resol.34. vers. non reticeam*: Ergo poterit religiosus, non quidem ex bonis Monasterij, sed sua industria acquisitis, fratrem, aut sororem egentem alere.

Hæc communis, & vera sententia probatur *ex l. qui filium ff. vbi pupill. educari debeat*. Vbi habetur, quod frater tenetur inopem sororem alere: Sed vt docent Glossa *in d.l. qui filium, & in l. si quis à liberis §. verum ff. de lib. agnoscendis*, Francus, Surdus, & omnes locis citatis, eadem ratio est de sorore, ac de fratre, si hic aliũdè nequeat sibi iuxta suum statum victum compararare; Eadem enim virtus pietatis est ad vtrũque; ergo eadem obligatio alendi, si par sit neces-
2 sitas, attentis circumstantijs. Quare minus rectè Sanchez *lib.4.Sum.cap.20.num.32.* Docet, quod votum religionis cui præfixus est terminus, differri debet ob sororum inopiam, non autem fratris, quia hic sibi potest victum quærere, nam de vtroque par ratio est, si sit æqualis necessitas, & aliundè nequeant secundum sui status decentiam se alere, vt docent omnes locis citatis; tum quia sicuti ob inopiam sororum Sedes Apostolica aliquando dispensat, vt religiosus moretur extra claustra, Corduba *in Summa q.141 in fine*. Sanch. *d.cap.20.num.33.* Ita etiam propter fratris inopiam, si grauis sit, iusta videtur hæc dispensatio, vel saltem dicendum: eum teneri intra claustra succurrere cum potest; Vnde rectius docet Molfesius *in Sum. tract.11.cap.18.num.88.* Vbi ait quid si frater, vel soror esset in graui necessitate, non posset alius frater idoneus ingredi religionem, si aliundè nequeat necessitati illorum prouideri, & eam opinionem probabilem esse tradit Bonacina *in decalog. disput.6. quæst. vnica punc.5.num.4.* Quamuis oppositum doceant alij apud Dianam *part.6. tract.7. resolut.54.*

Dices ille, frater tenetur inopem fratrem alere, qui diues est, vt docent Doctores cit. Sed religiosus non diues, sed pauper est; ergo non tenetur.

Respondetur, fratrem teneri egentem fratrem alere ex virtute pietatis: hæc autem obligat non tantum diuitem, sed etiam eum, qui commode potest aliquo modo succurrere, quod patet quando obligatur ex virtute pietatis succurrere parenti; Ergo si religiosus (in quo debet esse perfectior virtus pietatis, erga parentes, & fratres) commodè possit, salua regulari obseruantia succurrere, vel intercedendo, vel ex sua industria, sine Monasterij damno, vtique tenetur; hoc tamen discrimen est inter parentes, & fratres, nam vt teneatur parentibus, minor indigentia sufficit.

Respondetur secundò, esto non obligetur, potest tamen salua religiosa obseruantia, & sine Monasterij damno succurrere, neque potest Superior denegare licentiam, quia non potest prohibere exercitium pietatis erga fratrem.

Petes, quæ sit dicenda grauis paupertas cui religiosus frater teneatur succurrere?

3 Respondetur, pro graui necessitate hic non accipi eam, cui extraneus diues ex suo statui, vel naturæ superflui tenetur ex charitatis præcepto subuenire, sed maiorem habet latitudinem, ita Nauarr. *cap.14. num.14.* Sanch. *lib.4. Sum.cap.20. num.4.* Quare pro graui paupertate hic accipitur indigentia status, vt quia nobilis vir, suo statu decidet, nisi à religioso fratre succurratur, vt quia oportebit eum esse absq; famulo, contra status decentiam, aut alteri famulari cum dedecore, aut mendicare, aut mechanicam artem exercere, ita S. Antoninus *3.p.tit.16.cap.2.§.1.* Syluest. *v. religio 2.q.7.* Sanch. *lib.4. Sum.c.20. n.4.*

Por-

Portel. *verbo parentes, in additioa. aum.* 2.

4 Probatur, quia nobilis quamuis habeat necessaria
pro victu, si careat conuenientibus famulis, aut ve-
stimentis, est verè Pauper, & laudabile est ei facere
eleemosynam. Bartolus *in l.* 1 *.num.* 35 *.C.de SS. Eccle-
sijs* plures eitat Tiraquellus *tract. de priuil. pia caasa
5 ia præfat. num.* 18. Vnde huic poterit dari legatum
relictum pauperibus distribuendum, Bellonus, qui
latè probat *cons.* 16 *.aum.* 5. Diana *par.* 2. *trac.* 15 *.reso-
lut.* 8. hoc tamen ita limitandum est, vt nobilis, non
viuat cum pompa, sed qualiter alij pauperes nobiles
suæ conditionis. Barbosa *in l. Maritum num.* 7 *.ff. soluto
matrimonio.*

Q V Æ S T I O V.

Quomodo Religiosus intra claustra salua regulari obedientia, & obseruantia succurrere possit grauiter egenti fratri?

S V M M A R I V M.

Tripliciter potest religiosus succurrere egenti parenti, aut fratri salua obedientia. Primo intercedendo apud diaites. aam. 1.

Distribuens eleemosinas aoa tenetur eligere pauperiorem. nam. 2.

Nequit fingere pecaliarem indigentiam. aum. 3.

Secundò potest succurrere subtrahendo ex sibi necessarijs. num. 4.

Tertiò ex suis operibus, vt si sit pictor, scalptor, &c. num. 5.

Vt intercedat apud diuitem aon requiritur licentia Prælati. num. 6.

Secus si iubeat alteri, vt det. num. 7.

1 Respondetur tripliciter posse religiosum salua
regulari obseruantia succurrere. Primò inter-
cedendo apud diuites, vel quærendo à pijs viris elee-
mosinas in pauperes distribuendas, quas poterit
egenti fratri dare, Sanch. *in Sam. lib.* 4. *cap.* 20. *num.*
19. Portel. *v. parentes*, poterit autem dare fratri, quã-
2 uis essent alij pauperiores; Non enim obligatur in
distributione eleemosynarum eligere pauperiorem,
sufficit si pauperem eligat, ita ex Bartolo, & Baldo,
3 Mantica *de coniectur. lib.* 8 *.tit.* 5 *.num.* 6. Diana 2. *par.
trac.* 16 *.resol.* 19. Aduerto tamen non posse religio-
sum fingere aliquam peculiarem indigentiam, pau-
peris, v.g. puellæ maritandæ, aut aliam similem; ra-
tio est, quia tunc dans eleemosinam non habet vo-
luntatem, vt alteri detur, quàm talem indigentiam
patienti, propter quam rogatus dedit, ita Sanchez
in Sum. lib. 7 *.c.* 30 *. num.* 11.

4 Secundò poterit succurrere subtrahendo ex necessarijs suo victui, quæ religio sibi impendit, & quæ ipse consumpturus erat, potest enim ex his aliqua dare grauiter egenti parenti, aut fratri, dummodo non ita subtrahat, vt necessariæ religioni vires deficiant. Ratio est, quia per hoc nihil aufert religioni, Sanch. *lib.* 4 *.cap.* 20. *num.* 19. Portel. *verbo parentes in addit. num.* 5. Sic quoque si habeat annuos redditus, ex sui Superioris licentia, ad suum vsum concessos, poterit ex ijs donare fratri, Beia *respons. part.* 4. *casu* 32. Diana *par.* 1 *.trac.* 6 *.resol.* 19. *&* *resol.* 32.

5 Tertiò succurrere potest ex sui ingenij opera, vt si componat, & typis imprimat libros, aut ex sua arte v.g. picturæ, sculturæ, dummodo id faciat absque religionis damno, eo scilicet tempore, quo in rebus religionis non occupatur, ita Sanchez, & Portel locis citat. non enim est damnum, religionem ex pictura, vel libro non lucrari.

6 Aduertendum autem, quod si Religiosus interce-
dit apud Petrum, vt ipse nomine suo det egenti fra-
tri, non peccat contra paupertatem, si id agat absq;
licentia sui Prælati, quia tunc non disponit de re
7 sua, aut religionis sine licentia; secus est si religiosus
iubeat Petro vt det Paulo centum, tunc requiritur
licentia, *vt ex l.* 2. *ff. de calumniat.* Ratio est, quia tunc
videtur tacitè acceptare centum, & deinde iubere
vt dentur Paulo, ita Sanch. *de matrim. lib.* 6 *.disput.* 4.
num. 7. Turrian. 2. 2 *.tom.* 1 *.disp.* 85 *. dub.* 3. Cenedo *de
pauper. religios. dub.* 29. *num.* 4. Diana *part.* 1 *. tract.* 6,
resolut. 8.

Q V Æ S T I O VI.

An necessaria sit Prælati licentia, vt suis operibus egenti fratri religiosus succurrat?

S V M M A R I V M.

Prima conclusio non indiget licentia, si ad fratris, aut amici instantiam pingat, scribat, &c. num. 1.

Necessaria est licentia, si pictura facta sit intentione, eam alteri dandi. num. 2.

Potest sua scripta religiosus sæculari tradere, vt suis expensis imprimat, & sui sint libri impressi. aum. 3.

Secunda conclusio petita, & non obtenta licentia potest religiosus succurrere egenti Parenti, aut fratri ex pretio sui operis. num. 4.

Si Pictura sit facta ante egestatem Parentis, requiritur, vt sit obtenta licentia. num. 5.

Tertia conclusio eam licentiam aon petere, quando Prælatus teaetur concedere, est tantum veniale peccatum. num. 6.

Qaando saperior est tantum inuitus quòad modum. quia vellet peti licentiam, non quòad substantiam, quia petitam concederet, tuac veniale est aon petere. num. 7.

Quarta conclusio, aullum peccatum est non petere licentiam, si adsit rationabilis causa non petendi. num. 8.

1 Dico primò. Si religiosus pingat, vel scribat ad fratris, vel amici instantiam, nulla opus est licentia, ita Bonacina *tract. var. disp.* 3. *punct.* . *num.* 5. Scortia *in Bullas Pontif. epit.* 118. *theor.* 396. Ioannes Valerus *in differentijs vtriusque fori verbo munera num.* 66. Cardin. Lugo *de Iustitia tom.* 1 *.disput.* 3. *num.* 149. Diana *part.* 1 *.tract.* 6 *.resolut.* 6. *&* *part.* 7. *tract.* 11. *resolut.* 17.

Probatur, potest religiosus absque paupertatis præiudicio acceptare alterius obsequium; ergo etiã ipse poterit alteri obsequi, & suas operas exhibere; sed opus v.g. pictura ex illo obsequio facta, mox trãsit in dominium eius cui præstitit obsequium, & num-

quam

quam ea pictura fuit in dominio religionis; ergo sine vlla licentia potest dare fratri, vel amico picturam ad ipsius petitionem factam, quia illa non est in dominis religionis.

Sed difficultas est, quid si religiosus fecit picturã, non ad petitionem secularis, sed intentione deinde eam dandi seculari, an oporteat petere à Prælato licentiam? Negat necessariam esse licentiam, aut id esse contra paupertatis votum, Caramuel *in regulam D. Benedicti disput. 59. resol. 8. num.* 859. quem sequitur Diana *par. 7. trac. 11. resol. 17.* Sed rectius Lugo *d. disp. 3. num. 149.* affirmat requiri licentiam.

2 Ratio est, quia pictura facta cum intentione dandi eam seculari, si hæc intentio non fuit illi notificata, & acceptata, & sic si religiosus suas operas antea non donauit, mox quod pictura facta est, transit pleno Iure in dominium Monasterij; ergo nequit alteri dari sine licentia Prælati. Secus esset si religiosus notificasset suam intentionem seculari ante factam picturam, qui acceptasset, tunc enim videtur religiosus donare suum obsequium, seu laborem, quem donare potest, non enim donat aliquid quod sit in Monasterij dominio, pictura autem, quæ ex eo obsequio, seu labore procedit mox est ipsius secularis.

3 Infero ex dictis posse religiosum dare seculari sine licentia aliquod suum opus manuscriptum, vt illud typis secularis imprimat, suis expensis, & libri impressi ipsius sint. Ratio est, quia nihil agit contra paupertatem, nullius enim rei dominium in alium transfert, quod sentit Caramuel loco cit. & Diana *par. 7. trac. 11. resol. 17. in fine.* Et ita expresè docuit Io: Valerus *in differ. vtriusque fori verbo munera differ. 1. num. 106. in fine,* vbi ait, *quod potest religiosus tradere libros typographo, vt sumptibus eius imprimantur, vt quotidie fit, quia vix est domus religionis, quæ velit id suis sumptibus, & laboribus facere, nesciens an liber futurus sit acceptus, quo casu non potest vlla domus prætendere partem ex lucro per dictum typographum capto. Ratio est, quia omne tale lucrum consurgit ex negotiatione imprimentis, & non ex libris, qui de se non sunt fructiferi,* Ita Valerus, *qui in verbo regularis differ. 8. num. 1.* docet quod si religio vellet suis expensis typis mandare libros, tunc non poterit religiosus sua scripta alteri imprimenda tradere, sine licentia Prælati.

Infero secundò, si libri sint impresi, & religioni iam acquisiti, non poterit illos, aut eorum prætium dare egenti fratri sine superioris licentia, quamuis impresserit ea intentione, vt fratri succurrat, aut eadem intentione fecerit picturam, aut sculpturam, ita expresè Card. Lugo *de Iustit. disp. 3. sect. 7. n. 149.* & apertè sentiunt Sanch. *lib. 4. Sum. cap. 20. num. 19.* Portel *v. parentes*, qui aiunt debere religiosum petere licentiam dandi prætiũ sui picturæ, sculpturæ, aut manuscripti egenti parenti, & idem indicat S. Th. *2. 2. q. 101. art. 4. ad 4.* vbi ait: *teneri succurrere, salua obedientia, & sui status decentia;* ergo ex mente Sancti Doctoris necessaria est licentia Prælati.

4 Dico secundò, grauiter egenti fratri, aut parenti religiosus succurrere potest ex prætio suæ picturæ, scripturæ, manuscripti, aut librorum impressorum petita, & non obtenta licentia, ita Corduba *in Summa cap. 141. art. 2.* Sanch. *in Summa lib. 4. c. 20. num. 19.* Portel *v. parentes in addition. num. 5.* Dummodo pictura facta sit, aut libri impressi post casum grauis necessitatis fratris, aut parentis.

Probatur, quia religiosus iure naturali obligatur succurrere egenti fratri, aut parenti cum potest ex suo opere, & cum hac obligatione naturali transit ad statum religiosum; ergo superior est irrationabiliter inuitus; ergo sufficit petita, & non obtenta licentia.

Dices pictura est acquisita religioni, & est in eius dominio: ergo nequit in alterum tranferri sine obtenta Prælati licentia.

Respondetur picturam non esse absolutè acquisitam religioni, sed cum eo onere succurrendi egenti fratri: ratio est, quia cùm eo onere religiosus transit ad religionem, & egens frater ius habet ad eius opera, quæ salua religiosi status decentia præstare potest.

5 Aduerto autem, quod si pictura sit facta, aut liber impressus ante egestatem fratris, tunc non poterit prætium sine obtenta licentia Prælati tradi. Ratio est, quia pictura illa transijt in religionis dominium, sine vllo onere, vnde cum sit ex bonis Monasterij, non tenetur Monasterium ex proprijs bonis succurrere egentibus parentibus, aut fratribus sui religiosi, vt docet Sanch. *lib. 4. Sum. c. 20. n. 21.*

6 Dico tertiò, est tantum veniale peccatum absque vlla causa, non petere licentiam succurrendi parentibus, aut fratribus ex picturæ, vel libri prætio.

Probatur Superior nec est, neque esse potest inuitus, quòad substantiam cum nequeat denegare licentiam; ergo est inuitus tantum quòad modum:

7 Sed quando superior est tantum inuitus quòad modum, quia vellet peti licentiam tunc eam non petere est veniale peccatum, ita Doctores omnes Nauarr. *comm. 2. de regular. num. 20.* Suarez *de religione tom. 3. lib. 8. cap. 11. num. 11.* Sanchez *in Sum. lib. 7. cap. 19. num. 7.* Fagundez *præcepto 2. lib. 8. cap. 6. num. 3.* Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 28. art. 16. concl. 2.* Diana *par. 1. trac. 6. resolut. 31.* Card. Lugo *de Iustit. tom. 1. disp. 3. num. 125.* Vbi ait peccari venialiter si superior tantum quòad modum sit inuitus, secus si ratione modi esset, etiam quòad substantiam inuitus, quia non solum vult peti licentiam, quam rogatus concederet, sed quia licentia non petitur, nullo modo vult rem alienari, sine illa, tunc dicitur inuitus quòad substantiam: At in casu nostro non potest esse inuitus, quòad substantiam, quia nequit denegare licentiam, etsi denegaret, etiam ea non obtenta, posset licitè religiosus ex suæ picturæ prętio egẽti parenti, aut fratri succurrere.

8 Dico quartò. Nullum, neque veniale peccatum est prædictam licentiam non petere, si adsit rationabilis causa, ver. gr. quia cùm rubore nobilis viri eius summa egestas innotesceret, aut si nominis, & famæ detrimentum vir religiosus pateretur, quia cum omnes seculares ei, tanquam religiosissimi exempli, & eximiæ doctrinæ viro suas facultates, & animas crediderunt, si deinde illis innotesceret, eum pro paupere fratre procurare eleemosinas, non ita ei confiderent sua, nec eum vt prius venerarentur, eiusque concionibus, & verbis proficerent; Itaque hoc casu nullum videtur peccatum, non petere licentiam.

Pro-

Probatur, quia non tenetur religioſus cum tanto ſui fratris, propriéque fame diſcrimine, eam licentiam petere, & ſufficit, ſi eam petat ſuppreſſo proprio nomine, neque rationabiliter ſuperior poteſt aliquid vlterius requirere, quare vt ait Lugo *de Iuſt. diſp.3. num.126.* præſumere poteſt ſubditus, quod ſuperior ſi de talibus circumſtantijs informatus eſſet, nollet obligare ſubditum ad petendam licentiam, & ſic non peccat non petendo licentiam.

QVÆSTIO VII.

An vnico exiſtente horologio, quod ordinatum reputetur, eoque mediam noctem deſignante, ſi quis poſt omnes pulſus per ſemiquadrantem comedat, poſſit ſequenti die communicare?

SVMMARIVM.

Prima ſententia negans poſſe communicare, ſi poſt primum pulſum comedat, aut bibat. num.1.
Secunda ſententia negans poſſe communicare, ſi bibat poſt omnes pulſus, ſecus ſi poſt primum. num.2.
Tertia ſententia affirmat licet bibere per quadrantem poſt omnes pulſus. num.3.
Nulla eſt profeſſio emiſſa per mediam horam ante completum annum. num.4.
Modiciſſimus exceſſus ſupra medietatem reſcindit venditionem. num.5.
Pretium ciuile eſt indiuiſibile. num.6.
In ieiunio naturali non datur paruitas materiæ. num.7.
Probabile eſt, quod poſſit communicare comedens per aliquam moram poſt omnes pulſus horæ duodecimæ. numero 8.
Vſus horologij Italici, non habet certum initium. num.9.
Dies artificialis, vel naturalis. num.10.
Apud diuerſas gentes diuerſa diei initia. num.11.
Neque moraliter, neque Phyſicè poteſt horologium deſignare in ſua ſphæra curſum omnino æqualem diurnò motui ſolis. num.12.
Comedens per ſemiquadrantem poſt deſignatam horam duodecimam noctis poterit communicare. num.13.
Quando plura ſunt horologia poſſum conformari vltimo deſignanti horas. num.14.
Dubitans, an tranſacta ſit media nox, & comedens poteſt ſequenti die communicare. num.15.
Quando plura ſunt horologia, poſſum per moram ſalutationis Angelicæ poſt vltimum pulſum, vltimi horologij bibere. num.16.

1 PRima opinio eſt, quod bibens poſt primum pulſum, aut deglutiens bolum, etiam ſi ante cæteros pulſus potum, vel commeſtionem abſoluat, nequit ſequenti die communicare. Ita Doctores communiter, Io: Sanch. *in ſelectis diſp.42. num.19. & 20.* Villalobos *tomo 1. tr.1. difficult.11. num.8.* Garzias *de benefic. tomo 1. part.5. cap.1. num.524.* Fagundez *de præcept. Eccleſiæ par.3. præcept.3. lib.1. c.10. numero 3.* Io: Præpoſitus *p.2. q.19. art.6. dub.5. numero 8.* Diana *p.3. trac.4. reſol.36. & part.7. tr.11. reſol.15.* Eminentiſſimus Lugo *de Euch. diſp.15. num.37.*

Probatur, quia tale horologium, quod regulatum reputatur, ſe habet tamquam vnicus teſtis probatæ famæ, ſed hic teſtatur primo pulſu, iam finitam noctis medietatem, & adeſſe alterius medietatis initium; Ergo cum poſt primum pulſum immediatè incipiat dies ieiunij naturalis pro ſumptione Euchariſtiæ, frangit Ieiunium deglutiens potum, vel cibum poſt primum pulſum; vnde nequit communicare, niſi eijciat, quod tenet in ore.

Minor patet ad ſenſum: Nam horologij rota diuiſa eſt in quatuor partes æquales in modum Crucis, & poſtquam totus quadrans rotæ decurrerit, pulſantur horæ: Ergo primus pulſus indicat medietatem noctis abſolutam. Ideo autem plures dantur pulſus, quia nequeunt horæ vnico pulſu deſignari.

Hinc infert Eminentiſſimus Lugo, quod ſi horam præcedant aliqui minores, ſeu leuiores pulſus indicantes horarum quadrantes, bibens poſt primum pulſum quadrantis, nequit ſequenti die communicare, cum iam cœperit initium mediæ noctis.

Sed contra, nam horologium quodcumque quantumcumque regularum, eſt teſtis varius; ergo non eſt illi credendum omninò.

Contra ſecundò, quia neque poſſet communicare deglutiens potum, non poſt primum pulſum, ſed in ipſo primo pulſu, quod certè durum eſt.

2 Secunda eſt opinio, quod poſſit bibere quouſque omnes pulſus dentur, & nequeat communicare is, qui poſt vltimum pulſum aliquid deglutiat, quia poſt vltimum pulſum incipit mediæ noctis initium, ita Breſſerus *lib.4. de conſcientia c.11. num. 107.* Paſqualigus *deciſ.338. num.6.*

Probant, quia quando dandi ſunt plures pulſus, tunc horologium incipit indicare complementum horæ antequam ſit completa.

Cõtra quia oppoſitum patet ex ipſius rotæ aſpectu, quæ diuiſa eſt in quatuor partes æquales, & non incipiunt pulſus, niſi poſt totam partem rotæ decurſam; ergo poſt primum pulſum finita eſt medietas noctis, & incipit alterius medietatis initium.

3 Tertia opinio eſt, quod quantumcumque horologium reputetur regulatum, licitum eſt poſt omnes pulſus, per quadrantem comedere, & ſequenti die communicare, ita Io: Caramuel *in regulam D. Benedicti diſp.101. num.1328.* Paſqualigus *deciſ.338.*

Probant primò, quia horologia quantumcumque accurata per quadrantem tardius, vel citius horas indicant.

Sed contra, quia certus ſum à probo horologio, indicatam mediam noctem, incertus ſum, an tardè, vel citiùs; ergo certus ſum de obligatione præcepti incertus de excuſatione; ergo teneor ad præcepti obſeruantiam.

Probant ſecundò, quia præceptum Eccleſiaſticum moraliter accipiendum eſt; ergo nõ eſt reus, qui per quadrantem eius obſeruantiam differt alioquin non acciperetur moraliter, ſed ſecundum mathematicam temporis menſuram, quam haberi eſt moraliter impoſſibile.

Contra moraliter accipi præceptum eſt, quod nõ obliget ſecundum mathematicam temporis menſuram omnino punctualiter correſpondentem motui ſolis, talis enim menſura mathematica temporis, deficientibus inſtrumẽtis, eſt impoſſibilis: at moraliter

non

non est impossibilis obseruantia præcepti secundum
puntualem designationem horologij probo, & accu-
ratè horas indicantis; Ratio est, quia quando lex de-
4 terminat aliquod tempus, illud debet computari de
momento ad momentum, sic nulla est professio per
mediam horam ante completum annum. Bordonus
de profess. regul. cap. 4. q. 10. Diana *p. 7. trac. 11. resolut.*
5 *15. & part. 5. trac. 5. resol. 18.* Sic modicissimus exces-
sus supra medietatem rescindit venditionis contra-
ctum. Bald. *in l. 2. C. de rescindenda vendit.* Sic modicis-
6 simus excessus supra prætium ciuile, facit contractũ
iniustum, quia prætium ciuile est indiuisibile, vt do-
cent omnes, quia vniuersim vbi lex certum termi-
num signat, debet indiuisibiliter, & punctualiter ob-
seruari, neque datur aliqua latitudo; ergo etiam ini-
tium ieiunij naturalis accipiendum est punctualiter
indiuisibiliter, & de momento ad momentum: sed
nequit de momento ad momentum seruari, nisi se-
cundum temporis mensuram à probo horologio in-
dicatam; ergo ita accipiendum est.

Probat tertiò, Pasqualigus *d. decis. 338. n. 12.* nam,
inquit, danda est hic paruitas materiæ, ratione cu-
ius non debet censeri *solui ieiunium* naturale diei,
quia ad modicum *initium* illius protrahitur præce-
dens *commestio*; Ratio est, quia tunc datur paruitas
materiæ, excusans saltem à mortali, quando mate-
ria, quæ est obiectum præcepti est diuisibilis, prout
est dies, in quo seruandum est ieiunium naturale.

Contra primò, datur paruitas materiæ inobser-
uantiæ ieiunij, in initio diei, quia dies diuisibilis est;
ergo etiam in medio diei, nam etiam medium diei
diuisibile est; ergo sicut vna modicissima particula
diei in ipsius initio, in qua Ieiunium non seruatur,
non tollit quin dicatur in tota die seruatum ieiuniũ,
ita quoque si in modica particula temporis in me-
dio diei, non seruetur ieiunium, non tollitur, quin in
tota die dicatur seruatum ieiunium; ergo in illa par-
ticula deglutiendo ouum, ero ieiunus adhuc, & cele-
brare potero.

7 Contra secundò, ieiunium naturale est obiectum
indiuisibile; ergo non datur in eo paruitas materiæ;
Probo antecedens; in hoc differt ieiunium naturale
ab Ecclesiastico, quia ieiunium naturale dicit omni-
modam negationem cibi, & potus: at ieiunium Ec-
clesiasticum non dicit omnimodam negationem,
sed dicit commestionem, talem, talis cibi, tali tem-
pore, talibus circumstantijs; Sed negatio omnimoda
cibi, & potus, est quid indiuisibile; ergo tolleretur
per quodcumq; minimum, commestio autem talis,
non est quid indiuisibile, nam modica variatio non
tollit, quin dicatur talis,

Contra tertiò, quia vt optimè docet Castropa-
laus *tom. 1. trac. 2. disp. 2. punc. 7. num. 2.* Grauitas, vel
paruitas materiæ desumenda est à communi sensu
Ecclesiæ, & fidelium, sed communiter fideles sacrile-
gium putant, etiam breuissima mora post mediam
noctem, quantumlibet modicissimum, manducare:
ergo neque in tempore, neque in cibo datur parui-
tas materiæ in hoc ieiunio naturali, quicquid dicat
Pasqualigus *decis. 335. & 338.* & alij quorum opinio-
nem improbabilem esse ait Diana *par. 5. trac. 5. reso-
lut. 12.* His positis.

8 Dico primò, probabile est, quod comedens per
aliquam temporis moram post omnes pulsus horæ
duodecimæ, poterit sequenti die communicare, lo-
quor hic de hora duodecima, prout designant more
astronomico, horologia omnia extra Italiam, in Ita-
9 lia enim vsus designandi horas à solis occasu Athe-
niensium more, nullum ferè habet determinatum
initium significandi primam horam noctis, quare
neque mediam noctem determinatè, & indiuisibili-
ter designare possunt.

10 Aduerto præterea, quod dies duplex est, Artifi-
cialis, & naturalis. Artificialis dies est mora Solis su-
pra horizontem, sicuti nox artificialis, est mora Solis
infra horizontem. Naturalis dies est reuolutio Solis,
11 ex motu rapto primi mobilis, ab vno puncto fixo ad
idem punctum. Porrò diuersæ gentes diuersa habue-
runt diei initia. Romani à media nocte *l. More Roma-
no ff. de verb. significat.* Macrobius *lib. 1. cap. 3.* quem
morem imitatur Ecclesia, eumq; rerum naturæ con-
formiorem esse, eruditè ostendit, Mendoza *lib. 4. vi-
ridarij probl. 42.* Babylonij, quos nunc imitatur Insu-
læ Baleares ab ortu solis. Athenienses, quos Itali imi-
tantur ab occasu. Arabes, & Astronomi diem com-
putant à meridie.

Probatur nostra conclusio; nempè comedentem
per aliquam temporis moram, post omnes pulsus
horæ duodecimæ, non frangere Ieiunium naturale,
sed posse sequenti die communicare, nam quod-
cumque horologium quantumcumque accuratè ho-
ras designet, si haberet sensum, & intelligentiam,
sic deberet horas percunctanti, respondere *iam est
duodecima paulò plus, vel minus*, & si aliter respondo-
ret vtique falsum deponeret, neque ei credendum
esset: ergo sicuti testis deponens per hæc verba, *pau-
lo plus, vel minus*, non probat aliquod præcisum, &
indiuisibile tempus; Butrius *in cap. fin. de desponsat.
impuberum*, probat autem talis testis, quando mo-
dicum interuallum non variat dispositionem, &
tunc tale interuallum iudicis arbitrio remittitur
glosa *in d. cap. fin. de despon. impuberum.* Ruinus *consil.
130. num. 5. lib. 1.* Menochius *de arbitr. casu 46. num.
3.* Viuius *opinione 963. num. 8.* Farinacius *de testibus
q. 68. num. 21.* ita à pari horologium designans ho-
ram duodecimam, quasi implicitè dicens, paulò
plus, vel minus, non deponit de certo, & indiuisibi-
li puncto, mediæ noctis; ergo prudentis arbitrio
committitur iudicium de initio mediæ noctis, ergo
comedens post omnes pulsus, per aliquam moram
non dicitur comedere post mediam noctem, quare
poterit communicare.

Probo antecedens, nempè si horologium anima-
tum esset, cum illa moderatione responderet, *paulò
plus vel minus*.

Primò, nam alioquin esset testis falsus, & varius,
nam aliquando tardiùs, aliquando citius tempus
designat, testi autem vario non creditur. *l. qui falsò
vel variè, ff. de testibus.*

Secundò, quia horologia numquam indiuisibili-
ter concordant, ergo essent testes contrarij: sed te-
stes contrarij reducendi sunt ad concordiam. Glo-
sa, Butrius & Abbas *in cap. in nostra de testibus*; ergo
cum non possint aliter concordari, quam per has
particulas *paulò plus, vel minus*, cum hac moderatio-
ne singula horologiorum testimonia sunt accipien-

dic: ergo non comedit post mediam noctem, qui paulo post pulsatam duodecimam comedit.

Tertiò, quia non solum moraliter, imò Physicè impossibile est, horologium designare in sua sphæra cursum omnino æqualem diurno motui solis. Probo euidenter ex astronomis, qui docent dies naturales inter se non esse æquales, ita Sacroboschus in sua sphæra ca. 3. vbi Clauius Piccolomineus, in sua sphæra libro 3. cap. de diuersitate dierum naturalium. Ratio huius inæqualitatis est duplex, prima est, quia sol proprio motu, contra motum primi mobilis ab occidente mouetur in orientem; altera ratio est eccentricum solis, vnde quamuis semicirculus borealis Zodiaci omnino æqualis sit semicirculo australi, tamen in semicirculo boreali moratur sol 187. diebus idest à 21. Martij vsque ad 24. Septembris. In semicirculo autem australi moratur 178. diebus, quam rationem declarat Clauius vbi supra fol. 401. Itaque dies naturales inæquales sunt, quam inæqualitatem, ait Clauius fol. 400. in pluribus diebus sensibilem esse: sed omnes dies designari ab horologio (cum ab eadē rota designentur) sunt æquales: ergo impossibile Physicè est, cursum horologij punctualiter respondere diurno cursui solis: ergo horologij testimonium falsum est, nisi accipiatur cum hoc moderamine *paulò plus, vel paulò minus*: ergo paulò post horam duodecimam, quis non comedit, contra testimonium horologij, sed conformiter ad horologij testimonium.

Quartò, non potest horologium ex rotis ferreis aptari ad horas designandas, nisi ex horologio solari, obseruata linea meridionali: sed nequit artifex ita exactè obseruare lineam meridionalem, vt siue citiùs, siue tardiùs per moram v. g. salutationis angelicæ, horologij spheram lineæ meridionali conformet, semper dicatur horologium rotatum conforme esse solari; ergo nimis scrupulosè, ne dicam pharisaicè, doctores docent, vt mane communicaturus suffocari debeat euomens buccellam, quam post primum pulsum semideglutierat; ergo ea horarum designatio accipienda est paulò plus, vel paulò minus.

Confirmatur, nam inspiciens fixè in horologio solari, lineam, seu vmbrā meridionalem, & dicens salutationem Angelicam, certè non poterit sensibiliter aduertere motum illius: ergo non potest horologium rotatum ita exactè, & punctualiter indicare mediam noctem: ergo eius testimonium cum illa modificatione accipiendum paulò plus, vel minus.

Dico secundò, si vnicum sit horologium, quod censeatur regulatum, & designet duodecimam noctis, comedens deinde per semiquadrantem poterit sequenti die Communicare.

13 Probatur, quia quando in vrbe plurima audiuntur horologia, tunc prima ab vltimis per quadrantem differunt, vt testatur Io. Caramuel, & experien-
14 tia patet, tunc autem possum vltimo conformari, nam ea se habent instar plurium opinionum probabilium vt docent Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 41. num. 40.* Io. Sanchez *in selectis disput. 42. numero 18.* Fagundez *precepto 4. lib. 1. cap. 10.* Villalobos *tomo 1. trac. 1. diff. 21. num. 7.* Diana *par. 4. trac. 3. resolut. 19. & par. 3. trac. 4. resolut. 36.* Pasqualigus *decis. 339.* Ergo quando in villa vnicum auditur horologium, quòd ignoratur, an tardiùs, vel citiùs cæteris, quæ adsunt in Vrbe, horas indicet, tunc possum mediam viam eligere, & sic per semiquadrantem comedere.

Probo consequentiam, nam quando testis deponit cum illa particula paulò plus, vel minus, tunc iudicis arbitrio committitur, (vt post alios docet Menoch *de arbitr. casu 46. num. 3.*) qui prudenter aget, mediam viam eligens: ergo cum quodlibet horologium designet horas cum hoc moderamine paulò plus, minus quadrante, si vnicum adsit, media via eligenda est semiquadrantis.

15 Confirmatur, nam dubitans, an transacta sit media nox, & comedens potest sequenti die communicare. Ratio est, quia in dubio stat possessio pro libertate communicandi, ita Layman *lib. 1. trac. 1. cap. 5. num. 36.* Io: Sanch. *disp. 42. num. 9.* Diana *par. 3. trac. 4. resol. 29.* Pasqualigus *decis. 341.* contra Sanch. *de matrim. lib. 2. disp. 41. num. 40.* & Eminentissimus Lugo *de Euchar. disp. 15. num. 42. & 44.*

16. Dico tertiò, quando in Vrbe plurima audiuntur horologia, possum conformari vltimo, & tunc post omnes pulsus comedēs, per moram salutationis Angelicæ, possum sequenti die communicare.

Probatur, quia moraliter, & Physicè impossibile est, horologium horas designare punctualiter iuxta cursum solis; ergo quodcumque horologium, cum illo moderamine designat, paulò plus, vel minus; ergo illud paulò plus extendendum est saltem ad moram salutationis Angelicæ. Consequentia patet, quia per talem paruam moram non poteris aduertere in horologio solari motum Vmbræ, ergo non potest ita conformari rotatum solari horologio, quin paulò plus, vel minus idest prædicta morula discrepent.

QVÆSTIO VIII.

An qui confessus est, se centies plus minusve furatum, si deinde certò sciat, fuisse centum quinquaginta furta, teneatur confiteri excessum?

SVMMARIVM.

Opinio affirmatiua est communis num. 1.
Opinio singularis negans. num. 2.
In materia confessionis, particula circiter, addit medietatem supra summam expressam. num. 3.
Idem est confiteri, bis circiter in Hebdomada hoc anno furatus sum, ac centies circiter hoc anno. num. 4.
In aliquibus peccatis sufficit confiteri tempus, vt in prauis cogitationibus meretricio. num. 5.
In fornicationibus debet explicari numerus per Hebdomadas, vel menses. num. 6.
Non tenetur rusticus repetere confessiones cum indocto parocho initas. num. 7.

1 AFfirmant omnes, ita Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.* Syluester *v. confessio 1. num. 12.* Sa *num. 32.* Filliuccius *trac. 7. num. 82.* Fagundez *de precepto confess. lib. 3. cap. 5. numero nono.* Villalobos *in Sum. tomo primo tract. 9. diffic. 33. num. 5.* Diana *p. 3. trac. 4. resolut. 94.*

*lut.*94. Eminentissimus Lugo *de penit. disp.* 16. *sect.* 2. §.5. & alij.

2 Contrarium docet *solus* Viualdus *in Candelabro aureo de confess. tit.* 7. §. *sed dixi num.* 3. *fol.* 100. qui ait, eum, qui confessus est centum furta plus minus, satisfecisse, quamuis deinde cognoscat, fuisse ducentum.

Probatur communis opinio, *ex l. hac adiectio* 192. *ff. de verb. signific.* ibi: *Hac adiectio plurisve non infinitam pecuniam continet, sed modicam dumtaxat. Adiectio hac solidorum decem, plurisve ad minusculam summam refertur.* Quare communiter docent, illam particulam *plurisve*, significare paruam quantitatem supra expressam, eamque arbitrio Iudicis definiendam, iuxta subiectam materiam, & iuxta quantitatem expressam, nam debet quantitas adiecta esse modica, nõ solum in se, & absolutè considerata, sed etiam respectiuè ad quantitatem expressam glos. *in d. l. hac adiectio*, & ibi Alciatus, *gloss. in l. etsi post tres ff. si quis cautionibus*. Angelus *cons.* 127. Alexand. *cons.* 82. *in fine lib.* 7. Rota *decis.* 220. *num.* 6. *par.* 2. *diuersorum.* Menoch. *de arbitrar. casu* 46. ex Theologis Vasqu. 3. *part. trac.* 4. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 2. *num.* 2. Lugo *d. disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 96. *Vbi ait*, quod, si summa expressa sit decem, illa additio plurisue extenditur ad duodecim; at, si expressa sit centum, extenditur ad centum, & decem; quod etiam docuit Nauarr. *in c. consideret num.* 42. *de penit. distin.* 5. Si verò sit mille, extenditur ad mille, & quinquaginta, si bis mille, ad bismille, & centum, &c. Vnde repetendam, ait, Lugo confessionem, si dixit se centies furatum, & deinde comperit centum triginta furta, quia triginta addita non sunt parua quantitas, neque absolutè considerata, neque respectiuè ad centum expressa.

Alij verò docent, illam particulam, *circiter*, seù *pluris* addere decimam partem ad summam expressam, ita Corneus *cons.* 59. *num.* 5. & 6. *vol.* 4. Berous *cons.* 85. *num.* 4. *lib.* 1.

Negandum tamen videtur mihi probabilius, in materia confessionis, quare. Dico, illam particulam
3 *circiter*, aut *pluris*, addere quòad confessionem medietatem supra summam expressam; vnde qui confessus est, centum *plus minus* furta commisisse, non tenetur iterum confiteri, si comperiat, fuisse centum quinquaginta, etiam si certus sit, ex reperta cartula, v.gr. in qua singula singulis diebus adnotauerat furta.

Probo, quia quamuis proprietas dictionis *circiter, aut plus minus*, vel similis, importet adiectionem paruæ summæ supra expressam, tamen in declaratione numeri peccatorum, præsertim, cum numerus est magnus, & longi temporis, ex communi vsu loquendi confitentium, significat longè maiorem quantitatem, & sic addit dimidium supra quantitatem expressam, idque propter ingentem difficultatem, ac ferè moralem impossibilitatem, quæ est in expressione certioris numeri, seù in restrictione ad illam propriam, ac legalem significationem dictionis pluris, vt modicam quantitatem exprimat, nempè decem supra centum. Sed, ne gratis asseram, hunc esse communem vsum loquendi pœnitentium, Probo sequẽtibus exemplis, ac rationibus.

4 Primò, qui per annum furatus est, atque fornicatus, & dixit, hoc anno bis circiter in hebdomada furatus sum, & centies circiter fornicatus, deinde, si certissimè comperiat, fuisse centum quinquaginta furta, ac centum quinquaginta fornicationes, non tenetur repetere confessionem furtorum, vt docent omnes, quia particula, circiter, comprehendit tertium furtum in hebdomada; ergo neque tenetur repetere confessionem fornicationum. Probo consequentiam, nam potuisset eodemmodo confiteri fornicationes, dicendo bis circiter in hebdomada fornicatus sum, siquidem liberum est pœnitenti exprimere numerum frequentium fornicationum vtroq; modo, vel dicendo centies circiter, vel dicendo bis in hebdomada fornicatus sum, qui numerus redactus ad vnam summam continet centum quinquaginta, sunt enim in anno ferè 50. hebdomadæ.

Dices numerus centum circiter, si sit distribuendus per hebdomadas vnius anni, debet sic explicari semel, bisue fornicatus sum, non autem debet dici bis circiter.

Contra, adhuc recurrit argumentum, nam, si dicas semel, vel bis sum fornicatus, adhuc detrahitur à centum ferè medietas, nam, si omnes fornicationes fuerunt sexaginta, adhuc verè dico semel, vel bis fornicatus sum in hebdomada; ergo, si particula, circiter, detrahit à centum, quadraginta, cur nequit addere? parem enim vim habet particula *circiter*, ad augendum, ac ad minuendum; ergo si potest minuere quadraginta, etiam poterit addere quadraginta ad centum.

Secundò, quia turpi amore sauciatus, sufficienter explicat numerum cogitationum, dicẽdo, per mensem, quasi continuè mulierem concupiui, nec tenetur, se magis explicare, Coninchius *de Sacram. disp.* 7. *dub.* 7. *num.* 151. & 152. Et tamen magnum est in hoc numero ineundo discrimen, si præsens erat mulier excitans ad turpem amorem, vel absens, frequẽtiora enim sunt præsente obiecto desideria, quia præsentia excitat ad amorem; ergo non tenetur ad exactissimam discussionem numeri, an scilicet decẽ, vel quindecim fuerint desideria singulis diebus; ergo illa particula circiter, ita explicanda est in expressione peccatorum, vt non redigatur ad paruæ quantitatis angustias, sed iuxta subiectam materiam ob memoriæ defectum, & ingentem difficultatem in vero numero supputando, debet ea particula, circiter, extendi, non ad modicam quantitatem, sed ad magnam, & ad medietatem saltem, supra expressam, alioquin nunquam possent se satis pœnitentes explicare, quia semper inuenies, diligentissimè facto calculo, magnum excessum. Et sic nunquam esset finis scrupulorum.

Tertiò, quia ob difficultatem magnam in aliquo-
5 rum peccatorum numero, non debet confessarius instare, vt ineatur numerus per dies, hebdomadas, aut menses, quia dum pœnitens ad talem supputationem cogitur, sæpissimè certum numerum confitendo mentitur, vnde sufficit exprimere tempus, & consuetudinem peccandi, ita Victoria *de Sacramentis num.* 178. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 123. Sic sufficit in meretrice, & concubina exprimere tempus prauarum cogitationum, quamuis debeat per hebdoma-
6 das exprimere numerum fornicationum, Vasqu. 3.

part.tom.4.q.91.art.1.dub.5. Diana *p.3 tr.4.resol.89.* Lugo de *pænit.disp.16.num.573.* Sic in periurijs, in delectationibus morosis, in furtis, in desiderijs quarumcumque mulierum, quæ obuiæ sunt, in turpibus colloquijs, & similibus frequentibus peccatis, in quibus impossibile est, aliquem numerum inire per méses, aut hebdomadas, sine periculo maximi erroris in ea supputatione; vnde in his sufficit tempus explicare, ita Lugo *n.574.575.576.*

Ergo expresso magno numero, vt quingentum, cum labilis sit memoria, & difficillimum sit numerum supputare, pœnitentem falli, & mentiri, sæpissimè necesse est, si adiecta particula circiter solum decem addat supra centum, iuxta propriam, strictam, ac legalem huius dictionis significationē consequenter illa particula, *circiter*, ex vsu, & intentione confitentium, non significat sola decem sup. centum, sed tantam, tamque magnam quantitatem, vt pœnitens liber sit ab errore, & à timore repetendi confessiones, alioquin nemo tutus esse poterit.

Quartò, quia illa iudicatur sufficiens expressio peccatorum, qua peccatoris status innotescit; sed, quando quis confitetur, se centies circiter furatum, idem iudicium de ipso fit, si verè centum, aut centum, & decem, vel centum quinquaginta deinde comperiat; ergo sufficienter confessus est, se centies circiter furatum.

Quintò, quia non tenetur rusticus repetere præ-
7 cedentes confessiones, grosso modo, cum indocto Parocho factas Henriquez *lib.5. cap. 3. num.10.* Fagundez *de præcepto confes. lib.3. cap.4. num.10. & c.2. num.5.* Lugo *de pœnit. disp.16. num.577.* Ergo neque tenetur iterum confiteri, qui bona fide confitetur, centies circiter in anno se fornicatum, si postea comperiat, esse centum quinquaginta.

Consequentia probatur, quia vterque tam rusticus, quam ille bona fide confessus est, vterque ob difficultatem non explicauit certum numerum, vterque fuit directè absolutus ab omnibus, vterq; grosso modo confessus, nam si rusticus centies circiter se peccasse, dixerit, cum fuerint centum quinquaginta, vtique dicitur grosso modo confessus, neque repetere tenetur confessionem: ergo neque tenetur ille. Verum his non obstantibus puto, non esse recedendum ab opinione affirmatiua posita in *num.1.* quia est communis inter Doctores, & communiter seruatur in praxi.

QVÆSTIO IX.

Quid agendum cum pœnitens occultat Peccatum?

SVMMARIVM.

Communis sententia est, denegandam absolutionem, quando certo nouit peccatum extra confessionem, absoluendum verò, si id tantū nouit ex aliorum confessione. n.1.

Henriquez docet differendam absolutionem. num.2.

Sententia Henriquez communiter reijcitur. num.3.

Minister Sacramenti ex officio tenetur curare, ne illud ministret indigno. num.4.

Cur in foro externo Iudex nequit vti scientia priuata; potest autem in foro interno Sacerdos? num.5.

Sacerdos nequit denegare Eucharistiam peccatori, etiam in occulto petenti, quem ex confessione nouit indignum. num.6.

Communis sententia satis dura. num.7.

Prima conclusio, non repugnat, Sacerdotem non debere credere pœnitenti, ex scientia, quam habet ex aliorum confessione. num.8.

Secunda conclusio, quando Sacerdos prudenter dubitat, pœnitentem diminutè confiteri, debet, differre absolutionem. num.9.

Tertia conclusio, quando Sacerdos prudenter dubitat, nec potest differre, debet sub conditione absoluere. n.10.

Quarta conclusio, si sacerdos certissimè nouit sacrilegam esse confessionem, omni alia præclusa via, debet sine intentione materialiter tantum proferre verba absolutionis. num.11.

Potest sacerdos alio quæsito colore repellere indignum à communione, etiam si talem sciat ex confessione dummodo Peccator non suspicetur causam. num.12.

1 RESpondent omnes, quod aut confessarius extra confessionem certò nouit peccatum commissum, & debet illi manifestare, & neganti denegare absolutionem; dummodo certus sit eum peccasse, & alteri non confessum, aut iustam occultandi causam non habere: Si verò nouit ex aliorum confessione, tunc debet magis alijs, quam isti credere, vnde debet existimare, vel non commisisse peccatum, vel confessum, vel iustam tacendi causam habere, ita
2 docent omnes, solus Henriquez *lib. 6. c. 20. num.6.* docet differendam, in hoc posteriori casu absolutionem aliquo quæsito colore, tandem verò absoluen-
3 dum, sed hanc sententiam reijciunt Toletus *lib.3. c.16. num.4.* Fagundez *præc.2. lib.6. c.4. num.37.* & alij omnes, qui dicunt mox absoluendum, si nouit peccatum ex aliorum confessione, non autem absoluendum, si aliunde euidenter sciuit peccatum, ita Nauar. *in man. cap.8. num.17.* S. Antoninus *p.3. tit.14. c.18. §.15.* Syluester *v. confessio 3. num.8.* Barthol. Fumus *eod. verbo §.17. & 20.* Suarez *de pænit. disput.32. sect.3.* Vasquez *de pænit. q.90 art.1. num.12.* Lugo *de pænit. disp.22. sect.2. num.21.* Reginaldus *de prud. confess. cap.21. num.15.* Palatius *in 4. dist.21. q.2. fol.456.* Sa *verbo absolut. num 14.19.* Sanchez *disp.8. vbi num. 1.* ait: quod si Confessarius non vidit, sed audiuit peccatum ex aliorum relatione extra Confessionem, non potest tunc denegare absolutionem, quia debet magis credere ipsi pœnitenti. Diana *p. 5. tra. 11. resol.21 part.4. tract.4. resol.105.* Syluius, *in addit. ad 3. part. q.9. art.2. quæst.3. concl.3.* Viualdus *in Candelabro aureo. part.1. tit. de sigillo confess. num.35.* Hilliucius *tract.7. num.260.* Laiman *lib 5. tract.6. cap.14. num.24.* Posseuinus *de officio curati cap. 7. numer.39.* Bonacina *de Sacram. disp.5. q.6. sect.5. pun.4. num.33. & q.7. pun.4. §.2. num.26. q.5. sect.2. pun.2. §. 1. num. 8.* Coriolanus *de casibus reseruatis part.1. sect.3. num. 6. fol.265.* Delrius *disquisit. Magicarum lib. 6. cap. 1. sect.2. vers. ex hoc.*

Prima pars, nempè denegandam absolutionem, quando extra confessionem euidenter nouit peccatum commissum, & non confessum, & nullam esse causam occultandi.

Pro-

Probatur primò, quia non est absoluendus ille, quem certò noui non habere dolorem; ergo nec iste, quem certo noui sacrilegè, & diminutè confiteri, quippe, qui adhuc est indispositus, & caret dolore.

4 Secundò, quia minister Sacramenti ex officio tenetur curare, ne ministret illud indigno, vt probat Suarez *disputat.* 18. *sectione* 2. nisi ratione vitandæ infamiæ petentis Sacramentum excusaretur; at hic cessat infamia, cum in secreto denegetur absolutio.

5 Tertiò, quia, quamuis in foro externo nequeat iudex vti priuata scientia, sed secundum allegata, & probata teneatur ferre sententiam, vt docet. S. Thom. 2. 2. *q. 67. art. 2. ex l. illicitas* §. *veritas ff. de officio præsidis*: At secus est in foro interno Sacramentali, ratio disparitatis est, quia in foro externo iudex gerit personam publicam, & ob publicum bonum; interest autē Reipublicę, ne in publicis iudicijs iudex alia scientia, quàm publica vtatur, ne aperiatur via fraudibus: At in foro interno cessat hęc ratio, & aliundè minister ex officio tenetur non ministrare Sacramentum indigno, quare vti poterit priuata scientia, qua *nouit indignum*; tum quia Sacerdos non *solum est iudex*, sed etiam medicus, quare iustè *denegat* indignè accedenti, ne illi noceat *sacrilega* ministratio Sacramenti. Tum quia in publicis iudicijs externis, expresè prohibetur iudici vti priuata scientia, nullibi autem Christus Dominus id prohibet Sacerdoti ministranti Sacramentum.

Secunda pars, nempè dandam absolutionem, si confessarius nouit ex aliorum confessione.

Probatur primò, nam non est maior ratio, cur illis potius, quam isti credat.

Secundò, quia vt ait S. Tho. *opus.* 12 *art.* 6. & cum eo omnes, in confessione credendum est pœnitenti pro se, & contra se, sed contra alium nullo modo est ei credendum.

Tertiò, quia tunc sacerdos non est causa sacrilegij pœnitentis, sicuti neque est causa, cum occulto peccatori petenti ministrat in publico Eucharistiam.

Quartò, quia non potest sacerdos vti scientia con-
fessionis extra actum eiusdem confessionis, vnde nō
6 potest peccatori occulto, & in occulto petenti dene-
gare Eucharistiam, si ex confessione nouit indignū.
Sanch. *de matrimon. lib.* 3. *disput.* 16. *num.* 14. Pontius *de*
matrim. lib. 5. *cap.* 35. *num.* 2. & 3. Io. Sanchez *disput.* 8.
num. 10. vbi innumeros refert.

7 Communis ista sententia durissima mihi semper fuit, igitur.

8 Dico primò, non repugnat me ex aliorum relatione, siue in confessione, siue extra confessionem accepta, certissimè scire peccatum, quod denegat pœnitens, & aliundè esse me certum hunc non esse confessum, neque aliam, præter erubescentiam, habere causam saltem in apprehensione tacendi, itaut non possim prudenter credere, eum sine sacrilegio occultare peccatum.

Probatur primò, quia quodcumque humanum testimonium natura sua fallibile est; ergo non repugnat, vt falsum conuinci, aut aliquando prudenter de eo dubitari posse.

Probatur secundò, ex ipsa alicuius facti narratione, Iuuenis confitetur, se puellam deflorasse, aliæ pedissequæ, ac famuli, delicti complices idem fatētur; noui puellam ex sola verecundia alia peccata aliàs occultasse, cur quæso possum nunc prudenter credere, eam sine sacrilegio occultare peccatum? cum præter verecundiam aliam causam certissimè non habeat tacendi, & aliàs solita sit ex verecundia sacrilegè, & diminutè confiteri, nullamque suppono habuisse confessarij copiam, vt quia nullus fortè est, præter me, in eo loco confessarius.

Hinc patet, prudenter plerumque dubitare posse confessarium de sacrilega, & diminuta confessione. Ratio est, nam tanti non est ipsius confitentis testimonium, vt cœteris abroget fidem.

9 Dico secundò, quando sacerdos ex aliorum confessione, aut relatione, vel certò nouit, vel prudenter dubitat pœnitentem diminutè, & sacrilegè confiteri, rectè docuit Henriqu. *lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 6. debere, eum, aliquo quæsito colore differre absolutionem, vt eo interuallo peccator ad se reuersus, fortè deinde integrè confiteatur, id tamen remedium ea cautela, ac prudentia adhibendum, vt nullo modo pœnitens suspicetur causam, itaut nullatenus sacrum sigillum violetur.

Probo, quia sacerdos vti medicus debet adhibere ea media, quæ ad salutem pœnitentis proficiunt: Sed ipse, vel certò nouit, vel prudenter dubitat, tunc pœnitentem sacrilegè accedere, & ex dilatione absolutionis sperat pœnitentis salutem; ergo eam differre debet: sicuti etiam differre debet, vel saltem potest, quando ea dilatione sperat emendationem ab aliquo frequenti peccato: aut quando dubitat de dispositione, aut proposito pœnitentis, tum quia poterit ea dilatione sacerdos petere licentiam ab ipsis pœnitentibus manifestandi peccatum, quod iste sacrilegè occultat.

10 Dico tertiò, si sacerdos probabiliter dubitat pœnitentem diminutè, & sacrilegè confiteri, neque sit alius modus obtinendi integram confessionem, debet dare absolutionem sub conditione, nempè: *Si sacrilegè non occultas peccatum.*

Probatur, quia Sacramentum ministrandum est sub conditione, quando prudenter dubitatur, an subiectum sit capax, vt de baptismo habetur *in cap.* 2. *de baptismo*, & docent omnes de moribundo, præbente dubia signa contritionis, aut de puero, de quo dubitatur, an sit rationis capax, cum confitetur, aut, an debitè doleat: Sed in casu nostro, quando sacerdos prudenter dubitat de diminuta, & sacrilega cōfessione, tunc pęnitens dat dubia signa contritionis, ac dispositionis suæ; ergo erit sub conditione absoluendus.

Probatur secundò, quia ea conditionata absolutione, nulli infertur præiudicium, non quidem Sacramento, quod tunc non irritatur, si pœnitens sacrilegè accedit, neque ipsi pęnitenti, nam vel iste rectè confitetur, & recipit absolutionis gratiam, vel sacrilegè, & tunc non accipit, & cum sciat se sacrilegè accessisse, scit vtique eam confessionem repetendam, ac nullius momenti; Neque illi non adhibendo fidem infertur iniuria, nam sacerdos id illi non manifestat, sed sub conditione, mente concepta, illum absoluit.

11 Dico quartò, si sacerdos certissimè nouit sacrile-

gè,& diminutè confiteri,ita ut nullatenus possit prudenter dubitare de sacrilegio,id autem nequeat cófitenti manifestare, quia vel nouit ex aliorum confessione, vel si extra confessionem, tamen non potest, nisi cum graui scandalo confitenti manifestare, tunc, vel debet absolutionem alio quæsito colore prorsus denegare, vel si id nequeat, debet fingere absolutionem se proferre, aliam dicendo orationem, vel debet sine intentione materialiter absolutionis verba proferre.

Probatur primò, quia minister ex officio tenetur quantum potest vitare indignam ministrationem. Suar. *de Sacram. disp.* 18. *sect.* 2. & omnes; Sed non proferendo formam, vel absque intentione, ita non ministrat Sacramentum indigno, neque est causa sacrilegij pœnitentis, neque est hæc fictio vlli perniciosa, nec Sacramento, nec pœnitenti, qui rectè nouit sacrilegam confessionem nullam, ac repetendam; ergo.

Dices fictio in Sacramentis est intrinsecè mala.

Respondetur eam fictionem esse intrinsecè malam, qua fideles perniciosè decipiuntur, vt cum proponitur adoranda hostia non consecrata, sed in casu nostro nulla est deceptio perniciosa; ergo.

Probatur secundò, nam si graui metu mortis cogor baptizare eum, quem baptizatum noui, aut absoluere, quem indispositum scio, dummodò hæc in fidei contemptum non fiant, possum fingere proferre formam, aliam ob murmurando orationem, aut si incutiens metum velit ipsa formæ verba audire, ea sine intentione ministrandi Sacramentum proferre possum, vti probabiliter multi docent. Ergo etiam in casu nostro, cum ex iusta causa, ne frangatur confessionis sigillum, aut ne scandalum sequatur, nequeo manifestare pœnitenti causam denegatæ absolutionis, tunc possum alia verba loco absolutionis proferre, aut eam sine intentione pronunciare.

In casu autem, quod posset alio quæsito colore prorsus denegare absolutionem, ea sanè deneganda tunc erit, quia tenetur minister summa cura incumbere, ne indigno ministret Sacramentum; sic de pec-
12 catore, quem indignum nouit ex confessione, potest petentem Sacram Eucharistiam siue in occulto, siue in publico repellere alio quæsito colore, fingendo oblitum se apponere hostias, aut consumendo appositas particulas, aut alia via, ita tamen, vt non possit peccator suspicari, ex confessionis scientia, sibi non ministrari Sacram Eucharistiam; ita Vasquez *de Eucharistia disputatio.* 209. *capite tertio numero* 29. Asserens hoc esse sine controuersia, Io: Sanchez *disputatio.* 37. *numero* 1.

)::(

QVÆSTIO X.

Quid agendum Confessario, cum metu mortis compellitur absoluere eum, quem indispositum nouit?

SVMMARIVM.

Prima sententia docet, mortem obeundam potiùs, quàm indignum absoluendum, aut simulatè, & fictè ministrandum Sacramentum. num. 1.

Secunda sententia docet, licitum esse ex metu mortis fictè absoluere. num. 2.

Probabile est metu mortis simulare Sacramentum pœnitentiæ. num. 3.

Longè diuersa sunt simulare Sacramentum, ac irritare Sacramentum. num. 4.

Vrsula Benincasia hostia minimè consecrata, ad probandum eius spiritum, oblata est à S. Philippo Nerio, quod virgo diuinitùs agnouit. num. 6.

Idem factum est ad probandum spiritum B. M. de Oegnies à Cardinali Iacobo Vitriaco. num. 7.

Neque ex metu mortis poterit Sacerdos scienter irritare Sacramentum. num. 8.

Quando fictio non sit mendacium, seù quando fingere liceat? difficilis quæstio. num. 9.

1 PRima sententia docet mortem subeundam potiùs, quam indignum absoluendum, aut simulatè, & fictè ministrandum Sacramentum, proferendo verba absque intentione absoluendi, ita Coninchius *de Sacramentis disput.* 28. *dub.* 3. *num.* 38. Castropalaus *tomo* 1. *tract.* 2. *disput.* 1. *punc.* 13. *num.* 7. & 8. Suarez *de censuris disput.* 6. *sect.* 3. *num.* 3. Vbi ait, Sacerdotem carentem iurisdictione, quia est excommunicatus denunciatus, aut publicus Clerici percussor, non posse metu mortis absoluere, ne irritum sit Sacramentum, irritare enim Sacramentum est intrinsecè malum. Idem docet Sanchez *in Summa libro primo cap.* 18. *num.* 8. vbi ait, quod præceptum religionis dignè tractandi Sacramenta, eaque non irritandi obligat cum periculo vitæ.

Probatur primò, hæc sententia, ex authoritate Innocentij III. *in cap. de homine de celebratione Missarum.* vbi agens de Sacerdote, qui existens in peccato mortali non consecrabat, asserit eum grauius ea fictione peccasse, & subdit, *falsa sunt abijcienda remedia, quæ ipsis sunt periculis grauiora*; Vnde Vasquez *de Euchar. disp.* 209. *num.* 41. asserit in Sacramentis fictionem esse valdè perniciosam, & execrandam.

Secundò, quia bonum commune religionis, quod est ne Sacramenta indignè tractentur, præualet priuato damno, ac periculo vitæ Sacerdotis.

Tertiò, quia fictus vsus Sacramentorum est quædam exterior idolatria, suscipiens enim fictum Sacramentum, idest fictam absolutionem Sacramentalem, dum hanc reuerenter suscipit tamquam aliquid diuinum, & sacrum à Christo institutum, ac meritorum, & sanguinis Christi dispensationem in personam Christi à Sacerdote factam, exhibet reuerentiam actioni prophanæ, quæ talem reueren-

tiam

etiam non meretur; sicut panis non consecratus, neque venerationem meretur; ergo est quædam Idolatria, fictum Sacramentum pœnitentiæ suscipere.

Quartò, quia fictè absoluere est illudere Sacramento Pœnitentiæ.

Quintò, quia Sacerdos absoluens indispositum profert ex persona Christi falsum iudicium.

Sextò, quia cooperatur illi, qui disertè petit actionem impiam, & sacrilegam, qualis est ministrare Sacramentum indigno.

Septimò, quia fingere se absoluere, est factis mentiri, quod est intrinsecè malum; fictio enim omnis, siue verbis, siue factis fiat mendacium est, cum fit ad iniiciendam, siue audienti, siue videnti falsam opinionem, vnde Arist. 2. *Ethicorum* ait: *quod veridicus est habitus medius circa veritatem in actionibus, & in verbis*. Ex quo apparet, quod veritas non solum est in voce, sed etiam in humana repræsẽtatione: sicut ergo non est veridicus, qui falsa loquitur, ita non erit veridicus, qui falsa repræsentat in operatione.

Secunda sententia docet, metu mortis licitum
3 esse fictè absoluere, aliam obmurmurando orationem loco eorum verborum, aut proferendo absolutionis verba sine intentione absoluendi, ita Ludouicus de S. Ioanne *prima par. summæ tract. de Euchar. q. 7. art. 8. diffic. 4. fol. 167.* quem citat, & sequitur Ioannes Sanchez à Sacra Congregatione expurgatus *in selectis disp. 35. num. 7.*

Dico primò, probabile est licere metu mortis si-
3 mulare Sacramentum pœnitentiæ, vel alia obmurmurando verba, vel proferendo sine intentione absoluendi.

Probatur primò, quia quando non adest neque materia, neque forma Sacramenti, tunc non dicitur irreuerenter tractari Sacramentum, neque dicitur irritari, ratio est, quia quod nullo modo adest, neque secundum se totum, neque secundum partem, non dicitur, neque irreuerenter tractari, neque irritari; hoc fatentur ipsimet Aduersarij agentes de Sacramento Matrimonij, de quo omnes asserunt nõ committere sacrilegium contrahentem inualidè ex metu graui, etiam si exteriùs proferat verba, quibus contrahi solet Matrimonium; ratio est secundum ipsos, quia cum materia Sacramenti Matrimonij sit contractus legitimus, qui tunc ob grauem metum non adest, ideo tunc non adest materia Sacramenti, & cum non adsit materia Sacramenti neque cogitent coniuges de confectione Sacramenti, sed de contractu; consequenter non adest Sacramentum, quod irritetur, aut irreuerenter tractetur, ita docent Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 5. num. 3. & 4. & in summa lib. 1. c. 18. num. 7.* Coninchius *de Sacram. disp. 28. dub. 3. num. 38.* Castropalaus *tomo primo tract. 2. disp. 2. pun. 13. num. 7. & 8.* Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 16. num. 4.* Valentia *tomo 4. disp. 10. q. 3. pun. 2. § respondeo ad primum argumentum*. Sed quoad matrimonium autẽ Henriq. *lib. 11. cap. 9. num. 6.* & Cardin. Lugo *de pœnit. disp. 14. num. 116.* aliam afferunt rationem, quia in cæteris Sacramentis, cum sint actiones omnino sacræ non possunt vllo casu irritari, sed exigitur omnimoda reuerentia: at matrimonium, cum sit contractus, & ex natura sua, actio prophana, ne contractus sit onerosus, voluit Christus relinquere, qualis in se erat, eleuando illum ad rationem Sacramenti, quare licitè ex ea parte, qua contractus est irritatus, & tunc non fit Sacramentũ. Sed redeamus ad argumentum: Hoc idem ipsi Aduersarij docent, cum agunt de absolutione, aut baptismo sub conditione ministrando, cum dubitatur de capacitate suscipientis, dicunt enim quod si suscipiens reuera sit incapax non irritatur, neque irreuerenter tractatur Sacramentum, nam tunc non adest Sacramentum, quia non adest neque materia, neque forma, nam verba eo casu proferuntur sine intentione, & ideo tunc non sunt forma.

Ergo aduersarij idem docere tenentur in casu nostro, cum sacerdos metu mortis simulat se absoluere, seu fingit absolutionem aliam obmurmurando orationem, vel proferendo verba absque intentione absoluendi; Ratio est, quia tunc non adest Sacramentum pœnitentiæ, neque adest materia cum pœnitens sit indispositus, nec habeat dolorem, neq; adest forma, nam vel non profert verba formæ, vel si profert, ea non est forma, tunc enim tantum est forma, cum profertur intentione absoluendi, vt docent locis citatis, Valentia, Pontius, & Castropalaus; ergo non debet dici hoc casu Sacramentum irreuerenter tractari, aut irritari, cum non adsit materia, neque forma, neque aliquod adsit Sacramentum.

Quinimmò ne irritetur, aut irreuerenter tractetur Sacramentum, ideo sacerdos non profert verba absolutionis, vel non profert tanquam formam, sed materialiter absque intentione ministrandi Sacramentum, eodem modo, quo sacerdos ediscens Sacras Missæ cæremonias supra cartam dicit, *Hoc est corpus meum*, non enim tunc irritat Sacramentum Eucharistiæ, quia non profert animo consecrandi, neque tanquam formam.

Ex quibus patet longè diuersa esse, simulare Sa-
4 cramentum, ac irritare Sacramentum, quæ immeritò doctores confundunt, tunc enim sacerdos simulat Sacramentum, quando non habet animum illud ministrandi, quamuis exteriùs proferat verba absolutionis, quæ tamen profert materialiter non tanquam formam; tunc autem irritat Sacramentum quando supra debitam, vel indebitam materiam profert formam cum animo verè conficiendi Sacramentum, aut faciendi quidquid potest, cum tamen ex aliquo defectu illud nullum fit, eo casu irritatur Sacramentum, quia sine effectu, & sic irrisoriè, & irreuerenter abutitur vera forma Sacramenti.

Probatur secundò, nam ficta absolutio ex metu comminatæ mortis, non est iniuriosa Sacramento, neque est iniuriosa proximo: ergo talis Sacerdos non peccat. Probo non esse iniuriosam Sacramento, nam vel esset iniuria formalis, & hoc non; quia deberet esse formalis, & directa intentio contemnendi Sacramentum: vel esset iniuria interpretatiua, quia indignè ministrat, aut inualidè, & hoc non; quia non dicitur inualidè ministrare, cum nullam ponat materiam, neque formam. Tum quia contemptus interpretatiuus tollitur ex incusso timore mortis. Probo non esse eam fictionem iniuriosam proximo, nam vel proximus deinde cognoscit, prout facilè cognoscet eam absolutionem fuisse nullam

ob suam indispositionem, & sic repetere tenebitur confessionem: vel id non agnoscet, & sibi imputet, cum incusso metu mortis petit absolui; imò quicquid ageret Sacerdos, semper proximus idem incurrisset suæ salutis periculum, suppono enim, eum esse indispositum. Tum quia non tenetur Sacerdos, cum discrimine propriæ vitæ, procurare salutem penitentis, qui voluntate sua, indignè accedit ad Sacramentum.

Probatur tertiò, nam potest euenire casus, quod ex aliorum confessione certissimè sciam hunc penitentem esse indispositum, neque passim id illi significare, aut absolutionem differre sine fractione Sacramentalis sigilli (neque iste casus est impossibilis, vt gratis asserunt aduersarij, provt supra explicaui in precedenti questione) si hic casus aduersarijs contingeret, optarem scire, quid agerent, quocumque enim se verterent, vtique deberent, vel simulare absolutionem, vel eam dare indigno: ergo dare absolutionem indigno, aut eam simulare non est intrinsecè malum, sed ex causa quandoque licet.

Probatur quartò, nam omnes docent, debere sacerdotem, ne frangat sigillum, cum accedit ad eum indignus, quem absoluere non potest, eleuare manum, formare signum Crucis, obmurmurare aliqua verba, vt circumstantes, credant eum absolui, ita Grafiius *par. 1. decis. lib. 1. cap. 24. num. 25.* tunc sic arguo, quòad circumstantes, hæc fictio non est perniciosa, cur erit perniciosa respectu pœnitentis indigni, mortem comminantis? Præterea peto, quod iam esset tam grande sacrilegium, quod ne committat, teneatur sacerdos mortem obire, si bannitus, aut alter impius sicarius, indignè accedat, & mortem minetur, nisi absoluatur, quale sacrilegium erit, si sacerdos eleuans manum, formansq; signum Crucis, dicat: *Fili vade in pace*, & ita ille quietus abscedat, credens se incusso mortis timore absolutum? Cur quæso tenetur sacerdos mortem obire, quam illi impio dicere, *vade, quia es absolutus*? Sic quoque nonne omnes docent, quod infantes, qui sufficientem materiam non afferunt, debent efformato signo Crucis, quasi absoluantur, dimitti?

Dico secundò, neque ex metu mortis potest sa-
8 cerdos scienter irritare Sacramentum, seù scienter absoluere indignum proferens verba absolutionis animo verè absoluendi, seù faciendi, quantum potest, ita Doctores supra adducti.

Probatur primò, quia hoc est directè velle abuti forma sacramentali, ac irreuerenter tractare Sacramenta, quod est intrinsecè malum, neq; vllo mortis metu excusari potest.

Probatur secundò, nam ex Trid. *ses. 14. de Sacram. penit. c. 5.* Sacerdos est propriè Iudex, ac profert verè, & propriè sententiam absolutionis: Sed iudex perniciosè mentitur, si exteriùs proferat iudicium difformiter ad iudiciũ, quod interiùs gerit in mente; ergo, cum sacerdos interiùs iudicet pœnitentem esse indignum, si exteriùs absoluit, iam perniciosè mentitur, ac mentitur in persona Christi, quod est grauissimum sacrilegium, & intrinsecè malum; ergo ex metu mortis non excusatur.

Restat, vt respondeamus ad contraria argumenta initio allata.

Ad primum respondetur, grauiùs peccare sacerdotem fictè sacrificantem, quàm indignè celebrantem, vt ait Innoc. Tertius *in cap. de homine de celebratione Missarum* non ob fictionem præcisè, sed ob idolatriam materialẽ, in quam populum inducit, quicquid asserat Vasqu. *de Eucharist. disp. 209. numero 41.* Ratio est, nam ea idolatria est indirectè volita à sacerdote, quia sacerdos *preuidet, potest, & tenetur eam impedire*, quæ sunt tres conditiones ad voluntarium indirectum ex D. Thoma *1. 2. q. 6. art. 3.* Vbi Caietanus, Medina, Vasq. & Lorca.

Ad secundum respondetur, sacerdotem metu mortis simulantem absolutionem non indignè tractare sacramenta, non enim aliquid Sacramentum exercet, & quod non est, non potest irreuerenter tractari.

Ad tertium respondetur, quod non tenetur sacerdos cum tanto incommodo impedire, ne penitens exhibeat reuerentiam actioni, quam sacramentalem putat, quod ipsum docent ijdem aduersarij, nam Coninchius *de Sacram. disp. 28. dub. 3. numero 38.* loquens de contrahente inualidum matrimonium, quem à peccato excusat, sic scribit. *Neque refert, quod publicè in Ecclesia contrahens vtatur quibusdam ritibus Sacris, contra eorum institutionem, quod videtur contra reuerentiam, tam ipsis, quam Sacramento (quod videtur alijs suscipere) debitam, quia hæc reuerentia in tanto periculo non obligat.* Hæc Coninch.

Verùm, si tibi hæc responsio non satisfacit, prestò est remedium, nam sacerdos simulans absolutionẽ, poterit efformare signum Crucis, & tunc cum signo Crucis fiat à penitente reuerentia, cessat omnis vmbra Idolatriæ, seù reuerentiæ indebitæ actioni profanæ, tamquam Sacræ.

Ad quartum respondetur, quod sacerdos simulans absolutionem, ne illudat Sacramento, ideo nullatenus illud ministrat, quamuis penitens credat, sibi ministrari: quod autem non est, non illuditur.

Ad quintum respondetur, quod, cum Sacerdos non absoluat, sed tantum se absoluere simulet, nullatenus profert aliquod iudicium, neque verum, neque falsum; ideo enim non profert absolutionis formam, ne ferat falsam sententiam.

Ad sextum respondetur, penitẽtem petere actionem sacrilegam à sacerdote, sacerdos autem non exercet aliquam actionem Sacramentalem, quia nullatenus absoluit, quamuis pœnitens decipiatur, credens, se absolui; ergo non consentit sacerdos iniquæ petitioni.

Ad septimum responsio pendet ex illa quæstio-
9 ne, quando fictio sit mendacium, seù quando fingere liceat; quam quæstionem difficillimam esse fatetur doctissimus Maldonatus *in cap. 24. Lucæ in illud finxit se longius ire*. S. Thomas *autem ibidem in Catena, & 2. 2. q. 111. art. 5. ad primum* ex S. August. *lib. 2. qq. Euang. cap. 51. & libro contra mendacium, cap. 13. ait; quod cum fictio nostra refertur ad aliquod significandum, non est mendacium, sed figura veritatis, Christus autem; vt ait S. Gregor. homil. 23. in Euangel. & Beda ibidem volebat figuratiuè significare, quod ipse ab eorum fide longè aberat*, vel vt ait S. August. vbi supra, *quod erat longius recessurus in Cælum*, Sed istæ explicationes admodum difficiles videntur Maldonato, nam quamuis exter-

num

num factum aliquid significet, tamen cum adest animus fallendi, mendacium est. Præterea ex hac doctrina neque possunt saluari alia loca scripturæ. Nã Iosue cum filijs Israel simulauit fugam, quando cœperunt Ciuitatem Hai. Iosue *cap.8. & primo Regum c.16.* iussit Dominus Samueli facere simulationem, cum diceret: *ad immolandum Domino veni,* ipse autem non ibat principaliter ad immolandum. Didacus Stella *in cap.24. Lucæ* ait: quod simulatio facti licita est, & commendabilis, quando fit ex bono fine, & rationabili causa. Sed contra est, nam mentiri non est licitum, quamuis fiat ex bono fine, & rationabili causa. Dicendum est ergo cum Abulense *in lib.1. Regum cap.19.q.16.* Vbi egregiè id explicat. Nam hoc est discrimen inter verba, & facta; Verba enim sunt per se naturalia signa eorum, quæ in animo concipiuntur, vt patet primo perihermenias, sunt quoq; verba signa vniuoca, ideo, cum quis concipit contra id, quod voces significant, semper mentitur, facta autem, & operationes non sunt data ad significandum conceptum, vnde sunt signa æquiuoca, nemo enim ex opere debet existimare, collegisse se sufficienter intentionem alicuius, quia, quod vnus existimabit *factum* ad vnam intentionem, alius existimabit ad alteram.

Præterea, quamuis plerumque verba sint signa vniuoca, aliqua tamen sunt æquiuoca, quia quædam verba instituta sunt ad diuersas res significandas, vt Canis significat terrestrem, cęlestem, & Maritimum. Itaque quamuis numquam liceat mentiri, aut fallere, quandoq; tamen ex rationabili causa licitum est verbis æquiuocis occultare veritatem, aut permittere aliquem decipi, & falli, quod ergo verbis æquiuocis licitum est, pariter factis, & operationibus licitum erit, quia facta, & operationes sunt signa æquiuoca, quibus licet occultare veritatem, aut permittere alium falli, seù decipi, dum videns putat factum ex vna intentione, quod non fuit factum ex illa, sed ex alia intentione, & sic ex rationabili causa possumus permittere illum decipi.

Ex his patet responsio ad casum nostrum, sacerdos enim formans signum Crucis supra pęnitẽtem, licitè permittit illum decipi, dum hoc videns indispositus pęnitens putat, se absolui, quod sacerdos fecit non, vt absolueret, sed, vt discederet pęnitens indignè postulans, comminata morte, absolutionem.

QVÆSTIO XI.

Quid agendum, cum sacerdos carens iurisdictione, vt nominatim denunciatus, excommunicatus, aut publicus percussor Clerici, timore mortis, aut infamiæ cogitur ministrare Sacramentum Pęnitentiæ?

SVMMARIVM.

Non potest timore mortis irritare Sacramentum. numero 1.

Probabile est, excommunicatum validè absoluere à venialibus num.2.

Si mors comminetur ab ipso pænitente, potest simulare Sacramentum. num.3.

Si pænitens sit dispositus, & metus à tertia persona incutiatur, non potest ordinariè sacerdos simulare absolutionem. num.4.

Aliquo casu licitum est, vt, cum pænitens est sanus, & singulis ferè hebdomadis confitetur. num.5.

Id autem in vno, vel altero pęnitente licet, secus in multis. num.6.

Omnia Sacramenta, quæ ab excommunicato validè ministrantur, licitè quoque ex graui timore ministrari possunt. num.7.

Potest quandoque esse timor infamiæ in publico excommunicato. num.8.

1 DIco primò, non potest timore mortis irritare
Sacramentum pęnitentiæ, idest non potest
proferre formam absolutionis intentione absoluendi,
aut faciendi quicquid potest, si de mortalibus sit
confessio, ita Suar. *de Censuris disp. 6. sect.3. n.3.* Sanchez
in summa lib.1. cap.18. num.8. Castropalaus *tomo
1. tract.2. disp.1. pun.13. num.7.* Cornejo *in 3. part.
de excomm. disp.10. §.1. dub.1.*

Ratio est, quia irritare scienter Sacramentum, est voluntariè irreuerenter tractare, ac abuti diuinis misterijs, quod est intrinsecè malum, nulloque mortis metu licitum. Tum quia bonum commune religionis præferri debet particulari damno Sacerdotis.

Dixi, si confessio sit de mortalibus, nam probabi-
2 lis opinio est, Sacerdotem excommunicatum validè
absoluere à venialibus, ita Vasq. *3. par. tomo 4. q.93.
art.1. dub.6. num.8.* & probabile asserit Diana *par.5.
tract.9. resol.84.* quamuis opposita communis opinio
sit probabilior.

Dico secundò, si mors comminetur ab ipso pęni-
3 tente, qui indignè accedit, licitè potest Confessarius
(si aliud remedium menti tunc non occurrat) per-
mittere eum decipi, formando supra illum signum
Crucis, cum aliorum obmurmuratione verborum,
& sic simulando absolutionem.

Probatur, quia vel ex hac simulatione prouenit damnum pęnitenti, vel non prouenit: si non prouenit damnum (prout ordinariè non proueniet, nam pęnitens sciens se indignè absolutum, ad se reuersus, repetat Confessionem, & validè ab altero Sacerdote absoluetur) ergo, cum non inferatur pęnitenti damnum, neque iniuria fiat Sacramento, quippe, quod nullatenus ministratur, non est ratio, cur Sacerdos, ista simulatione, non poterit se tueri ab instante periculo: vel ex hac simulatione prouenit dãnum pænitenti, & hic sibi imputet, quia tale damnum sua culpa patitur, indignè accedendo, & iniustè incutiendo metum, & compellendo Sacerdotem ad absoluendum.

Dico tertiò, si pænitens sit dispositus, & dignè ac-
4 cedat, metus autem à Tertia persona incutiatur Sa-
cerdoti, aut ipse timeat prodere suam famam, si di-
cat, se non posse ministrare Sacramentum, tunc re-
gulariter non licet, metu mortis, aut infamiæ simu-
lare Sacramentum.

Probatur, quia tunc pœnitens sine culpa sua incurreret grauissimum damnum, & exponeretur periculo damnationis æternæ.

Dixi, regulariter non licere, nam aliquo casu licitum

5 tum puto simulare Sacramentum, cum scilicet præponderat periculum mortis Sacerdotis, aut timor infamiæ periculo spiritualis damni pænitentis: tunc autem id accidit, quando præsens est periculum mortis, aut infamiæ Sacerdotis, illudque ferè certum est: atè contra periculum spiritualis damni pænitentis incertum, ac leue est, verbi gratia, si pænitens singulis hebdomadis confitetur, ac corpore sanus, & validus est, tunc enim non tenetur Sacerdos cum præsenti discrimine mortis, aut famæ cauere, ne fortè pænitens eo breui tempore, quo confessionem differt, incurrat periculum mortis, quod patet, quia posset Sacerdos curare, ne ille eo tempore confiteatur, sed differat confessionem: neque refert, quod pœnitens se credens ab illis peccatis absolutum, iterum non confiteatur, nam, cum iterum confitetur, reuera manet ab illis indirectè absolutus, neque tenetur Sacerdos curare integritatem Confessionis, à qua ipsemet pænitens ex iusto timore excusatur, vnde etiam ab illa procuranda excusatur sacerdos, eodem timore compulsus.

6 Excusarem autem huiusmodi sacerdotem, si in vno, vel altero pœnitente simularet absolutionem, ne suam famam prodat; at nullo pacto excusandus est, si multos, aut omnes accedentes simulatè absoluat, nam, cum multi sint, ex ijs aliquis ex ea simulatione grauissimum damnum incurreret, quod ex officio vitare tenetur, vnde nec mortis periculo tunc excusatur.

7 Aduerte autem, quod omnia sacramenta (præter illud pœnitentiæ) quia validè in excommunicatione administrantur, possunt quoque licitè ministrari ex timore mortis, aut infamiæ, vel alterius grauis mali, aut ob necessitatem suscipientis, si sit grauis necessitas, ita Suarez *de censuris disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 3. & 4. Præpositus 3. *part. de excommun. q.* 2. *dub.* 8. *num.* 44. Cornejo 3. *par. de excommun. disput.* 10. §. 1. *dub.* 1. Phylippus Faber *de censuris in* 4. *sentent. dist.* 25. *quæst.* 1. *disp.* 4. *cap.* 4. *num.* 165. Diana *par.* 5. *trac.* 9. *resol.* 83. & 96.

8 Quamuis autem timor infamiæ in publicè, & nominatim excommunicato, aut publico Clerici percussore rarò accidat, tamen accidere potest ob diuersitatem locorum, aut quia timet grauil simæ personæ prodere suam famam, ita Suarez, Præpositus, Cornejo, & Diana locis citatis.

QVÆSTIO XII.

An qui in materia leui iurat falsum, sine animo interno iurandi, peccet mortaliter?

SVMMARIVM.

Sententia affirmans est communis. num. 1.
Opinio negans, quæ singularis est, examinanda proponitur. num. 2.
Ex ioco iurans amphibologicè venialiter peccat. n. 3.

1 Affirmant communiter *in* 3. *distinc.* 39. vbi S. Bonau. *art.* 3. *q.* 1. Riccardus *artic.* 2. *q.* 2. Caietan. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *in fine*. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *de Iuram. cap.* 17. *num.* 2. & 3. Eminentissimus Lugo *de pœnit. disp.* 16. *num.* 211.

Probant primò, quia, quamuis hoc propriè non sit periurium, nam, cum desit animus iurandi, non est verè, & propriè iuramentum, sed apparens; tamen est mortale peccatum contra religionem, quia nomen Dei exteriùs, & vanè assumitur, non ad confirmandam veritatem, sed falsitatem: At hic est magnus abusus diuini nominis, & magna diuinæ maiestatis irreuerentia: ergo est mortale peccatum contra religionem.

Probat secundò Caietan. *d. artic.* 7. *in fine versic. ad euidentiam*, vbi sic scribit. *In isto ficto iuramento, esto verum dicatur, adhuc tamen adest mendacium in actu iurandi, quia iurat verbo, non mente; Hoc autem mendacium perniciosum est ex propria natura, quia directè contrariatur fini iurationis, hoc est confirmationi veritatis, ideo enim iuramus, vt veritatem confirmemus; sed iurare sine animo iurandi est confirmare, & non confirmare veritatem: Nam, qui iurat actu exteriori, confirmat veritatem, quia non iurat mente, non firmat veritatem. Quare talis actus est perniciosus toti humano generi, vtpotè quantum ex se est, tollens à Iuramento finem, quare sit, nempè confirmationem veritatis, & similiter, quantum est ex se eneruat fidem dandam exteriori iuramento.* Hæc Caiet. Ergo tale fictum iuramentum, etiam si cadat supra veritatem, adhuc cōtinet perniciosum mendacium, contra humanam societatem, & contra finem iuramenti, & sic est mortale peccatum, sicuti, cum quis publicas scripturas fingeret: ergo à fortiori erit peccatum mortale, si cadat supra falsitatem.

Probatur tertiò ex Suarez, quia exteriùs dicere verba blasphemiæ in Deum, etiam si dicantur sine intentione blasphemandi, sed ex metu, vel vana ostentatione, peccatum mortale est; quia de se tendit in grauem iniuriam, & inhonorationem Dei; ergo adducere Deum exterius ad testificandum falsum de se est grauis irreuerentia Dei.

Probatur quartò, qui exteriùs tantum abnegaret fidem, mortaliter peccaret contra fidem; ergo, qui exteriùs tantùm iurat falsum, mortaliter peccat cōtra religionem.

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam doctis viris examinandam propono, non enim audeo, eam asserere probabilem, neque tutam in conscientia, nempè non esse peccatum mortale in materia leui, vt mendacio iocoso, aut officioso iurare exterius, sine interno animo iurandi: fateor, hanc opinionem apud nullum Doctorem me legisse. Aduerto præterea ex Soto docere Suarez, *vbi sup. n.* 15. contra Caietanum, & Couarruuias, non esse peccatum mortale fictè iurare, idest sine animo interno iurandi ad confirmandam veritatem, in casib. quibus iuramentum iniustè exigitur, aut iuratur voluntariè, & sine obligatione, & sine nocumento, aut iniuria tertij, quæ opinio Suarez à fortiori probatur ex mox dicendis. Quod autem fictum iuramentum cadens supra iocosum mendacium non sit peccatum mortale.

Probo, quia duplex est malitia in hoc iuramento supra iocosum mendacium, Prior malitia est contra religionem, seu reuerentiam diuini nominis: Posterior

tior malitia est contra humanam fidelitatem, seù contra finem iuramenti, quia eneruat fidem externi iuramenti: sed quādo fictum iuramentum est circa mendacium iocosum, vtraque malitia leuis est: ergo tunc non est peccatum mortale.

Probo, in hoc ficto iuramento esse leuem irreuerentiam diuini nominis, nam maior irreuerentia est assumere ex animo diuinum nomen ad confirmandam promissionem venialiter peccaminosam, quàm exteriùs, & fictè assumere diuinum nomen ad confirmandum mendacium iocosum; sed illud est veniale peccatum: ergo etiam istud.

Præterea probo, hanc irreuerentiam esse leuem, nam hic fictè iurans apparenter assumit diuinum nomen ad confirmandum iocosum mendacium, reuera tamen non assumit; quia deest animus iurandi; ergo non est peccatum graue contra religionem.

3 Probo à pari, nam qui ex ioco iurat amphibologicè, cum mentali restrictione, addendo mente aliquid vltra communem verborum significationem, *v. gr. Nihil per Deum hac nocte comedi*, intelligendo, seu mente addens, *in somnis, cum dormirem*, talis venialiter peccat, ita Sanch. *in Summa lib. 3. cap. 6. num. 22.* Bonacina *de legibus disp. 491. punc. 12. num. 3.* Filliuccius *tom. 2. trac. 25. num. 331.* Diana *par. 2. tr. 15. resol. 25. & par. 3. tract. 6. resol. 30. in fine*. Ergo si iste venialiter peccat, etiam venialiter peccat, qui iocosè mentitur, & fingit se iurare, reuera tamen non iurat, quia deest intentio iurandi.

Probo consequentiam, idem est fictè iurare absque animo interno, ac iurare amphibologicè cum additione mentali; idem enim est ad hoc iuramentum. (*Hac nocte nihil comedi per Deum*) addere Mercurium, nempè *nihil comedi per Deum Mercurium*; ac habere animum non adducendi Deum verum in testem falsitatis; Sed quando mente adderet (*per Deum Mercurium* est veniale peccatum, & tunc non est verum iuramentum, quia deest animus adducendi Diuinam Maiestatem ad testificandum falsum: ergo etiam est veniale peccatum, quando quamuis nihil mente addat, tamen habet animum non adducendi Diuinam Maiestatem ad testificandum falsum, seù deest intentio iurandi; Sanè non video probabilem disparitatem, quare deficiente animo adducendi Deum in testem ex addito nomine *Mercurij*, sit leuis irreuerentia illa externa assumptio diuini nominis, & quando deest animus adducendi Deum in testem, sit grauis irreuerentia illa externa assumptio diuini nominis; nam in vtroque casu auditores eodem modo concipiunt assumi Diuinam Maiestatem ad confirmandum iocosum mendacium.

Probo nunc, in hoc ficto iuramento supra iocosum mendacium non esse grauem malitiam contra humanam fidelitatem, seù contra finem iuramenti. Nam quodlibet mendacium est contra humanam fidelitatem, & tamen multa mendacia, vt officiosa, & iocosa sunt venialia peccata; ratio est, quia, quamuis lædatur humana fidelitas, tamen est læsio leuis, quare lædere finem iuramenti in materia leui esse veniale peccatum, docet Sanchez *in Sum. lib. 3. cap. 6. num. 22.* Præterea iuramentum amphibologicum cum additione mentali, vtique lædit humanam fidem, quia homines perindè tali iuramento amphibologico cum additione mentali decipiuntur, ac deciperentur periurio, seu mendacio, & tamen iuramentum amphibologicum etiam sine causa factum, esse veniale peccatum, dixi esse probabile ex authoritate Sanchez, Bonacinæ, Filliucci, & Dianæ; Ratio est, quia lædit humanam fidem, & finem iuramenti, sed leuiter, & in materia leui.

Probo deinde à priori, non esse mortale peccatum fictè iurare propter oppositionem ad humanam fidem, quia grauitas malitiæ periurij non habetur formaliter ex oppositione ad humanam fidē, siquidem iocosum mendacium non opponitur grauiter ad humanam fidem: ergo grauitas malitiæ periurij adæquatè habetur ex irreuerentia, seu ex inuocatione diuini nominis ad testificationem falsitatis: sed in ficto iuramento reuera non inuocatur Deus ad testificandum falsum; fingitur enim inuocari, sed non inuocatur; ergo non adest in hoc ficto iuramento grauis malitia.

Ex his patet responsio ad primum, & secundum argumentum, ad tertium respondetur, disparitas est, quia exteriùs blasphemans, sine animo interno blasphemandi, verè, & formaliter blasphemat, & talis actus est maxima iniuria Diuinæ Maiestatis; directè opposita præcepto colendi Deum cultu externo: sicuti verè, & propriè peccat contra fidem, qui exteriùs tantum eam negat, & directè peccat contra præceptum de confessione externa fidei. At fictè iurans in iocoso mendacio, verè, & propriè non iurat, nec adducit Deum in testem falsitatis, neque talis actus directè opponitur secundo præcepto Decalogi; quare non est grauis diuini nominis iniuria; quod patet, quia apud audientes diuersimodè potest excusari, præsertim, quia putare possunt, eum amphibologicè iurasse.

Ad quartum respondetur, disparitas est, quia exterior negatio fidei est iniuriosa Deo, & directè cōtra præceptum externæ confessionis fidei præscindendo ab interna mente negantis; At exterior iuratio verè, & propriè non est falsa, quia non est contra mentem iurantis, vt patet etiam in iuramento amphibologico, quare non est mortaliter iniuriosa Deo, neque directè opponitur præcepto Decalogi.

QVÆSTIO XIII.

An in causa Ciuili testis, qui audiuit à fide dignissimo, possit in iudicio deponere, tanquam si vidisset?

SVMMARIVM.

Prima opinio negans communis. num. 1.

Opinio affirmans singularis. num. 2.

Extra iudicium potest iurare, se scire, qui ab vnico teste fide dignissimo audiuit. num. 3.

Potest per occultam compensationem sibi satisfacere, qui ab vno audiuit. num. 4.

In depositione iudiciali, secluso iuramento, paruitas materiæ excusat à mortali. num. 5.

Ex rationabili causa, potest quis in iudicio iurare amphibologicè. num. 6.

Quare in Iudicio Criminali audicus ab vno fide dignissimo, non potest deponere, se scire: potest autem in causa Ciuili? num. 7.

Qui transiuit per loca peste infecta, potest amphibologicè iurare, se non transisse, si certus sit nullum à se esse periculum. num. 8.

Quando ex vnius dicto iurare possum ita esse? num. 9.

Tradita doctrina non admittenda in grauissima causa Ciuili. num. 10.

Tradita doctrina rarissimè consulenda. num. 11.

1 NEgant Sanchez *in summa lib. 3. cap. 4. num. 13.* Portel *de dubijs regular. v. iuramentum num. 6.* Diana *par. 4. tract. 4. resol. 77. & part. 3. tract. 5. resol. 66.* & hæc est communis opinio.

Probatur primò, *ex cap. testes 3. q. 9. ibi: Testes de his, quæ nouerunt, & viderunt, veraciter testimonium dicant, nec de alijs causis, vel negotijs dicant testimonium, nisi de his, quæ sub præsentia eorum acta sunt;* ergo cum testis deponit in Iudicio, quod Petrus mutuo dedit Paulo centum, perinde est, ac si diceret: *ego vidi Petrum mutuò dare:* Sed falsum est, quod viderit: ergo falsum deponit.

Secundò si testis, quia audiuit à fide dignissimo, potest deponere, ac si vidisset: ergo etiam Iudex, quia audiuit à fide dignissimo, vel ex testimonio vnius testis de visu fide dignissimi, poterit ferre sententiam, & condemnare ad solutionem: sed hoc est falsum: ergo falsum quoque est, posse deponere, ac si vidisset.

Tertiò, Iudicare quantam fidem mereatur is, qui mihi dixit, non ad me, sed ad iudicem spectat; quid enim, si existimem omnimodam illi præstandam fidem, cum re ipsa falsum dicat? Cor enim hominis inscrutabile.

Quartò, quia sequeretur, ex vnius dicto hominem ad mortem damnari, possent enim duo testes deponere de homicidio, quia ex dicto vnius, quem existimant fide dignissimum, dicerent Petrum tali loco, & tempore Paulum occidisse.

Quintò, nequit assignari certa regula, quantam fidem hic vir mereatur: ergo facilè fieret extensio ad dictum eius, qui tantam fidem non meretur: ergo plurimis fraudibus, & innocentium oppressionibus aperiretur via.

Sextò, peccatum mortale est, amissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, & cæt. aliam similem confingere, vel falsum solutionis instrumentum producere eius debiti, quod reuera solutum est, ita Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 1. cap. 4. num. 4.* Diana *par. 3. trac. 6. resol. 56.* ergo etiam peccatum mortale est ob probationum defectum deponere in iudicio, ac si vidisset, cum non viderit, quamuis ex dignitate dicentis verissimum esse credat, quod deponit.

2 His tamen non obstantibus, respondetur affirmatiuè idque expresè docet Hurtadus de Mendoza *2. 2. disp. 173. sect. 5. §. 200.* Vbi scribit, *id non licere, nisi iuraturus sibi persuadeat prius, rem ita esse probabili fundamento, ex quo formari possit dictamen practicum de honestate iuramenti, quia iurare sine eo dictamine, est peccatum mortale: ergo inducere ad tale iuramentum est dare grauis occasionem ruinæ, ob quod est peccatum mortale scandali: si verò priùs persuadeamus homini veritatem, ita vt ille affirmet dictamen practicum de honestate iuramenti, licitum est illud petere, quia petimus rem licitam. At ille non est iuraturus rem aliter, quàm scit: v. g. scholasticus vult probare cursum, ad quod eget duobus testibus, adhibet duos amicos, qui illum non viderunt interesse lectionibus; at satis sibi persuadent illum interfuisse; at non possunt iurare, se id vidisse. Ad primum cum habent sufficientem cognitionem, vt pono ex casu; secundum autem illis constat esse falsum.* Hæc Hurtadus de Mendozza.

Idem sentit Ancaran. *consil. 24. num. 11.* vbi ait, *quod si testis in iudicio iuret, se scire, non potest puniri de falso, si id audiuerat à persona fide digna, quia scire dicimur, quod vehementer opinamur.* Idem etiam docet Mexias *in leg. Regia Tolet. 23. par. 2. num. 32. & 33.*

Probatur, quia testis falsus contra triplicem virtutem peccat, contra Iustitiam in damnum proximi, contra obedientiam non parendo Iudici, & contra religionem adducendo Deum in testem falsi: sed in casu nostro, qui audiuit à fide dignissimo, nullo modo ex dictis peccat; ergo.

Non contra iustitiam, quia, cum verum dicat, nul-
3 lum infert damnum proximo, vnde extra iudicium,
qui à tali dignissimo viro audiuit, iurare potest, se id
scire, quinimmo per occultam compensationem
4 posset accipere, quod sibi deberi ab vnico tali viro
audisset, ita Sanchez *in summa lib. 3. cap. 4. num. 13. de matr. lib. 10. disp. 12. num. 51.* Portel *v. iuramento num. 6.* Diana *par. 4. tract. 4. resol. 77. & p. 3. tra. 5. resol. 66.*

Non peccat contra obedientiam, quia paret præcepto quo ad substantiam, nam verum deponit; supposita autem veritate facti, illa circumstantia quod vidit, est circumstantia non necessaria, vnde etiam si mendacium diceret (secluso iuramento) esset materia parua, & ratione paruitatis materiæ, non esset
5 mortale peccatum, nam etiam in depositione iudiciali paruitas materiæ (secluso iuramento) excusat à peccato mortali. vt contra Caietan. *2. 2. q. 69. art. 1.* docent Reginaldus *tom. 2. lib. 24. cap. 2. sect. 4. num. 44.* Diana *part. 5. tract. 5. resol. 27.* Dixi secluso iuramento, quia eo accedente qualecumque sit mendacium, semper est periurium, & peccatum mortale; at vitari potest periurium, vt mox ostendam.

Non peccat contra religionem, quia non iurat expresse dicēs se vidisse, sed rem ita se habere, quod credit verissimum; præterea adhiberi potest æqui-
6 uocatio, seu amphibologia, hæc enim etiam in iuramento iudiciali adhiberi potest, quando quò ad substātiam verū deponitur, vt multis exemplis probant Caietan. *2. 2. q. 89. art. 6. §. ad hoc dicitur* Nauar. *in man. cap. 12. num. 8.* Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 13. pun. 2.* Toletus *lib. 4. cap. 21. num. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 43. dub. 9.* Sayrus *in Claui regia lib. 5. cap. 4. num. 22.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 14. num. 7.* Diana *par. 3. tract. 6. resol. 30. & par. 3. tract. 5. resol. 66.* Ratio est, quia quando reuera deponitur, quod certissimè verissimum creditur, tunc satisfit intentioni iudicis, & quod tunc vtatur amphibologia, ad est iusta causa vtilitatis proximi.

Ad primum itaque respondetur, Calixtum Papam ep. 2. ad *Episcopos Galliæ*, qui refertur *in dicto c. testes 3. q. 9.* agere de testimonio in Iudicio Crimina-

li, seu

li, seu in quo proceditur per accusationem, patet hoc ex illa quæstione nona, præsertim *ex cap. absente eod. 3. quæstione 9.* vbi idem Calixtus Papa *in dicta Epist. 2. ad Episcopos Galliæ* sic ait: *absente eo, quem accusare voluerit quispiam, accusatori non credatur, quia per scripturam nullus accusare, vel accusari potest, sed propria voce, & præsente eo, quem accusare voluerit.* Et deinde Calixtus similia decernit de testibus, *in dicto cap. testes*, dicens: *Testes per quamcumque scripturam testimonium non proferant, sed præsentes de his, quæ nouerunt, & viderunt.* Itaque Calixtus in tota illa Epistola 2. *ad Episcopos Galliæ* agit de iudicio criminali, in quo proceditur per viam accusationis; dispar au-
7 tem ratio est de teste deponente in iudicio criminali, ac in iudicio ciuili, nam delinquens non tenetur in conscientia pœnam subire, nisi post sententiam legitimi iudicis, ac legitimè procedentis, via iuris, quod nequit fieri, nisi testes deponant de visu: secus est in iudicio ciuili, nam debitor ante sententiam in conscientia tenetur soluere debitum, & iniustè vexat creditorem, quare nulla à teste fit illi iniuria, si verum deponat, quamuis non viderit, quia ex tali depositione non condemnatur ad solutionem, ad quam non tenebatur ante omnem iudicialem cognitionem, seu ante depositionem.

Ad secundum Respondetur, disparitas est, quia, quamtumcumque verè quis debeat, & teneatur in conscientia ad solutionem, tamen fit illi iniuria, si priuata authoritate compellatur ad solutionem, ferendo in eum sententiam, & exercendo in ipsum iurisdictionem, & superioritatem, nisi à legitimo iudice, legitimè procedente, & publica authoritate: Sed iudex legitimè non procedit, nisi via iuris, ex iuridica cognitione, nempè ex duobus testibus de visu, ferat sententiam; si autem aliter procedat, iuris ordine non seruato, habetur tamquam priuata persona, & iniustè vsurpat iurisdictionem ferendo sententiam: non sic res se habet in teste, qui non sibi vsurpat iurisdictionem aliquam, quare sufficit, si damnum non inferat, quia verum deponit.

Ad tertium respondetur, quod, quando qualecumque dubium est de fide dicentis à quo audiui, non possum deponere, absolutè, & simpliciter rem ita esse, sed debeo explicare me id ab alio audiuisse; at, si sim omnino certus, nec minimus adsit scrupulus in oppositum, tunc absolutè, & simpliciter deponere possum, rem ita esse, patet hoc ex doctrina Toleti *lib. 4. cap. 21. num. 9.* Syluestri *ver. Iuramentum 3. q. 2.* Layman *lib. 4. tr. 3. cap. 14. num. 8.* Lessij *lib. 2. cap. 43. num. 47.* Qui docent, quod, si ego commoratus
8 fuerim in loco peste reuera infecto, tamen sim omnino certus à me, nihil omnino esse periculi, possum absolute iurare (vtendo aliqua amphibologia) me in eo loco non fuisse, nec transisse: secus si possit esse aliquod dubium, me, vel in corpore, vel in vestibus, etiã non aduertentem pestilentia correptum: ergo si Doctores hanc amphibologiam admittunt in tam graui causa pestis, cum fiat interrogatio cum iuramento à custodibus Ciuitatis, qui in ea re habentur instar legitimi Iudicis; cur id non admittitur in cæteris causis ciuilibus minoris momenti?

Ad quartum negatur sequela, nam hæc doctrina non procedit in causa criminali, vt supra dixi.

9 Ad quintum respondetur assignari certam regulam ex simili doctrina Syluestri, Toleti, Lessij, & Layman in materia de peste, nam tunc possum deponere absolutè, rem ita esse, quamuis non viderim, quãdo tanta est dicentis fides, à quo audiui, vt nullum sit dubium, nullus scrupulus, quin verum dicat, quia à multo tempore noui hominem probatissimæ vitæ, ac fide dignissimum; secus si persona, à qua audiui habeatur communiter vir probus, sed mihi non adeo notus, tunc non debeo me tali periculo committere, *cor enim hominis inscrutabile.* Cæterũ, quando notissima est, ac probatissima persona dicens, tutò possum deponere, esto in rarissimo casu decipiatur, aut decipiat, & falsum dicat, nam virtutes morales non attingunt infallibiliter verum, sed quod moraliter certum, & verum apparet.

Ad sextum respondetur, disparitas est, quia ex falsificatione publicæ scripturæ deperditur fides publicis scripturis, quam haberi magis interest Reipublicæ bono, quam debitum iniustè denegari: At ex depositione testis, modò hic verum deponat quò ad substantiam, non fit damnum publicæ fidei, neq; Reipublicæ bono, quia depositioni testis, non habetur publica, ac tanta fides, qualis habetur publico instrumento, quod ab vnico Notario conscriptum plenissimè probat.

10 Aduerto, hanc doctrinam non admittendam in causis ciuilibus, adeo grauibus, quod criminalibus æquiparentur, vt causæ matrimoniales, aut ingentis pecuniarum quantitatis; quia, quamuis probatissimè vitę, ac notissimus mihi sit is, qui dicit, se vidisse, tamen cum homo sit, falli, ac fallere potest; quare in eo casu non est tam graui periculo proximus exponendus. Sed vt fatear, quod sentio, quamuis tradita doctrina probabilis sit, ferè nunquam ad praxim eam deducere auderem, nisi in his, quæ nulli preiudicant, nam in his vnicus testis probat, vt docent communiter Doctores, Iason *in l. admonendi num. 173. ff. de iureiurando.*

QVÆSTIO XIV.

An licitè possit Princeps de plenitudine potestatis damnare ad mortem reum, quem ex vnico tantum teste fide dignissimo, constat deliquisse, si id necessarium sit ad Pacem, & quietem Regni, aut ob aliam grauissimam causam boni Publici?

SVMMARIVM.

Potest Rex statuere, vt in certis causis vnico testi plenè credatur. num. 1.

Vnicus testis, de iure naturali, facit rem rationabiliter credibilem. num. 2.

Vnico testi potest vir credere, si deponat vxorem adulteram, vt non teneatur ad debitum matrimonij. num. 3.

Vnicus testis de visu facit indicium ad torturam. num. 4.

Vnicus testis excusat à pœna talionis, & ab expensis. num. 5.

Prorex Neapolis ex vnico teste, potest pro bono publico Regni, in raro casu, ad mortem damnare. num. 6.

Ex vnius grauis viri testimonio, quilibet tutus est in conscien-

tia, & potest occultè accipere, quod suum ille testificatur. num. 7.

Iudex nequit ferre sententiam ex vnius testimonio. numero 8.

1 R">Espondetur affirmatiuè.

Probatur primò, quia quamuis Rex nequeat facere, quod generaliter vnico testi credatur, potest tamen ex causa statuere, vt plenè credatur in certis causis. Innoc. & Abbas *in cap. nuper num.* 1 *de testibus.* Iason *in repet. l. admonendi num.* 191. *ff. de Iureiur.* Crotus *de testibus num.* 19. Farinac. *de testibus quæst.* 63. *numero* 12. Scaccia *qui plures citat de Iudicijs lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 380. quamuis multi oppositum doceant, quos citat *num.* 385. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 25. ait: nō posse Rempublicam dare authoritatē Principi condemnandi ad mortem ex dicto vnius, nisi aliunde Princeps esset certus, aut iste testis eset summæ authoritatis, & fidei; & quod Rex, aut Papa nequeat disponere quod ex dicto vnius testis quis damnetur ad mortem docent Salon 2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *fol.* 493. & Scaccia, *vbi supra num.* 397. sed si testis sit probatissimæ vitæ eius dicto stari posse in causa etiam capitali putarem, vt voluit Lessius.

Quare valida est etiam consuetudo, aut statutum, quod adest Vicentiæ, (vt per Angelum *cons.* 309. *num.* 2.) Vt in certis casibus vnico testi plenè credatur, aut quod sola fama habeat vim perfectę probationis, ita ex *text. in cap. tuæ nos de testibus*, tradunt Matthesilan. *singul.* 51. Innocent. *in cap. nuper de testibus.* Roman. *singul.* 356. Farinac. *de testibus quæst.* 63. *num.* 8. & 12. Tiraqu. *de indicio in rebus exiguis in princ. ver. secunda ratio.* Scaccia, *vbi sup. n.* 410. sed quod dixi de fama intelligēdum quò ad restitutionem vsurarum, & sic in causa ciuili: Ergo ex iusta causa, nempe ob bonum publicum totius Regni, pacemque conseruandam, potest Rex non plenè probato delicto, si probabiliter de eo constet, per vnicum testem condemnare reum ad mortem.

Probatur secundò, nam Princeps supremus, si ex

2 iusta causa non seruet dispositionem iuris positiui, non peccat: dummodo seruet Ius naturale: sed ex iure positiuo tantum duo testes requiruntur ad sententiam ferendam, iure autem naturali attento, sufficit ad credendum vnicus testis fide dignus, qui facit rem probabilem, & rationabiliter credibilem, vt est glosa *in l. Titio fundus ff. de condit. & demonstrat.* Bald. *in l. iudicia vers.* 4. *quæro C. de rei vend.* Bart. *in l. si quis ipsi Prætori q.* 8. *ff. de noui oper. nunciat.* Bald. *in cap. cum contingat de rescript.* Glosa *in cap. cupientes de electione in* 6. Cepolla *in l.* 4. *numero* 30. *Codice pro emptore.*

Et dicitur quis pro certo scire, quod ab vno teste fide digno audiuit. Geminianus *in c. de capitulis per illum text. dist.* 10. Iason *in l. properandum §. Siue autem alterutra num.* 9. *C. de Iudicijs.*

Vnicus enim testis fide dignus iustam credendi causam affert, sed non tribuit necessitatem credendi, Nauar. *in Man. cap.* 22. *num.* 82, *vers.* 13. Eman. Sà *v. testis numero primo.* Layman *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 3.

Quare, inquit Nauarr. *cons.* 1. *num.* 2. *de testibus*, & Layman, *vbi supra*, quod si vnicus testis dicat quadraginta annis beneficium sine personali residentia obtentum fuisse, quod nouus beneficiarius via præscriptionis se tutum in conscientia credere possit; modò fama, vel testimonia contraria non adsint.

3 Sic inquit Sanchez *de matrimon. lib.* 10. *disput.* 12. *num.* 51. quod in foro conscientiæ vni testi fide digno affirmanti adulterium vxoris, potest coniux credere quòad separationem thori.

Sic idem Sanchez *in Sum. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 13. ait; ad veritatem iuramenti satis esse, iurantem audiuisse rem illam à persona, ita fide digna, vt sit moraliter certus rem ita se habere, quod (ait Sanchez) verum est, si iuramentum sit extraiudiciale.

Imò etiamsi in iudicio testis iuret se scire, non potest puniri de falso, si id audiuerat à persona fide digna, quia scire dicitur, quod vehementer opinatur, ita Ancharan. *cons.* 24. *num.* 11. Sed rectiùs contrarium docet Sanch. *vbi supra*, & Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 77. nam in iudicio tunc testis semiplenè probat, quando scit non quomodocumque, sed ex visu, nam in Iudicio, (vt habetur *in cap. testes* 3. *q.* 9.) testes *de his solis, quæ in eorum præsentia gesta sunt testificari intelliguntur*; quare nisi dicant se audiuisse semper intelliguntur scire ex visu: vnde falsò deponunt, si non viderint; sed hoc verum puto in causa criminali, non autem semper in causa ciuili, vt dixi *sup. q.* 13.

4 Sic vnicus testis de visu omni exceptione maior facit indicium ad torturam. Clarus *in §. fin. quæst.* 21. *vers. Vnus testis*, & *q.* 22. Roland. *cons.* 7. *numero tertio*, & 10. & *cons.* 24. *num.* 2. *volum.* 1. Farin. *de indit. q.* 36. *num.* 224. Doctores omnes *in l. maritus per illum text. ff. de quæstion.* Mynsing. *cent.* 6. *obseru.* 97 *num.* 5.

5 Sic vnicus testis excusat à pœna talionis. Marsil. *singul.* 47. excusat quoque ab expensis Menoch. *de arbitr. casu* 177. Tiraqu. *de pœnis temper. causa* 51. *num.* 26. Iason *in l. properandum §. sine autem alterutra n.* 7. *vers.* 4. *concl. C. de Iudicijs.*

Imò, quod plus est, si ipsemet litigans sit persona valdè honesta, ac magnæ, & spectatæ fidei, ac valdè religiosa excusatur ab expensis, quia non præsumitur per calumniam, & temerè litigasse Iason *d. §. siue autem alterutra num.* 10. *vers.* 4. *limita.*

Præterea triginta casus, in quibus vnicus testis plenè probat, enumerat. Speculator *tit. de testibus §. restat num.* 8. Iason *in repetit. l. admonendi num.* 173. *ff. de Iureiur.*

Ex quibus patet, vnicum testem fidem dignum facere rem rationabiliter, & iustè credibilem, quare iure naturali attento sufficit ad condemnandum: Ergo Princeps ex iusta causa in aliquo particulari casu potest condemnare reum ad mortem, quod tamen crescente hominum malitia in praxi numquam puto esse tutum, nisi id omnino necessarium esset ad quietem, & Pacem Regni, aut alia grauissima mala prohibenda, quæ aliter præcaueri non possent.

Neque obstat illud Deuteron. *cap.* 17. & 19. ibi: *in ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficitur, nemoque occidatur, vno contra se dicente testimonium*: quare. Curtius Iun. *cons.* 286. *vol.* 3. quem sequitur Hypolit. Riminald. *cons.* 315. *n.* 4. *lib.* 3. docuerunt contra ius diuinum esse, quod quis damnetur ad mortem ex vnius testimonio.

Respondetur enim iure diuino, per præceptum Iudi-

Iudiciale, id prohibitum esse, cum autem omnia præcepta iudicialia iam cessauerint, tale præceptum nunc non vrget.

6 Hinc infertur posse eadem ratione Excellentissimum Neapolitanum Proregē vnico teste ad mortem damnare, ex plenitudine potestatis, si id expediret bono publico Regni in aliquo raro casu: Nam Prorex Neapolitanus cum collaterali Consilio potest omnia exorbitantia; dummodo concurrat necessaria causa publicæ vtilitatis. Aponte *de potestate proreg. tit. 1. §. 4. num. 5.* Qui etiam *eod. tit. 1. in princip. num. 11.* post Angelum ait; quod potest Prorex ex sola suspicione, prout sibi expedire videbitur, ad scandala euitanda, absque alio processu confinare personas.

Aduertendum tamen ex Isernia *in cap. 1. §. contrahentium incestas nuptias in 2. addit. num. 42. vers. fatis*, quem sequitur Aponte, *vbi supra tit. 1. in princip. num. 29.* quod contra leges, & Iuris ordine non seruato, non debet Princeps passim, & indistinctè procedere, sed ex magna, & enormi causa, & in consueto delicto.

7 Infertur secundò, quod quilibet ex vnius grauis viri testimonio tutus est in conscientia, quare si ex vnius testimonio sciam rem, quam tu bona fide possides, esse meam, vt quia meo Patri à tuo Patre venditam, & persolutum prætium, aut donatam testetur, si aliter eam obtinere nequeo, occulta compensatione vti possum; Index autem ex vnius testis di-

8 cto quantumcumque digni nequit ferre sententiam *l. iusiurandi C. de testibus.* Cuius rei disparitas est, quia in conscientiæ foro sola veritas attenditur, Nauarr. *cons. 2. cons. 22. num. 5. cons. 89. num. 6. de regular.* Sanch. *de matrim. l. 2. disp. 39. num. 11. & lib. 7. disput. 37. num. 9. & 11.* quæ veritas habetur prudenter, & probabiliter ex vnius dicto, si sit persona fide digna: At in externo foro iudiciali meritò lex prohibuit Iudici, ob bonum publicum, & vitandas fraudes, ne sententiam ferat, nisi ex duorum testium dicto.

QVÆSTIO XV.

An moribundus baptizari possit cum aqua rosacea, vel ex alijs herbis expressa, sub conditione si sit materia idonea?

SVMMARIVM.

Opinio affirmans est probabilis contra communem. numero 1.

Non est euidens aquam rosaceam differre specie ab elementari. num. 2.

Potest in extrema necessitate sub conditione baptizari cū humore aqueo stillante ex vitibus, & alijs arboribus. num. 3.

1 Respondetur affirmatiuè ita Ioannes Puteanus *in 3. par. q. 66. art. 4. num. 5.* Tannerus *in Theol. schol. tom. 4. disp. 4. q. 1. dub. 2. num. 41.* Io: præpositus *3. par. q. 66. art. 4. num. 22.* Chamerota *de Sacramentis tract. 2. de baptismo cap. 2. num. 2.* Est contra communem, oppositum enim post S. Thom. *d. q. 66. art. 4.* te-

nent 60. Doctores quos citat, & sequitur Diana *par. 5. tract. 3. resol. 2.* & Pasqualigus *decis. 77.*

Probatur in extrema necessitate potest quis baptizari sub conditione, cum materia dubia, Suarez *3. par. tom. 4. disp. 26. sect. 6.* Sanchez *in sum. lib. 1. cap. 9.* Petrus Soto *de Euchar. lect. 2.* Io: Sanchez *in selectis disp. 44. num. 12.* Sed aqua rosacea, aut aliorum florum, aut succus ex herbis expressus est materia dubia: ergo in ea baptizari potest.

Probo esse materiam dubiam, nam non est cer-

2 tum, neque euidens aquam rosaceam differre specie ab aqua naturali, aut elementari, sed potest differre tantùm accidentaliter, quod sic ostendo; nam vapores rosarum, florum, aut herbarum virtute solis eleuati conuertuntur in veram aquam naturalem: ergo etiam eleuati virtute ignis conuertuntur in veram aquam naturalem. Consequentia Probatur, nam sicut calor naturalis ex ouis producit pullos, ita quoque calor ignis, vt refert Iulius Scaliger *in libro contra Cardanum exercitat. 23.* & sicut calor solis in visceribus terræ producit aurum, ita multi anthores docent, produci posse calore ignis, vt post alios Martinus Delrius *disquisit. magic. lib. 1. cap. 5. q. 2. sect. 2. 3. & 4.* & alij quos alibi retuli. Tum quia inter similia facilis est transitus: ergo faciliter possunt vapores in veram aquam conuerti. Tum quia si aquæ ex vaporib. diuersis eleuatis productæ differrent specie, pro vt differunt specie res; ex quibus eleuantur, sequeretur, quod tot essent diuersæ species aquæ pluuialis, quot essent species rerum, quarum vapores sol eleuauit; vnde sequeretur, quod aqua pluuialis in locis longissimè à mari distantibus, differret specie ab aqua maris, quia vaporibus aquæ maris, & vaporibus terræ generarentur diuersæ species aquæ. Tum quia ex diuersis specie rebus ignefactis, generantur ignes eiusdem speciei: ergo ex diuersis specie vaporibus generantur aquę eiusdem speciei.

Probatur secundò, quia succus herbarum potest dici (non improbabiliter) quod sit humor aqueus à terra per herbam attractus, qui adhuc inconcoctus, non est conuersus in substantiam herbæ: ergo non est certum, quod talis succus differat specie ab aqua naturali, nam humor à terra attractus verè est aqua naturalis, ergo talis succus est materia dubia baptismi.

3 Confirmatur, nam hac ratione Io: à Cruce *in directorio part. 2. q. 1. de baptismo dub. 1. concl. 2.* & Pasqualigus *decis. 78.* docent: posse in extrema necessitate conferri baptismum sub conditione, cum humore aqueo stillante ex vitibus, & alijs arboribus; nam probabile est, quod ille humor stillans ex arboribus sit substantialiter aqua, quia nihil aliud est, quam humor, qui attrahitur è terra, & ab arbore, seu vite concoqui non potest, vnde effluit per poros ipsius ergo partim consequenter loquitur Pasqualigus qui *decis. 77.* negat posse baptizari cum humore expresso ex herbis, heribus, & frondibus; nam à pari dubitari potest, an humor è terra per herbam attractus adhuc sit concoctus, & conuersus in substantiam herbæ; si enim perseuerare inconcoctus, esset vtique materia baptismi; quare cum dubitetur an sit inconcoctus, sequitur, quod talis humor est

materia dubia baptiſmi, quæ adhiberi poteſt ſub conditione in extrema neceſſitate.

Dices primò, quamuis aqua roſacea, aut ſuccus herbarum ſpecie Phyſica, non differrent ab aqua naturali, differunt tamen *vſualiter*, quia iſta non retinent communem vſum abluendi, & bibendi: ergo non poſſunt eſſe materia baptiſmi.

Reſpondetur nego conſequentiam, nam Eccleſia non definiuit, quod aqua quæ non retinet communem vſum abluendi, & bibendi, non ſit apta materia baptiſmi. Tum quia ſufficit, quod aqua roſacea retineat communem vſum bibendi, & abluendi aptitudinaliter, licet per accidens, ob prætium, non retineat actu communem vſum abluendi, imò apud ditiores ob delicias ad vſum abluendi adhibetur.

Dices ſecundò, non retinet communem appellationem aquæ, ſed dicitur aqua cum addito, id eſt roſacea; ergo non eſt materia ſufficiens.

Reſpondetur nego conſequentiam, quia Eccleſia non definiuit, quod aqua, quæ ſpecie Phyſica non differret ab elementari, non poſſit eſſe materia baptiſmi, ex eo, quia non retinet communem appellationem aquæ: ergo ſaltem eſt materia dubia.

Dices tertiò, ex Paſqualigo *deciſ.77.num.4.* habent ſinguli liquores illi proprias virtutes proportionatas rebus, ex quibus extrahuntur, & ſunt ſucci ſinguli habentes propriam ſubſtantiam; ergo certum eſt, eos non eſſe aquam naturalem, atque adeo certum eſt, non eſſe materiam baptiſmi, ſola enim aqua naturalis eſt materia neceſſaria baptiſmi, vt ex Concilio Lateranenſi *in cap. firmiter de ſumma Trinitate* Concilio florentino *in decreto fidei poſt ſeſſ. vltimam §. Primum omnium* & Tridentino *ſeſſ.7. can.2. de baptiſmo*.

Reſpondetur nego conſequentiam, nam à diuerſis virtutibus herbis proportionatis, non ſequitur euidenter eiuſmodi liquores extractos ſpecie Phyſica differre ab aqua elemetari; nam hæc omnia ſufficienter ſaluantur per differentias accidentales; quod patet in aqua maritima, & fluuiali, nã quamuis colore, ſapore, craſſitie, & aliter differant, eã tamen differentia eſt accidentalis.

QVÆSTIO XVI.

An omittens ex horis Canonicis tertiam, vel ſextam, aut nonam peccet mortaliter?

SVMMARIVM.

Opinio affirmans eſt communis num. 1.
Opinio negans ſingularis, ſed probabilis num. 2.
Totum officium diurnum eſt vnicum præceptum. num. 3.
Per duas horas laborans in die feſto excuſatur à mortali. num. 4.
Duæ vnciæ ſunt parua materia in ieiunio. num. 5.
Aſſiſtens poſt Euangelium ſatisfacit præcepto Miſſæ. num. 6.

1 Affirmant ferè omnes, ita Suarez *de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 25 num. 15.* Reginaldus *tom. 1. libro 18. cap. 11. ſect. 3 num. 144.* Caſtropalaus *tom. 2. tract. 7. diſput. 2. punc. 5 num. 1.* & alij innumeri, quos citat Diana *par. 6. tr. 6. reſol. 6. par. 2. tr. 12 reſolut. 41 par. 5. tract. 5 reſol. 26. par. 7. trac. 11 reſol. 2.*

Probant, quia talis omiſſio eſt notabilis deformitas, & mutilatio diuini officij; reddit enim diuinum officium mancum, quia deficit numerus ſeptem horarum Canonicarum.

Secundò, quia hæc quantitas ſufficeret ad mortale, ſi ſola ſub eo reatu præciperetur; ergo non refert, quod præcipiatur ſimul, ſeu tanquam pars totius, quia perinde eſt, ac ſi ſeorſim vnaquæque hora præciperetur.

Tertiò, quia Pius V. beneficiarium omittentem vnam, ex ſex minoribus damnat ad reſtitutionem ſextæ partis fructuum; ergo ſub peccato mortali tenebatur beneficiarius; alioquin non obligaretur ad reſtitutionem.

2 Contrarium docent Marchinus *de Sacramento ordinis trac. 2. par. 6 diffic. 3 num. 5.* Io: Caramuel *in regulam Sancti Benedicti diſp. 118. num. 1462.*

Probo, quia integra hora tertia v. g. eſt parua materia, ſiue conſideretur reſpectiuè ad totum officium; ſiue conſideretur in ſe, & abſolutè ergo, &c.

3 Suppono autem communem ſententiam eſſe, totum officium diurnum eſſe vnicum præceptum, & omnes ſeptem horas conſtituere vnum officium, ita Nauar. *de orat. cap. 7. num. 6.* Vaſquez *opuſc. beneficijs cap. 4. §. 1. dub. 5. num. 71.* & alij quos ſequitur Diana *par. 2. trac. 12 reſol. 5.* vnde ſic argumentor: Hora tertia eſt dudecima pars totius officij, nam laudes, Prima, veſperæ, & completorium æquiualent ſex horis ex minoribus; tres nocturni cum lectionibus æquiualent ipſis tribus horis minoribus; Ergo hora tertia eſt duodecima pars totius officij; ſed duodecima pars, reſpectu totius dicitur parua quantitas, quod patet pluribus inſtantijs, nam *in l. hac adiectio 192. ff. de verb. ſignificat.* Vbi gloſſa, & Alciatus, habetur, quod dictio *pluriſue* addit paruam quantitatem ſupra expreſſam: ſed omnes docent, quod ſi quis dicat decem pluriſue, illa dictio pluris addit vnum, vel duo ſupra quantitatem expreſſam; ergo duodecima pars reſpectu totius dicitur parua quantitas. Sic

4 per duas horas laborãs in die feſto non peccat mortaliter, quia duæ horæ ſunt parua quantitas reſpectu totius diei 24. horarum. Diana *p. 5 tract. 5 reſolut. 6.*

5 Sic comedens duas vncias non trãgit ieiunium, quia duæ vnciæ ſunt parua quantitas reſpectu cœnæ, quæ ſolet eſſe 24. vnciarum. Turrianus *reſol. moral. par. 1. cap. 256. dub. 27. num. 2.* Diana *par. 5 tract. 5 reſol. 11.* Ergo duodecima pars, reſpectiuè ad totum, dicitur parua quantitas.

Probo iam eſſe paruam quantitatẽ abſolutè conſideratam, horam tertiæ, vel ſextæ, nam ſatisfit præ-

6 cepto Miſſæ, ſi quis audiat Miſſam poſt Euangelium dictum, quia hæc omiſſio reputatur parua materia. Lugo *de Euchar. diſp. 22 ſect. 1. num. 3.* Diana *parte 5. tr. 5 reſol. 44.* Sed Pſalmus, Iudica me Deus, Confeſſio, verſiculi, Introitus, Gloria in excelſis, Epiſtola, Graduale, ac Euangelium æquiualent horæ tertiæ; ergo reputantur parua materia; ergo tertia in ſe, & abſolutè conſiderata eſt parua materia.

Secundò, quia omittens leuem pœnitentiam pro venialibus, præſertim impoſitam, peccat venialiter tantum Suarez *tom. 4. 3. part. diſp. 38. ſect. 7. num. 5.*

Co-

Coninchius *de Sacram. disp.* 10. *num.* 80. Reginaldus *lib.* 7. *num.* 77. Quamuis pœnitentia sit pars integralis Sacramenti: sed ex omnium Sacerdotum vsu, leuis pœnitentia reputatur recitatio quinque, aut septem Pater, & Aue Maria, quæ sanè, vt conferenti patebit, æquiualent recitationi horæ tertiæ: ergo hæc est parua materia.

Ex his patet responsio ad argumenta contraria.

Ad primum respondetur, per instantiam maius est, quod omittatur pars integralis Sacramenti, nempè iniuncta pœnitentia, pro peccatis venialibus, quã vt deficiat numerus horarum Canonicarũ: sed quia omissio leuis pœniteutiæ, est parua materia, ideo est peccatum veniale: ergo etiam in omissione paruæ horæ Canonicę; tum quia alioquin sequeretur, quod in Sabbato Sancto omittens Vesperas, quæ constant ex *Magnificat, & laudate Dominum*, peccaret mortaliter, quia deficeret numerus horarum Canonicarũ: Tum quia, vt cum alijs docet Diana, *vbi supra*, omittens duos Psalmos in horis minoribus, non peccat mortaliter, sed omissis duobus Psalmis, perinde est, ac si tota hora omitteretur: ergo adhuc est peccatum veniale, *quamuis mancum sit officium*, neque constans ex septem horis.

Ad secundum, nego eam quantitatem esse grauem, si sola præciperetur, vt ostendi.

Ad tertiũ respondetur, Pium V. non considerasse omissionem singularum horarũ minorum esse mortale; neque ex eo obligauit ad restitutionem sextæ partis; sed quia beneficiarius non implens onus, seu partem oneris iniuncti, dignus est pro ea parte priuari fructibus beneficij, cum beneficium detur propter officium, quamuis; ergo peccet venialiter omittens horam tertiam v. gr. tamen peccat mortaliter non restituens sextam partem fructuum, si pars restituenda sit grauis: sicut quamuis sacerdos omittens restitutionem eleemosinæ datæ ob Missas celebrandas, quas non celebrauit peccet mortaliter non restituendo, tamen non peccauit neque venialiter, quando omisit celebrationem cum animo restituendi eleemosynam, si nullum ex hoc damnum proueniat, cum mox sit paratus alius sacerdos ad celebrandum, si detur ei eleemosyna.

QVÆSTIO XVII.

An, & cuius authoritate, pia legata commutari valeant?

SVMMARIVM.

Papa, etiam sine causa, potest validè commutare legata in vsum minus pium. num. 1.

Quando voluntas testatoris de Iure, aut de facto impleri non potest commutat Episcopus. num. 2. *Vide tamen sequentem quæstionem.*

Potest Episcopus commutare in opus æquale. num. 3. *An tunc sit requirendus consensus hæredis. num.* 4.

Solus hæres potest commutare, quando causa de nouo incidit, non præuisa, vel ignorata à testatore, est opinio singularis. num. 5.

Quilibet priuatus potest interpretari legem cessare per Epikeiam. num. 6.

Hæres potest declarare voluntatem defuncti. num. 7.

Quando voluntas testatoris est dubia nõ est locus commutationi, sed interpretationi. num. 8.

1 Dico primò, potest Papa, etiam sine necessitate, imò etiam sine causa, validè (quicquid sit, an licitè) commutare legata, in vsum minus pium, ita Felinus *in cap. cum accessissent num.* 17. *de constitut.* Fernandez *in exam. theol. moralis part.* 4. *cap.* 18. §. 2. Vbi ait, quod potest commutare, etiam in vsus prophanos, & docent omnes, qui cum causa in opus æquale, aut magis pium id concedunt Episcopo, quos infra adducam.

Contra Eminentissimum Lugo *de Iustit. disput.* 24. *num.* 312.

Probatur primò, quia hoc ipso, quod legatum est pium, connumeratur inter bona Ecclesiastica, quorum Papa est supremus, & liber administrator.

Secundò, quia *in Clem. quia contingit de religiosis domibus*, reprehendit Pontifex vsurpantes, ac ad prophanos vsus pia legata conuertentes, & subdit, quod *ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium ad illum debent non ad alium, salua quidem Sedis Apostolicæ authoritate, conuerti*; ergo innuit potuisse eos ad proprios, & prophanos vsus conuerti, si habuissent Apostolicæ Sedis facultatem.

Tertiò, quia, vt refert Rodriqu. *qq. regular. tom.* 2. *q.* 125. *ar.* 9. Sixtus Quartus, & Leo Decimus, concesserunt Prælatis ordinis Minorum, quod possint legata, aut donata ipsorum locis ad certum vsum, in alium conuertere, cessante tamen scandalo; neque ibi Pontifex requirit aliam causam, aut necessitatẽ, aut quod opus sit æquale, vel magis pium.

Obijcitur primò ex Lugo, quia nequit supremus Princeps, nisi quando necessarium est ad bonum cõmune, disponere de bonis subditorum contra domini voluntatem: ergo cum testator dominus sit suorum bonorum, nequit Papa nisi ex necessaria causa, publicum bonum respiciente, disponere de eisdem bonis ad alium vsum.

Respondetur legatum pium postquam Ecclesiæ acquisitum est, desiuit esse sub dominio testatoris, & incipit computari inter bona Ecclesiastica, quorum Papa est supremus administrator, qui tunc non disponit de bonis subditorum, sed de bonis Ecclesiasticis.

Obijcies secundò, quia Tridentinum *sess.* 22. *de reform. c.* 6. ait, quod commutationes vltimarum voluntatum, nonnisi ex iusta, & necessaria causa fieri debent.

Respondet Comitolus *lib.* 7. *q.* 9. eam particulam, *Et* accipi disiunctiuè pro *Vel*; vnde sufficit adesse instam causam, idest honestum finem mouentem Pontificis mentem ad commutandum.

2 Dico secundò, quando voluntas testatoris nequit de iure, aut de facto impleri in propria specie; tunc poterit fieri commutatio authoritate Episcopi, ita ex text. *in l. legatum ff. de vsufruct. legato, & cap. nos quidem de testamentis*, docent ibi Innoc. Imola, & Abbas *num.* 6. Molina *tom.* 1. *trac.* 2. *disp.* 249. Sanchez *consil. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 5. Lugo *de Iustit. disput.* 24. *num.* 306.

Layman *lib.3.tract.5.c.11.num.10.* Barbosa *de potestate Episcopi alleg.83. num.3.* Benedictus *in cap. Rainutius verbo reliquit num. 18. de testamentis*, sed de hoc infra dicendum.

3 Dico tertiò, quando voluntas testatoris in propria specie potest impleri, tam de iure, quàm facto, nihilominus potest Episcopus commutare in opus æquale, aut magis pium, ob iustam causam, ita Bartolus *in l. liberto §. Lucius, & in l. legatum ciuitati ff. de vsufructu.* Butrius *in cap. verum de condition. apposit.* Ioan. Andreas *in Clem. quia contingit de religios. domibus*, Lucas de Penna *in l. vnica C. de expens. ludorum.* Genuens. *in praxi Archiep. cap. 19.* Barbosa *de potestate Episcopi allegat. 83. num. 5.* Mendoza *de signatura gratiæ rubrica commutatio vltimæ volunt.* Mohedanus *decis. 1. de Iurepatronatus.* Rota Romana *decis. 1122. par. 3. lib. 3. in nouis.* Marius Antoninus *variarum resolut. lib. 1. resol. fin. casu 40.* Vgolin. *de offic. Episcopi cap. 61. num. 5.* Ex theologis S. Antoninus *3. par. tit. 11. cap. 2. §. 7.* Syluest. *v. Legatum 4. q. 12.* Angelus *eodem verbo 2. num. 12.* Armilla *num. 55.* Vasq. *opusc. de testamentis cap. 8. §. 5. dub. 3. num. 104.* Comitol. *respons. lib. septimo q. 9.* Beia *par. 4. resp. casu 22.* Rodriqu. *qq. regular. tom. 2. q. 125. art. 9. in fine.* Diana *par. 2. trac. 17. resol. 26. & par. 8. tract. 5. resol. 63.* Fernandez *in exam. theolog. moralis par. 4. cap. 18. §. 2.* Bauny *in theol. morali tom. tertio lib. 2. tract. 9. q. 31.* Sà *verbo testamentum numero 33.* Sanch. *consil. li. 4. cap. 2. dub. 7. num. 4.* Moneta *de commutat. vltim. volunt. cap. 5. num. 354.* Layman *libro 3. trac. 5. cap. 11. num. 11.*

Contrarium tamen, nempè solum Papam de potestatis plenitudine, posse commutare pium legatum in alium pium vsum, si voluntas testatoris de Iure, ac de facto impleri potest, docent Abbas *in ca. tua nos num. 4. de testamentis*, Felinus *in cap. cum accessissent num. 17. de constitut.* & ibi Decius *num. 11.* Guido Papæ *decis. 556.* Cappella Tholosana *dec. 26.* Molina *tomo 1. tract. 2. disp. 249.* Molfes. *in Sum. tract. 13. cap. 5. num. 182.* Riccius *par. 2. decis. 125.* Benedictus *in cap. Raynutius in verbo reliquit numero 18.* Vvadingus *tract. de contractibus disp. 4. dub. 13. §. 6. num. 3.* Carpius *de execut. testam. lib. 3. cap. 4.* Eminentissimus Lugo *de Iustit. disp. 24. num. 312.*

Sed opinio affirmans, quæ communior, ac probabilior est: Probatur, quia commutando in opus æquale, aut magis pium, Episcopus non infringit, sed interpretatur testatoris voluntatem; ergo potest Episcopus commutare.

Probo consequentiam à pari, ideo potest Episcopus commutare votum sui subditi; quia propter spiritualem potestatem est Diuinæ voluntatis interpres; ergo etiam rem Deo ad vnum vsum pium dicatam, potest ex rationabili causa in alium pium vsum commutare, cum sit diuinæ voluntatis interpres.

Confirmatur, nam modus respiciens vtilitatem legatarij, dicitur impulsiuus, neque tenetur cauere legatarius de modo implendo, cum suo fauori renunciare possit *l. Titio centum 70. ff. de condit. & demonstr.* Ergo authoritate Episcopi poterit Ecclesia ad vnū pium vsum sibi legata, in aliud conuertere; nam pius vsus eiusdem Ecclesiæ, quæ est legatario, respicit vtilitatem.

Dices modus respiciens fauorem piæ causæ semper importat causam finalem, & necessariò implendam Cynus, Albericus, & Salicetus *in l. generaliter C. de Episcopis, & Clericis.* Tiraqu. *tract. cessante causa limitat. 1. num. 56.*

Respondetur importare causam finalem ad hoc, vt non possit nisi authoritate publica Episcopi, qui est Ecclesiæ sponsus, & administrator, in aliud commutari.

Aduertendum tamen hanc commutationem fa-
4 ciendam ex consensu hæredis, aut executoris: At requirendus est eius consensus, sed non curandum de eius dissensu, si sit irrationabiliter inuitus, ita ex textu *in l. Legatum ff. de vsufruc. legato*, & ex *cap. nos quidē de testamentis*, docent ibi Abbas, & alij, Benedictus *in cap. Rainutius de testamentis in Verbo reliquit num. 18.* Felin. *in cap. cum accessissent de constitut.* Rochus *de Iurepatronatus in verbo pro eo.* Barbosa *de potestate Episcopi allegat. 83. num. 6.* Sanchez *consil. lib. 4. c. 2. dub. 5.* Molina *tom. 1. trac. 2. disp. 249.* Eminentissimus Lugo *de Iust. disp. 24. num. 306.*

Dico quartò, quando causa de nouo incidens, vel
5 ignorata à testatore, subest, quam si testator cognouisset, vtique in hunc pium vsum certissimè legasset, tunc poterit solus hæres, irrequisito Episcopo, in hunc vsum commutare legatum; fateor hanc opinionem nullum hucusque docuisse, ea tamen videtur probabilis ex sequentibus rationibus.

Prima est, quia quamuis dispensare in lege, aut eam dubiam interpretari, spectet ad Principem, qui eam condidit *l. 1. C. de legibus*, tamen legem in particulari casu, ex aliqua manifesta ratione, cessare,
6 eamque per EpiKeiam interpretari, quilibet priuatus secundum prudentiæ regulas iudicare potest, legemque proinde non obseruare, vt docent communiter ex S. Thoma *2. 2. q. 174. art. 3.* vbi Caieta. Layman *lib. 1. trac. 4. cap. 19. num. 3.* ergo quamuis ad Papam, aut ad Episcopum spectet per dispensationem commutare legem suis rebus à testatore dispositam, id tamen procedit quando certum, aut saltem dubium est testatorem, etiam positis his circumstantijs, voluisse obseruari suam dispositionem: sed si certissimum, & euidens sit, quod si sciret testator causā de nouo incidentem, aut ab ipso ignoratam, ita, & non aliter suam commutaret voluntatem, & in hunc pium vsum legaret, tunc ea commutatio non est dispensatio, sed interpretatio per EpiKeiam, ad quam non requiritur superioris authoritas; etenim id videtur testator voluisse, quod alij viuentes boni, & recti iudicij faciunt, aut in simili specie facerent, aut quod ipse testator viuus faceret *l. quoniam C. de naturalibus liberis l. item legato §. 1. in fine ff. de legatis 3. l. ab exhæredati substituto ff. de legatis 1.* Menoch. *lib. 4. præs. 189. num. 7. & 103. & præs. 190. num. 14.* latè Castillus Sotomajor *quotidian. controuers. lib. 5. cap. 101.*

Secunda ratio est, quia hæres potest declarare vo-
7 luntatem defuncti, quando est de illa verisimiliter informatus, vt docent omnes Mantica *de coniect. lib. 3. tit. 1. num. 26. & 27.* Gabriel. *commun. opin. libro 6. concl. 3. num. 76.* Cæphalus *cons. 183. num. 71. libro 2.* latissimè Castillo Sotomajor *quotidian. controu. lib. 5. cap. 183. num. 1.* Ergo si hæres quando est verisimiliter informatus, potest declarare defuncti voluntatem,

tem, à fortiori poterit declarare, quando ex naturalis rationis ductu certissimum, & euidens est, quid interrogatus defunctus responderet, si viueret, in occurrenti casu.

Confirmatur, nam, vt docet Eminentissimus Lugo *de Iustitia disp.24. num.303. quando mens testatoris*
8 *est dubia, non tam est locus commutationi, quàm interpretationi, ad quam interpretationem non requiritur in rigore authoritas superioris, sed iudicium prudentum, vel Doctorum, qui ex verbis, aut alijs circumstantijs iudicare possint, an mens testatoris, & eius intentio obstruetur tali, vel tali modo?* Ita Lugo: ergo si ex circumstantijs prudenter iudicatur, quod si cognouisset testator causam de nouo occurrentem non legasset in illum, sed in istum pium vsum, tunc ea non est tam commutatio, quàm interpretatio voluntatis, quæ superioris, & Episcopi authoritatem non requirit: Explico tali exemplo testator legauit mille, vt construatur Ecclesiæ sacrarium, id deinde ab alio constructum est, sed interea corruit Ecclesiæ tectum, quis dubitat posse hæredem sine vlla authoritate Episcopi, ex solo consensu rectoris Ecclesiæ reficere tectum? Sic testator legauit mille, vt quinque Virgines suæ Ciuitatis nuptui dentur, capta ciuitate, & in seruitutem redactis Virginibus ab infidelibus; quis dubitat posse hæredem ea mille ad ipsas redimendas conuertere? Neque video ad hæc necessariam esse Episcopi authoritatem: sed tantùm consensum Rectoris Ecclesiæ, quando certæ Ecclesiæ factum est legatum.

QVÆSTIO XVIII.

Corollaria ex præcedenti doctrina de commutatione piorum legatorum?

SVMMARIVM.

Solus hæres, cum Prouincialis consensu potest fabricare Monasterium, quod non potest fabricari in loco à testatore determinato. num.1.

Si testator legauit annua centum in eleemosinam panis distribuendam, per certa Ecclesiæ Rectorem, si redditus non sint exacti, possunt conuerti in capitale, irrequisito Episcopo. num.2.

Si testator legat magnam summam in eleemosinam, in dubio ea conuerti debet in capitale aliquod, vnde fiat annua eleemosina. num.3.

Potest dari anticipatè eleemosina annua, quamuis præiudicetur futuris pauperibus. num.4.

Quando vsus à testatore designatus impleri nequit, non requiritur Episcopi authoritas. num.5.

Sed an tunc requiratur consensus hæredis, vel sufficiat Rectoris Ecclesiæ? num.6. & 7.

Nequit Ecclesia ædificari sine Episcopi authoritate. numero 8.

Noua Monasteria Regularium ex cuius licentia construenda sint? num.9.

1 INfertur primò, contra Rodriquez *qq.regul. tom. 1.q.125. art.10.* posse solum executorem testamentarium, cum solius Prouincialis consensu, fabricare monasterium, quod non potest fabricari in loco à testatore determinato, dummodo regulares aliunde obtinuissent licentiam ab Episcopo fabricandi nouum Monasterium; nam testator si fuisset rogatus, vtique vel alium locum determinaret, vel remitteret se hæredi, ac Prouinciali. Neque obstat, quod ait Rodriqu. nempè, non Prouincialem, sed, Episcopum esse secundum iura executorem vltimarum voluntatum *cap.3. de testamentis Trid. sess.22. de ref. c.8.* Respondetur enim Episcopum non posse se intromittere, quando hæres, aut executor datus non est negligens, sed iustè exequitur, & rectè interpretatur testatoris voluntatem Couar. *in d. cap. 3.* Diana *par.8. tract.5. resol.56.* sed vide quæ infra dicam *num.9.*

Infertur secundò, ad casum, de quo nuper inter-
2 rogatus fui: testator legauit annua centum in eleemosinam panis pauperibus certi oppidi à quodam Ecclesiæ Rectore distribuenda, redditus isti diù inexacti, iam simul soluti, ascendunt ad mille aureos. Quæritur an Rector possit hæc mille conuertere in capitale, vt perpetuò maior sit panis eleemosina? Respondeo affirmatiuè, nam testator supponebat tertias annuatim solui, aliter enim disposuisset, si cogitasset eas simul aliquando soluendas, ascendere ad summam ducatorum mille, etenim coniectura, & interpretatio voluntatis defuncti deducenda est ex his, quæ testator præsupponit, vt ait Castillus Soto maior *quotid. controu. lib.5. cap.83. num.4.* & ex his quæ prudentes homines, in simili casu fecissent *l. quoniam C. de naturalibus liberis*. Præterea quando
3 testator legat notabilem pecuniæ quantitatem ad alimenta pauperum, tunc nisi se aliter expresse testator declaret, non est ea pecunia simul distribuenda, sed ad honestum lucrum deputanda, vt ex redditibus annua alimenta inde prouenient, eleemosina enim perpetua vtilior est animæ defuncti, ac cõmunitati pauperum, vt in terminis docent Castren. in *l. Diui ff. ad l. falcid. vbi* Bartol. Angel. & Imola, Alexander *consil. 100. in fine lib. 1.* Lupus *in cap. per vestras in 3. notab. vers. 7. infertur num. 1. de donation. inter virum, & vxorem* Rota Romana *decis. 742. nu. 2. par. 1. in nouiss.* Surdus *de aliment. tit. 4. q. 9. num. 13.* Menoch. *lib. 4. præs. 157. num. 33.*

Neque refert fortè ex hoc præiudicari particularibus aliquibus pauperibus, nam testator communitati pauperum eius oppidi, imò magis animæ suæ prospexit; communitati autem pauperum, & ani-
4 mæ testatoris vtilior est eleemosina perpetua, vt in simili loquentes de anticipatione, cum præiudicio futurorum pauperum, docent Vasq. *opusc. de testamentis cap. 9. §. 3. dub. 1. num. 76.* Rodriq. *in summa to. 3. cap. 156. num. 5.* Diana *par. 8. tract. 5. resol. 51.*

Infertur tertiò, contra communem sententiam
5 Doctorum, quos supra *in præcedenti quæstione* in secundo dicto adduxi qui docent, quod si vsus à testatore designatus de iure, aut de facto nequeat impleri, tunc ad Episcopi authoritatem spectat cum hæredis, aut executoris consensu in alium pium vsum legatum commutare: Contrarium tamen ego puto probabilius, vnde duos casus distinguendos puto.

Primus est, quando legatum est certæ Ecclesiæ, &
6 ad certum vsum, qui vsus de iure, aut de facto est in-

impossibilis, tunc solus Rector Ecclesiæ absque Episcopi authoritate potest alium vsum determinare. Ratio est, quia cum vsus designatus à testatore est impossibilis, remanet legatum liberum ecclesiæ, quia perinde est, ac si testator simpliciter, & absolute legasset; imò neque requirendus est consensus hæredis, nisi versetur aliquod ipsius hæredis, aut testatoris præiudicium, hæres enim repræsentat personam testatoris, vt in casu *legis legatum ff. de vsufructu legato*, vbi volebat testator eo ludo illicito suā memoriā conseruari, nam ex consensu hæredis, & Primorum Ciuitatis, aliud opus ad memoriam testatoris conseruandam est instituendum; vbi obseruandum, quod commutatio in aliud opus non deuoluitur ad Præsidem, aut ad Principem, sed ad Primores Ciuitatis, quia nullum publicum opus, nisi ex eorum licentia, licet in ciuitate moliri.

Secundus est casus, quando testator, nulli deter-
7 minatæ Ecclesiæ, aut pio loco legauit, sed ad determinatum vsum pium, qui de iure, vel de facto est impossibilis; tunc solus hæres potest determinare alium vsum pium, in quem legatum conuertat v. g. Piratæ decem ciues in seruitutem redegerunt, ad quorum redemptionem testator legauit mille, si hi mortui sint, solus hęres potest in quoscumque pios vsus legatum conuertere. Ratio est quia solus hæres, nisi sit negligens, est executor legatorum piorum, vt docet Couar. *in cap. nos quidem num. 8. de testamentis*: ergo dum vsus à testatore designatus est impossibilis, perinde est, ac si nullum vsum pium testator determinasset, quo casu indubiè electio piorum operum spectat ad hæredem, sicuti si testator legasset mille pauperibus, electio pauperum certè ad hæredem spectat.

Neque obstat text. *in cap. nos quidem de testamentis*, vbi, si nequit Monasterium ędificari in loco designato à testatore, debet Episcopus cum hærede lo-
8 cū aliū designare. Respondetur esse speciale in constructione Ecclesiæ aut Monasterij, quia Ecclesia non potest ædificari, nisi in loco ab Episcopo approbato, qui crucem figit, & lapidem ponit primarium, imò neque in loco à testatore designato, sine Episcopi authoritate, vt patet ex text. *in cap. nemo & c. placuit de consecr. dist. 1. cap. ad hæc de relig. domibus, c. cum olim de priuileg. authent. de Ecclesiasticis titulis §. si quis autem collat. 9. auth. de Monachis vers. illud igitur collat. 1.* Barbosa *de potestate Episcopi alleg. 26.* Ratio est quia priuatus non facit locum sacrum glosa *in c. ad hæc de religiosis domibus l. in tantum §. sacræ ff. de rerum diuis. l. 3. §. si quis in sepulchro ff. de sepulchro violato Calderin. consil. 5. & 6. de religios. domibus.*

Quò autem ad noua Monasteria à regularibus
9 construenda ex iure communi requiritur licentia Summi Pontificis, vt habetur *ex cap. 1. de excessib. Prælatorum in 6. & cap. vnico de Religiosis domibus*, hodie tamen sufficit facultas ordinarij loci, & Trident. *sess. 25. de regular. cap. 3. & ex Constitutionibus Clemētis VIII. Gregorij XV. & nouissima Vrbani VIII.* quę est 25. incip. *Romanus Pontifex die 28. Augusti* 1628. & docent Sorbus *in compendio mendicantium verbo ædificare in sua annotat. §. 20.* Rodriq. *qq. regularium tom. 1. q. 23. art. 7. & tomo 2. q. 49. art. 3.* Pater Cespedes *tract. de exempt. Regul. dub. 2. & ita decisum est in Rota Romana apud Farinacium decis. 745. tom. 2. part. 2.* quicquid dicant Campanilis *in diuersor. iuris Canonici Rub. 12. cap. 13. num. 80.* & Barbosa *tract. de potestate Episcopi allegat. 26. num. 4.* Ratio est, quia Trident. Clemens. VIII. Gregor. XV. ac Vrbanus VIII. certam formam præscribunt in constructione noui Monasterij regularis, & totum negotium Episcopali curæ committunt. Præterea, quod Paulus V. plerisque Regularibus concessit priuilegium, ędificandi noua Monasteria cum sola facultate ordinarij absque alia licentia, vt refert idem Barbosa loco citato, hoc autem priuilegium per communicationem, ferè omnes alij regulares participant; Episcopi autem licentiam requiri, nullus est qui neget, nā Vrbanus VIII. omnia opposita priuilegia reuocauit Campanilis *in diuersorio iuris Canonici rubr. 12. cap. 13. num. 80. & 81.* Lezana *verbo Monasteria Regularium numer. 3.* Venerus Seyua *lib. 6. examinis cap. 10. numero 6.* Cespedes *de exemptione regularium dub. 1.* Quamuis autem nequeant ædificare noua Monasteria, tamen possunt, sine licentia ampliare antiqua Suarez *de censuris disp. 23. sect. 5. num. 33.* Lezana *v. Monasteria regularium num. 34.* Rodriquez *qq. regul. to. 2. q. 49. art. 9.* Cespedes *de exempt. regular. dub. 10.* quare paruulam domunculam possunt conuertere in amplissimum Monasterium, & hoc casu puto verum, quod dixi supra *Coroll. primo*, posse sine licentia Episcopi, hæredem cum consensu Prouincialis ædificare Monasterium, si in loco designato à testatore nequeat ædificari, neque contra hoc pugnat text. *in cap. nos quidem de testamentis*, nam ibi requiritur Episcopi licentia, vel quia nonum erat ædificandum Monasterium: vel quia non erat Monasterium pro certis regularibus ædificandum, vnde meritò Episcopus est requirendus, vel quia dubium erat an posset ædificari in loco designato à testatore. Quare si euidens sit impossibile esse, construi Monasterium in loco designato à testatore, & regulares habuerint ab Episcopo licentiam ædificandi in certo loco, & casu puto hæredem, irrequisito Episcopo, posse soluere legatum, vt ædificetur Monasterium cum consensu Prouincialis. Ratio est, quia adæquata causa cur requiratur authoritas Episcopi in nouo Monasterio ædificando, est quia inconueniens est publicum ędificium Deo dicatum inconsulto Episcopo in ciuitate construere; ergo si non sit nouum ædificium, vel si Episcopus dederit licentiam construendi Monasterium regularib. non est cur requiratur amplius alia Episcopi facultas, vt tale legatum ad hoc, & non aliud Monasterium construendum conuertatur. Sed cogita video enim magnam difficultatem esse ex citato capitulo tertio de testamentis.

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

An sit irregularis Sacerdos, si non agens in iudicio, sed extra Iudicium, exhortetur fratres, solicitet procuratorem causæ, vt petant forjudicationem, aut pœnam sanguinis, si deinde sequatur mors accusati?

SVMMARIVM.

Affirmant ferè omnes. num.1.

Sed negatiua responsio probatur. num.2.

Probabile est, non incurri irregularitatem, nisi à personis in iure expressis. num.3.

In dubio iuris non est iudicandus aliquis irregularis. numero 4.

Text. in cap. Si quis viduam 50. dist. procedit in homicidio iniusto. num.5.

Baptismus an tollat irregularitatem? num.6.

1 AFfirmant ferè omnes glosa, & DD. *in cap. aliquantos 51. dist.* Abbas *in cap. sententiam ne Clerici, vel Monachi.* Sayrus *de censuris lib.6. cap.16. num.10.* Comitolus *lib.6. responsorum q.59.* Couar. *in Clement. si furiosus de homicidio p.2. §.4. num.5.* Villalobos *tom.1. trac.21. diffic.27. num.8.* Rodriqu. *in Sum. tom.1. cap.169. num.2.* Filliuccius *tract.29. num.239.* Nauarr. *cap.27. num.215.* Aulla *de censuris part.7. disp.5. sect.1.* Coninchius *de Sacramentis disp.18. dub.10.* Bonacina *de Censuris disp.7. q.4. punc.1.* Molina *de Iustitia tom.4. trac.3. disp.74.* Vbi vniuersim docent esse irregularem ex defectu lenitatis quemcumq; qui dicto, vel facto fuit proxima causa mortis, aut accelerationis mortis: huiusmodi sunt consultor, exhortator, & solicitator.

2 His tamen non obstantibus, Respondeo negatiuè, hunc scilicet sacerdotem, qui extra iudicium consuluit, & exhortatur fratres ad petendam forjudicationem, vel pœnam sanguinis, aut solicitat causæ procuratorem, si solicitatio fiat extra iudicium, non esse irregularem?

Probatur, quia satis probabilis est doctrina asserens, non incurri irregularitatem ex defectu lenita-

3 tis, nisi tantum à personis in iure expressis, nempè ab ijs, qui concurrunt tamquam publici ministri iustitiæ, vt Iudex, Actuarius, Lictor, ac Carnifex; vel ad causæ probationem in foro iudiciali, vt Accusator, testis, & aduocatus, ita docuit Vasquez, quem sequuntur Turrianus *de censuris libro 9. disp.66. dub.3.* Gaspar Hurtadus *de irregularitate disp.2. difficult.11. num.39.* Diana *part.3. trac.5. resol.79. & in Addition. ad 3. par. resol.15.* Escobar *in Theol. morali tract. quarto exam.6. cap.5.* Ratio huius probabilis doctrinę est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure ex-

4 pressa *cap. is qui de sententia excommunicationis.* Quare communiter docent, quod in dubio iuris, scilicet si dubitetur, an in iure sit aliquo casu statuta irregularitas, non est iudicandum in eo casu incurri irregularitatem, nisi reperiatur in iure expressa, ita Suarez *de censuris disp.4. sect.4. num.15.* Valentia *tomo quarto disp.7. q.19. punc.20. not. 3.* Sayrus *lib.6. cap.2. num.4.* Diana *par.4. trac.2. resol.80.* Sed nullibi in iure reperitur expressum, incurrere irregularitatem Sacerdotem consulentem alteri, vt accuset malefactorem, aut incurrere irregularitatem exhortantem alterum ad accusandum, vel solicitantem procuratorē causę sanguinis, si ista fiant extra iudicium: Hoc faciliter ostenditur, nam in toto Iure Canonico tantùm sex genera personarum inueniuntur expressa, quæ incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, nempè Iudices *cap. sententiam ne Clerici, vel Monachi.* Accusator, vel denunciator, nisi pro sua iniuria, cum protestatione expressa *cap.2. de homicidio in 6. c. Clericum nullus 17.11. q.1.* Notarij, seu Actuarij, & Scribæ conficientes processum *d. cap. sententiam sanguinis.* Testes glosa *in cap. aliquantos 51. dist. ex cap. si quis viduam 50. dist.* Ministri reum capientes, deducentes, & exequentes, *d. c. aliquantos.* Denique aduocati *d. cap. aliquantos,* vbi expressè textus loquitur de aduocato patrocinante coram Iudice, vt patet ex text. ibi: *In forensi exercitatione versati sunt.*

Obijcies ex text. *in cap. si quis viduam 50. dist.* vbi sic dicitur: *Si homicidij, aut facto, aut praecepto, aut consilio, sua assensione post baptismum confessus fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit deijciatur.*

Respondeo textum illum loqui de homicidio in-

5 iusto, non autem de homicidio iusto, seu loqui de irregularitate ex delicto, non autem de irregularitate ex defectu lenitatis; id probatur ex verbis illius Canonis, nam à contrario sensu, vt notat ibi glosa, ait, non incurri irregularitatem, si homicidium ac-

6 cidit ante baptismum: baptismus autem tantùm tollit irregularitatem ex delicto, non ex defectu lenitatis, vel ex alio defectu prouenientem, vt docent Archidiaconus, Dominicus Præpositus, Hostiensis, Ioannes Andreas, Buttius, & Anchatanus, quos citat Couar. *in Clem. si furiosus part.1. §.2. num.5. ad finem.* Villadiego *de Irregular. cap.1. num.15. & cap.16. num.1.* Ricchardus *quodlib.2. quæst.2.* Scio oppositum docere alios, nempè per baptismum tolli irregularitatem ex defectu lenitatis, ita Couarruu. *loco citato.* Syluest. *v. homicidium 3. §.11. & v. Irregularitas §.28.* Almainus *in 4. dist.25. q.1.* Henriqu. *lib.14. c.17. §.2.* Diana *par.4. tract.2. resol.51.* Sed quicquid sic, saltem ex hac opinionum diuersitate, satis apparet, dubiũ esse, an Canon *si quis viduam 50. dist.* Loquatur de homicidio ex defectu lenitatis; ergo cum sit dubiũ, non est expressè statutum in iure, vt ex quocumque facto, præcepto, consilio, aut assensione extra iudicium ad quodcumque homicidium, etiam iustum, incurratur irregularitas; ergo non incurritur, irregularitas ex facto, aut consilio ad homicidium iustum, dummodò hæc fiunt extra iudicium.

QVÆSTIO XX.

An sit irregularis Sacerdos, qui cum aliter nequeat persecutionem sui inimici euadere, à quo ingentia damna patitur, ac mortem sibi suisque fratribus timet, quæ tamen in iudicio probare nequit, eum ob crimina contra alios commissa cum solita protestatione accusat, ac carcerari procurat?

SVMMARIVM.

Irregularis est Sacerdos accusans, etiam cum protestatione, pro delictis contra alios extraneos commissis nu.1.

posset

possit tamen, si aliter grauem persecutionem, & insidias sui inimici euitare nequit. num. 2. Sic ad impediendum imminens proximi damnum num. 3.
Non est irregularis accusatus, si cum protestatione grauia crimina obijciat accusatori, aut testi. num. 4.
Probabile est non esse irregularem aduocatum, qui patrocinatur pro accusatore, quando deest alius num. 5.
Insidiatorem occidens non est irregularis. num. 6.
Non potest Sacerdos, sine irregularitate petere forliudicationem. num. 7. neque pœnam sanguinis quamuis protestetur. num. 8. neque pęnam talionis. num. 9. & aduocatus petens pœnam talionis est irregularis n. 10.
Sufficit protestationem quandocunque fieri ante sententiam. num. 11.

PRo parte Affirmatiua affertur, nam nequit sa-
cerdos, neque cum protestatione accusare, nisi
1 ob delicta contra se suosque fratres commissa, alio-
quin sequuta morte accusati irregularitatem incur-
rit, vt patet ex *cap. 2. de homic. in 6.* ita Communiter
Doctores Felinus *in cap. postulasti de homicidio* Couar.
in elem. si furiosus de homicidio par. 2. §. 5. n. 4. Nauar.
cap. 27. num. 213. Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 8. num. 8.*
Rodriquez *in summa tom. 1. cap. 169. num. 7.* Sayrus
de censuris lib. 6. c. 18. Vgolinus *de irregul. cap. 6. §. 9.*
Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 26. num. 7.* Filliucius
tract. 19. num. 248.
His tamen non obstantibus. Respondetur nega-
tiuè nempè posse sacerdotem ob crimina contra
alios extraneos commissa accusare cum protesta-
tione citra pœnam sanguinis, ac procurare carce-
2 rationem si aliter grauem persecutionem, & insi-
dias, sui inimici cauere nequeat.
Probatur primò, quia potest sacerdos accusare
cum protestatione, ad damnum proximi, quantum-
3 cumque extranei auertendum, si aliter futurum
damnum auerti nequeat, ita communiter Doctores
Suarez de censuris *disp. 47. sect. 2. n. 16.* Coninchius
de sacram. disp. 18. dub. 10. num. 94. & 95. Io: Præpo-
situs 3. *parte quæst. 5. de irregul. dub. 13. n. 101.* Couar.
in elem. si furiosus par. 2. §. 5. num. 4. Caietanus *2. 2. q.
33. art. 7.* Nauar. *in cap. inter verba 11. q. 3. coroll. 58.
& in manuali cap. 27. n. 213.* Rodriquez *in sum. tom. 1.
cap. 169. n. 7.* Aulla *par. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 11.* Dia-
na *par. 4. tract. 2. resol. 33.* Bonacina *de censuris disp. 7.
q. 4. punct. 2. n. 7. vers. quartus casus,* Molina *tom. 4.
tract. 3. disp. 8. n. 9.* Salon *2. 2. quæst. 68. art. 1. controu.
3.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. diff. 26. n. 7.*
Ergo si potest sacerdos sine irregularitatis metu
accusare, ob impedienda mala proximi, à fortiori
poterit accusare, ob imminentia sibi suisque fratri-
bus damna auertenda.
Secundò quia accusatus non est irregularis, si ac-
4 cusatori, aut testi obijciat vera crimina, ob quæ ille
capite plectitur, si nequeat aliter euadere persecu-
tionem, atque calumniam, dummodo protestetur
se non petere pęnam sanguinis, glosa *in cap. aliquan-
tos 51. dist.* Coninchius *de sacr. disp. 18. dub. 10. n. 95.*
Io: Præpositus *3. p. q. 5. de irregular. dub. 13. num. 104.*
Diana *part. 4. tract. 2. resol. 34.* Ergo neque erit irre-
gularis sacerdos, qui extra iudicium persecutio-
nem patitur, quam nequit aliter declinare, nisi ini-
micum ob aliena crimina accusans, carceri manci-
pari procuret, dũmodo protestationem premittat.
Tertiò probabiliter multi docent, non esse aduo-
5 catum irregularem, qui præuia protestatione pa-
trocinetur accusatori propriã iniuriam prosequen-
ti; si nullus est, qui præter ipsum patrocinium illud
suscipere possit, & velit, cui enim conceditur ali-
quid, conceduntur ea omnia, quæ ad illud neces-
saria sunt, ne concessio sit inutilis, ita docent Co-
ninchius *de sacram. disp. 18. dub. 10. n. 95.* Suarez *de
censuris disp. 47. sect. 4. num. 8.* & probabile esse do-
cet Io: de la Cruz in *directorio p. 2. de irregul. dub. 6.
concl. 5.* Io: Præpositus 3. *part. quæst. 5. de irregular.
dub. 13. num. 104. & 105.* Diana *part. 4. tract. 2. resol.
32.* Escobar *in theologia morali tract. 4. exam. 6. cap. 5.*
quamuis oppositum doceant cõmuniter Io: de Imo-
la *in cap. 1. de postulando* Couar. *in clement. si furiosus
p. 2. §. 5.* Rodriquez *tom. 1. cap. 169. n. 12.* Bonacina
de censuris disp. 7. quæst. 4. punct. 3. n. 7. Ergo si excu-
satur ab irregularitate, qui patrocinatur pro accu-
satore, quando alius non est, qui patrocinari possit, à
fortiori excusatur sacerdos, qui carcerari, & inquiri
contra suum inimicum procurat, si aliter eius per-
secutionem fugere nequeat.
Quartò quia Sacerdos sine irregularitatis metu,
6 occidit insidiatorem propriæ vitæ, suorumque fra-
trum, si aliter insidiatus euadere nequit, dummo-
do periculum sit præsens, & actuale, ita Couar. *in
elem. si furiosus p. 3. §. vnico n. 3.* Molina *de Iust. tom. 4.
tract. 3. disp. 12. num. 2.* Bannes *2. 2. q. 64. art. 7. concl.
2.* Reginaldus *lib. 21. num. 57.* Diana *parte 5. tract. 4.
resol. 5. & 6.* Vasquez *tract. de restit. cap. 2. §. 1. dub.
9. n. 12.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 8. n. 4.* Lugo *de Iust.
tom. 1. disp. 10. num. 161. &* in tali casu nullam incur-
ri irregularitatem docent Couar. *loco citato num. 3.
vers. secundo,* Sayrus *de censuris lib. 6. cap. 17. num. 13.*
Farinacius *in fragmentis parte 2. verb. irregularitas n.
477.* Ergo si insidiatorem, quem aliter euitare ne-
quit, potest sacerdos sine irregularitatis metu occi-
dere, cur non poterit de alienis delictis accusare?
Hoc tamen censeo inter hæc discrimen, nam ad lici-
tè occidendum priuata authoritate, puto requiri
ferè moralem certitudinem propriæ mortis futurę,
nisi pręueniat; at ad accusandum non tantam puto
requiri certitudinem, sed sat est, probabiliter cre-
dere, te aliter eius insidias euadere non posse.
Sed difficultas est, an possit Sacerdos iste sine ir-
7 regularitatis metu petere forindicari prædictum
inimicum, præmittendo tamen protestationem ci-
tra pœnam sanguinis?
Respondetur negatiuè: nequit enim pro delictis,
8 contra se suosq; commissis, petere reum pęna mor-
tis, aut pœna à lege statuta puniri, neque tunc iu-
uat protestatio, implicat enim petere pœnam à le-
ge statutam infligi, ac deinde protestari, se non in-
tendere pœnam sanguinis, ita Suarez *de censuris
disp. 47. sect. 2. num. 10 & sect. 4. n. 9.* Henriquez *lib.
14. cap. 10. n. 4.* Vgolinus *de censuris cap. 6. §. 3.* Moli-
na *tom. 4. tract. 3. disp. 8. num. 3. & disp. 74.* Bonacina
de censuris disp. 7. quæst. 4. punct. 2. num. 2. Villalobos
tom. 1. tract. 21. diffic. 26. num. 5. Quare rectè docent
9 esse irregularem iniustè accusatum, si petat pęnam
talionis, quando hæc esset mortis, vel mutilationis,
etiam si protestetur, ita Couar. *in clem. si furiosus*

part. 2.

10 parte 2. §. 5. num. 5. sic etiam erit irregularis sacerdos, qui cum esset aduocatus peteret pœnam talionis. Bonacina *de censuris disp. 7. quæst. 4. punct. 3. n. 5.* Ergo est irregularis petens foriudicationem, foriudicatus enim potest à quocunque occidi.

11 Rursus difficultas est, Quando facienda sit protestatio? Respondetur quandocumque fiat ante sententiam sufficit. Henriquez *lib. 14. cap. 11. §. 5.* Couar. *in clem. si furiosus parte 2. §. 5. num. 1. vers. 4.* Sayrus *de censuris lib. 6. cap. 18. n. 3.* Diana *parte. 4. tract. 2. resol. 75.* Rodriquez *in summa tom. 1. cap. 169. num. 8.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 16. num. 3.*

QVÆSTIO XXI.

An si Sacerdos offerat Missam pro ea anima Purgatorij, quam Deus, vel B. Virgo vult, eo sacrificio liberari, prosit ea Missa alicui ex animabus Purgatorij?

SVMMARIVM.

Causa prima determinatur obiectiuè à causa secunda. n. 1.
Inualidè consecrat hostiam quis, quam Deus determinat. num. 2.
Potestas offerendi data est sacerdoti, vt humano modo ea vtatur num. 3.
Inualidè offertur missa pro ea persona, quam Deus videt primò daturam eleemosinam num. 4.

Respondetur negatiuè: vnde talis missæ valor nulli animæ Purgatorij prodest, sed remanebit in Thesauro Ecclesię, sicut cætera sacrificia nulli applicata, vel ita proderit sicut prosunt sacrificia non applicata. Hæc opinio est singularis, nam affirmatiua sententia, quod valeat talis applicatio, videtur communis, quam ex Scoto *quodlibeto* 20. tradit Nauarrus *in manuali cap. 25. num. 111. vers. 6.*

1 Probatur primò quia cum Deus sit causa prima, & vniuersalis determinatur obiectiuè à causis secundis, tam necessarijs, quàm liberis, tam quò ad speciem actionis, quàm quòad exercitium, ita S. Thom. 3. *contra gentes cap. 66. & 76.* vbi ait, *agentia particularia determinare actionem causæ primæ, quia hæc indeterminata est, & in quæstione prima de potentia art. 4. ad tertium* docet: *influentiam causæ primæ per causam proximam determinari, & specificari*, idem tradit Gregorius Ariminensis *in 2. dist. 35. quæst. 1. art. 3.* vbi ait: *Deum sequi determinationem voluntatis, quoniam ideo Deus agit actum illum, quia voluntas agit; non ideo voluntas agit, quia Deus agit.* ita Ariminensis, & Probatur ratione, quia Deus, vtpotè causa prima, & vniuersalis indifferēs est ad productionem huius vel illius effectus; ergo determinatur obiectiuè à causis secundis; nam ideo cum igne producit ignē, quia iste ignis approximatus exigit producere ignem; & ideo Deus cum hoc igne exigit nunc, non antea producere calorē, quia nunc; non antea ignis per approximationem est determinatus ad producendum calorem: tum quia quoties concurrunt duę causæ ad operandum, potiùs causa particularis, & determinata habet determinare causam vniuersalem, & indeterminatam, quàm è contra, quia de ratione entis indeterminati est determinari, & de ratione entis est determinare; vt patet in intellectu, quia vt potentia indeterminata, determinatur ad determinatos actus, per determinatas species. Itaque Deus se ipsum non determinat, nisi priùs obiectiuè determinetur à causa secunda; sed sacerdos offerens sacrificium non est determinatus, vt offerat pro anima Petri: Ergo neq; Deus se determinat ad remittendam pœnam purgatorij animæ Petri; si quidem cum non sit determinatus Deus à causa secunda, remanet indifferens, & indeterminatus, atque adeo nihil producit: Ergo remanet illa missa absque vlla applicatione, & sic in thesauro Ecclesiæ, prout cætera sacrificia non applicata.

Secundò, quia Deus dedit sacerdoti potestatem applicandi sacrificium, vt patet *ad Hebreos, cap. 5. debet sacerdos quemadmodum pro populo, ita pro se ipso offerre sacrificium*; vnde in forma suæ ordinationis dicitur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis*; Ergo ex hoc satis patet, quod cum determinatio oblationis sit penes sacerdotem, si ipse non determinat animam, pro qua offerat, Deus nullam animam Purgatorij determinabit.

2 Tertiò quia inualidè consecrat sacerdos, si velit consecrare eam Hostiam ex tribus præsentibus, quam Deus, vel Beata Virgo determinat: ergo etiam inualidè offert pro ea anima, quam Deus, vel B. Virgo determinat; par enim ratio est consecrandi, & offerendi.

3 Quartò quia potestas consecrandi, & offerendi data est homini: ergo vt humano modo ea vtatur; non autem humano modo offert, si non nisi miraculosè, & supernaturaliter cognoscibile sit, pro qua anima sacrificium offerat; etenim non humano modo, sed supernaturaliter cognosci posset, quam animam Purgatorij Deus, aut B. Virgo vellet liberari.

4 Quintò quia Sacra Congregatio iussu Clementis Octaui in Decreto de celebratione missarum declarauit, inualidè offerri sacrificium pro ea persona, quam Deus videt primo daturam eleemosinam, quod etiam docuerunt Suarez *3. part. tom. 3. disp. 79. sect. 9. in fine* Coninchius *de sacr. quæst. 83. art. 1. dub. 9. concl. 10.* Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 2. n. 14.* Corduba *lib. 1. quæst. 4. dub. 6. ad secundum.* Petrus Cenedo *libr. quæst. Canonic. q. 38. num. 6.* Fagundez *præcepto 1. lib. 3. cap. 9. num. 10.* Contra Vasquez *3. p. disp. 234. cap. 5.* Henriquez *lib. 9. cap. 21. num. 2.* Petrum Nauar. *lib. 2. de restitutione cap. 2. num. 373.* Arragonium. *2. 2. q. 85. art. 3.* ratio est, omissis alijs, quia humano modo non est tunc cognoscibile, quis primò daturus est eleemosinam: Ergo à pari, cum non sit humano modo cognoscibile, pro qua anima velit Deus, aut B. Virgo sacrificium offerri, pro nulla offertur.

QVÆ-

QVÆSTIO XXII.

An emiſſio ſanguinis è cadauere occiſi, præſente occiſore, ſit aliquid naturale, aut miraculoſum, aut ſuperſtitioſum, & an ſit ſufficiens indicium ad torturam, aut ad inquirendum?

SECTIO I.

Sanguinem è cadauere occiſi præſente occiſore profluere, oſtenditur.

SVMMARIVM.

Biduo poſt mortem cruor manauit. num.1.
Octo poſt dies num.2.
Poſt duos menſes num.3.
Suffocatorum corpora emittunt quoque ſanguinem coram occiſore num.4.
Etiam coram mandante, vel complicibus num. 5.

TRadunt id Ariſt. *in problemat. ſect. 7. problem. 6.* Marſilius Ficinus *in commentario ad Conuiuium Platonis orat. 7. cap. 5.* Delrius *diſquiſit. magicarum lib.5. quæſt.5. ſect.4. num.20.* Caſonus *tract. de maleficijs præmeditatis cap.3.*

1 Exhumato Cadauere, quod biduo ante ſepultum erat; cruorem ex naribus, & ore manaſſe, aſſerit Theſaurus *decıſ.173. num.4.* vnde Senatus Pedamentanus decreuit, inquiſitum torquendum eſſe in ſecundo genere torturæ.

2 Octo poſt dies cadauer pueri à matre interfecti exhumatum emiſit ſanguinem ex naribus, inſpiciente matre, vt apparet ex proceſſu in Burdegalenſi Curia confecto, quem ſe vidiſſe teſtatur Boerius *decıſ.166.num.1.*

3 Duos poſt menſes exhumatum occiſi corpus è vulneribus coram homicida ſanguinem emiſit Boerius vbi ſupra & Paponius *lib 24.tit.9.arreſto 5.*

4 Nec tantùm vulneratorum, ſed & ſuffucatorum cadauera ex naribus, & ore ſanguinem emittunt, ſic de monacha ſtrangulata, refert Theſaurus *dec.173. num. 2.* & de infante à nutrice malitioſè ſuffocato Boſſius *tit. de homicidio num.106.*

5 Et nedum coram occiſore, ſed etiam coram mandante, vel complicibus ſanguinem profluere, teſtatur Leuinus Lemnius *de occultis naturæ miraculis lib.2. cap.7.*

Adeò autem frequens eſt hæc experientia, vt communiter Iuriſperiti doceant eſſe ſufficiens indicium ad torturam, idque plurium tribunalium quotidiana praxis oſtendit, vt dicam infra: & plurima eiuſmodi exempla afferunt Veriola *libr.2. obſeruat.* Kormannus *lib. de miraculis mortuorum cap. 23. part. 9.* Engelius *in itinere rerum marchanicarum fol. 173.* Saurius *in Diario fol. 343.* Vveinrichius *demonſtris c. 17.* Cantipratenſis *lib. 1. miraculorum cap. 16. §. 2. & lib.2. cap.29. §.22.*

SECTIO II.

An iſta ſanguinis effuſio ſit ex cauſa naturali, & quæ ſit cauſa huius Portenti?

SVMMARIVM.

Communis opinio cauſam eſſe naturalem num. 6.
Prima ratio, ſeù cauſa huius portenti ex Maſilio Ficino, num. 7.
Reijcitur Ficinus. num.8.
Similis ratio Areſij, & Sanctorelli num.9.
Reijcitur iiſdem ferè argumentis. num. 10.
Affertur alia ratio ex Philoſophis num.11.
Impugnatur num.12.
Alia opinio, ſeu cauſa, vt erronea, & ſcandaloſa exploditur num.13.
Animas defunctorum adhærere corporibus, error fuit Democriti, & Platonis num. 14.
Cur in cadauere creſcant vngues, & comæ? num.15.

6 COmmunis opinio eſt, naturaliter fieri hanc ſanguinis emiſſionem è cadauere occiſi, deſudant tamen omnes in indaganda ratione. Verùm vt clariùs appareat, quàm grande ſit tale prodigium, multa ſunt in ea effuſione conſideranda.

Primò, quia ſeptem horis poſt mortem, imò biduo, ac quandoque octo diebus, ſed & bimeſtri Cadauer ſanguinem fundit, tunc autem totus ſanguis friget; ergo oportet, vt caleſiat; ſed non eſt aſſignare cauſam, à qua calorem recipiat.

Secundò, quia ſanguis iam congelatus, & concretus eſt; ergo oportet aſſignare cauſam, à qua liqueſiat.

Tertiò, quia oportet, vt ſanguis aſcendat, cum autem ſit inanimatus non poteſt à ſe ipſo moueri, neque ab anima quæ iam receſſit; ergo oportet, aſſignare cauſam, à qua moueatur.

Quartò, quia ſanguis profluens oportet, vt è venis, vel ex altero corporis meatu egrediatur; ſed reperit interclusam viam, venæ enim omnes, & cæteri meatus cum frigeant, vel ex concreto ſanguine in eis præcluſa eſt via, & conſtringente frigore impeditur ſanguinis exitus; ergo oportet, aſſignare cauſam, quę viam fluenti ſanguini aperiat.

Quintò, nulla eſt in cadauere cognitio occiſoris; cur ergo ipſo, non altero præſente ſanguinem fundit? Cur eo diſcedente, mox ceſſat ſanguinis fluxus?

Sextò, inexplicabile eſt, quid ſit hæc qualitas, quæ eſt in occiſo, vel quæ imprimatur à præſente occiſore, & adſtante cadauere, quæ tot mira operatur; præſertim cum diuerſis modis contingat occidere, vt enſe, aut ſagitta, propè, vel longè poſitum, ignorantem, vel ſcientem, ſeu cognoſcentem occiſorem.

Septimò, inexplicabile eſt, quod dato ſit aliqua qualitas, quomodo hæc operetur in diſtans?

Duplicem afferunt communiter tanti portenti rationem: vtramque inpugnabimus.

7 Prima ratio, ferè ab omnibus celebrata, eſt Marſilij Ficini *in commentario ad Conuiuium Platonis orat.7. cap.5.* eandemque affert Petrus *Aponenſis in comment.*

in comment. Problem. Arist. 3. Probl. 6. col. 2, vers. deinde p. 7. referam verba Ficini, qui sic scribit. *Huius rationem miraculi, si rationem requiritis afferam. Vulnerat Hector Patroclum, ac perimit: Patroclus Hectorem inspicit vulnerantem, vnde eius cogitatio indicat vlciscendum; confestim ad vindictam bilis accenditur; ab ea sanguis inflammatur, & ad vulnus è vestigio properat, tum vt partem illam corporis foueat, tum etiam ad vindictam; eodem concurrunt, & spiritus ij, quia leues ad Hectorem vsque volantes, in eum migrant, eius calore seruantur ad tempus, puta ad horas septem, eo ipso in tempore, si hector cadaueris vulnus intentus inspiciat, vulnus cruorem versùs occisorem eijcit; potest enim cruor versùs hostem quodammodo affluere. Tum quia nondum calor omnis extinctus est, nondum agitatio quieuit interior; tum quia paulò ante in eum concitus fuerat; tum quia sanguis spiritus repetit suos, atque etiam spiritus suum attrahunt sanguinem.* Hæc Marsilius Ficinus.

Contra primò plerumque nulla est in occiso co-
8 gitatio vltionis, nulla ad vindictam bilis accenditur, vt patet in infante suffocato, in perempto occultè ex veneno, in eo cui subitò sagitta cor transfigitur, adeò vt nulla possit esse cogitatio vindictæ.

Contra Secundò, quia spiritus, qui cum sanguine ad vulnus concurrunt, sunt eiusdem sanguinis subtiliores partes; has autem non migrare in occisorem euidentissimum est; qui ergo sunt spiritus in occisorem migrantes? vtique ex occiso aliud exire nequit, nisi halitus, vapor, aer: Sed halitus, vapor, & aer nequeunt esse causa, cur sanguis cadaueris liquescat, calefiat, & exeat, cum antea esset concretus, frigidus, & immotus. Adde, quod aliquando occisor a tergo vulnerat, vel longè distans sagitta confodit, vel veneno longè distans occidit, quomodo tunc in eum migrant eiusmodi spiritus?

Contra Tertiò, quia vt probauimus de fascinantibus, isti non solùm in eum cui inuident, & irascuntur veneniferum halitum emittunt, & nocent, sed etiam in omnes adstantes, quos intuentur irati, quamuis non illis, sed alijs sint irati; ergo si vulnerati ex iracundia, & desiderio vltionis emitterent huiusmodi spiritus in vulnerantem, eos spiritus non solùm in vulnerantem, sed in omnes adstantes eiacularentur, præsertim si ijs sint irati; quamuis non vulnerauerint, ac etiam si sint vulnerati vicini per rectam lineam; ergo cadauer non solum coram occisore, sed etiam coram omnibus illis (in quos iracundia spiritus infectos emiserat) funderet sanguinem.

Contra Quartò, quomodò septem horis, imò biduo, ac bimestri, isti iracundiæ spiritus conseruantur in corpore occisoris? cur ab eo in alium non migrant? cur non citiùs ante mortem occisi, dum occisor adhuc illi moribundo adstat, cur spiritus isti suum non repetunt domicilium, & non redeunt ad vulneratum, sed expectant eum prius mori, vt deinde redeant? si illi spiritus ad vulneratum redirent, quia ab illo exierant, statim regrederentur, vt patet in lapide sursum proiecto, quare mortem expectant, vt reuertantur? præsertim cum mors plerumque pluribus diebus differatur; Cur spiritus occisi toto eo tempore hospitantur in occisoris taberna? Quis hæc poetica commenta non rideat?

Contra Quintò, quando hi spiritus redeunt ad cadauer occisi, vnde migrauerant? tunt reperiunt longè diuersas qualitates, nempè cadauericas, quæ non erant in viuente, quando exierunt; cur suum repetunt antiquum, sed iam dissolutum, & quod corruit domicilium, & iam ab alijs qualitatibus inhabitatum, cur nouæ qualitates cadauericæ, veluti noui inquilini antiquos dominos recognoscũt? quomodo hi spiritus frigentem sanguinem ad vindictam prouocant? eumque iracundiæ calore succendunt? hæc sanè satius esset irridere, quam impugnare.

Contra Sextò, quia septem horis, imò biduo post mortem omnis calor extinctus est, vt patet experientia: ergo falsò Marsilius ait, quod *nondum omnis calor extinctus est*.

Contra Septimò, quia septem horis post mortem cessat omnis sanguinis motus; ergo falso Marsilius ait: *Nondum agitatio quieuit interior*. Cum autem semel cesset motus in sanguine, impossibile naturaliter est iterum moueri, quippe quiescit inanimatus, sicuti si in cauda serpentis detruncatæ, semel cesset motus, impossibile est eam iterum seipsa moueri.

Cortra Octauò, gratis asserit Ficinus, *quod sanguis spiritus repetit suos, atque etiam spiritus attrahunt suum sanguinem*; sed esto sit hoc verum, non opporteret, quod sanguis liquefiat, vt suos repetat spiritus, sed posset quamuis concretus illos spiritus repetere; quod si antequam suos spiritus repetat oportet liquefieri, vt repetat distantes spiritus, peto à quo liquefit? a quo calorem recipit? cum adhuc spiritus distent. Sunt ergo ista poetarum potius figmenta, quam Philosophorum discursus.

Similis huic rationi Ficini est altera, quam affert Aresius *de generatione disp. 5. quæst. 41. sect. 7, ad septimum* inquiens, *quod tam in interfectore, quam in interfecto ex inimicitia, vel repente exorta rixa, vehementer*
9 *accenditur bilis, & sanguis, quo fit, vt si interfector ad interfectum accedat paulò post calentibus adhuc spiritibus, ab eo hi spiritus exeant, & pertingentes ad vulnus interfecti, vbi etiam abundant spiritus, quoniam ad læsam corporis partem fouendam spiritus accurrunt, ibi ex sympathia hi spiritus vniantur, & commoueantur, quare excitant sanguinem, vel alia ratione hi spiritus calentes adhuc sanguinem calefaciant.* Hæc Aresius, idem ferè docet Antonius Sanctorellus *tract. de medicando defuncto cap. 21.* vbi scribit, *quod cum occisum occisor intuetur; transmittit spiritus quosdam ira, & odio plenos, idcirco enim occidit quare calidos, acutos, & igneos. Calefiet proinde sanguis occisi exceptis ab occisore spiritibus; tum quia sua natura sunt calidi; tum quia ob iram calidiores sunt facti; Excalefactus autem sanguis necesse est prodeat, cum nequeat angusto illo spatio contineri. Id autem tunc tantum accidet cum homicida accedet, antequam cadauer sit refrigeratum; vbi enim omnis calor est exolutus, non potest incalescere igni admotum, quantominus à spiritu.* ita Sanctorellus idem ferè scribit Alphonsus de Sanctacruce *in opusc. de melancholia, dialogo 5. ægrit. 8. vers. hoc erat*.

10 Sed contra hanc rationem redeunt ferè omnia argumenta, quibus præcedentem rationem Ficini

impugnauimus, ex occisore enim nequit aliud exire, nisi halitus, vapor, & aer, quæ nequeunt sanguinem elicere ex interfecti cadauere, nequeunt sanguinem calefacere, & liquare. Deinde cur occisor ante mortem adstans moribundo sanguinem non extrahit?

Contra Secundò, quia, quando coram cadauere adstat inquisitus occisor, tunc iste non feruet iracundia, nec aliquos iraeundiæ spiritus in occisum emittit; imò plerumque nulla percellitur ira, sed timens, & tremens adstat, ne deprehendatur, & tamen adhuc ebullire sanguinem cernimus.

Contra Tertiò, quia inexplicabile omnino est, quid sint isti spiritus, qui interfecto manent, qui vindictam appetant; & vicissim, quid sint isti spiritus, qui ex occisore ad interfectum migrent.

Contra Quartò, Sanctorellum vrgeo, nam plerumque non adeo approximatur occisor occiso, vt in eum ita calidos spiritus emittat, vt calefiat sanguis occisi, neque spirituum calor validus adeò fingi potest, vt ab ambiente aere non dissipetur. Præterea quicumq; pariter iratus occiso appropinquaret, eosdem immitteret calidos spiritus, sanguisque manaret. Denique necesse non est, vt quis sit occisor, & ira feruens, vt calidos spiritus emittat, quicunque enim calidę complexionis eosdem emittere posset, & sanguinem occisi calefacere.

11 Secunda, Ratio multorum Philosophorum calculis comprobata est ista, nempè causa talis emissionis sanguinis est quædam anthipathia ex vehementi odio occisi in occisorem, tale enim odium quandam latentem, & arcanam qualitatem impressit corpori, quando fuit occisio, hæc autem qualitas perseuerat in cadauere, & præsente occisore excitatur, ac causat sanguinis effusionem, ita Leuinus Lemnius *de occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. 7.* Langius *epist. 40.* Pittorius *dialogo 9.* Gemma *lib. 1. de characterism. cap. 6.* Delrius *disquisit. magicarum lib. 1. cap. 39. quæst. 4.*

Contra Primò, inexplicabile est, quid sit hæc
12 qualitas impressa ex odio occisoris, quæ tantæ virtutis sit, vt ex ea liquescat, calefiat, & ebulliat sanguis, antea gelidus, concretus, & immotus; meritò eam vocant latentem, & arcanam; meliùs dixissent, latens asylum, quò rationibus destituti confugiant.

Contra Secundò, peto cur hæc qualitas impressa operetur præsente occisore, & non antea eo absente? etenim vel præsente occisore, necesse est hunc aliam qualitatem in occisi cadauer imprimere, excitantem illam priorem qualitatem, & hoc dici nequit; tum quia cum hac sola fortè posset produci effectus, & tunc redirent impugnationes factæ contra Ficinum, & Arosium; tum quia occisor potest diuersimodè esse dispositus, potest enim adhuc esse iratus, vel mansuetus, quid ergo immittit de nouo excitans illam qualitatem arcanam impressam tempore occisionis in occiso, vt operetur, & sanguinem liquefaciat, & extrahat? vel sufficit sola præsentia occisoris, absque eo, quod ipse de nouo aliam qualitatem immittat, & ita ista præsentia excitans qualitatem impressam in cadauere ad operandum, operaretur in distans, suppono enim occisorem decem palmis v. gr. distare à cadauere; neque confugias ad simpathiam qualitatis impressæ in occiso, & occisoris, nam, præterquam est inexplicabile, solam præsentiam occisoris excitare qualitatem illam impressam in occiso, adhuc vrget difficultas, nam tunc duæ qualitates, seu potentiæ inter se distantes operari possunt ex simpathia, nihil producto in medio, ita vt operante vna, etiam altera operetur, quando istæ duæ potentię sunt radicatæ in eodem subiecto, vt patet in phantasia operante, & in motu pedis: quando autem distantes sunt duæ qualitates, & non sunt in eodem subiecto, sed vna in cadauere, altera in occisore decem palmis v. gr. distante, tunc non possunt ex simpathia tales potentiæ operari, quia esset operari in distans.

Contra Tertiò, sæpè occisor absens est, quando occidit, vt mittens venenum, mandans occidi, emittens à longè sagittam; qui tamen adhuc eliciunt sanguinem à cadauere, vt idem Leuinus Lemnius, & alij testantur, quomodo ergo isti absentes, vel longè distantes imprimere possunt illam arcanam, qualitatem in corpus occisi?

Contra Quartò, peto, cur si moribundo vulnerato adstat occisor, sanguis non fluat? præsertim si moribundus ignoret adstare occisorem, neque tunc est in eo vlla interna commotio? Cur perspicaciores oculos habet cadauer, vt adstantem occisorem recognoscens sanguinem emittat? Præterea cur vulnerato lactente infante, ex ingenti odio, ex eo viuo adhuc non exit sanguis, exeat autem ex cadauere?

Omitto vti erroneam, & scandalosam, ne dicam
13 hæreticam, & impiam aliquorum opinionem asserentium occisorum animas per aliquod tempus adstare cadaueri, & ad vindictam sanguinem commouere.

Animas autem aliquas cadaueribus assidere, sen-
14 serunt Democritus, & Plato *de Republica cap. 10.* teste Tertulliano *libr. de anima cap. 51.* vbi sic scribit. *Quidam ad immortalitatem animæ, quam quidam non à Deo edocti infirme tueantur, ita argumentationes emendicant, vt velint credi, etiam post mortem quasdam animas adhærere corporibus: Ad hoc enim & Plato, & si quas vult animas ad Cælum statim expedit, in Politia tamen cuiusdam insepulti cadauer opponit longo tempore sine vlla labe, præ animæ scilicet indiuiduitate seruatum. Ad hoc & Democritus crementa vnguium, & comarum in sepulturis aliquanti temporis denotat* hucusque Tertullianus. Idem sensit Ouidius.

Terra tegit Carmen, tumulum circumuolat vmbra Et Virgilius 6. Æneidos.

Hæc omnis, quam cernis inops, inhumataque turba.

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta

Transportare priùs, quam sedibus ossa quiescant.

Nec longè absunt ab hoc errore, qui putant, adhuc superesse in extincto aliquas animæ facultates, quamquam anima à corpore recesserit, & ab his facultatibus aiunt excrementa à corpore reiectari, crescere pilos, & vngues, sanguinem ad occisoris præsen-

præsentiam emitti, ita docuerunt Iannes Grammaticus *in Proemio libri primi de anima*. Plotinus *lib. 2. de dub. anim. cap. 29*. Mercurius *tract. de maculis pestil.* Mouentur ea ratione, quia sic se habent animæ facultates ad animam, vt ignis calor ad ignem, iam verò seruatur calor ab igne impressus in domo extincto igne; ergo seruari poterit aliqua facultas animæ in corpore, etsi anima corpus deseruerit.

Sed primum figmentum Platonicum de assistente anima contemnendum. Secundum verò de remanente animæ facultate faciliter falsum demonstratur, nam vel hæc facultas non distinguitur ab anima realiter, sed tantùm ratione iuxta S. Thomam, & separata anima à corpore, eam facultatem separari necesse est: Vel distinguitur realiter, tamquam accidens, & cum sit accidens proprium, & passio animæ nequit ab anima separari, nam propria passio alicuius nequit ab eo, cuius est passio separari: præclarè Tertull. *libro de anima cap. 51.* hunc errorem confutat dicens: *Cæterum anima indiuisibilis, vt immortalis, etiam mortem indiuisibilem exigit credi: non quasi immortali, sed quasi indiuisibili animæ indiuisibiliter accidentem. Diuidetur autem & mors, si & anima, superfluo scilicet animæ quandoque moritura: ita portio mortis cum animæ portione remanebit.* Quod affertur de calore ignis facilè diluitur, si quidem calor remissus non est propria passio ignis, vnde ab
15 eo separatur. Pilos autem, & vngues non crescere in mortuo à facultate animæ expellente, quæ remaneat in cadauere, sed quia cum pili, fiant ex terrea exalatione in pororum angustijs impacta, hi autem vapores è cadauere eleuentur, & ad cutim à propria leuitate deducantur, inde est pilorum incrementum: Qua etiam ratione quidam à morte euadunt nigri, quia nigri vapores ad cutim à propria leuitate deducti, illam inficiunt: Eademque ratio est de vnguibus, ita Sanctorellus *tract. de medicando defuncto cap. 21.* Paulò aliter Tertullianus *libr. de anima cap. 51. vngues (inquit) cum exordio neruorum sint, meritò neruis resolutione porrectis prouectiores, & quotidie desidiente carne expelli videntur. Conæ quoque alimenta de cerebro, quod aliquandiu durare, præstat secreta munitio. Denique in viuentibus, etiam pro cerebri vbertate, vel affluit capillago, vel deserit.* Ita Tertullianus.

SECTIO III.

An sanguinis emissio è cadauere occisi, præsente occisore, sit ex causa supernaturali.

SVMMARIVM.

Multi affirmant esse miraculum. num. 16.

Sanctorellus aliquando ad miraculum, aliquando verò ad causam naturalem refert. num. 17.

Aliquando, euidenti miraculo, sanguinis effusione Deus homicidam indicauit. num. 18.

Sententia affirmans esse miraculum euertitur. num. 19.

16 RESpondent affirmatiuè aliqui referentes ad miraculum, ita Hieronymus Maggius *lib. 3. miscellen. cap. 5.* Guglielmus Onciacus *in quæst. Iuris Quæstiones P. Verritelli. Philosophicis cap. 36. num. 2.* Binsfeldius *de confessione maleficarum prælud. 12. dub. 4. concl. 8.* Carena *tract. de offic. Sanctæ Inquisit. par. 2. tit. 12. §. 22. num. 187.* Laurentius Beyerlinck *in theatro vitæ humanæ, verbo sanguis, col. 2.* neque ab hac opinione abhorret Antonius Sanctorellus, *tract. de medicando defuncto*
17 *cap. 21.* vbi ait, *si frigefactum cadauer sanguinem fundat, ad supernaturalem causam, hoc est ad Deum referendum, ad naturalem verò si accidat antequam cadauer sit refrigeratum.*

Fundamentum est, quia spectat ad diuinam iustitiam hoc miraculo tanti criminis reos detegere, iuxta illud *psalmi 78. Et innotescat in nationibus coram oculis nostris vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est*, & iuxta illud Genes. *cap. 4. sanguis eius clamat ad me de terra.*

Confirmatur, nam aliquando ad rationem naturalem hoc referre, euidentissimum est, esse impossibile, vt quando præsente mandante occisionem, occisi cadauer sanguinem fundit, vt testatur Thesaurus *decis. 163. num. 5.*

Confirmatur Secundò, nam aliquando Deus
18 apertissimo miraculo, sanguinis effusione homicidam indicauit, vt accidit in Regno Aragoniæ, nam vt refert Sesse *decis. 111. vol. primo*, in quodam oppido eiusdem Regni, cum exclamaret reus præsente cadauere, quod Deus faceret miraculum, si ipse illum occidisset, mox cadauer eleuato brachio dextero, digito indicauit vulnera, è quibus sanguis illicò exiuit, deinde eodem digito signauit reum ibi existentem; quare iste tortus, & ad mortem damnatus fuit; neque dubium est illud euidens fuisse miraculum diuinæ Iustitiæ, nam ad inuocationem Diuini nominis cadauer indicauit vulnera, ac reum, & sanguinem emisit, vt patet ex doctrina Sancti Thomæ *2. 2. quæst. 178. art. 2.* simile miraculum refert Cantipratensis *libr. 2. miraculorum, cap. 29. §. 22.* de puella septenni crudeliter à Iudæis trucidata, cuius cadauer exangue in profluentem proiectum, quarto die à piscatoribus repertum, manum extendit, velut vindictam exposcens, & adductis ad hoc spectaculum Iudæis, statim eruperunt omnia vulnera in sanguinem, captique illi, & scelus confessi, pœnas dederunt.

His tamen non obstantibus. Respondetur negati-
19 uè, nempè regulariter loquendo, sanguinis effusionem è cadauere occisi, præsente occisore, non esse ex diuino miraculo.

Probatur Primò, nam vt rectè ait noster Aresius Episcopus Dorthonensis *in tract. de generat. disp. 5. quæst. 41. sect. 7. ad septimum*, sicuti, quod semel, aut bis contingit, hoc Dei prouidentiæ, ac diuinæ iustitiæ acceptum referri potest, ita si semper accidat, non est probabile supernaturaliter fieri.

Secundò, quia sæpè occisor ita dolet, & conteritur de peccato, vt etiam omnis pœna ei à Deo remittatur, non est ergo cur Deus velit, patrando miracula, eum punire.

Tertiò, quia sæpè diuina iustitia statuit non punire in præsenti vita, imò hic exaltat, quia in æternum damnare decreuit.

Quartò, quia non operatur Deus miracula absque fine, hoc autem miraculum fieret plerumque

absque vllo fine, quia neque punitur quandoque occisor, quo præsente cadauer sanguinem fudit.

Quintò, quia tale miraculum non redundaret in diuinæ iustitiæ gloriam, nam ferè omnes putant, hanc esse secretam naturæ vim; ergo absque vllo fine operaretur Deus innumera miracula.

Sextò, quia est contra ordinatissimam, ac suauem Dei prouidentiam, ordinario, ac ferè quotidiano miraculo homicidas detegere, ac punire.

SECTIO IV.

An sanguinis effusio ex cadauere occisi sit aliquid superstitiosum, aut ex opera dæmonis?

SVMMARIVM.

Opinio affirmans esse quid superstitiosum est singularis, sed probabilis ostenditur num. 20.

Quod neque virtute Diuina, neque naturali fit, necessariò est à dæmone num. 21.

Quare dæmon effusionem sanguinis causet in occiso? num. 22.

Portentum in oriente frequentissimum, cum moritur vsurarius, aut perditæ vitæ homo num. 23.

In dubio effectus iudicandus est naturalis, quamuis causam ignoremus num. 24.

Multa naturaliter fiunt, quorum rationem ignoramus, num. 25.

Quando effectus iudicandus sit naturalis, vel superstitiosus. num. 26.

Respondeo affirmatiuè, fateor, nullum me legis-
20 se huius opinionis authorem.

Probo, quando effectus non est à naturali virtu-
21 te, neque à virtute Diuina, necessariò fit opera dæmonis, sicuti omnes Theologi docent Suarez *tom. primo de relig. lib. 2. de superstit. cap. 15. num. 14.* Sanchez *in summa libr. 2. cap. 40. num. 42.* Lessius *libr. 2. cap. 42. dub. 10. num. 62.* Toletus *libr. 1. cap. 14.* Sayrus *in claui reg. libr. 4. cap. 6.* & alij passim. Sed effusio ista sanguinis nequit esse à virtute diuina, vt probaui, neque etiam à naturali virtute agentis corporei, siquidem, vt ostendi, nulla potest assignari causa, qua sanguis concretus gelidus, immotus, liquescat, calefiat, & moueatur, nec detur naturaliter regressus de priuatione ad habitum; ergo talis neque à virtute naturali corporea, neque à supernaturali prouenit, sed tantum opera dæmonis.

Confirmatur; nam multiplici ex fine potest ma-
22 lignus spiritus id operari. Primò, quia pacem odit, quare, vt vindictæ desiderium in ipsomet cadauere ostendat, profuso cruore vindictam clamat, Secundò, vt tali prodigio propinquos occisi ad vltionem excitet, & odia, ac inimicitias diutiùs nutriat. Tertiò, quia sanguinem occisoris sitit, ideo sanguinem ex occisi cadauere elicit.

Quartò, quia sic simplices decipit, ac gentilium illud firmat delirium, animas occisorum adstare corporibus, quæ commoto sanguine vindictam petunt; quod delirium, vt firmet, inde est, quod sæpè in locis vbi praui homines sepulti sunt, spectra, laruæ, ac vmbræ apparent; nec referre omittam magnum, ac
23 mirum portentum in toto oriente frequentissimum, quod à fide dignissimis viris accepi, qui mihi vltrò, non interrogati narrarunt, vnus Episcopus Cretensis, dum Cretæ eram, alter Senex Constantinopolitanus, vir probatæ vitæ, cuius excipiebam confessiones, qui Constantinopoli (vbi per quadriennium moratus sum) id mihi, vt rem vulgatam dixit. Prodigium tale est. Quando aliquis vsurarius, vel perditæ vitæ homo moritur, is octo ferè diebus post mortem, serò propinquis in eorum domo frequenter apparet, sedet ad mensam, tacitus adstantes intuetur, longis, ac cruentatis vnguibus; Deinde è fenestra discedit, & euanescit, Propinqui accedunt ad tumulum, effodiunt terram, & ecce cadauer inueniunt intactum, sed rubens, & nullatenus putridum, vngues oblongas, ac cruentatas, capitis capillos mirum in modum excreuisse; sed ne amplius apparens eos terreat, id est remedij, aperto cadaueris pectore, extrahunt cor, pugione configunt, & igne comburunt, hoc facto, mira res; mox cadauer magno fætore computrescit, nec amplius apparendo infestat. Quis dubitat, hæc opera dæmonis fieri?

Confirmatur Secundò, quia hoc ipso quod effectus à causa naturali, aut supernaturali sperari nequeat, si aliquid fiat, tale opus omnino superstitiosum, est, ac continet tacitam, & virtualem dæmonis inuocationem: Sed huiusmodi est adducere inquisitum ad præsentiam cadaueris occisi; cum enim nequeat mortuus occisorem indicare, tacitè ea adductione inuocatur demon, vt ipse indicet, sicuti plurimis superstitionibus solet tacitè inuocari, vt fures ostendat, quia autem à multis sæculis hac superstitione aliqui homicidam deprehendere curarunt, ideo plerique non considerantes superstitiosum id esse, naturalem causam inuestigare frustrà conati sunt.

Obijcies, quando effectus miri consequuntur, quandocumque, & quotiescunque hoc applicatur, sine alijs ceremonijs, & obseruationibus, meritò tunc effectus iudicandus est naturalis, etiam si cau-
24 sam naturalem ignoremus, imò in dubio, an effectus sit naturalis, vel superstitiosus, iudicandus est naturalis, nisi positiua ratione ostendatur, repugnare, quod naturaliter fiat, vt docent Sanchez *in sum. libr. 2. cap. 40. num. 44.* Delrius *disquisit. magicarum*
25 *libr. 2. quæst. 5.* Ratio est, quia multa sunt, quæ naturaliter fiunt, quorum rationem ignoramus, vt pat. ex Sancto August. *libro 14. de Ciuit. Dei cap. 24. & libro 21. cap. 4. & 5.* Plinio *libr. 2. cap. 9.* Arist. *libr. de admirandis auditionibus* Proclo *lib. de sacrif. & magia*, Victoria *relect. de magia quæst. 3. num. 7.* Pererio *de magia lib. 1. cap. 3.*

Confirmatur, nam nemo hucusque veram causam inuestigauit, cur magnes septentrionem respiciat? Cur ferrum attrahat? quare Echeneis pisciculus semipedalis, ingens nauigium incitatissimo cursu volitans, illi adhærens, sistat, impetum frenet? vt ex Arist. *libr. 2. de histor. animal. capit. 14.* Plinio *lib. 32. cap. 1.* & tamen nemo, nisi insaniat, hæc dæmonis operationi tribuet, sed fateri necesse est, ali-

qua

qua impressa qualitate id fieri, quæ autem cuiusque speciei sit hæc qualitas, à quo, & in quem impressa, nos omnino latet, vt proinde meritò dicatur qualitas occulta, vt omnes docent, præsertim Aldobrandus *lib. 3. de piscibus cap. 22.* ergo ita similiter de hac sanguinis effusione dicendum est, id fieri ex aliqua qualitate impressa, quæ cuius sit speciei, & à quo, quandoue imprimatur, cum nos lateat, meritò illa vocatur qualitas occulta, adhuc tamen non est negandum, esse hanc effusionem à naturali causa.

26 Respondetur distinguendo, effectus iudicandus est naturalis, etiam si causam ignoremus, idest, si nequeat demõstrari causa naturalis, Concedo; multa enim nos latent, cum non cognoscamus immediatè rerum essentias, sed medijs sensibilibus accidentibus, quibus occultiores rerum proprietates, & virtutes penetrare non possumus: Effectus iudicandus est naturalis, etiam si causam ignoremus, idest si positiua ratione ostendatur, nullam esse causam naturalem talis effectus, seu positiuè probetur, repugnare effectum illum naturaliter fieri, hoc casu nego, effectum iudicandum esse naturalem: Sed ita est in casu nostro, positiuè enim supra demonstratum est, nullam posse esse causam naturalem huius effusionis, & iterum Probo, quia, vt talis effectus sit naturalis, necesse est, aliquam occultam qualitatem imprimi ab occisore, in occisum, alioquin impossibile est causam aliquam naturaliter operari in distans: Sed impossibile est, imprimi hanc qualitatem ab occisore in occisum; ergo impossibile est naturaliter fieri eam sanguinis effusionem. Probo minorem, quia hæc qualitas, vel imprimeretur ab occisore ante mortem tempore occisionis; vel imprimeretur post mortem, cum accedit ad occisum; non potest dici, quod imprimatur ante mortem tempore occisionis, quia plerumque occisor, vel est absens, vt si mandauit occidi, vel veneno longè positus occidit, vel est in magna distantia, vt si sagitta occidit, quibus casibus adhuc fluit sanguis è cadauere, præsente occisore, vt supra dixi. Neque potest dici, quod hæc qualitas occulta imprimatur post mortem, cum sit præsens occisor cadaueri occisi, quia hæc qualitas per omnes imprimitur ex illo actu odij, hic autem actus odij in occiso cessauit, & plerumque etiam cessat in occisore, & tamen funditur sanguis. Præterea actus odij est immanens; ergo nequit vllam qualitatem in cadauer imprimere. Ad confirmationem Respondetur, quod Magnes, & Echeneis debent esse in proportionata distantia, occidens verò cum occidit, plerumque non est in proportionata distantia ad eam qualitatem imprimendam, imò quandoque est absens. Deinde Magnes, & Echeneis habent Physicam entitatem; at fuisse occisorem, nunc est quid morale; ergo quatenus occisor nunc non potest causare Physicè, & Physicam qualitatem imprimere, præsertim si in eo nunc nullus actus odij perseueret.

Quæstiones P. Verricelli.

SECTIO V.

An peccet Iudex, si torqueat, aut inquirat ex hoc Indicio effusionis sanguinis?

SVMMARIVM.

Ex praxi omnium tribunalium torquetur inquisitus ex solo indicio effusionis sanguinis. num. 27.

Alij probabilius affirmant, non esse sufficiens indicium ad torturam, sine alijs adminiculis, sed esse cum illis. num. 28.

Non debere Iudicem torquere reum, ex hoc indicio probabile est, quamuis sit singularis opinio. num. 29.

27 Prima sententia est, hoc solum esse sufficiens indicium ad torturam, & ita plurium tribunalium praxis obseruat, ita sępè practicatum, ac iudicatum in Senatu Pedamontano refert Thesaur. *decis. 163. numero 4.* In Curia Burdegalensi Boerius *decis. 166. numero 1.* Venetijs, & Fani, Nouellus, quem citat Farinacius *de indicijs, & tortura quæst. 52. num. 154.* in oppido Ledesma, Gomez *var. resol. tomo 3. cap. 13. num. 15.* In Senatu Dolano, Criuellius *decisio 93. in fine.* In Piccardia, Leuinus Lemnius *de occultis naturæ miraculis libro 2. cap. 7.* in Dania, Ludouicus Ghilausenus *in sua arbore iudiciali criminali capit. 6. parte 7. de quæst. & tort. sect. 7. num. 78.* idem docent alij Iurisperiti Paponins *lib. 24. tit. 9. Arresto 5.* Sesse *decis. 111.* Franciscus Marcus *dec. 183. parte 1. & decis. 190. part. 2.* Puteus *tract. de sindicatu verbo tortura §. mandauit Rex num. 29.* Marsilius *consil. 24. num. 2.* Blancus *de Indic. & tortura num. 408.* Menochius *de arbitrar. casu. 270. num. 16. & de præsum. lib. 1. quæst. 89. num. 128.* Bossius *tit. de Indic. num. 73. & tit. de homicidio num. 105. & 106.* Carrerius *in pract. crim. tract. 2. de Indic. & tortura Indicio 27. numero 2.* Bertazzolus *cons. 320. num. 6. libro 2.* Petrus Gregor. *Syntagmatum Iuris lib. 36. num. 20.*

Fundamentum huius recepetissimæ opinionis est; quia non est ab experientia iudici recedendum, hęc est enim rerum magistra *cap. quam sit, de electione*, quamuis enim huius rei causam ignoremus, multa tamen naturaliter fiunt, quorum rationes nos latent.

28 Secunda sententia est, eaque probabilior, solam sanguinis effusionem è cadauere, sine alijs adminiculis, aut indicijs, non esse sufficiens indicium ad torturam, secus si alijs corroboretur adminiculis, ita tenet insignis Criminalista Farinac. *de Indic. & tortura quæst. 52. num. 156.* Mascard. *de probat. concl. 867. num. 24. lib. 2.* Nouellus *in pract. crim. in princ. num. 64. & reg. 184. in fine* Marsilius *in sua pract. §. diligenter numero 181.* Casonus *tract. de malefic. cap. 3.* Gomez *tom. 3. cap. 13. num. 15.* Delrius *disquis. magicarum libro 5. quæst. 5. sect. 4. num. 20.* vbi ait, nullum Iudicem timentem Deum debere ex hoc solo indicio inferre turturam, Io: Zanger *de Indic. & tort. cap. 2. num. 160.* Ludouicus Ghilausenus *in arbore Iudiciali crim. cap. 6. parte 7. de quæst. & tort. sect. 7. num. 79.* Goffredus Abauo *in tract. reatuum quæst. 19. num. 54.* vbi ait: se numquam ex hoc solo indicio vidisse torqueri, Collegium Coloniense Iuridicum

*disp. Iuris tom.2. disp.4. concl.*12. Matthæus Stephanus *qq. Iuris centur. 4. quæst.* 17. Carena *de Santo Officio Inquis. par. 2. tit. 12. §.22. num.* 189. vbi ait, ita decisum anno 1636. in Senatu Mediol.

Fundamentum est, quia esto, hæc effusio sanguinis è cadauere sit à causa naturali, hæc tamen ignota est; quare, cum possit esse talis causa, vt præsente alio, qui non sit occisor, operetur eundem effectum effusionis, propter aliquam similem qualitatem in eo repertam, sequitur, quod valdè dubia & incerta sit hæc experientia; vnde sequeretur aliquando torqueri innocentem; tortura autem infert grauissimum præiudicium, & posset vi tormentorum inquisitus fateri delictum, quod non commisit: ergo ex hoc solo indicio non est inferenda tortura, satiùs enim mille nocentes impunitos dimittere, quàm vnicum innocentem condemnare *l. absentem ff. de pœnis* vbi Doctores.

Præterea experientia patet, non semper præsente occisore cadauer emittere sanguinem, vt benè aduertit Hieronymus Nimannus *in oratione de Imaginatione quæst.* 7. & Laurentius BeyerlincK *in theatro vitæ humanæ, verbo sanguis col.*2. ergo ea experientia, cum incerta sit, nequit esse sufficiens indicium ad torturam.

Aduerte autem, quod quamuis hoc solum indicium non sufficiat iuxta illam opinionem ad torquendum, sufficit tamem ad inquirendum, ita Carena de *Sancto Officio Inquisit. part.2. tit. 12. §. 22. num.*192. *&* 193. *vers. secundus casus.*

Ex dictis patet, quod secundum principia extrinseca, probabile est, hoc solum indicium esse sufficiens ad torturam; quare non peccat Iudex inquirens; aut torquens, imò iuxta has sententias peccaret non inquirens, aut saltem iunctis alijs adminiculis, si non torqueat: nihilominus.

Dico, quod non peccat Iudex, si nihil curet tale
39 indicium, ac si non esset, ita vt neque torqueat, neque inquirat. Probatur, quia, vt ostendi, probabile est, hoc indicium esse superstitiosum, eamque effusionem sanguini fieris opera dæmonis; sed non potest iudex ex indicio superstitioso procedere, quia hoc est intrinsecè malum, est enim vti opera dæmonis, sicuti cum superstitione aliqua indicatur, fur non potest Iudex contra furem inquirere; ergo neque ex hac effusione sanguinis (quam superstitiosam esse, videtur satis probabile ex dictis) poterit torquere, & inquirere.

Finis Primi Tractatus.



TRACTATVS SECVNDVS DE OPINIONE PROBABILI.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Opinio?

SVMMARIVM.

Opinio est assensus cum formidine oppositi. num. 1. Opinio distinguitur à dubio, à scientia, & à fide diuina. num. 2. non à fide humana num. 3. distinguitur à suspicione. num. 4. & à Scrupulo num. 5.

Cum opinione potest coexistere scrupulus num. 6.

Doctores quandoq; confundunt dubium, opinionem, ac suspicionem. num. 7.

1 RESPONDETVR, quod opinio est assensus vnius partis, cum formidine oppositi, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. *in Corp.* & communiter doctores,

Quatenus Assensus, contradistin-
2 guitur opinio à dubio, in quo Intellectus, vel ob oppositas rationes, vel ob rei ignorantiam nulli parti assentitur, sed veluti in æquilibrio pendet, vt ait Arist. 3. *metaph. tex.* 1. & S. Thom. *in* 3. *sent. dist.* 3. *quæst. vnica art.* 9. *ad quartum*.

Quatenùs est assensus cum formidine oppositi, contradistinguitur à scientia, quę est assensus certus omnem formidinem oppositi propter rei euidentiam excludens.

Contradistinguitur etiam à fide diuina; quæ est assensus certus, sed obscurus omnem oppositi formidinem excludens, propter summam contestantis Dei authoritatem.

Non distinguitur tamen plerumque opinio à fi-
3 de humana, quia hæc sæpè continet assensum opinatiuum, idest cum formidine oppositi, fides enim humana ex se defectibilis est.

Quatenus opinio est Assensus, contradistinguitur
4 quoque à suspicione, quia per suspicionem Intellectus nulli parti assentitur, sed adhuc pendulus, seù dubius manens, tamen in alteram partem aliquantulum magis inclinat,

Quatenus opinio est assensus, contradistingui-
5 tur quoque à scrupulo, quia scrupulus non dicit assensum illius partis, in qua formidatur peccatum, sed scrupulosus opinatur, & assentitur, non esse peccatum, & aliundè trepidat, & formidat, ex leui fundamento esse peccatum, vbi non est iuxta illud *Psal.* 13. *ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor*.

Colliges primo ex dictis, quod cum opinione
6 potest coexistere scrupulus, quia potest opinari, & assentiri circa vnam partem v.g. hodie non est pręceptum ieiunandi, & deinde ex leui fundamento trepidare, & habere formidinem oppositi, v.g. timeo, hodie ieiunandum esse, quia heri, cum esset Vigilia, non ieiunaui. Itaque illa formido oppositi, si sit ex leui fundamento, dicitur scrupulus. Quibus autem indicijs prudens Confessarius deprehendet fuisse scrupulum, non autem opinionem, aut dubium dicam *in tract.* 5, *de scrupulorum causis, atque remedijs quæst.* 2. Etenim magnum est inter hęc discrimen; quia cum scrupulo operando non peccat, nam Intellectus scrupulosi formidat, & timet, esse peccatum, non autem assentitur, adesse peccatum; si verò opinionem, aut dubium haberet de peccato, vtique peccaret,

Colliges secundo, non rectè Syluestrum *V. opinio in principio*, & quosdam alios; confundere scrupulum, & suspicionem; suspicio enim nullum dicit assensum, sed connotat intellectum dubium, & pendulum, ac inclinantem aliquantulum in alteram partem, cui tamen non assentitur, quare operans cum suspicione peccat, quia verè cum dubio operatur. Scrupulus verò, cum sit formido, & trepidatio oppositi, connotat intellectum opinatiuum, & assentientem alteri parti, sed cum formidine oppositi, quare, vt dixi, operans cum scrupulo peccati, non peccat, quia habet opinionem, qua intellectus judicat, se non peccare, licet formidet, & trepidet.

Colliges tertiò, quod non potest coexistere opi-

hio cum ſcientia, hæc enim propter rei euidentiam
omnem oppoſiti formidinem excludit, vt docent
Nauar. *cap.27. num.238.* Sanchez *lib.1. ſum. cap.9.*
num.2.

Colliges quartò, ſæpè Doctores iſtà confundere,
nomine enim dubitationis, opinionem, & ſuſpicio-
nem intelligunt, ratio eſt, quia vulgò nos dicimus
dubitare, quandiù in neutram partem certi ſu-
mus, firmo aſſenſu, & abſque formidine, quare opi-
nionem, & ſuſpicionem nomine dubitationis com-
plecti videtur S. Thom. 2.2. *quæſt. 60. art. 3.* vt no-
tat Leſſius *lib. 2. c.29. n.6.*

QVÆSTIO II.

An Circa factum detur propriè probabilis Opinio, & an Circa Ius detur aliquando propriè dubium?

SVMMARIVM.

Negat Io: Sanchez num.1. at communiter doctores affir-
mant. num.3.

Iudex non poteſt Iudicare ſecundum probabilem opinio-
nem facti num. 2. quare autem poſſit ſecundum pro-
babilem opinionem Iuris? num.10.

Vir doctus, niſi temerarius ſit, donec cognoſcat ſolidita-
tem fundamenti vtriuſque opinionis, debet ſuſpendere
iudicium, ac dubitare. num.4.

Dictum vnius viri fide digni tribuit iuſtam cauſam cre-
dendi, ſed non neceſſariam. num.5.

Ex fama mortis licet conferre beneficium. num.6.

Ex fama, cum vnico teſte de viſu mortis viri licet contra-
here matrimonium. num.7.

In pleriſq; caſibus vnicus teſtis probat. num.8.

Quare, ſi teſtes contradictoria deponant de habita di-
ſpenſatione, de ea probabiliter non conſtat? num.9.

1 NEgat Io: Sanchez *diſp. 33. num. 31. verſic. de-*
inde diſp.44. num. 51. verſic. in 2. & diſp.43.
num. 48. & 49. vbi ſic ſcribit. *Dubium ſolum circa*
factum verſatur, & tunc dicitur propriè aliquem dubi-
tare, quando certò non ſit, an aliquid factum ſit, vel non,
vel an ita factum ſit, vel minus: opinio verò non circa fa-
ctum verſatur, ſed circa Ius, & tunc aliquis opinionem
habere dicitur, quando cenſet, hoc licitum eſſe efficere, vel
non, ſiuè id cenſeat ob rationes ſibi probabiles, ſiuè ob do-
ctorum authoritatem. Ita Ioannes Sanchez, qui pro
ſua ſententia citat Nicolaum Garſiam, *tomo 2. de*
beneficijs par.11. cap.5. num. 362. Villalobos *in ſum-*
ma tomo 1. tract. 1. diffic. 10. in fine Sanchez *in ſum-*
ma lib.1. cap.9. num.44. & lib.6. cap.3. num.7.

Sed reuera iſti Doctores Ioanni Sancio non fa-
uent, imò potius oppoſitum innuunt, dum diſtin-
guunt opinionem facti, ab opinione Iuris: ergo ſe-
cundum ipſos, etiam circa factum datur opinio.

Probat primò Ioan: Sanchez, *diſp. 43. num. 49.*
ſuam ſententiam, nam opinio probabilis reddit tu-
tam conſcientiam, at ex opinione facti non reddi-
tur tuta conſcientia; ſiquidem dicente aliquo rem
ab altero occupatam meam eſſe, non poſſum oc-
cultè illam accipere, etiam omni ſcandalo ceſ-
ſante: ergo non eſt verè opinio.

Secundò quia, vt ait idem Io: Sanchez *diſp. 43.*
num. 49. Si tres teſtes deponant, diſpenſatum eſſe
in impedimento, tres alij negent, non poterit con-
trahi matrimonium: ergo non ſunt circa factum
illæ opiniones probabiles; nam, ſi in Iure vna opi-
nio doceat eſſe impedimentum, altera neget, pote-
rit contrahi Matrimonium.

Tertiò, quia poteſt Iudex iudicare ſecundum
opinionem probabilem, omiſſa probabiliori, vt ali-
2 bi oſtendam: at non poteſt Iudicare iuxta probabi-
lem opinionem facti, omiſſa probabiliori Garſia,
de benefic. tom.2. par.11. cap.5. num.362. Villalobos
tomo 1. tract.1. diffic.15. num.3. & 4. Idem Io: San-
chez *diſput. 44. num. 51.* ergo circa factum non eſt
propriè opinio, ſed dubium.

Contrarium tamen Cenſeo dicendum contra
Ioannem Sanchez, cum communi Doctorum ſen-
tentia, qui paſſim circa Ius admittunt verè, & pro-
priè dubium, & circa factum verè, & propriè pro-
babilem Opinionem.

Quò ad dubium, etiam in iure dari verè, & pro-
priè dubium, Probo, nam propriè dubium eſt ſu-
ſpenſio Iudicij, cum intellectus anceps manens, nec
affirmat, nec negat, ſed pendet in æquilibrio; Por-
rò duplex eſt dubium: Alterum negatiuum, cum
ſcilicet nec pro vna, neq; pro altera oppoſita parte
aliquid occurrit. Alterum eſt dubium poſitiuum,
cum pro quacumque parte occurrunt rationes, &
authoritates: Sed etiam, cum difficultas eſt circa
ius, occurrit dubium negatiuum, & poſitiuum; ver-
bi gratia, ſi quæratur, an validum ſit teſtamentum
tempore peſtis, coram ſex, aut quinque teſtibus?
de qua re Diana *p.7. tract.6. reſol.34.* quò ad virum
indoctum erit dubium negatiuum, nihil enim pro
vna, vel altera parte ei occurrit: quò ad virum do-
ctum, cui pro vtraq; parte rationes, & authoritates
occurrunt, erit dubium poſitiuum, illudq; erit pro-
priè dubium, quouſque cognoſcat eas rationes, &
authoritates eſſe magni momenti, quouſque non
agnouerit, ſeù non aſſenſerit, rationes eſſe ſolidas,
non erit opinio, ſed verè, & propriſſimè dubium,
4 niſi enim temerarius ſit, donec cognoſcat ſolidita-
tem fundamenti, debet ſuſpendere Iudicium, & ſic
propriè dubitare, poſtquam autem id cognouerit,
tunc prudenter opinari poterit, quamuis nulla ea-
rum ipſi placeat, dummodo cognouerit, vtramque
eſſe probabilem Paſqualigus *deciſ.16.* Ergo etiam
in Iure, contra Ioannem Sanchez, datur verum, &
proprium dubium.

Quò ad Opinionem, quod etiam circa factum
detur probabilis opinio, patet primo *ex tex. in cap.*
inquiſitioni de ſe ſententia excommunicationis vbi, cum
ageretur de facto, nempè, an maritus ante matri-
monium cognouerit ſororem ſuæ Vxoris, quia vi-
ſus eſt ſolus cum ſola, locis, & horis ſuſpectis, hanc
vocat Pontifex *credulitatem probabilem, & diſcretam,*
quamuis non euidentem, & manifeſtam.

Probatur ſecundò, nam dictum vnius fide digni
5 viri, tribuit iuſtam cauſam credendi, quamuis non
neceſſariam Gloſa *in l. titio fundus ff. de condit. & de-*
monſtrat. Nauar. *conſil.1. num.2. de teſtibus, & in*
manuali cap. 22. num. 82. Eman. Sà *Verbo teſtis n.1.*

Layman *lib.3. tract.6. cap.4. num.5, versic.3, quæstio*
Sanchez *de Matrim. lib.10, disput.12. num.51, & in*
summa lib.3. cap.4. num.13. Ergo etiam in facto da-
tur opinio probabilis, cum enim dictum vnius non
afferat necessitatem credendi, sed tantum proba-
bilem, & iustam causam credendi; vtique tunc in
facto, neque est certitudo moralis, neque dubium,
sed erit opinio probabilis.

Probatur tertiò, nam in dubio de morte benefi-
ciarij, vel mariti, non licet alteri conferre bene-
ficium, vel nubere: at non plenè probata illorum
morte id licet, ergo cum probabili opinione de
morte tunc confertur beneficium, & contrahitur
matrimonium: ergo datur opinio probabilis, quæ
tutum reddat, etiam circa factum. Minor proba-
6 tur, nam ex publica voce, & fama mortis licet con-
ferre beneficium Puteus, *decis.520. lib.2.* Boerius
decis.288. Franc. Marcus *decis.183. par.2.* ex vnico
7 teste de visu, cum fama mortis licet contrahere
matrimonium, ita obseruari in Curia Archiep.
Neapolitana refert Riccius *in praxi par.1. dec.265.*
8 *in prima adit.* Præterea in plerisque casibus vnicus
testis probat, refert triginta casus Iason, *in l. admo-*
nendi num.173. ff. de Iureiurando; ergo etiam in facto
datur opinio moralis, quæ tutam reddit conscien-
tiam.

Restat, vt respondeamus ad argumenta Ioannis
Sanchez.

Ad primum Respondetur, non esse mirum, quod
opinio probabilis circa factum non semper tutam
reddat conscientiam, sufficit, quod aliquando tu-
tam reddat conscientiam, vt verè, & propriè dica-
tur probabilis, tutam autem plerumque reddit, vt
supra ostendi: Sic enim opinio probabilis circa
Ius, non semper tutam reddit conscientiam, nam
ex opinione probabili Iuris, quod res ab altero
possessa mea sit, non possum illam occultè accipe-
re, quia præponderat certa possessio, & præualet
probabilitati mei Iuris, vt suo loco latè ostendam.

Ad secundum Responderi posset ex Hurtado,
de matrim. disp.10. diffic.9. num.37. vbi ait, quod si
tres testes deponant de Valore matrimonij, & tres
alij de inualiditate, vt, si tres dicant, se vidisse ante
matrimonium virum carnaliter commisceri cum
sorore vxoris, alij tres dicant eo mense fuisse ab-
sentem, quod potest coniux eligere opinionem,
quam voluerit, siuè pro valore, vt possit petere, &
reddere, siuè pro inualiditate, vt nequeat nec pe-
tere, nec reddere debitum coniugale.

Sed contra est, nam probabilis opinio non præ-
ualet certæ possessioni mariti; ergo tenetur redde-
re iuxta, *tex in cap. inquisitioni de sententia excomm.*

Respondeo secundò, quod, quando testes paris
9 fidei, & dignitatis contradictoria deponunt, tunc
cum testes affirmantes aliquid factum v. g. factam
esse dispensationem, habitam copulam, elidantur
per contradictorias depositiones, remanet factum
nullatenus probatum, cum autem factum non præ-
sumatur, nisi probetur *l. in bello, §. facta ff. de capti-*
uis, meritò dicendum nullatenus probatam esse di-
spensationem, & sic non poterit contrahi matri-
monium: nullatenus probatam copulam, & sic po-
rit petere, & reddere.

Ad tertium respondetur, non rectè inferri, quod
10 non sit opinio probabilis circa factum ex eo, quod
Iudex secundum eam non possit Iudicare; ratio
enim, cur iudex debeat ferre sententiam secundum
probationes meliores in facto est, quia à Republica
constituitur, vt iudicet secundum allegata, & pro-
bata: at cum iurium interpretatio, doctrinæ, & pru-
dentiæ iudicis commissa sit meritò poterit omissa
probabiliori opinione Iuris secundum probabilem
ferre sententiam.

QVÆSTIO III.

De signis Probabilitatis Intrinsecæ.

SVMMARIVM.

Probabilitas per principia intrinseca, vel extrinseca, quæ sit? num.1.
Signum probabilitatis intrinsecæ est: Doctores discrepare in euertendis fundamentis oppositis. num.2.
Sic quoque, si aduersarij fatentur magnam esse vim argumentorum. num.3.
Vel quando discrepant in propria opinione probanda. num.4.
Aut quando viderunt Doctores fundamenta communis opinionis, eisque aliquo modo responderunt, num.5.

PRobabilis opinio est, vt rectè ait Layman, *lib.1,*
tract.1. cap.5. §.2, num.6. qua certitudinem non
habens, tamen vel graui authoritate, vel non modici mo-
menti ratione nititur.

Porrò probabilitatem, quam ex authoritate
1 Doctorum habet opinio, dicitur habere, per prin-
cipia extrinseca. Dicitur verò opinio probabilis
per principia intrinseca, quando graui ratione niti-
tur: *Propria autem, & intrinseca principia Vocamus,*
ait Vasquez, 1. 2. *disp.62. num.10. aut causam rei,*
aut effectus illius, aut absurda, & impossibilia, ad quæ
deducuntur, qui oppositum affirmant, quam vocamus de-
monstrationem per impossibile.

Primum itaque signum est intrinsecæ probabili-
2 tatis, quando authores communis opinionis di-
scordant inter se in euertendis fundamentis oppo-
sitæ opinionis minus receptæ, tunc signum est, hanc
non esse improbabilem, hoc enim indicat funda-
mentum non esse leue, alioquin in eo euertendo
non esset acris controuersia inter Doctores, leue
enim argumentum faciliter, & vnica solutione di-
luitur; non leue verò pluribus impugnationibus,
ac pluribus solutionibus indiget; sicuti mœnia de-
bilia Vnico Arietis ictu ruunt, fortia verò neque
pluribus facilè cedunt.

Confirmatur; nã sicuti inter posteriores Docto-
res, aliqui putarunt, nõ esse soluta argumenta anti-
quorum, ea solutione allata, ita alij nouissimè pos-
sunt ostendere, neque esse soluta hac alia solutio-
ne; & sic signum est, ea argumenta non esse leuia,
atque ad eo probabilem opinionem facere.

Secundum Signum affert Io. Sanchez *disp.44. n.*
3 62. quando Doctores communis opinionis faten-
tur, aliquod argumentum sibi magnam vim infer-
re,

re, vel valdè esse aduertendum, tunc signum est oppositam opinionem esse intrinsecè probabilem, si quidem tale habet argumentum, cuius solutio torquet Aduersarios, vt ipsimet fatentur.

Tertium signum probabilitatis intrinsecæ est,
4 quando Doctores communis sententiæ discordantes sunt in probanda sua opinione, & alij aliorum rationes,& fundamenta euertunt, tunc signum est ea fundamenta non conuincere, & sic admitti posse probabilitatem oppositæ sententiæ.

Quartum signum est ex Vasqu. *disp.62. num.17.*
5 quando Doctores probabilis opinionis viderunt, & considerauerunt, & aliquo modo responderunt argumentis communis sententiæ, nec illis fuere conuicti, tunc signum est, eam habere intrinsecam probabilitatem.

QVÆSTIO IV.

De signis probabilitatis extrinsecæ.

SVMMARIVM.

Primum signum est plures, ac graues recentiores Doctores eam opinionem defendere. num. 1.

An dicatur Probabilis opinio antiquorum, contra quos sunt omnes recentiores? num. 2.

Secundum signum probabilitatis est, quando aliquid est in vsu, num. 3.

1 PRimum signum: si plures, graues, & recentiores Doctores eam defendant, non obiter, sed disputando, tunc ea opinio per principia extrinseca probabilis censenda est, quamuis opposita communis esset, ita omnes. Ratio est, quia probabilitas extrinseca est, quæ non leuis momenti authoritate nititur, hęc enim præponderat probabili rationi: ergo talis censenda est opinio, quæ duorum; vel trium doctorum grauium,& recentiorum authoritate fulcitur. Tum quia ea sunt probabilia, quæ videntur multis teste Arist. 1. *topicorum cap.1.* ergo probabilis opinio est, quæ plures habet sui patronos.

Sed difficultas est, an sit probabilis extrinsecè
2 opinio illa, quæ est antiquorum, contra quos sunt recentiores omnes.

Respondeo improbabilem esse, ac falsam reputandam. Primò, si vt falsa, & improbabilis à posterioribus Doctoribus vnanimiter condemnetur. Ratio est, quia non est verisimile, tot graues recentiores eam opinionem condemnasse, nisi deprehendissent leuia esse illius fundamenta. Tum quia inuersimile est, quod nullus recentiorum falsitatem à nota falsitatis eam defenderet, si falsa non esset. Secundò, si antiqui aliquam rationem, aut legem non considerarunt, qua recentiores conuicti contrarium asseruerunt. Tertiò, si contraria opinio, ita vsu recepta sit, vt moraliter certa à Doctoribus recentioribus reputetur, ita Vasquez 1. 2. *disp.62. cap.4. num.17. & 18.* Clauis Reg. *l.1. cap.5. num.6.* Sanchez *l.1. cap.9. num.11.*

Porrò probabilitatem suam non amittit opinio antiquorum. Primò, si à falsitatis nota validis argumentis ab alio recentiore vindicetur, ita Io: Sanchez *disp.44. num.62.* Probatur, quia authoritas antiquorum iuncta cum authoritate vnius recentioris, magnam affert præsumptionem illa fundamenta non esse leuia, vt aliqui recentiores putabant. Tum quia si vnicus grauis Doctor recentior poterit constituere probabilem opinionem, contra communem, vt infra dicam, cur non poterit vnus à falsitatis nota, vindicare opinionem antiquorum qua communis recentiorum eam inuerit?

Secundò neque probabilitatem suam amittit opinio antiquorum, quando recentiores soluere conantur obiectiones, quæ contra ipsam fiunt, ita Vasquez *disp.62. num.18.* Vbi sic ait: *Quod si difficultatem ortam contra antiquorum opinionem ex illa lege, & decreto, recentiores aliqui notarunt, & dissoluere conati sunt, non debemus existimare antiquorum opinionem carere probabilitate, vt eam sequi non possimus.* Ita Vasquez.

3 Tertiò, neque probabilitatem suam amittit opinio ex solo contrario vsu populi; nisi vel obstet legitimè præscripta consuetudo animo obligandi inducta; nam non sufficit, quod populus falsò putet se obligatum, tunc enim non inducitur consuetudo, *gl. in cap. fin. de consuet.* vbi Abb. *num.17.* Suarez *de legibus lib.7. cap.14. num.5.* Molina *tom.1. tract. 2. disp.77.* vel omnes Docti recentiores ita vsu recipiant opinionem, vt eam certam asserant, vt inquit Sanchez *lib.1. cap. 9. num.11.* Cæterum solus vulgi vsus opinionis probabilitati non officit. Ratio est, quia ille vsus (modò consuetudo non sit inducta) est quid valdè extrinsecum opinioni. Tum quia, si communis sententia omnium Authorum doctrina, & probitate præstantium non potest obesse probabilitati opinionis minùs receptæ (dummodò ista tanquam falsa non sit damnata) multò minùs poterit obesse vsus populi, ac vulgi, dummodo, vt dixi, consuetudo animo obligandi non sit inducta.

Quartò, in dubio semper antiquorum opinio tanquam probabilior habenda est: nouitas enim semper suspecta, *Nouitas* ait, S. Bernard. *epist. 174. Mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis*, & S. August. *lib.3. contra Iulian. cap.3. sunt noua, Caueamus*, & Cretensis *in Nazianzenum in carmine Nicobuli valeant*, inquit, *nouitates partim ex inscitia, partim ex intolleranda arrogantia nata.* Ratio est, nam antiquę opiniones frequentiùs à maturiori,& acutiori ingenio manarunt, Vide eruditissimum Mendozzam *in Viridario lib.4. probl.6.*

Aduerte etiam, quod quando Doctores docent aliquam sententiam, esse certam aut euidenter veram, tunc implicitè condemnant vt falsam oppositam sententiam, ita Valentia *t.2. quæst.12. punct. 5. quæst.1.* Garzias *de benef. tom.2. par.11. cap.5. §.4. num.360.* Io: Sanchez *disp.14. n.8.*

Ratio est, quia si vna pars nititur certo, & euidenti fundamento, necessario pars opposita caret fundamento, & sic est falsa, & improbabilis.

Verùm vt plurimùm Doctores non vtuntur his vocabulis rigorosè, sed tantùm quando asserunt

suam

suam opinionem esse certam, & euidentem intendunt eam suadere, vt probabiliorem, idest certam, & euidentem esse eius probabilitatem; sicuti dicitur fides catholica euidenter credibilis, cum tamen non sit euidenter vera, euidentia enim pugnat cum fide, quare non censentur condemnasse opinionem antiquorum, vt falsam, & improbabilem.

Altera difficultas est, quando vnicus Doctor recentior contra communem disputando oppositam opinionem defendit, an tunc constituat illam opinionem probabilem extrinsecè? sed de hac difficultate in sequenti quæstione.

Secundum signum probabilitatis extrinsecæ est,
3 quando aliquid est in vsu, in maiori parte communitatis, in qua plures sunt viri docti, & timorati, ita Sa *v. dubium num.* 3. vbi ait: *sufficere bonorum exemplum* Castrus Palaus *to.* 1 *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 6. vbi ait: *probabile censeri, quod plures Religiosi efficiunt absque scrupulo*, rectè tamen addit, vnius docti, & pij viri exemplum non sufficere ad probabilitatem, posset enim moueri, vel ex passione, vel inaduertentia.

Probatur, *quia non est verisimile*, esse leuia fundamenta, quibus ducti, tot Viri docti eam opinionem *facto* ipso approbarunt, quare ea opinio, tot habet auctores, quot in praxim eam deducentes; tum quia si contra, oppositam sententiam sit communis vsus, ea reputatur improbabilis, vt ait Sanchez *l.* 1. *cap.* 9. *num.* 11. ergo, si vsus sit pro ea, erit vtique probabilis extrinsecè, tum quia, quando aliquis contractus est in vsu in aliqua Ciuitate, etiam si videatur iniustus, & vsurarius, non est proinde facilè reprobandus, nisi clarè, & euidenter constet de iniquitate illius Bart. *in l. si quis fugitiuus* §. *apud Labeonem ff. de edil. edicto*. Tiraquel. *lib.* 2. *de vtroque retractu* §. *vltimo num.* 127. Nauar. *cons.* 4. *de vsuris edit.* 2. Tum quia, si dubitatur, an aliqua consuetudo contra legem sit introducta, probabile est, eam esse introductam, atque adeo non peccat quis contra legem, si videat plures doctos viros, & timoratos aliquid absque scrupulo operari, ita Valentia *tomo* 3. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 8. Reginald. *lib.* 13. *num.* 247. Salas *de legibus disp.* 19. *sect.* 4. §. 5. *numero* 43. *in fine, & parte* 2. *quæst.* 21 *tract.* 8. *disp. vnica num.* 169. Azor *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 12. Diana *parte* 1. *tract.* 10. *resol.* 3. *& part.* 4. *tract.* 3 *resol.* 14. *&* 22. Tum quia vsus communis non debet esse minoris ponderis, quam vnius, vel alterius grauis doctoris authoritas *argumento text. in l.* 2. *C. quæ sit longa consuetudo*, *&* docet Duardus *de censibus to.* 1. §. 3. *quæst.* 5. *num.* 40. tum quia vt habetur in *d. lege apud Labeonem ff. de ædil. edicto* faciens aliquid, quod publicè putatur licitum, non censetur malè facere.

(??)

QVÆSTIO V.

An vnicus grauis Doctor constituat opinionem extrinsecè probabilem?

SVMMARIVM.

Responsio affirmatiua num. 1. *esto ea materia esset ab antiquis tractata num.* 2. *non ex multitudine indicandum, sed quod melius est. num.* 3.

Nihil absurdius, quam pecorum ritu, antecedentium gregem sequi num. 4.

Semper grauissimi authores se antiquitati opposuerunt. num. 5.

Vir doctissimus potest secundum suam singularem opinionem, contra communem consulere. num. 6

Potest quis operari per principia extrinseca, quamuis existimet eam opinionem per principia intrinseca esse falsam. num. 7. *etiam si ea opinio sit vnius tantùm. numero* 8.

1 RESpondetur affirmatiuè, ita glosa, Abb. & Doctores *in cap. Capellanus de ferijs* Syluest. *v. opinio quæst.* 2. Angelus *num.* 2. Nauar. *cap.* 27. *numer.* 288. *& in cons.* 4. *de vsuris in nouis* Vasquez *par.* 2. *disp.* 62. *c.* 4. *nu.* 12. Sanch. *lib.* 1. *sum. c.* 9. *nu.* 9. *& de matrim. lib.* 3. *disp.* 44. *n.* 2. Henriq. *lib.* 4. *c.* 18. *n.* 13. Io. Sanchez *disp.* 29. *n.* 7. *& disp.* 44. *n.* 61. Valentia *par.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 14. *punct.* 4. *quæst.* 4. Azor *tomo primo libr.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 6. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 1. *diffic.* 4. *num.* 17. Clauis Regia *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. Filliucc. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *numer.* 134. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 30. Reginald. *lib.* 13. *numero* 93. Molfes. *tract.* 8. *cap.* 9. *num.* 81. Castro Palaus *tomo primo tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 2. Sà *v. dubium num.* 3. Pasqualigus *dec.* 2. Coras. *de comm. opin. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 6. Cephalus *cons.* 718. *num.* 37. *lib.* 5. Rolandus *cons.* 100. *num.* 49. *vol.* 2. Detius *cons.* 499. *num.* 12. *& cons.* 258. *num.* 1. Io: Solorzanus *tract. de Indiarum Iure lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 38. Castillus Sotomaior *de tertijs cap.* 12 *num.* 39.

Hæc autem conclusio procedit etiam si mate-
2 ria, seù quæstio illa esset ab antiquioribus tractata, nam vnicus grauis doctor, poterit antiquorum rationes soluere, & afferre probabilitatem suæ singulari opinioni contra communem, pro vt docent cæteri omnes contra Porcellium *de dubijs regul. v. opinio num.* 4. Azorium *tomo primo l.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 6. Salon 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *controu.* 2. *conclus.* 4. *vers. ex his autem* Merollam *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 4. *num.* 73.

Probatur primò ex *l.* 2. §. *sed neque C. de vet. Iure*
3 *enucl.* ibi, *sed neque ex multitudine authorum, quod melius, & æquius est Iudicatore, cum possit vnius forsan & deterioris, sententia, & meliores, & maiores aliquæ in parte superare* hęc Imperator & Isocrates in Panethe. *Cum interdum* inquit *sapientissimi fallantur, contemptus homuntio det optimum Consilium*, Vnde Seneca *lib. de vita beata cap. primo; nihil ergo magis præ-*
4 *standum est, quàm ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non quò eundum est, sed quò itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat; quàm quod ad rumorem componimur, optima rati ea,*

quæ

quæ magno assensu recepta sunt, quorum exempla multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magna euenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, vt non alium in se attrahat; primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas licet: nemo sibi tantum errat, sed alij erroris causa, & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus, & dum vnusquisque mauult credere, quam iudicare, nunquam de vita Iudicatur, semper creditur. Versatq; nos, & præcipitat, traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur si modo separemur à cætu. Hæc Seneca,

Probatur secundò, nam non est præsumendum grauem doctorem, rem disputando, leui fundamento ductum, cæteris aduersatum esse. Præterea quælibet opinio ab vnico Doctore initium sumens facta est communis, quam tamen prius nemo sequebatur vnde Doctissimus Mendozza, *lib. 4. Viridarij probl. 6. Si obseruemus,* inquit, *omnes bonarum artium cultores, inueniemus eos semper se opposuisse antiquitati, eiusque opinionibus explosis nouas inuenisse. In Oratoria Tullius veterum oratorum vitia cauillatur: In Poetica Mantuanus ab antiquorum vatum consuetudine procul recedit: In Medicina Hippocrates, & Galenus priorum Medicorum aphorismatis exclusis, noua, ac recentia moliuntur: In Mathematicis Ptolomeus, & Hispanorum Rex Alphonsus plures Astrologorum, quam astrorum errores deprehendunt: In Ethicis Plato, quantis se maiorum classibus opposuit? in Physicis Aristoteles, quot veterum Philosophorum cateruas à philosophico ludo eliminauit? In Theologia Magister, ac D. Thomas quot pristinæ falsitatis tenebres diffusa noua veritatis luce extulerunt?* ita Mendozza, & Philo Iudæus, *Præclara,* inquit, *ingenia multa nouant, circa scientias,*

Probatur tertio, quia vnicus Iudex assumitur ad res grauissimas decidendas; ergo & vnicus grauis doctor erit sufficiens ad iudicandum, an opinio contra communem nitatur probabilibus fundamentis.

Probatur quartò, nam sic arguo ad hominem, contra Salonem, & alios, possum si sim. Vir doctus iudicare opinionem minus, receptam ex eo, quòd solidis nitatur fundamentis, esse probabilem, ergo potero credere iudicio grauis doctoris asserentis eam opinionem solidis fundamentis niti.

Probatur quintò, quia si Idiota potest credere mihi dicenti aliquam opinionem esse probabilem, & sic firmissimis fundamentis nixam: quare ego non potero credere viro doctissimo id scriptis affirmanti?

Probatur sextò, quia vnicus testis fide dignus affirmans aliquid Romę accidisse illud facit verisimile, & credibile; ergo vnicus grauis doctor dicens, opinionem contra communem habere etiam probabilia fundamenta facit hoc dictum verisimile, & credibile.

Neque dicas, quod non creditur vnico testi, contra plurimos aliquid affirmanti. Respondetur enim quod Doctor qui dicit contra communem, aliquid esse probabile, reuera non opponitur cæteris, non enim dicit cæteros errasse, aut falsum docuisse, sed tantùm affirmat pro sua opinione adhuc stare probabilia fundamenta, quare non debet dici, quod Iudicium huius grauis Doctoris præferatur iudicio omnium; non enim docet illis contradictoria, nam idem doctor potest per principia intrinseca iudicare vtramque opinionem probabilem esse ex diuersis principijs, quod passim videre est in his, qui problematice disputant, & contra Vasquez *disp. 62. n. 10.* docet Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 12.*

Probatur septimò, quia ratio non leuis momenti, facit opinionem probabilem: sed authoritas viri docti, ac probi, multoties est grauior tali ratione,

Probatur octauò, quia maior fides est habenda doctori ex professo disputanti, quàm cæteris, qui fortè obiter rem attigerunt Abbas *in cap. bonæ il 2. num. 30. de postulat. prælat.* Cenedo *quæst. pract. quæst. 8. num. 3.*

Probatur nonò, quia vt ait Mendozza *Scientia eò certior, & euidentior obtinetur, quo nititur fundamentis diligentiùs, ac maturiùs expensis vt Arist. 1. Metaph. cap. 1. testatur;* Sed doctissimi Neoterici noua opinio, plerumque fundamentis diligentius perspectis nititur, ac antiquorum, ergo plerumque noua opinio antiqua probabilior est. Minor Probatur, quia fundamenta tunc meliùs perspiciuntur, quando cum oppositis comparantur: siquidem contraria, juxta se posita clarius innotescunt; atqui antiquę opiniones sua fundamenta non conferunt cum oppositis, quæ postea considerata sunt; nouæ verò opiniones in ius vocant antiquas: in medium sua, & aliena fundamenta promunt, singula expendunt, omnia conferunt, ac tandem lite perorata, suis potius acquiescunt; ergo frequentiùs nouæ opiniones fundamentis perspicaciùs cognitis, quàm antiquæ fulciuntur.

Præterea nostrum sæculum effætum esse, præstantiora ingenia priores ætates tulisse vetus calumnia, & impostura est, vt præclarè ostendunt noster Aresius Episcopus Dorthonensis *in lib. de generatione in proleg. disp. 1. quæst. 1. sect. 4.* & Alexander Lancellottus *de Deo opifice disp. 10. sect. 8.* Verissimè enim scripsit Tacitus *Dialogo de Oratore 9. Vitio malignitatis humanæ, Vetera semper in laude, præsentia in fastidio sunt,* & S. Hieron. *epist. 108. quæritur ingenium probari, quasi vinum ab antiquitate,* & Propertius, *lib. 3. eleg. 1.*

Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
Maius ab exequijs nomen in ora venit.

Si enim a temperamento ingenium, quid prohibet eodem, ac meliori temperamento homines nasci? Si à syderibus: ea pari cursu, & infatigabiliter influunt; sed quis adeò stolidus, vt dicat hirundines nostris temporibus minori artificio nidificare, apes mellificare, araneos telas ordiri, quam antiquis temporibus? quod si hæc in illis inuariata perseuerant, cur in homine non eadem gignuntur ingenia?

Colliges primò ex dictis: posse etiam virum non
6 mediocriter doctum, & in materia satis versatum, consulere contra communem, secundùm opinionem, quam ipse adinuenit, & si eum consulat idiota poterit secundum eam opinionem operari, etiam si vir doctus illi explicet omnium scriptorum opinionem diuersam esse, ita Vasquez *par. 2. disp. 62. num. 12.*

num. 12. Azor *tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 17. *quæst.* 6. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 4. *num.* 16. Sà *v. dubium num.* 3. Torres *de fide, disp.* 55. *dub.* 3. Lorca 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *disput.* 40. *num.* 18. Thom. Sanchez *lib.* 1. *sum. cap.* 9. *num.* 9. Io: Sanchez *disput.* 44. *num.* 61. Merolla *tom. primo disp.* 3. *cap.* 4. *num.* 75.

Ratio est, quia eadem ratio est, quod ea opinio sit scriptis mandata, vel typis impressa, ac si voce tantum doceatur, dũmodo sit à viro docto, ac in ea materia versato, & ex probabilibus fundamentis.

Aduerto tamen, ne vir doctus multũ sibi fidat, sed cautè agat, quia omnia noua placẽt, & fortasse leuissima ratio, quæ nouiter inuẽta est videtur magni ponderis, quæ tamen post aliquod tempus ab ipso inuentore, vel ab alio facillimè soluetur.

Colliges Secundò, quod si quis existimat opinionem esse probabilem secundùm principia extrinseca, nempè ex authoritate Doctorum, quamuis existimet illam improbabilem, & falsam secundum principia intrinseca, poterit adhuc secũdùm illam operari, ita Io: Sanchez *disp.* 41 *num.* 7. Pasqualigus *dec.* 21. Thomas Sanchez *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 6. Sayrus *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 7. Castro Palaus *to.* 1 *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 1 *n.* 2. Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *c.* 4. *n.* 18. qui sic ait *Quando quis solum considerauit rationem aliquam peculiarem contra oppositam sentẽtiam, quæ sibi videatur omnino solui non posse, non propterea censere debet oppositam opinionem improbabilem, vt eam sequi non possit, quia solo suo iudicio non debet aliorum sententiam improbabilem iudicare*; Ita Vasquez quibus verbis ostendit: posse te operari secundum eam opinionem, contra quam credis esse conuincentem rationem; si aliunde ea nititur authoritate multorum doctorum. Verùm si illa vnius Doctoris authoritate nitatur, & sit cõtra communem, & iudicas non habere solida fundamenta, non poteris illam sequi, ita Vasquez ibidem *num.* 17. vbi sic ait: *Vt censeatur sufficienter probabilis, ad hoc vt eam contra propriam sequamur, non debet esse vnius Doctoris tantùm, & singularis, nam si talis opinio vnius, ex proprijs fundamentis considerata, mihi non probatur, sed opposita, & eam video niti tantùm authoritate vnius doctoris, non videtur mihi censenda probabilis ad hunc effectum, vt secundum illam prudenter possim operari, contra propriam & communem omnium sententiam, & quamuis opposita opinio suo authori possit esse probabilis, tamen mihi qui oppositum credo verum censeri non debet probabilis, vt secundum eam possim operari*, ita Vasquez, quem sequitur Sanchez *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 9. & Baldell. *to.* 1. *Theol. moral. lib.* 4. *disp.* 11. *num.* 9.

8 Sed his non obstantibus puto posse me operari secundum opinionem vnius grauis recẽtioris contra communem, & contra propriam opinionem; quamuis ego iudicem illam esse falsam secundum principia intrinseca, & ita expressè docet Pasqualigus *decis.* 23.

Probo quia quamuis illa opinio à me falsa existimetur, tamen in se, independenter à meo iudicio, habet probabilitatem extrinsecam, propter authoritatem vnius grauis Doctoris, quare teneor absoluere pęnitentem, qui ea se tuetur, vt docent expressè Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad quintum.* Valentia 2. 2. *disp.* 5. *sect.* 7. *punt. vlt.* Sanchez *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 30. & alij innumeri, quos sequitur Io: Sanchez *disp.* 33. *num.* 54. ergo etiam licitè possum secundum eamdem consulere (quicquid dicat Sotus vbi supra in fine, qui parùm consequenter loquitur) ac licitè secundum eandem operari. Probatur consequentia quia si propter probabilitatem extrinsecam, quam habet, est recta regula operandi in pœnitente, erit quoque recta regula operandi in me, qui non dicor operari contra conscientiã, eò quod existimem per principia intrinseca esse falsam, nam (*sicuti rectè ait Suarez de pœnit. disp.* 32. *sect.* 5. *in fine*) non dicor absoluere contra conscientiam, quia formare possum iudicium practicum licere secundùm eam opinionem absoluere propter suam extrinsecam probabilitatem, sic idem iudicium formare possum, cum operor. Tum quia sæpè is, qui operatur non erit tantæ doctrinæ, sicuti is, qui eam opinionem docuit, quare temerè iudicat opinionem falsam, vnde vt prudenter agat, debet tale iudicium deponere, ac putare non esse leuis ponderis eius opinionis fundamenta, sicuti ipse speculatiuè iudicat, tum esto is qui operatur, esset magnæ doctrinæ, adhuc tamen potest suum iudicium submittere alteri graui doctori, siuè oretenus docenti, siuè scribenti; tum quia, vt ait S. Thomas *quodlib.* 3. *art.* 10. potest quis sequi opinionem magistri sui, quæ tamen aliquando potest esse singularis. Tum quia sæpè videmus aliquot Neotericos damnare, vt falsas, & improbabiles opiniones aliquas, quæ postea communi calculo alij scriptores doctissimi receperunt; quare prudenter ageret qui deponeret proprium iudicium speculatiuum de falsitate opinionis, ac putans eam probabilem extrinsecè, secundum illam operaretur. Tum quia ad hoc, vt opinio tamquam falsa damnetur, non sufficit ab vnico, quamuis graui scriptore, eam vt falsam rejci: sicuti ad obtinendam probabilitatem sufficit ab vno grauis authore defendi. Disparitas est, quia ad improbabilitatem, & falsitatem ostendendam, requiruntur rationes, quæ demonstratiuè, & euidenter concludant: at ad probabilitatem, non requiruntur rationes demonstratiuæ, & euidentes, sed sufficit, vt difficilè possint solui nec sint leuis momenti: ergo ex eo, quod quis putat opinionem esse falsam per principia intrinseca, illa non amittit suam probabilitatem; quare deposita conscientia, poterit secundùm illam operari.

Colliges tertiò, vt opinio alicuius Doctoris quantumuis grauis contra communem probabilis censeatur, non sufficit si persunctoriè incidenter, & occasione alicuius argumenti dicta sit; sed debet solidis rationibus, firmisque fundamentis asseri, & resolutoriè affirmari. Castro Palaus *tomo* 1. *tract.* 1. *disput.* 2. *punct.* 1. *num.* 5. quicquid dicat Io: Sanchez *disp.* 44. *num.* 62. *in fine* vnde rectè Mascardus *de probation. concl.* 143. *num.* 11. ait: *ea quæ incidenter dicuntur, sæpè ad colorem, non ad probationem dici, sic confessio incidenter facta, vel quæ fit ad alium finem, non præiudicat confitenti glosa in cap. pœnitentibus* 50. *dist.*

QVÆSTIO VI.

An Declarationes Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, in authentica forma exhibitæ, tollant probabilitatem opinionis oppositæ in vtroque foro? & an habeant vim legis?

SVMMARIVM.

Declarationibus Sacræ Congregationis nulla adhibetur fides, nisi in authentica forma exhibeantur. nu.1. Sufficit autem in vnica causa authenticè proferri. n.2. aut Episcopi edicto. n.3. non sufficit fama de ea. n.4.

Prima sententia asserit, habere vim legis. num.5.

Declarationes instar legis solent allegari. num.6.

An lex declaratiua indigeat publicatione? n.7. & n.17.

Sententiæ Sacri Consilij Neapolitani sunt leges in Regno. num.8. sed abusiuè & impropriè num. 27.

Statutum esse editum in publico consilio, & repositum in volumine statutorum, sufficit, vt dicatur publicatum. num.9. Vide num.29.

Regulæ Cancellariæ sunt leges. num.10.

Secunda sententia tria requiritur, vt sint leges num. 11.

Declaratio Principis in particulari causa facit Ius generale quò ad omnes. n.12. sed debet id exprimere. n.21.

Statuta à Papa confirmata dicuntur Papalia, & nequeunt reuocari. num. 13.

Tertia sententia asserit, esse leges, si Episcopi edicto publicentur. num. 14. Vide num.29.

Quarta sententia absolutè negat habere vim legis, neque tollere probabilitatem opinionis oppositæ. num. 15.

De essentia legis est promulgatio. num.16.

Constitutio non promulgata neque scientes ligat. n. 17.

Etiam lex declaratiua Iuris antiqui debet promulgari, alioquin eadem absurda sequuntur, ac in noua lege, quæ non publicaretur. num. 17.

Quando communitas ignorans legem eam non obseruat, neque particularis sciens tenetur obseruare. num.18.

An de essentia legis sit scriptura? num.19.

Quando legislator certum ritum seruat in publicatione legum, eo non seruato, lex non dicitur publicata, neque obligat. num.20.

Decem signa ex quibus patet Pontificem nolle has declarationes esse leges. num. 22.

Quare Sixtus V. Sacram Congregationem Concil. Tridentini interpetrum instituit? num.23.

An in aliquo casu declaratia Sacræ Congregationis habeat vim definitiuæ sententiæ? num.24.

An sententia lata contra declarationem Sacræ Congregationis sit ipso iure nulla? num.25.

Responsa prudentum, antequam clauderentur in corpore Iuris, non erant leges. num.26.

Declarationes Sacræ Congregationis non tollunt probabilitatem opinionis oppositæ. num. 30.

NOtandum Sacram Congregationem die 11. Augusti 1632. ex speciali Vrbani VIII. Iussu mandasse, eiusdem Sacræ Congregationis decla-
1 ratoribus, decretis, seu decisionibus, tam impressis, quam imprimẽdis, ac etiam manuscriptis, nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam, sed tantùm illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. Circa hoc
2 decretum aduerte sufficere, in vna causa in authẽtica forma fuisse exhibitam declarationem, nam deinde manu Notarij extracta copia ex actis, ea probat in omni alia causa, vt de regulis Cancellariæ, quæ similiter non faciunt fidem extra Vrbem, nisi authenticè proferantur docet Ludouicus Gomezius *in proemio regularum Cancellariæ q. 2. versic. non obstat.* Altero modo authenticè constare potest
3 de declaratione, nempè si Episcopus suo edicto eã publicet, asserens se authentico documẽto habuisse, illi enim creditur Petrus Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de pænit. quæst. 40. num. 12.* qui tamen non
4 rectè inquit, sufficere notitiam publicam, quæ oritur ex fama publica, & certa, deriuata ex principio authentico; hic enim modus mihi non placet; nam Vrbanus VIII. requirit præsentationem in forma authentica, per famam autem, quamuis hæc deriuaretur ab authentico documento, non diceretur constare authenticè, fama enim semper est incerta, quæ crescit eundo. His positis.

Prima sententia asserit: declarationes Sacræ
5 Congregationis Eminẽtissimorũ Card. Sacri Concilij Trid. interpetrum, habere vim legis, & esse verè leges declaratiuas Concilij, atque adeo tollere probabilitatem opinionis oppositæ eius, quod decernunt, ita Rodriquez *qq. Regular. tomo 1. quæst. 11. art. 2.* Miranda *in manuali Prælatorum tomo 2. quæst. 26. art. 11.* Garsias *de beneficijs tom. 1. in præfat.* Salas *de legibus disp. 21. sect. 12.* sed hic alibi oppositum videtur docere Cochier *de permutatione beneficiorum part. 2. cap. 20.* Bellochius *de casibus reseruatis quæst. 2. num. 82.* Leone *de Iubilæo par. 1. quæst. 5. num. 207.* Lazarius *tract. de blasphæmia quæst. 10. num. 39.* Homobonus *in exam. Ecclesiastico part. 1. tract. 1. cap. 16. quæst. 29.* Narbona *de appellatione à Vicario ad Episcopum part. 1. num. 189.* Barbosa *de Iure Ecclesiastico part. 1. cap. 4. num. 81.* Sarauia *de Iurisdictione adiunctorum quæst. 17. num. 31.* Hieronymus Rodriquez *in compend. quæstionum Regular. resol. 18. num. 22.* Moneta *de Iudic. conseruat. cap. 6. num. 66.* Riccius *in praxi part. 1. decis. 524. num. 5. in prima edit.* Layman *libro 1. tract. 4. cap. 7. §. 7. numero 28.* Zerola *in praxi Episcoporum verbo authoritas* Gambarupta *de casibus reseruatis cap. 3. num. 6.* Castro Palaus *tomo primo tract. 3. disput. 5. punct. 3. §. 1. num. 6.* Pasqualigus *in quæst. moral. quæst. 61.* Burgos. de Paz *in proemio legum Tauri num. 297. & 432.* Decianus *consil. 84. numero 5. libro primo* Riminaldus *consil. 112. numero 26. & numero 230.* Menochius *cons. 191. num. 44.* Hondedeus *consil. 8. num. 71.* Valenzuola *cons. 23. num. 137.* Mandellus de Alua *consil. 219. numer. 10.* Simon de Prætis *lib. 1. interpret. 1. dub. 5. solutione 5.* Intrigliolus *decis. 76. n. 33.* Gratianus *tom. 1. cap. 68. n. 26. & tom. 3. c. 464. n. 19.* Mantica *de tacitis & ambiguis conuent. lib. 4. tit. 22. n. 14.* Mieres *de maioratu p. 1. q. 44. n. 14.* Giurba *ad consuetudines Messanẽses c. 2. gl. 1. p. 1. n. 4. & 18.* Fontanella *de pactis nuptialibus to. 2. clausula 7. p. 8. n. 3.* Castillus *to. 6. controu. c. 182. n. 10.* Cherubinus *in cõpendio Bullar. ad constit. 74. Sixti V. schol. 1.*

Pro-

Probatur Primò, ex constitutione 74. Sixti V. incip. Immensa §.8. anno 1588. Vbi sic ait; *cum ad singularem Papæ authoritatem tantummodò spectet, generalia concilia indicere, confirmare, interpretari, & vt vbique locorum seruentur, curare, ac præcipere: eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent nobis ipsis reseruamus: Cardinalibus verò Præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, si quando in ijs, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis Iudicijs, & alijs, quæ humana statuta sunt, dubietas, aut difficultas emerserit interpretandi facultatem (nobis tamen consultis) impertimur*, & §. 11. quamuis aliam Congregationem, pro consultationibus Regularium instituerit, dubia tamen in illis ad Concilium concernentia, ad eandem Congregationem Concilij iussit remitti: Ergo manifestè apparet datam facultatem esse de necessaria, non doctrinali interpretatione; non enim deerant viri doctissimi, qui possent doctrinaliter interpretari, nec oportebat tanta solemnitate, tam insignem, & supremum Eminentissimorum Cardinalium Senatum instituere pro doctrinali interpretatione: tum quia si doctrinalis esset interpretatio, cur non posset Sacra Congregatio Regularium eam facere, cum quicunque Doctor interpretari possit, quare oporteret ad interpretes Concilij recurrere? tum quia Pontifex sibi reseruat interpretari Concilium quò ad dogmata fidei; humana autem statuta Tridentini Sacræ Congregationi remittit: sed interpretatio reseruata Papæ est vtiq; necessaria: ergo etiã interpretatio Cardinalibus cõcessa necessaria est.

Secundò Vrbanus VIII. mandauit declarationibus in authentica forma exhibitis fidem haberi: ergo loquitur non de doctrinali, sed de necessaria interpretatione; alioquin non esset ratio cur oporteret in authentica forma eas proferre.

Tertiò eadem Sacra Congregatio (vt refert Garsias *de beneficijs in præfat.*) sic Messanensi cuidam Abbatissæ respondit. *Eadem ratio habenda est de his, quæ scribuntur à Cardinalibus Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, nomine ipsius Congregationis, ac si à Papa scripta essent*; & aliàs sic censuit, *Decreta, & litteræ Congregationis Concilij, semotis litibus sunt executioni demandanda, nec super his sententia, nec Decretum aliquid est faciendum.*

Quartò, patet ex praxi, nam vt scribit Garsias *in dicto tract. de beneficijs in præfat.* Super decretis Sacræ Congregationis Papa statim dat Breue, & Auditor Cameræ monitorium in earum executio-
6 nem. Præterea passim declarationes Cardinalium ad instar communis legis solent allegari, vt ait Barbosa *in Collectanea Bullarum verbo Congregatio Concilij*. Imò Sacra Rota (cuius quanta sit authoritas vide Ludouicum Gomezium *in procemio Regular. Cancellariæ quæst. 2. vers. quarto pro ista parte* Marantam *de Tribunalibus vrbis cap. 5. n. 17.* Bellameram *decis. 37. circa finem.* Menochium *consil. 1196. num. 2.* & Lotterium *de re beneficiaria libr. primo in apparatu num. 86. cum sequentibus*) Hæc inquam Sacra Rota Romana Sacræ Congregationis declarationes semper venerata est, & absque vlla controuersia, aut disputatione illas suscepit, vt scribunt Barbosa, & Garsias *locis citatis*, & patet ex ipsa Rota *in Auersana beneficiorum 6. Iunij 1606. coram Sacrato. In Panormitana Archipresbyteratus 5. Iunij 1620. coram Buratto, & est decis. 479. num. 3. & coram Caualerio decis. 627. num. 8. & in decisionibus diuers. 743. & 750. p. 1. & decis. 325. part. 2.*

Quintò, quamuis de essentia legis sit Promulga-
7 tio, tamen id verum est, cum de nouo lex editur, non autem id necesse est cum antiqua lex declaratur, declaratio enim cum ipsa lege à principio inest, *l. ita fidei ff. de Iure fisci*, quare sufficit, vt ipsæ antiquæ leges promulgatæ, ac receptæ sint, vt nouæ declarationes super ipsis legibus obligent, absque noua publicatione, ita Rodriquez *qq. Regular. tomo 1. quæst. 11. art. 2.* & Garsias *de beneficijs in præfat.* Ratio est, nam declaratio nihil de nouo inducit, sed per retrotractionem, quod erat detegit Baldus *in l. leges, & constitutiones num. 5. C. de legibus* Coccinus *decis. 452. n. 9.* Pasqualigus *in quæst. moral. quæst. 61. num. 7.* vbi innumeros citat.

Sextò Decisiones, & sententiæ supremi Senatus in plerisque Regnis vim legis habent, & tamen istæ Sententiæ non promulgantur, nam sunt declarationes legum, & ideo publicatione non indigent,
8 sic sacri Neapolitani Consilij decisiones sunt leges in Regno, & pro lege obseruandæ sunt ab Inferioribus Iudicibus, & tamen illæ non promulgantur, vt patet ex pragmatica etsi decreta de officio Sacri Regij Consilij, ita Afflictus *decis. 96. num. 11. decis. 169. n. 19. decis. 190. & 163.* Præses de Franchis *decis. 81. num. 2. & decis. 356 in fine* Regens à Ponte *cons. 1. num. 82.* Regens Tappia *in dict. pragmatica* Surgent. *de Neapolitan. illustribus capit. 17.* Isernia *in constitut. vt de successionibus* Bolognettus *in l. 1. num. 38. ff. si certum petatur* Maranta *in praxi parte 2. sexta principalis act. 2. n. 4. & part. 3. eiusd. sexta n. 241.* Carauita *ritu 190. n. 6.* Vinius *opinione 182. circa medium* Rota Genuensis *dec. 104. n. 10.*

Septimò, optimus ad hanc rem est tex. *in §. responsa Prudentum Instit. de Iure naturali, Gentium, & Ciuili*, Vbi sic dicitur *Responsa prudentum sunt sententiæ, & opiniones eorum quibus permissum erat de Iure respondere* (non rectè aliqui Codices habent, Iura cõdere,) *nam antiquitus institutum erat vt essent, qui Iura publicè interpretarentur, quibus à Cesare Ius respondendi datum est, qui Iurisconsulti appellantur: quorum omnium sententiæ, & opiniones eam authoritatem tenebant, vt Iudici recedere à responsis eorum non liceret, vt est constitutum.* Ita Imperator Iustinianus: ergo idẽ dicendum de responsis Eminentissimorũ Concilij Interpretum, quibus à Principe Ius respondendi datum est; quare eorum sententiæ eam authoritatem habent, vt Iudici ab eis recedere non liceat.

Octauò, quia quando statutum æditum est in
9 publico Consilio sapientum, & repositum in archiuio, in volumine aliorum statutorum, vnde copia petenti datur, hoc sufficit, & habetur pro publicatione. Angelus *in §. si. authentico de non eligendo secundo nubentes in fine* Alexander *cons. 39. n. 4. vol. 3.* Baldus *in l. 2. vbi* Cagnolus *num. 78. ff. de origine Iuris* Rolandus *consil. 99. n. 37. & 38. volumine 2.* Sed ita est in declarationibus Cardin. ergo

Nonò, Regulæ Cancellariæ non publicantur,
10 niſi tantùm in ipſa Cancellaria, & tamen ſi extra curiam authenticè exhibeantur, ſunt leges, & contra eas ſententia lata eſt ipſo Iure nulla, vt latè Probat Ludouicus Gomezius *in regul. Cancellariæ in proemio quæſt.* 2. ergo quamuis iſtæ declarationes Cardinalium non publicentur, tamen ſi in authẽtica forma proferantur, ſunt verè leges, & contra eas ſententia lata nulla eſt, vt ait Salas *de legib. diſp. 21. ſect. 12. coroll. 6.*

Secunda ſententia aſſerit, ex conſtitutionibus
11 Sixti V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. tria requiri ad hoc vt declarationes Sacræ Congregationis Concilij Tridentini interpretum ſint verè leges, & in conſcientia obligent; & aliter nullam fidem faciunt. Rrimò, pronunciatas fuiſſe conſulto Pontifice, ait enim Sixti V. *nobis tamen conſultis*. Secundò, vt Eminentiſſimi ſolùm declarent, ac interpretentur, nec diſponant, aut diſpenſent, aut reſtringant, aut amplient, vltra vim verborum, & regulas Iuris. Tertiò, vt exibeantur in authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis, ita Torreblanca *in practica Iuris Eccleſiaſtici lib. 14. cap. 3. num. 19.* Petrus Ochagauia *de Sacramentis tract. 2. de pœnit. quæſt. 40. num. 12.* Triuigno *in praxi examinatorum fol. 264. & 270.* Ioannes Sanchez *in ſelectis diſp. 48. numero primo* & alij, quos ſequitur Diana *parte 5. tract. 2. reſol. 96.* Paſqualigus *in quæſt. moral. quæſt. 61. numero 9. & 14.*

Probatur primò, quia declaratio facta conſulto
12 Sum. Pontifice, eſt inſtar reſcripti Principis, quod quamuis in particulari cauſa fiat, tamen facit Ius generale, & commune quò ad omnes, & eſt lex vniuerſalis, textus eſt *in l. finali, vbi omnes C. de legibus*, vbi habetur: ſententiam diffinitiuam Principis in particulari cauſa latam Ius vniuerſale facere, & omnes ligare, *& in l. 1. verſ. per Epiſtolam ff. de conſtit.* Principum vbi Epiſtola Principis directa certæ perſonæ habet vim legis vniuerſalis, eſt quoque text. optimus in *cap. ex multa* vbi DD. *de voto*, Felinus in *cap. 1. num. 17. de conſt.* Romanus *conſ. 260. num. 1.* vbi ait quod declaratio Papæ facta ad legem præcedentem ex poſtulatione particularis perſonæ, facit Ius generale quò ad omnes: Angelus *per illum texum in l. item veniunt §. cæterum. ff. de petitione hæreditatis* Io: de Platea *in l. neque C. de decurionibus lib. 10.* Afflictus *decif. 128. in fine, & decif. 190. in fine* Ludouicus Gomezius *in procm. regular. Cancell. quæſt. 2. verſ. non obſtant*, quæ in contrarium, Simon de Pretis *conſil. 6. vol. 1*,

Secundò, quia quando conſulto Papa fiunt declarationes, ab eo confirmantur, quare papales declarationes dicendæ ſunt, ſicuti ſtatuta à Papa
13 confirmata cenſentur Papalia, & ab eo facta *l. & quæ ff. de Iuriſdict. omnium Iudicum* Baldus *in l. ex placito numero 6. verſic. interdum ff. de rerum permutat.* Felinus *in cap. primo in 3. notab. de ſponſalibus* Gratus *conſil. 69. numero 19. vol. 1* Rebuffus *ſuper concordat. in formu mandati Apoſtolici, verbo confirmatione* vnde tunc nequeunt ab Inferiori reuocari. Romanus *conſil. 37. num. 2.*

Tertia ſententia eſt, quam aliqui indicant, tunc
14 ſcilicet vim legis habere declarationes Sacræ Congregationis, quando Epiſcopi per edicta publicant, ita innuit Petrus Ochagauia *de Sacrament. tract. 2. de pœnit. quæſt. 40. num. 12.* Bonac. *de legibus diſput. prima quæſt. prima punct. 8. num. 4. verſ. ſecunda pars* Io: Sanchez *diſp. 48. num. 1.* Salas *de legibus diſp. 10. ſect. 9. num. 68.* vbi citat Suarez, *& diſp. 12. ſect. 1. numero 8. ac diſp. 21. ſect. 12. coroll. 5.* Delrius *diſquiſit. magic. par. 3. lib. 6. cap. 1. ſect. 3. verſ. ad argumenta* vbi ait non ligare donec publicentur Caſtro Palaus *tomo 1. tract. 3. diſp. 5. punct. 3. §. 1. num. 4.*

Probatur, nam adæquata ratio cur iſtæ declarationes non ſint leges, eſt quia non publicantur: ergo ſi authoritate Epiſcopi publicentur vim legis obtinent; quippè quæ authoritate Papæ ſunt factæ, & confirmatæ.

Quarta ſententia, quam ſequor, abſolutè aſſe-
15 rit declarationes Sacræ Congregationis Concilij interpretum, non eſſe leges; neque vim obligandi inducere, ſed tantummodo eſſe magnæ authoritatis, tanquam grauiſſimi Doctoris, & ſic non tollere probabilitatem opinionis oppoſitæ illi, quam determinant, ita Petrus Ledeſma *in ſumm. tomo 1. de Sacrament. pœnit. cap. 13. diffic. 7.* Sanchez *de matrim. libro 8. diſp. 2. num. 10.* ſentit Vaſquez *1. 2. diſput. 177. cap. vltimo* Salas (qui pro hac opinione affert Suarez) *de legibus diſp. 2. ſect. 9. numer. 53. & diſp. 10. ſect. 9. num. 68. & diſp 12. ſect. 1. numer. 8.* Serarius *in prolegomenis* Bibliacis *cap. 19. quæſt. 11.* Bonacina *de legibus diſp. 1. quæſt. 1. punct. 8. numer. 4.* Portel *verbo Cardinalium declarationes*, qui citat Nauarrum, Vega *parte 1. ſummæ cap. 62. caſu 41.* Valerus *de different. vtriuſque fori verbo abſolutio diff. 1. num. 20. & verbo nullitas diff 5. num. 2.* Zipęus *in nouo Iure Pontificio lib. 5. tit. de pœnit. num. 9.* Molſeſius *in ſum. tom. 1. tract. 9. cap. 13. num. 43.* Mendozza *2. 2. vol. 1. diſp. 84. ſect. 2. §. 25.* Villalobos *tomo 1. tract. 2. diffic. 7. num. 5.* Pontius *lib. 5. de matrimonio cap. 13. §. 2. num. 7.* Delrius *diſquiſit. magicarum par. 3. lib. 6. cap. 1. ſect. 3.* Baldellus *tomo 1. theol. moral. lib. 5. diſp. 14. num. 15.* Merolla *tomo 2. theol. moral. diſp. 4. cap. 4. dubio 12. num. 174.* Diana *part. 1. tract. 10. reſol. 29.* & probabilem eſſe hanc ſententiam ait Caſtro Palaus *tomo primo tract. 3. diſput. 5. punct. 3. §. 1. num. 5.*

Probatur Primò, quia de eſſentia legis eſt pro-
16 mulgatio, adeo vt ante illam nequeat lex obligare, vt eſt *text. in §. 1. authentico vt factæ nouæ conſtitutiones collat. 5. & l. leges Sacratiſſimæ. C. de legibus capit. primo* vbi Doctores *de poſtulat. prælatorum*, gloſa *in proemio decret. verbo ligauerit* Sanctus Thomas *1. 2. quæſt. 90. artic. 4.* vbi Caietan. Medina, & alij, Valentia *diſput. 7. quæſt. 5. punct. 5.* Vaſquez *diſput. 155. cap. 2.* Nauarrus *capit. 23. numero 44.* Caſtro *de lege pœnali libro primo capit. 1.* Salas *de legibus diſput. 12. ſect. 1.* Felinus *in capit. final. verſic. eſt verum de tregua, & pace.* Decius *in capit. ſecundo, numero 15. verſic. & adde de conſtitut. & in capit. primo numero 17. de poſtulat. prælatorum.* Baldus *in authent. omnes peregrini C. communia de ſucceſſion. & in lege prima §. final.*

C. de

C. de caduc. tollendis, & conf. 210. *vol.* 1. Cepolla *conf.* 13. *col.* 2. *in fin.* Cappella Tolosana *decis.* 444. Franc. Marcus *decis.* 63. *num.* 2. *vol.* 1. Grammaticus *decis.* 47. *num.* 9. Caualcanus *decis. finizana* 30. *num.* 9. *p.* 1. Carotius *decis.* 63. *n.* 3. Costa *de Iuris & facti ignorant. cent.* 2. *dist.* 98. Gabriel *conf.* 178. *num.* 26. & 54. *vol.* 2.

Quare constitutio non publicata neque scientes ligat Baldus *in cap.* 2. *num.* 25. vbi Barbatia *n.* 67. *de constitut. & in l. vnica. §. fin. C. de caducis Tollēdis* Angelus *in §. fin. authentico de non eligendo secundo nubentes* Abbas *consil.* 35. *vol.* 1. Alexand. *consil.* 39. *vol.* 3. Natta *consil.* 498. *num.* 10. Becius *consil.* 16. *n.* 10. Gabriel asserens esse magis communem *lib.* 6. *tit. de legibus concl.* 4. *num.* 6.

Quod autem lex declaratiua Iuris antiqui ne-
17 cessariò sit promulganda, alioquin non obligat, docent Suarez *de legibus lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 3. Salas *de legibus disp.* 2. *sect.* 9. *in fine & disp.* 10. *sect.* 9. *n.* 68. *ac disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 8. *& disp.* 21. *sect.* 12. *coroll.* 5. Bonacina *de legibus disp.* 1. *punct.* 8. *num.* 4. Lorca *t.* 2. *disp.* 18. *in appendice circa finem.*

Ratio est, quia quando lex est dubia, & variæ sunt opiniones probabiles, tūc quisque liber est ab obligatione legis, cum possit sequi opinionem probabilem non obligantem: ergo vt noua lex declaratiua obliget ea deber de nouo promulgari; alioquin eadem absurda sequentur, ac si feratur noua lex, & non promulgetur. Primum absurdum est; quia alioquin lex communiter, & ab omnibus ferè ignoraretur, contra tex. *in l. leges Sacratissima. C. de legibus.* Secundum absurdum est, quia lex debet ferri, non ad singulares, & particulares personas, sed ad communitatem *l. Iura* 7. *ff. de legibus*: At ista lex declaratiua, non promulgata, non fereretur ad communitatem (quippè quæ eam ignorat, cum non sit promulgata) sed ad paucas personas, quæ fortuitò eam vidissent in authentica forma sibi
18 exhibitam. Tertium absurdum est, quia quando communitas ob ignorātiam legis, eam non obseruat, neque tenetur illam obseruare is, qui eam nouit, & vidit editam in authentica forma, vt ait Nauarrus *in consil. primo quæst.* 6. *de constitut.* Sed communitas ignorat, & consequenter non tenetur ad obseruandas declarationes Cardinalium sibi non publicatas: ergo neque is, qui eas vidit in authentica forma tenetur obseruare. Quartum absurdum est, quia si declarationes istæ sunt leges: ergo quādo declarant Irritum aliquod matrimonium, ligant etiam ignorantes, lex enim irritans ligat ignorantes DD. *in cap.* 2. *de constit.* Nauarr. *conf.* 21. *num.* 5. *de priuileg. edit.* 2. Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *disp.* 17. *& lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *capit.* 2. *num.* 7. Sed si non publicaretur declaratio Cardinalium, magnum inde sequeretur absurdum, nam cum ingenti scandalo, incommodo, atque dedecore oporteret separare matrimonia bona fide ex probabili opinione doctorum contracta (cum ea enim opinione probabili licitè contrahitur, vt indicat Sanchez *de matrim. libro* 2. *disp.* 41. *num.* 9. *in fine*, & alibi dicam) si enim publicata, & nota esset declaratio Cardinalium vtique non contraxissent: sed quia hæc, quæ prius latebat, nunc in authentica forma profertur, qua declaratur nullum esse tale matrimonium, illud separare oportet, cum graui scandalo. Neque dicas quod etiam separādum est, si declaratio post contractum fiat. Respondetur enim post contractum matrimonium bona fide, nō debere declarari nullum, si ex opinione probabili sustineri potest, nam præualet opinio fauens matrimonio iam contracto, vt dicam Infra *quæst.* 17. *n.* 3. ex Menochio *libr.* 2. *præs.* 71. *num.* 30. & Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 18. *num.* 7. Quintum Absurdum est, nam cum declarationes istæ sint Innumeræ neque publicentur, neque ad vnum volumen redactæ publica authoritate prodeant, proinde etiam peritissimos, immò & ipsos Eminentissimos interpretes latent; quare frequentissimè eadem omnino difficultate Sacræ Congregationis proposita, contrariæ declarationes fiunt, vt apud Io: Sanchez *disput.* 48. *numero.* 1. sed absurdum est contrarijs legibus (quarum posteriores sæpè ignorantur) Ecclesiam gubernari.

Probatur Secundò, quia neque Sacra Congregatio, neque Sum. Pontifex vnquam permisit has declarationes suo nomine publicari, aut imprimi, neque curat vt sua authoritate in certum volumē redactæ publicentur, atque imprimantur, prout cōsueuit fieri in omnibus alijs tum Pontificijs, tum imperialibus constitutionibus; atque cæteris statutis: ergo euidens signum est, nolle has declarationes esse necessarias, neq; eas esse leges totam Ecclesiam obligantes. Consequentia multiplici-
19 citer ostenditur. Primò, ex communi Iurisperitorum sententia, qui docent ad essentiam legis requiri scripturam, quod colligunt ex *§. constat Instit. de Iure naturali gentium, & ciuili*, & ex *Canone lex est, ibi: lex est constitutio scripta & can. Ius generale dist.* 1. & ita tradunt Albericus, Salicetus, glosa, & Archidiaconus relati à Felino *in rub. de constit.* Vbi Berous testatur esse communem Cynus, Baldus, & Salicetus *in l. humanum C. de legibus* Archidiaconus & Dominicus *in cap. lex est prima dist.* Baldus, & Barbatia *in rub. de constitut.* Guido Papæ *decis.* 91. *num. secundo.* Secundò, quamuis verior opinio doceat ad legis essentiam non requiri scripturam vt probat tex. *in cap. consuetudo dist.* 1. *& cap. institutionis* 25. *quæst.* 2. & tradit expresè Arist. *lib.* 10. *Ethicorum cap.* 9. ac communiter Theologi & Canonistæ Io: Andreas *in capit. nemo potest de rescript. in* 6. Felinus, & Berous *in Rubrica de constitution.* Selua *de beneficijs cap.* 22. *numero* 14. Azor. *tomo primo lib.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 4. Suarez *de legibus libr.* 1. *cap.* 11. *in fine libro* 3. *cap.* 15. *numero* 6. *& libro* 4. *cap.* 14. Salas *de legibus disput.* 1. *sect.* 9. *numero* 64. Valentia *tomo* 2. *disput.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 2. & Alij, tamen dicendum est, per se loquendo, non requiri scripturam, sed per accidens necessariam esse scripturam, & sine scriptura legem non obligare; Ratio est, quia de essentia legis est publicatio, & perpetua legis memoria, sed sine scriptura, neque publicari potest lex, neque perpetuò eius memoria conseruari: ergo si non curat legislator, immò potiùs si prohibet legem imprimi, scribi, ac suo nomine vulgari, certum signum est nolle eā obligare

tanquam legem; quare rectè multi docent ad obligationem legis per accidens requiri scripturam, quatenùs ad obligationem requiritur publicatio, & legis memoria, ita Baldus *in l. humanum C. de legibus* Ancaran. *in cap. Nemo de Regulis Iuris in 6.* Bald. Aretinus, Felinus, & Detius *in Rubrica de constitution.* Mascard. *de probationibus concl. 421.* Antonius Sola *in constitut. antiquas Subaudiæ in proemio*
20 *Glosa 4. n. 2.* Tertiò quando legislator in suis legibus consueuit certum stylum, ac ritum seruare in publicatione suarum legum, tunc si lex eo modo, ac solito ritu non publicetur non obligat, neque vllum habet effectum, quia non dicitur publicata, ita Angelus *in §. fin. in fine authentico de non eligendo secundo nubent.* Alexander *cons. 39. num. 4. volum. 3.* Soccinus iunior *consil. 30. num. 15. vol. 1.* Antonius Sola *in constit. antiquas Subaudiæ in proemio glosa 4. n. 12.* Baldus *consil. 382. vol. 2.* Gabriel *cons. 178. num. 54. vsque in finem lib. 2.* vbi ait non sufficere constitutionem esse impressam, nisi more solito publicetur, Suarez *de legibus lib. 3. cap. 15. num. 6. in fine* Bonacina *de legibus disp. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 50.* Salas *de legibus disp. 1. sect. 9. num. 68.* Castro Palaus *tomo primo, tract. 3. disp. 1. punct. 7. num. 3.* sed Papa in suis legibus, & bullis certum stylum seruat in publicatione, nam in primis suo nomine curat imprimi, ac vulgari, certo loco legi, ac recitari præcipit, & affigi mandat in campo floræ, ac in valui Basilicæ Vaticanæ. Eundemque ritum publicationis obseruauit Sacra Congregatio in decretis de celebratione Missarum, & de Apostatis, quæ edidit authoritate Vrbani VIII. & in quibusdam alijs, quæ imprimi mandauit: ergo declarationes, & decreta, quę neque imprimi mandat, neque aliter solito ritu vulgari; non vult tamquam leges haberi totam Ecclesiam obligantes. Quartò, quia quando Papa vult legem authenticè declarare, tunc eam declarationem, non secus ac cæteras Pontificias leges præcipit promulgari, sic Sixtus V. in bulla qua priorem de illegitimis declarauit.

Probatur Tertiò, quia esto Sacra Congregatio cõsulto Pontifice declaret, adhuc tamen ea declaratio non est lex generalis; ratio est, quia eiusdem
21 Principis declaratio propriæ legis, seu rescriptũ, aut Epistola Principis respondentis, non facit Ius generale, quò ad omnes; nisi expressè declaret se velle generalẽ legem sancire, quò ad omnes, eamque promulgari mandet, vt patet *ex l. leges vt generales C. de legibus*, ibi, *vel per omnes populos indicum, pro grammatibus diuulgari*, & ita intelligunt omnes *tex. in l. fin. C. de legibus & leg. 1. ff. de constit. Principum* vbi Iason *num. 10.* ex Iacobo de Rauen. & Alberico sic scribit. *Sententia Principis habet vim legis intellige, quando in ea hoc fuit dictum: Secundò, quando esset redacta in corpus Iuris*, & Iacobus de Rauen. dicit: *quod Aduocati Curiæ Romanæ quando deficiunt eis iura, dicunt: Ego sic vidi interloqui Papam in simili casu: Sed istæ interloquutoria nihil faciunt, dato quod sint vera, cum non sint redacta in corpus Iuris*, ita Iason, & Felinus *in cap. in causis num. 3. de re Iudicata*, ac Alexander *consil. 160. num. 9. lib. 7.* vbi ait e *quod declaratio Principis alicui Iudici per rescriptum, aut Epistolam transmissa, non facit Ius quò ad alios*, idem docent Suarez *lib. 3. de legibus cap. 15. in fine* & Castro Palaus *tomo primo tract. 3. disp. 1. punct. 8. num. 6.* & Couar. *in 4. Decret. parte 1. cap. 7. §. 4. num. 15.* Ergo cum Papa nullibi declarauerit se velle has Concilij Tridentini declarationes esse leges totam Ecclesiam obligantes; quamuis ab ipso approbarentur, tamen non constituunt Ius generale quò ad omnes.

Confirmatur ex doctrina Baldi *in l. 3. C. de legibus* vbi ait, quod *sententia Principis non facit Ius generale, quando Princeps non vult eam claudi in corpore Iuris.* Hinc est quod Epistolæ decretales Summorum Pontificum, quæ non sunt clausæ in corpore Iuris, non sunt leges, neque tanquam leges allegantur in decisionibus causarum, vt ait Romanus *consil. 512. num. 13.* Ergo cum Summ. Pontifex nolit has declarationes, aut claudi in corpore Iuris, aut eius authoritate eas in vnum volumen redigi signum est nole eas vim legis habere.

Probatur Quartò, quia plura signa sunt, ex qui-
22 bus patet nolle Papam has declarationes esse leges vniuersam Ecclesiam obligantes. Primò, quia non publicantur. Secundò, quia non imprimuntur authoritate Apostolica. Tertiò, quia eadem authoritate non sunt in vnum volumen redactæ, vt cæteræ leges. Quartò, quia ideo Sixtus V. hanc Sacram Congregationem interpetrum Tridentini instituit, quia Pius IV. prohibuerat quodcumq; genus interpretationis in Tridentinum, quare quamuis istæ declarationes non sint leges, tamen cum tanta authoritate, prudentia, & maturitate fiant, magnum est cunctis fidelibus beneficium, eas sibi proponi, quas possint inoffenso pede tutissimè sequi. Quintò, quamuis Eminentissimi maturo Consilio decernant, tamen non tanta diligentia, quanta par est vniuersales leges prodire. Sextò, sæpissimè inuicem hæ declarationes contrariæ sunt, ob dissidentes pro tempore Eminentissimorũ interpretum opiniones: at leges vniuersales rarò contrariæ sunt; nisi ex noua causa antiquè corrigantur, prudenter enim Cleon censuit, *Meliorem esse statum Reipublicæ, quæ legibus vtitur deterioribus, sed firmis, ea quæ frequenter eas commutat*; latè & doctè Adamus Contzen *politicorum lib. 5. c. 13.* Septimò, leges vniuersales rarò fiunt: at istarũ declarationũ infinitus est numerus. verissimè Plato. *Apud quos plurima leges ibi, & lites.* Vide eruditum Adamum Contzen *politicorum lib. 5. cap. 11.* Octauò, frequenter decisiones Sacræ Congregationis prodeunt ex particularibus facti alicuius circumstantijs, quare tunc nequeunt esse leges vniuersales. Nonò, Sixtus V. concessit interpretari concilij Decreta: at declarationes istæ sæpè alia Iura declarant, & vltra vim Verborum Tridentini, ac plerumque non interpretationes, sed dispositiones dicendæ sunt. Decimò, sepè fiunt inconsultò Pontifice contra formam bullæ Sixti V. Ex quibus omnibus probabiliùs mihi videtur eas non esse leges.

Restat vt respondeamus ad Argumenta adducta pro prima Sententia.

Ad Primum Respondetur retorquendo argumentum nam cum leges vniuersales totam Ecclesiam obligantes statuere, easque authenticè declarare,

clarare,

clarare, seù leges declaratiuas ferre, sit soli Papæ
23 reseruatum l. fin. C. de legibus, debuisset Sixtus V. in sua bulla id apertissimè exprimere: non expressit; ergo noluit. tum quia Sixtus V. sacræ Congregationi Cardinalium concessit, quod Pius IV. omnibus prohibuerat: sed prohibita erat doctrinalis interpretatio Tridentini; ergo concessa Cardinalibus tantum doctrinalis interpretatio. Denique, quicquid sit de his coniecturis, certè tanta authoritas ferendi leges totam Ecclesiam obligantes, non est ex solis coniecturis afferenda.

Ad Secundum Respondetur Vrbanum VIII. hoc tantum voluisse, nempè tollere abusum falsò confictas declarationes Cardinalium allegandi, quæ cum magni sint ponderis, quamuis non essent leges, magnũ inde erat Reipublicæ præiudicium.

Ad Tertium Respondetur me vltro fateri, in aliquo casu, quando scilicet ad instantiam partis
24 Sacra Congregatio declarat, tunc eius declarationem habere vim definitiuæ sententiæ, hoc autem tantum est in ea causa non in cæteris, quod patet, nam si Iudex in particulari causa corã se vertente, Ius necessariò interpretatur Innoc. *in cap. cum speciali col. 2. de appellat.* Felinus *in cap. Ecclesia de constitut.* à fortiori Sacra Congregatio in causa sibi proposita necessariò interpretatur; & in tali casu
25 puto iudicem ferentem sententiam, contra tale decretum, in authentica forma sibi exhibitum, nulliter iudicare, nam sententia lata contra sententiam, quæ transiuit in rem Iudicatam, est ipso Iure nulla, etiam in diuersa instantia, si de prima exceptum sit, & de ea plenè iudici constat, *c. inter monasterium de re Iudicata l. 1. C. quando prouocare non est necesse l. 1. C. sentent. rescindi non posse* Romanus *consil. 410. num. 4.* Gratus *responso 85. vol. 2.* Rota *Perusina decis. 72. num. 4. & 30. parte 2.* Præterea, sententia lata contra responsum antiquorũ Iurisconsultorum, quibus Ius erat iura interpretandi, erat ipso Iure nulla, vt dicunt Io: de Platea, & Angelus Aretinus *in §. responsa Prudentum Inst. de Iure*
26 *naturali gentium, & ciuili*. Ea autem Responsa, antequam essent leges clausæ in corpore Iuris, non habebant authoritatem, nisi in particulari illa causa, in qua respondebant, non enim faciebant Ius generale, quo ad omnes, id indicãt S. Isidorus *ethimologiarum lib. 5. cap. 14. Responsa, inquit, sunt, quæ Iurisconsulti respondere dicuntur consulentibus, vt dissidentium lites, contentionesque sopirent*: ergo eorum responsa non erant leges, sed sententiæ latę in particulari causa, Budeus *in pandectas lege prima ff. de iust. & Iure fol. 8.* sic scribit *Venerandi illi Iurisconsulti omni genere litteraturæ Instructissimi, gratuitam non quæstuosam Iurisprudentiam habentes, in publicum quotidie prodeuntes, vnicuique ciui consulendos se antiquo instituto præbebant*. ita Budeus. Nullam ergo legem sanciebant, sed consulti sententiam dabant, litesque dirimebant.

Itaque in cæteris causis non habent declarationes Cardinalium vim sententiæ, neque legis, neque necessariam authoritatem, sed tantum doctrinalem, ac maximè probabilem; Vnde non rectè dixit Salas *de legibus disp. 21. sect. 12. coroll. 6.* sententiam contra ipsas latam esse ipso Iure nullam, id enim in omni causa verum non censeò, cum non sint leges.

Ad Quartum Respondetur, vel id procedere, quia habentur in magna veneratione, quamuis nõ sint leges, vel quia in particulari illa causa, in qua dantur habent vim sententiæ diffinitiuæ, præsertim, si fiant citatà parte. Vel quia Auditores notę, alijque sequuntur probabilem illam opinionem, quod sint reuerà leges.

Ad Quintum satis patet ex dictis pro quarta sententia.

Ad Sextum Respondetur decisiones Concilij
27 Neapolitani esse leges in Regno, quia Iure Regni, præsertim in pragmatica *& si decretu de officio Sacri Regij Consilij*, id est expressum. Vel rectiùs dicẽdum eas impropriè, & abusiuè vocari leges, cum non promulgentur, vt ait Borrellus *in summa decis. tom. 1. tit. 13. num. 18.* Addentes *ad Afflictum decis. prima*, & Pyrrus Alphanus insignis Doctor, quem refert Amendola *ad Francum decis. 81. num. 3.*

Ad Septimum patet ex dictis in responsione ad tertium.

Ad Octauum patet ex dictis in secundo argu-
28 mento pro quarta sententia, quibus addo, quod tunc statutum dicitur publicatum, ex eo quod habetur insertum in libro statutorum, quando eius libri copia, vel impressa est, vel omnibus datur, seù eius libri copia communiter habetur, ita Antonius Sola *in constit. antiquas. subaudiæ in proæmio glosa 4. n. 11.* post Cagnolum *in l. 2. num. 78. ff. de origine Iuris*; tunc enim diceretur insertum in corpore Iuris, vt ait Romanus *consil. 260. num. 3.* At copia libri declarationum sacræ cõgregationis à nullo habetur; ergo non dicitur publicata declaratio, quę fit in secreta aula, & in secretissimo libro apud secretarium Congregationis latet.

Ad Nonum Respondetur regulas Cancellariæ solemniter in ipsa Cancellaria publicari, quod sufficit ad veram, & propriam publicationem, modus enim legem publicandi committitur arbitrio legislatoris, vt ait Vasquez *1. 2. disp. 155. c. 2.* & Salas *de legibus disp. 12. sect. 1.*

Ad Argumenta pro Secunda sententia patet ex dictis in tertio argumento pro quarta sententia.

Ad Argumentum pro tertia sententia Respon-
29 detur ad rationem legis non sufficere decretum, seù declarationem sacræ Congregationis ab Episcopo in sua Diœcesi solemniter publicari, quia ea publicatio debet fieri ex voluntate, & Imperio Papę, qui nunquam mandauit nec permisit has declarationes, tamquam leges publicari, vt scribunt Villalobos *tom. 1. tract. 2. diff. 7. num. 5.* & Portel. *in verbo Cardinalium Declarationes*.

Ex dictis patet declarationes sacræ Congrega-
30 tionis etiam si factæ sint consulto Papa, tamẽ non tollere probabilitatem opinionis oppositæ illi, quã decernunt. Ratio est, quia non potest opinio, quę erat probabilis ante declarationem euadere improbabilis, & falsa, nisi vel conuincatur falsa euidenti ratione, vel noua lege oppositum statuatur, seù declaretur, sed istæ declarationes non habent vim legis; ergo &c.

QVÆSTIO VII.

An mortaliter peccet, qui in confuso iudicat esse malum, non distinguens an sit mortale, vel veniale?

SVMMARIVM.

Prima Sententia asserit id determinari ex obiecto. n.1.
Secunda Opinio asserit semper esse mortale. num.2.
Tertia Opinio asserit semper esse veniale. num.3.
Dicendum, si manifestè apparet grauitas obiecti est mortale; si non apparet manifestè est veniale. nu.4. & 5.

1 PRima Opinio est, hunc mortaliter peccare, si obiectum in quod fertur voluntas in se sit mortale, venialiter si veniale, ita Vasquez *par.2. disp.59. c.3. num.10. Sanchez lib.1. sum. c.11. num.7.*

Probant quarta indifferentia illa cognitionis determinatur ex obiecto.

Contra primò, quia plerumque obiectum, quamuis non in se sit graue, tamen respectu talis intellectus apparet ex sola eius propositione eius grauitas, quamuis .n. sufficienter appareat mortalis malitia iuramenti cum mendacio iocoso, respectu Theologi, & docti viri, non tamen respectu rustici; ergo ex sola propositione obiecti, quod in se est mortale, non habetur, quod voluntas implicitè consentiat in mortale.

Contra II. quia potest aliquando voluntas ferri in obiectum, quod sit ex se indifferens ad mortale, & veniale v. g. si volo furari talem librum, cuius pretium nullatenus noui, non enim mihi proponitur, nisi furtum in genere, non distinguens, an sit graue vel leue; ergo ex sola propositione obiecti non habetur consensus in determinatam malitiam mortalem, vel venialem.

Secunda opinio est semper peccare mortaliter
2 quāuis obiectum in quod fertur voluntas esset ex se veniale, ita Castro Palaus *tract. 1. disp. 1. punct. 2. num.6. Azor. tomo 1. lib.2. cap.8. q.6.* Clauis Reg. *lib.1. c.4. num.17.* Reginaldus *tom.1. lib.11. cap.32.* Io: Sanchez *disp.18. n.1.*

Probant quarta talis voluntas, quæ fertur in malum absque distinctione venialis, vel mortalis, iam se exponit periculo amplectendi malitiam mortalem, sicut is qui cum dubio operatur, per accidens enim fuit, quod obiectum veniale solum esset, eodem enim modo illud amplecteretur, si mortale fuisset.

Contra I. quia tunc aliquis mortaliter peccat ratione periculi peccandi mortaliter, cui se temerè exponit, quando agnoscit periculum, dicitur enim Eccles. 3. Qui amat periculum peribit in illo; nequit autem amare periculum nisi periculū agnoscat; Sed is tantum agnoscit periculum, qui dubitat de illo, qui enim neque dubitat, neque ei venit in mentem aliquo modo mortalis malitia, hic nullo pacto talis malitiæ periculum agnoscit; ergo neque ex hoc capite peccat, quia se periculo peccandi exponit.

Contra II. quia si vera esset doctrina Castr. Palai, sequeretur, quod concupiscens mulierem quam videt, de qua nullo modo cogitat an sit coniugata, voto Castitatis adstricta &c. quod hic peccaret peccato adulterij, & sacrilegij, quia se exposuit periculo consentiendi in adulterium, sacrilegium: sic iaculo feriens hominem à longè stantem, de quo non cogitat, an sit Clericus, suus consanguineus, &c. hic peccaret peccato sacrilegij, & parricidij, quæ tamen falsa sunt.

Contra tertiò, quia durissimum est asserere; deuotam mulierem, aut rusticum peccare mortaliter, & quod non discernens, an sit peccatum mortale, vel veniale, maledicit ignem, fumum, &c.

Tertia est opinio eum qui non discernens an sit mortale, vel veniale, cognoscens esse malum, ali-
3 quid operatur, peccare venialiter tantùm, nisi dubitet esse mortale, vel veniale, ita *Nauar. in summ. latina, prælud.9. num.9.* Lopez *p.1 Instruct. c.3. vers. præterea.* Valentia *par. 2. disp. 2. quæst.14. punct. 4. quæst.3. in fine.* Salas *1. 2. quæst.21. tom. 8. disp. vnica, sect.3. num. 33.* Diana *p. 1. tract. 7. resol. 34. & p.3. tract.4. resol. 162. & par. 5. tract. 5. resol. 31.* Perez *certam.10. scholast. num.29.*

Probant, quia malitia in cōmuni non est maior malitia, quam quæ reperitur in materia leui, alias non esset veniali; & mortali communis, si talis malitia excederet culpam venialem.

Contra primò quicquid sit, an malitia in communi non excedat malitiam, quæ reperitur in materia leui, idest omnino impertinens ad casum nostrum; nam malitia in communi non datur, nisi per intellectum, non à parte rei; voluntas enim non peccat peccato in communi, sed tali indiuiduo peccato: sicuti quamuis detur animal in communi per intellectum, non tamen datur animal in communi à parte rei.

Contra secundò, nam qui detestatur peccatum in communi omne peccatum etiam mortale detestatur; ergo qui vult peccatum in communi, v. g. qui diceret mallem peccare, quam occidi, non distinguens quo peccato hic etiam mortale videtur amplecti.

4 Dico primò. Si obiectum respectu talis intellectus, manifestè apparet graue, peccat mortaliter is, qui illud amplectitur; quamuis explicitè non cognoscat esse mortale, v.g. inueni crumenam mille aureorum, quos puto me teneri pauperibus dare, cum dominum non inuenerim (quos, iuxta probabilem opinionem, non teneor reuera restituere) si non restituo mortaliter pecco, etiamsi non discerno an sit mortale, vel veniale. Ratio est aperta, quia ipsa obiecti grauitas mox repræsentat mortalem malitiam, nisi restituam.

5 Dico secundò. Si obiectum respectu talis intellectus manifestè non apparet graue, non peccat mortaliter; sed venialiter tantùm, qui illud amplectitur, tria afferam exempla.

Primum est: scit rusticus peccatum esse iurare cum iocoso mendacio; numquam autem illi venit in mentem, an sit peccatum mortale, vel veniale; talis rusticus venialiter tantùm peccat; nam grauitas obiecti, ex sola eius propositione, intellectui rustico non apparet, quinimmò si interrogaretur, responderet se non putare esse graue peccatum.

Secundum

Secundum exemplum quidam dicenti malo mori, quam peccare respondit imò malo peccare, quàm mori, is non peccauit, nisi venialiter tantùm. Tertium exemplum librum aliquem mihi necessarium scio in tua Bibliotheca esse, cuius tamen magnitudinem, aut pretium, an leue, vel graue, neque scio, neque in mentem venit, delibero illud furari, non pecco, nisi venialiter tantùm.

Probo, quia mortalis malitia, cum tam grauis sit, & æternam afferat damnationem, nosque omninò auertat à summo bono, nunquam censetur volita, nisi aliquo modo tanta grauitas malitiæ cognoscatur; Sed non potest cognosci, nisi vel de ea dubitetur, vel saltem implicitè ex ipsa manifesta grauitate obiecti propositi appareat; ergo in prædictis exemplis, & alijs, in quibus nullo pacto occurrit peccati grauitas, non censetur in eam ferri voluntas.

Confirmatur nam quamuis sciam opus aliquod esse prohibitum, nisi in mentem veniat censura, saltem de ea dubitando, censuram non incurro (idq; propter talis pœnæ grauitatem) ergo nisi in mentem veniat mortalis malitia, saltem vel de ea dubitando, vel ex *ipsa manifestè* apparente grauitate obiecti, nunquam illa censetur volita propter eius grauitatem.

Confirmatur secundò. Nam ad peccatum mortale requiritur plena, & perfecta deliberatio; ad plenam autem, & perfectam deliberationem requiritur perfecta cognitio: sed cognitio plena, & perfecta non est, quando cognoscitur esse peccatum in communi, non autem aduertit, neque dubitat intellectus an sit mortale, vel veniale; ergo tunc non adest perfecta deliberatio; ergo ex defectu plenæ deliberationis non incurritur mortalis malitia.

QVÆSTIO VIII.

An peccet, qui putat vtramque partem contradictionis esse peccatum, nempè actum, & omissionem actus, vt audire Missam deserendo infirmum, & omittere Missam propter infirmum.

SVMMARIVM.

Non peccare docent omnes. num. 1.

In eiusmodi perplexitate eligendum est, quod minus malum, seu obseruandum præceptum, quod magis obliget. num. 2.

1 RESpondetur negatiuè ita omnes Scotus in 4. *dist.* 30. *quæst.* 2. §. *de secundo*. Suarez *p.* 2. *tr.* 3. *disp.* 12. *sect.* 5. *num.* 3. Thomas Sanchez *lib.* 1. *sum. cap.* 11. *num.* 14. Io. Sanchez *disp.* 41. *num.* 27. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 7. Beccan. *p.* 2. *tr.* 1. *cap.* 49. *quæst.* 8. *concl.* 4. Palaus *tract.* 1. *disp.* 1. *punct.* 5. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Granadus, 1. 2. *tract.* 12. *disp.* 6. *num.* 8.

Probatur, quia non est peccatum, nisi voluntarium, seu liberum: sed nec actus, nec omissio actus sunt actiones liberæ in ratione turpis, vel honesti; ergo nec auditio, nec omissio erit peccatum nam cum putem me semper peccare, non sum liber ad peccandum, & non peccandum. Suppono autem me inuincibiliter ignorare veritatem cum operor, ex eo quia tunc non inuenio, qui me instruat, nec me ipso possum veritatem assequi.

Confirmatur, nam similiter, vt rectè ait Sanchez *l.* 1. *sum. cap.* 11. *num.* 3. constitutus in carcere putans se peccare missam non audiendo, hic non peccat, quia non est liber ad peccandum, & non peccandum.

2 Cum autem duo præcepta incompossibilia simul occurrunt, tunc quod maioris est ponderis, & in quo minus malum apparet obseruandum est, cuius rei certa regula assignari nequit, vt ait Beccan. vbi supra num. 9. sed expendenda est præceptorum vis, ac natura, rei circumstantiæ, commoda, & incommoda, tunc enim qui verè habet voluntatem non peccandi, & sufficientem adhibet diligentiam, nunquam practicè peccabit, saltem grauiter, etiam si fortè eligeret id, quod maius malum est modo ipse nesciret esse maius malum, ita Beccanus.

QVÆSTIO IX.

An mortaliter peccet is, qui erroneè putat vtramque partem contradictionis esse peccatum, si eligat, quod cognoscit esse maius peccatum.

SVMMARIVM.

Certum est hunc peccare. num. 1.

Peccaret mortaliter, si euidens est obiectum excedere mortali malitia, quia vnum putatur mortale, alteram veniale peccatum. num. 2.

Non peccat mortaliter, si vtrumque putatur mortale peccatum. num. 3.

1 PEccare hunc certum est, debet enim minus malum eligere, *vt ex cap. Nerui* 6. *dist.* Abbas *in cap. non magnopere num. vlt. de Immun. Ecclesiastic.* Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 4.

Probatur, quia si puto maius peccatum audire sacrum deserendo infirmum, quamuis omittere sacrum, putem etiam peccatum mortale esse, tamen illa maior malitia deserendi periculosum infirmum, secundum id, quod excedit malitiam omissionis sacri, potuisset non eligi: ergo liberè est volita illa maior malitia: ergo peccat voluntas eligendo illam maiorem malitiam.

Itaque certum est, hunc eligentem id, quod maius peccatum esse cognoscit, peccare, difficultas est, an peccet mortaliter, vel venialiter, etenim vt supra dixi, si vtrumque æquale peccatum putaret, aut ad id non aduerteret vtique nullo modo peccasset.

2 Dico primò. Si ex ipsa obiecti propositione, aut aliàs manifestè appareat vnum esse peccatum veniale, vt mentiri, aliud peccatum mortale vt prodere

dere hominem eius inimico; tunc eligens prodere hominem peccat mortaliter. Hæc conclusio adeò est clara, vt probatione non egear.

Dico Secundò, si vtrumque putatur mortale,
5 tunc eligens maius malum non peccat, nisi venialiter tantùm.

Probatur, quia hoc peccatum non est liberum, nisi solùm in ratione excessus vnius malitiæ mortalis, supra aliam apparentem malitiam mortalem, nam secundum rationem excessus est liberum tale peccatum: sed talis excessus potest esse non grauis ex se v.g. sint duo Parochi vnus absque causa celebret non ieiunus, alter cum scandalo omittat celebrare, excessus scandali, supra celebrationem non ieiuni, aut è contra, non videtur nisi leuis. Deinde dato quod vnus excessus sit longè grauior, tamen talis grauitas excessus non apparet manifestè intellectui (vt suppono) ergo non censetur voluntas consentire in excessum, tanquã in graue, & mortale peccatum in ratione excessus, nam mortalis malitia nunquam censetur volita, nisi explicitè vel implicitè voluntas in illam consentiat, eam aliquo modo cognoscendo, cum non possit ferri voluntas in incognitum, vt patet ex dictis quæst. 7.

Confirmatur, nam difficilimum est, etiam docto viro dignoscere, an excessus vnius mortalis peccati supra aliud mortale, sit grauis & mortalis, sicut procul dubio est cum in vno peccato est duplex malitiæ species, sic excessus adulterij, supra fornicationem est excessus grauis & mortalis, quia adulterium æquiualet duplici peccato, at in cæteris peccatis difficile est grauitatem excessus aduertere, quare nunquam ferè inter duo mortalia apparet manifestè grauitas excessus præsertim tali indocto viro, qui erroneam habet conscientiam, & putat actum, & omissionem actus esse mortale peccatum, quare etiam si iste putet se peccare eligendo maius malum, non peccat mortaliter, si putet se eligendo minus malum, etiam peccare mortaliter, nam ille excessus, in quem liberè consentit, non illi apparet manifestè excessus grauis, & mortalis.

QVÆSTIO X.

An possit sequi opinio probabilis relicta probabiliori, & tutiori?

SVMMARIVM.

Negant aliqui. num. 1. affirmant communiter. num. 2.
Quæ opinio dicatur tutior. num. 3. & 5.
Multa falsa sunt probabiliora viris. num. 4.
Quam opinionem possit sequi indoctus. num. 6.
Quando opinio versatur circa factum, seù circa rem ipsam, tunc debet sequi ea, quæ tutior est. num. 7.
Quæ dicatur opinio probabilior? num. 8.
Licet operari secundum opinionem probabilem, contra propriam opinionem. num. 9.
An liceat operari secundum opinionem ab alijs doctis reputatam probabilem, si eam falsam credas? n. 10.
An ex duabus opinionibus æquè probabilibus quælibet possit eligi. num. 11.

1 REspondeT negatiuè Caiet. *v. opinio* Syluest. *verbo opinio num. 2. in fine, & verbo dubium quæst. 2.* Contadus *tract. 7. de contract. quæst. vlt.* Adrian. *quodlib. 2. quæst. 3.* Sotus *lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 5. ad 4.* Nauar. *cap. 27. num. 284.* Corduba *lib. 2. quæst. 3.* Anton. Perez *in laurea salmant. certam. 10. num. 55.* S. Anton. *p. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. regul. 4.* Gabriel *in 4. dist. 15. quæst. 8. art. 3. dub. 2. in 3. probat. primæ Conclusionis* Comitolus *resp. moral. lib. primo, quæst. 15.*

Probant primò, quia si homo deberet ferre iudicium inter res probabiles, necessariò iudicaret verum quod iudicaret probabiliùs: ergo agere contra tale iudicium, est agere contra prudentiã, & contra conscientiam.

Secundò, quia sic operando, magis se exponit periculo operandi malum.

Tertiò, quia in dubijs tutior pars est eligenda *cap. Iuuenis de sponsalibus cap. si quis autem de pœnit. dist. 7.* sed probabilior opinio est tutior in conscientia; ergo &c.

Quartò, quia ratio, qua aduersarij nituntur non conuincit; dicunt enim non teneri me sequi opinionem probabiliorem, quia esset intollerabile onus obligare homines ad conferendas singulas opiniones: sed hæc ratio nulla est; quia tantùm probat, me non obligari ad discutiendum, quæ sit opinio probabilior, quando de hoc dubitatur, quia vtraq; apparet probabilis; at supposito quod omnes authores conueniant, hanc esse opinionem probabiliorem, & talem ego eam iudicem, non est onus intollerabile obligari ad illam sequendam.

His non obstantibus, Respondeo: posse tuta
2 conscĩetia me sequi opinionem probabilem omissa probabiliori, etiam si probabilior esset tutior,
3 vt si eam sequendo nullum possit esse peccatum v.g. si opinio, probabilis dicat me non obligari ad ieiunium, probabilior dicat me obligari, tunc opinio obligans ad ieiunium non solum esset probabilior, sed etiam tutior, ita docent omnes communiter Vasquez *parte 2. disp. 62. cap. 4. num. 14.* Valentia *parte 2. disp. 2. quæst. 12. punct. 5. & 22. disp. 5. quæst. 7. punct. 4. col. pen. vers. Respondeo dupliciter* Sanchez *l. 1. sum. cap. 9. num. 14. & de matr. lib. 2. disp. 41. num. 30. & lib. 3. disp. 20. num. 4. lib. 8. disp. 6. num. 18.* Suarez *de censuris disp. 40. sect. 5. num. 6. de pœnit. disp. 22. sect. 9. n. 6. & prima secundæ tract. 3. disp. 12. sect. 6. num. 8.* Medina *p. 2. quæst. 19. art. 6.* Bannes *2. 2. quæst. 10. art. 1. dub. 3. in obiect. contra 4. concl.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 16. quæst. 2. 3. & 4.* Aragon. *2. 2. q. 63. art. 4. dub. pen. & ibid.* Salon *controu. 2. concl. 4.* Lopez *prima par. Instruc. cap. 120. & 287.* Salas *1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 6. num. 66.* Lessius *libr. 2. cap. 29. dub. 8. num. 68.* Malderus *part. 2. disp. 86. assert. 3.* Tannerus *prima secundæ disp. 2. quæst. 4. dub. 3. num. 36.* Lorca *parte 2. disp. 39. mem. 2.* Petrus Nauar. *de rest. lib. 3. cap. 1. num. 237.* Garsias *de benefic. tom. 2. part. 11. cap. 5. num. 361.* Reginald. *lib. 13. n. 95.* Pasqualigus *decis. 5. & 32.* Layman *lib. 1. tract. 1.*

tract.1. cap. 5. §.2. num.7. Pontius *de matrim. libr. 10. cap.15. num. 4.* Diana *parte 1. tract. 13. reſol.1.* Io: Sanchez *diſp.42. num. 12. verſ. porrò, & diſput. 44. num.66.* Sayrus *in Claui Regia lib. 1. cap.5. num. 4. & 8.* Caſtro Palaus *tom.1. tract. 1. diſp.2. punct. 2. num. 2.* Villalobos *tomo primo tract. 1. diffic. 10.* Merolla *tom.1. diſp. 3. cap.4. num. 24.* & Caſtillus Sotomaior *de tertijs cap.12. num.39.*

Probo, quia probabilis opinio eſt illa, quæ graui ratione, aut authoritate nititur: ergo qui ſequitur talem rationem, vel authoritatem rationabiliter, atque adeo prudenter operatur: ergo poteſt quis ſecundum illam operari, omiſſa alia probabiliori, quia illa probabilis opinio, adhuc ſtante probabiliori, retinet ſuarum rationum, vel authoritatum firmitatem, & grauitatem.

Probatur ſecundò, quia excedit ordinarium modum humanę facultatis maiorem cognitionem obtinere in ſingulis actionibus; eſſet enim intollerabile onus obligare ſingulos homines ad conferendas ſingulas opiniones.

Neque dicas ſaltem teneri te ſequi probabiliorem, ſi iam cognoſcis *illam* eſſe probabiliorem, neque id eſſe *intollerabile* onus.

Reſpondetur enim quod ſi teneris ſequi probabiliorem, etiam obligatus eſſes inquirere illam, quod eſſet infinitis ſcrupulis aditum facere.

Confirmatur, quia quandiù eſt probabilis opinio, quod nullum ſit aliqua de re præceptum v. g. de Ieiunio in tali die, talis lex de Ieiunio non dicitur ſufficienter propoſita, quare non habet vim obligandi.

Confirmatur ſecundò; Nam ex Ariſt. *multa fal-*
4 *ſa ſunt probabiliora veris*; ergo quamuis exiſtimem hanc opinionem eſſe probabiliorem, facilè quandoque accidit vt rem diligentiùs conſideranti ea opinio non appareat probabilior; imò minus probabilis; quinimmò falſa per ſingula enim momenta vni, & idem opinio aliquæ, & probabilior, & æquè, aut minus probabilis apparet; ergo cum non ſit adeò certa maior probabilitas, non habet afferre certam obligationem illam ſequendi, ac priuandi hominem ſua libertate.

Ad primum argumentum in contrarium Reſpondetur intellectum non iudicaturum id, quod eſt probabilius, eſſe verum, alioquin iudicaret eſſe falſam opinionem probabilem; cum enim vna ſit veritas, ſi hæc ſtat pro opinione probabiliori, altera opinio neceſſariò iudicaretur falſa, contra ſuppoſitum; ergo in caſu poſito intellectus iudicabit opinionem probabiliorem magis apparere verã, quæ autem magis apparent vera, plerumque reipſa falſa ſunt, vnde Caietanus 2.2. *quæſt.10. art.7. in fine* ait *contingit aliquando magis apparere, percipi, ſatisfacere, & mouere argumenta falſa, quam ſolutiones eorum*. Ita Caietan. ergo cum dubia ſit veritas opinionis probabilioris, non ſum priuandus poſſeſſione meæ libertatis, quin poſſim ſequi opinionem probabilem.

Ad Secundum Reſpondetur; quod ſequens opinionem probabilem nulli ſe exponit periculo, eò quia illam ſequens, cum prudenter, & rationabiliter operetur, non peccat, & ſic nullum periculum incurrit. Vnde rectè ait Io: Sanchez *diſp.44. num.*
5 *66.* quod inter duas probabiles opiniones nulla datur opinio formaliter tutior, aut ſecurior; quia cum ſecuritas in eo ſita ſit, vt operans ex illa nullo modo Deum offendat, quamcunque opinionem probabilem ſequens ęquè tutus eſt, quia nullo modo Deum offendit.

Ad Tertium Reſpondetur, quod in dubijs tutior pars eſt eligenda, intelligitur, ſi ſit propriè dubium, ita vt intellectus neutri parti aſſentiatur, ſecus ſi alteri parti rationabiliter aſſentitur.

Ad Quartum Patet ex dictis.

Colliges primò ex dictis tam doctum, quàm in-
6 doctum poſſe ſequi opinionem probabilem omiſſa probabiliori, vterque enim prudenter, & rationabiliter operatur; ſed indoctus, vel parùm doctus non debet ſibi fidere, neque debet operari ſecundum opinionem, quàm probabilem eſſe legit apud aliquem ſcriptorem præſertim ex antiquis, quorum opiniones quandoque antiquatæ, aut per nouam legem reprobatæ ſunt: immò neque ſi legat apud Neotericum, quia maximo periculo errandi ſe exponit, vt docent Salonius 2.2. *quæſt.63. art.4. controu.2. notab. vltimo.* Sanchez *lib. 1. ſum. capit.9. numer.10.* huic enim conuenit illud Apellis apud Plinium *lib.35. cap.10. ſutor ne vltra crepidam*, etenim rectè inquit S. Hieronymus *omnes artes inſtructore indigent*. Neque obſtat ſi dicatur poſſe idiotam ſequi opinionem docti Confeſſarij conſulentis; ergo & ſcriptoris docentis. Diſparitas eſt manifeſta, quia doctus Confeſſarius conſiderat rei circumſtantias, ſcit aptare communes regulas ad particularem caſum, nouit doctrinæ exceptiones, & reſtrictiones; rectè intelligit authorum dicta; quæ nequit preſtare indoctus, aut parùm doctus, legendo authores, quamuis recentiores, niſi fortè caſus eſſet multùm perſpicuus, & facilis, quo caſu ſi conſtat minùs docto aliquam opinionem eſſe probabilem, eam tutò ſequi poterit, contra communem, præſertim ſi à doctis audierit eam eſſe probabilem, & ita accipiendi ſunt Doctores, qui docent poſſe imperitum ſequi opinionem probabilem ſicut tradunt Henricus *quodlib. 4. quæſt. 33.* Vaſquez 1. 2. *diſp.62. cap. 4. num.17.* Sayrus *lib. 1. cap.8.* Merolla *tomo primo diſp.3. cap.4. num.79. & ſequentibus.* Villalobos *tom.1. tract.1. diff.6. num.1.* Caſtro Palaus *tomo 1. tract.1. diſput.2. punct.1. n.4.*

Colliges Secundò, ex Suarez 1. 2. *tract.3. diſp. 12. ſect.6. num.8.* quod aut opinio probabilis verſatur circa ius ipſum v. g. an hoc ſit licitum, vel illicitum, prohibitum, aut præceptum, vt an hac die ſit ieiunandum; vel opinio probabilis verſatur circa factum, ſeù rem ipſam; an à parte rei aliquid ſit, vel non ſit, v.g. an hoc Sacramentum validè conferatur cum tali materia, an hoc medicamentum proſit, vel noceat. Si opinio verſatur circa ius, tunc poteſt ſequi probabilis omiſſa probabiliori,
7 & tutiori; ſi verò opinio verſetur circa factum, ſeu rem ipſam, tunc non poteſt ſequi opinio probabilis, imò neque poteſt ſequi opinio probabilior, ſed debet ſequi opinio tuta, ideſt quæ remota eſt à periculo, vt de materia Sacramentorum, & de medicamento, & alijs conſtabit ex dicendis. Diſpari-

tas

tas est, quia, quando opinio versatur circa ius, v. g. hoc esse licitum, vel illicitum, tunc id dicitur tutum, quod excludit peccatum; id autem excludit peccatum quod intellectus proponit voluntati ex graui ratione, aut authoritate tanquam honestum & licitum: Quando autem opinio versatur circa rem ipsam, vt circa validitatem baptismi, aut medicamenti, tunc non dicitur tutum, quod tale existimatur ab intellectu ex aliqua ratione, quantumuis graui, sed id dicitur tutum, quod à parte rei excludit omne periculum, & omne dubium; quid enim refert, quod mille medici, mille rationes probent, medicinam non nocituram, si reuera hæc deinde mortem afferat? disputantibus medicis miser æger efflabit animam.

Aduerte, quod opinio probabilior est, quæ fir-
8 miori, & efficaciori fundamento fulcitur, non quæ à pluribus doctoribus defenditur Nauar. *cap.* 27. *num.* 289. Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 44. *num.* 3. Io: Sanchez *disp.* 44. *num.* 68. Villalob. *to.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 4. *num.* 2. Castro Palaus *tomo* 1. *tract. disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 7. In dubio autem semper opinio, quæ receptior est, probabilior præsumitur; Nam ex Arist. *primo topic. cap.* 1. *& primo ethicorum cap.* 3. *& 4. probabiliora sunt, quæ videntur omnibus, vel plurimis, vel sapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis, & Illustribus*, ita Arist.

Colliges tertiò, licere operari secundum opi-
9 nionem probabilem, etiam contra propriam, & probabiliorem opinionem Vasquez 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 4. *num.* 19. Lessius libro 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 76. Io: Sanchez *disp.* 14. *num.* 8. *& disp.* 33. *num.* 33. 36. *& 46. & disp.* 41. *num.* 7. *disp.* 44. *num.* 31. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1 *diffic.* 11. *num.* 2. Pasqualigus *decis.* 15. *&* 21. Sanchez *de matrimonio lib.* 2. *disp.* 44. *num.* 4. Ratio est, quia opinio probabilis non amittit suam probabilitatem, quamuis aduersetur propriæ opinioni, aut probabiliori: ergo prudenter secundum eam operari quis potest. Excipio tamen eos casus, in quibus quis tenetur operari iuxta probabiliorem opinionem, vt de medico, ac de confessario dicam infra, sed id accipio, quando opinio, ita est probabilior, vt talis communiter reputetur, huiusmodi est communis sententia.

10 Adde, quod, quamuis quis reputet aliquam opinionem esse falsam, tamen si sciat tanquam probabilem à doctis viris admitti, tunc poterit secundùm eam operari, contra propriam opinionem, nam tunc eandem probabilem iudicat per principia extrinseca, quamuis improbabilem putet secundum principia intrinseca Pasqualigus *decis.* 22. *contra Auersam* 1. 2. *quest.* 18. *sect.* 18. *concl.* 1.

Colliges quartò, à fortiori licere operari secun-
11 dum quamlibet opinionem probabilem, si intellectus vtramque opinionem æquè probabilem censeat; Ratio est nam quælibet illarum est debita mensura operandi secundùm rectam rationem. Nauarrus *c.* 27. *n.* 284. Pasqualigus *decis.* 14.

(∴)

QVÆSTIO XI.

An peccet, qui operatur cum iudicio practico probabili de bonitate actus, v. g. iudico probabile esse me nunc non peccare, ita vt habeam quoque formidinem ne peccem?

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num. 1. *Negant alij probabiliùs. n.* 2. *&* 3. *Aliud est repræsentari actum esse malum, seù assentiri esse malum, aliud formidare malitiam actus. num.* 4. *Non peccat scrupulosus formidans se peccare cum operatur. num.* 5.

1 Prima opinio est, hunc peccare, quia ad hoc vt actus sit honestus, requiritur iudicium practicum certum de honestate, ita Caietan. *to.* 1. *opusc. vltimo respons.* 13. *dub. vltimo, & in summa v. opinionis vsus ad finem* Adrian. *quod lib.* 2. *artic. primo* Nauar *in cap. si quis autem numero* 58. *de pænit. dist.* 7. Corduba *lib.* 3. *quæst.* 5. Armilla *v. opinio numero* 2. Almain. *tract.* 1. *moral. cap.* 14. Lessius *libr.* 1. *cap.* 1. *dubit. prima num.* 5.

Fauet S. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. vbi sic ait: *Si habet certitudinem de eo, quod sequitur, attamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & tunc si manente tali dubitatione plures prabendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem.* Hæc S. Thomas.

Sed hanc S. Thomæ authoritatem variè conantur explicare Medina, Salas, & Sanchez infra citandi.

Probant primò, quia operans quantum potest debet cauere periculum peccandi, iuxta illud *Ecclesiastici tertiò, qui amat periculum peribit in illo*: Sed nequit cauere periculum, nisi habeat iudicium certum; alioquin si formidet se peccare, non cauet, sed se exponit periculo: ergo.

Respondet Salas, hoc intelligi de eo qui cognoscit periculum, & illi se exponit, secus si de periculo non cogitet.

Contra qui habet practicum iudicium probabile actum esse bonum, formidat nihilominus se peccare; ergo si formidat peccatum, verè cogitat de peccato, & cognoscit se periculo exponere.

Probant secundò, quia in dubijs tutior pars est eligenda.

Respondet Salas, id esse ex Consilio, tum quia id est verum, nisi adsit magnum incommodum.

Contra, ideo in dubijs tutior pars est eligenda, quia alioquin magis quis amaret suam exequi voluntatem, quàm transgredi diuinã legem; ergo tutior pars est eligenda non solùm ex consilio, sed etiam ex præcepto, quo tenemur diuinam legem nostræ voluntati præferre, & non solum cum paruo, sed etiam cum magno incommodo.

Probat tertiò, Nauar. vbi supra, quia medicus, qui opinatur vinum non nocere ægroto si propter opinionum contrarietatem formidaret nocitu-

rum.

rum, tamen vt experiretur propinat vinum, & moritur Ægrotus, peccat quia exponit periculo ægrotum: ergo etiam peccat, qui formidat se peccare, & cum ea formidine operatur; exponit enim se periculo peccandi.

2 Secunda opinio est, quod ad honestatem actus sufficit habere Iudicium probabile practicum de honestate actus, ita Gerson *tract. de præparat. ad Missam considerat. 3. alphab. 37. lit. S.* Vasquez *p. 2. disp. 62. cap. 5. num. 26.* Salas *1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 4. n. 4.* Sanchez *lib. 1. sum. cap. 9. num. 18.* Granado *controu. 2. tract. 12. disp. 3. sect. 3.* Pasqualigus *decis. 34.* Baldellus *tomo 1. theol. moral. libro 4. disp. 10. num. 2.*

Probat primò, Salas, quia tunc actus est malus, quando adest iudicium certum, vel probabile, aut adest dubium de malitia actus: sed huiusmodi non sunt, quando adest iudicium probabile de honestate actus: ergo tunc actus non est malus; sed neque est actus indifferens cum operetur ex motiuo honesto: ergo est actus honestus. Maior patet quia quando non adest iudicium certum, aut probabile, aut non adest dubium de malitia actus, tunc non repræsentatur Intellectui malitia actus: ergo tunc actus non est malus.

Contra cum iudicio probabili de honestate, adhuc intellectus formidat de malitia: ergo adhuc repræsentatur intellectui malitia: ergo actus est malus, nam se exponit periculo malitiæ.

Contra secundò, quia cum Iudicio probabili de honestate, adhuc possum habere aliud Iudicium probabile de malitia, possum enim iudicare vtramque partem contradictionis esse probabilem: ergo stante Iudicio probabili de bonitate, potest intellectui repræsentari æquilis probabilitas malitiæ: ergo se exponit periculo.

Probat secundò Salas, quia certitudo de bonitate actus (formando iudiciũ practicè certum actum esse bono) non potest haberi ab omnibus: ergo non requiritur iudicium certum de bonitate actus.

Contra negatur consequentia, quia per accidens est, quod rusticus, aut indoctus, nequeat formare iudicium practicè certum; imò poterit formare, si credat confessario dicenti se non peccare in tali actu: ergo ex hoc, quod nequeat indoctus formare iudicium practicè certum, non sequitur quod poterit operari cum iudicio formidoloso practicè, seu opinatiuo practicè: sicuti, neque sequitur quod indoctus poterit operari cũ iudicio practicè dubio, eò quia ignoret deponere dubium, & formare iudicium certum.

Probat tertiò Salas, quia cum de hoc ipso opiniones sint, an liceat sequi opinionem probabilem omissa probabiliori, sequeretur, quod ferè numquam possemus formare iudicium certum me nunc non peccare, sequendo opinionem probabilem, quia non est certum, sed probabile me posse sequi opinionem probabilem: Hoc autem durissimum esset.

Contra quia probabilius est licere sequi opinionem probabilem, & oppositum quod non liceat, est tantùm probabile: sed certum est quod licet sequi, id quod apparet probabilius: ergo possum formare Iudicium certum, nempè certum est me non peccare, sequendo opinionem probabilem omissa probabiliori.

3 Vnica conclusio. Ad honestatem actionis sufficit iudicium practicum probabile de honestate.

4 Probo quando adest iudicium, seu assensus intellectus de honestate, formido verò de malitia; tunc non repræsentatur ab intellectu voluntati actus, vt malus, aut cum malitiæ periculo: ergo actus non est malus. Antecedens Probatur, quia tunc repræsentaretur, vt malus, quando intellectus assentiretur esse malum, seu se tunc peccare; tunc etiam repræsentaretur periculum mali, quando intellectus non iudicaret esse bonum, sed dubitaret: at iudicando esse bonum, iam implicitè, & exercitè iudicat abesse periculum: Nec formido malitiæ sufficit ad repræsentandum actum periculosum; quia formido illa, non inuoluit assensum de malitia. Quare repræsentari malitiam, aut malitiæ periculum non est malitiam quomodocunque cognoscere, sed est assentiri adesse malitiam, aut dubitare de illa, formidare autem, neque est assentiri, neque dubitari.

Dices intellectus assentitur actum esse probabiliter illicitum: ergo assentitur adesse malitiam.

Respondetur hunc assensum de malitia esse speculatiuum non practicum; nam hoc ipso, quod voluntas se determinat operari, ex illo assensu, quo intellectus assentitur esse actum probabilitet licitum, iam intellectus reuera exercitè, & practicè iudicat se non peccare; & tantùm adest formido peccati, non autem iudicium practicum quod tunc peccet.

5 Confirmatur, nam alioquin sequeretur (quod etiam fatetur Caietan. *t. 1. opus. vltimo, resp. 13. in fine*) scrupulosum, qui cum Iudicio practicè scrupuloso operaretur, mortaliter peccare, quod est durissimum, nam deuotissimæ mulieres, & viri scrupulosi infinita peccata mortalia quotidie committerent; cum tamen doctissimi confessarij, nec eos audire curent; imò etiam sine præmissa confessione plerumque iubent Sacram accipere Eucharistiam.

Ad primũ igitur Respondetur quod exercitè iudicat abesse periculum, per hoc quod assentitur actum esse honestum, quamuis malitiam formidet.

Ad secundũ, tutior pars in dubijs est eligenda, si sit propriè dubium, vt cum intellectus neutri parti assentitur.

Ad tertiũ Respondetur quod argumentum nimis probat, nam sequeretur quod sicuti medicus debet habere, non solum iudicium practicum, sed etiam speculatiuum certum, viuum non nociturum, ob damnum proximi vitandum, ita etiam quilibet operans deberet habere iudicium speculatiuum certum de bonitate actus, quod tamen falsum esse suo loco ostendam.

QVÆSTIO XII.

An habens opinionem probabilem, quod res ab altero possessa sit sua, possit illam, propria authoritate, cessante scandalo, occupare, aut occultè sibi satisfacere.

SVMMARIVM.

Prima sententia affirmat. num. 1.
Secunda sententia distinguit. num. 2.
Tertia sententia negat, quam sequor. num. 7.
Opinio probabilis tutam reddit conscientiam, non autem dubium. num. 3.
Regula illa, in dubio melior est conditio possidentis, procedit in verè dubijs, non in opinionibus. num. 4.
Forus internus, & externus non discrepant, nisi iste fundetur in falsa præsumptione. num. 5.
Potest vxor denegare debitum viro, si ab vno fide digno audiuit eius adulterium. numero 6. 16. & 17.
In dubio non potest quis possessorem re possessa spoliare. num. 8.
Non potest possessor ex opinione probabili, re possessa priuari, si opinio sit speculatiua, secus si sit opinio probabilis practica, quæ scilicet doceat posse in tali casu possessorem spoliari. num. 9.
Possum auferre, ex opinione probabili, quod res sit mea, si possidetur ab alio mala fide. num. 10.
Possessor, qui probabiliùs iudicat rem alienam esse, ad nullam restitutionem tenetur. num. 11. quamuis aliqui contrarium doceant num 12.
Iudex potest adiudicare ex opinione probabili rem alteri parti non possidenti. num. 13.
Hæres relictus in minus solemni testamento potest per occultam compensationem auferre res hæreditarias à venientibus ab intestato, etiam post sententiam. num. 14.
Aduocatus potest patrocinari ex opinione probabili. num. 15.

PRima sententia affirmat, ita Ioannes Medina
1 *Cod. de restitutione quæst. 20. vers. secundum, quia præsupponunt*, vbi sic scribit: *Si Petrus detinet rem, quam dubito meam esse, an ipsius, qui eam tenet; si eam stante dubio accipio, pecco, acceptum tamen illi restituere non teneor, quandiù est dubium probabile, quod mea sit.*

Non enim in casu huius dubij, teneor Petri indemnitati potiùs, quàm mea consulere idque ante sententiam contra me latam, nam in his casibus, iure possum compelli, sic ablata restituere. Ita Medina, sed absolutè affirmant posse auferri, si in iudicio recuperare non potes Spinola *tract. de elect. opinion. disp. vltima sect. 7.* & Franciscus Lugo *de principijs theol. moralis part. 1. cap. 3. quæst. 13.*

Secunda sententia distinguit: de opinione circa factum, negat: de opinione Iuris affirmat; ita Ioannes Sanchez *disp. 33. num. 31. vers. deinde & disp. 43. numero 54.* & Pasqualigus *decis. 31.* Isti authores asserunt, quod cum circa factum, verè non sit opinio probabilis, sed dubium, proinde non potero, ex eo quod aliquis testetur rem ab alio possessam meam esse occultè auferre, aut occulta compensatione mihi satisfacere: etiam si omne scandalum cesset: At si habeo probabilem opinionem Iuris quod ea res mea sit, possum illam clàm à possessore auferre.

Probant primò, quia opinio tutam reddit conscientiam, non autem dubium, vnde illud axioma in dubijs tutior pars est eligenda, procedit in
3 verè dubijs, non in opinionibus, vt docent Vasquez 1. 2. *disputatio 62. numero 45.* & Azorius *tomo primo, libro 2. cap. 6. in fine*, qui enim probabiliter, iudicat, non est dubius, vt ait Pasqualigus *decis. 31. numero 2.*

Secundò, quia regula illa in dubio melior est
4 conditio possidentis, procedit in verè dubijs, non in opinionibus, seù dubijs dubietate facti, non dubietate iuris, vnde Aduocatus, & Iudex non tenentur pro possessore patrocinari, aut ferre sententiam, sed sequi possunt opinionem probabilem, vt docent Sanchez *de matrimon. lib. 2. disp. 41. numero 30.* Azorius *tomo primo libro 2. cap. 16. quæst. 2.* Villalobos *tomo primo, tract. primo diffic. 5. num. 3. diffic. 9.*

Ergo si Iudex potest ex opinione probabili adiudicare rem non possidenti, poterit ille in foro interno illam occultè accipere, cessante scandalo.
5 Consequentia probatur, quia forus internus non discrepat à foro externo, nisi externus nitatur falsa aliqua præsumptione; forus enim externus in suo iudicio non procedit irrationabiliter, & imprudenter, sed cum fundamento, & ratione: ergo eadem ratio, qua forus externus adiudicat rem non possidenti, etiam forus internus poterit eam adiudicare: præsertim quando non possidenti satis incommodum est petere in iudicio; tum quia verum vero non opponitur; ergo sententia quæ vera est in foro externo, atque ixta adiudicans rem non possessori; erit itidem vera, & iusta in foro interno; quare omnes docent forum interiùs, & exteriùs semper debere eodem modo iudicare, cognita veritate, & tunc solum vnum ab altero deuiat, quando forus externus in falsa præsumptione fundatur. Sotus *lib. 4. de Iust. quæst. 5. art. 3. vers. 4. arguitur*, Vasquez *t. 2. disput. 66. cap. 1. num. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 5. num. 20. vers. tandem, & lib. 1. summa cap. 10. numero 11. & lib. 2. cap. 23. num. 40.* Suarez *de censuris disp. 40. sect. 5. num. 16.* Merolla *tomo primo disput. 3. cap. 3. coroll. 3. num. 7.* Io: Sanchez *disp. 48. num. 55.* Imò adeò concordant forus internus, & externus; vt etiam si forus externus nitatur in præsumptione, standum sit tali præsumptioni, etiam in foro conscientiæ, si de veritate non constat Menochius *lib. 4. præs. 83. num. 62.* Molina *tom. primo tract. 2. disputatio 196. col. 3.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10. num. 3.*

Tertò, quia, vt docet Sanchez *de matrim. lib. 10.*
6 *disp. 12. num. 51.* si vxor ab vnico teste fide digno audiuit mariti adulterium, poterit in conscientia se separare quò ad thorum, & denegare illi debitum;

tum ; ergo ex òpinione probabili adulterij mariti poterit priuare illum poſseſsione petendi debitum.

Tertia ſententia communis negat abſolutè
7 poſſe me, ex opinione probabili, auferre rem à poſſeſſore ; etiam omni ſcandalo ceſſante, quæ ſententia mihi vera videtur, & eam docent Nauar. *in Manuali cap. 17. numero 117.* Suarez *de legibus libro 5. cap. 18. numero 20. & tract. de charitate diſput. 13. ſect. 6. numero 3.* Vaſquez *de reſtitut. cap. 6. §. 3 numero 82. & 83. & cap. 5. §. 1. dub. 8. numero 40.* Vbi ait : procedere etiam ſi Iuris ordine ſeruato recuperare non poſſis, non poteris priuare poſſeſſorem ſua poſſeſſione, quia ſemper in dubio potior eſt conditio poſſidentis, idem Vaſquez 1. 2. *diſput. 64. cap. 3. numero 13.* & quod non poſſit ex probabilitate priuare poſſeſſorem, docent etiam Villalobos *tomo primo tract. 1. diffic. 17. numero 7.* Perez *in laurea Salmant. certam. 10. ſcolaſt. numero 106.* Layman *libro 1. tract. 1. cap. 5. numero 21.* Sanchez *in ſumma lib. 6. cap. 3. numero 7. & de matrimon. lib. 2. diſp. 41. numero 26.* Corduba *in ſumma quæſt. 111. art. 2. verſ. tertia conditio.* Molina *tract. 2. diſp. 35. in fine, & tract. 2. diſput. 103.* Salas 1. 2. *tract. 8. diſp. vnica ſect. 13. numero 128.* Caſtro Palaus *tomo primo tract. prima diſput. 2. punct. 7. num. 2.* Giunipetus *de Iure Pontificio diſput. 6. cap. 3. num. 51.* Diana *parte 9. tract. 8. reſol. 45.*

Idem quoque aſſerunt doctores in dubio, quod
8 non poſſit occultè poſſeſſor re poſſeſſa priuari, ſæpè autem Doctores dubium cum opinione confundunt, & in vtroque caſu communiter docent, quod ſiue probabiliter credam rem eſſe meam, ſiue dubitem, non poſſum auferre à poſſeſſore, ita de dubio Petrus Nauarrus *de reſtitut. lib. 3. cap. 1. numero 398. in tertia edit.* Vaſquez *opuſc. de reſtitut. cap. 6. §. 3. numero 82. & 83.* Corduba *in quæſtionar. lib. 1. quæſt. 34. verſ. ſi autem ſalarium* Angles *in floribus part. 2. quæſt. 2. de reſtit. diffic. 3. dub. 1.* Molina *tract. 2. diſput. 35. in fine §. verum enim verò* Sanchez *de matrimon. libro 2. diſputatio 41. numero 26.*

Quod autem diximus, non poſſe ex opinione
9 probabili rem à poſſeſſore auferri, procedit ſi probabilitas ſit ſpeculatiua, ſecus ſi ſit practica, poſſum enim ex opinione probabili, quod in aliquo caſu liceat rem auferre à poſſeſſore, tunc auferre; ratio eſt, quia tunc ipſamet poſſeſſio reuocatur in dubium, nam tunc probabile eſt, quod poſſeſſio non tueatur poſſeſſorem; ita omnes præſertim Sanchez *in ſumm. libro 6. cap. 3. num. 7.* ſic vt infra dicam, poteſt hæres relictus in minus ſolemni teſtamento, auferre occultè hæreditatem à venientibus ab inteſtato eam poſſidentibus, etiam poſt ſententiam, vt probabiliter docent grauiſsimi Doctores.

Præterea tunc non poſſum auferre a poſſeſſo-
10 re, quando cæpit bona fide poſſidere, aut habuit rem à poſſeſſore bonæ fidei, alioquin eius poſſeſsio nullius eſt momenti, ſi cœpta eſt mala fide, & a malæ fidei poſſeſſore accepit, ita Suarez *de charit. diſput. 13. ſect. 6. numero 3.* Molina *tract. 2. diſputatio 35. in fine §. verum enim vero.* His poſitis.

Probatur primò, communis ſententia negatiua *ex text. in cap. Inquiſitionis de ſententia excommunicat.* Vbi dicitur, quod ex probabili credulitate, ideſt opinione nullitatis matrimonij, non licet ſpoliare coniugem poſſeſſione iuris petendi debitum.

Secundò, ex *text. in cap. ſæpè de reſtitut. ſpoliatorum, & l. 1. ff. de furtis*, vbi dicitur furtum committi quò ad poſſeſsionem.

Tertiò, ex *text. in reg. in pari de regulis Iuris in ſextò & in l. pari ff. eodem* ibi: *in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis* ; ergo in pari dubio proprietatis, cum vtrimque ſunt opiniones probabiles, quò ad dominium, præualet certa poſſeſsio alterius.

Quartò, quia communiter docent poſſeſſo-
11 rem bonæ fidei, qui probabiliùs iudicat rem ad alterum ſpectare, poſt adhibitam diligentiam pro habenda certitudine, ſi certus non eſt rem eſſe alienam, ad nullam reſtitutionem teneri, neque pro portione dubij, quia præualet certa ſua poſſeſſio probabiliori Iuri alterius, quod indicat Sanctus Auguſt. *in cap. Virgo 34. quæſt. 1.* vbi ait, non dici poſſeſſorem malæ fidei donec ſciuerit, rem eſſe alienam; quare requirit moralem certitudinem; vnde communiter aſſerunt, bonæ fidei poſſeſſorem ad nullam teneri reſtitutionem, etiam ſi probabiliùs iudicet eſſe rem alienam: ita Vaſquez 1. 2. *diſput. 66. cap. 7. num. 42.* Salas 1. 2. *quæſt. 21. tract. 8. diſput. vnica, numero 231.* Sanchez ſe retractans *in ſumma lib. 1. cap. 10. numero 9. & libro 2. cap. 23. numero 179.* Molina *tract. 2. diſp. 13. & tract. 2. diſput. 35. in fine §. verum enim vero.* Laymam *libro primo tract. primo cap. 5. num. 21. verſ. aide.* Merolla *tomo primo diſput. 3. cap. 3. coroll. 3. numero 24.* Caſtro Palaus *tomo primo tract. 1. diſput. 3. punct. 2. numero 11.* Filliucius *tomo 2. tract. 21. numero 158.* Granado *2. 2. contron. 3. tract. 12. diſput. 4. ſect. 3. §. 2. num. 24.* Bonacina *de reſtitut. diſput. 1. quæſt. 2. punct. 2. num. 6.* Diana *par. 2. tract. 15. reſol. 10. & parte 4. tract. 3. reſol. 10. & par. 4. tract. 3. reſol. 26.* Veracruz *3. p. ſpeculi art. 13. in fine.*

Quamuis aliqui oppoſitum doceant : aſſeren-
12 tes eo caſu, quo probabiliùs iudicat eſſe alienum teneri bonæ fidei poſſeſſorem pro parte dubij aliquid reſtituere, ita Bannes 2. 2. *in præamb. ad quæſt. 62. dub. vltimo concluſ. 4.* Coninchius *de Sacram: diſput. 34. dub. 10. numero 93.* Sanchez, qui contrarium docuerat *de matrimon. lib. 2. diſp. 41. num. 19.* Valentia *tomo 3. diſp. 3. quæſt. 16. punct. 2. §. ſi autem.* Ledeſma *de matrimon. quæſt. 45. art. 1. ad tertium primæ ſententiæ dubij ſecundi.*

Ergo cum iuxta receptiorem ſententiam non teneatur bonæ fidei poſſeſſor ad aliquam reſtitutionem, conſequenter neque poterit alter occultè rem accipere ; olioquin daretur bellum ex vtraque parte iuſtum ; & quamuis hoc dari poſſe ex ignorantia veritatis ; id tamen procedit, vbi cetera ſunt paria ; hic autem non eſt ita, nam cæteris paribus, & ſic ſtante probabi-

litate vtriusque partis, præferendum est Ius certum possessionis; tum quia ex hoc grauissima incommoda, & perturbationes orirentur, quia possem ego occultè accipere à possessore, iste posset recuperare, rursus ego possem accipere, & sic in infinitum.

Ad argumentum Medinæ Respondetur ex Sanchez *de matrimon. libro 2. disp. 24. num. 26.* nos non asserere, quod teneatur restituere ex eo, quod possessoris, seu alienæ indemnitati teneatur consulere, sed quia iustum possessorem iniustè spoliauit.

Ad primum Argumentum pro secunda sententia adductum, Respondetur, non semper opinionem probabilem tutum reddere operantem, secundùm illam; sic non tutum reddit medicum, neque tutum administrantem Sacramenta, cum periculo salutis proximi, ita nec tutum reddit spoliantem iustum possessorem; nam prævalere debet probabilitati opinionis certitudo iustæ possessionis; cum enim pro vtraque parte adsit probabilitas, quò ad proprietatem; in pari causa prævalet certa possessio, vt patet ex dictis.

Ad secundum argumentum, Respondent aliqui, neque Iudicem stante vtraque opinione probabili posse auferre rem à possessore, nam in pari causa melior est conditio possidentis.

Sed contra est, nam omnes docent posse, imò aliqui dicunt, teneri iudicem adiudicare rem habenti pro se probabiliorem opinionem contra possessorem, & tamen ante Iudicis sententiam non poterit quis ex probabiliori opinione rem auferre à possessore, nisi maior probabilitas tanta sit, vt afferat moralem certitudinem, vt mox dicam, neque tenetur bonæ fidei possessor ex probabiliori opinione alterius partis ad aliquam restitutionem: ergo adhuc superest difficultas, quomodo bonæ fidei possessor, qui in foro conscientiæ non tenetur ad vllam restitutionem, possit ad eam per Iudicis sententiam condemnari, adhuc enim sequeretur, forum externum discordare ab interiori, cognita veritate, quod iniquissimum est.

Respondeo secundò, quod, aut sumus in dubio facti, aut in dubio Iuris. Quò ad dubium facti iudex non potest iudicare ex probabilitate Iuris alterius contra possessorem, nam quò ad factum, cum teneatur iudicare secundum allegata, & probata, & actore non probante reus sit absoluendus, meritò Iudex ligatas habet manus, & sic in dubio tenetur Iudicare pro possessore. Quò ad dubium
13 Iuris, cum vtrimque sint opiniones probabiles de proprietate, prævalet certa possessio ante sententiam, non autem post sententiam. Disparitas est, quia ante sententiam respectu proprietatis æquale est Ius vtriusque, quare in pari causa proprietatis prævalet certa possessio. At post sententiam, partium Iura, quò ad proprietatem non sunt æqualia, sed accedente sententia, Ius proprietatis vnius, quod antea erat probabile, fit certum; vnde certum ius proprietatis prævalet possessioni.

Dices; cum ex vna parte litigantium adsit ius probabile proprietatis, & certa possessio, in huius fauorem debet Iudex ferre sententiam. Respondeo ad decidendam litem proprietatis, de qua partes litigant, est omnino impertinens possessio; nam non minus potest bona fide possidere, qui verè non est dominus, ac qui est dominus; quare Iudex in iudicando circa proprietatem, non debet considerare quis possideat, sed ita se gerere, ac si nullus possideret: ergo cum sint vtrimque opiniones probabiles, & iura obscura, Iudici autem commissum sit secundum suam prudentiam iura interpretari, stante æquali probabilitate Iurium, poterit pro qua libuerit parte iudicare, etiam contra possessorem. Ex his patet in præsenti casu, non discrepare forum externum ab interno, nam in vtroque foro ante sententiam manutenendus est possessor in sua possessione, & si spoliatus sit, ante omnia est restituendus *cap. sæpè de restit. spoliat.* In vtroque foro quoque post sententiam res danda est illi, cui Iudex adiudicauerit, quare non poterit bonæ fidei possessor occultè post sententiam sibi satisfacere; nam per sententiam Ius alterius, cui res est adiudicata, non est alteriùs probabile, sed certum, nam publica authoritate delatum est illi rei dominium, quare furtum committit, is qui occultè eam accipit ex probabilitate Iuris, quod prius habebat, ita Layman *libro primo tract. 4. cap. 7. num. 7.* Io: Sanchez *disp. 48. num. 33. & disput. 43. num. 52. 53. & 54.* Soto *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 5.* Auila *de censuris par. 2. cap. 6. disp. 1. dub. 2. concl. 2.* Diana *par. 5. tract. 9. resol. 72.*

Aduerto autem, aliud esse Iudicem ex probabili Iuris opinione ferre sententiam in fauorem vnius, nam tunc parendum est iustæ sententiæ: aliud esse, Iudicem iuxta allegata, & probata circa factum pronunciare, nam si in oppositum sit veritas facti in foro conscientiæ, & cessante scandalo, non tenetur sententiæ obedire, & potest per occultam compensationem sibi satisfacere, quod omnes vno ore docent: Hinc patet, probabile esse id quod gra-
14 ues Doctores docent, nempè posse hæredem relictum in minus solemni testamento, cessante scandalo, sibi satisfacere per occultam recompensationem, si hæreditas in exteriori foro, per Iudicis sententiam, venientibus ab intestato adiudicetur, Ita Molina *tract. 2. disput. 81. vers. quod si hac*, Lessius *libro 2. cap. 19. numero 28.* quicquid dicat Layman *libro 1. tract. 4. cap. 17. numero 7.* qui perperam docet, id esse improbabile.

Ratio est, quia Iudex adiudicans hereditatem venienti ab intestato, non pronunciat ei deberi hereditatem ex aliqua Iuris opinione, seu quia habeat secundùm probabilem aliquam doctorum opinionem Ius ad hereditatē: Sed pronunciat circa factum, nam cum ex facto non constet, ex legitimo numero testium, voluntas testatoris relinquentis alteri hæreditatem, iudex pronunciat, huic non deberi; quare, si reuera reliquit ill hæreditatem in foro conscientiæ, & cessante scandalo,

dalo, non tenetur parere ſententiæ Iudicis, quæ nititur falſæ præſumptioni; ſententia enim fundata in falſa præſumptione non obligat in conſcientia. Sanchez *de matrim. lib.7. diſput.57. num.* 13. quod autem fundetur ſententia Iudicis in falſa præſumptione, probatur; nam lex præſumit fraudem eſſe in teſtamento non ſolemni, vt expreſsè dicit *text. in l. quaſtionem C. de fideicommiſſis* ibi: *lex enim ne quid falſitatis incurrat maiorem numerum teſtium expoſtulat*, idem habetur *in §. fin. inſtit. de fideicommiſſ. hæreditat.* quibus Iuribus habetur hæredem iurare debere ſe voluntatem teſtatoris ignorare, quod ſi fateatur, ſoluere tenetur: itidem ſi iurare recuſet, ait Leſſius *lib.2. cap.19. num.*17. imò ſi duobus teſtibus probetur hæredem promiſiſſe defuncto, ſe eius voluntatem exequuturum, tenetur ſoluere. Eman. Sà *verbo teſtamentum num.* 14. ergo ex ſolo probationum defectu condemnatur legatarius, ſeù hæres relictus in non ſolemni teſtamento quare communiter Doctores docent: poſſe per occultam compenſationem ſibi ſatisfacere, & hanc eſſe communem docent Iaſon *in l. cum quis* 10. *num.* 13. *C. de Iuris & facti ignorant.* Leſſius *lib.2. cap.* 19. *dub.* 3. Molina *tract.* 2. *diſp.*81. Comitolus *lib.7. quaſt.* 8. Mantica *de coniect. lib.2. tit.*14. *num.*10. alioſque citat Diana *parte* 1. *tract.*8. *reſol.*75. *& par.*5. *tract.* 3. *reſ.*119. quamuis alij apud ipſum contrarium doceant; ergo ſi ante ſententiam poteſt hæres teſtamentarius ſibi ſatisfacere per occultam compenſationem, poterit quoque poſt ſententiam, quippè quę cum in falſa præſumptione fundetur, non obligat in conſcientia. Sed redeamus ad propoſitam quæſtionem.

Quò ad aduocatum autem, vtique poterit li-
15 citè conſulere, & patrocinari ex opinione pro-
babili; aduocatus enim reputatur vna perſona
cum cliente, quare cum iſte poſſit agere, pote-
rit quoque aduocatus ipſius iura proponere.

Ad tertium argumentum reſpondetur ſatis dif-
16 ficilem eſſe illam doctrinam Sanchez, nam *in cap.*
Inquiſitioni de ſententia excom. dicitur non poſſe
coniugem denegare debitum petenti, & priuare
poſſeſſione petendi ex *probabili credulitate* de in-
ualiditate matrimonij; ergo neque ex probabili
opinione adulterij.

Reſpondetur ſecundò, eam doctrinam poſſe
17 defendi, nam vt idem Sanchez ibidem *num.*39. *&*
40. docet, *ſufficit ad ſeparationem certitudo moralis,*
aut violenta adulterij ſuſpicio, vt *in cap. in literis de*
præſumption. eſt enim adulterium delictum natura
ſua occultum, & difficillimæ probationis; ergo
cum vnius teſtis fide digniſſimus teſtatur de adul-
terio, videtur afferre moralem certitudinem, vel
ſaltem violentam ſuſpicionem.

Præterea quicquid ſit de hac opinione Sanchez, ea impertinens eſt ad caſum noſtrum, nam non agit de probabilitate Iuris, ſed de probabilitate facti, an ſcilicet commiſſum ſit adulterium; quò ad dubium facti autem omnes conueniunt, ſtante æquali dubio, non eſſe ſpoliandum poſſeſſorem.

QVÆSTIO XIII.

Quanta debeat eſſe probabilitas, vt afferat moralem certitudinem, ex qua liceat ſpoliare poſſeſſorem; non obedire Prælato; non ſoluere tributum; denegare debitum ob adulterium; non poſſe nec petere illud, nec reddere; Iurare ſe ſcire?

SVMMARIVM.

Id dicitur moraliter certum, cuius oppoſitum non eſt probabile. num.1.

Moralis certitudo non excludit formidinem oppoſiti. num.2.

Quantumuis altera pars ſit probabilior, ſeu probabiliſſima, ſi oppoſitum eſt probabile, non habetur certitudo moralis. num.3.

Non licet poſſeſſorem ſpoliare, ex probabiliori opinione, quod res ſit mea. num.4.

Quando poſſit negari ſolutio tributi, ob moralem certitudinem iniuſtitiæ. num.5.

Subditus non tenetur obedire, ſi ſit moraliter certus rem præceptam eſſe iniuſtam. num.6.

Non poteſt coniux petere, & reddere, ſi ſit moraliter certus matrimonium eſſe inualidum. numero 7.

Poteſt coniux petere, & reddere debitum quando eſt moraliter certus matrimonium eſſe validum. numero 8.

Poteſt ſe ſeparare coniux quò ad thorum, ſi ſit moraliter certus de adulterio coniugis. num.9.

Poteſt quis iurare ſe ſcire, ſi audiuit à fide digno, quia tunc dicitur moraliter certus. num.10.

DIco primò, id dicitur moraliter certum,
1 cuius oppoſitum non eſt probabile, ita
Suarez *de religione tomo* 4. *libro* 4. *cap.* 15. *numero* 21. Hurtadus *de matrimon. diſput.* 10. *diffic.* 9. *numero* 37. & id fortè voluit Caietanus *in ſumma verbo opinionis vſus numero* 2. vbi ſic ſcribit; *non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diuerſi Doctores contraria ſentiunt; quoniam cum huiuſmodi contrarietate ſtat, quod vna pars ſit ratione ſufficienti ad moralem certitudinem fulta, & tamen non eſt opinio apud capientes rationem illam: ſed quia neſciunt multi diſcernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant ſub opinionibus.* Ita Caietanus, qui dum ait non eſſe opinionem apud capientes rationem illam, ſupponit eam rationem ita conuincere intellectum apprehendentis illam, vt credat eſſe certum, & oppoſitum eſſe falſum, & non probabile.

Probatur noſtra Concluſio. Nam certum eſt illud, cuius oppoſitum eſt falſum: ſed id

est falsum, quod non est probabile; ergo id est moraliter certum, cuius oppositum non est probabile.

Dico secundò, moralis certitudo non excludit
2 formidinem oppositi, ita Io: Gerson *par. 2. operum tract. de præparat. ad missam considerat. 3.* & Alexander Pelantius 1. 2. *quæst. 92. art. 5. disp. 2. in fine*, vbi præclarè docet, moralem certitudinem habere latitudinem, vnde asserit, tres esse gradus certitudinis moralis, nempè summam, mediam, infimam. Summa moralis certitudo est, quæ omnem formidinem excludit, vt, cum dicimus, Romam esse. Media, quę minimam aliquam formidinem admittit. Infima, quæ maiorem formidinem habet.

Vnde reijciendus est Merolla *tomo primo disp. 3. cap. 4. num. 249.* vbi sic scribit, *vt subditus non possit obedire, debet esse moraliter certus de malitia rei præceptæ, idest debet excludere omnem formidinem subiectiuam, seu ex parte subiecti, licet non excludat obiectiuam, cum non sit omnino euidens. Vnde subditus debet illi parti ita adherere, vt nullam formidinem de opposito habeat, quamuis oppositum sit possibile.* Ita Merolla, sed perperam dixit debere actum excludere omnem formidinem subiectiuam.

Probatur primò, quia id dicitur moraliter certum, cuius oppositum est falsum, & improbabile: sed quamuis formidem de opposito, non tamen iudico illud esse probabile: ergo stat formido cum morali certitudine.

Probatur secundò, quia ex Merolla, non excluditur formido obiectiua, cum obiectum non sit omnino euidens: ergo neque excluditur formido subiectiua, scilicet ex parte actus. Consequentia patet, nam actus specificatur ab obiecto: ergo si obiectum est ineuidens, & cognoscibile cum formidine, etiam actus erit ineuidens, & erit cognitio formidolosa.

Confirmatur; nam scupulosus formidat, & tamen est moraliter certus actum esse bonum.

Confirmatur secundò, ex omnibus Corollarijs & exemplis, quæ mox subijciam, nam in cunctis ferè adest aliquid formidinis.

Dico tertiò, quantumcumque vna pars sit pro-
3 babilior, aut probabilissima, si opposita sit probabilis, non habetur certitudo moralis, id supponunt omnes qui docent non posse ex probabiliori opinione spoliari possessorem, neque teneri possessorem bonæ fidei aliquid restituere; quamuis probabilius iudicet, rem esse alienam; nam certa possessio præualet illi maiori probabilitati.

Probatur quia nequit esse moraliter certum, nisi id cuius oppositum est falsum, & improbabile: ergo si illud est probabile, illud non erit certum.

Infertur primò, ex Suarez *de legibus lib. 5. cap.*
4 *18. num. 20.* vbi sic scribit. *licèt quis probabilius opinetur rem, quam alius possidet esse suam, non potest sua authoritate illam surripere, quando conscius etiam est, alteri non deesse rationem probabilem ad retinendum illam, quia tunc non potest applicare ad opus prius illud iudicium probabile, cum sciat in simili euentu, meliorem esse conditionem possidentis: ita ergo est in præsenti,*
5 *quia superior imponens tributum, est præferendus tamquam possidens principalius Ius; vt ergo contraria sententia in praxi sit secura, videtur intelligenda, quando rationes contra Iustitiam tributi sunt valde vrgentes, vt præsertim, si iuuantur publico rumore, & fama, vel suspicione etiam virorum sapientum.* Ita Suarez, ex cuius sententia patet, ita debere conuincere rationes de Iniustitia tributi præsertim accedente fama, vt non videatur probabile, illud esse iustum, tunc moraliter est certum esse iniustum. Quamuis quòad tributum ego cum Lessio, & alijs aliter sentiam, nam ob grauissimum damnum subditi, puto, sufficere probabilitatem iniustitię, vt non teneatur soluere.

Insertur secundò, quò ad subditum, de quo Sua-
6 rez *de religione tom. 4. libro 4. cap. 15. num. 21.* sic ait: *Teneri obedire superiori, quamuis remoto præcepto probabilius iudicet, rem esse iniustam; si autem contingat secluso præcepto, ita esse probabile, actum, de quo agitur, esse malum, vt oppositum nec probabile sit; tunc non potest res vocari dubia; esto non sit omnino euidens, sed humano modo certa, quia vix homines possunt consequi certiorem rerum cognitionem; præsertim in rebus practicis, & moralibus*, ita Suarez, & idem docet Rodriquez *in summa tomo 2. cap. 9. num. 4.* dum ait: non teneri obedire, si probabilissimè dubitat, & credit, præceptum esse iniustum, vt si superior minorum strictioris obseruantiæ præcipiat deferri pecuniam.

Infertur tertiò, non posse coniugem petere, nec
7 reddere, si sit moraliter certus de inualiditate matrimonij, ita Hurtadus *de matrim. disp. 10. diffic. 9. num. 37.* vbi sic scribit: *Quando coniux est moraliter, seu probabiliter certus, absque eo quod oppositæ partis sit probabilitas, vt si à tribus fide dignis audiret, se esse consanguineum suæ vxoris in quarto gradu, & oppositæ partis nullam haberet probabilitatem; non posset neque petere, neque reddere, & tamen non haberet maiorem certitudinem, quam probabilitatem.* Ita Hurtadus, qui certitudinem moralem, minùs propriè vocat probabilitatem.

Insertur quartò, posse petere, & reddere, quan-
8 do est moralis certitudo, matrimonium esse validum, ita Henriquez *lib. 11. cap. 15. §. 13.* vbi ait, vxorem esse moraliter certam de validitate, & sic posse potere, & reddere, ex eo quia matrimonium est contractum in faciæ Ecclesiæ, & maritus, qui dicit, se non consensisse, aut fuisse affinem ex illicita copula antecedente, id non potest probare. Idem docet Merolla *tomo primo disput. 3. capit. 3. num. 168.* vbi sic scribit: *Si opinio de valore matrimonij esset longè probabilior, tunc dici posset, licitum esse, vtrique coniugi reddere, & petere, quia tunc ratione illius notabilis excessus in probabilitate, censeretur ea opinio moraliter certa, moralis autem certitudo sufficit ad rectè operandum.* Ita Merolla, qui tamen dum ait, quod sufficit opinio longè probabilior, si id intelligat, dummodo oppositum non sit probabile, rectè loquitur; sed, si admittat oppositum esse probabile, non rectè docet, dici tunc moraliter certum; non enim est certum, nisi id, cuius oppositum est falsum: ergo nequit oppositum esse probabile: quare si tempore contractus matrimonij longè probabilius credat esse validum, & oppositum putabat probabile, tunc an possit petere? ali-

bi Deo

bi Deo dante dicam. Hoc quoque sensu intelligendus Henriquez *lib. 11. c. 11. n. 5.* vbi ait, *quod posset coniux, dubitans matrimonium esse validum, reddere debitum exigenti, si probabilius iudicet esse, validum.* Sed hæc longiorem requirunt disputationem, de qua alibi.

Infertur quintò, posse coniugem se separare,
9 quò ad Thorum ob adulterium, quando de eo est moraliter certus, ita Sanchez *de matrim. libro 10. disp. 12. num. 39. & 40.* vbi ait: *quod non requiritur certitudo metaphisica, sed satis est moralis, qualis habetur per indicia, quæ in foro externo probata conuincerent coniugem de adulterio.* Ita Sanchez, quare sufficit oppositum non apparere probabile.

Infertur Sextò, ex Sanchez *in summa lib. 3. cap.*
10 *4. num. 13.* vbi ait, ad veritatem Iuramenti satis esse iurantem audiuisse rem illam à persona fide digna, vt sit moraliter certus, rem ita se habere; nam is dicitur certò scire, qui certificatus est ab vno fide digno, vt ait Geminianus *in cap. de capitulis dist. 10.* quem sequitur Iason *in l. properandum §. sine autem alterutra C. de Iudicijs* & Ancaranus *cons. 24. num. 11.* Id autem accipiendum est, dummodo nihil adsit contra dictum personæ fide dignæ, alioquin eius fides diminuitur, si credatur falli, aut fallere velle; quare tunc non erit satis eius testimonium ad moralem certitudinem.

QVÆSTIO XIV.

An Iudex quando vtraque vel neutra opinio Doctorum est communis, vtraque tamen æquè probabilis, possit quam maluerit opinionem eligere, & secundum eam Iudicare?

S V M M A R I V M.

Prima opinio negat. num. 1.
Secunda opinio, quam sequor affirmat. num. 2.
Discrimen inter dubium facti, ac Iuris. num. 3.
Quare Iudex possit, quam maluerit eligere opinionem probabilem; non autem possit iudicare secundum quam maluerit probationem facti, si partium testes sint æquales? num. 4.
Si quis promiscuè habitat in duplici parochia, poterit vni gratificari, quò ad solutionem decimæ. num. 5.
Sic si sint duo æquè vicini, locus est gratificationi, quò ad anocationem domus venditæ. num. 6.
Si relictum sit Ecclesiæ parochiali, & duæ sint parochiales, potest Episcopus gratificari. num. 7.
Potest Iudex, cessante scandalo, modò secundùm vnam opinionem probabilem, modo secundum alteram iudicare. num. 8.
Iudex potest ex se proferre ea, quæ spectant ad Ius, non quæ spectant ad factum. num. 9.

1 PRima opinio est, quod in opinionum conflictu, si dubium sit circa Ius, non potest Iudex vni totum adiudicare, sed tenetur vel hortari partes ad concordiam, vel compellere nolentes ad compositionem, vel rem litigiosam diuidere, quod, si indiuisibilis sit, vt primogenium, diuidere partem fructuum, ita ex; Theologis Bannes *2. 2. quæst. 63. art. 4. dub. 1. ad secundum* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 16. vers. quares* Villalobos *tomo 1. tract. 1. diffic. 15. num. 2. & 4.* Coninchius *de matrimonio disp. 34. num. 94.* Suarez *de charitate disp. 13. sect. 6. num. 4.* Merolla *qui ait, id esse probabilius to. 1. disp. 3. cap. 4. num. 166.*

Ex Iuristis Bart. *in l. si duo ff. vti possidetis* Felinus *in cap. 1. num. 55.* vbi Detius *in prima lect. num. 32.* & Mantica *num. 117. de constitut.* Petrus Ancar. *consil. 210.* Imola, & Butrius *in cap. affert e de præsumpt.* Detius *cons. 68. cons. 176. & 177. num. 6. & cons. 445.* Baldus *in l. si Pater familias §. fin. ff. de hæred. Instit. & cons. 55, cons. 457. lib. 5.* Fulgosius *cons. 12.* Purpuratus *in l. admonendi num. 155. ff. de Iure iuran.* Boer. *decis. 42. num. 39.* Caualcan. *de tutore, & curatore num. 338.* Capycius *decis. 176.* Viuius *decis. 492. lib. 3.* Alex. Raudens *decis. 43. par. 1.* Tesaurus *decis. 89. num. 3.* vbi ait ita pluries Senatum decidisse, & *decis. 206. n. 13.* vbi ait; *dubiam quæstionem non esse casum pro amico, sed casum pro diabolo,* in quam opinionem inclinat Menoch. *de retin. posses. rem. 3. num. 777.* Gramat. *decis. 9. num. 1.* Afflictus *decis. 13. num. 29.* qui referunt praxim sacri Concilij Neapolitani cogentis partes ad compromissum.

Probatur primò, *ex l. & hoc Tiberius ff. de hæred. instit. & l. titius ff. ad trebell.* vbi, si dubium sit de voluntate, & intentione defuncti, res diuiditur.

Secundò, ex facto Salomonis *3. Regum 3.* qui licet respectu diuisionis pueri tentando id fecerit, tamen eo facto indicauit, quid in rebus dubijs faciendum sit.

Tertiò, si sit dubium facti, aut probationes in facto sint pares, & neuter possidet, aut neuter est reus, tunc res litigiosa diuiditur, vt infra dicam & docet glosa *in c. si testes vers. si autem 4. quæst. [illegible]. & cap. nostra de testibus*, ergo etiam si probationes Iuris, seu rationes æquales sint, res litigiosa diuidenda erit; neque enim verum est, quod docet Sanch. *in sum. l. 1. cap. 9. num. 45.* probationes in facto se tenere ex parte causæ, & esse propria media, quibus causa decidenda est, non autem probationes Iuris; etenim etiam istæ se tenent ex parte obiecti, & sic ex parte causæ, & sunt media, quibus causa est decidenda.

Quartò, quia non debet esse iudex acceptator personarum: huiusmodi autem esset, si duobus habentibus æquè firmum Ius, & æquè probabile, vni totum tribuat, altero vacuo remanente.

Quintò, quia Iudex non est dispensator, aut administrator rei litigiosæ, sed est declarator Iuris partium; ergo si vtraque pars habet Ius æquè firmum, æquè probabile, debet declarare vtrique Ius competere, atque inter eos rem diuidere.

Sextò, quia ideo duobus concurrentibus ad beneficium æquè dignis, beneficium non diuiditur, sed locus est gratificationi, id prouenit, quia diuisio beneficij esset contra bonum publicum, & contra Institutionem beneficij, & aliunde neuter concurrentium habet Ius ad beneficium; quare collator vni potest cōferre, cui libuerit, nam est dispensator,

fator, & cui non confert non facit iniuriam, quia nullum Ius habet: at litigantes habent verum Ius æquale: ergo qui vacuus dimittitur, iniuriam patitur.

Septimò, ex doctrina *Bald. in cap. primo col. pen. de natura feudi*, vbi ait non esse locum gratificationi, nisi in casibus à Iure expressis, quia aliter esset dispositio de Iure tertij, quod nemo facere potest, absque illius consensu *l. cum hermes C. de locato*, & Baldum sequuntur Aretinus *cons.* 142. *col. pen. vers. præterea* Io: And. *in cap. in nostra de testibus* quos sequitur Tiraq. *de primog. quæst.* 17. *opin.* 2. *in fine* Menoch. *de retin. poss. remed.* 3. *num.* 774. sed nullibi est expressum in Iure, quod in conflictu opinionum sit locus gratificationi: ergo &c.

Secunda opinio, quam ego sequor, est liberum
2 esse Iudici, stante probabilitate vtriusque opinionis, pro qua parte libuerit iudicare, ita ex Theologis Sotus *lib.* 3. *de Iustit. quæst.* 6. *art.* 5. *in fine* Medina *p.* 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *concl.* 2. Salon 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *controu.* 2. *concl. prima* Vasquez *p.* 2. *disp.* 64. *cap.* 2. Sanchez *lib. primo cap.* 9. *num.* 45. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. Rodriq. *primo tomo sum. secunda edit. cap.* 6. *num.* 1. Sayrus *in claui Regiâ lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 4. Io: Valerus *de differ. vtriusque fori v. opinio diff.* 3. *num. primo* Syluest. *v. opinio quæst.* 2. Portel *de dub. regul. v. opinio in addit. num.* 12. Filliucius *tomo* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 144. Diana *par.* 2. *tract.* 13. *resol.* 3. Salas *prima secundæ q.* 21. *tract.* 8. *disput. vnica sect.* 12. *num.* 115. Petrus Ledesma 2. *tom. sum. tract.* 8. *cap.* 22. *post vndecimam concl. diffic. prima* Castro Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. *& punct.* 10. *num.* 5. Aragon 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *dub. vltimo* Malderus *parte* 2. *disp.* 86. Cornejo 1. 2. *tom.* 1. *tract.* 8. *disp.* 3. *ante numerum* 8. Fagund. 2. *præc. l.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. Regin. *lib.* 23. *num.* 41. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 25. *num.* 1.

Ex Iuristis Innocentius *in cap. ne innitaris* vbi Baldus *num.* 7. *de constit.* Bartolus *in l. fin. C. de pœna Iudicis, qui malè Iudicat*, Iason, qui dicit tunc esse casum pro amico *in l. post dotem num.* 105. *& in l. dotis causa num.* 35. *ff. sol. matrimon.* glosa *in cap. venerabilem v. fauere de electione* Ancar. *consil.* 211. Abbas *in cap. primo num.* 15. vbi Decius *numero* 12. Berous *num.* 255. *de constitut.* Bald. *in cap. licet causam de probation. col.* 7. *& consil.* 420. *&* 481. *lib.* 1. *consil.* 468. *lib.* 3. Curtius Iunior *consil.* 6. *numero* 23. Boerius *decis.* 155. *n.* 27. Neuizan. *consil.* 34. *n.* 52. *&* 54. *& in Silua nuptiali lib.* 5. *num.* 74. Franciscus Marcus *quæst.* 5. *num.* 3. *part.* 1. Menochius *de arbitr. casu* 177. *num.* 6. *& casu* 339. *num.* 19. *& de præs. l.* 2. *præs.* 71. *num.* 38. Purpuratus *in l. admonendi n.* 155. *ff. de Iureiurand.* Crauetta *cons.* 135. *n.* 40. Mascardus *de probation. concl.* 1143. *num.* 20. vbi ait, quod quando nequit agnosci quæ sit communis opinio poterit adhærere vtri parti maluerit, neque tenebitur in syndicatu.

Probatur, quilibet (nisi obstet legis præceptum) rationabiliter, & prudenter sequitur opinionem probabilem, omissa opposita æquè probabili: ergo & Iudex qui ex opinione probabili totũ vni adiudicat prudenter operatur. Quamuis enim stante æquali probabilitate opinionum, optimum consilium esset rem diuidere, aut compellere partes ad concordiam, ad id tamen nullo Iuris positiui, aut naturalis præcepto obligatur.

Quod Iure humano non obligetur Iudex rem diuidere, probatur, nam *l. & hoc Tiberius ff. de hæred. instit. & l. Titius ff. ad Trebell.* quæ adducuntur, non loquuntur in dubio Iuris, sed in dubio facti: magnum autem est discrimen quando sumus in dubio facti, ac quando sumus in dubio Iuris propter contrarias Doctorum sententias. Dubium
3 enim facti est verè, & propriè dubium, vt rectè ait Io: Sanchez *disput.* 44. *num.* 51. quare ex omnium cõsensu nequit quis in dubio facti ante Iudicis sententiam totum sibi accipere; In dubio Iuris non sic, quia non est verè dubium, nam qui eligit vnam ex opinionibus probabilibus non dubitat, sed assentitur licitum sibi esse totum accipere, aut retinere, & sic licitè accipit, aut retinet ante Iudicis sententiam, & Doctor ab eo consultus potest respondere, vt totum accipiat, aut retineat, ergo quamuis Iura præcipiant rem diuidendam à Iudice, cum dubium est facti, tamen cum est dubium Iuris nulla lex positiua id præcipit; ergo ex præcepto Iuris positiui non prohibetur Iudex quin possit, quam voluerit opinionem eligere, & totum
4 vni adiudicare; tum quia Iudex obligatur ad iudicandum secundum allegata, & probata quò ad factum, neque potest vti alia scientia, quàm publica, vnde actore non probante reus absoluitur; at quò ad difficultatem, & dubium Iuris concessum est Iudici, iura, & leges obscuras interpretari: est enim Iudex Iuris interpres, eaque Iudicialis interpretatio necessaria est in ordine ad eam causam, vt ait Abbas *in cap.* 1. *num.* 18. *de postulatione prælatorum* Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 18. *numero* 1. ergo cum habeat potestatem declarandi leges obscuras; poterit, quam maluerit opinionem, ex duabus probabilibus sequi, & secundum illam ferre sententiam, alioquin non esset Iuris Interpres, si non posset secundũm suam opinionem iudicare, & deberet diuidere rem litigiosam.

Quod Iure naturali non teneatur Iudex rem diuidere, probatur, nam Iudex secundum opinionem, quam sequitur probabilem, adiudicando totum vni, rectè totum alteri denegat, quia secundum hanc opinionem nihil illi debetur; & quamuis secundum oppositam opinionem debeatur; tamen oppositam opinionem non tenetur Iudex sequi.

Secundò, fauet tex. *in l. duo Iudices ff. de re Iudicata*, vbi si inter duos Iudices sit opinionum diuersitas, non diuiditur res, sed sententia in pendenti est, donec competens Iudex vnam earum confirmet.

Tertiò, quia si Iudex putaret opinionẽ, quam sequitur esse probabiliorem, vtique rectè (etiam per Aduersarios) totum vni tribuit; ergo etiam si putet eam sententiam æquè probabilem. Probatur consequentia, quia potest Iudex sequi Iudicium eorum authorum, qui dicunt eam opinionẽ esse probabiliorem, quod ostendo, quia possot Iudex interrogare viros doctiores se, qui si dicerent eam opinionem esse probabiliorem, tunc rectè se-

cundum

cundum illam opinionem iudicabit ex illorum consilio: ergo etiam rectè iudicabit, si sequatur doctissimos scriptores dicentes, eam esse probabiliorem opinionem.

Quartò, quia difficillimum est iudicare, an hæc opinio sit æquè probabilis, vel probabilior opposita; ergo, si iudex obligaretur rem diuidere; quandoopiniones sunt æquè probabiles, quando verò altera est probabilior, totum vni tribuere: durissimum, & intolerabile esset onus, ac Ianuam infinitis scrupulis aperiret: ergo non obligatur iudex ad hoc.

Quintò, quia etiam contrariæ sententiæ authores, velint nolint, coguntur fateri, iustam esse sententiam iudicis, ex sententia probabili totum vni parti adiudicantis: nam, quamuis ipsi vno ore dicant, puniendum in sindicatu Iudicem iudicantem contra communem; hunc tamen iudicem, qui secundùm vnam opinionem probabilem totum vni tribuit, non dicunt esse in sindicatu puniendum.

Sextò, multa similia fauent exempla, nam quamuis dignus nullum habeat ius strictum in beneficio, habet tamen Ius aliquod ad illud, & fit illi iniuria, si absque causa eo omisso, eligatur minùs dignus, tamen, si duo concurrant æquè digni locus est gratificationi glosa, Abb. & Ancar. *in cap. Ecclesia vestra de elect.* Si quis promiscuè habitet in
5 duplici domo duarum parochiarum, & æqualiter in vtraque audiat diuina, poterit gratificari cui volet soluere integram collectam, quæ ex statuto soluenda est parochiæ, in qua habitat Albericus
6 *de statutis par. 2. quæst.* 141. Sic stante statuto, quod vicinus posset auocare rem alteri venditam, & sint duo æquè vicini, & æquali tempore auocantes, locus est gratificationi Tiraq. *de vtroque*
7 *retractu tit. 1. §. 11. glos. 10. num. 2.* Sic si quis Ecclesiæ parochiali aliquid reliquit, & cum duas habeat parochiales, non apparet, de qua sensit, sed sunt æquales pro vtraque rationes, locus est gratificationi Episcopi Io: Andreas Hostiens. & alij *in cap. iudicante de testamentis* Imola *in cap. relatum il secundo eod. tit.*

Respondetur nunc ad contraria argumenta.

Ad primum, secundum, & tertium patet ex dictis, nam magnum discrimen est in dubio facti, ac in diuersis Iuris opinionibus.

Ad quartum, Respondetur, quod ille est acceptator personarum, qui, cum vtrique debeat, vni tantùm tribuit: sed Iudex secundum eam opinionem, quam prudenter sequitur, alteri nihil debet, quare acceptator personarum non est, si illi nihil tribuit.

Ad quintum Respondetur, quod Iudex verè declarat, nam secundum opinionem, quam sequitur, alteri nihil debetur, & nullum ius habet, quare nihil ei adiudicat, neque Iudex aliquo iure compellitur oppositam opinionem sequi.

Ad sextum patet ex dictis.

Ad septimum respondetur, non esse hanc propriè gratificationem, nam iudex sequendo hanc opinionem, secundum quam iudicat, non gratificatur propriè, sed tribuit alteri, quod suum est.

Colliges ex dictis, quod potest Iudex modo se-
8 cundum vnam, modò secundum alteram opinionem iudicare, dummodò absit scandalum, ita omnes DD. locis citatis præsertim Sotus *l. 3. de Iust. quæst. 6. art. 5. in fine* Sanchez *lib. primo sum. cap. 9. num.* 45. Filliucc. *tom. 2. tract. 21. cap. 4. num.* 145. Diana *part. 2. tract. 13. resol.* 3. Pasqualigus *decis.* 13.

Aduerte, quod quamuis iudex habeat ea profer-
9 re Iura, ac rationes, quæ pro parte aliqua faciunt, etiam si ipsæ partes, earumque aduocati ex ignorantia, vel aliunde non adducant, vt in tit. Cod. vbi glosa, *vt quæ desunt aduocatis Iudex suppleat*, & docet Abbas *in cap. rainutius num. 11. de testamentis*, quicquid contradicat Vasquez *parte 2. disput. 64. cap. 2.*

Tamen ea, quæ spectant ad factum, nequit Iudex proferre, nisi quorum notitiam ex publicis actis, & instrumentis acceperit Abbas *in cap. bonæ num. 9. de postulat. prælat.* Couar. *primo var. cap. 1.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. numero 16. vers. porrò* Illa enim, quæ sunt extra acta, sunt veluti extra mundum, Rubinus *decis. 16.* Cæsar de Grassis *decis. 2. num. 6. & 10. de solution. & decis. 16. num. 15. de probation.*

QVÆSTIO XV.

An Iudex, quando vtraque, vel neutra opinio est communis, alteram tamen credit esse probabiliorem, possit ea omissa, iudicare secundum opinionem probabilem?

SVMMARIVM.

Responsio affirmatiua. num. 1.
Quamuis oppositum multi doceant. num. 2.
Iudici non committitur res iudicanda secundùm propriam opinionem, sed secundùm opinionem Doctorum, ac sapientum virorum. num. 3.
Potest Iudex doctos viros consulere, & eorum sequi opinionem. num. 4.
Etiam relicta propria opinione. num. 5.

1 Respondetur affirmatiuè ita Medina *prima secunda quæst. 19. art. 6. dub. pen. ad vltimum* Aragon. *2. 2. quæst. 64. artic. 4. dub. pen. & ibi* Salon *controu. 2. concl. 4.* Thomas Sanchez *in sum. libro 1. cap. 9. num. 14.* Petrus Ledesma *tom. 2. tract. 8. cap. 22. post. 11. conclus. diff. 2.* Io: Sanchez *disp. 44. num. 50. & num. 51. vers. in tertio statu & num. 72.* Sayrus *lib. 1. cap. 11. num. 8.* Salas *1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 12. num. 118.* Diana *par. 2. tract. 13. resol. 3. & par. 4. tract. 6. resol. 38.* Hieronymus Rua *in controu. tom. 2. controu. 6. scholl.* Martinez *parte 2. tom. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 6. concl. 2.* Lorca *ibidem disput. 39. mem. 2.* Aluarez *ibid. disp. 80. numero 12.* Delrius *disquis. magic. lib. 5. in append. quæst. 1. §. quotiescumque* Garsias *tom. 2. de benefic. p. 11. cap. 5. num. 362.* Malderus. *1. 2. disp. 86.* Cornejo *1. 2. tomo 1. tract. 8. disp. 3. num. 7.* Fagundez *2. præcept. l. b. 3. cap. 4. num. 5.* Castro Palaus *tomo 1. tract. 1. disp. 2. pun. 1. num. 10. & punct. 10. num. 7.* Bonacina *de peccat. disp. 2. quæst. 4. pun. 9. num. 13.*

Contra-

Contrarium tamen quod teneatur in conscientia iudicare secundum opinionem, quam putat probabiliorem, neque possit iudicare secundum probabilem, ex Theologis docent Sotus *lib. 3. de Iust. quæst. 6. art. 5. ad quintum* Bannes 2. 2. *quæst. 63. art. 4. dub. primo* Manuel *p. tom. summæ cap. 6.* Vasquez 1. 2. *disp. 64. num. 5.* Azor *tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. vlt.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. difficul. 15. n. 4. & 5.* Perez *in laurea salmant. certam. 10. scholast. dub. 2. cap. 16. num. 71.* Torres *de Iustitia disput. 48. num. 9.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 16.* Filliuccius *tomo 2. tract. 21. cap. 4. num. 144.* Beccan. *in sum. tom. 2. tract. 1. cap. 4. quæst. 9. num. 13.* Tannerus 2. 2. *disp. 4. quæst. 4. dub. 6. numero 128.* Portel *de dub. regul. v. opinio in addition. n. 12.* Syluest. *v. opinio quæst. 2.*

Ex Iuristis Bald. *consil. 5. lib. 5.* Neuizan *sylua nupt. lib. 6. num. 4.* Ancar. *consil. 121.* Decius *cons. 176. numero 6.* Soccin. Iun. *cons. 33. num. 1. lib. 2.* Crauetta *cons. 134. num. 4.* Boer. *decis. 155. num. 6.*

Probatur nostra sententia affirmatiua, quia vt
3 rectè ait Salas, committitur Iudici res iudicanda non secundùm propriam opinionem, quam ipse habet, sed secundum opinionem doctorum, ac sapientum; hoc enim Reipublicæ bono expedit: Sed posito, quod vtraq; opinio opposita sit æquè communis, tunc quamuis altera iudici videatur probabilior, tamen re vera doctoribus, ac sapientibus viris, talis non erit, sed æquè probabilis altera: ergo altera pars litigans non dicitur habere ius firmius.

Confirmatur, nam optimè faciet Iudex doctos
4 viros consulendo, sed isti possunt consulere alteram opinionem esse æquè probabilem, & optimè faciet Iudex si sequatur eorum consilium; ergo etiam rectè iudicabit si sequatur doctrinam scriptorum dicentium, eam opinionem esse æquè probabilem, imò probabiliorem illa, quam ipse Iudex
5 sustinet vnde minùs rectè docent aliqui, quos sequitur Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 4. num. 162.* non posse Iudicem, relicta propria opinione, iudicare secundum opinionem probabilem aliorum; hoc enim gratis, & absque fundamento vllo dicitur, imò contrarium apparet, ex eo, quod Respublica aliquibus Iudicibus tribuit Assessores, atque Consiliarios ea mente, vt eorum consilia requirat, & sequatur.

Confirmatur secundò, nam per principia extrinseca authoritatis Doctorum certum est, eas opiniones esse æquè probabiles, in certissimum & valdè dubium, quæ sit probabilior secundùm principia intrinseca; cum quilibet Doctor dicat suam esse probabiliorem, & Iudex sit vnus ex illis Doctoribus; ergo maior illa probabilitas dubia, non debet auferre iudici libertatem eligendi quamcumque voluerit æquè probabilem per principia extrinseca.

Confirmatur tertiò, nam difficillimum est, ac durissimum cognoscere an illa opinio Iudicis, verè sit probabilior, neque tanto onere Iudex grauandus est, quod etiam infinitis scrupulis aditum præbet; præsertim cum per singula momenta soleat doctus vir variare opinionem, nam expendendo vtriusque opinionis fundamenta, nunc vna, nunc altera illi apparet probabilior.

QVÆSTIO XVI.

An Iudex, qui iudicat secundùm probabilem, sed minus receptam opinionem, contra communem, peccet, & teneatur ad restitutionem?

SVMMARIVM.

Responsio affirmatiua. num. 1.
Magnum discrimen est inter opinionem communem, ac probabiliorem. num. 2.
Iudicans contra communem punitur in syndicatu. nu. 3.
Ex recepta consuetudine, tenetur Iudex iudicare iuxta communem. num. 4.
Communis opinio habet vim legis. num. 5.
Ad consuetudinem inducendam quatuor requiruntur. num. 6.
Potest quis consulere contra communem. num. 7.
Potest iudicare contra communem, si opposita non communis habeat efficaciores rationes. num. 8.
Debent tamen ista rationes conuincere communem esse falsam. num. 9.
Sententia lata contra communem non est nulla, sed iniusta. num. 10.

1 Respondetur affirmatiuè. Aduerto autem plerosque Theologos confundere opinionem probabiliorem, cum communi, sed magnum est inter eas discrimen, vt mox videbimus. Itaque
2 iudicem contra communem iudicantem peccare, docent omnes illi Theologi, qui sustinent eum teneri iudicare secundum probabiliorem sentẽtiam, quos præcedenti quæstione adduximus, nempè Sotus, Bannes, Valentia, Manuel, Vasquez, Azorius, Villalobos, Perez, Torres, Sanchez, Layman, Fillincius, Beccanus, Tannerus, Portel, & Syluester quorum rationes probant Iudicem peccare, si contra communem iudicet, nam communis opinio est semper probabilior secundum principia extrinseca, & etiam talis præsumitur iuxta intrinseca.

Illi autem Theologi, qui sustinent non peccare Iudicem qui iudicat secundum probabilem, contra probabiliorem vno, vel altero excepto, non loquuntur de Iudicante contra communem. Imò Salas 1. 2. *quæst. 21. tract. 8. sect. 12. numero 120.* & Castro Palaus *tract. primo disp. 2. punct. 10. num. 7.* dicunt quod si altera opinio communiter existimetur minus probabilis peccabit Iudex, qui secundum eam iudicabit; qui tamen docent non teneri eum sequi probabiliorem, quare apertè docent teneri sequi communem. Itaque ex Theologis, duobus, vel tribus exceptis (qui inaduertenter loquuntur, confundentes probabiliorem cum communi) nullus est, qui doceat non peccare Iudicem non iudicantem secundùm communem.

Ex Iuristis omnes vno ore (excepto Zasio, qui sibi contrarius est) docent Iudicem contra communem,

nem, sententiam, ferentem, puniendum in syndicatu, teneri parti ad restitutionem, quod est facere litem suam, & præsumi per ignorantiam iudicasse, ita docent omnes *in cap. primo de constitution.* Vbi Io: Andreas, & Hostiens. Butrius, Imola *num.* 16. Abbas *num.* 15. Felinus *num.* 54. Detius *in prima lect. num.* 28. *& in secunda num.* 11. Berous *numero* 268. Marcus Mantua *num.* 109. Bartol. *in l. fin. n.* 5. *C. de pœna Iud. qui malè iudicat.* Bald. *in cap. ne innitaris num.* 6. *de constit.* Guido Papæ *sing.* 512. *& decis.* 277. Roman. *cons.* 179. *num.* 12. Paris de Puteo *de syndicatu v. Iudicare cap.* 3. *num.* 1. Corsetus *v. opinio* Alex. *cons.* 7. *num.* 10. *lib.* 4. Corneus *cons.* 173. *num.* 17. *lib.* 2. *& cons* 186. *num.* 7. *lib.* 3. Curtius *cons.* 46. *col.* 6. Iacobus de Leonard. *inter Consilia Bruni cons.* 114. *num.* 467. *vol.* 1. Andreas Barbatia *cons.* 19. *col.* 6. *vol.* 2. Paris *cons.* 27. *num.* 9. *vol.* 3. Io: de Amicis *cons* 78. *num.* 10. Decius *cons.* 480. *num.* 17. Marian. Soccin. Iunior *cons.* 67. *num.* 10. *& cons.* 95. *num.* 37. *cons.* 119. *num.* 18. *vol.* 1. Mantua *cons.* 45. *num.* 25. *vol.* 1. Bertrandus *cons.* 2. *num.* 3. *vol.* 1. *& cons.* 9. *n.* 2. *eod. vol.* Hieron. Gratus *cons.* 58. *n.* 29. *vol.* 1. *cons.* 77. *num.* 4. *& cons.* 154. *num.* 15. *vol.* 2. Iason *cons.* 84. *num.* 8. *vol.* 1. *& in l.* 2. *num.* 15. *&* 16. *de Iureiuran.* Neuizan. *in sylua nupt. lib.* 5. Menoch. *l.* 2. *præs.* 71. *num.* 2. Afflictus *decis.* 1. *numero* 3. Io: Maria Corasius, qui infinitos alios citat, & ait hanc opinionem non habere contradictorem *in tract. de comm. opin. lib.* 3. *tit.* 8. *numero* 16. Zasius *cons.* 3. *num.* 23. *lib.* 2. qui tamen sibi contrarius est *in l.* 2. *§. post hunc maximè num.* 78. *vers. nec communes ff. de orig. Iuris, & in lib.* 2. *singular. responsorum cap.* 1. *in fine num.* 27. Tiraq. *de pœnis temper. causa* 51. *num.* 64. Euerardus *in loco ab authoritate.* Viuius *lib. primo opin.* 182. Cassador. *decis.* 5. *numero.* 15. *de constit.*

Quod autem indicans contra communem pu-
3 niendus sit in syndicatu, ac teneatur parti ad restitutionem docuerunt Cynus *in authentica hodie C. de Iudicis,* Bartol. *in l. fin. numero* 5. *C. de pœna Iud. qui malè iud.* Felin. *in cap.* 1. *n.* 54. & ibi Mantua *num.* 109. *de constitut.* Alciatus *de præsumpt. reg. prima præs.* 51. *num.* 6. Ripa *responso primo num.* 8. *de restit. spoliat.* Berous *cons.* 153. *num.* 19. *lib.* 1. Roland. *cons.* 46. *num.* 9. *lib.* 2. Viuius *lib.* 1. *opin.* 182. Marian. *in l. qui Romæ §. duo fratres num.* 78. *de verborum obligation.* Neuizan. *in sylua nup. libro* 5. *num.* 63. Baldus *decis.* 15. Paris de Puteo *de synd. v. indicare cap.* 3. *num.* 2. Io: Valerus *de diff. vtr. fori verbo opinio diff. prima. n. primo* Marian. Iunior *cons.* 131. *num. secundo lib. primo.*

Probatur primò, nostra Conclusio, nempè peccare, & teneri ad restitutionem iudicantem contra communem, quia ex receptissima, & antiquis-
4 sima omnium Tribunalium consuetudine obligatur iudex ferre sententiam secundùm opinionem communem, & contra eam indicans ex receptissima consuetudine punitur: ergo peccat, & ad restitutionem tenetur contra illam indicando, sicuti si contra legem iudicaret. Quod autem receptissima consuetudo obliget Iudicem ad sequendum communem opinionem. Primò ostendo authoritate Doctorum, qui dicunt communem opinionem habere vim, & efficaciam consuetudinis, &
5 habere vim legis, vbi deficit lex, ita Baldus *in cap. ne innitaris num.* 6. *de const.* Io: Battista Villalobos *in tract. com. opinionum v. opinio num.* 107. Berous *cons.* 91. *num.* 17. *lib.* 2. Gratus *cons.* 77. *num.* 4. *&* 16. *libro* 2. Galiaula *in l. centurio num.* 201. *ff. de vulg.* Alex. *cons.* 55. *num.* 14. *lib.* 4. Decian. *cons.* 111. *n.* 17. *lib.* 3. Menochius *de præsumpt. l.* 2. *præsum.* 71. *num.* 4. Sebastiani Medices *de legibus, & statutis libro* 2. *q.* 16. *& vltima num.* 7.

Præterea secundò, id ostendo, nam adsunt om-
6 nia quæ requiruntur ad consuetudinem inducendam, quatuor enim requiri ad consuetudinem docet Suarez de legibus *lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 13. Palaus *tomo primo tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. *§.* 3. *numero* 13. Primum est, quod consuetudo sit grauis, & difficilis, & nihilominus communiter seruetur: sed huiusmodi est consuetudo iudicandi secundum communem opinionem, nam illam inquirere, & secundùm eam iudicare graue, & difficile est, & tamen eam omnes timorati Iudices seruant. Secundum est, quod viri timorati malè sentiant de his, qui non seruant consuetudinem, & communiter populus scandalizatur: sed vtrumque verificatur in Iudice contra communem judicante, nam de eo malè sentirent viri timorati, & scandalizantur scientes. Tertium est, quod superiores puniant transgressores consuetudinis: sed ita est in casu nostro, nam Iudicantes contra communem puniuntur in syndicatu. Quartum est, quod consuetudo multùm conferat Reipublicæ bono: sed talis est consuetudo Indicandi secundùm communem, nam inde iustæ sunt sententiæ, quę ex doctissimorum scriptorum communi consensu proferuntur.

Ergo indubicatissimum videtur, tùm ex testificatione Doctorum, cum ex ratione allata quia adsunt requisita ad consuetudinem, iam eam inductam, & obligare ad iudicandum iuxta communem.

Probatur secundò, nam vt rectè docent Castro Palaus *d. tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 10. *num.* 7. & Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *sect.* 12. *num.* 120. si constaret quæ opinio esset certò probabilior, vtique pro ea iudex teneretur iudicare, nam vt benè docet Sanchez *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 47. Iudex constituitur à Republica vt iudicet secundum id, quod melius, & magis ratione consentaneum est, & *in l. in obscuris* 113. *ff. de regul. Iuris* dicitur *In obscuris quod verisimilius est inspici solet*: sed certum est communem opinionem esse probabiliorem, non communem, esse minus probabilem, vel saltem dubium an sit probabilior: ergo tenetur Iudex iudicare secundum communem.

Quod communis certò sit probabilior, probo, quia per principia extrinseca certissimè est probabilior, per principia extrinseca etiam probabilior præsumitur. E contra non communis per principia extrinseca certò est minus probabilis, per principia intrinseca dubium est an sit probabilior. Ergo præferenda est maior, & certa probabilitas extrinseca communis, alteri oppositæ incertæ probabilitati non communis.

Obijc. primò ex Zasio nullibi in Iure extat lex

præ-

præcipiens iudicare iuxta communem; ergo gratis afferitur talis obligatio.

Respondetur primò, sufficere ad obligationem consuetudinem introductam, vt probaui. Secundò, transeat, quod non sit lex expresse id præcipiens: at id implicitè iubet, dum vult Iudicem iudicare secundum id, quod melius, & magis rationi consentaneum est.

Obijc. secundò *ex l. prima §. sed neque C. de veteri Iure enucleando*, ibi: *sed neque ex multitudine authorum quod melius, & æquius est Iudicatore.*

Respondetur primò, ibi sermonem non esse ad Iudices, sed ad Iurisconsultos legislatores, qui non tenebantur nec Iura, nec Doctorum interpretationes sequi in legibus ferendis, sed tantùm rationem. Secundò, ille textus tantùm probat posse contra communem iudicari, quando opposita sententia conuincitur solidiores habere rationes, quod etiam ipse concedo, vt infra dicam: secùs autem quando apertè non constat de solidiori ratione minùs receptæ sententiæ.

Obijc. tertiò, non tenetur Iudex iudicare secundum probabiliorem, vt supra dixi; ergo neque secundùm communem.

Respondetur disparitas est, quia quando vtraque opinio est æquè recepta, tunc non est certum, quod altera ipsarum sit probabilior, nisi in existimatione Iudicis, cuius authoritas tanta non est, vt faciat illam probabiliorem; at quando opinio est communis, certum est, saltem secundùm principia extrinseca, esse probabiliorem.

Obijc. quartò, possum consulere contra com-
7 munem, & potest quis operari secundum probabilem contra communem Vasq. *parte 2. disput. 64. cap. 4.* Sanchez *l. 1. cap. 9. num. 4.* Reginald. *lib. 13. num. 93.* Azor *tom. 1. l. 2. cap. 17. quæst. 6.* Bonacina *de peccat. disput. 2. quæst. 4. parte 9. num. 11.* ergo & Iudicare.

Respondetur disparitas est, quia speciali præcepto tenetur Iudex sequi communem, quia, & consuetudine obligatur, ac etiam quia à Republica constituitur ad iudicandum secundum id, quod melius ei videbitur. Nemo autem, nec ex consuetudine, nec aliundè tenetur consulere, aut operari iuxta communem, quia sufficit consulere, & operari, quod bonum est, & sicut consulens omissa communi prudenter operatur ex probabili opinione, ita id illi consulere possum.

Aduertendum primò, non teneri Iudicem ad
8 iudicandum secundum communem, quando opinio non communis habet efficaciores, & meliores rationes, ita vt rationabiliter conuincatur *ita ex d. l. 1. §. sed neque C. de veteri Iure enucleando* docent omnes Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 16. vers. 4.* Nauar. *in man. cap. 12. num. 10. & cap. 27. num. 289.* Azor *tom. 1. lib. 2. cap. 13. in fine* Henriq. *lib. 4. cap. 18. num. 3.* Villalob. *tom. 1. sum. tract. 1. diffi. 4. num. 19.* Castro Palaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 1. num. 11.* Io: Andreas, & Hostiens. *in cap. 1. de constitut.* vbi Abbas *num. 15.* Felin. *num. 54.* Butrius, & Berous *num. 270.* Decius *in prima lect. num. 29.* Mantua *num. 111.* & alij Abbas *cons. 85. num. 1. vol. primo & in cap. Capellanus num. 3. de ferijs* Decius *cons. 259. in princip.* Roland. *cons. 100. num. 49. lib. 2.* Menochius *de præsump. lib. 2. præs. 71. num. 2. & de arbitr. casu 339. num. 21.* Ripa *in l. si vnquam num. 44. in fine C. de reuocand. donation.* Neuizan. *in sylua nupt. lib. 5. num. 67.* Corasius *de communi opinione lib. 2. tit. 9. num. 97.* Gizzarellus *decis. prima num. 18.* Ferrettus *cons. 176. n. 6.* Franciscus Marcus *decis. 692. num. 5. par. 1.* Guido Papæ *decis. 277.* Natta *cons. 120. num. 1. & cons. 358. num. 10.*

Sed aduertat talis Iudex ne faciat litem suam, & teneatur in syndicatu, si ostendat pars aduersa rationes, quibus motus est ad iudicandum contra communem, non fuisse multum vrgentes, neque communi præponderantes Marianus Iunior. *in l. qui Romæ §. duo fratres num. 76. ff. de verb. obligat.* Corasius *de communi opinione lib. 2. tit. 9. num. 94.* Vlteriùs aduerto ad hoc, vt possit Iudex contra communem iudicare, non satis esse rationes, quas Iudex affert contra communem ostendere illam
9 minùs probabilem, & oppositam probabiliorem, vt docent Neuizan. *in Sylua nuptiali lib. 5. num. 61.* Menoch. *l. 2. præs. 71. num. 18.* sed oportet, quod illæ rationes adeo conuincentes sint, vt ostendant opinionem communem esse improbabilem, & falsam (quod tamen puto rarissime, & ferè numquam euenire) ita videntur sentire omnes Doctores locis citatis, dum dictū nisi communis notoriè erret & malè dicat, quod est esse falsam. Ratio est, quia si adhuc communis est probabilis, semper ea debet præualere, nam maior sua probabilitas per principia extrinseca, certa, & indubitata est: dubia autem, & incerta est probabilitas maior per principia intrinseca oppositæ sententiæ non communis.

Aduerto secundò, sententiam latam contra
10 communem non esse nullam, sed iniustam Felin. *in cap. 1. n. 55. de constit.* Neuizan. *lib. 5. Sylua nupt. num. 72.* Menoch. *l. 2. præsum. 71. num. 28.* Guido Pap. *decis. 277.*

Aduerto tertiò, tunc teneri Iudicem sequi communem, quando agitur de Iure partium, inter quas lis agitur, & de definitiua sententia; at quando
11 controuersia est an liceat iudici hoc, vel illud agere, & respectu aliorum actuū iudicialium, vt reum carcerandi, interrogandi, testes examinandi, tunc sufficit ei, si sequatur probabilem opinionem, vt notat Vasquez *1. 2. disput. 64. cap. 2. in initio* Sayr. *lib. 1. cap. 11. num. 8.* Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 43.* Io: Sanchez *disp. 44. num. 51.* fanet Doctrina Decij *in l. fauorabiliores num. 4. ff. de regulis Iuris* vbi ait: quod quamuis in decisione causæ, in dubio absoluitur reus; tamen in medio causæ reus & actor à pari procedunt.

Aduerto quartò, tunc Iudicem obligari ad iu-
12 dicandum iuxta communem, quando clarè de ea constat, quia Doctores testantur eam esse communem; at si dubium sit quænam opinio sit communis, quia aliqui Doctores dicunt hanc esse communem, alij oppositam, tunc potest Iudex secundùm quam libuerit iudicare ita Neuizanus *in sylua Nuptiali lib. 5. num. 74.* Menoch. *l. 2. præs. 71. num. 37.* sicut enim lex dubia non obligat, ita nec communis opinio, quæ dubia est.

Aduerto

Aduerte quintò, communem opinionem dici, 13 quæ à Doctoribus eam ex professo tractantibus defenditur, nam, si perfunctoriè solùm de illa tractent, non æquiualent paucis accuratè disputantibus, Nauar. *cap.* 27. *num.* 289. Reginald. *lib.* 13. *num.* 92. Menochius 2. *præsum.* 71. *num.* 39. Alciatus *de præs. reg.* 1. *præsum.* 51. *num.* 1. *vers. item intellige* Nauar. *cap.* 27. *num.* 289. Io: Sanchez *disput.* 44. *num.* 68. *& disp.* 29. *num.* 7. Castro Palaus *tomo primo tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. Quamuis autem ferrè omnes dicant, non credi Doctori, quantumlibet graui, nihil alleganti, vt scribunt Baldus *in l. Republica C. ex quibus causis maior* Curtius *cons.* 66. *num.* 2. Roland. *cons.* 1. *num.* 187. *vol.* 2. Marsilius *singulari* 243. Viuius *decis.* 162. *in fine, & decis.* 358. *num.* 6. tamen id verum non est, non enim præsumendum est, virum doctum, absque solido fundamento moueri; quamuis autem ei non ita credendum sit, ac alijs materiam disputantibus, adhuc tamen non leuis est eius authoritas, quam sequi tutò quis potest; & ita passim obseruare licet; nam plerumque Doctores nihil omnino pro se afferentes, sola ipsorum authoritate probabilitatem opinioni conciliant, & ita rectè docent Purpuratus *in l.* 1. *num.* 138. *ff. si certum petatur* Corasius *tract. de communi opinione lib.* 2. *tit.* 9. *casu* 23.

Quot autem Doctores communem opinionem 14 constituant, variæ sunt sententiæ, aliqui quatuor graues Doctores sufficere ad communem, asserũt, ita Gratus *cons.* 131. *num.* 2. *lib.* 1. *& cōs.* 75. *n.* 22. *vol.* 2. Viuius *communium opinionum lib.* 1. *opin.* 182. alij septem requirunt Io: Maria Corasius *tract. de communi opinione lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 20. Nauar. *in man. cap.* 27. *num.* 288. Sayrus *in claui Regia lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Alij maiorem partem Doctorum, sicuti maior pars populi requiritur ad communem vocem, & famam, vt per Tiraq. *tract. de legibus connubialibus* glosa 8. *num.* 160. Mihi id prudentis arbitrio, cum hac tamen distinctione, videtur committendum; vel enim quæstio à paucis, vel à multis pertractatur. Si à paucis, censeo, quatuor graues Doctores, rem accuratè tractantes, quamuis vnus, vel alter aduersetur, sufficere ad communem opinionem constituendam. Si à multis, propriè communem voco, quam defendit maior pars Doctorum de re illa scribentium; vnde impropriè dicitur magis communis, si viginti Doctores stent pro vna parte, & decem pro altera. Probo, quia esse communem opinionem duo dicit. Primò, notabilem multitudinem. Secundò, respectum ad aduersarios: si quatuor Doctores stent pro opinione, qui graues sint, & rem accuratè disputent, quis dubitat, esse notabilem multitudinem Doctorum? quod autem sit notabilis numerus Doctorum, patet, quia maxima est eorum authoritas, & rationabiliter, ac tutò, huius authoritatis fundamento ea opinio sequi potest.

Si autem à multis de quæstione agitur, impropriè diceretur communis opinio, quæ decem pro se haberet Doctores, si viginti oppositum docerent; nam esse communem dicit respectum ad longè minorem numerum.

QVÆSTIO XVII.

An Iudicandum sit pro causa fauorabili, vt dote, libertate, aut simili contra communem?

SVMMARIVM.

Responsio negatiua. n. 1. *Et ita seruatur in praxi. n.* 2.
Ne dissoluatur matrimonium iam contractum, iudicandum est secundùm opinionem singularem, contra communem. num. 3.
Potest sequi opinio, quæ minimum gradum probabilitatis habet, quando vrget graue periculum. num. 4.

Respondetur negatiuè ita ex Theologis Castro Palaus *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 10. *num.* 3. dum ait, quod, si opinio verior, aut magis probata sit contra matrimonium, dotem, &cet. tunc non deberet iudicari pro dote matrimonio, &c.

Ex Iuristis Detius *in c.* 1. *num.* 31. & Berous *num.* 271. *de constitut.* Marian. Soccin. *in l.* 1. *num.* 74. & ibi Imola *num.* 11. *ff. soluto matrim.* Cagnolus *in l. libertas num.* 2. *ff. de reg. Iur.* Barbatia *cons.* 3. *num.* 9. *lib.* 1. Cotta *in verbo nuptiarum causa circa medium* Alciatus *de præsum. reg. prima præs.* 40. *num.* 2. Menochius *de præs. l.* 2. *præs.* 71. *num.* 31. *& de arbitrar. casu* 339. *num.* 30. Neuizan. *in Sylua nupt. lib.* 5. *num.* 73. dum ait, quod iudicandum est iuxta communem, quando est clara Io: Corasius *in l. qui liberas num.* 121. *ff. de ritu nuptiarum.*

Contrarium tamen, quod sit Iudicandum pro causa fauorabili contra communem, docent Hostiens. *in cap.* 2. & ibi Abb. *num.* 3. *de cognatione spirituali* Abb. *in cap. fin. num.* 3. *de re Iud.* Felin. *in cap. primo num.* 54. *de constit.* Iason *in l. gallus §. quod si is num.* 14. *ff. de lib. & post. & in l.* 1. *ff. solut. matrim.* Barbatia sibi contrarius *cons.* 6. *num.* 2. *lib. primo & cons.* 4. *num.* 1. *lib.* 3. Mascardus *concl.* 1143. *n.* 12. Nauar. *cap.* 27. *num.* 287. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 18. *n.* 7. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 7. *n.* 3.

Probatur nostra sententia. Primò, ex receptissi-
2 ma praxi tribunalium, nam semper iudicatur iuxta communem, contra causam fauorabilem, ita in praxi seruari testatur Io: Corasius *in l. qui liberos num.* 121. *ff. de ritu nuptiarum*, & Marianus Soccinus *in l.* 1. *num.* 74. *ff. sol. matr.*

Secundò, Probatur *ex l. duo ex tribus ff. de re iudicata*, vbi maior pars votorum præualet; quare, quamuis vbi paria sunt vota iudicantium, præualeat sententia pro valore testamenti *l. si pars. ff. de inoffic. testamento*, tamen, vt ibi ait glosa, præualet sententia contra testamentum, si contra illud sit maior pars votorum: ergo opinio communior, & receptior præualere debet etiam contra causam fauorabilem, quale est testamentum.

Tertiò, quia, si probationes ex parte facti vrgentiores sint contra causam fauorabilem, vt testamentum, tunc contra eam indicandum est *c. ex litteris de probation.* ergo, etiam si probationes Iuris magis vrgeant contra causam fauorabilem.

Quartò, quia ſic ſumus cauſæ piæ, ac fauorabili debitores, vt alijs iniuſtitiam facere non debeamus *cap. ex tenore de fora compet. cap. nuper de donat. inter virum, & vxorem*; Sed iniuſtitia, & iniuria eſſet iudicare contra communem pro cauſa fauorabili, nam communis opinio habet certam maiorem probabilitatem ſecundum principia extrinſeca, quare tamquam lex ſeruanda eſt, & ſicut lex generaliter diſponens comprehendit etiam cauſam fauorabilem, ita etiam communis opinio.

Quintò, quia nullibi in Iure habetur quod contra communem, & receptiorem opinionem ſit iudicandum pro cauſa fauorabili: ergo non eſt recedendum à generali regula, quod Iudex teneatur iudicare iuxta communem.

Aduerte autem peculiarem eſſe rationem de
3 vinculo matrimoniali, nam ne diſſoluatur matrimonium iam contractum, Iudicandum eſt ſecundum opinionem ſingularem probabilem, contra communem opinionem, in hoc enim viget peculiaris ratio, quæ in cæteris cauſis non habet locum, nam magna eſt habenda in primis reuerentia tam ſacroſancti, & indiſſolubilis Sacramenti; deinde ex diſſolutione matrimonialis vinculi ingentia proueniunt incommoda, præſertim coniugis honor, & honeſtas læditur, vnde niſi certum ſit inualidum eſſe matrimonium, non debet diſſolui, vt rectè docet Marian. Soccin. *in l. 1. num. 73. verſ. non obſtat ff. ſoluto matrim.* & in hoc caſu procedit doctrina Hoſtienſ. *in l. ſi vir de cognat. ſpirit.* vbi Io: Andreas *num. 3.* Butr. *in fin.* Ancar. *num. 3.* Abbas *num. 3.* Henric. *num. 4.* Neuo *num. 3.* Præpoſ. *num. 2.* Felin. *in cap. 1. num. 54. verſ. tertio limita de conſtit.* vbi Berous *num. 271.* Menochius *l. 2. præſ. 71. numero 30.* Sanchez *de matrim. libro 1. diſput. 18. numero 7.*

Fauet huic doctrinæ altera eiuſdem Sanchez, & aliorum, nempè poſſe nos ſequi opinionem, quæ minimum probabilitatis gradum habet, quando
4 vrget graue periculum, aut damnum, quod vitari aliter non poteſt, ita Sanchez *de matrimon. libro 2. diſput. 36. num. 8. & in ſumm. lib. 1. cap. 9. num. 25.* & ante eum Sotus *de tegendo ſecreto, mem. 3. quæſt. 2. concl. 3.* Nauar. *in cap. inter verba in ſecunda edit. coroll. 53. num. 135.* Baldellus *tomo primo theolog. moral. lib. 4. diſp. 12. num. 4.* Merolla, *tomo primo diſp. 3. cap. 4. num. 83.* Caſtro Palaus, *tomo primo, tract. 1. diſp. 2. punct. 2. in fine.* Villalobos *tomo primo, tract. primo, difficult. 8.* vide Paſqualigum *deciſ. 20. & 30.* Ergo à fortiori iudicandum eſt pro indiſſolubilitate matrimonij iuxta opinionem probabilem contra communem, cum aliter euitari nequeant grauiſſima damna, quæ inde ſequerentur ex ſolutione.

QVÆSTIO XVIII.

Ad Iudex teneatur pro cauſa fauorabili, aut pro poſſeſſore iudicare, ſi vtraque opinio ſit æquè probabilis, aut æquè communis?

SVMMARIVM.

Prima ſententia affirmat. num. 1.
Secunda negat quam ſequor. num. 3.
Ita praxis obſeruat. num. 4.
An Iudex poſſit punire eum, qui operatus eſt cum opinione probabili? num. 2. & 9.
Regula illa, cum ſunt partium Iura obſcura reo eſt fauendum, eſt conſuetudine abrogata. num. 5.
Diſcrimen inter dubium facti, & opinionem. num. 6.
Quare Iudex quò ad factum ligatas habeat manus, non quò ad opiniones Doctorum? num. 7.
Poteſt Iudex imponere pœnam mortis ſi ita habeat communis obſeruantia. num. 8.

1 PRima ſententia eſt affirmatiua, nempè debere Iudicare pro cauſa fauorabili, vt dote, matrimonio, libertate, teſtamento, vidua, Peregrino, Eccleſia, aut alia cauſa pia, etiam ſi actor eſſet huiuſmodi cauſa fauorabilis, alioquin ſi ius vtrique parti æquè fauet, iudicandum eſt pro poſſeſſore, ſeu reo, ita Nauar. *in manuali cap. 27. numero 287.* Layman *lib. primo tract. 1. cap. 5. numero 16, verſ. ſi cætera* Filliucius *tomo 2. tract. 21. cap. 4. num. 141. & 143.* Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 18. n. 7.*

Ex Iuriſperitis verò idem docent, nempè iudicandum pro cauſa pia, Ancaranus *conſ. 46. num. 2.* Tiraqueil. *de priuil. pia cauſæ, priuil. 147.* Pro matrimonio Franciſcus Marcus *deciſ. 521. num. 6.* & Sanchez vbi ſupra.

Pro teſtamento Roland. *conſil. 83. num. 17. lib. 1.* Alex. *conſil. 227. numero 13. lib. 6.* Iaſon *conſil. 13. in fine lib. 3. & conſil. 12. num. 1. libro 4.* Menochius *lib. 4. præſ. 71. num. 32.* Pro reo, ſeu poſſeſſore Alex. *dict. conſil. 227. numero 13. lib. 6.* Menoch. *d. præſ. 71. num. 35.*

His accedunt omnes illi, qui dicunt, quod in varietate opinionum, præferenda eſt benignior, vt per Paſqualigum *deciſ. 9.*

Probatur primo, hæc ſententia, quò ad poſſeſſorem ex *l. in pari 169. de regul. Iuris* ibi: *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet, & ex reg. cum ſunt partium Iura obſcura, reo fauendum eſt potiùs, quam actori de regul. Iuris in 6. ex cap. ex literis de probat.* ibi: *Si ambarum partium teſtes ſint æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur, præterquam in liberali cauſa;* Ergo ſi ſtante æquali probabilitate ex parte facti, præfertur poſſeſſor, etiam is præferendus erit ſtante æquali probabilitate ex parte Iuris, vel aſſignetur diſparitas.

Secundò, ex *cap. fin. de re Iud.* ibi: *duobus Iudicibus diuerſas ſententias proferentibus, ſi ex Iuriſdictione ordinaria proceſſerunt, tenet pro reo, non pro actore ſententia, niſi in cauſa fauorabili puta*

matri-

matrimonio, libertate dote, testamento. Idem habetur *in l. inter pares ff. de re Iud.* ibi: *inter pares numero Iudices, si dissonæ sententiæ proferantur, in liberalibus causis pro libertate statutum obtinet, in alijs autem pro reo*. Idem quò ad testamentum habetur *in l. si pars ff. de Inoff. testamento, & in l. in ambiguis ff. de reg. Iuris*.

Tertiò, ex *l. sunt personæ ff. de relig. & sump. funer.* ibi. *stricta ratio in ambiguis religionum quæstionibus nonnumquam omitti solet, nam summa est ratio, quæ pro religione facit*.

Quartò, ex *l. Arianus ff. de act. & obligationibus* ibi: *facilior sis ad liberandum*.

Quintò, ex *l. quoties dubia* 20. *ff. de reg. Iur.* ibi: *quoties dubia est interpretatio libertatis pro libertate respondendum est*, & idem habetur *in l. in obscura* 138. *ff. de reg. Iur.*

Sextò, accedit nam quamuis regula sit, quod *in obscuris; semper quod minimum est sequimur l. in obscuris* 9. *ff. de reg. Iuris*. id tamen fallit fauore piæ causæ, quia in dubio intelligitur legatum pium de maiori non de minori summa, ita Decius *ibi ex trx. in l. titia §. Seia ff. de auro, & argento leg.* vbi Bartol. Romanus *sing.* 515.

Septimò, accedit, nam quando variæ sunt opiniones Doctorum, debemus sequi illam, quæ imponit minorem pœnam, *interpretatione enim legum pænæ molliendæ sunt l. pen. ff. de pæn.* ideoque docet Iason *in l. cunctos populos numero* 70. *C. de summ. Trinit.* Tiraquell. *de pænis legum causa* 10. Ofascus *decis.* 80. *num.* 8.

Octauò, quia nemo sine culpa puniendus est *cap.*
2 *sine culpa de regulis Iuris in* 6. sed qui operatus est cū opinione probabili, prudenter est operatus, & sine culpa; ergo non poterit à Iudice puniri: ergo cum vtrimque sunt opiniones probabiles in causa sanguinis, aut criminali, non poterit Iudex reum punire, vt expressè docent Io: Sanchez *in selectis disp.* 44. *n.* 27. & Diana *par.* 2. *tract.* 13. *resol.* 3. *in fine*.

Secunda sententia, quam sequor, est, quod stan-
3 te æquali probabilitate, aut si vtraque opinio sit æquè communis, est in libertate Iudicis pro qua libuerit parte iudicare, siue pro possessore, siuè contra possessorem, siuè pro causa fauorabili, & pia, siuè contra illam, siue pro reo in causa sanguinis, siuè contra illum, ita quò ad possessorem. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disput.* 41. *num.* 30. vbi ait, *Demum obseruandum est, quod quamuis in dubio melior sit possidentis conditio, at quando sunt diuersæ opiniones circa aliquam rem, non tenetur Iudex fauere possidenti, quia tantùm in casu dubio melior est possidentis conditio. Iudex autem non est dubius, sed probabiliter opinatur.* Ita Sanchez & idem docet *in summa lib.* 1. *c.* 9. *num.* 53. Vasquez *prima secundæ disp.* 63. *in fine* Villalobos *to.* 1. *tract.* 1. *diff.* 5. *num.* 3. *& diff.* 9. *num.* 1. Io: Sanchez *disp.* 44. *n.* 54.

Et quamuis prædicti Doctores loquantur, quod possit iudicare contra possessorem, eadem ratio est, quod possit iudicare contra causam fauorabilem, quod ostendo, nam si Iura quæ allegantur, quod pro possessore sit iudicandum, intelligenda sunt, cum est dubium facti, eodem modo de dubio facti sunt intelligenda iura, quæ adducuntur, quod iudicandum sit pro causa fauorabili, nam eodem modo de vtrisque loquuntur *l. inter pares ff. de re Iud. cap. fin. eod. tit. cap. ex litteris de probat.*

His accedunt Doctores omnes citati *quæst.* 14. qui indistinctè docent esse in Iudicis libertate, stante æquali probabilitate, pro qua libuerit parte Iudicare.

Probatur primò, nostra sententia ex receptissi-
4 ma praxi, ac consuetudine omnium tribunalium, nam si opiniones sint æquè receptæ, æquè probabiles, nunc pro possessore, nunc contra, nunc pro causa fauorabili, nunc contra illam, quandoque pro reo in causa criminali, & quandoque contra illum, prout cuique Iudici libuerit fertur sententia, hoc euidentissimè patet apud Decisionum scriptores; quare non immeritò Filliucius *tract.* 21. *cap.* 4. *numero* 143. dixit regulam illam: *cum sunt partium*
5 *Iura obscura reo fauendum*, consuetudine abrogatam esse.

Secundò, quia sicut consulens, seù aduocatus, siuè is qui consilium petit possideat, siuè non, sinè sit causa pia, siue non, stante æquali probabilitate, potest quam libuerit opinionem sequi, cum ex opinione probabili consulendo, & parrocinando rationabiliter, & prudenter operetur, nec vllo Iure prohibeatur alteram opinionem amplecti: ergo etiam, & Iudex poterit secundùm quam libuerit iudicare.

Consequentia probatur, nam secundùm quamlibet opinionem probabilem rationabiliter, & prudenter operatur; neque vllo Iure prohibetur iudicare secundùm vnam ex illis opinionibus contra possessorem, aut contra fauorabilem; nam Iura allata (vt rectè docent Sanchez, & Vasquez) non loquuntur cum diuersæ sunt opiniones, sed cum est dubium facti. Diuersa autem est ratio in
6 dubio facti, ac in diuersis opinionibus, cum enim factum non dependeat à Iudicis mente, sed debeat secundùm allegata, & probata iudicare, imò nec ea quæ ad factum spectant, possit partibus aperire, proinde quò ad factum, Iudex ligatas habet manus, vnde leges statuunt, quod si sit dubium facti primum iudicet pro causa fauorabili, deinde si æqualis sit partium fauor, quod iudicet pro reo, seù possessore; Tandem si neuter possidet res diuidenda est, vt suo loco dicemus. At quando diuersæ sunt opiniones Doctorum, cum Iudex habeat facultatem, & ipse interpretandi Iura, potest pro qua libuerit parte iudicare, cum liberum sit ei, ea suo modo interpretari, quare si interpretetur contra possessorem, contra causam fauorabilem, contra illam iudicare poterit.

Probatur tertiò, quia quamuis ex opinione probabili, non possit quis spoliare bonæ fidei possessorem, nec possit occultè sibi satisfacere, etiam cessante scandalo, vt docent Nauar. *cap.* 17. *num.* 117. Suarez *de legibus lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 20. *& de charit. disput.* 13. *sect.* 6. *n.* 3. Sanchez *in sum. lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 7. Molina *tract.* 2. *disp.* 35. *§. verum enimuerò & disp.* 103. Vasq. 1. 2. *disp.* 64. *cap.* 3. *n.* 13. Villalob. *to.* 1. *tr.* 1. *diff.* 17. *n.* 7. Laym. *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 5.

num. 21. & alij, quos alibi adduxi, tamen possessio præualet ante sententiam, non post sententiam. Disparitas est, quia ante sententiam, partium Iura sunt æqualia, quò ad proprietatem, quare in pari causa proprietatis præualet certa possessio: tum quia expedit Reipublicæ ob tuendam publicam pacem, non spoliari ante sententiam possessorem *cap. sæpè de restitut. spoliat.* At post sententiam, partium Iura quò ad proprietatem non sunt æqualia, sed accedente sententia, ius proprietatis, quod antea erat probabile, fit certum; vnde certum Ius proprietatis preualet possessioni.

Dices Iudex tenetur iudicare pro ea parte, quæ nedum habebat probabile Ius proprietatis, sed etiam possessionem.

Respondeo ad decidendam litem proprietatis, de qua partes ligant, est omnino impertinens possessio, quare Iudex non considerando possessionem, debet decernere de ipsa proprietate, de qua est lis; cum autem quò ad proprietatem Iura sint obscura; iura autem interpretari Iudici commissum sit, iuxta eius prudentiam, & arbitrium, stante æquali probabilitate Iurium, poterit pro qua libuerit parte Iudicare, etiam contra possessorem.

Ad primùm, Respondetur ea Iura procedere in dubio facti.

Ad secundùm, Respondetur dispar ratio est, quando sunt diuersa iudicantium vota, ac quando diuersæ sunt opiniones Doctorum, in priori casu cum non sit in litigantium arbitrio quam malint eligere sententiam, vt sit litium finis, meritò Iura alteram ex illis sententijs præualere voluerunt, & quò ad hunc peculiarem casum priuilegium dederunt fauorabili causæ, ac possessori; Imo si Iudices sint delegati, cum possit ad delegantem recurri, ideo tunc neutra sententia præualet, vt *in d. cap. fin.* At in posteriori casu, quando sunt diuersæ opiniones Doctorum, tunc cum & Iudex habeat à lege etiam potestatem Iura interpretandi; meritò eius prudentiæ, & arbitrio committitur, quam malit opinionem eligere.

Ad tertium, Respondetur *tex. in d. l. sunt personæ*, hoc tantum probare, quod quando sunt pro vtraque parte rationes, magis mouere debent illæ, quæ religioni fauent: at ille tex. non probat, quod rationes, quæ fauent religioni cogant ad ferendum pro ea sententiam, alioquin non esset in arbitrio Iudicis in quam maluerit partem suum animum inclinare, & vt ei meliùs videbitur Iura interpretari; si enim alteri Doctori licet iura interpretari contra causam piam, cur non licebit & Iudici?

Ad quartum, Respondetur, eod. modo, mouere magis rationes pro liberatione, at nō cogere. Deinde textus illæ loquitur de dubio facti, vt cum dubitatur de promittentis voluntate, tunc enim sumenda est interpretatio, vt ad minimum se obligasse censeatur *l. quicquid astringendæ ff. de verb. oblig.*

Ad quintum, Respondetur, ea Iura loqui in dubio facti.

Ad sextùm, Respondetur hæc, & alia priuilegia piæ causæ, non esse extendenda ad casus non expressos; nullibi autem habetur in Iure expressum, vt quando sunt plures, doctorum opiniones, teneatur Iudex sequi opinionem fauorabilem piæ causæ.

Ad septimùm, Respondetur, transeat, quod in pœnis eligenda sit ea opinio, quæ mitiorem pœnam imponit *ex d. l. penult. ff. de pœnis*, negatur tamen in cæteris pro reo etiam in causa criminali teneri Iudicem ferre sententiam. Præterea etiam in pœnis non tenetur Iudex mitiorem pœnam imponere, sed po-
8 test imponere pœnam mortis, si ita habet communis obseruantia, quod talis pœna pro tali delicto imponatur Francus *decis.* 533. *num.* 12. nam illa opinio est amplectenda, pro qua est communis obseruantia afflictus *decis.* 173. *num.* 2. & 3.

Ad octauum, Respondetur, quamuis in foro con-
9 scientiæ is, qui ex probabili opinione operatus est, non deliquerit; tamen quò ad forum externum liberum est Iudici sequentem oppositam opinionem probabilem, dicentem eum deliquisse, præsumere eum contra conscientiam operatum, atque punire illum tamquam delinquentem. Ratio est, quia Iudex Ius habet tuendi suarum legum rigorem, non admittendo benignam opinionem probabilē reum excusantem, sed sequendo opinionem probabilem strictiorem, prout quotidiana praxis ostendit.

QVÆSTIO XIX.

An Iudex, quando in Ciuili causa æquales omnino sunt probationes facti, possit pro qua libuerit parte iudicare?

SVMMARIVM.

Quando nullus possidet, debet Iudex compellere ad compositionem, vel rem diuiderc. num. 1.

Fur dubitans, cui ex duobus furatus sit, non potest totum vni dare. num. 2.

Quid agendum Iudici, quando res est indiuisibilis. n. 3.

Quando alter possidet, & æquales sunt probationes, pro possessore est iudicandum. num. 4.

Quis dicatur reus? num. 5.

Dubia libelli interpretatio facienda est in fauorem actoris. num. 6.

In medio causæ actor, & reus à pari procedunt. num. 7.

Quando æquales sunt probationes, iudicandum est pro causa fauorabili, contra possessorem. num. 8.

An in dubio iudicandum sit pro fisco? num. 9.

Quando dicitur, in dubio iudicandum pro causa fauorabili, intelligitur si vtraque pars plenè probauerit suam intentionem. num. 10.

In dubio facti debet Iudex secundùm probationes probabiliores ferre sententiam. num. 11.

1 PRima Conclusio. Si probationes sint omnino æquales, & neuter litigantium, ac neutri parti Ius fauet, vt si neutra pars est causa pia, aut fauorabilis, vt matrimonium, libertas, dos, testamentum, & cæt. tunc Iudes debet rem diuidere, vel si indiuisibilis sit, debet medietatem fructuum alteri dare, aut debet compellere partes ad compositionem; quod si nolint se componere, ne veniant ad arma, debet forte inter eos diuidere, ita communiter.

Ex Theo-

Ex Theologis Bannes 2.2. *quæst.63. art 4. dub.1. ad secundum* ibid. Salon. *quæst.* 2. Sanch. *de matrim. lib.2. disp.41. num.16.* Sayrus *in claui Regia lib. 1. c. 11. num.12.* Salas 1.2. *quæst.* 21. *tract.*8. *disput. vnica sect.12. num.118. & sect.* 23. *num.*240. Villalobos *tom. primo tract. primo diffic.* 15. *num.* 2. Suarez *de charitate disp.13. sect.6. num.4.* Coninchius *de matr. disp.34. num.94.* Bonacina *de peccatis disp.2. quæst.4. punct.9. num.14.* Castro Palaus *tract.1. disp.2. punct. 10. num.2. & 5.* Fillincius *tomo 1. tract.* 21. *capit.4. numero* 144.

Ex Iuristis glosa magna *in cap. si testes 4. quæst. 3.* glosa *in cap. in nostra de testibus* (quæ tamen glosæ loquuntur quando res potest diuidi Bartolus *in l. si duo num.5. ff. uti possidetis* Dinus, & Albericus *in l. titiæ testores, per illum textum, ff. de legatis primo* Aretin. *in §. quadrupli num.49. Instit. de action.* Pract. Papinens. *in forma libelli pro turbata possessione, in verbo ad cessandum num. 4.*

Baldus *in cap. in nostra num. 9. de testibus.* Abbas *in cap. licet causam num.12. de probation. & ibi* Aretin. *num.82.* Decius *num.* 15. Berous *num.59. vers. quarta fuit* Io: à Platea *in §. retinendæ in fine, Institut. de interdict.* Soccin. *in l. si quis cum totum 2. not. ff. de except. rei Iud.* Maranta *tract. de remed. possessor. num.* 208. Thesaurus *decis.89.* in eandem opinionem inclinant Menochius *de retinenda poss. remed. 3. num.* 777. & Tiraquel. *de primog. q. 17. opinion. 12. num. 7.* & Alij.

Contrarium tamen quod quando probationes sunt omnino pares, & neuter possidet, quod possit Iudex, cui voluerit rem applicare, docuit Ledesma 2. *tom. summæ cap.22. post.11. conclus.* quem citat, & sequitur Io: Sanchez *disp.44. num.51. vers. in secundo* vbi malè ait, omnes Doctores in hoc conuenire, & falsò pro se citat Sanchez *l. primo sum. cap. 9. num.45.* ibi enim Sanchez non loquitur de dubio facti, sed de dubio Iuris; imò rem diuidendam à Iudice in dubio facti expressè docet idem Sanchez *de matrim. l.2. disp.41. num.16.*

Verùm posse Iudicem gratificari, quando res omnino indiuisibilis est, docent glosa *in cap.11. testes 4. quæst.3. & in cap. in nostra de testibus.* Petrus Ledesma *de matrimonio quæst.45. art. primo dub.2. in solutione ad tertium prima sententiæ.*

Et indistinctè posse Iudicem gratificari, quando æquales omnino sunt probationes, videtur docuisse Baldus *in cap. licet causam num.* 28. *vers. item non procedit de probation.* Franc. Marcus *quæst.* 1148. *n. 1. par.1.* & alij quos citat, non tamen sequitur Menoch. *de retin. remed. 3. num.763.*

Probo, quia, vel testes deponunt compatibilia, quia possunt interpretari, vt quiliber pro parte possederit, tunc positiuè probatur vnicuique partem possessionis competere: vel testes deponunt in compatibilia; tunc si sint omnino pares, numero, dignitate, ac pondere, cum incertum sit cuius partis testes falsi sint, tunc mutuò se impediunt, & ita habetur, ac si nihil omnino probatum esset: ergo tunc remanet omnino dubium facti cuiusnam sit res, eiusque possessio; certum enim est rem vni ex illis competere, incertum cui competat: sed quando dubitatur cuiusnam sit res furata, & facta diligentia non apparet ex duobus v. g. certus Dominus, tunc ratione dubij quilibet habet æquale Ius, cum non sit maior ratio de vno, quam de altero, neque alter potest in conscientia totam ac-
2 cipere, neque fur potest in conscientia totam vni dare, sed res inter eos diuidenda est, ita omnes docent Caietan. 2. 2. *quæst.62. art.5. in solutione ad tertium.* Aragon. *ibidem in solutione ad tertium §. circa tertiam propositionem* Salon. *controu.* 5. Bannes *dub.6. circa primam conclusionem conclus.* 2. Sanchez *de matrimon. libro 2. disput. 41. num. 15.* Ergo etiam in dubio facti ex æqualitate probationum Iudex debet rem inter litigantes diuidere.

Consequentia patet, quia Iudex non est Dominus rei litigiosæ, neque distributor, sed tantùm declarator Iuris litigantium: sed litigantes antequam ad Iudicium accederent habebant ratione dubij æquale Ius, & non poterat alter totam accipere, sed diuidere debebat: ergo ita & Iudex nequit vni totum dare, sed diuidere debet, ac imitari debet bonum latronem restituentem, nisi imitari velit malum lattonem surripientem.

Probatur secundò, nam à similibus ad similia procedendum est *l. non possunt ff. de legibus* sed in simili dubio facti Iura statuunt rem diuidi, vt patet *in l. & hoc Tiberius ff. de hæred. institut. l. titius ff. ad Trebell. l. sed & si lege §. adeo ff. de petit. hæredit. l. qui duo ff. de rebus dubijs l. titia testores ff. de legatis primo,* & alia iura congerit Tiraquel. *de primog. quæst.17. opin.4.* ergo etiam quando probationes sunt æquales, res est diuidenda.

Dices primò, ex eo in dubio Iuris potest Iudex gratificari, quia quælibet opinio, quam ipse sequitur totum vni tribuit: ergo ex eo in dubio facti potest Iudex gratificari, quia prælibet tertium depositio totum vni tribuit.

Respondetur disparitas est, quia posita æqualitate testium contradictoria deponentium, imprudenter Iudex vni depositioni crederet, alteram vt falsam reijciendo; quare neutra depositio debet mouere iudicem, sed se mutuò impediunt; & sic remanet Iudex in dubio: & ratione dubij est æqualitas Iuris inter litigantes: At prudenter, & rationabiliter potest Iudex vni opinioni doctorum adhærere, & alteram oppositam non sequi, neque tunc dicitur dubitare, cum vni opinioni assentiatur: nam etiam Iudici concessum est iura interpretari.

Dices secundò, duobus æquè dignis concurrentibus ad beneficium, potest Episcopus cui voluerit conferre; ergo & Iudex cui libuerit, si æquè probent.

Disparitas est, quia Episcopus est distributor beneficij, quare posita æquali dignitate concurrentium, qui nullum Ius habent ad beneficium, potest gratificari: At Iudex non est distributor, sed declarator Iuris; sed ius est æquale vtrique: ergo nequit vni totum adiudicare.

3 Sed difficultas est, quid si res sit indiuisibilis, vt seruus?

Respôdetur quod non pôt Iudex gratificari, prout côtra glosam, Ledesmam, & alios dixi supra, neq; potest pro libito vni seruum, alteri medietatê pretij

decernere, sed ex partium consensu id agendum est, quia cum Ius vtriusque æquale sit, non est ratio cur potiùs huic seruus, illi verò æstimatio detur, ita Caietan. 2.2. quæst.62 art.5. in solut. ad tertium, & Petrus Nauar. lib.4. de restit. cap.2. in 2.edit. dub.8. num.50. quem sequitur Sanchez de matrim. libro 2. disp 41, num.15.

Quod si noluerint partes consentire, debet Iudex Iuris remedijs, eos compellere ad compositionem, & concordiam Alex. in l.quidam æstimauerunt ff. si certum petatur Thesaurus decis.89. num.3.

Quod si se concordare noluerint, tunc si vnus est in culpa, debet alteri, qui non est in culpa rem adiudicare, data compensatione alteri.

Quod si res est omnino incapax concordiæ, & compensationis, & partes uolint se concordare, debet, veluti ad vltimum remedium, deuenire ad sortes Franciscus Lugo de conscientia p.1.cap.3.quæst.8. num.61.

Dixi autem debere esse vltimum remediũ, nam quando est dubium facti, & agitur de præiudicio tertij, non debet esse locus sorti l. duo sunt titij ff. de testament. tutela, ita docent glosa, & Salicetus in l. 1. C. vti possidet. & esse communem canonistarum inquit Io: Faber in §.retinendæ num. 77. Instit. de interdictis Menoch. de retin. possess. remed. 3. n. 743.

Secunda Conclusio, si omnino pares sint facti
4 probationes, & vnus litigantium possidet, tunc pro reo, seu possessore est iudicandum, ita habetur expresse in §. retinendæ instit. de interdictis l. Arianus ff. de action. & obligat. l. fauorabiliores ff. de regul. Iuris cap. cum sunt partium Iura obscura reo potius est fauendum, quàm actori de regulis Iuris in 6. & cap. ex literis de probat. ibi quod si ambarum partium testes sunt æquè Idonei possessoris testes præferuntur.

Idemque docuerunt ex Theologis Salas d. tr. 8. disp. vnica sect.12. num.115. Castro Palaus tr.1. disp. 2. punct.10. num.3. Franciscus Lugo de conscientia cap.3. q.8. num. 60. & alij passim.

Ex Iuristis Glosa in cap. si testes 4. quæst.3. & in c. in nostra de testibus Detius cons.564. num. 2. Nenizan. in Sylua nupt. lib. 6. num.47. Marsilius sing. 90. Albericus in l. vtiæ testores ff. de leg. 1. Boerius decis. 42. in fine.

Solus Thesaurus decis.89.num.4. sic ait verum ego crederem, etiam hoc casu debere Iudicem, & consultorem hortari transactionem, & decretum interponere, iuxta Bald. in cons.6. in fine lib.4. ita Thesaurus cuius doctrina probabilis est, si intelligat quod Iudex possit hortari; at omnino reijcienda, si intelligat quod possit compellere per interpositionem Decreti, neque, id asserit Baldus, qui tantùm ait, quod si partes volunt transigere, potest Iudex interponere suam authoritatem.

Notandum primò, quod non dicitur reus, is
5 qui primò fuit prouocatus, nisi tantùm quò ad ordinem iudiciarium; at quò ad substantiam, & litis decisionem is solùm dicitur reus, qui possidet, quare si neuter possidet tunc vterque erit reus, & actor, vterque debet iurare de calumnia, & probationes afferre. Iason in l. si duo Iudices num.14. ff. de re iud. Platea in §. retinenda col. prima vers. sed dic Instit. de interdictis, quos sequitur Menoch. de retinenda possess. remed.3. num.760. & 761. Thesaurus decis.206. num.12. Castro Palaus tract.1. disp.2. punct.10. num. 3. Id autem apertè Probatur ex text. in cap. ex literis de probation.

Notandum secundò, quod in præparatorijs Iu-
6 dicii, vt si dubia esset libelli interpretatio, tunc ea facienda est in fauorem actoris l. si quis intentione ff. de Iudicijs Detius in l. fauorabiliores n. 4. ff. de reg. Iur. Thesaurus decis.89. n.5.

Notandum tertiò, quod in medio causæ, seù in
7 alijs actis Iudiciarijs, actor, & reus à pari procedunt, Detius in d. l. fauorabiliores num. 4. ff. de regul. Iuris.

Tertia Conclusio. Si pares sunt facti probatio-
8 nes iudicandum est contra reum, & possessorem pro causa fauorabili, talis est causa pia, vel alias fauorabilis vt matrimonium, libertas, dos, peregrinus, pupillus, vidua, testamentum, vt habetur in cap. ex literis de probat. vbi de libertate cap. fin. de re Iudicata, vbi de libertate, matrimonio, dote, testamento l. inter pares ff. de re Iudicata, vbi de libertate cap. si quis acceperit 33. quæst. 2. vbi de matrimonio, intellige ne dissoluatur, ob ingens præiudicium partium, & ob reuerentiam Sacramenti indissolubilis, vt aduertit Marian. Soccin. in l.1. num. 73. ff. sol. matrim. & cons.86. num.31. vol.2. de Testamento etiam habetur in l. si pars ff. de inoff. testamento, glosa magna, quæ de his omnibus loquitur in cap.11. testes 4. quæst. 3. & glosa in cap. in nostra de testibus de dote l. in ambiguis ff. de Iure dotium, & ff. de regul. Iuris Bart. Iason Socc. & alij l.1. ff. sol. matrim. vbi dicunt, quod ex duobus instrumentis eodem die confectis, præsumitur prius instrumentum faciens pro dote, & rectè Marianus Soccin. in d. l. 1. num.61. ff. sol. matrim. ait: pro regula concludendum, causam priuilegiatam, vti sua prærogatiua, etiam contra possidentem.

Denique quod in dubio iudicandum sit pro causa pia, & quacumque alia fauorabili, docent Doctores omnes in dict. l.1. ff. sol. matrim. vbi Marian. Soccin. num. 13. Roman. in authentica similiter in 13. speciali C. ad legem falcidiam Menoch. de arbitr. casu 339. n.29. Nauar. in cap. si quis autem num.131. de pœnit. distinct.7. Castro Palaus tom.1. tract.1. disp. 2. punct. 10. num. 3. Franciscus Lugo de conscientia cap.3. quæst.8. num.60.

Ratio est, quia semper in dubijs benigniora præferenda sunt l. semper in dubijs ff. de reg. Iur. ergo causa pia & fauorabilis in dubio præferenda est, hoc enim benignius est.

De fisco magna est inter Doctores controuersia
9 an pro illo in dubio sit iudicandum; affirmant specul. tit. de teste §. post quam, & ibi Io: Andreas Butrius in cap. in nostra de testibus Alex. & Soccin. Senior in l. 1. ff. sol. matrim. Bald. in l. si debitor C. de priuil. fisci Bal. Nouell. tract. de dote par.9. priu.1. Detius in l. fauorabiliores n.3. ff. de reg. Iuris.

Negant Bart. & Dyn. in l. non puto ff. de Iure fisci Matthesil. not.70. quia tale priuilegium in iure non reperitur expressum, & quamuis alia priuilegia habeat, præsertim vt præferatur in bonis acquisitis post suam hypothecam l. si qui ff. de Iure fisci, tamen priuilegia non sunt extendenda de casu ad casum

Io:

Io: Andreas *in reg. qua à Iure communi, de regul. Iuris in 6.*

Mihi videtur dicendum pro eo iudicandum, quia eius causa fauorabilior est, quippe quæ respicit publicam vtilitatem, benignius autem est, in dubijs pro fauorabiliori causa Iudicare *l. semper in dubijs ff. de reg. Iuris.*

Notandum, quod quando dicitur in dubio Iu-
10 dicandum pro causa fauorabili cõtra possessorem, id intelligitur dummodo vtraque pars plenè probauerit suam intentionem alioquin actore nõ probante, reus absoluitur *l. qui accusare C. de edendo*, quod rectè docuit Marian. Socc. *in* l. 1. *num. 63. vers. quare ff. sol. matrim.* his verbis. *Aliquando seruus, qui vt talis possidetur non probat intentionem suam, sed rem dubiam deducit, & tunc possessor obtinebit, licèt contra causam fauorabilem l. non ideo minus C. de liberali causa l. matrem C. de probation. Aliquando verò plenè probat intentionem suam quò ad se, puta per idoneos testes, & alias legitimas probationes, sed tamen ex aduerso probatur similiter contrarium etiam plenè, ita vt propter paritatem probationum, res in dubium deducatur, & tunc causa fauorabilis præualet, & ita loquitur tex. in cap. ex litteris de probation.* Hæc ibi Marian. Soccin.

Aduertendum denique quod quamuis multi do-
11 ceant, omissa probabiliori opinione Iuris, posse iudicem secundum probabilem ferre sententiam: At secus est in opinione facti, nam debet secundùm probationes probabiliores ferre sententiam in causa ciuili, etiam contra possessorem: secùs in causa criminali, in qua requiritur probatio luce meridiana clarior *l. sciant cuncti C. de probation.* Ita Villalobos *tomo primo tract. 1. diffic. 15. num. 3. & 4.* Garsias *de beneficijs tom. 2. par. 11. cap. 5. num. 362.* Io: Sanchez *in selectis disp. 43. n. 49. & 56. & disp. 44. n. 51. vers. in secundo* Saytus *in claui regia lib. 1. cap. 11. num. 13.* Salas 1. 2. *tomo primo, quæst. 21. disp. vnica sect. 12.* Ratio discriminis est, quia Respublica obligat Iudicem ad ferendam sententiam secundum allegata, & probata quò ad factum: At quò ad ius, committit Iudicis doctrinæ, ac prudentiæ Iurium interpretationem.

QVÆSTIO XX.

An Iudex, quando non adest vna integra, & plena, ac perfecta probatio delicti, sed tantùm probabiliter de eo constat, ex pluribus imperfectis, & semiplenis probationibus, aut indicijs, possit reum condemnare.

SVMMARIVM.

Negant communiter. num. 1.

In ciuilibus duæ semiplenæ probationes iunguntur ad vnam plenam. num. 2.

Non in criminali in ordine ad condemnandum. num. 3.

Neque in ciuili causa ardua. num. 4.

Quando agitur de dissoluendo matrimonio iam contracto. num. 5.

In causa ciuili non ardua, ex pluribus indicijs potest resultare plena probatio. n. 6.

Sed non in ordine ad condemnationem, quando agitur de delicto criminaliter. num. 7.

Possunt tamen iungi ad imponendam pœnam extraordinariam, etiam corporalem. num. 8.

RESpondent negatiuè ex Theol. Palaus *tract. 1.*
1 *disp. 2. punct. 10. num. 3.* qui citat Salas 1. 2. *tract. 8. disp. vn. sect. 12. num. 115. concl. 2.* Salon 2. 2. *quæst. 63. art. 4. concl. 2.* Villalobos *tom. 1. sum. tract. 1. diffi. 15. num. 2.*

Ex Iuristis docent omnes, qui dicunt ex probabilibus indicijs, & præsumptionibus reum non esse condemnandum Masceard. *concl. 1221. numero 76.* Menoch. *de præsumpt. lib. 1. præs. 94. num. 4.* & infinitos citat, & communiorem dicit Farinac. *de reo confesso quæst. 86. num. 1. vsque ad 14.* Paris. *lib. 4. cons. 2. num. 101.* Riminald. *cons. 686. numero 46. libro 6.*

Probatur *ex l. fin. vbi omnes C. de probation. & in can. sciant cuncti 2. quæst. 8.* ibi *sciant cuncti accusatores eam se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit Idoneis testibus, vel apertissimis documentis, vel indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.*

Et in Concil. Biterrensi *cap. 11.* ibi *ad nullius verò condemnationem procedatis, sine confessione propria, vel probationibus dilucidis, & apertis; satiùs enim est relinquere facinus impunitum, quàm innocentem damnare.* hæc ibi, idemque statuitur in Concil. Narbonensi *cap. 23.*

Ratio est, quam glosa affert *in d. l. fin. C. de probat.* quia diligentior debet fieri examinatio, vbi de hominis salute tractatur *l. qui sententiam C. de pœnis.*

Hinc infertur primò quod quamuis in ciuilibus
2 causis non arduis duæ semiplenæ, aut duæ imperfectæ probationes in suo genere, iungantur ad faciendam vnam plenam probationem, v. g. vnus testis de visu, & duo testes de confessione iudiciali, vt docent glos. *in l. 2. ff. de excusat. tut.* Menochius *de præsump. l. 1. præs. 40. num. 1. & præs. 41. num. 1.* Farinac. *de reo confesso quæst. 86. num. 71.* Gayllus *lib. 2. obser. 65.*

Tamen in causa criminali communissima, ac re-
3 ceptissima est regula, non iungi duas semiplenas, & imperfectas probationes in suo genere, ad vnam plenam, in ordine ad condemnandum, glosa *in c. veniens il primo verbo illorum de testibus* Bart. *in l. si quis ex argentar. §. 1. ff. de edendo* Menoch. qui testatur de magis comm. *lib. primo de præsumpt. quæst. 41. num. 8.* Gomes *de delict. c. 12. num. 26.* Farinac. *de reo confesso quæst. 86. n. 22. 26. & 28.* & esse comm. testatur Symanchas *in Enchiridio tit. 34. num. 3.* Diana *parte 4. tract. 8. resol. 30.*

Infertur secundò, in ciuili causa ardua, in qua
4 v. g. agitur de toto patrimonio, aut de ingenti summa (quia talis causa criminali æquiparatur *§. item propter litem Instit. de excusat. tut.*) duæ semiplenæ, & imperfectæ probationes in suo genere, non iunguntur ad faciendam vnam integram, & perfectam Bald. *in l. fin. num. 8. C. de probat.* Menoch. *l. 1. præs. 40. num. 4. & præs. 41. num. 11.*

Infertur tertiò, quod in causa matrimoniali, vbi
5 agitur de dissoluendo matrimonio iam contra-

ćto duæ

ćto duæ ſemiplenæ non iunguntur Alex. *conſ.* 143. *num.*4. *lib.*2. Menoch. *lib.*1.*pręſ.*40. *num.*5. *& praſ.* 41. *num.*11.

Infertur quartò, quod quamuis in ciuili cauſa
6 non ardua, ex pluribus indicijs poſſit reſultare plena probatio, imò ex vno violento, & graui poſſit quandoque ferri ſententia gloſ. *in d.l.*2.*ff.de excuſat. tut.* Anania *in cap. afferte num.*1. *de præſum.* Butrius *num.* 7. Zabarella *verſ. ex hoc.* Imola *num.* 3. Ancar. *num.*3. Farinac. *de reo confeſſo quaſt.*86.*num.*17. qui etiam idem docent, quando agitur de crimine ciuiliter ad reſtitutionem.

Tamen plures præſumptiones, & indicia non
7 iunguntur ad integram probationem in ordine ad condemnationem, quando agitur de delicto criminaliter gl. *in d.c. veniens il primo de teſtibus* Menoch. *conſ.*82.*num.*16. *& lib.*1.*praſ.*40. Diana *par.*4.*tract.* 8.*reſol.*36.

Sed aduertendum, quod præſumptiones, & indi-
8 cia diuerſa iunguntur ad faciendam plenam probationem, pro imponenda pœna extraordinaria, etiam corporali, vt triremium, fuſtigationis, ita in ſacro tribunali Inquiſitionis ſeruari paſſim, ait Pegna in *directorio inquiſ. part.* 2.*comm.* 8. *verſ. nullus* Boerius *deciſ.*164.*num.*6. Diana *parte* 4. *tract.* 8. *reſolut.* 36. Clarus *in* §. *fin. quaſt.* 20. *verſ. ſcias tamen*, vbi ait ex communi praxi ſeruari, quod condemnentur ad triremes ex indicijs indubitatis. Capicius *deciſ.*126. Grammatic. *deciſ.*42. *&* 96.

Contra Menoch. *conſ.* 82. *n.* 144. vbi putat non poſſe puniri niſi pena pecuniaria.

Sic quoq; iunguntur duæ ſemiplenę probationes ad imponendam penam extraordinariam corporalem Diana *par.*4.*tract.*8.*reſol.* 30.

Verùm non ſemper inguntur indicia & præſumptiones ad pœnam pecuniariam, aut corporalem imponendam, neque etiam ſemper iunguntur ſemiplenæ probationes ad pœnam corporalem imponendam, vt patet ex his quæ docet Farinac. *de reo confeſſo, quaſt.*86. id autem plurimùm ex Iudicis arbitrio dependet, quod tamen regulari debet ſecundum Iura. Vide tamen quæ latè ſcripſi *tract.* 8. *q.* 44. vbi de teſtibus ſingularibus.

QVÆSTIO XXI.

An Aduocatus poſſit patrocinari contra opinionem probabiliorem, & contra reum in cauſa ſanguinis, aut honoris, aut ciuili magni momenti?

SVMMARIVM.

*Negant Sotus, & alij. num.*1.
*Affirmant communiter. num.*2.
*Non poteſt patrocinari, præſertim in cauſa criminali, in dubio facti. num.*3.
*Neque aliquando in cauſa Ciuili. num.*4.
*Neque quando nunquam iudices, pro ea parte iudicare ſolent. num.*5.
*Tenetur Aduocatus ad reſtitutionem ſuo clienti, ſi eum non moneat de minori probabilitate ſuæ cauſæ. n.*6.
*Quando Aduocatus aduertit iniuſtitiam cauſæ, mox tenetur eam deſerere, alioquin tenetur vtrique parti ad reſtitutionem. num.*7.
*Neque tunc poteſt perſuadere tranſactionem. num.*8.

NEgant Sotus *lib.*5. *de Iuſtitia quaſt.*8.*art.*3. Syl-
1 ueſt. *v. aduocatus, quaſt.*13. Burgos de Paz, Bannes, Salon, Toletus, Manuel. Aragon, Petrus Ledeſma, & Mercadus apud Sanchez *l.* 1. *ſum. cap.* 9. *num.*52. Malderus *de Iuſtitia tract.* 6. *cap.* 31. *dub.* 9. Martinez 1.2. *tomo* 1. *quaſt.*19.*art.*6.*dub.*6.*concl.*3. Guttierez *pract.qq. tom.*1. *lib.*1. *q.*27.

Primò, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, vnde iure poſitiuo, in dubio pro reo ferenda eſt ſententia *capit. cum ſunt partium de regul. Iur. in* 6.

Secundò, quia non licet petere, quod non poteſt, niſi malè concedi: ſed in tali caſu non poteſt Iudex, niſi malè & iniuſtè contra reum iudicare: ergo neque licebit aduocato contra reum patrocinari, petendo à Iudice contra eum ferri ſententiam.

Affirmant autem, quod poſſit Aduocatus patro-
2 cinari, etiam contra opinionem probabiliorem. Vaſquez 1.2. *diſp.*64.*cap.* 1. *num.*3. Sanchez *lib.* 1. *ſum. cap.*9. *num.*53. Io: Sanchez *diſp.*44. *num.*54. *in fine* Leſſius *lib.*2.*cap.*31.*dub.*9. Salas 1.2.*tract.*8.*diſp. vn. ſect.* 11. *num.*103. *&* 104. Sayr. *lib.*1.*c.*11.*num.* 17. Azor *tom.*1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quaſt. vlt.* Valentia *tomo* 3. *diſput.* 5. *quaſt.* 15. *punct.* 4. Turrianus 2. 2. *tom.* 2. *quaſt.* 71. *art.* 3. Lorca 1.2. *tom.* 1. *diſp.*39. *mem.*2. Villalobos *in ſumma tom.*1. *tract.*1. *diffic.*14. *num.*3. Perez *certam.*10. *ſcholaſt. dub.* 2.*cap.*15.*num.* 67. Caſtro Palaus *tract.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 11. *num.* 2. Layman *lib.* 1.*tract.*1. *cap.*5. *num.*17. Diana *par.*2. *tract.*13. *reſol.*4. Filliucius *tract.*21.*cap.*4. *num.*142. *&* 143. Franciſcus Lugo *de conſcientia part.* 1.*cap.* 3. *num.*75. Merolla *tom.*1.*diſp.*3. *cap.* 4. *num.* 53.

Probat Vaſquez, & ex eo omnes. *Quia officium aduocati non eſt rem definire, tradendo vni id, quod petitur, & alteri auferendo; ſed proponere ſincerè fundamenta iuris, & facti, & rationes, quę cauſa ſua clientis fauere poſſunt, vt Iudex ea videat, & expendat, atque optimè conſideratis ſententiam ferat, & cauſam definiat, fortaſſis enim accidere poteſt, vt quæ aduocato videbatur minùs probabilis opinio, Iudici appareat probabilior, & ſecundùm eam ſententiam pronunciet; ſicut autem quicumque ex litigatoribus poteſt pro ſua parte proponere ea omnia, quæ ſuæ cauſæ fauere poſſunt, eadem ratione poterit Iuris peritus pro eo aduocatus ea proponere.* Hæc Vaſquez.

Probatur ſecundò, nam vt ſupra dixi, poteſt Iudex ferre ſententiam contra opinionem probabiliorem: ergo à fortiori poterit aduocatus patrocinari conſequentia eſt euidens, quia ideo non poſſet patrocinari, quia non poteſt petere iniquam ſententiam: ſed ſententia lata contra opinionem probabiliorem, ſecundùm opinionem probabilem, eſt ſententia Iuſta: ergo.

Probatur tertiò, etiam poſito quod vera eſſet opinio eorum, qui dicunt, quod non poteſt Iudex (præſertim in cauſa ſanguinis contra reum) iudicare contra opinionem probabiliorem, poterit ad-

huc

huc aduocatus patrocinari. Ratio est, quia possum petere ab alio, quod ille potest benè, & malè præstare: sed po est Iudex benè, & male iudicare: ergo potest petere aduocatus accusatoris sententiam contra reum & si malè iudicat, sibi imputet. Quod Iudex possit benè & malè reum condemnare, patet, nam si ex allegationibus credat sibi constare, quod probabilius sit reum esse condemnandum, tunc benè condemnabit, si autem putet probabilius esse, quod sit absoluendus, tunc malè condemnabit, etenim eadem opinio, & eadem ratio, vnum intellectum conuincet non alterum, vni non alteri apparebit probabilior.

Ad primùm, ita que Respondetur, pro reo in dubio iudicandum, rectè docent Vasquez, Sanchez, & alij locis citatis, id intelligi in vero dubio, quale est dubium facti, non autem cum sunt hinc inde opiniones Doctorum.

Ad secundum, patet responsio ex dictis.

3 Colligis primò, ex dictis contra Dianam *par. 2. tr. 13. resol. 6.* & Merollam *tomo 1. disput. 3 cap. 4. n. 56.* non posse aduocatum patrocinari contra reum in causa dubia, si sit *dubium facti*, ita Salas *1. 2. tract. 8. disput. vnica sect. 11. num. 108.* Ratio est, nam in dubio *facti* iniusta est sentētia lata contra reum, aduocato autem non licet iniustam causam defendere, aut iniustam sententiam petere, vt ex S.Thom. *2. 2. quæst. 71. art. 3.* nec vrget ratio, quam affert Lorca apud Dianā, quod aduocatus, nec sententiam proferat, nec proferre cogit, sed solum proponit sui clientis Iura; etenim ex hoc sequeretur quod posset etiam iniustam litem defendere, quia proponit tantùm quæ pro cliente afferri possunt. Fateor tamen, quod *ijs casibus*, quibus cliens excusatur, excusabitur quoque aduocatus, aduocatus enim est veluti sui clientis Vicarius, & vnum quid cum illo.

4 Dices ex Merolla, sequeretur, quod neque posset in dubio facti patrocinari in causa ciuili.

Respondeo concedo sequelam, quando sententia lata contra bonæ fidei possessorem esset iniusta, nam tunc causa vtique est iniusta.

5 Colliges secundò, peccare aduocatum si defendat causam, ita parum probabilem, vt raró, vel nunquam Iudices in eam inclinent, ita Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 54.* Sayrus *lib. 1. cap. 11. num. 17. & 18.* Franciscus Lugo *de conscientia par. 1. cap. 3. num. 76.* Merolla *tomo 1. disp. 3. cap. 4. num. 55.* & alij contra Castro Palaum *tract. 1. disput. 2. punct. 11. num. 5.*

Mouentur ij Doctores, quia tunc reus iniustitiæ, ac proinde etiam Aduocatus restitutioni ob noxius est.

Sed hanc rationem rectè impugnat Castro Palaus, nam cum supponamus causam esse probabilem; iusta est lis, & sententia.

Moueor ego, quia cum aduocatus sciat se in vanum laborare, frustrà fatigat aduersarium, contra quem non sperat sententiam, quare etiam si excusetur ex eo, quod moneat suum clientem, & iste non curet expensas, tamen non excusatur fatigando aduersarium.

6 Colliges tertiò, teneri aduocatum suo clienti ad restitutionem, si ipsum non moneat de minori probabilitate suæ causæ, si alioquin non fuisset litigaturus, cognito dubio suæ causæ, Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 51.* Castro Palaus *tract. 1. disp. 2. pun. 11. in fine* Lessius *lib. 2. cap. 31. dub. 8.* Laym. *lib. 1. tract. 1.*

7 *cap. 5. n. 18.* Tenetur etiam mox deserere causam vt agnouit eius iniustitiam, alioquin peccat, & vtrique parti tenetur ad damnorum restitutionem S. Thom. *2. 2. quæst. 71. art. 3. ad secundum* Laym. *vbi supra num. 18.* Franciscus Lugo *de conscientia part. 1. cap. 3. num. 70.* non tenetur tamen restituere salarium acceptum vsque ad illud tempus, si non ex ignorantia, sed propter instrumenta de nouo reperta de nouo agnoscit causæ iniquitatem, Laym. *vbi supra* secus si ex impetitia Aduertat prætereà

8 aduocatus, quod non potest, deprehensa causæ iniquitate, persuadere, transactionem cum alterius partis damno, transactio enim non habet locum nisi in causa dubia Lessius *lib. 2. cap. 31. num. 49.* Layman *num. 10.* Franciscus Lugo *num. 7.*

Non deseram hic adnotare aurea verba Caietani *2. 2. quæst. 71. art. 3.* vbi ait: *qui omnino defendisset, siue iustam, siue iniustam causam, quamuis nesciat iniustam esse non ex ignorantia, sed cum ignorantia, quæ non excusat, patrocinatur iniustè, qui etiam non curat discernere, & penetrare an iustam, vel iniustam causam suscipiant, manifestè negligunt scire id quod tenentur scire.* Hæc ille. Paueant ij, qui se non veritatis, sed clientis aduocatum esse profitentur, ne in hora mortis ad tremendi Iudicis tribunal propinquantes desperent, prout ille de quo refert Bellarm. *in opusculo de arte benè moriendi lib. 2. c. 11.* cum enim ad illum ægrotum, & morti propinquum accessisset, idem vir pijssimus, ac doctissimus, & inciperet loqui de præparatione ad exitum de præsenti vita, respondit æger constanti animo, & sine vllo metu, ac dixit: *Ego Domine cupiui alloqui te non pro me, sed pro coniuge mea, & filijs meis; Ego enim propero ad Inferos, neque est aliquid, quod pro me agas. Hæc verò* (inquit Bellarminus) *protulit, animo tranquillo, ac si de itinere ad villam, vel opidum aliquod loqueretur, & cum multis verbis illū ad meliorem mentem reuocare tentassem, nihil efficere potui.* Hæc ille Eminentissimus.

QVÆSTIO XXII.

An Peccet Aduocatus patrocinando pro opinione probabili, non communi, contra communem.

SVMMARIVM.

Respondetur affirmatiuè. num. 1.

Non licet petere, quod alter sine peccato præstare nequit. num. 2.

Sicuti non potest aduocatus patrocinari contra legem, quam imperitus Iudex ignorat; sic nec contra communem, quia ex consuetudine communis opinio vim legis habet. num. 3.

1 Respondetur affirmatiuè, eumque peccare, & teneri ad restitutionem; non solum suo clienti, sed etiam parti lesæ, docet ex Iuristis Io: Maria Corasius *tract. de communi opinione lib. 3. tit. 11. n. 18.* Proba-

Probatur primò, nam aduocatus defendens iniustam causam peccat, & tenetur ad restitutionem. S. Thomas 2.2.*quæst.*71. *art.*3. ex Iuristis Decius *in l. consilij num.* 3. *ff. de reg. Iuris* Abbas, & Felin. *in cap. pastoralis num.*23. *de officio delegati*. Sed sententia lata contra communem opinionem est iniusta. Guido Papæ *decis.*277. & alij, quos supra *quæst.* 16. citaui; ergo Aduocatus, qui patrocinatur contra communem peccat, & tenetur ad restitutionem.

Probatur secundò, quia nullo casu licitum est
2 consulere tacitè, vel expresse alteri, quod hic sine peccato præstare non potest. Nauar. *cap.*17.*n.*262. Suarez 3. *par. tom.*3. *disp.* 18. *sect. prima* Layman *lib.*2. *tract.*3. *cap.*12. *num.*3. sed nequit Iudex, sine peccato, ferre sententiam contra communem; ergo nequit id consulere illi Aduocatus.

Dices primò ex Vasquez 1.2.*disp.*64.*cap.*1. *n.*3. vbi sic ait: *Officium Aduocati non est rem definire, tradendo vni id quod petitur, & alteri auferendo, sed proponere sincerè fundamenta Iuris, & facti, & rationes quæ causæ sui clientis fauere possunt, vt Iudex ea videat, ac expendat, atque ijs consideratis ferat sententiam.* Hæc Vasquez.

Contra primò, nam si argumentum hoc concluderet, sequeretur quod posset etiam Aduocatus quamcumque causam iniustam defendere, si quidem non definit, sed rationes, quæ pro suo cliente afferri possunt Iudici expendendas proponit.

Contra secundò, quia quamuis aduocatus non habeat definire, sed sui clientis Iura proponat, tamen ita proponit, vt libello, allegationibus, ac cæteris scripturis petat, ac inducat (quantum in se est) iudicem ad iudicandum pro suo cliente, quare si inducat ad iniustam sententiam peccat, & tenetur ad restitutionem: sed sententia, quam Iudex profert contra communem est iniusta: ergo peccat Aduocatus patrocinando contra communem.

Contra tertiò, quia ideo potest aduocatus patrocinari contra opinionem probabiliorem, nam Iudex ferendo sententiam contra probabiliorem, non peccat, sed iusta est sententia; si quidem non est certum, neque apertè constat, quæ sit probabilior, cum vnusquisque putet suam opinionem probabiliorem, vnde rectè ait Vasquez *d. disp.*64. *cap.*1. *num.*3. *fortassis accidere potest, vt quæ aduocato videbatur minùs probabilis opinio, Iudici appareat probabilior, & secundùm eam sententiam pronunciabit*, ita Vasquez, vnde nihil iniustum petit aduocatus, petendo sententiam contra opinionem probabiliorem: tum quia maior probabilitas non est certa & indubitata, & opinio quæ aduocato apparet probabilior, alteri talis non apparebit: tum quia etiam si Iudex credat eam opinionem probabiliorem, tamen non peccat contra eam iudicando, vt supra dixi *quæst.* 15. At non sic est de communi opinione, quæ enim sit communis opinio est certum, & indubitatum, facilè enim id ex authorum lectione constare potest, & iniusta est sententia contra eam lata; vnde si dubium esset quæ opinio sit communis, tunc sicut Iudex potest pro qua libuerit parte iudicare, ita etiam aduocatus patrocinari.

Dices secundò, ex Soto *de Iust. lib.*5. *quæst.*8. *art.*3. *cum patroni munus sit suo clienti fauere, nemini iniuriam facit si merita suæ causæ patefaciat, & Iudex sibi viderit, vt quadratus stet, ne in partem nutet infirmiorem*. Hæc Sotus; ergo etiam licebit Aduocato pro sua causa probabili rationes afferre, cum hoc sit suum munus, & Iudex sibi viderit, ne in partem nutet contra communem. Præterea (sicut rectè, ait Sotus vbi supra) potest aduocatus reticere argumenta, quæ pro parte contraria militant, altera enim pars, & Iudex sibi viderit, vt ea argumenta consideret, quæ fortasse illis in mentem non occurrent: ergo etiam poterit Aduocatus patrocinari contra communem, subticendo contra ipsum esse communem, & sibi viderit pars aduersa, ac Iudex, quæ opinio sit communis, fortè enim non aduertet esse communem, neque Aduocatus tenetur id illis manifestare.

Contra, quamuis Aduocatus non teneatur, neq; iura, neque rationes, neque communes opiniones fauentes suo aduersario afferre; esset enim sumere arma de domo sui clientis; tamen non potest patrocinari contra communem, quam scit à Iudi-
3 ce, & aduersario ignorari; Ratio est, quia non potest in conscientia Aduocatus patrocinari in causa contra legem, aut consuetudinem, quam imperitus Iudex ignoraret; ergo neque contra communem opinionem, quam Iudex imperitus ignorat, nam communis opinio in iudicijs vim habet legis, ac consuetudinis, vt supra dixi *quæst.* 16. *numero* 5.

Dices tertiò, potest Doctor extra Iudicium consulere pro opinione probabili non communi contra communem: ergo etiam in Iudicio.

Contra, ideo licet extra iudicium cõsulere contra communem; quia opinio probabilis potest rationabiliter sequi, & nulla est consuetudo obligans ad sequendum communem, vbi sumus extra Iudicium: at quò ad forum Iudiciale, adest receptissima consuetudo, quæ instar legis obligat; vt communis opinio attendatur; vnde in foro Iudiciali, neque cliens, neque aduocatus, neque Iudex potest aliquid agere contra communem saltem quò ad ea, quæ spectant ad definitiuam sententiam, vt patet ex dictis supra *quæst.* 16. *num.* 5.

QVÆSTIO XXIII.

An Aduocatus in causa æquè probabili possit deserere suum clientem, restituto ei salario, & pro altera parte patrocinari, non reuelando tamen prioris sui clientis secreta?

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num. 1.
Negant probabiliùs alij. num. 2.
Punitur tamquam calumniator Doctor, qui pro vtraque parte consulit. num. 3.

Affirmant

1 Affirmant ex Iuristis Alciatus *in l. præuaricatores, ff. de verb. signif.* ex Theol. Castro Palaus, *tract. 1. disp. 2. punct. 10.* Laym. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 19.* Sylnest. qui tamen loquitur in diuersa instantia *v. aduocatus quæst. 13.*

Probatur, quia, nec Iure naturæ, nec positiua lege (nisi in aliquibus Regnis Hispaniæ, *vt in l. 13. tit. 16. lib. 2. noua compil.*) id prohibetur, quare si cesset scandalum omni culpa vacat, non solum in diuersa, sed etiam in eadem instantia.

2 Sed hanc Alciati doctrinam, quamuis iuridicam, tamen periculosam, rectè asserunt Bossius *tit. de præuaricatore, num. 5.* Roland. *cons. 36. num. 24. lib. 3.* & ideò ab hac doctrina tamquam ab igne cauendum Doctori, inquit Farinacius *de Inquis. quæst. 4. num. 16.* & Franciscus Marcus *quæst. 912. par. 2. & quæst. 915.* dicit quod punitur tamquam calumniator Doctor, qui pro vtraque parte consulit.

Probatur id esse omnino illicitum, quia, quamuis Aduocatus sui clientis secreta non reuelet expressè (alioquin vt falsarius puniretur vt per Bartol. *in l. 1. ff. de præuar.* Roland. Boss. & Farinac. vbi supra) tacitè tamen, & implicitè reuelat, quare rationabiliter prior cliens existimat sibi iniuriam irrogari, & de eo conqueritur; quod implicitè reuelet. Probo, quia cum ipse sciat omnia prioris clientis iura, ac scripturas; ac etiam sciat omnia, quæ ille afferre potest, quæque afferre nequit, fortius, & vehementiùs contra illum pugnabit, ac melius posteriorem clientem defendet, minùs enim feriunt iacula, quæ præuidentur; ac certè melius contra illum causam defendet, ac alter Aduocatus, qui eius iura non nouit, quare implicitè prodit priorem clientem. Adde quod ferè nunquam deerit scandalum.

QVÆSTIO XXIV.

An excusetur ab expensis, qui vnius grauis Doctoris opinionem pro se habet contra communem opinionem?

SVMMARIVM.

Respondetur negatiuè, quando opinio est contra communem. num. 1.
Secus si non sit contra communem. num. 2.
Ex consuetudine obligatus est Iudex pronunciare iuxta communem opinionem. num. 3.
Glosa opinio non attenditur contra communem. num. 4.
Anis, qui vnico teste probauit excusetur ab expensis? num. 5
Excusatur ab expensis, quando magnus est opinionum conflictus. num. 6.

1 Respondetur negatiuè, nempè non excusari, ita Ruinus *cons. 162. num. 20. lib. 3.* Cardin. Zabarella *in Clem. 2. in princ. de elect.* Alciat. *tract. de præsumpt. reg. prima præs. 51. in fine.* Menochius de *arbitrarijs casu 177. n. 4.* Io: Maria Corasius *tract. de communi opin. l. 3. tit. 10. num. 8. & 9.* Quamuis contrarium doceat Afinius *in praxi Iudiciorum §. 31. cap. 35. & vlt.* & Borrellus *in summa decis. tom. 2. tit. 39. num. 76.*

2 Aduertendum tamen, quod si opinio singularis careat contradictore, aut non sit contra communem, tunc vtique excusat, nam præbet iustam causam litigandi Bald. *in authentica generaliter, C. de Episc. & Cleric.* Iason *in l. properandum §. sin autem alterutra num. 8. vers. tu autem, C. de Iudicijs* Boyc. *in cap. sacro §. verùm de sententia excom.* Zabarella *in Clement. 2. de magistris* Bart. *in l. qui solidum §. etiam ff. de leg. 2.* Guid. Papæ *decis. 277. num. 1.* Gama *decis. Lusit. 38. num. 3.* Fulgos. *in l. Iuris ignorantia, C. qui admisti,* Felin. *in cap. super his ante finem de accusation.* Marsil. *in l. patre, vel marito num. 34. ff. de quæstion.* Tiraquel. *tract. de pœnis legum temp. causa 51. num. 108.* Menoch. *de arbitr. casu 177. num. 3.*

Quod autem, vt dixi non excuset, si sit contra communem.

Probatur primò, quia non excusaretur Iudex, sed peccaret, & faceret litem suam, si iudicaret contra communem, secundum singularem opinionem vt supra dixi *quæst. 16.* ergo neque litigans excusabitur, nam si Iudex iniustè iudicat, hic iniustè tale iudicium petit, & iniustè vexat aduersarium: ergo non excusatur.

3 Probatur secundò, nam vt supra probaui ex receptissima omnium tribunalium consuetudine obligatur Iudex iudicare secundùm communem opinionem, quæ habetur pro lege, vbi deficit lex Alex. *cons. 55. num. 14. lib. 4.* Decian. *cons. 111. num. 87. lib. 3.* ergo sicuti condemnatur ad expensas, qui habet contra se legem, aut statutum, ita qui habet contra se communem opinionem.

Probatur tertiò, nam quamuis magnæ authoritatis sit glosæ doctrina, vt per Felinum *in cap. primo n. 54. limit. 2. de constit.* Neuizan. *in Sylua nupt. lib. 5. num. 25.* Roland. *cons. 14. num. 39. & 43. vol.*

4 *3.* tamen glosæ opinio non attenditur, si sit contra communem, Petrus Lesuandier *tract. de Doctoribus parte 4. quæst. 47.* Cassadorus *decis. prima, num. 3. tit. de vsuris* Afflic. *decis. 21. num. 4.* Corasius *de communi opinione lib. 2. tit. 10. casu 7.*

Obijcies primò, non peccat, qui ex probabili opinione contra communem non restituit: ergo nec qui litigat, & sic excusandus est.

Respondetur disparitas est, quia is, qui litigat petit iniustam sententiam, nam peccat Iudex eam ferendo contra communem, quam ex recepta consuetudine in iudicando sequi debet; at ille, qui non restituit extra Iudicium non peccat, quia non tenetur sequi communem opinionem, sed potest secundum probabilem operari.

5 Obijcies secundò, qui vnico teste semiplenè probat, excusatur ab expensis, neque temerarius, neque calumniator dicendus est, Butrius, Io: Andreas, & Ancar. *in cap. finem litibus de dolo, & contum.* Alex. *cons. 109. vol. 4.* Iason in *l. properandum §. sin autem alterutra n. 8. vers. quarta conclusio & ibi* Alex. *n. 13. C. de Iudic.* Marsilius *in l. patre vel marito num. 36. ff. de quæstion.* Ancaran. *cons. 248. col. penult.* Rebuff. *ad constit. Galliæ tomo 3. tit. de expensis art. primo, glosa vnica, num. 32.*

Ergo

Ergo etiam excuſatur ab expenſis, qui vnico, & grauiſſimo ſcriptore nixus litigat, vterque enim petit à Iudice ſententiam, quam iuſtè ferre nequit.

Reſpondetur, diſparitàs eſt, quia temerè, & iniuſtè vexat, qui contra communem ligat, neque poteſt obtinere aliquo modo iuſtam ſententiam, at, qui ſemiplenè probat, poteſt obſtinere iuſtam ſententiam, vnde non temerè litigat, nam in ciuilibus poteſt deferri Iuramentum in ſupplementum probationum, quod ſi nequeat deferri iuramentum, tunc, cum temerè litiget, condemnandus eſt, nam non poteſt ſperare iuſtam ſententiam, item Bald. *in d. authentica Generaliter num.* 31. *C. de Epiſcopis, & Cler.* Viuius *deciſ.* 360. Soccin. *reg.* 139. *fallent.* 2. Menochius *caſu* 177. *num.* 9. in criminalibus autem numquam dicitur temerè litigare, nam ex vnico teſte poteſt reus torqueri, & delictum confiteri, & puniri: præterea poteſt extraordinaria pœna puniri, etiam corporali, ita Gram. *deciſ.* 42. *&* 96. Capicius *deciſ.* 126. Maſcard. *lib.* 3. *concl.* 1220 *num.* 13. Farinae. *de reo confeſſo, & conuicto quæſt.* 86. *num.* 27. 114. *& de Ind. & tortura quæſt.* 47. *num.* 80. Menochius *de præſum. lib.* 1. *quæſt.* 97. *num.* 38. *& quæſt.* 40. *num.* 13. Quare ſemper in criminalibus is, qui ſemiplenè probauit, excuſatur ab expenſis Baldus *in d. authentica generaliter* Alex. *conſ.* 183. *num.* 12. *&* 13. *vol.* 6. Balbus *deciſ.* 171. Theſaurus *deciſ.* 236. *num.* 1. *&* 3. Marſilius *ſingulari.* 485.

Colliges ex dictis, excuſari ab expenſis, quando
6 magnus eſt opinionum conflictus, nec facilè apparet, quæ ſit communis, vel vtraque eſt communis, tunc enim, cum Iudex poſſit eligere, quam maluerit, opinionem (vt ſupra dixi *quæſtione* 16.) litigans non iniuſtè vexat, ita Angel. *in l. properandum* §. *ſin autem alterutra*, & ibi Iaſon *num.* 8. *verſ.* 3. *concluſio C. de Iudicijs* Tiraquel. *de pœnis legum temper. cauſa* 11. *num.* 6. Menochius *caſu* 177. *num.* 6. Balbus *deciſ.* 334. Rebuffus *ad conſtitut. Galliæ tom.* 3. *tit. de expenſis art.* 1. *gloſa vnica num.* 31.

QVÆSTIO XXV.

An ſit moraliter certum, ita vt oppoſitum ſit improbabile, quod Eccleſia tribuat Iuriſdictionem Sacerdoti abſoluenti cum probabili reuera opinione ſuæ iuriſdictionis, atque adeo licitè, & validè, & ſine vllo periculo abſoluat?

S V. M M A R I V M.

Negant aliqui. numero 1. *Affirmatur probabiliùs. num.* 5.

Tunc error communis confert iuriſdictionem, quando verſatur circa factum; non circa Ius. num. 2.

Error communis non confert iuriſdictionem, ſi non adeſt titulus coloratus. num. 3. *vide num.* 15.

An confeſſarius approbatus ab vno ordinario, poſſit virtute bullæ vbique eligi? num. 4.

Eccleſiam conferre Iuriſdictionem abſoluenti ex opinione probabili, docent communiter. num. 5.

Simplex Sacerdos ex generali conſuetudine poteſt abſoluere à venialibus. num. 6.

Vniuerſalis conſuetudo, & vſus omnium Sacerdotum eſt, vt ſecurè abſoluant cum opinione probabili. num. 7.

Vniuerſalis vſus fidelium facit rem moraliter certam. numero 8.

Solo Iure naturali attento error communis confert iuriſdictionem. n. 9.

Reſpublica tacitè conſentit, vt valida ſint, quæ fiunt à Tyranno, & tenentur in conſcientia ſubditi obedire Iudicibus à Tyranno conſtitutis. num. 10.

Tria requiruntur ad conferendam Iuriſdictionem incapaci, bonum commune, error communis, & titulus coloratus. num. 11.

Error Iuris dubij æquiparatur errori facti. num. 12.

Propter identitatem rationis lex extendenda eſt. n. 13.

Quando poſſit prorogari Iuriſdictio? num. 14.

Probabile eſt, quod ſolùs error communis, abſque titulo colorato, conferat Iuriſdictionem. num. 15.

1 NEgant eſſe certum Suarez *de pœnit. diſput.* 26. *ſect.* 6. *n.* 8. Salas 1. 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſput. vnica ſect.* 5. *num.* 58. *verſ. ex dictis, & ſect.* 10. *num.* 101. *& ſect.* 27. *num.* 286. *&* 287. Eminentiſſimus Lugo *de pœnit. diſp.* 19. *num.* 29. Io: Sanchez *in ſelectis diſp* 44. *num.* 12. 13. *&* 14. Ouiedo 1. 2. *tract.* 5. *controu.* 3. *punct.* 4. *num.* 33. Bardi *in bullam cruciatæ par.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *ſect.* 14. *num.* 185. *&* 186. Spinola *de elect. opinion. diſp.* 3. *ſect.* 6. *concl.* 6. Petrus Marchantius *in Tribunali Sacram. to.* 1. *tract.* 2. *tit.* 3. *quæſt.* 4.

Primo, mouentur, quia, quamuis in Iure expreſſum ſit, quod ex communi errore conferatur Iuriſdictio, perinde ac ſi expreſſis verbis collata eſſet, vt patet *ex l. Barbarius ff de offic. prætor.* nullibi tamen in Iure cautum eſt, ex opinione probabili conferri Iuriſdictionem, vt enim inquit Spinola *loco citato*, diſpar ratio eſt opinionis probabilis, ac erroris communis; nam error eſt pro maiori parte populi: opinio autem, cum ſit inter ſolos ſapientes, qui pauci ſunt, non poteſt cauſare errorem pro maiori parte populi.

Secundò, quia tunc error confert Iuriſdictio-
2 nem, quando verſatur circa factum, non quando verſatur circa Ius, vt docet Federicus de ſenis *conſ.* 112. Garſias *tom.* 1. *de benef. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 304. Maſcard. *concl.* 648. gloſa *in d. l. Barbarius*. Ratio diſcriminis eſt, quia error facti caueri nequit; at error iuris caueri poteſt; nam hoc ipſo, quod vtrinque ſunt opiniones probabiles, & dubia eſt Iuriſdictio, ſibi imputet, qui cum tali dubio accedit, non tutus de Iuriſdictione abſoluentis.

Tertiò, error communis non prodeſt, niſi adſit titulus coloratus, ex poteſtate à ſuperiore data, quamuis nulliter, ex occulto defectu, vt docent communiter DD. *in d. l. Barbarius* vbi Iaſon *col.* 10. Soccinus *reg.* 227. *in prima limitat.* Corſetus *in ſing. v. error communis*, plures cumulat Gabriel *tit. de probat. concl.* 8. *num.* 21. Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *diſput.* 22. *numero* 49. Alex. *conſ.* 138. *numero* 10. *& per totum libro primo* Lugo *de Iuſt. tomo* 2. *diſput.* 37. *num.* 23.

Sed

Sed quando simplex Sacerdos coram approbato, verbi gratia, absoluit in articulo mortis, ex opinione probabili, tunc non habet titulum coloratum, ita absoluendi: ergo nequit ex communi errore habere iurisdictionem.

Quartò, vt ait Salas *dict. sect. 27. numero 286.* nequit Ecclesiam facere, vt certa sit iurisdictio, nam etiam si per Sacros Canones expresè concessa esset iurisdictio Sacerdoti absoluenti ex opinione probabili, id tamen accipiendum esset de opinione, de qua communiter Doctores scriberent esse probabilem, non autem de opinione, quam priuatim aliquis probabilem censet, de ea tamen Doctores non sunt opinati, vel id nescit Sacerdos, qui de sua iurisdictione dubitat, in ista enim priuata opinione non adest error communis.

Quintò, ait Salas, qui in hac re vtuntur opinione probabili, non nituntur illi reflexæ propositioni, quod quando opinio est probabilis Ecclesia concedit iurisdictionem, nec talis propositio est certa, esto concederemus esse probabilem; ergo ea via non est licitum vti iurisdictione alioquin dubia.

Vnde sic arguit Petrus Marchantius *in Tribunali Sacrament. tom. 1. tract. 2. titul. 3. quæst. 4.* nam cum non sit certum Eccclesiam conferre iurisdictionem; sed probabile; erit vtique iurisdictio probabilis: Sed iurisdictio requiritur essentialiter ad validitatem Sacrament. Pœnitentiæ, non minùs, quam essentialiter requiratur materia, & forma: ergo sicuti illicitè ministratur Sacramentum cum materia probabili, quippe quæ dubia est; ita illicitè ministratur cum iurisdictione probabili; nam dubia est eius validitas.

Sextò, quia probabilis reputatur opinio, quod confessarius ab vno ordinario approbatus possit virtute Bullæ vbique eligi, ita Doctores innumeri, quos refert Io: Sanchez *dict. disputatio 44. numero primo vers. in prim.* & tamen Sacra Congregatio Cardin. Concilij Tridentini Interpretum, petente Archiepiscopo Valentino Io: de Ribera, declarauit approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario & Rodriquez *in Bulla Cruciata §. 9. numero 5.* testatur hanc declarationem se proprijs oculis vidisse, & per publicum Notarium fuisse omnibus Monasterijs Valentiæ intimatam, similes declarationes refert Garsias *de benefic. tomo primo parte 5. cap. 8. num. 87. & 132.*

His tamen non obstantibus, Respondetur af-
5 firmatiuè, nempè conferri ab Ecclesia Iurisdictionem Sacerdoti absoluenti ex quacumque opinione reuera probabili intrinsecè, vel saltem extrinsecè, & hoc dico, esse moraliter certum, & oppositum esse improbabile, & falsum; quamuis summè displiceat improbabilem asserere opinionem, quam celeberrimi scriptores defendunt; sed vi argumentorum opprimor; nam vel eam falsam asserere oportet, vel conuincor errare Sacerdotes cum iurisdictione probabili absoluentes, vt ex dicendis patebit. Itaque stante opinione probabili, Ecclesiam conferre iurisdictionem, docent communiter omnes Theologi, quamuis expresſim non dicant, esse id moraliter certum aut oppositum esse falsum. ita Sanchez *de matrimon. libro 3. disputatio 20. numero 2. & disputatio 22. numero 65. & in summa libro primo cap. 9. numero 35.* Lessius *libro 2. cap. 29. dub. 8. numero 68.* Henriquez *libro 3. capit. 14. numero 3. & 4.* Malderus *parte 2. quæst. 19. artic. 5. disputatio 86.* Villalobos *tomo primo tract. primo diffic. 13. numero 5.* Pontius *de matrimonio libro 5. cap. 19. numero 8. & cap. 20. numero 7.* Coninchius *de Sacramentis disputatio 8. dub. 3. concl. 6. numero 22. & dub. 6. numero 47.* Bonacina *de Sacramentis disputatio 5. quæst. 7. §. 4. numero quarto, & disputatio 2. de peccatis quæst. 4. punct. 9. numero 19.* Filliucius *tomo primo tract. 7. cap. 9. numero 227.* Castro Palaus *tomo primo tract. 1. disputatio 2. punct. 5. numero 9.* Diana *parte 2. tract. 13. resol. 2. & parte 3. tract. 2. resolut. 3. §. ex his, & parte 4. tract. 4. resolut. 4. & parte 8. tract. primo resol. 93. & parte 9. tract. 7. resolut. 59.* Hurtadus *de pœnitent. disputatatio 10. difficult. 6.* Escobar. *in Theolog. morali tract. 7. exam. 4. cap. 7. numero 37.* Thomas del Bene, *de Comitijs dub. 4. subsect. 2. corol. 2. numero 2.* Reginaldus *libro primo numero 102. & 103.* Granado *1. 2. controu. 2. tract. 22. disputatio 4. sect. 4.* Turrianus *in Selectis disputat. parte 1. disputatio 21. dubio 2.* Franciscus de Lugo *opusc. de Sacramentis cap. primo quæst. 4. numero 49. & 50.* Io: Machadus *in discurs. practic. de probabili opin. artic. 5. numero 7. ante tomo primo de perfecto confessar.* Ioannes Solorzanus *de Indiarum iure, tomo primo, libro 3. cap. 2. numero 39.* Magister Serra *1. 2. quæst. 19. artic. 6. dub. 4.* & Io: Machadus *de perfecto confessario tomo primo, libro primo, parte 2. tract. primo, docum. 9. numero primo,* vbi asserit: *quod si probabilis sit opinio de iurisdictione confessarij, tunc securè absoluat, nam tunc non solùm probabile, imò certum est validam esse absolutionem, quia tunc certum est Ecclesiam conferre iurisdictionem.*

Probo, quia certum est vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem tribuere Iurisdictionem, seù esse euidens signum collatæ Iurisdictionis ab Ecclesia, hac enim ratione Suarez, & alij defendunt simplices Sacerdotes ex consuetudine vniuersali habere Iurisdictionem, seù illam
6 esse signum datæ ab Ecclesia Iurisdictionis quo ad venialia, ita Suarez *de pœnitent. disputatio 26. sectio 5. num. 5.* Henriquez *lib. 6. cap. 5.* Coninch. *disp. 8. dub. 2. num. 17.* Bonacina *de pænit. disputat. 5. quæst. 7. punct. 5. §. primo numero 3.* & vniuersim consuetudinem conferre iurisdictionem habetur *ex capit. cum contingat.* vbi glosa *v. consuetudine*, & Abbas *numero 5. de foro competent. cap. Romana.* vbi glosa *de offic. ordin. in 6. cap. Romana* vbi

glosa *de sententia excomm. in 6.* Sayrus *de censur. lib. 1. c. 6. num. 31.*

Sed vniuersalis consuetudo, vsus, & praxis
7 pro maiori parte Sacerdotum (excipio paucos scrupulosos, aut indoctos) obtinuit, vt quemcumque in articulo, & extra articulum mortis cum opinione probabili sine iurisdictionis absoluant, sine vllo scrupulo, idque fatentur ipsemet Suarez *de pœnitent. disputatio 26. sect. 6. numero 7.* vbi sic ait; *Est autem vniuersalis Ecclesiæ vsus, vt Sacerdotes securè vtantur huiusmodi iurisdictione probabili in huius Sacramenti administratione.* Idemque fatetur Eminentissimus Lugo *de penitent. disput. 19. sect. 2. numero 35.* vbi hanc ait esse *praxim, & vsum communem omnium confessariorum, qui cum iurisdictione probabili absoluunt.* Ita Lugo, certum itaque est, generalem, & vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem esse pro maiori parte, vt cum iurisdictione probabili Sacerdotes, sine scrupulo absoluant, & fideles pij, & docti sine timore absolutionem recipiant: Ergo certum est, ex hac vniuersali consuetudine, datam esse ab Ecclesia iurisdictionem, quandocumque, & quomodocumque ex probabili opinione confertur absolutio: tum quia vnicuique obseruare licet, non ita frequenter simplices Sacerdotes absoluere venialia, quam approbatos absoluere ex opinione probabili: ergo si vniuersalis vsus absoluendi venialia contulit iurisdictionem; quare vniuersalis vsus absoluendi ex probabili opinione non conferet iurisdictionem.

Probatur secundò, quia vniuersalis vsus fide-
8 lium facit rem moraliter certam: sed vsus omnium ferè Sacerdotum absoluentium ex opinione probabili, sine vllo scrupulo, in articulo, & extra articulum mortis, non potest aliter excusari à peccato, quàm quia certum est eos validè absoluere, ex certa iurisdictione, tunc data ab Ecclesia: ergo dicendum, certum esse tunc Ecclesiam conferre iurisdictionem.

Probo minorem præcludendo euasiones, seù excusationes, quas afferunt Suarez, & Lugo, Ille *disputatio 26. de pœnit. sect. 6. num. 8.* excusat Sacerdotem absoluentem, quia nulli exponit periculo penitentem, eò quia iste semper fatetur aliquod veniale, supra quod Sacerdos habet certam iurisdictionem; quare directè absoluens à veniali, indirectè quoque eum à mortali absoluit.

Sed hæc euasio facilè præcluditur, frequenter enim, præsertim in articulo mortis, ex temporis angustia pœnitens nullum confitetur veniale peccatum; præterea, estò confiteatur, raró homines grauibus peccatis assueti, suum dolorem ad venialia extendunt, quare tunc absolutio super venialia ex doloris defectu non cadit, vnde nec super mortalia; & sic adhuc versamur in periculo irritationis Sacramenti, & æternæ salutis.

Eminentissimus Lugo *de pænit. disput. 19. num. 30. & seq.* Ita respondet, nam vel sumus extra articulum mortis, vel in articulo mortis: Si extra, tunc exiguo periculo, vel nulli exponitur pœnitens, eo quod moraliter non est periculum, quod ante mortem alteri Sacerdoti validè confitebitur, &, quamuis posset repentè mori, tamen hoc periculum non est mortale; alioquin ipse pœnitens teneretur post peccatum mox conteri, aut confiteri: tum quia Sacerdos non tenetur ex charitate ministrare Sacramentum cum omni securitate, & vtilitate possibili, vt ait Lorca 1. 2. *disp. 38. mem. 2.*

Contra primò, nam dispar ratio est de pœnitente, ac de Sacerdote, ille enim potest cedere iuri suo, & illi remoto periculo se exponere; non autem potest Sacerdos præiudicare penitenti, exponendo illum eiusmodi periculo, quamuis remoto, irritæ absolutionis; sic, quamuis pęnitens possit post confessionem peccatorum nolle recipere absolutionem, eam tamen nequit Sacerdos denegare.

Contra secundò, nam quicquid sit, an Sacerdos peccet contra charitatem, certissimè peccat contra fidelitatem, quia, si fideliter ageret, & aperiret periculum inualiditatis, vtique pœnitens nollet tali, sed alteri confiteri; quia nollet, se exponere periculo, non dico salutis æternæ, sed periculo, vt perseueret cum macula peccati, & cum priuatione Diuinæ gratiæ, quousque iterum confiteatur, cum periculo, vt omnia opera bona, quæ vsque ad alteram confessionem fiunt, sint mortua; cum periculo, vt grauem quandoque pœnitentiam pro ijs peccatis datam impleat, sinè vllo fructu satisfactionis; cum periculo, vt peccata non remissa, quæ in anima remanent, eum ad deteriora trahant; vt quid enim nunc confiteri, & non altero mense, aut anno, si nullus gratiæ fructus, si vacuus labor? vt quid confiteri huic Sacerdoti cum tot periculis, si posset alteri confiteri habenti certissimam iurisdictionem? nullus enim pœnitens de hoc certioratus tali Sacerdoti cum eo periculo confiteretur: ergo infideliter agit Sacerdos, si eum non monet, & aperit dubium inualiditatis.

Contra tertiò, nam communiter Doctores docent, peccare contra charitatem Sacerdotem, qui, cum possit certum ministrare Sacramentum, probabiliter confert, cum dubia materia, aut dubia forma, in his, quæ nequeunt ab Ecclesia suppleri, quia dependent ab Institutione Christi; sed, posito quod sit periculum inualiditatis defectu iurisdictionis, par est periculum; ergo par peccatum tali periculo exponere pęnitentem.

Quò ad articulum mortis, inquit Lugo, Sacerdotem simplicem cum probabili opinione absoluentem præsente proprio parocho, moraliter certum esse, non exponere periculo salutis æternæ penitentem; quia adhoc vt moribundus validè absoluatur, sufficit, alteram ex his opinionibus esse falsam, nempè quod Ecclesia non tribuat Iurisdictionem

dictionem absoluenti ex opinione probabili, & quod simplex Sacerdos in articulo mortis nequit absoluere, præsente proprio parocho quæcunque enim ex his sententijs sit falsa, infirmus validè absoluitur, & nulli exponetur periculo.

Sed contra gratis dicitur ab Eminentissimo Lugo esse certum quod alterutra ex his opinionibus sit falsa, quid enim si vtraq; sit vera? nam de priori opinione quod Ecclesia conferat Iurisdictionem, ipsemet Lugo fatetur incertam: de posteriori, quod nequeat præsente parocho simplex Sacerdos absoluere in articulo mortis, id innumeri docent, quia cessat tunc necessitas, & quia Canones præcipiunt talem promittere, quod si conualuerit se præsentabit ordinario pro absolutione censuræ reseruatæ: ergo sine vllo fundamento dicit Lugo, alterutram ex illis esse falsam.

Probatur tertiò, quia quotiescumque adest opinio probabilis in materia Sacramenti absolutionis à censura, aut cuiuscumque rei, cuius valor dependet à voluntate, & dispositione Pontificis; cum hic sciat (non enim in eo præsumitur ignorantia) adesse ea in re opinionum probabilium diuersitatem; si dissimulat, & non contradicit, iustè præsumitur velle ea in re supplere iurisdictionem; atque validare actus, esto à parte rei ea opinio falsa esset. Itaque adest tacitus consensus Ecclesiæ, & ratificatio de præsenti supplens iurisdictionem, ne tot actus irriti sint, quotiescumque enim superior videt & tacet, cum faciliter possit prohibere, confert Iurisdictionem.

Probatur quartò, quia præscindendo à iure, seù à lege scripta, considerata ipsa rei natura tacitè
9 Respublica, ob bonum publicum, propter communem errorem, præsertim si adsit titulus coloratus, confert iurisdictionem idque ostendo ponderando textum *in l. Barbarius ff. de officio prætoris*. vbi Vulpianus Iureconsultus, cui tunc temporis, nulla data erat potestas legis condendæ, non magis quam hodie Aduocatis, interrogatus, ita repondit. *Barbarius Philippus cum seruus fugitiuus esset, Romæ præturam petijt, & Prætor designatus est: sed nihil ei seruitutem obstitisse ait Pomponius, quasi Prætor non fuerit; at quia verum est prætura eum functum, & tamen videamus si seruus quamdiù latuit dignitate prætoria functus sit? Quid dicemus? quæ edixit, quæ decreuit nullius fore momenti? an fore propter vtilitatem eorum, qui apud eum egerunt, vel lege, vel quo alio iure. Et verum puto nihil eorum reprobari, hoc enim humanius est, cum etiam potuit populus Romanus, seruo hanc decernere potestatem, sed & si sciuisset seruum, eum liberum effecisset*. Hæc Vulpianus. Itaque obseruo Vulpianum, ac Pomponium Iureconsultos non habuisse tunc temporis authoritatem legis condendę, sed multo post tempore eorum sapientissimis responsis data est legis authoritas, neque eo tempore quando Pomponius, & Vulpianus, ita respenderunt ad propositum casum Barbarij, Philippi, extabat aliqua lex scripta decernens propter errorem communem Rempublicam dare iurisdictionem; quia si talis lex scripta erat, vtique eam allegassent Iureconsulti: ergo sic responderunt interrogati, non authoritate legis, sed ex naturali ratione, & considerata rei natura, quia tacitè Respublica ob bonum publicum tribuit iurisdictionem, propter errorem communem: ergo pari ratione quamuis nulla extaret lex scripta, nec illa lex Barbarius, inter leges inueniretur; tamen simili ratione Ecclesia debet conferre iurisdictionem, quia si re vera ex opinione probabili absoluentes inualidè absoluerent, esset communis error, & deceptio grauissima in vniuersa Ecclesia.

Confirmatur primò, nam vt rectè ait Io: Machadus *in discurs. pract. de probabil. opin. artic. 5. numero 7. ante tom. primum de perfecto Confessario pro certo habendum est, Ecclesiam conferre iurisdictionem quotiescumque adest opinio probabilis, alioquin Ecclesiæ, & Pontificis Regimen esset ex hac parte irregulatum, & deficiens, atque reprehensibile, non succurrens in tot necessitatibus Christianæ Reipublicæ, supplendo necessariam iurisdictionem in tot dubijs occurrentibus, circa confessiones, matrimonia, censuras, vota, ac reliquas materias, quorum valor dependet à voluntate Pontificis; vnde sequeretur, quod ex defectu Iurisdictionis, tot confessiones inualidæ essent, aliaque plura sequerentur in animarum perniciem inconuenientia, quæ facillimè data Iurisdictione vitantur*. ita Io: Machadus.

Confirmatur secundò, nam simili ratione, propter publicum bonum, ad vitandum maius
10 malum, & grauissima inconuenientia, Respublica tacitè consentit, vt valida sint omnia, quæ fiunt à Tyranno, qui sine titulo Regnum inuasit, & vsurpauit, & Iudicibus à Tyranno constitutis tenentur subditi in conscientia obedire, & stare eorum sententijs, imò tales Iudices non peccant iudicando, & quamuis nulla lex sit, quæ hoc statuat, sufficit ratio naturalis ad probandum hunc tacitum Reipublicæ consensum, & hæc est communis opinio Doctorum, quam docent Lessius *l. 2. cap. 29. dub. 9.* Suarez *libro 3. de legibus cap. 10. num. 9. in fine* Lugo *de Iust. tomo secundo disputatio 37. numero 27.* qui testatur esse communem, Vittoria, Medina, Bannes, Salon, & Aragon. quos sequitur Salas *de legibus disputatio 10. sect. 3. numero 13.* Contra Sotum *libro tertio de Iust. quæstione quarta artic. sexto*, & alios apud Salas *numero 13.*

Probatur quintò, quia omnes Doctores docent tria requiri ad dandam tacitè iurisdictio-
11 nem *ex dict. l. Barbarius* nempè *bonum commune, error communis* maioris partis populi, & *titulus coloratus*, seù datus à legitimo superiore, quamuis nulliter ob occultum defectum ita Alex. *cons. 138. vol. 1.* & DD. *in dict. l. Barbarius*, sed adsunt hæc tria in Sacerdote absoluente ex opinione probabili suæ iurisdictionis: ergo tacitè Ecclesia confert iurisdictionem.

Probo minorem, & primò quò ad *bonum commune*, euidens est, expediens esse saluti fidelium Ecclesiam tribuere certam iurisdictionem, ne inculpabiliter periculo damnationis exponantur.

Secũdò, quò ad *errorẽ communẽ* apertè ostẽditur nã

quamuis Sacerdotes absoluentes cum opinione probabili fortè sciant periculum inualiditatis, fidelibus tamen tale periculum est omnino occultum, saltèm quò ad maiorem partem, cum pauci ex illis sint Theologi qui id scire possint, vnde nihil refert Sacerdotes scire, nam etiam Barbarius ille prætor sciebat se esse seruum, & suum defectum; sufficit si ignoret populus, qui reuera ignorat Sacerdotes cum tali periculo absoluere, nam populus pro maiori parte, neque scit, neque scire potest periculum inualiditatis; quare eadem omnino ratio est in casu nostro de communi populi errore, circa Ius, ac circa factum, nam vterque error est inuincibilis, inculpabilis, ac caueri à populo nequit; Vt autem docent communiter Doctores er-
12 ror inculpabilis Iuris dubij, æquiparatur errori facti, & talis error Iuris dubij vnumquemque excusat, etiam Iurisperitum, vt docent Alex. *cons.* 19. *num.* 11. *vol.* 7. *cons.* 91. *num.* 13. *lib.* 1. *cons.* 214. *num.* 8. *vol.* 6. Corneus *cons.* 197. *in fine lib.* 4. Soccin. *cons.* 47. *num.* 10. *vers. tamen quando esset error vol.* 1. Gabriel *cons.* 33. *num.* 8. Natta *cons.* 338. *num.* 10. Mazolus *cons.* 109. *num.* 32. Felinus *in cap. de quarta de præscript.* Ruinus *cons.* 128. *num.* 11. *lib.* 2. Curtius Iunior *cons.* 28. *num.* 8. *& cons.* 6. *num.* 22. vbi latè probat errorem Iuris dubij simpliciter æquiparari errori facti. Præterea vniuersitas semper excusatur ex errore Iuris, Crauetta *cons.* 680. *num.* 21. Excusat quoque error Iuris eum, qui cum authoritate Iudicis errat, quia tunc perinde se habet, ac si consuluisset Iuris peritos, cum Iudex debeat esse Iurisperitus Butrius *cons.* 18. *in fine*, & ità veluti cum authoritate Iudicis, nempè Sacerdotis absoluentis, errat populus, quando bona fide, credens certò, & validè se absolui, petit ab ipso Sacramentum.

Vnde dispositio legis barbarius, quamuis loquatur de errore facti, tamen extendenda est ad errorem Iuris inuincibilem, qui simpliciter excusat, & æquiparatur errori facti, nam propter iden-
13 titatem rationis, lex extendenda est in fauorabilibus *glos. in l. vnica C. de his, qui ante apertas tabulas.* Iason *in l. qui exceptionem num.* 1. *ff. de condit. indebit.* est etiam extendenda lex cum agitur de publica vtilitate, qualis est vt populus data iurisdictione ab Ecclesia validè absoluatur *l. si quis in graui* §. *vtrum ff. ad Sylan* Iason *in l.* 1. §. *nunciatio ff. de noui operis nunciat.* Sarmiento *selectarum lib.* 1. *cap.* 12. *num. primo*. Extendenda quoque est lex cum agitur de fauore animæ. Crauetta *de antiquit. temp. par.* 4. *in princip. num.* 79. Farinacius *in fragmentis v. extensio n.* 109.

Quò ad *titulum coloratum*, probo illum adesse in Sacerdote absoluente in articulo mortis præsente parocho, nam habet titulum priuilegij concessi à Iure Absoluendi, tempore mortis, & quamuis re vera tale priuilegium cessaret præsente parocho, tamen cum priuilegium sit indefinitè, vt vniuersaliter concessum pro tempore mortis, ideo habet titulum coloratum, etiam in casu præsentiæ parochi.

Explico, ac probo sequenti exemplo, nam qui nullam omninò habet iurisdictionem in aliqua materia, non potest in simili, aut eadem materia eligi in Iudicem, aut prorogari ipsius Iurisdictio, siquidem Iurisdictio, quæ non adest, nequit extendi, seù prorogari *l.* 1. *ff. de Iudic. l.* 2. §. *sed si agat ff. eod.* Abbas *in cap. si diligenti, numero* 14. *de foro compet.* Clarus *in* §. *fin. quæst.* 42. Gayllus *de pace publica lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 10. Afflictus *decis.* 354. *num.* 14. *&* 15. Sed fit prorogatio Iurisdictionis de minori ad maiorem summam Guido Papæ *dec.* 285. Afflictus *decis.* 117. *num.* 4. Ergo quando fit extensio Iurisdictionis de casu ad casum, tunc adest titulus Iurisdictionis, qui extenditur ad alium casum, & in casu externo erit titulus non verus, sed coloratus; si re vera non adsit, sed probabiliter putetur adesse.

Confirmatur, nam titulus coloratus, vel præsumptus dicitur, qui reuera non adest, sed probabiliter putatur adesse; sic ex authoritate superioris eligendis excommunicatum, vel simoniacum, iste excommunicatus reuera non est parochus; sed quia authoritas superioris dat probabilem causam existimandi eum parochum, ideo dicitur habere titulum coloratum, seù præsumptum; sic quoque dicendum in casu nostro, authoritatem Doctorum, vel rationum pondera præbere probabile fundamentum iudicandi, quod simplex Sacerdos habeat priuilegium absoluendi, præsente proprio parocho in articulo mortis, & sic adest titulus præsumptus, & coloratus priuilegij, seù titulus probabiliter existimatus.

Adde probabile satis esse, quod solus error com-
15 munis, sine titulo, conferat Iurisdictionem, vt doctè probat Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 20. Syluius *par.* 1. *variarum resolut. verbo matrimonium num.* 11. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 24. *disp.* 5. *sect.* 6. *num.* 52. & alij apud Dianam *parte* 2. *tract.* 16. *resol.* 45. *& par.* 8. *tract.* 1. *resol.* 94. & alios refert Gabriel *de probat. concl.* 8. *num.* 25. Imò Tiraquell. *de legibus connub. glos.* 8. *num.* 153. de consuetudine obseruari, inquit, quod notarius, qui est in quasi possessione sine vllo titulo, validè conficiat instrumenta, propter errorem communem.

Respondetur, nunc ad contraria argumenta, & ad Primùm, Respondetur quod quamuis opinio probabilis sit inter solos sapientes, qui pauci sunt, tamen causat communem errorem in maiori parte populi, & apud indoctos, qui sapientum Sacerdotum authoritate ducuntur, & credunt se validissimè absolui; tum quia error communis non dicitur respectu totius populi, sed respectu eius multitudinis, quæ ea iurisdictione vtitur; alioquin in magna ciuitate quingentorum millium hominum, ferè nunquam posset ex errore communi Sacerdos habere iurisdictionem; quia maior pars populi nunquam talem Sacerdotem nouit: quare sufficit si error sit pro maiori parte illius multitudinis, quæ petit ab eo Sacramentum.

Ad secundùm, ac tertium patet responsi ex dictis.

Ad quartum, Resp. quomodocũq; re vera opinio sit probabilis, siuè extrinsecè propter authoritatẽ Doctorũ, siuè intrinsecè propter solida fundaméta de nouo ab vnico docto viro considerata; sicuti ex

tali

tali probabilitate licitè absoluit Sacerdos; ità validissiè; quia tunc Ecclesia dat Iurisdictionem, quam semper dat quandocunque, & quomodocumque sit probabilis opinio Iurisdictionis. Ratio est, quia qualiscumque sit probabilitas, semper populus accedit bona fide ad Sacerdotem absoluentem, qui populum deciperet, si exponeret periculo absolutos: ergo semper adest populi communis error, propter quem Ecclesia tribuit Iurisdictionem.

Ad quintum, Respondetur, quod parùm refert, qua ratione moueatur Sacerdos ab absoluendum, sufficit, quod populus semper eum inueniat paratum ad absoluendum, vt dicatur communis error, qui vitari debet ab Ecclesia collata Iurisdictione, neque Sacerdos ministrat cum iurisdictione probabili, aut dubia; immo cum iurisdictione moraliter certa, prout supra demonstrauimus.

Ad sextum, Respondetur, aliud esse, quod hæc opinio, quod nequeat approbatus in vno Episcopatu, vbique eligi, ex sequuta declaratione Cardinalium, non sit probabilis, neque tuta, & simpliciter improbabilis quò ad scientes authenticam declarationem: aliud quod supposita, quod aliqua opinio sit re vera probabilis, quod Ecclesia tribuat Iurisdictionem propter securitatem animarum, & populi errorem: nos non quærimus de primo casu, sed de hoc posteriori, & dicimus, quod stante, quod opinio aliqua sit re vera probabilis, tutò Sacerdos absoluit, quia Ecclesia tribuit Iurisdictionem; neque vnquam Garsias, aut Io: Sanch. ostendere poterit aliquam declarationem Sacræ Congregationis, qua declaret, casu quo opinio aliqua sit re vera probabilis, quod absolutio non sit tuta, aut quod Ecclesia non tribuat Iurisdictionem.

QVÆSTIO XXVI.

An peccet contra Religionem, aut charitatem ministrans Sacramentum ex opinione probabili, quę versatur circa materiam, & formam, aut aliud dependens ab Institutione Christi?

SVMMARIVM.

Peccat contra religionem omittens ritum Sacramenti à lege Ecclesiastica, aut consuetudine præscriptum. num. 1.

Excusatur tantùm ex iuxta causa. num. 2.

Si Ecclesia non præscribat certum ritum, vtens opinione probabili, omissa via certa, non peccat contra religionem. num. 3.

Sed peccat contra charitatem. num. 4.

1 DIco primò peccat contra religionem, ac charitatem, quando sine iusta causa, vtitur opinione probabili, omissa certa materia, forma, aut ritu, Ecclesiastica lege, vel consuetudine præscripto, ità omnes Vasquez 1.2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 63. *cap.* 2. *n.* 4. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 20. *num.* 4. *& lib.* 1. *summæ c.* 9. *num.* 33. Salon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *controuers.* 2. *in solut. ad tertium* Villalobos *tom.* 1. *tr.* 1. *diff.* 13. *num.* 1. *&* 2. Io: Sanchez *disput.* 44. *numero* 26. Castro Palaus *tomo* 1. *disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 5.

Probatur, quia cum Ecclesiastica lex, vel consuetudo, quæ est instar legis, statuat ritum certum, propter reuerentiam Sacramenti, ac propter vniformem Sacramentorum vsum, ac quoque propter vtilitatem, & certam validitatem Sacramentorum, & beneficium fidelium, qui talem ritum omittit, transgreditur pręceptum Ecclesiasticum, & peccat contra religionem, seù reuerentiam debitam Sacramento, ac contra charitatem; quia religio, & charitas sunt fines huius præcepti Ecclesiastici; nã transgressor legis Ecclesiasticæ peccat contra eam virtutem, quæ est finis legis, sic frangens ieiunium peccat contra temperantiam, &c.

Aduerto tamen, quod iusta causa potest excu-
2 sare, talis autèm erit extrema proximi indigentia, aut alia necessitas, data impotentia obseruandi præceptum, ita Anton. Perez *in Laurea Salmantina certam.* 10. *cap.* 12. *&* 13. contra Castro Palaum vbi supra *num.* 6. Ratio est, quia lex Ecclesiastica non obligat cum grauissimo incommobo. Sic licet baptizare in pede, contra ritum Ecclesiæ, si periclitetur salus infantis, licet quoque consecrare cum materia probabili vt in typha, si ob carentiam perfecti tritici oporteret multo tẽpore omittere missæ Sacrificium. Bonacina *de Sacram. disput.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 10. Martinez *part.* 2. *tomo* 1. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. *concl.* 7. Diana *parte* 2. *tract.* 13. *resol.* 2.

Dico secundò, non peccat contra religionem,
3 seù contra reuerentiam debitam Sacramento ministrans illud ex opinione probabili, omissa sententia certa, & securà, nisi ab Ecclesia per consuetudinem, aut ritum, aut speciale aliquod decretum id prohibitum sit Vasquez 1.2. *disp.* 63. *cap.* 2. *&* 2. *tomo in* 3. *parte disput.* 146. *cap.* 4. *num.* 26. Salon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *controu.* 2. *ad tertium.* Sayrus *in claui Regia lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 20. *num.* 4. *& lib.* 1. *summæ cap.* 9. *num.* 33. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 1. *diffic.* 13. *num.* 2. Pontius *lib.* 4. *de matr. cap.* 25. *num* 9. Perez *in Laurea Salmant. certam.* 10. *cap.* 12. *num.* 62. Granado 1.2. *tract.* 12. *disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 35. Castro Palaus *tomo* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 5. Lorca *par.* 2. *tom.* 1. *disp.* 39. *mem.* 2. Medina *parte* 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub. pen.* Diana *par.* 2. *tract.* 13. *resol.* 2. *& parte* 8. *tract.* 1. *resol.* 21. *vers. confirmantur.* Lugo *de Sacr. in genere disp.* 8. *num.* 141.

Contra Scotum *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 2. *& dist.* 11. *quæst.* 6. Sotum *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad tertium.* Durand. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 13. *num.* 6. Vittor. *de Sacram. in genere quæst.* 54. Barth. Ledesma *de Sacr. in genere dub.* 5. *concl.* 4. Valentiam 3. *par. disput.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 1. Coninchium *de Sacram. quæst.* 66. *artic.* 7. *dub.* 2. *in fine.* Syluium *de Sacrament. quæst.* 60. *artic.* 8. *quæst.* 3. *concl.* 3. Io: Sanchez *disput.* 44. *num.* 10. *& seq.* vbi latè probat, Suarez *de Sacram. disput.* 16. *sect.* 2. *disput.* 21. *sect.* 4. *disput.* 45. *sect.* 1. *in fine, disput.* 60. *sect.* 1. *in fine, & de pænitentia disp.* 26. *sect.* 26. *numero* 5. Salas 1.2. *quæst.* 21. *tract.* 8.

disput. unica sect. 5. n. 56. sect. 10. num. 97. & sect. 27. num. 286. Petrum Soto *lect. 2. de Euchar.* Layman. *l. 1. tract. 1. cap. 5. num. 14.* Henriq. *l. 1. cap. 9. n. 15.* Merollam *tom. 1. disp. 3. cap. 4. num. 134.*

Dixi autem, nisi ab Ecclesia per consuetudinem, aut receptum ritum, aut speciale aliquod decretum, id prohibitum sit. Ratio est, quia tunc Ecclesia per certum ritum determinatum, videtur præscripsisse modum administrandi Sacramentum, atque adeò prohibuisse exercitium opinionis alterius, quantumuis probabilis, vnde mortaliter peccaret contra Ecclesiæ legem, qui baptizaret in nomine Genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque quicquid sit, an validus sit baptismus? ita docent vno ore Doctores omnes.

Probatur, periculum irritationis Sacramenti non est culpabile, nam prudenter operatur ex opinione probabili: ergo non peccatur contra Religionem.

Dices ex Io: Sanchez omittitur via certa pro opinatiua, vt si Medicus, omisso certo, tradat probabile medicamentum, vel debitor omissa certa daret pecuniam, cuius valor est probabilis: ergo est periculum culpabile.

Respondetur, quod omissa via certa pro opinatiua, peccari potest contra charitatem, vt in Medico, aut contra Iustitiam, vt in debitore: non autem peccari potest contra Religionem, vt in Sacramentis: Disparitas est, quia proximus potest effectiuè lædi: læditur autem hoc ipso, quod exponitur periculo effectiuæ lęsionis; & ideo ex tali periculo potest peccari contra charitatem, aut Iustitiam. Deus verò, qui est author Sacramentorum, effectiuè non potest lædi, quia est inoffendibilis effectiuè; neque læditur Sacramentum quod est res inanimata, imò neque existit, quare cum exponitur periculo irritationis Sacramentum, cum tale periculum non sit effectiuæ lęsionis Diuinæ, non offenditur Deus, neque Sacramentum: ergo non peccatur contra Religionem.

Dices, offenditur Deus affectiuè.

Respondetur, quod ideo proximus affectiuè offenditur, quando omittitur via certa pro opinatiua, quia exponitur periculo effectiuæ læsionis: At Deus cum nulli effectiuè lęsionis periculo exponatur, non offenditur affectiuè; quia probabiliter creditur reuerenter eius Sacraměta tractari.

4 Dico tertiò, peccat contra charitatem, qui sine iusta causa ministrat Sacramentum, cum opinione probabili, omissa via certa, & tuta, in his quæ dependent ab Institutione Christi, ita Vasquez *1. 2. disp. 63. cap. 3.* Perez *in Laurea Salmant. certam. 10. cap. 12. & 13.* Io: Sanchez *disp. 44. num. 12.* Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 25. num. 9.* Sayrus *in claui regia lib. 1. cap. 7. num. 6.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diff. 13. num. 3.* Salas *1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 10. n. 93.* Diana *p. 2. tract. 13. resol. 2.*

Contra docentes, etiam sine aliqua causa ministrantem cum opinione probabili, non peccare contra charitatem, quod voluerunt Medina *1. 2. q. 19. art. 6. §. cæterum,* & Cenedo *pract. quæst. 8. num. 23.* & alij recentiores, quos tacito nomine refert Vasquez *d. disp. 63. num. 3.*

Probatur, quia is, qui omissa sententia certa, sequitur probabilem, exponit proximum periculo inualidè Sacramentum recipiendi: ergo exponit periculo salutem proximi, vel saltem exponit proximum periculo non recipiendi augmentum gratiæ Sacramentalis: Sed exponens proximum periculo lęsionis, hoc ipso lædit, vnde ne tali periculo quis exponatur, est pretio estimabile: ergo exponens sine iusta causa peccat contra charitatem, & quandoque peccat quoque contra Iustitiam, vt parochus. Antecedens probatur, quia sententia probabilis potest esse falsa coram Deo, nam etiam si omnes Doctores affirmarent aquam rosaceam esse materiam baptismi, tamen si non est instituta à Chisto Domino, inualidus erit baptismus.

Dices possum in ceteris materijs vti opinione probabili; sic non pecco contra castitatem, si vtor probabili matrimonio, nec contra Iustitiam, si ex probabili opinione non restituo: nec contra charitatem, si ex opinione proba[illegible]li obligo pœnitentem ad restitutionem; ergo etiam in Sacramentis ministrans ex opinione probabili non peccat contra charitatem.

Respondetur disparitas est, quia tunc tenor restituere, quando Ius debitoris certum est, alioquin melior est conditio possidentis, si vtrinque sint probabiles opiniones: At recipiens Sacramentum certum Ius habet ad validè recipiendum Sacramentum; quare recipiens, iniustè læditur, si exponitur periculo inualidi Sacramenti. De confessario autem obligante ad restitutionem infra dicam *quæst. 37.*

QVÆSTIO XXVII.

Corollaria ex præcedenti doctrina de administratione Sacramenti ex probabili opinione.

SVMMARIVM.

Licitè administratur Sacramentum cum opinione probabili, quando ita requirit salus proximi, vt si in necessitate deficiat materia certa. num. 1.

Tunc etiam poterit ministrari baptismus cum materia dubia. num. 2.

In conflictu opinionum, eligenda est opinio fauorabilis proximo, non Sacramento. num. 3.

In necessitate licet consecrare in typha. num. 4.

Licet ministrare cum opinione probabili, quando recipiens Sacramentum scit, & consentit. num. 5.

Peccat contra charitatem baptizans, sine necessitate, cum opinione probabili. num. 6.

Licet ministrare cum opinione, ex timore mortis. n. 7.

Peccatur contra Religionem, quando fideles exponuntur periculo Idolatriæ materialis. num. 8.

Peccat contra fidelitatem, contrahens matrimonium, aut illi assistens cum opinione probabili. num. 9.

Peccat contra charitatem confirmans, vngens, aut conferens minores ordines, cum opinione probabili. num. 10.

Suscipiens Episcopatum, aut Sacerdotium, de cuius validita-

liditate sunt probabiles opiniones, tenetur iterum ordinari sub conditione. num.11.

INsertur primò, licitè ministrari ex opinione
1 probabili, quando id requirit salus proximi, vt cum in necessitate deficit materia certa, sic ratione necessitatis, baptizandus est infans in pede, vel cum aqua rosacea Suarez *de pænit. disp.26. sect. 6.* Salas 1. 2. *quæst. 21. tract.8. disput. vnica sect.27. num.285.* Perez *in Laurea Salmant. certam. 10. cap. 12. & 13.* Layman. *lib.1. tract.1. cap.5. num.13.* Io: Sanchez *disp.44. num.12.* Palaus *tom.1. tract. 1. disp. 2. punct.5. num.4.*

Infertur secundò, administrandum esse baptis-
2 mum in necessitate cum materia dubia, vt si ex loci, & temporis circumstantijs omnino deprehendi nequeat an sit aqua, vel alius liquor, quo casu sub conditione baptizandus est infans moribundus. Lugo *de Sacr. in genere disp. 8. sect. 9. num. 140.* Ratio est, quam mox tradam.

Infertur tertiò, in conflictu opinionum, eligen-
3 da est opinio, non fauorabilis Sacramento, sed fauorabilis suscipienti, *quia* Sacramenta instituta sunt in fauorem *fidelium*; ergo eligenda est opinio fauorabilis fidelibus, & sic Sacramentum veluti cedit Iuri suo: tum quia tunc Sacramentum irreuerenter tractatur, quando scienter administratur nulliter, aut sine causa cum materia dubia: at quando est grauis causa salutis proximi; tunc nulla est irrisio Sacramenti, atque adeo nulla irreuerentia. Tum quia ex eo, quod ministrando Sacramentum cum materia dubia, reuera nulliter administretur, neque ipsum Sacramentum, quod est quid inanimatum, neque Deus effectiuè offenditur; at offenderetur proximus effectiuè, si non ministraretur Sacramentum, quo ministrato saluatus esset; Itaque eligenda est opinio fauorabilis non Sacramento, sed proximo, ita Sanchez *de matrim. lib. 2. disp.36. num.8.* Valentia *tom. 4. disput.7. quæst.11.* Henriquez *lib.5. cap. 2. §. 7.* Montesinus 1. 2. *disp. 29. quæst. 5. num. 245.* Suarez de *Euchar. disp.69. sect.2.* Hurtadus de *Sacram. disp. 3. difficult. 9.* Io: Sanchez *disp.8. num. 11. §. senserunt, & disput. 44. num.35. §. aduertendum.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 5. n. 120.* & alij apud Dianam *part. 2. tract. 13. resol. 13. & par. 3. tract.3. resol.9.* Lugo *de Sacr. in genere disput. 8. num.140.*

Infertur quartò, quando non est in potestate mi-
4 nistri ministrare cum materia certa, si necessitas cogit, potest cum forma, aut materia probabili, & sic in casu necessitatis liceret consecrare in Typha. Bonacina *de Sacram. disp. 2. quæst. 1. punct. 4. num. 10.* Martinez 1. 2. *quæst.19. art.6. dub.6. concl. 7.* Salas 1.2. *quæst. 21. tr.8. disput. vnica, sect.5. num. 56.* Diana *par. 2. tract. 13. resol. 2.*

Infertur quintò, licere ministrare cum materia
5 probabili, quando recipiens scit, & consentit, nam cum scienti, & consentienti non fiat iniuria, non est peccatum contra charitatem, nisi tamen recipiens peccaret contra propriam charitatem, exponens se in mortis periculo, cum probabili baptismo v. g. periculo salutis æternæ, quare ministrari posset Sacramentum pænitentiæ extra articulum mortis accedenti cum attritione cognita. Vasquez 1. 2. *disp.63. cap. 3.* Sanchez *lib.1. summæ cap.9. n. 34.* Malderus 1.2. *quæst. 19. art.5. disput. 86.* Diana *par.2. tract.13. resol. 2.* Villalobos *tom.1. tract. 1. diff.13. num. 3.* Sayrus *in claui regia lib. 1. cap.7. in fine.* Merolla *tom.1. disp. 3. cap. 4. num. 131. qui num. 133.* ex hoc rectè docet posse absolui pœnitentem, qui fecit confessionem informem, quam non repetit, sed quid dicendum in articulo mortis infra dicam *quæst.38.*

Infertur sextò, peccare contra charitatem con-
6 ferentem baptismum, sine necessitate, cum opinione probabili; siue is Infans, siuè adultus sit; quia quamuis iste saluari posset cum contritione, tamen exponitur periculo salutis; quia propter difficultatem, eam non habebit: præterea exponitur periculo inualidè recipiendi cætera Sacramenta, quorum baptismus est Ianua, exponiturque que periculo amissionis gratiæ Sacramentalis, Sanchez *in sum. lib.1. cap.9. num.24.* Villalobos *tom. 1. tract.1. diffic. 13. num.3.* Sayrus *in claui regia, lib.1. cap.7. num. 7.*

Infertur septimò, licere ministrare Sacramen-
7 tum cum opinione probabili, quando ministranti minaretur mors, nisi esset in contemptum fidei, quia charitas non obligat vt cum periculo vitæ eligam viam tutiorem pro salute proximi, Salas *d. tract. 8. sect. 10. n. 96.* Perez *in Laurea Salmant. certam.10. c. 12. & 13.* Io: Sanchez *disput. 44. n.12.*

Infertur octauò, peccari contra religionem,
8 quando exponitur proximus periculo Idolatriæ materialis, sine grauissima necessitate, vt si quis cum tali periculo limitaret suam intentionem consecrandi per sola illa verba. *Hic est enim calix sanguinis mei.* Ratio est, quia talis error idolatriæ, quamuis materialis imputatur Sacerdoti, qui sine causa non impedit, seù eum causat, quia omittens viam certam, causat tantùm errorem, vt homo dicat pani, ac vino: *Deus meus es tu.*

Infertur nonò, peccare contra virtutem fidelitatis parochum, aut contrahentem matrimonium, si inscio altero contrahente, omissa via certa, contrahat probabiliter, vt non tirè expresso consensu, aut alio modo, quo probabilis tantùm sit valor matrimonij: Ratio est, quia infideliter agitur, & decipitur proximus, qui putat certum esse, & non incertum, seù opinatiuum matrimonium, quod contraxit, & nollet ipse inuitus exponi periculo materialis fornicationis. Contrarium tamen sentiunt Sanchez *de matrimonio lib. 3. disput. 20. num. 4.* Pontius *de matrim. lib.4. cap. 25. num. 10.* qui putant nullatenus, ita probabiliter matrimonium contrahentem, aut illi assistentem peccare, quia neque proli, quæ erit legitima, neque contrahenti, qui licitè tali matrimonio vtetur, neque Deo, qui à probabiliter operante non offenditur, infertur iniuria ex tali matrimonio.

Sed contra est, nam saltèm peccatur contra virtutem fidelitatis, ne proximus contrahens in re grauissima decipiatur; nam certè honesta Virgo, si sciret non esse certum, sed dubium, an verè maritum, vel extraneum admittat ad copulam, id grauissimum duceret, & se deceptam conquereretur;

tur; præsertim si culpa contrahentis id proueniret, quippè qui potuisset cum certitudine, & non cum opinione contrahere.

Contra secundò, quia si matrimonium est probabiliter contractum; ergo vtrinque sunt opiniones probabiles de eius valore, vel nullitate: ergo poterit contra tale matrimonium intentari lis; imò contra illud pronunciari sententia; si Iudex existimet probabiliorem esse opinionem contra ipsum: sed exponere his litibus, ac periculis coniugem, est grauissimum; ergo peccat sine causa, omissa via certa, contrahens, vt assistens cum opinione probabili, & tale peccatum est peccatum contra Iustitiam, & charitatem vt docuit Io: Sanchez *disp.44.num.21.* qui tamen huius rationis non meminit.

10 Infertur decimò, confirmantem, vrgentem, aut conferentem minores ordines, aut Diaconatum, vel Subdiaconatum cum opinione probabili, omissa via certa, sine iusta causa mortaliter peccare contra charitatem, ac fidelitatē; quia priuat iniustè proximum illa gratia Sacramentali, ad quam Ius habet recipiendo Sacramentum: est contra Lorcam 1.2.*tom.2.disp.39.mem.2.* & Diana *par.2. tract.13.resol.2.* qui putant non peccare, eò quia hæc Sacramenta non sunt de necessitate salutis.

Sed contra est, nam sicuti inferens damnum temporale, etiam in his, quæ non sunt necessaria ad statum, vt à ditissimo homine auferens vnum aureum, vtique peccat; ita quoque peccat inferens damnum spirituale notabilis gratiæ Sacramentalis, quamuis hæc non sit necessaria ad salutem.

11 Infertur vndecimò, quod suscipiens Sacerdotiū, aut Episcopatum, de quo probabiles sint opiniones, an validè susceperit, tenetur iterum sub conditione ordinari. Ratio est, quia alioquin si reuera inualidè fuisset ordinatus, inualidè iste consecraret, absolueret, ordinaret, aliaque Sacramenta ministraret, cum autem id cedat in maximum detrimentum fidelium, tenetur ordinatus vitare huiusmodi incommodum, recipiendo prædictum ordinem iuxta certam doctrinam, & non iuxta opiniones, in quibus potest esse deceptio. Quò autem ad Diaconatum, aliosque minores ordines, non tenetur iterum recipere, si probabile sit, validè recepisse, nam nulli graui periculo se, aut proximum exponit. Ita Granado 3. *part. de Sacram. controu.9. tract.1. disp.6. num.2.* quem refert, & sequitur Diana *part.5. tract.14. resol.64. & tract.13. resol.47.48. & 93.* & idem Diana *parte 6. tract.8. resol.19,* rectè docet mortaliter peccare, non tangentem immediatè Calicem, & Patenam, in ordinatione Sacerdotis, quia in Sacramentis quærenda est omnimoda securitas, vnde debet Sacerdos iterum ordinari sub conditione, vt probat ipse Diana *par.5. tract.13. resol.47.* Vbi tamen rectè monet, *non ex eo, quod quis timet, aut præcisè non recordatur se tetigisse sacra vasa, illicò ordo iterandus est, sola enim obliuio, aut solus timor non est sufficiens ad verum dubium, aut probabilitatem, multa enim obliuiscimur, quæ verè fecimus, ac timor ipse, & nimia sollicitudo tangendi instrumenta, in quorum porrectione imprimitur character, faciunt videri obliuioni traditum, quod reuera memoramur.* Ita Doctissimus Diana.

QVÆSTIO XXVIII.

An qui probabiliter credit, se non peccasse mortaliter, vel fuisse confessum, teneatur confiteri, aut conteri?

SVMMARIVM.

Qui probabiliter credit, se non peccasse mortaliter, non tenetur confiteri. num.1.

Quamuis probabilius putaret se peccasse, non tenetur confiteri. num.4.

Dubium aliud negatiuum, aliud positiuum. numero 2. & 3.

Neque tenetur confiteri, si probabiliter credit se confessum, esto probabilius crederet non esse confessum. num.5. & 6.

Certus de debito, dubius de solutione tenetur soluere. num.7.

Quid si probabiliter putat se soluisse, aut satisfecisse præcepto legis. num.8. & 9.

Probabiliter credens se non peccasse mortaliter, aut esse confessum, non tenetur confiteri, accedens ad Sacram Eucharistiam, neque in mortis articulo; sed tenetur in articulo mortis conteri. num.10. & 11.

DIco primò, si probabiliter credit peccatum non esse mortale, non tenetur confiteri Syluester *verbo confessio 2. num.3.* Suarez 3. *par. de pænit. disp.22. sect.9. n.6.* Cardin. Lugo *de pænit. disp.16. num.58.* Fagundez *prac.2. lib.3. cap.4. num.2.* Pitigianus *in 4. sent. dist.17. quæst. vnica, artic.11.* Diana *par.3. tract.4. resol.107.* Coninch. *de Sacram. disp.7. dub.8. num.68. contra Merollam tomo 1. disp.3. cap.4. num.116.*

Probatur, quia quilibet sequens probabilem opinionem prudenter operatur: ergo potest formare practicum iudicium, certum, se non peccare, si tunc non confiteatur, tum quia in re ipsa nullum subest periculum; nam esto peccasset mortaliter, tamen tale peccatum debetur, vel per contritionem, vel per attritionem in Sacramento confessionis aliorum peccatorum; tunc enim indirectè huius peccati remissionem consequitur. Tum quia tenetur confessarius acquiescere pœnitenti dicenti peccatum illud non esse mortale: ergò à fortiori potest penitens illud omittere, tum quia potuisset penitens ab initio actionem illam facere, probabiliter credens non esse mortalem, neque tunc peccasset mortaliter: ergo non obligatur præcepto confessionis ad eam Sacerdoti manifestandam.

Aduertit tamen Coninchius suadendam esse confessionem præsertim viro indocto, qui faciliter decipi potest, iudicando non esse mortale, quod reuera est.

Dices ex Merolla Iure Diuino tenetur quis cōfiteri peccata dubia: sed huiusmodi peccatum est dubium:

dubium : ergo necessario confitendum . Minor probatur, nam, vt ait idem Merolla *tom.1. disput.*
2 *3. cap. 4. num. 99.* dupliciter aliquid potest dici dubium: Primò, si dubium sit negatiuum, quando pro neutra parte adsunt rationes, vt cum quæritur an numerus hominum sit par, vel impar: secundò dicitur dubium positiuum, cum hinc inde sunt rationes probabiles.

Respondetur, quod in dubio positiuo dupliciter se potest habere Intellectus: primò, assentiendo hanc opinionem, eiusque oppositam esse probabilem: secundò, dubitando an sit, vel non sit probabilis hæc opinio; ita vt neutri parti assentiatur: quando Intellectus se habet posteriori modo tunc est propriè, & verè dubium, ac tenetur confiteri; quando autem intellectus assentitur hanc opinionem esse probabilem, tunc est impropriè dubium, & propriè est assensus opinatiuus probabilis, atque adeo tunc non tenetur confiteri.

Dico secundò, quando probabiliter credit se
4 non peccasse, quamuis probabilius putet oppositum, non tenetur confiteri, Sanchez *in summa lib.1.cap.11, num.76.* Syluius *in addit. ad 3. partem quæst.64. vers.quæritur 3.* Diana *part.3, tract.4. resol. 107. contra Coninchium de Sacram. disp. 7. dub. 8. n. 68.* Fagundez *præc.2. lib.3. cap.4. num.7.*

Probatur, quia vt supra *quæst.10.* ostendi quilibet rectè, & prudenter operatur iuxta opinionem probabilem, omissa propria, & probabiliori.

Dico tertiò, quando probabiliter quis credit
5 se esse confessum peccatum, non tenetur iterum confiteri Suarez *de pœnit.disp.22.sect.9.num.6.* Pitigianus *in 4. sentent. tom. 2. dist.27. quæst. vnica art. 21.* Cardin. Lugo *de pœnit. disp.16. num.58. & 59.* Mercerus *3. par. quæst. 9. artic. 4. num. 7.* contra Salas *1.2.quæst.21. tract. 8. quæst. vnica sect. 5. n. 60. in solut. ad 4.* Coninchium *de Sacram. disp.7. dub.8. num. 68.* Merollam *tom.1. disp.3. cap.4. num. 117.* Nugnum *in addit. ad 3. par. quæst. 9. art.2. dub.5. in fine*, qui citat S. Thomam Paludanum, Sotum, Victoriam, & Nauar.

Neque tenetur confiteri, si probabiliter credit se confessum, quamuis putet probabilius esse, se non esse confessum, ita Sanch. *in summa lib. 1. cap. 11. num.76.* Syluius *in addition. ad 3. par. quæst. 64. vers. quæritur tertiò* Diana *par.3. tract.4. resol. 107. contra Coninchium vbi supra*, & Fagundez *præc.2. lib. 3. cap.4. n.7.*

Probatur, quia homo in rebus practicis potest sequi opinionem probabilem, omissa opposita probabili, aut probabiliori sententia, quando in rebus ipsis non imminet aliquod periculum: sed in nostro casu nullum imminet periculum; quia esto peccatum illud confessus non esset, tamen illud indirectè remittitur confitendo cætera peccata, aut per contritionem.

Obijcies qui certus est de debito, dubius verò
7 de solutione, tenetur illud soluere; quia certum debitum præualet dubiæ, seù incertæ solutioni, Vasquez *1. 2. disp.66. cap. 4. num. 43.* Io: Sanchez *disp.43. num. 9.* Thomas Sanchez *lib.1. summæ cap. 10. num.11.* Salas *1. 2. quæst.21. tract.8. disp. vnica sect.23. num. 231.* Suarez *de religione tom. 2. lib. 2.*
8 *cap. 33. num. 7.* ergo certum debitum, præualet quoque probabili, atque adeò incertæ solutioni, & sic talis probabiliter credens se soluisse, tenetur soluere; ergo certum debitum confitendi peccatum certò commissum, præualet probabili, atque adeò incertæ confessioni.

Respondetur ex Lugo *de pœnit. disp.16. num.59.*
9 *& 60.* disparem rationem esse de solutione debiti ex contractu oneroso, ac alterius debiti ex gratuita promissione, vel ex præcepto legis: Nam in contractu oneroso hæc videtur intentio contrahentium, vt detur pecunia certa pro certis mercibus: At in promissione gratuita, vel obligatione præcepti diuini, aut humani, satisfactum videtur promissioni, aut præcepto, si quis probabiliter credit se satisfecisse, non enim videtur alia mens promittentis, aut legislatoris: sic satisfacit, qui iuxta probabilem opinionem ieiunat, audit sacrum, recitat preces canonicas, non repetit confessionem informé, quæ iuxta probabilem sententiam valida est; satisfacit quoque si probabiliter credit se votum persoluisse. Ratio est, quia cum homo in rebus practicis rarò possit plenam certitudinem assequi, ideo ea mens donatoris, atque legislatoris interpretanda est, vt ex probabili opinione satisfieri possit gratuitæ promissioni, aut legis præcepto.

Dico quartò, qui probabiliter credit se non
10 peccasse, aut confessum, non tenetur confiteri, neque in mortis articulo, & ad Sacram Eucharistiam nulla præuia confessione, aut contritione accedere potest, Fagundez *præcept. 2. lib.3. cap. 4. num. 6.*

Probatur quò ad primam partem, quia qui in mortis articulo tale peccatum non confitetur, nulli se exponit periculo; cum per aliorum peccatorum confessionem, aut contritionem gratiam sit consequutus.

Probatur quò ad secundam partem, quia non peccat contra religionem, seù reuerentiam debitam Sacramento is, qui iuxta probabilem opinionem illud recipit, aut ministrat, vt aliàs dixi supra *quæst.26.*

Dico quintò, qui probabiliter credit se non pec-
11 casse, aut esse confessum, in mortis articulo tenetur conteri, nisi præcesserit aliorum peccatorum confessio, aut contritio; imò tenetur eo casu confiteri, si dubitat se non habere actum contritionis. Henriquez *lib. 2. cap. 4. num. 5,* Fagundez *præcept. 2. lib.3. cap.4. num. 6.*

Probatur, quia opinio probabilis, ita est vera, vt possit etiam opposita esse vera: ergo potest peccatum illud esse commissum, nec confessum: ergo exponit se periculo salutis æternæ, si ab eo non fuit saltem indirectè absolutus, vel si per aliorum peccatorum contritionem illud deletum non sit. rum quia, vt ait Fagundez, opinio probabilis, licèt excuset à præcepto diuino integritatis confessionis, tamen non supplet medium necessarium ad salutem, & ad remissionem talis peccati mortalis fortè commissi: medium autem necessarium ad remissionem peccatorum est contritio, & dolor illorum: in his enim, quæ sunt necessaria necessitate medij ad salutem, prout baptismus, ac pœnitentia in voto, non excusat inuincibilis ignorantia,

aut

aut impotentia: ſed iſta tantùm excuſat in his, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, vt ſunt Sacramenta Baptiſmi, & Penitentiæ in re ſuſcepta: ergo cum opinio probabilis cauſet ignorantiam inuincibilem, excuſatur non recipiens in re Sacramentum Penitentiæ, ſeù non confitens: at non excuſatur non ſuſcipiens in voto, ſeu qui non conteritur in articulo mortis.

Obijcies, ſequeretur in caſu poſito teneri etiam ad confeſſionem. Probatur ſequela nam non eſt contritio, niſi cum voto Sacramenti penitentiæ, cui eſt alligata prima gratia, vnde Sacramentum penitentiæ ſaltem in voto eſt medium neceſſarium ad ſalutem, neceſſitate medij: ſed hic, qui cum poſſet commodè confiteri tale peccatum, & non confitetur, non habet propoſitum, ſeù votum confitendi; ergo non habet contritionem: ergo qui tenetur conteri in articulo mortis, tenetur quoque confiteri cum commodè poteſt.

Reſpondetur ad contritionem ſufficere votum Sacramenti, ſeù propoſitum, non abſolutum, ſed conditionale, ideſt paratus eſſem confiteri, ſi mihi certò conſtaret commiſiſſe peccatum, vel me non fuiſſe illud confeſſum.

QVÆSTIO XXIX.

An poſsit Sacerdos vti opinione probabili, in applicatione Miſſæ; ſeù an applicans valorem ſpecialiſsimum ſibi debitum, poſsit accipere duplicatum ſtipendium?

SVMMARIVM.

Triplex eſt valor, ſeù fructus Miſſæ Generalis, ſpecialis, & ſpecialiſſimus. num. 1.

Affirmant aliqui, poſſe Sacerdotem duplicatum accipere ſtipendium, applicando fructum Miſſæ ſpecialiſſimum. num. 2.

Hæc autem opinio eſt falſa. num. 5.

Probabiliter aliqui docent, poſſe Sacerdotem applicare alteri fructum ſpecialiſſimum. num. 3. Sed oppoſita ſententia probabilior eſt. num. 8.

Indulgentia pro mortuis an poſſint lucrari à non exiſtente in gratia. num. 4. & 12.

Iniuſtus eſt contractus, quando incertum pro certo datur. num. 6.

An valor Miſſæ ſit infinitus extenſiuè? num. 7.

Quare ſatisfactio ex opere operantis poteſt alteri applicari, non autem ſatisfactio ex opere operato? n. 9.

Non poteſt pro altero, neque pro mortuis, lucrari indulgentia, niſi in ea exprimatur. num. 10.

Eſto, quod fructus ſpecialiſſimus Miſſæ eſſet applicabilis alteri, Sacerdos debet eſſe in gratia. num. 11.

Quid ſignificet in indulgentijs pro mortuis, illa particula per modum ſuffragij? num. 13.

NOtandum ſacrificijs Miſſæ fructum, ex opere operato prouenientem, tripliciter diuidi.
1 Primus dicitur generalis, & hic valor debetur toti Eccleſiæ, & Chriſto Domino, *offerentibus ipſe per ipſam, & ipſa per ipſum*, vt ait S. Auguſt. *lib. 10. de Ciu. Dei c. 20.* & hic valor generalis eſt, quem omnia Eccleſiæ membra cum quadam proportione participant. Secundus dicitur ſpecialis, ſeù medius, quem Sacerdos applicare debet ei, pro quo offerre tenetur. Tertius dicitur ſpecialiſsimus, & eſt ille, qui reſpondet ipſi Sacerdoti ſacrificanti, quem alteri non tenetur applicare. Hanc diuiſionem primus omnium videtur tradidiſſe Scotus *quodlibeto 20. art. 2. & 3.* Gabriel. *lect. 26. in Canon.* Adrianus *quodlib. 8. art. 3.* Soto *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. & de Iuſtit. lib. 9. quæſt. 2. artic. 2.* Paludanus *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. in fine.* Maior. *ibid. quæſt. 2.* Corduba *lib. primo quæſt. 3. notab. 4.* Ledeſma *in 4. ſecunda par. quæſt. 16. art. 14.* Aragon. *de Iuſt. quæſt. 85. art. 3.* Henriquez *lib. 9. cap. 21. §. 7.* His notatis.

2 Affirmant aliqui, poſſe Sacerdotem fructum Miſſæ ſpecialiſsimum ſibi debitum alteri applicare, & ideo propter hanc nouam obligationem, quam in ſe ſuſcipit poterit accipere, aut duplicatum ſtipendium, aut aliquid maius ſolito ſtipendio, ita Marchinus *tract. 3. de Sacrif. Miſſæ par. 2. cap. 16. num. 7.* Fauſtus *de Euchariſt. lib. 2. quæſt. 58. & 158.* Peyrinus *de priuileg. tomo. 3. cap. 1. num. 25.* Filliuccius *tomo primo tract. 5. num. 181.* vbi ex Nauarro *conſ. 8. de Celebratione Miſsarum*, ſic ſcribit. *Sacrificantem poſſe partem ſibi debitam applicare ijs, pro quibus tenetur, ſed quia neſcitur quanta ſit, arbitrari poterit partem trium miſſarum poſſe ſupplere vni, quæ dicenda eſſet, & applicanda tota vni, quod ſeruare poterunt ij, qui cum receperint multa ſtipendia, non poſſunt omnibus ſatisfacere*, ita Filliucius: at Nauarrus, quem citat, nullibi hoc docet: plurimi alij Doctores pro hac opinione citantur, qui tamen id non affirmant.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia proba-
3 biliter multi docent, poſſe Sacerdotem alteri applicare fructum Miſſæ ſpecialiſsimum ſibi debitum ex opere operato, ita docent Nauar. *in man. cap. 25. num. 92. & 111. verſ. ſecundò ſequitur* Maior. *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 4.* Henriq. *lib. 9. cap. 21. num. 7.* Fagundez *præc. primo lib. 3. cap. 6. num. 23.* Philiarcus *in ſumma part. 1. lib. 2. cap. 14.* Aragon. *2. 2. quæſt. 83. art. 3. §. dubitabit aliquis* Bartholomæus ab Angelo *in exam. confeſs. dialogo 5. §. 507.* Nugnus *3. par. tomo primo quæſt. 83. art. 1. dub. 3. in fine* Scortia *de Sacrif. Miſsæ lib. 1. cap. 9. num. 2.* Gauantus *in comment. ad rubr. Miſs. p. 2. tit. 8. num. 3. verſ. alterum eſt*, Fernandez *in exam. Theol. par. 3. cap. 5. §. 2. numero 4.*

Ergo ſi nouam obligationem ſuſcipit Sacerdos applicandi fructum ſpecialiſſimum, poterit nouum ſtipendium ab altero recipere; quando enim eodem opere duobus proſum, ab vtroq; idem ſtipẽdium recipere poſſum, vt ſi ad ferendas Petri literas Romam proficiſcens, accipiam decem aureos, totidem à Paulo recipere poſſum, vt eius quoque literas feram.

Quod autem valor iſte ſpecialiſſimus ſit applicabilis alteri, patet. Primò, nam eſt eiuſdem rationis cum valore medio, quem Sacerdos applicare ſolet danti eleemoſinam, ſed medium valorem ſibi, vel alteri Sacerdos applicare poterit: ergo ſpecia-

ſpecialiſſimum ſibi, vel alteri applicare valet.

Secundò, nam ſatisfactio poteſt Deo offerri pro altero: ergo ſicuti ſatisfactio ex opere operantis poterit pro altero Deo offerri; ita quoque ſatisfactio ex opere operato, debita Sacerdoti ex fructu ſpecialiſſimo ſacrificij alteri applicari poterit.

Tertiò, ponamus caſum, Sacerdotem ita eſſe ſanctum, vt nulla ſatisfactione indigeat, certè tunc illa ſatisfactio ex fructu Miſſæ ſpecialiſſimo reponetur in theſauro Eccleſiæ, vt cæteris fidelibus applicetur per poteſtatem clauium: ergo ſatisfactio ex fructu Miſſæ ſpecialiſſimo eſt alteri applicabilis.

Quartò, ad hanc ſatisfactionem ex opere operato, ex fructu ſpecialiſſimo, alteri applicandam, non requiritur Sacerdotem eſſe in gratia, quia ip-
4 ſe non eſt ſuſcipiens; quod patet a pari, nam indulgentiæ pro mortuis lucrari poſſunt ab exiſtente in peccato mortali, vt docent communiter Doctores, ita Nauarrus Io: Præpoſitus, Faber, Granadus, Trullenk, Reginaldus, Portel, & Naldus, quos citat, & ſequitur Diana *parte 5. tract. 12. reſol,* 38. Gabriel *in Canon. lect.* 56. Rodriquez *qq. Regul. tomo 2. quæſt. 96. art. 4.* Layman. *lib. 5. tract. 7. cap. 7. num. 1.* Tolectus *lib. 6. cap. 26. num. 5.* Ratio eſt, quia ratio ſatisfactionis, ſeù prætium pęnarum non eſt opus illius, qui eſt in peccato, ſed theſaurus meritorum Chriſti: Illud autem opus particulare, per quod indulgentiæ applicantur, fit ab illo nomine Eccleſiæ, in qua numquam deeſt gratia: opus autem quod ab aliquo fit nomine alterius non perdit valorem, quamuis qui immediatè facit non ſit in gratia; ſicuti qui dat eleemoſinam per ſeruum, qui dum dat, cum vanagloria dat, non perdit valorem, ſi qui iuſſerit danda benè iuſſit. Ergo à pari, quamuis Sacerdos non ſit in gratia, valida eſt applicatio valoris ſpecialiſſimi, quia non ſuo, ſed nomine Eccleſiæ offert.

Præterea ſatis eſt prudenter, & probabiliter iudicare ſe eſſe in gratia, ad hoc, vt licitè poſſit accipere ſtipendium pro applicatione ſpecialiſſimi valoris Miſſæ, ſicuti hoc ſatis eſt ad celebrandum.

Denique ſi inuincibiliter Sacerdos ignorat, ſe non eſſe in gratia, ſuſcipiens Euchariſtiæ Sacramentum, cum attritione iuſtificatur, iuxta communiorem ſententiam.

His tamen non obſtantibus, dico peccare mor-
5 taliter Sacerdotem, qui pro obligatione applicandi fructum ſpecialiſſimum, aliquid accipit vltra ſtipendium ſolitum, & teneri ad reſtitutionem, & eſſe peccatum contra fidelitatem, & contra iuſtitiam, atque oppoſitam opinionem cenſeo improbabilem, & falſam.

Non poſſe autem accipi pro ſpecialiſſimi huius fructus applicatione aliquid vltra ſolitum ſtipendium, docent expreſsè tanquam certum Cardinalis Lugo *de Euchariſt. diſp. 21. ſect. 2. num.* 33. Diana *par. 1. tract. 14. reſ. 80. par. 5. tract. 14. reſ. 45. & parte 6. tract. 6. reſol.* 8. Paulus Fraxinellus *de obligat. Sacerdotum in 7. edit. ſect. 3. prænot. 3. num. 5.* Rodriquez, qui ait oppoſitum eſſe improbabile *par. prima ſumma c. 245. n. 2.* Bonacina *de Sacram. diſput. 4. quæſt. vltima punct. 8. num. 16.* qui ait, ita ſe conſulente determinaſſe congregationem Pœnitentiariæ Mediolanenſis. Poſſeuinus *cap 2. num. 25. quæſ. 6.* Homobonus *in exam. Eccleſiaſtico tract. 4. cap. 13. quæſt. 125.* Gauantus *in rubric. Miſſal. par. 3. tit. 12. num. 29. verſ. quilibet* Perſicus *de officio Sacerdot. lib. 2. dub. 9. num. 102.* qui oppoſitum damnat. Megalius *variarum reſolution. tomo 2. reſol. 179.*

6 Fundamentũ huius ſententię eſt euidēs, nam peccat cõtractus in æqualitate, quando certũ prętium recipitur, & incertum pro certo datur. Hinc peccat vendens rem litigioſam, quamuis probabiliter credat ſibi ius competere, nam ius incertum pro certo vendit, quare tenetur vitium aperire. Card. Lugo *de Iuſt. tom. 2. diſputat. 26. numer.* 131. peccat vendens aurum chimicum pro naturali, quamuis probabiliter credat eſſe eiuſdem bonitatis, nam propter difficultatem experientiæ, præſertim in medicina, incerta eſt eius bonitas, ita Ægidius Romanus *quodlibeto 3. quæſt.* 8. peccat emptor tribuens monetam dubij valoris, aut bonita-
7 tis. Præterea quamuis grauiſſimi Doctores doceant valorem Miſſæ eſſe infinitum extenſiuè, ita vt tantùm proſit applicata vni, quantum pluribus, ſic enim docent Caietan. *3. par. quæſt. 79. artic. 5. & opuſculor. tom. 2. tract. 3. quæſt.* 2. Syluest. *v. Miſſa 1. quæſt.* 9. Angel. *ibid. quæſt.* 52. Viguerius *Inſtitut. cap. 13. ad* 10. Corduba *lib. 1. quæſt. 3. opin. 5. concl. 2. & 3.* Petrus Soto *lect. 7. de Euchariſt.* Petrus Nauar. *de reſtitut. lib. 2. cap. 2. num. 268.* Bcia *par. 1. reſponſorum caſu* 12. Aragonius *de Iuſt. quæſt. 85. art. 3.* Vaſquez *3. part. tom. 3. diſp. 230. cap.* 3. Io: Dominicus Montagnolus *diſp. de valore Miſſę cap. 3.* Cano *lib. 12. de locis theol. cap. 13.* Ruardus *art.* 16. Heruæus *quodlib. 10. q. 13.* vnde eſt hæc ſententia valdè probabilis.

Tamen quia certum non eſt, infinitum extenſiuè eſſe Miſſæ valorem, ideò ſi pluribus vnica Miſſa quis ſatisfaceret, plura accipiens ſtipendia, daret certum pro incerto, vnde iniuſtitiam committeret, ita ipſemet Vaſquez *de Euchariſt. tom. 3. diſp. 231. num. 27. & 40.* vbi ait oppoſitum eſſe falſum, & improbabile Suarez *tomo 3. diſp. 86. ſect. 2. in fine*, vbi teſtatur, quod nullus auctor oppoſitum docuit, & immeritò id aliqui Caietano tribuunt, & Io: Sanchez *diſp. 44. num. 13. verſ. ex his*, qui omnes ea ratione mouentur; quia daretur Incertum pro certo. Quare ſic arguo.

Iniuſtus, & inæqualis eſt contractus, in quo incertum pro certo datur: Sed Sacerdos applicans danti duplicatum ſtipendium, fructum ſpecialiſſimum ſacrificij, incertum pro certo daret: ergo peccaret contra Iuſtitiam. Quod autem ea applicatio fructus ſpecialiſſimi, ſit incerta, patet duplici ex capite, nempè, quia in opinione eſt, an poſſit applicari, & quia requirit in applicante ſtatum gratiæ, qui incertus eſt.

Primum caput itaque incertæ applicationis eſt, quia in opinione eſt, an poſſit fructus ſatisfactionis ſpecialiſſimus ex opere operato alteri applicari, graues enim Doctores aſſerunt eſſe beneficium perſonale Sacerdotis, & ex Inſtitutione Chriſti incommunicabile, ita Suarez *tom. 3. diſp. 79. ſect. 9.*

in fine,

in fine, *& disp.* 86. *sect.* 1. *vers. sed quaret.* Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 18. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 245. *num.* 2. Miranda *in manuali Prælat. tomo primo quæst.* 41. *art.* 17. *in fine* Fraxinellus *de obligat. Sacerdotum sect.* 3. *prænotione* 3. §. 1.

9 Probatur, nam satisfactio ex opere operato, non est opus proprium ipsius satisfacientis, nam datur independenter à merito operis, seù vltra meritum, quare talis satisfactio ex opere operato est beneficium personale, & incommunicabile, & ei tantùm prodest, cui ex intentione Christi, aut Ecclesiæ tribuitur: secus autem est de satisfactione ex opere operantis, quia cum hæc satisfactio sit iuxta mensuram meriti proprij operis: opus autem poprium possit quis applicare per suam intentionem cuicumque voluerit, & ideo poterit pro
10 quocumque satisfacere. Hac ratione docet S. Thomas *in* 4. *dist.* 20. *art.* 5. *quæst.* 3. *ad secundum*, indulgentiam non posse applicari ad aliquem, nisi ex intentione Pontificis dantis indulgentiam; neque poterit applicari pro mortuis, nisi sit in ea expressum, vt docet idem S. Thomas *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. Nanar. *in commentario de In[...]nt. not.* 23. *num.* 2. ratio est, quia satisfactio in[...]tiæ non est opus proprium; sic etiam satisfactio ex opere operato in baptismo, aut penitentiæ Sacramento, est incommunicabilis alteri, quia cum sit effectus ox opere operato, est incommunicabil[...] alteri, cum non sit opus proprium, de quo quis disponere possit, datur enim vltra meritum operis. Ergo à pari satisfactio ex opere operato fructus specialissimi Missæ cum detur vltra meritum, non est opus proprium, proinde nequit Sacerdos de eo disponere, sed ei tantùm incommunicabiliter datur ex Institutione Christi.

Confirmatur hoc exemplo, si Rex concedat indultum nobilibus omnibus venientibus ad Regis nuptiale conuiuium, quia hoc indultum procedit ex liberalitate Regis, vltra meritum operis, erit vtique incommunicabile alteri: at si quis Regem, & Ciuitatem à durissima hostium obsidione liberaret, hic meritò præclaræ actionis concessum indultum communicare alteri poterit; nam cum debeatur eius merito, est opus proprium ipsius; de quo liberè disponere poterit: Ita ergo à pari satisfactio ex opere operato, cum detur ex liberalitate Christi Domini independenter à merito, non est opus proprium, neque de ea disponere quis poterit, sed soli illi, cui dominus concessit, tribuitur incommunicabiliter: At satisfatio ex opere operantis, est opus proprium, quia datur iuxta mensuram meriti, vnde de ea disponere quis poterit, & pro quocumque satisfacere.

Dices primò, postquam Sacerdos, aut suscipiēs Sacramentum ius acquisiuit ad satisfactionem ex opere operato, ea satisfactio est de bonis proprijs ipsius: ergo de ea disponere poterit, & in alium transferre.

Sed contra, quia Ius habet ad satisfactionem tamquam ad personale beneficium dabitum sibi, non ex proprio merito, sed ex liberalitate Christi: ergo nequit in alterum tranferre.

Dices secundò, ex Marchino, ideo satisfactio indulgentiæ est incommunicabilis, quia eius applicatio requirit Iurisdictionem: at applicatio fructus specialissimi Missæ, non requirit iurisdictionem quare communicabilis est. Sed contra, nam sicut ex voluntate Pontificis dependet indulgentia: ita ex Institutione Christi dependet satisfactio fructus specialissimi Missæ: Sed Pontifex, nisi exprimat, non censetur dare facultatem applicandi alteri satisfactionem indulgentiæ; quia non est opus proprium suscipientis: ergo Christus, non censetur instituisse, vt Sacerdos fructum specialissimum Missæ alteri applicet, quia non est opus proprium ipsius.

Dices tertiò, ex Marchino, satisfactio Sacramentalis est incommunicabilis, quia trahit auxilia, quæ alijs non conueniunt.

Sed contra, ergo etiam satisfactio fructus specialissimi Missæ est incommunicabilis, quia trahit auxilia ad dignè celebrandum, quæ alijs non conueniunt.

Dices quartò, satisfactio Sacramentalis est incommunicabilis, quia Sacramentum est institutum in bonum particulare suscipientis: at quæcumque satisfactio sacrificij est communicabilis, quia sacrificium est institutum in bonum commune totius populi fidelis. Sed contra, nam sacrificium etiam in bonum particulare Sacrificantis institutum est, iuxta illud Apostoli *ad Hæbreos* 5. *debet Sacerdos quemadmodum pro populo, ita pro semetipso offerre pro peccatis*; ergo satisfactio fructus specialissimi Missæ, cum sit instituta in bonum particulare Sacerdotis est incommunicabilis. Hinc patet responsio ad opposita argumenta initio adducta.

Ad primùm Respondetur, ideo fructum medium posse sibi ipsi Sacerdotem applicare, quia iste non est determinatæ personæ, ex Christi institutione, assignatus, pro vt Sacrificanti assignatur fructus specialissimus.

Ad secundum, patet ex dictis.

Ad tertium, respondetur, quod si Sacerdos nulla indiget satisfactione ex opere operato, tunc ista non reponitur, quinimmo potiùs non extrahitur de thesauro Ecclesię; sed quomodocumque sit tunc eam non applicat Sacerdos, sed Ecclesiæ caput ex Institutione Christi.

Secundum caput incertę applicationis fructus
11 specialissimi Missæ, est incertus status gratiæ Sacerdotis, vt enim dicitur Ecclesiastici *cap.* 9. *Nescit homo an sit dignus amore, vel odio.* Vnde S. Bernard. *serm.* 23. *in Cant. Terribilis est* (inquit) *locus iste, & totius expers quietis, totus inhorrui, si quando in eum rapius sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam; Quis scit, si est dignus amore, an odio?* Quod autem Sacerdos debeat esse in statu gratiæ, vt fructum specialissimum alteri tribuat, esto quod applicabilis esset, docet expresse Suarez *to.* 3. *disp.* 79. *sect.* 9. *in fine vers. dices, &c.*

Probatur ex eo, quia fructus medius, ex institutione Christi debetur petenti sacrificium, ideo illum Sacerdos in persona Christi applicat, proinde non oportet, vt Sacerdos sit in gratia: At quia fructus specialissimus, ex institutione Christi, de-

betur

betur sacrificanti, ideo sacerdos non potest applicare illum alteri in persona Christi, sed tanquam priuata persona, per viam communicationis, poterit in alterum transferre, nempè postquam ad illum ius acquisiuit, vt autem Sacerdos ius aquirat ad illam satisfactionem, oportet vt sit in gratia.

Dices primò, Indulgentia lucratur pro mortuis ab eo, qui non est in gratia: ergo etiam fructus specialissimus missæ poterit applicari à sacerdote non existente in gratia.

Respondetur primò, disparitas est, quia cum Pontifex exprimit, vt indulgentia pro mortuis lucretur (alioquin enim non lucraretur) tunc non is qui facit opus, sed Pontifex indulgentiam applicat, tanquam Ecclesiæ caput, vt ait S. Thom. *in 4. dist. 20. art. 5. quæst. 3. ad secundum*, quare faciens opus, non oportet vt sit in gratia: At cum Christus non instituerit fructum specialissimum Missæ pro altero, sed pro sacrificante; proinde tunc non Christus, sed priuata persona Sacerdotis communicat alteri fructum specialissimum sibi debitum, non est autem sibi debitum, nisi sit in gratia.

Respondetur secundò, negando posse lucrari in-
12 dulgentiam pro mortuis à non existente in gratia, ita probabiliùs docet Bellarm. *lib. 1. de Indulgentijs cap. 14.* Ratio est, quia non potest Pontifex per modum iurisdictionis directè liberare animas purgatorij, directè dando eis ex thesauro Ecclesiæ indulgentias, nam nequit soluere, quod nequit ligare; par enim potestas, est ligandi, & soluendi, ita communiter omnes, Riccardus *in 4. dist. 20. art. 3. quæst. 3.* Nauar. *comment. de Indulg.*
13 *notab. 22. num. 5.* quare per modum suffragij, & indirectè poterit; vnde hæc particula, *per modum suffragij*, additur in omnibus indulgentijs pro mortuis, vt aduertunt Innocent. *in cap. quod autem num. 7. de pænit.* Syluester *v. indulgentia num. 19.* Nauar. *dicto Notab. 22. num. 7.* sensus eius particulæ est, quod viuens *per modum suffragij, idest per viam communicationis*, eam indulgentiam, seù satisfactionem, ad quam, præstito opere, ius habebat, offerat Deo pro mortuis: ergo oportet vt viuens sit in gratia, alioquin non poterit communicare mortuis, neque Deo offerre satisfactionem, ad quam ius non habet: Ergo etiam à pari, non poterit Sacerdos alteri communicare fructum specialissimum, ad quem ius non habet, non existens in gratia.

Dices secundò, potest Sacerdos esse moraliter certus se esse in gratia, cum aliquantula formidine, ita Pesantius *1. 2. quæst. 92. art. 5. disp. 2. in fine*, tum quia ad dignè celebrandum, sufficit probabiliter credere, se esse in gratia: ergo etiam ad applicandum fructum specialissimum.

Respondetur tarò contingere aliquem esse moraliter certum, se esse in gratia. Neque ad satisfaciendum promissioni, & accepto stipendio, sufficit probabilitas, nam ideo fideles potius sacrificia, quam cætera opera satisfactoria requirunt, quia omnimodam certitudinem desiderant.

Adde primò, solum Deum scire, quanta pars sacrificij tribuatur sacrificanti, vt ait Nauar. *cap. 25. num. 110. vers. 2.* & quamuis cum sacrificio proximior sit Sacerdos, debeatur illi probabiliter maior pars omni alio; tamen id non est certum, nam sacrificium principaliter institutum est, in propitiationem Populi; deinde posset esse maior sacerdotis fructus, quo ad alia, nempè gratiam sanctificantem, auxilia actualia, gaudium conscientię, &c.

Adde secundò, hunc Sacerdotē applicantem fructum specialissimum accepto stipendio, peccare contra fidelitatem, nam omissa certa, & indubitata valoris medij applicatione, exponit periculo salutem spiritualem proximi; sicuti peccat medicus, qui omisso medicamento certo vtitur probabili.

Adde tertiò, videri id prohibitum ex Bulla de Celebratione missarum, vt docent Card. Lugo *de Euchar ist. disp. 21. sect. 2. n. 33.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 80.*

Dices ex Marchino, Bulla intelligenda est de communi applicatione valoris medij, vt non possint plura stipendia recipi.

Respondeo bullam indistinctè loqui, & in vtraque applicatione procedit eadem ratio iniustitiæ contractus, & inæqualitatis, cum in vtraq; applicatione recipiendo plura stipendia detur incertum pro certo.

QVÆSTIO XXX.

An stante opinione, vel dubio de legitima superioris potestate, teneatur subditus obedire, si sit in possessione superioritatis.

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num. 1.
Negant communiter. num. 2.
Distinguendum esse probabiliùs censeo. num. 3.

AFfirmant Sanchez *in sum. lib. 6. cap. 3. num. 29.*
1 Si superior sit in possessione superioritatis, quamuis dubium sit, aut opinio probabilis, quod non sit legitimè electus, aut confirmatus, idem docet Sanctofaustus *de tribus votis lib. 6. q. 69.*

Probat, quia certa possessio præualet dubio, aut opinioni de illegitimo titulo.

Secundò, quia quamuis dubium, aut probabile sit inualidum esse matrimonium, non potest tamen coniux denegare debitum petenti, cum non possit eum sua possessione priuare.

Negant verò communiter Doctores docentes,
2 non teneri obedire; at ipsi non docent expressè, quod non teneatur, etiam si sit superior in possessione; Verùm id supponunt, non enim agunt, an teneatur acceptare in superiorem, sed an præcipienti obedire obligentur, & absolutè dicunt non teneri, ita Vasquez *1. 2. disp. 62. cap. 6. in fine.* Salas *1. 2. tract. 8. disp. vnica num. 78.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 76.* Lorca *p. 2. disp. 26. §. aduerte præterea.* Io. Sanchez *in select. disp. 33. n. 31.* Castropalaus *tom. 1. tr. 1. disp. 2. pun. 6. n. 7.* Sayrus *in claui Regia*

lib.1. c.12. Diana *par.4. tr.3. resol.8.*

Probant primò, quia, vt ait Io. Gerson *to.3. tract. de vita spirituali lect. 4. coroll. 10. alphab.62. lit. N. Quantum, & qualiter, licet dubitare de potestate alicuius propter debitæ electionis defectum: tantundem, & taliter licet dubitare de suorum præceptorum obligatione.*

Secundò, quia per se subditus liber est ab huius obedientia: ergo non debet ei subijci, nisi moraliter constet eum esse superiorem: sic nemo obligatur lege, de qua dubitatur, an sit lex.

Ad argumentum Thomæ Sanchez respondet Castropalaus dicens, quod tua opinio probabilis de illegitimo titulo, reddit etiam possessionem superioris probabilem; quare superior habet ius probabile imperandi, eo autem iure nō potes superiorem spoliare, sed quia non habet ius absolutè præcipiendi, sed probabile ius, ideo probabiliter es excusatus ab obedientia, & sic non teneris obedire.

Contra, quia, quamuis titulus sit probabilis, tamen possessio est certa: ergo ius imperandi certum est, non probabile, nam ius imperandi proximè oritur ex possessione certa. Quod patet exemplo allato de coniuge, qui tenetur reddere debitum petenti coniugi, ne eum priuet sua possessione; quamuis dubium sit de titulo legitimo matrimonij; quia, quamuis titulus matrimonij sit dubius, aut probabilis; possessio tamen est certa, ex qua certum ius habet petendi debitum.

Mihi hac distinctione, videtur hæc quæstio de-
3 cidenda: Primus casus est, quando dubium, vel probabilis opinio de illegitimo titulo, superiori innotuit initio acceptæ possessionis, & tunc etiam possessio erit incerta, vel probabilis; quare ius præcipiendi incertum etiam, & probabile erit; Vndequoq; obligatio obediendi erit probabilis, & sic nō poterit cogi ad obediendum. Ratio est, quia incertitudo, vel probabilitas tituli, tunc redundat in possessionē: sic incipienti dubia fide possidere non fauet possessio, ita Sanchez, innumeros citans, *de matrim. lib.2. disp.41. n.24.* id autem accipio, siuè id innotuerit superiori, siuè subditis. Placet tamen id, quod asserit Lessius *l.2. c.41. dub.9. n.75.* nempè, quod habendus sit vt superior, si communis præsumptio illi fauet ex *l. Barbarius ff. officio prætoris*; quare puto, quod, etiam si sciam, tunc dubium esse titulum, vel probabilem, si tamen communiter subditi, aut populus id ignoret, erit possessio certa, non dubia.

Secundus est casus, quando dubium, vel probabilis opinio de illegitimo titulo non innotuit eo tempore, quando possessio incœpta fuit, sed postea superuenit; tūc dico, quod possessio est certa, certum ius præcipiendi, certaq; obligatio obediendi: Nam possessio bona fide cœpta, ex superueniente dubio non vitiatur, vt pluribus docet Sanchez *de matri. lib. 2. disp.41. n.12.* Proinde certum est ius præcipiendi, hoc enim oritur proximè ex ipsa possessione, remotè verò à titulo; si est certum ius præcipiendi, consequenter certa est obligatio obediendi, sunt enim præcipere, & obedire correlatiua, quorum eadem est ratio.

Hinc colliges, quod, si superioris titulus certus sit, & legitimus, certa quoq; & legitima possessio, si tamen superueniat dubium, aut probabilis opinio, eū remotū esse ab officio; tenetur adhuc subditus obedire, nam præualet certa possessio præcipiendi, ac certus titulus, qui præcessit, quæ semper durant, donec æquali certitudine constet de reuocatione.

QVÆSTIO XXXI.

An, si probabile sit rem præceptam esse illicitam, aut excedentem superioris potestatem, teneatur subditus obedire?

SVMMARIVM.

Responsio affirmatiua est communis, n.1. contrarium tamen probabile est. n.2.

In dubio, an res sit licita, tenetur subditus obedire. n.3.

Non potest subditus licitè obedire, quando dubitat, an licitè obediat. n.4.

An possit reus mortis licitè negare delictum, quando torquetur? n.5.

Cur index ius habeat interrogandi per tormenta, reus autem ius habeat occultandi delictum? n.6.

Respondetur affirmatiuè est communis, ita Suarez *de censuris disp.4. sect.6. n.5. & 6. & de religione to.4. lib.4. c.16. n.21.* Vasquez *1.2. to.1. disp.62. num.32. & 33.* Corduba *lib.3. q.9. in initio* Azorius *t.1. lib.2. cap.17. q. 9.* Sayrus *in claui Regia lib 1. c.12. n.2.* Valentia *2. 2. disp.7. q.3. pun.2. coroll.3.* Sanchez *in summa lib.6. cap.3. n.6.* Salas *1.2. tract.8. disp. vnica sect.8. n.76.* Turrianus *2. 2. disp. 50. dub.5. n.9.* Granado *1. 2. tract. 12. disp.4. sect. 3. n.27.* Lorca *1.2. disp.41. §. ex quo infero* Montesinus *1.2. disp.29. n.189. & 191.* Merolla *tom.1. disp.3. c.4. num.246.* Villalobos *tom.1. tract.1. diffic. 11. n.3.* Malderus *1. 2. q.19. art.5. disp.86. §. dico 4.* Antonius Perez *certamine 10. Scholastico n.115.*

Contra alios docentes, non teneri subditum obedire, quando est opinio probabilis, quod res præcepta sit iniusta, aut excedens potestatem su-
2 perioris, & horum Doctorum sententia sanè probabilis est, ac ita scribunt Lessius *lib.2. cap.41. dub. 9. num.76. vers. dico 4.* latissimè probat Io. Sanchez *in selectis disp.33. per totam* Castropalaus *tomo 1. tr. 1. disp.2. punct.6. num.5* Petrus Ledesma *tract. de statibus, vbi agit de religiosis cap.4.* Cutilli *in additionibus ad Mancinum de visitatione infirmorum in appendice pract. 1. dub.7.* qui tamen id verum putat in foro interno, in quo tutè potest non obedire, secus in foro externo, ne scandalis, ac iurgijs pateat via.

Probatur primò nostra Conclusio, quia subditus tenetur obedire in omnibus, quæ non sunt euidenter mala, aut supra potestatem præcipientis, vt ex S. Bernardo *lib. de dispensatione, & præcepto*, vbi ait, *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit certum, displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, ac si præceperit Deus.* S. Hieronymus *epist. ad Rusticum Monachum Præpositum* (inquit) *monasterij timeas, vt Dominum, diligas, vt parentem: credas tibi salutare quicquid*

quicquid ille præceperit, nec de maioris sententiæ iudices tu, cuius officium est obedire, & implere, quæ iusta sunt dicente Moyse: Audi Israel, & tace, & S.Gregor. *lib. 2. cap.4. in primum librum Regum, vera,* inquit, *obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ iudicium superiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operatur: Nescit enim iudicare, quisquis didicerit obedire*, & Apostolus *ad Habreos cap.13.* cum dixisset *obedite Præpositis vestris, & subiacete, illis,* hac ratione confirmat. *Ipsi enim,* inquit, *peruigilant tamquam rationem pro animabus vestris reddituri.* Hoc est ad ipsos spectat iudicare, quid vobis bonum, aut expediens sit. Itaq; quandocumque non est euidens rem esse illicitam, parendum est; vt ait S.Bonau. *in speculo disciplinæ par.1. c.1.* Sed quando vtrimque sunt opiniones probabiles, non est euidens rem esse malam, ergo tenetur obedire.

Secundò quia maius est dubitare an res sit licita, ac probabiliter putare rem esse illicitam, cum dubio enim illo nequit quis operari, at potest operari cum opinione probabili. quod sit illicita: Sed tenetur subditus obedire, quando præcipitur id, de quo dubitat an sit licitum: ergo tenetur obedire, quando præcipitur id, de quo vtrinq; est probabilis
3 opinio an sit licitum. Quod autem in dubio an res sit licita, teneatur subditus obedire, patet, nam Deuter.*cap.17. & lib.2. Paralipom.cap.19.* & Ezechiel *cap.34.* Iussi sunt filij Israel, vt in dubijs starent sacerdotum Iudicio, & ita docent ferè omnes, & ipsimet Aduersarij cum D.Thoma 1.2. *q.96.art.6.in corp & ad 2.* Caietan. & Medina ibidem S.Bonauent. *in 2. dist.39. art.1. quæst.3. in fine* Paludan. *in 4. dist.36. quæst.2. art.1. post 4. Concl.* & ibi Gabriel *dist.15. quæst.4. art.2. concl.4.* Maior *dist.15. quæst.20. Concl.3.* Nauarr. *in Manuali cap.23. num.37.* Victoria *de iure belli proposit.5. num.31.* Molina *tract.2. disp.113. concl.3.* Valentia *1.2.disp.2. quæst.14. punct.4. quæstiunc.4. vers. peculiariter autem* Suarez *tom.4. de religione lib.4. cap.15. num.20.* Rodriquez, *tom.3. qq. regular. quæst.19. art.6.* Sayrus *in claui Regia libr.1. cap.13. num.40.* Sanchez *in summa lib.6. cap.3. num.3.* Lessius *lib.2. cap.41. dub.9. num.76. vers. dico 3.* & infinitos propè citat Io:Sanchez *in Selectis disp.33. num.37.* Sanctosaustus *de tribus votis lib.6. q.59.*

Tertiò probatur ex Vasquez, quia cum quis possit sola authoritate aliorum ductus, formare sibi iudicium rectè operandi contra propriam opinionem; poterit quoq; id efficere cum aliquid præcipit superior: Si autem potest: nemo dubitabit illum teneri, contra propriam opinionem præposito obedire; nam præceptum superioris, cum potest licitè, obseruari debet necessariò.

Quartò probatur quia certa possessio præcipiendi superioris, præualet opinatiuæ excusationi subditi.

Quintò probatur à pari, nam coniux probabiliter credens inualidum esse matrimonium, tenetur tamen reddere debitum petenti, ne eum sua possessione priuet. Thomas Sanchez *de matr. lib. 2. disput. 44. numero 3.*

Obijc. primò ex Io. Sanchez *disp.33. n.29. vers. Quæstiones P. Verricelli.* *hanc tamen doctrinam.* Idem est probabilem esse opinionem, quod res sit illicita; ac probabilem esse opinionem, quod subditus non teneatur obedire: Sed quando est probabilis opinio, quod non teneatur obedire, tunc excusatur ab obedientia, vt concedunt ipsi aduersarij, & infra dicam: ergo quando probabilis est opinio, quod res sit illicita, tunc excusari debet ab obedientia. Maior probatur, nam hinc deducitur syllogismus necessarius sic: *in illicitis non tenetur obedire: sed hoc probabiliter est illicitum: ergo probabiliter quò ad hoc non tenetur obedire*: ergo idem est, esse probabiliter illicitum, ac probabiliter non teneri obedire.

Confirmatur primò, nam quando Doctores dicunt, quod probabiliter non tenetur obedire, tunc in nullo possunt fundari, nisi in hoc, quia quod præcipitur est probabiliter illicitum, aut probabiliter excedens facultatem superioris, aut probabiliter ille superior non est legitimus superior: ergo idem est dicere probabiliter non teneri obedire, ac dicere probabiliter rem esse illicitam.

Confirmatur secundò, ex doctrina Vasquez *to.1. in 2. 2. disp.93. dub. 2.* docentis non incurrere irregularitatem sacerdotem consulentem iudici, ac dicentem Petrum Viarum latronem dignum esse morte, quia ex communi Sententia Doctorum, non incurrit dicens, omnes Viarum latrones dignos esse morte. Ratio est, quia si quis euoluat illam inuolutam responsionem de obligatione legis in communi, de omnibus Viarum latronibus, planè intelliget sibi dari consilium de iusta occisione in particulari Petri: ergo sic à pari, qui docet probabiliter aliquid esse iniustè præceptum, mox insinuat, non esse probabiliter obligatum subditum ad parendum.

Respondeo manifestum esse discrimen inter has propositiones: *Probabile est rem esse illicitam, & probabile est non teneri obedire*, nam prior propositio continet iudicium speculatiuum, quod non est proxima regula nostrarum actionum, posterior propositio continet iudicium practicum, de eo quod spectatis omnibus circumstantijs hic, & nunc agendum est, & hoc iudicium practicum est proxima regula nostrarum actionum, quod iudicium quisq; sequens prudenter, & rectè operatur, quę doctrina est omnium, & eiusdem Io.Sanchez *disp.41. n.7. & 8.* Quare non sunt idem dicere: *probabile est rem esse illicitam,* ac dicere *probabile est non teneri ad obedientiam,* patet id euidenti instantia, nam magnum discrimen est inter has propositiones: *Dubium est an res sit licita, & dubium est an licitè possim obedire*, quādo enim dubium est an res sit licita, subditus tene-
4 tur obedire, vt docent omnes, etiam ipsi aduersarij. Quando autem dubitat subditus, an licitè possit obedire, tunc non potest licitè obedire, sed vel tenetur mutare iudicium, vel tenetur cessare ab actione, vt docent Azorius *tomo 1. lib.2. c.59. q.9.* Salas *1.2. tract.8. disp. vnica n.76.* Rodriquez *in summa tomo 2. cap.9. num.5.* Itaque in forma respondeo ad argumentum Ioannis Sanchez idem est probabilem esse opinionem, quod res sit illicita, ac probabilem esse opinionem, quod non teneatur obedire. Nego maiorem. Ad probationem: *In*

illicitis non tenetur obedire; distinguo, *in euidenter illicitis, concedo: in probabiliter illicitis non tenetur obedire; Nego maiorem: Sed hoc est probabiliter illicitum; concedo minorem; Ergo probabiliter non tenetur obedire; nego consequentiam.*

Ad primam Confirmationem nego eos Doctores qui aliquando docent, quod probabiliter excusatur ab obedientia, fundari tantum in hoc, quia res est probabiliter illicita, sed fundantur in hoc, quod res nedum est probabiliter illicita, sed etiam quia affert graue præiudicium subdito, aut tertiæ personæ, vt videbimus infra in corollarijs q.seq.

Ad secũdam Confirmationem Respondeo, quod siue in communi, siue in particulari detur mortis consilium, eadem est ratio, nam vtrumque consiliũ eodem modo persuadet, ac mouet animũ iudicis, ad inferendam mortem, quare vel in vtroque, vel in neutro casu excusatur ab irregularitate consulens: At secus est in casu nostro, nam Iudicium speculatiuum, quod probabiliter præceptũ sit illicitũ, non est proxima, sed remota regula nostrarum actionum: iudicium verò practicum, quod hic, & nunc probabiliter non tenear obedire, est proxima regula nostrarum actionum.

Obijcies secundò ex eodem Io: Sanchez, nam nũquàm superior fuit in possessione præcipiendi rem illicitam; ergo quando probabile est rem præceptã esse illicitam, tunc reuocatur in dubiũ ipsa quoque possessio præcipiendi superioris; nam quamuis quò ad cętera pręcipienda possessio superioris sit liquida, non tamen est liquida, quò ad ea, de quibus probabiliter dubitatur an sint licita: ergo tũc subditus non tenetur obedire, quia vt docent omnes, non tenetur, quando superioris possessio non est certa.

Respondeo ex *l.3.§.1.ff. de acquirenda possess.* vbi sic habetur: *Quod autem diximus, & corpore, & animo acquirere nos debere possessionem; non vtique ita accipiendum est, vt qui fundũ possidere velit, omnes glebas circumambulet; sed sufficit quamlibet partem eius fundi introire, dum mente, & cogitatione hac sit, vti totũ fundũ vsque ad terminum velit possidere.* Sic ibi: ergo à pari, vt superior dicatur in possessione præcipiendi, non ita accipiendum est, vt omnia præceperit, sed sufficit quodlibet præceptum, aut aliud signum suæ potestatis præstitisse, & tunc dicitur esse in possessione præcipiendi omnia, quæ euidenter non excedũt limites suæ potestatis, at quod probabile est, esse iustum, non excedit euidenter limites suæ potestatis, ergo est in possessione illud præcipiendi.

Obijcies tertiò Confessarius verè, & propriè est Iudex, vt in Trident. *sess.14. de Sacr. penit. c.5.* & tamen illi præcipienti restitutionem non tenetur pœnitens obedire; si probabilis sit opinio non esse obligationem restituendi.

Respondetur Confessarium esse Iudicem quoad sententiam absolutionis ferendam, & imponendã pęnitentiam, & in hoc sensu loquitur Trid. cęterum quoad iniungendam restitutionem non est nec Iudex, nec verè superior, sed consulens; quia non potest præcipere id, ad quod ex natura sua non præsupponitur pœnitens obligatus, at superior præcipit ea, ad quæ subditus ante superioris præceptum non præsupponebatur obligatus.

Obijcies quartò ex Io: Sanchez *disp.33.n.34.* etiã
5 si sit semiplenè probatum delictum, & ex sufficientibus indicijs Iudex torqueat reum mortis: hic tamen non tenetur ad mentem ipsius respondere, sed potest negare delictum; ex eo, quia opinio probabilis est excusans reum ab obligatione confitendi delictum, ergo potest subditus ex opinione probabili excusari ab obedientia.

Respondeo retorqueo argumentum contra Ioannem Sanchez, nam certum est in casu posito iudicem iustè præcipere, & tamen probabile est reum non teneri obedire, ergo à pari, non sunt idẽ preceptum esse probabiliter iniustum, ac subditum non teneri obedire, vt dicebat Ioannes Sanchez, nã potest esse preceptum certissimè iustum, & tamen subditus probabiliter excusatur ab obedientia; ergo è contra potest esse præceptum probabiliter iniustum, & tamen subditus non excusatur ab obedientia.

Quæres obiter, si certissimè Iudicis præceptum
6 est iustum, cur reus non tenetur obedire? sunt enim ista correlatiua. Respondeo, non implicare, quod sit in Iudice ius inquirendi, etiam per tormenta veritatem; In reo verò sit Ius occultandi; ne præcepta humana, superẽt humanas vires; superat enim humanam virtutem, vt quis se prodat ad mortem. Ergo Iudex per tormenta inquirit, vt vi tormẽtorum fateatur, quod vltrò fateri non tenetur, reus verò tenetur non resistere iudici torquenti, sed ius habet occultandi, sustinendo tormenta. Id explico manifesta instantia, nam seruus licitè fugit seruitutem, & tamen Dominus licitè punit, amputando pedes *l.3.C. de seruis fugitiuis.* Ratio est, quia amputatio pedis est pars custodiæ; licitè autem Dominus custodit, licitè quoque ille fugit, quia non tenetur, nisi ad non resistendum violenter Domino custodienti. Eadem ratio est de existente in carcere perpetuo, aut in triremibus, qui licitè fugiunt, & licitè deinde capti damnantur ad mortem.

Obijcies quintò vectigal quod probabiliter creditur iniustũ, nõ tenetur subditus soluere, vt docent innumeri, quos affert Io. Sanchez *dicta disp.33.n.35.* ergo quando probabile est præceptum esse iniustum non tenetur subditus obedire.

Respondetur ex Lessio *lib.2.c.41.n.76. vers. aduerte tamen*, ideo non teneri, quia non obligatur se exponere grauis damni periculo.

Obijcies sextò ex Castropalao, strictiùs obligant subditos pręcepta Dei, & Ecclesiæ, quàm præcepta humana superioris: sed ex opinione probabili excusatur quis à præcepto Diuino, v.g. si probabiliter credis te non peccasse mortaliter, non teneris confiteri, vt multis relatis, docet Sanchez *lib.1. summæ c.10.n.76.* ergo etiam excusatur subditus quando præceptum superioris est de re probabiliter illicita, aut excedente eius potestatem.

Respondetur disparitas est, quia non est certum, quod Deus velit suo præcepto obligare stante opinione probabili, quod non peccasti, at hic superior, supposita hac opinione probabili, quod res sit illicita, cum aliunde probabile sit, esse licitum, adhuc clarè se explicat, velle se subditum obligare; quare cum iste licitè possit, necessariò tenetur obedire.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXII.

An quando probabile est rem præceptam esse illicitam, teneatur subditus obedire, si ita se, vel tertiam personam grauis damni periculo exponit?

SVMMARIVM.

Responsio negatina est communis. num.1.
Concurrentibus petitorio, & possessorio, præualet petitorium. num.2.
Causa enim possessorij est modici præindicij. n. 3.
Si dubia sit Papę legitima electio, deponi potest à Concilio, & alter eligi. n.4.
Quando probabile est tributum esse iniustum non tenetur subditus illud soluere. num.5.
Numquam præsumitur Principem ex iusta causa aliquid agere, quod sine iusta causa iubere non potest. num.6.

RESpondetur negatiuè ita Doctores communi-
1 ter Lessius *lib.2.c.31.num.10. & cap.41.num. 76. vers. aduerte tamen*, Sanchez *in summa lib.6.cap. 3.num. 24.* Sayrus *in Claui Regia lib. 1. cap.13. num. 41.* Aragon. 2.2. *quæst. 69, art. 2. fol. 497. vers. sed dubitabit aliquis* Bannes *ibidem par.1. dub. 2.* Medina 1. 2.*quæst. 19. art. 6. dub.4.* Henriquez *lib.14.c. 3.num.3. in glosa litera X.* Rodriquez *in summa to.2. cap.9. num.3.* Diana *par.4. tract. 3. resol. 9.* P. Thomas del Bene *de parlamentis dubit. 2. sect. 1. num.5.* Nauar. *in cap. inter verba num. 599.* Sanctofaustus *de tribus votis lib.6. quæst. 64. & 68.* Sotus *relect. de tegendo secr.mem.3. quæst. 2.*

Probatur, quia concurrente possessione superioris, & graui damno, ac periculo subditi, præualet istud; quia hoc est, vel perpetuum, vel irreparabile, ac graue; præiudicium autem superioris leue est, præsertim cum remaneat quò ad cætera in possessione suæ superioritatis. Vnde rectè docent Doctores citati, quod licet subdictus non sit in possessione suæ libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis, seù Iuris, quo se potest in rebus periculosis conseruare indemnem.

Confirmatur, nam quando agitur de Iurisdi-
ctione, plerumque confunditur petitorium cum
possessorio, vt inquit Baldus *cons.161.num.1. vol.3.*
quando autem subditus agit de grauissimo, & irre-
parabili damno, & è cõtra superior exigit sibi obe-
diri, tunc veluti concurrunt petitorium, & pos-
2 sessorium, concurrentibus autem petitorio, & pos-
sessorio, præualet petitorium, & absorbet posses-
sorium, vt docent Ancaran. *cons. 146. col. 2. vers.*
& si dicatur. Crauetta *cons.248. num.8.* Menochius
de recuperan. possess. remed. 15. num. 367. ratio est,
3 nam causa possessorij in Iure dicitur modici præ-
iudicij *l. vnica C. si de momentan. possess. l. momenta-*
nea C. qui legitim. person. non habent Iason. post Bar-
tol. *in l. admonendi ff. de Iureiur.* Soccinus *in l. rem quæ*
nobis q.7. ff. de acquir. possess. Crauetta *cons.158.n.12.*
Matthesil. *sing.3.* Alexand. *cons.103.n.3. vers. tamen*
præmissis non obstant vol. 7. Ergo cum subditus agat
de euitando graui damno, eoque irreparabili, tũc veluti petitorium intentat; è contra cum Prælatus agat veluti possessorio, vt retineat suam possessionem; non est cum tanto subditi præiudicio manutenendus Prælatus in sua possessione.

Obijcies ex Io: Sanchez *in selectis disp.33. num.34. & 35.* quod sequatur damnũ ex paritione est quid extrinsecum ad obligationem parendi; solùm enim subditus ius habet ad non obediendum ex eo, quod probabiliter iudicet iniustum esse quod pręcipitur, non autem ex eo, quod ex obedientia sit illi proueniendum damnum, vel non: ergo si non excusatur ex probabili iniustitia præcepti, neque excusatur ex damno, quod incurrit.

Respondetur, quod stricta obligatio parendi in
subdito, non obstante graui damno, supponit, cer-
tam, & indubitatam authoritatem Prælati; quan-
do autem hæc non est certa, tunc præualet posses-
sioni Prælati securitas subditi: afferri potest exem-
plum de Summo Pontifice, qui à nullo Iudicari, aut
4 deponi potest; tamen si dubia sit eius electio, po-
test à Concilio deponi, & alter eligi Suarez *lib. 3.*
contra Regem Angliæ cap.18. Bellarminus *de Concil.*
lib.2. cap.19. ad tertium argumentum, vt enim à ne-
mine deponi possit, prærequiritur indubitata, &
certa electio legitima, alioquin præualet securitas
christiani gregis dubiæ eius potestati.

Infertur ex dictis, quod quando probabile est
5 tributum esse iniustum, tunc non tenetur subditus
illud soluere, ita Lessius *lib. 2. cap.33. dub.9. n. 67.*
Petrus Nauar. *lib.3. de restitut. cap.1. num.267.* Re-
ginaldus *lib.10. cap. 23. num. 374.* Io: Sanchez *in*
selectis disp.23. num. 35. Salon. *tomo primo quæst. 5.*
art.4. controu.2. Malderus 2.2. *tract.5. cap.6. dub.4.*
§. dico sextò.

Contra Suarez de legibus *lib.5. c.18. num.19. & 20.* Vasquez *de restitut. cap.6. §.3. dub.5. num7.* Turrian. 2.2. *tom.2. disp.46. dub.6. num.5.* Diana *par.1. tract.3. resol.21.* qui ait probabiliorem.

Probatur nostra opinio, nam graue damnum
subditi, & iniustitia probabilis rei præceptę præ-
ponderant possessioni superioris in præcipiendo;
tum quia possessio est pro subdito, nam tributum il-
licitum est, nisi iusta, causa, & alia requisita con-
currant; quando autem prudentum virorum Iudi-
cio (neque enim vulgi rumore id iudicandum
est) probabile est, non adesse iustam causam, imò
quando non est certum eam adesse, tunc præsumi-
tur tributum esse iniustum; nunquam enim præsu-
6 mitur Principem ex iusta causa aliqnid agere,
quod sinè causa iubere non potest, nisi ea causa
probetur, vt docent communiter Doctores
quos affert Menochius *lib.2. præs.10. num.*
52. pro eo autem stat possessio, pro
quo est præsumptio, vt alibi di-
xi: ergo possessio est pro
libertate sub-
diti,
donec certò constet de
iusta causa tri-
buti.

QVÆSTIO XXXIII.

Corollaria ex duplici quæstione præcedente. An, quando probabile est, rem præceptam esse iniustam, teneatur subditus obedire?

SVMMARIVM.

Tenetur subditus obedire, quamuis longè probabilius esset, rem præceptam esse iniustam. num. 1.
Non potest licitè obedire, quando est moraliter certum, rem præceptam esse iniustam. n. 2.
Potest subditus perseuerante opinione, aut dubio de Iniustitia præcepti, adhuc obedire. n. 3.
Non potest licitè obedire, quando vterque, tam subditus, quàm Prælatus dubitat de Iustitia rei præceptæ, num. 4.
Si superior dubitet, subditus certus sit, rem præceptam esse Iustam, tenetur obedire. num. 5.
Is, qui vouit Confessario obedientiam, si dubitet, non potest obedire, nec tenetur, si probabiliter credat, rem præceptam esse iniustam. n. 6.
Quando probabilis est opinio, quod subditus non teneatur obedire, tunc non obediendo non peccat. n. 7.

1 INfertur primò, quod tenetur subditus obedire, quamuis longè probabilius sit, rem præceptam esse iniustam, ita Sanchez *in summa lib. 6. cap 3. n. 6.* Salas *tom. 2. tract. 8. disp. vnica n. 76.* Sancto Faustus *de tribus votis lib. 6. q. 59. n. 8.* Contra Suarez de censuris *disp. 4. sect. 6 n. 6.*

Ratio est, quia potest quisque opinionem quamcumque, etiam longè minus probabilem sequi: ergo cum possit, tenetur necessariò præcipienti Prælato parere.

2 Infertur secundò, non posse licitè obedire, quando, nedùm probabile est, sed est moraliter certum, rem præceptam esse iniustam, ita Suarez *de Religione tom. 4. lib. 4. c. 15. n. 21.* Merolla *tom. 1. disp. 3. c. 4. num. 245.*

Ratio est, quia authoritas, aut dignitas Præpositi præcipientis non facit, esse rem præceptam probabiliter iustam, nisi vel ex aliqua non leuis momenti ratione, vel ex authoritate Doctorum, vel ex ipsius præcipientis doctrina, vel ex consilio eorum, quos Prælatus consuluit, meritò existimare possit subditus, rem esse probabiliter iustam, vel saltem nihil occurrat, quod eam iniustam censere debeat, sed tantum dubitet, vt docent Vasquez, *tom. 2. disp. 62. num. 33.* Castropalaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 6. num. 3.* Villalobos, *tom. 1. tract. 1. diffic. 11. num. 3.* Cæterum, si subditus sciat illud, quod præcipitur, à Doctoribus communiter reputari iniustum, neque aliud fundamentum occurrat, quo credere possit, probabiliter esse Iustum, tunc non potest obedire, quia apud ipsum est moraliter certum, tale præceptum esse iniustum; ita etiam docet Rodriq. *in summa tom. 2. cap. 9. num. 4.* vbi affert exemplum: Si Prælatus ordinis fratrum minorum de obseruantia præciperet sub obedientia, vt subditus secum pecuniam aliquam deferret contra regulæ præceptum.

3 Infertur tertiò, posse subditum, etiam perseuerante dubio, an res sit licita, adhuc obedire; ita Sanchez *in summa libr. 6. c. 3. n. 6.* Vasquez *1. 2. disp. 62. n. 32.* Molina *tract. 2. disp. 113. vers. illud* Sanctofaustus *de tribus votis lib. 6. q. 59. n. 8. & q. 67.* Villalobos *in summa tomo 1. tract. 1. diffic. 11. n. 3.* Ratio est, quia adhuc perseuerante opinione, vel dubio de Iniustitia rei præceptæ, adhuc formare potest iudicium practicum, quod non peccet obediendo, imò esto habeat iudicium practicum, quo dubitet, an tunc peccet obediendo, quamuis durante eo dubio practico, non possit licitè obedire, tamen potest, & tenetur deponere illud, formando oppositũ iudicium certum, sic in dubijs licitè obeditur superiori, quare ego nunc certissimè non pecco superiori obediens, & in hoc sensu accipiendus est Molina *tract. 2. disp. 113. vers. illud.*

4 Infertur quartò, non posse licitè subditum obedire, quando, non solum ipse subditus, sed etiam superior dubitat, an res præcepta sit licita; ita Petrus Ledesma *tom. 2. sum. tract. 3. c. 13. concl. 21.* Bannes *2. 2. q. 40. art. 1. dub. 6. concl. 3.* Sanchez *in sum. lib. 6. c. 3. n. 21.* Salas *1. 2. tract 8. disp. Vnica sect. 26. in fine n. 275.* Castropalaus *tom. 1. tract. 1. disp. 3. punct. 13. n. 13.* Sanctofaustus *de tribus votis lib. 6. q. 65.* Diana *part. 4. tr. 3. resol 9.* Ratio est, quia subditus non tenetur parere, nisi præcepto prudenti superioris: sed eo casu, quando constat subdito, superiorem esse dubium, tunc constat, præceptum esse imprudens, & temerarium: ergo non tenetur, neque licitè potest illi obedire; tum, quia ideo subditus dubitans, an res præcepta sit licita, obedire potest, quia potest sequi iudicium superioris probabiliter censentis, rem esse licitam: sed, quando constat superioris Iudicium esse temerarium, aut illum dubitare, tunc non poterit illud sequi.

5 Verùm, si superior dubitet, rem esse illicitam, subditus tamen certò sciat, esse licitam, tunc tenetur obedire; quia tunc reuera superior habet ius imperandi, ita Castropalaus, & Sanctofaustus *vbi supra*; sicut coniux certò sciens, validum esse matrimonium, tenetur reddere petenti, ac dubitanti debitum, Henriquez *lib. 12. c. 6. n. 5. lit. T.* Barthol. Ledesma *de matr. dub. 20. concl. 2.* Petrus Ledesma *de matr. q. 45. art. 1. ad finem §. ad hoc dubium.*

6 Infertur quintò, quod is, qui vouit obedire confessario, si dubitet, an res præcepta sit honesta, non poterit licitè obedire, imò, si probabiliter iudicet rem esse illicitam, non obligatur ex voto obedire; ita præclarè Suarez *de statu religioso lib. 10. c. 3. n. 5.* & Io: Sanchez *disp. 33. n. 52.* Ratio est, quia hoc est discrimen inter superiorem, aut Prælatum Regularem, cui solemniter quis vouit obedientiam; ac Confessarium, vel alium cui simplici voto quis obedientiam vouit; nam illi verè, & propriè sunt superiores, veramque habent Iurisdictionem ab Ecclesia concessam; quare illis parendum est in omnibus, quæ non constant, esse euidenter mala, aut supra eorum potestatem, alioquin iniustè priuantur possessione suæ iurisdictionis; At confessarius, vel alter, cui simplici voto, quis vouit obedientiam,

dientiam, verè, & propriè non est superior, nullamq; propriè habent Iurisdictionem, vnde non priuantur possessione aliqua iurisdictionis, nec vlla illis infertur iniuria, quando eis non obeditur. Ratio est, quia nullus potest dare alteri Iurisdictionem, vt docent Vasquez 1.2. *tomo* 2. *disp.* 165. *n.* 26. & 28. Sanchez in *summa lib.* 5. *c.* 1. *n.* 15. 20. & 21. Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 1. *num.* 11. qui docent, quod nemo potest ex voto alteri præbere Iurisdictionem, nam iurisdictio, cum sit ius publicum, non potest à priuato conferri, sed à publica persona, tum quia finè vi coercitiua, nulla est iurisdictio *l. vltima ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio* Antonius Faber *in l. Magistratibus* 12. *ff. de iurisd. omn. iud.* omnis autem vis coercitiua, atq; adeo omnis iurisdictio, & potestas post Regnorum, & Republicarum diuisionem est penes Principes, à quibus fluit *l.* 2. §. *hæc autem C. de veteri iure enucleando l. fin. ff. de legibus* §. *sed & quod Principi plac. de iure naturali Gent. & Ciuili*. Quare Prælatus Regularis non accipit iurisdictionem à religioso ex vi voti, sed, supposito voto, iurisdictio Prælato confertur ab Ecclesia: Confessario autem, cui simplici voto quis vouit obedientiam, iurisdictio nec ab ipsa priuata persona potest conferri, neq; ab Ecclesia confertur.

Infertur sextò, quando probabilis est opinio,
7 quod subditus non tenetur obedire, tunc non obediendo non peccat, ita Sanchez in summa *lib.* 6. *c.* 3. *num.* 7. Sayrus *in claui Regia lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 4. *vers. denique* Turrianus *de iustitia disp.* 50. *dub.* 5. *n.* 9. Petrus Nauar. *de restit. lib* 3. *par.* 3. *dub.* 13. *n.* 239. Castropalaus *tomo* 1. *tract.* 1. *disput.* 2. *punct.* 6. *n.* 1.

Probatur, omissis aliorum rationibus, nam, quando adest probabilis opinio, siuè per principia intrinseca, siuè extrinseca, quod non teneor obedire, tunc habeo practicum iudicium probabiliter excusans ab obedientia: ergo non pecco non obediens, nam sequens practicum iudicium probabile, rectè, & prudenter operatur; illud enim est proxima regula nostrarum operationum. Hinc est, quod cum graues Doctores doceant, non teneri subditum obedire, quando probabiliter iudicat, vel prelatum non esse legitimum, vel probabiliter iudicat, rem præceptam esse iniustam, aut excedentem eius potestatem, cum hæc opinio saltem per principia extrinseca sit probabilis, proinde in his casibus subditus non obediens non peccat; quamuis opposita opinio, quam supra propugnaui, mihi videatur probabilior.

* *
*

QVÆSTIO XXXIV.

Qua certitudine, vel probabilitate constare debeat militibus de iusta causa belli?

SECTIO PRIMA.

Variæ sententiæ afferuntur.

SVMMARIVM.

Prima sententia communis ait: subditos non teneri inquirere causam, & in dubio posse bellare: secus alienigenas, n. 1.

Secunda sententia, non distinguens de subdito, vel non subdito asserit: in dubio negatiuo vtrumque bellare posse, nulla facta inquisitione: In dubio positiuo, teneri vtrumque inquirere, sed posse deinde deponere dubium, & bellare. n. 2.

Tertia sententia asserit: subditum non teneri inquirere: teneri verò alienigenam, sed in dubio vtrumq; bellare posse, deposito dubio. n. 3.

Durissima videtur communis sententia asserens, alienigenam licitè militare, si probabiliter credat, bellum esse iustum. n. 4.

Duplex difficultas enodanda est. Altera, an miles teneatur inquirere, & examinare causam belli? Altera, an facta diligentia, si dubius maneat, bellare possit?

Prima sententia, quæ communis est, distinguit
1 inter subditos, ac non subditos, seu stipendiarios; & asserit: subditum non teneri inquirere causam, nisi valdè vrgentes rationes habeat contra iustitiam belli; tunc autem, si facta diligentia, dubius maneat, potest, & tenetur formare iudicium practicè certum, quod liceat suo superiori obedire: secus est dicendum de alienigenis, isti enim tenentur inquirere, & examinare causam belli, & si maneant dubij, præliari non possunt: sufficit tamen, eos probabiliter credere, bellum esse iustum, alioquin vix aliquis militare posset ita Abbas *in cap. sicut il tertio n.* 16. vbi Alex. de Neuo *num.* 98. Bellamera *q.* 6. *n.* 25. & Henricus *num.* 3. *de iure iurando* Gabriel. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 2. Maior ibidem *q.* 20. *concl.* 4. Victoria *relect. de iure belli n.* 31. Vbi tamen non agit, nisi de subditis Caietanus 2.2. *q.* 169. *art.* 2. *circa finem, & in summa verbo Bellum* Syluest. *v. bellum* 1. *q.* 9. Angel. ibid. *num.* 8. Armilla *n.* 4. Tabiena *q.* 11. *n.* 14. Nauar. *cap.* 15. *n.* 15. & *in Rubrica de iudicijs num.* 106. Corduba *lib.* 1. *quæstion. q.* 39. *punct.* 10. *vers. si verò isti præliantes* Valentia 2.2. *disp.* 3. *q.* 16. *punct.* 2. *vers. certum est* Molina *tract.* 2. *disp.* 113. & 114. Sanchez *in sum. lib.* 6 *cap.* 3. *num.* 15. Bannes 2.2. *q.* 40. *ar.* 1. *dub.* 6. Villalobos *tomo.* 1. *tr.* 1. *diffic.* 18. Azor. *tomo* 1. *insti tut. Moralium lib.* 2. *c.* 19. *q.* 9. Petrus Ledesma *tom.* 2. *summa tract.* 3. *cap.* 13. *concl.* 20. Merolla *tomo* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *n.* 327. Sayrus *in claui Regia lib.* 1. *c.* 12. *in fine, & c.* 13. *n.* 39. Io. Driedo *lib.* 2. *de libertate Christ. cap.* 6. Syluius 2. 2. *quæst.* 40.

2.q.40. art.1.vers. quæritur 4. concl.5. & 6. Iacobus Granado *2. 2. contron 3. tract.12. disp.4. sect.3. §.4. num.41.* Tannerus *2.2. disp.2. q.6. dub.4. n.48.* Diana *par.4. tract.3. resol.7.* Antonius Perez *certam.10. Scholast. num.113.* Graff. *par.2. lib.2. c.20. num.25.* Sanctofaustus *de tribus votis lib.6. q.60. & 61.* Regens Constantius *in commentarijs ad 11. lib. Codicis tit. de armorum vsu num.47.* Adamus Contzen *lib. 10. politicorum cap.5. §.6. & 7.*

Secunda Sententia est, quæ nullum agnoscit discrimen inter subditos, & non subditos, sed distinguit duplex dubium; vel enim dubium est negatiuum quando scilicet nihil occurrit, neq; pro iustitia, neque contra Iustitiam belli; & tunc nulla facta inquisitione vterq; miles, tam indigena, quam alienigena militare potest, cuilibet enim eorum satis probabiliter iustitia belli insinuatur, eò quod Princeps bellum indicens Catholicus, & pius est, neque solitus iniusta bella suscipere, qui etiam pios, ac sapientes viros consuluerit: Vel dubium est positiuum, quia sunt grauia indicia, aut rumor est bellum esse iniquum, tunc vterque tenetur veritatem inquirere, facta autem diligentia si maneat miles adhuc dubius, tunc si subditus est potest deponere dubium, & bellare; non subditus etiam poterit etiam deponere dubium ex eo, quod cum hinc inde sint rationes probabiles, poterit, cui voluerit parti adherere, præsertim tuti erunt alienigenæ, si ipsi milites vnum corpus politicum conficiunt, habentque sua capita, satisfacient profectò inferiores, si per suum quique caput, aut Principem examinent iustitiam belli, eorumque sequantur iudicium: ita Suarez *de charitate disp.13. sect.6. n.12.* Vasquez *1.2. disp.66. cap.9. in fine* Petrus Lorca *2. 2. sect.3. disp.53. num.7.* Salas *1.2. tract.8. disp. vnica sect.26. num. 272.* Turrianus *de iustitia disp. 90. dub.2. vers. restat explicare* Layman *lib.2. tract.3. c. 12. num.8.* Castropalaus *tomo 1. tract.1. disp.2. pun. 8. num.2. & disp.3. pun. 14. num.2.* Pater Thomas del Bene *de parlamentis dubitat.2. sect.1. n.7.* Io. Viguers *in 2.2. quæst. 40. art.1. dub.3. num.50.*

Aduerte autem, quod Suarez *loco citato* loquens de non subdito ait, quod tenetur probabiliori parti adherere; quia cum agatur de offensione Innocentis, & damno proximi, sequendum est, quod probabilius est.

Tertia Sententia est Petri Nanarri *de restit. lib.2.*
3 *cap.3. par.2. num.279.* Vbi sic scribit: *Nullum reperio discrimen inter subditum, & non subditum, quamdiù dubitatio durat, nisi in eo solum, quod subditus inquirere nihil tenetur, sed audito præcepto deponere debet dubitationem, & præliari. At non subditus, qui obedientia coactus non est, tenetur peritos consulere, antequam arma sumat. Quod si in dubio perseuerat, iustè in quauis illarum causarum pugnabit, eo animo vt certus de Iustitia, nullo modo bellaret.* Hæc Petrus Nauarra.

Mihi communis sententia, quæ distinguit inter
4 subditos, ac non subditos satis placet, eamque sequor: Verùm id, in quo omnes ferè conueniunt, nempè alienigenam licitè posse militare, si probabiliter credat iustum esse bellum, mihi sanè durissimum videtur; quare in hoc ab omnium sententia singulariter discedere non erubescam; nec enim mihi persuadere possum liberè, ac licitè me occidere, intendere, atque prædari eos, quos reos mortis esse certò non noui. Ne verò hæc quæstio prolixior sit in plures eam sectiones diuidere statui.

SECTIO II.

Quàm accuratè Belli consilium à Principe, & Consiliarijs instituendum, An isti valeant Regis, aut Collegarum iudicio se committere? an veritatem dissimulare? quaue certitudine ijs constare debeat de Iustitia Belli?

SVMMARIVM.

Grauissimè peccat Rex, sine sapientum Consilio, bellum indicens. Num.5. quamuis optimos habeat Rex consiliarios, debet tamen ipse per se accuratè belli causam examinare. Num.6. Peccat Consiliarius, qui Principi assentatur, eiusque iudicio se committit. Num.7.

Quando Rex nequit aliquid agere sine iusta causa, tunc ipsi non creditur. n.8.

Romani Principes breuiarium, siuè Rationarium Imperij singulis annis publicabant. n.9.

Suadere Principi quod oportet, multi laboris, ac periculi. num.10.

Princeps suam debet occultare sententiam, eamque post omnium vota proferre. n.11.

Non potest Consiliarius suorum collegarum iudicio se committere, sed debet per se causam belli examinare. num.12.

Expedit in Consilio minores prius, ante antiquiores sua vota pronunciare. n.13.

An possit Consiliarius in dubijs adherere maiori parti votorum? n.13. vers. ex dictis.

An liceat Consiliario dissimulare? n.13. vers. laudandum simulare tamen Consiliarius, ac mentiri nequaquam potest. n.13. vers. quamuis.

An liceat Consiliario fugere consilium, si certò nouit, se non profuturum? n.13. vers. An autem fugere.

Dico primo grauissimè peccat Rex sine sapien-
5 tum Consilio bellum indicens, aut grauissima Regni Negotia decernens, ita Vittoria *de iure belli n.24.* Eminentissimus Gabriel Paleotus *de sacri consistor. consultat par.1. q.1.* Ribadeneyra *de Principe christiano lib.2. cap.24.* Bouadilla *in politica tomo 1. lib.2. cap.6. n.22.* Adamus Conzen *politicorum lib.10. cap.5. §.2.* Vbi ait: *Non solum per suos consiliarios, sed per Academias, & alios amicos Principem causam belli examinare oportere: duplex autem quæstio inquirenda est. Prima iustène bellum apparetur, altera an maius ex bello iusto commodum, quàm ex pace iniqua haberi possit? Prima per Theologos, & Iurisconsultos decidi potest: altera vsque ad fructum Victoriæ incerta manet. Athenienses de belli Iustitia Philosophos audire, & oratores consueuerunt*, ita Contzen, *& lib.7. politic. c.13.*

Ratio est euidens, quia solus Rex, (ait Vittoria) non sufficit ad examinandas causas belli, & verisimile

risimile est, quod possit errare, imò, & quod errabit magno cum malo, & pernicie multorum: ergo non ex sola sententia Regis, imò nec ex sententia paucorum, sed proborum, & sapientum, & multorum debet geri bellum.

Sic Moysi hæbreorum Duci Consilij causa Deus adiunxit septuaginta Seniores *num. 11. vltra vires tuas est negotium solus illud non poteris sustinere. Eccl. 18.* Itaque ait Chrisostomus *homil. 9. de laudibus Pauli, Consiliarijs omnes opus habent, etiam si Moysi conferri possint.* Præclarè Tacitus *lib. 3. annalium. Non potest Princeps sua scientia cuncta complecti* Phylon Hæbræus *lib. de creatione Principis non aspernentur Principes Consiliarios, quasi ipsi possint dispicere omnia.* Salustius ad Cæsarem de Repub. ordin. inquit: *Omnia Regna, Ciuitates nationes, vsque eò imperium prosperum habuisse dum apud eos vera consilia valuerunt.* Merito, vt scribit Cuspinianus *in consulibus Marius Maximus tutiorem esse Rempublicam aiebat, in qua Princeps malus esset, quam in qua amici Principis praui existerent.* Idipsum monuit Aristot. *3. ethic. cap. 3. Alios (inquit) homines in Consilijs adhibemus, nobis ipsi diffisi, quasi minus ad statuendũ simus idonei.* Vnde sapienter scripsi: Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis *in Historia rerum Polonicarum lib. 2. de Republ. & Magistratibus Polonorom fol. 98.* Vbi sic ait *Pristis temporibus viua lex erat Rex, siuè Princeps, qui cum vnus sit tam amplo Regno, omnia, neque præstare, neque prouidere, ac ne Iudiciorum quidem difficultates rectè explicare posse videretur, lubricus autem, procliuisque ad tyrannidem gradus in summa potestate esse soleat, adhibiti sunt ei senatores, siuè Consiliarij, qui & Consilia, actionesque eius ad salutem Reipublicæ, & Iudicia ad Iustitiæ, & æquitatis trutinam dirigerent, & monitis consilijsque salubribus, quasi viuis quibusdam legibus, pro re nata, cum animum eius informarent, tum potestatem modificarentur.* Hæc Cromerus Carthaginensibus hoc adeò placuit, vt Duces bella prauo consilio gerentes etiam si prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebantur, teste Valer. Maximo *lib. 2. cap. 7.* lege si libet S. Bernard. *lib. 2. de considerat.* Sanct. Augustin. *lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 13.* & S. Io: Chrysost. *homil. de feren. repreh.*

Dico secundò, quamuis Princeps habeat opti-
6 mos Consiliarios, doctrina, prudentia, ac probitate insignes, tamen si sapiens est, debet ipse accuratissimè rimari omnia, iustasque belli causas examinare, hic videtur sensus illius sententiæ. *Prouerb. 25. vers. 2. Gloria Regum est inuestigare sermonem*, id quoque monet Isocrates oratione de Pace, dum ait: *non aliorum consilia dumtaxat audienda sunt, sed ipsi quoque diligentissimè de rebus cogitare debemus,* & Seneca *sapientis (inquit) est examinare consilia, & non citò facili credulitate ad falsa prolabi.* Onosander strategeticus *de Imperatoris Institut. cap. 3.* sic scribit: *Sed neque Princeps adeò incertus, aut inops Consilij sit, vt ipse sibi incredulus vsquequaque diffidat; nec tam pertinaciter arrogans, vt ab nemine meliora promi posse existimet. Nam necessarium est, aut eum, qui cæterorum omnium consilijs fidem semper habet, suis nunquam, multa sæpè inutilia peragere, aut qui neminem vnum præter se semper audit, sæpènumerò multa quoque peccare.* Hactenus Onoxander.

Dixi in assertione, si Princeps sapiens sit, alioquin, vt rectè ait Petrus Lorca *2. 2. sect. 3. disput. 53. num. 5. Principes cum rarò sint Iurisperiti, suo muneri satisfaciunt, si proborum, & sapientum, qui sibi sunt à consilijs testimonio cognoscant Iustitiam causæ, & quamuis sapientum testificatio non soleat generare, nisi probabilẽ assensum, quẽ diximus non sufficere ad belligerandũ; pro Principibus tamen, & ijs, qui sola aliorum Instructione regi solent, sufficit ad moralem certitudinẽ, dummodo consulti asserant, certam esse belli Iustitiam, & non tantum probabilem, vel dubiam;* ita doctissimus Lorca.

Hinc patet nedum probabiliter, aut probabilius, sed morali certitudine debet constare cõsiliarijs iustam causam belli, vt possint præbere consilium, quod indicendum sit bellum, & vt iustè Rex bellum imperet nam Princeps, vt alibi dicam, non potest, nisi sit moraliter certus bellum esse iustum illud indicere.

Dico tertiò, grauissimè peccat Consiliarius, si
7 Principi assentetur, præsertim in causa belli, aut tributi, eiusque iudicio se committat, sed ex Iustitia obligatur diligentissimè, & accuratè causam examinare alioquin si ex eius negligentia iniustũ bellum, aut tributum imperetur, peccat contra Iustitiam, & obligatur ad restitutionem, ita Theologi omnes, Vittoria *relect. de Iure belli num. 24.* Suarez *de charit. disput. 13. sect. 6. num. 7.* Lorca *2. 2. sect. 3. disp. 53. num. 5.* Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 16. punct. 2. vers. sextò certum est.* Molina *tract. 2. disp. 113. concl. 1.* Mercado *de contract. tit. de restit. cap. 15.* Petrus Nauarra *de rest. lib. 2. cap. 3. par. 2. num. 273.* P. Thomas del Bene *de Comitijs dub. 2. sect. 1. num. 7.* Adamus Contzen *politicorum lib. 10. c. 6. §. 11.* vbi ait: consiliarios teneri ad restitutionem quando bellum fuit iniustum, quia eorum ignorantia inescusabilis est, vide eundem Contzen *cap. 10. & lib. 7. cap. 13.*

Probatur primò, nam Consiliarij, vel Parlamentarij constituti sunt ab ipso Rege Iudices causæ Belli, aut Vectigalis, vt docent Diana, *p. 1. tract. 3. resol. 1.* & Thomas del Bene *de Comitijs dubit. 2. sect. 1. num. 7. & 9.* Sed Iudex per se ipsum tenetur causam examinare: ergo iniquè agunt, si alterius se iudicio committant.

Secundò, quia hoc perinde esset, ac si Princeps sine vllo Consilio, se solo bellum, aut tributum imperaret: sed iniquè, & tyrannicè id ageret Princeps: ergo.

Tertiò, quia is, qui potest iniustum bellum impedire, vtique tenetur: sed Consiliarius examinando per se diligenter belli, aut tributi causam potest iniustum fortè bellum impedire: ergo tenetur, & ex Iustitia, cum ex officio obligetur.

Quartò, nequit sine iusta causa bellum, aut tri-
8 butum Rex imperare: sed quando Rex nequit aliquid agere, nisi ex iusta causa, tunc illi asserenti causam adesse non creditur, sed causa examinanda est per Iudices ab ipso Rege delectos, vt docent communiter Doctores, quos affert, & sequitur Menochius *lib. 2. præsump. 10. n. 52.* Io: Maria Nouarius *tom. 3. de grauamine vassallorum grauam. 39.* Suarez. *lib. 5. de legibus cap. 15.* Thomas del Bene *de Comitijs dubit. 2. sect. 1. num. 4.* Card. Paleot. *de sacri*

consist.

consist. consult. par. 2. quæst. 5. quicquid dicat Diana *par. 1. tract. 3. resol. 11.* Quando enim Princeps aliquid sine causa agere non potest, priuatæ personæ comparatur, Detius *in l. mutare consilium in fine ff. de regul. Iuris, & consil. 293. num. 4.* sic non creditur Regi asserenti Vassallum commisisse felloniam, vnde priuat eum feudo, nisi Rex felloniam probet Isernia *in c. primo quo tempore miles.* Felinus *in cap. quæ in Ecclesiarum de constitut.* Grammaticus *decis. 105. num. 11.* Alioquin Princeps testis esset in causa propria, contra *legem testis nullus ff. de testibus,* pulchrè Cicero *orat. pro sexto Roscio Amerino. More, ait, maiorum comparatum est, vt in minimis rebus, homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent. Aphricanus, qui suo nomine declarat tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen si sua res ageretur, testimonium non diceret; si diceret non crederetur.* Vnde (vt de tributis obiter loquar) optimè id præstiterunt Romani Principes, cum enim nonnisi exhausto ærario vectigalia imponerent, vt tradit Alex. ab Alex. *dierum Genialium lib. 4. cap. 4.* vt populis sa-
9 tisfacerent, *Rationariũ, seù Breuiarium Imperij* singulis annis publicabant. Sic Suetonius In Caligula. *Rationes Imperij ab Augusto proponi solitas, sed à Tyberio intermissas publicauit,* & Tacitus scribit: *Prælatum à Tyberio libellum, quo opes publicæ continebantur, quantum ciuium, sociorumque in armis, quot classes, Regna, Prouinciæ, tributa, aut vectigalia, & largitiones, ac necessitates.* ita Tacitus. Imitandum planè Regibus exemplum meritò extollit Iustus Lypsius *lib. 2. de magnitudine Romana cap. 4. O laudabilem morem,* ait, *cum Princeps rationes quasi cum Republica ponit, & ostendit, nihil sibi quæri propriè, aut insumi.* Sic Lypsius. Itaque vt ad institutum reuertar, Regi non creditur iustum se bellum, aut tributum præcipere: ergo nequeunt Consiliarij Regi assentari, seque eius iudicio committere.

Sed vt cum Tacito loquar *lib. 1. histor. suadere
10 Principi quod oportet, multi laboris, assentatio erga Principem quemcumque, sine affectu peragitur.* Verè Seneca *lib. 6. de benef. c. 30. non vides* (inquit) *quemadmodum Principes in preceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat.*

Huic Reipublicę pesti præsentissimum anthido-
11 tum est, Principem suam occultare sententiã, eamque post omnium vota proferre, sic Cardinalis Paleotus *de sacro Cõsistorio q. 44.* & Ribadenera *de Principe christ. lib. 2. c. 26.* id mirè obseruauit Tyberius teste Tacito *lib. 1. annalium verba eius plerumque obscura, suspensa, nunc perplexa, nunc in speciem recusantis composita.* Cæsar quoque, omnium postremus ferebat sententiam, sic refert Seneca *lib. primo de clementia cap. 15. petijt,* inquit *vt sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium fieret, quæ Cęsaris esset;* eodem ferè artificio vsus est Nero, vt notauit Suetonius *cap. 15. Quoties,* ait, *ad consultandum secederet, neque in commune quicquam, nec propalam deliberabat, sed conscriptas ab vnoquoque sententias tacitus, ac secretò legens, quid ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronunciabat.*

Meritò id commendat Adamus Contzen *politicorum lib. 7. c. 13. §. 3.* monens vt Princeps iubeat domi Senatores sua consilia rationesque scribere, & ex scripto breuiter legere, & si omnium auditis sententijs, demere, addere, mutare quippiã voluerint, id liceat: modò certa forma, modoque consilium suum emendatum Principi offerant: vt in vnum libellum compingi facilè queant. Cum enim deinde in Archiuio, & in manu Principis sententias suas seruari norint, magna cura id sentient, quod posteritati tanquam fidei, & prudentiæ monumentum relinquere se intelligunt.

Accipe, & præclarum Dionis monitum *lib. 52. vt vniuscuiusque sententiam certò cognoscas, cuius sententiam sequendam existimabis eum collaudabis, honorabisque (vtpotè cuius Inuentis gloriam tibi paries) cuius verò reijcies nequaquam eum, aut ignominia affcies, aut culpabilis cum ad eius voluntatem, non ad euentum sit respiciendum.* Hactenus Dio. Verissimè enim scripsit Quint. Curtius *lib. 3. defuturi sunt qui suadeant, si suasisse, periculum sit.*

Dico quartò, ex Iustitia obligatur Consiliarius
12 per se ipsum accuratè, ac diligentissimè examinare iuxtam causam belli, aut tributi, vel alterius grauis negotij, neque potest se suorum collegarum voto, aut iudicio committere. Card. Paleotus *de sacri consistor. consultat. par. 3. quæst. 6. & 7. & par. 2. quæst. 7.* Ludouicus Beia *par. 3. respons. casu 38. vers. ex his omnibus.*

Probatur, quia ideo plurium sapientium instituitur Consilium, vt multorum prudentia, ac iudicio grauissimæ causę, præsertim belli, ac tributi accuratissimè examinentur: ergo si alij aliorum sequantur votum iam paucorum iudicio in Reipublicæ ruinam summa negotia terminantur. *Nihil ergo magis præstandum est* (ait Seneca *lib. de vita Beata c. 1.*) *quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur, Atque nulla res nos maioribus malis implicat; quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt; Inde ista tanta coaceruatio aliorum supra alios ruentium:* (& infra) *Itaque idem euenit, quod in Comitijs, in quibus eos factos prætores, ijdem qui fecere mirantur, cum se mobilis fauor circumegit: Eadem probamus, eadem reprehendimus. Hic exitus est omnis Iudicij, in quo lis secundum plures datur,* Hactenus Seneca.

Secundò, quia ad diligens causæ examen, rectamq; sententiam proferendam magni interest varias audire opiniones, sic monuit Herodotus *lib. 7. nisi diuersæ variantesque sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet vti ea, quæ dicta sit; At cum plures sunt, licet tanquam aurum purum secernere, quod solum separari cum nequeat, alteri applicatum, comparatumque potest.* Sic Herodotus.

Tertiò accedit Arist. *libr. 3. Politicorum cap. 12. Quamobrem,* inquit, *Principes ac Reges, nunc quoque multos sibi oculos, multas aures, multas ijdem manus, ac pedes faciunt.* Quibus satis perspicuè ostendit necessitatem multiplicis Consilij.

Quartò quantum publico bono proficiat, vnumquemque suam proferre sentẽtiam, Romani Principes laudabili more insinuarunt, idque exemplo

Cæsaris

Cæsaris Augusti monet Dio *lib.* 52. *In causis grauioribus, ait, sententiam non palam roges, sed in tabellis eas scriptas ad te solum, nemo alij innotescant, perferri iubeas, sed, & lectas statim deleri. Sic enim vniuscuiusque sententiam certissimè cognosces, si eam ille à nemine alio cognitam iri persuasum habeat.* Idem mos fuit Neroni, vt supra retulimus ex Suetonio cap. 15. de Alexandro Seuero, sic scribit Ælius Lampridius *in eius vita ibatur per sententias singulorum, describebatur quidquid quisque dixisset.*

Quintò, ne minores maiorum vota sequantur, 13 optimum fuit Romani populi Institutum, teste Dione *lib.* 39. *In omnibus*, inquit, *Comitijs, vbi quid cum populo consultandum erat, prius priuatis hominibus concio dabatur, quam magistratum tenentibus, ne quis minùs potentioris suam ipse supprimeret, sed summa libertate, quod sentiret, exponeret.* Apud Hæbreos quoque idem mos inualuit, vt author est Nicolaus de Lyra in caput 23. *Exodi in glosa vers. Nec in iudicio*, vbi sic scribit. *Statuerunt Sapientes Iudæorum, quod, quando in iudicio requiritur sententia, tunc dictum iudicantium debet incipi ab illis, qui sunt minoris authoritatis, & vltimo à maioribus, ne minores formident declinare à sententia maiorum, quod potest esse, si maiores primò dicerent. Et hunc modum tenent in vniuersitate Parisiensi Theologi, incipiendo ab illis, qui sunt minores in magisterio.* Ita Lyranus. Idem landabile institutū seruari in Sapientissimo Neapolitano Consilio refert Afflictus *decis. prima:* Non absimile Augusti inuentum, de quo Suetonius *cap.* 55. ait, *sententias de maiore negotio, neque ordine* (scilicèt habito dignitatis) *sed prout placuisset per rogabat, vt perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quàm assentiendum esset.*

Ex dictis patet in grauissimis causis, vt Belli, & Tributi discendendum esse à sententia Azorij *tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *q.* 17. & Dianæ *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 49. & Ludouici Beiæ *part.* 3. *respons. casu* 38. *vers. colligo tandem*, vbi docent posse in dubijs consiliarium maiori parti votorum adhærere, si certò prospiciat, nihil profuturam suam sententiam, non debet enim in aliorum odium incidere, aut imprudens haberi, tum quia in dubijs prudenter aliorum consilium sequimur. Hæc sententia displicet in grauissimis causis belli, & tributi, ac similibus: plerumque enim id cedit in grande Reipublicæ detrimentum, quamuis in dubijs, ac leuibus causis suum dissimulare votum, tolerabile sit, præsens enim, ac certum Consiliarij malum, ne imprudens, & peruicax, videatur, aliorumque odium incurrat, præponderat incertæ, ac dubiæ causæ litigantium.

Verum, si consiliarius omni conatu, & diligentia adhibita adhuc dubitet, tunc tutò se prudentium aliorum votis cōformare, aut proponentis Iudicio se remittere poterit, nā iusta est causa, in rebus dubijs velle aliorum, qui experientiam, & zelum Dei habent, sequi sententiam, ita Ludouicus Beia *part.* 3. *casu* 38. *vers. colligo tandem*, & Cardinal. Paleotus *de sacro consist. p.* 3. *q.* 6. & 7.

Quando autem certum, & euidens est, ac magnum Reipublicæ damnum, vt in causa belli, aut Tributi, tunc mortaliter peccat Consiliarius dissimulans veritatem, aut tacens; sed obligatur ex officio suam aperire sententiam, quamuis maior pars dissentiat, aut Princeps ipse iam deliberauerit agenda, ita omnes, Hieronymus Albanus *tract. de Cardinalibus quæst.* 10. Gundisaluus *eod. tract. qu.* 5. Hieronymus Platus *lib. de Cardinalis dignitat. & officio ad fratrem Cardin.* Paleotus *de sacro Consist. parte* 2. *q.* 5. & 6. Azorius *tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *q.* 17. Diana *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 49. Molfes. *tom.* 1. *sum. tract.* 6. *c.* 16. *n.* 118. & 119. Ludouicus Beia *p.* 3. *respons. casu* 38. *vers. ex his omnibus.*

Probatur, quia hoc interest inter officium charitatis, & officium Iustitiæ; quod illud omitti potest, cum priuatum damnum timetur, aut nullus fructus speratur, vt in fraterna correctione: Qui verò ex iustitia obligatur, etiam cum proprio detrimento, etiam nulla spe fructus, tamen debet officio fungi, neque id potest omittere.

Secundò, quia quamuis effectus ille, de quo agitur, non sequatur, aliæ tamen grandes vtilitates inde prouenient, quarum præcipua est, quod ipse Princeps in similibus rebus consideratior fiet, cum videat, non deesse, qui audeant pro bono communi contradicere. Præterea alij etiam Consiliarij eiusmodi exemplis animosiores, fortioresque fiēt; vt sæpè in pugna, qui fugiebant, vnius audacia, ac robore reuocantur, viresque, & animum sumunt.

Laudandum tamen Ciceronis monitum, qui *epist. penult. lib.* 1. ait, *Non semper idem dicere, sed idem semper spectare debemus*, & *lib.* 10. *epist. Vt ad effectum Consiliorum suorum veniant, multa simulare illos debere innitos, & dissimulare cum dolore*, rem hanc egregiè explicat Beatus Thomas Morus *in sua Vtopia lib.* 1. *sub fin. In consultationibus Principum* (inquit) *si radicitùs euelli non possunt opiniones prauæ, nec receptis vsu vitijs mederi queas, ex animi tui sententia; non ideo tamen deserenda Respublica est, & in tempestate nauis destituenda est, quoniam ventos inhibere non possis; At nec insuetus, & insolens sermo inculcandus, quem scias apud alia, diuersaque persuasos, pondus non habiturum: Sed obliquo ductu conandum est, atque aduertendum tibi, vti pro tua virili omnia tractes commodè, vt quod in bonum nequis vertere, efficias saltem, vt sit quam minimè malum.* Hæc Martyr ille doctrina, & sanctitate celeberrimus.

Quamuis autem aliquando dissimulare prudenter possit, simulare tamen, ac mentiri nequaquam poterit, hoc est enim intrinsecè malum, ac mendacium, aliquando Reipublicæ perniciosum, vt doctè Probat Cardin. Paleotus *de sacri consist. consultat. p.* 3. *quæst.* 8.

An autem fugere possit Consilium, quando certò, & omninò se profecturum desperat? Affirmant aliqui, ita Petrus Ledesma *in summa tom. secundo tract.* 7. *cap.* 2. *concl.* 24. *fol.* 198. Nicolaus Garzias *de benefic. tomo* 1. *part.* 2. *cap.* 2. *n.* 542. Io: Valerus *in different. vtriusque fori verbo suffragium diff.* 2. *in fine.* Diana *part.* 1. *tract.* 3. *res.* 18. Negant alij, posse se tūc abstinere, ita Paleotus *de sacr. Consist. p.* 5. *q.* 8. Molfesius *in summa tomo* 1. *tract.* 7. *c.* 16. *n.* 118. & Platus *de officio, & dignit. Cardinal.* Vtraque sanè opinio probabilis est, sed mihi in grauissima causa belli, & Tributi, hæc posterior omnino placet, sæpè enim Respublica ingentia passa est damna ex huiusmodi timore,

timore, & fuga: ergo quamuis tenuis, & exilis ſit ſpes proficiendi, præponderat tamen cuiuſcumque Conſiliarij damno, tum quia cum non ſit maior ratio de vno, ac de altero, ex conſiliarijs, plures fugiēt conflictum; Vnde boni publici cauſa, omnibus deſtituta auxilijs, perit.

Itaque vt rectè monet Adamus Contzen *Politicorum libr. 7. cap. 15. verſ. 15. In Republicæ diſcrimine Conſiliarius fidelis ſit, vltrò ſe ingerat, moneat, vrgeat, pro ſalute Reipublicæ moleſtus ſit: ſic fecit Cato, de quo Plutarchus in Cæſare. Catoni autem, qui impendentia crebrò vaticinatus eſt, hoc reliquum fuit, vt importuni tunc, & curioſi, poſt prudentis quidem, ſed Infœlicis nomen Conſiliarij ſortiretur.* Infælicior Catone Harpagus, qui recti conſilij pœnas dedit, de quo ſic Seneca *lib. 3. de Ira cap. 14. & 15. Acceſſit itaque ad numerum eorum, qui magnis cladibus oſtenderunt, quanti conſtarent Regum amicis bona Conſilia. Non dubito, quin Harpagus quoque tale aliquid Regi ſuo Perſarumque ſuaſerit, quo offenſus, liberos illi epulandos appoſuit, & ſubinde quæſiit: an placeret conditura? Deinde, vt ſatis illum plenum malis ſuis vidit, afferri capita illorum iuſſit, & quomodo eſſet acceptus interrogauit? Non defuerunt miſero verba, non os concurrit. Apud Regem inquit, omnis cœna iucunda eſt. Quid hac adulatione profecit? ne ad reliquias inuitaretur.*

S E C T I O II.

An Rege indicente bellum, teneantur ſubditi inquirere veritatem Iuſtitiæ belli? & an ex probabilitate iuſtæ cauſæ, aut in dubio pugnare poſſint, aut teneantur?

S V M M A R I V M.

Subditus in dubio negatiuo pugnare poteſt, neque tenetur inquirere de Iuſtitia belli, num. 14. in dubio poſitiuō tenetur indagare veritatem, numer. 15. non eſt faciliter hoc onus indagandi Iuſtitiam belli militibus imponendum, num. 16. ſubdito ſufficit habere probabiles rationes, quod bellum ſit iuſtum, n. 17.

Si poſt adhibitam diligentiam, adhuc perſeueret dubium poſitiuum, licitè ſubditus pugnare poteſt, n. 18. imò tenetur. Iubente Rege, pugnare, num. 19. In bello tamen offenſiuo puto diſtinguendum. n. 20.

Vt ſubditus poſſit pugnare contra ſuum Regem, qui hactenùs fuit in poſſeſſione Regni, debet eſſe certus de Iuſtitia belli, n. 21.

An certus de Iniuſtitia belli, poſſit metu mortis pugnare? num. 22.

An Confeſſarius teneatur monere bellum eſſe Iniuſtum, ſi non ſperat profectum? n. 23. & an teneatur monere cum periculo ſui capitis? n. 24.

14 DIco primò. Subditi in dubio Negatiuo, nempè cum nihil occurrit contra Iuſtitiam belli, tutò pugnare poſſunt, neque tenentur inquirere, aut examinare iuſtam caūſam belli, ita Abbas *in cap. ſicut il 3. de Iureiurando n. 16.* vbi Bellamera *q. 6. & Alexand. de Neuo n. 98.* Sotus *lib. 5. de Iuſt. q. 3. art. 3.* Gabriel *in 4. diſt. 15. qu. 4. art. 2.* Maior *ibid. qu. 20.* Nauar. *in man. c. 15. n. 15.* Vittoria *relect. de Iure belli n. 25.* Syluest. *verbo bellum 1. q. 9.* Caietan. *v. bellum, & 2. 2. q. 169. artic. 2. in fine verſ. ad ſecundum dicitur.* Molina *tract. 2. diſput. 173.* Suarez *de Charit. diſp. 13. ſect. 6. n. 8. & 9.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 8.* Vaſquez *p. 2. diſp. 62. c. 6. & diſp. 66. cap. 9.* Turrianus *de Iuſt. diſp. 90. dub. 2. verſ. 2. dicendum* Valentia *2. 2. diſput. 3. quæſt. 16. punct. 2. verſ. ſextò certum eſt.* Azor *tom. 1. lib. 2. c. 19. q. 9.* Sanchez *in ſumma libr. 6. cap. 3. n. 15.* Caſtropalaus *tom. 1. tract. 1. diſp. 3. punct. 14. n. 1.* Lorca *2. 2. ſect. 3. diſp. 53. n. 6.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 18. n. 1.* Merolla *tom. 1. diſp. 3. n. 327.* Bannes *2. 2. q. 40. art. 1. dub. 6.*

Probatur quia Superior conſtitutus eſt à Deo tanquam regula directiua actionum ſubditi, iuxta illud Prouerb. *cap. 8. per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*: ergo indicente bellum Rege, ſubditus ei obediens, præſertim cum nihil occurit contra Iuſtitiam belli, eſt certus moraliter, hoc ipſo, quod ſcit ſuum Regem eſſe catholicum, pium, non ſolitum iniuſta bella ſuſcipere, & viros ſapientes, ac pios conſuluiſſe: ergo non tenetur vlteriùs cauſam inquirere, ſed licitè præliari poteſt. Tum quia plerumque impoſſibile eſt veritatem iuſtæ cauſæ belli indagare, cauſæ enim belli non debēt omnibus manifeſtari. tum quia quiſquis legi ſui ſuperioris obedit, iuſtè agit, neque tenetur inquirere an lex iuſta ſit?

Dico ſecundò, in dubio poſitiuo, nempè quando ſubdito vrgentes rationes cōtra iuſtitiam belli oc-
15 currunt, aut fama eſt, bellum eſſe iniuſtum aut ſapientes, & pij viri, tanquam iniuſtum damnant, tenetur ſubditus quoad ipſi poſſibile eſt indagare veritatem, ſaltem interrogando doctos viros, ac timoratos, ita Vittoria relect. *de Iure belli numero 26.* Gabriel *in 4. diſt. 15. quæſt. 4. concl. 4.* Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 3. art. 3. ad primum, & art. 5. ad primum.* Molina *tract. 2. diſp. 113. concl. 2.* Suarez *de charit. diſp. 13. ſect. 6. numero 9.* Caſtropalaus *tomo primo tract. 1. diſp. 3. pun. 14. num. 2.*

Probatur, quia quamuis ſuperior ſit regula directiua actionum ſubditi, tamen eſt regula humana, fallibilis, quæ fallere, ac falli poteſt: ergo cum non ſint leuia indicia, quod fallat, aut fallatur, temerè agit ſubditus, ſi nulla facta inquiſitione, exponit ſe periculo iniuſtarum occiſionum, ac direptionū. Tum quia talis ignorantia eſſet affectata, ac prauo ſtudio, & odio in hoſtes concepta, vnde non excuſaret à peccato, & reſtitutione, comperta iniuſtitia belli: tum quia alioquin excuſarentur milites Crucifigentes Chriſtum, ac Iudæi à ſuis maioribus perſuaſi, vt clamarent tolle, tolle crucifige eum.

Aduertit tamen, & rectè Suarez *de charitate diſp.*
16 *13. ſect. 6. n. 9. hoc onus inquirendi iuſtitiam belli, non eſſe facilè militibus imponendum, niſi rationes illæ valdè ſuſpectā redderēt iuſtitiam belli, nam tunc viderentur milites inclinare in quoddā iudicium morale, quod bellū ſit iniuſtum, alioqui verò ſi rationes habent probabiles*
17 *pro iuſtitia belli, licitè ſe poſſunt illis conformare.* Hæc Suarez, quem ſequitur Laymanus *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 8.* Caſtropalaus *tomo primo, tract. 1. diſp. 2. punct. 8. num. 2. & diſp. 3. punct. 14. num. 2.* Turrianus *de Iuſtitia diſp. 90. dub. 2. verſ. reſtat explicare.*

Dico tertiò. In dubio positiuo, si post adhibi-
18 tam diligentiam adhuc dubium perseueret, potest licitè subditus pugnare, siuè bellum offensiuum, siuè defensiuum sit, dummodò non sit euidens iniustitia belli, ita Doctores omnes supra citati. Contra Adrianum *quodlib 2. ad primum circa secundum punctum, & de restitut. in quæstione incip. aggredior casus §. sed eum.* sed rectè alij asserunt Adrianum fuisse loquutum de dubio proprio, & practico, cum scilicet miles dubitat an bellando peccet, non autem de dubio speculatiuo; confundit tamen Adrianus dubium speculatiuum; & practicum.

Probatur primò authoritate S. Augustini *libro 22. contra Faustum Manichæum cap. 75.* & refertur *in cap. quid culpatur 23. quæst. 1.* vbi ait: *quod Iustus si fortè etiam sub Rege homine sacrilego militet, rectè potest eo iubente bellare; si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel an sit, certum non est.*

Probatur secundò, ratione, nam superior est regula directiua nostrarum actionum: ergo licitè ei obedimus, cum euidens non est iniustitia rei præceptæ, siuè sit dubium negatiuum, siuè positiuum. Vnde communiter omnes docent, licitum esse superiori obedire in dubio, *glosa in cap. quid culpatur 23. quæst. 1.*

Probatur tertiò, quia Princeps neque potest, neque debet semper suis subditis reddere rationem belli: ergo si subditi non possent militare, nisi certo scirent Iustitiam belli, pateret Respublica hostium incursibus, eiusque iura perirent.

Probatur quartò, quia cum subditus suo Principi, suæque Reipublicæ sit deuinctus, bonumque illius præponere debeat bono cuiuis alterius, proinde dū illi non constat de iniustitia suæ Reipublicæ, potest illi fauere eamque adiuuare, ac pro ea licitè pugnare.

Dico quartò, in dubio siuè negatiuo, siuè positiuo post adhibitam diligentiam, cum non est certa, & euidens iniustitia belli, subditus iubente Rege non solum licitè potest pugnare, sed tenetur, ita omnes, Vittoria *Relect. de Iure belli n. 31.* Syluest. *v. bellum primo quæst. 9. dict. 4. Vasq. 1. 2 disput. 62. cap. 6. in fine, & disp. 66. cap. 9. etiam in fine.* Driedo: *de libertate Christiana lib. 1. cap. 6.* Sayrus *in claui Regia lib. 1. c. 13. n. 40.* Turrianus *de Iustitia disput. 90. dub. 2. vers. 2. dicendum* Corduba *lib. 1. quæst. 39. punc. primo.* Adamus Contzen *politicorum lib. 10. cap. 5. §. 6.* & alij omnes *contra Castropalaum tom. primo tract. 1. disp. 2. punct. 8. n. 2.* vbi ait: non teneri obedire, cum probabile sit præceptum esse iniustum.

Probatur primò, quia quamuis in casu grauissimi præiuditij proprij, aut tertiæ personæ, in dubio de Iustitia precepti, nō teneatur subditus obedire, nō obstante possessione præcipiēdi superioris, tamē secus est, quando bonum publicum, æquale, aut grauius damnum incurreret: At si subditi, stante dubia Iustitia belli, non teneretur pugnare pro Republica, exponerent se periculo prodendi hostibus Rempublicam, quod multo grauius est, quam cum tali dubio pugnare contra hostes: ergo tenentur in conscientia pugnare.

Confirmatur, nam non tenetur miles obedire, ex eo præcisè, nè priuet superiorem possessione præcipiendi, hæc enim possessio non præualet, stante dubio, contra præsens grauissimum præiudicium tertij; sed tenetur pugnare, quia tale præceptum pertinet ad bonum publicum, & ad defensionem Reipublicæ, cuius subditi sunt debitores.

Confirmatur secundò, nam alioquin non posset Princeps defendere Rempublicam, si quoties bellū indicit singulis causas, & rationes belli exponere teneretur; satis enim est, si optimatum consilio id faciat, vt patet experientia.

Doctores omnes locis citatis indistinctè loquūtur de omni bello, quod iubente Rege, teneatur
20 subditus in dubio pugnare. At mihi in bello offensiuo aliquando id concedo, aliquando verò nō admitto. Concedo enim me teneri pugnare, quando exercitus meæ Reipublicæ minor esset, aut si iura alicuius Regni mea Respublica amitteret; Verùm si bellum tantùm sit ad vindicandam acceptā iniuriam ab hostibus, neque me non pugnante vllum mea Respublica incurreret periculum, eo casu dico, non teneri me ad pugnādum. Ratio est, quia in dubio, cum non adsit magnum periculum propriæ Reipublicæ, præualere debet ingens damnum inimicorum, ac iniustarum cædium, & direptionum, quarum periculo se tunc subditus exponit: subditus enim non tenetur in dubio obedire superiori, cum grauissimo discrimine iniusti damni proprij, aut tertiæ personæ.

Dico quintò, vt subditus possit pugnare contra suum proprium Principem, qui hactenùs fuit in
21 legitima possessione Regni, à qua ab altero Rege eijcitur, debet esse certissimus de Iustitia belli, seù quid iustè eijciatur Rex, qui hactenùs Regnū possedit, neque sufficit illi, quod probabiliter credat bellum inuadentis esse iustum; alioquin talis subditus rebellionis crimen incurreret. Hoc tenentur fateri etiam illi Doctores, qui docent non subditum posse pugnare ex opinione probabili.

Probatur primò, quia cum certa sit possessio huius Regis inuasi, tenetur in dubio illi adhærere subditus, donec certus sit ad eum Regnū non spectare.

Probatur secundò, quia ex probabili opinione, quod res aliqua ab alio possessa sit mea, non possū illum sua possessione priuare, vt docent Sanchez *in summa lib. 6. c. 3. n. 7. 10:* Sanchez *in selectis disp. 33. n. 29. 31. & 42. & disp. 43. num. 49.* ergo multominus possum proprium Regem sua Regni possessione priuare.

Quæres; quid siquis certò cognoscat bellum esse
22 iniustū, aut sibi illicitū pugnare, an si metu mortis, aut alterius grauis mali cogatur, pugnare possit?

Respondeo iuxta communiorem Doctorū opinionē, dū agunt de captiuis existentibus apud Turcas, nullo mortis metu licere occidere, aut aliquid præstare, quod sit proxima causa occisionis, vt tormenta dirigere, aut incēdere domos, in quibus sint homines, &c. liceret tamen iuxta proportionē metus ea agere, quę vel ex se indifferentia sunt, vel nō sunt proxima causa mortis, vt propugnacula ædificare, Sarcinas, machinas, & arma ad bellū necessaria afferre, ita Lessius *l. 2. c. 9. n. 122.* Petrus Nau. *l. 3. c. 4. n. 62.* Molina *tr. 2. disp. 155. cōcl. 3.* Vasqu. *opusc.*

de ſcandalo ar.8. dub.7. Sãchez *l.1.ſum.c.7.n.18.* Layman *l.2.tr.3.c.13.n.7.verſ.vlteriùs* Lorca 2.2.*ſect.3. diſp.51.n.9.* Turrian.2.2. *diſp.95.dub.3.* Diana *part. 3.tract.5.reſol.36.& part.5.tract.7.reſol.30.& part. 7.tract.7. reſol.56.*

Quare rectè ait Layman *vbi ſupra verſ. 2. reſolues*, poſſe incolas Ciuitatis à Tyranno occupatæ, eo cogente, foſſione, excubijs, & contributione aliqua, iuuare tyrannum, non intentione bellandi contra legitimum Principem, ſed præſtando ea, quæ ex ſe indifferentia ſunt metu grauis mali vitandi, ne è prouincia eijciantur, aut bonis expolientur, neque cenſendum eſt legitimum Principem, tunc eſſe inuitum.

Sed, an poſſint ex metu domos incendere, bonos diripere, & aſportare? negant Coninchius 2. 2. *diſp.31.dub.7.n.104.* & Lorca 2.2.*ſect.3.diſp.51. num.10.* Affirmant verò, & rectius Molina *tract.2. diſp.115.concl.5.num.7.* Caſtropalaus *tom. 1.tract.6. diſp.6.punct.11.num.12.* Diana *p.5.tract.7.reſol.30.* Ratio eſt, quia prævalet periculum propriæ vitæ meæ damno bonorum alterius, neque tunc Dominus eſt rationabiliter inuitus.

Quæres vlteriùs, quid ſi miles, qui in iniuſto bel-
23 lo pugnat, accedat ad Confeſſionem, an ſit monendus à Confeſſario, ſi deſperat, ea monitione proficere? Reſpondetur affirmatiuè, quamuis miles ignorantia inuincibili laboraret. Ratio eſt, quia quando ex ignorantia redundat malum contra bonum commune, tunc tenetur cõfeſſarius admonere, quia præferendum eſt bonum commune priuato pœnitentis, & quamuis fructus minimè ſperetur, conſuletur tamen bono communi, ita docent Henriquez *lib.6.cap.27.num.4.* Sanchez *de matrim. lib.2. diſput.38. num. 35.* Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp.22.ſect.2.num.30.* Verùm adhuc ſupereſt difficultas, ſi enim ſupponis, quod minimè ſperetur fructus, quomodo bono communi conſulitur? tum quia idem Sanchez *n. 10.* & Lugo *n. 26.* docent: debere tacere confeſſarium, quando non ſperat profectum, etiam ſi ignorantia ſit in damnum proximi, vt ſi quis bona fide poſſideat hæreditatem alienam. Mihi videtur in vtroque caſu monendum pœnitentem, ſiuè ſit damnum priuatum, ſiuè commune, non enim eſt omnino certum, nullum aliquando futurum profectum, nam monitus fortè aliquando ad ſe reuerſus reſipiſcet; nõ monitus autem ſemper perſeuerabit cum ea ignorantia, cum aliorum damno.

24 Rurſùs quæres, an teneatur Confeſſarius monere cum periculo ſui capitis?

Reſpondetur non teneri, prævalet enim præſens periculum Confeſſarij dubiæ, & incertæ innocentis defenſioni: tum quia non tenetur cum tanto proprio damno, proximi ſalutem procurare, Sanchez *in opuſc. tomo 2. libr. 6. cap. 2. dub. 3. num. 7.* Diana *part.7. tract. 3. reſolut. 36.*

(***)

SECTIO IV.

Quis dicendus ſit ſubditus, vt indicente Rege bellum in dubio, aut probabilitate iniuſtitiæ belli pugnare poſſit?

SVMMARIVM.

Subditus dicitur, qui tempore pacis erat militia adſcriptus, ſub continuis ſtipendijs Regis. n.25.

Incola dicuntur ſubditi. num. 26.

Non dicitur ſubditus alienigena militiæ pro certo tempore adſcriptus, quod completum eſt, & poteſt recedere. num.27.

An ſubditus in dubio bello pugnare poſſit nullo præcepto coactus? n.28. Affirmant aliqui. n.29. Negant alij. n.30. diſtinguendum cenſeo. n.31.

25 VT certa ab incertis ſecernam. Aduerto primò, ex communi omnium ſententia ſubditum dici eum, qui, quamuis ſit alienigena, tamen tempore pacis, cum non inſtabat bellum, eſt militiæ adſcriptus, ſub continuis ſtipendijs alicuius Regis, tam pacis, quam belli tẽpore, obligatus eſt ad ſeruiendum; de hoc enim eadem ratio habẽda eſt, ac de famulis, quare tanquam ſubditus eſt iudicandus, ita Caietanus *in ſumma verbo bellum, & 2.2.q. 169.art.2. circa finem verſ. ad ſecundum dicitur.* Nauar. *c.15.n.15.* Valentia 2.2. *diſp.3.qu.16. punct.2. verſ.ſi autem miles.* Salas 1.2. *tract.8. diſp. vnica ſect. 26.n.268.* Thomas Sanchez *in ſumma lib.6. cap.3. n. 16.* Molina *tract.2.diſp.113.* Villalobos *in ſumma tomo 1.tract.1.diffic.18.num.2.* Bannes 2.2.*q.40.art.6. dub.6.* Layman *lib.2.tract.3.c.12.n.8.* Caſtropalaus *tom.1.diſp.2.punct.8.n.1.* Merolla *tomo 1. diſp.3.c.3. n.332.* Sanctofauſtus *de tribus votis lib.6. q.63.*

Aduerto ſecundò, quod extranei, qui adepti iam
26 erant incolatum, ſunt tamquam ſubditi reputandi, & excuſantur pugnantes in dubio bello Caiet. 2. 2.*q.169.art.2.in fine verſ.ad ſecundum dicitur.*

Aduerto tertiò, non cenſeri ſubditum eum, qui
27 eſt alienigena, & tempore pacis eſt militiæ adſcriptus pro certo tempore, quod iam completum eſt, & in ſua poteſtate eſt recedere, ita Caietan. 2.2.*q. 169.art.2. in fine verſ. ad ſecundum dicitur*, vbi ait: *Denuò ingerentes ſe lucri cauſa, excuſare neſcis, immiſcent quippe ipſi ſe ipſos inuolucris dubij caſus*, idem docet Sanchez, *in ſumma lib.6.c.3.n.16.*

Difficultas eſt, an indigena, & ſubditus poſſit licitè in bello dubio pugnare, quando nullo præcepto Superioris cogitur, ſed ſua ſpontè indicente bellum Rege, ſe militiæ adſcribit?

Affirmant Caietanus 2. 2. *qu.169. art.2. in fine verſ. ad ſecundum dicitur* Sanchez *in ſumma lib. 6. c. 3. num. 17.* Sanctoſauſtus *de tribus votis libr. 6. qu. 61.* Caſtropalaus *tomo 1. tractat. 1. diſput. 3. punct. 14. num. 3.* Merolla *tomo 1. diſput. 3. cap. 3. numero 331.*

Probant primò, quia, quamuis explicitè Princeps non præcipiat ſubdito, vt ſe militiæ adſcribat, aut artifici, vt vendat baliſtas, tamen implicitè mãdatũ eſt, hoc ipſo, quod ad bellum conatũ apponit.

Secun-

Secundò, quia superior est legitima regula nostrarum actionum, eaque regula est nedum cum præcipit, sed etiam cum dirigit, ostendendo quid honestum, licitumque sit, ac publico bono expediens: ergo licitè tunc potest subditus se regulæ dirigenti conformare, & sic in dubio bello militiæ se adscribere.

Tertiò, quia cum rarò Princeps compellat subditos ad bellum, graue damnum Respublica incurreret, si eius ciues non possent, nisi coacti militare; ratissimè enim belli causa adeo certa, & euidés est, vt nullum dubium de eius iniustitia suppetat: Sed non tenentur Ciues tanto periculo suam patriam exponere: ergo tunc licitè militare possunt.

Quartò quia in pari periculo propriæ, & alienæ Reipublicę debet pręferri damnum, aut commodũ propriæ: ergo poterit subditus in tali casu pugnare, quamuis præcepto aliquo non cogatur.

Negant verò licitum esse pugnare subdito in
30 dubio bello, quando præcepto Regis non cogitur Corduba *in suo quæstionar. lib. 1. q. 39. punct. 1. vers. si verò isti prælianres*, & Adamus Contzen *lib. 10. politicorum c. 5. §. 6. in fine*.

Dico primò, quando dubium est purè negati-
31 uum, cum scilicet nihil omnino occurrit, nec pro Iustitia, nec contra Iustitiam belli, hoc casu puto posse subditum, nullo præcepto coactum se militię adscribere. Ratio est, quia cum Princeps sit legitima regula nostrarum actionum, dicitur subditus moraliter certus hoc ipso, quod nihil illi occurrit contra Principis directionem.

Dico secundò, quando dubium est positiuum, & rumor est bellum esse iniustum, hoc casu puto cum Corduba, non posse subditum, nisi præcepto Regis cogatur, in dubio bello pugnare.

Probatur primò, ex Authoritate Sancti Augustini *l. 22. contra Faustum manichæum* c. 75. cuius hęc videtur mens, si eius verba expendantur, ait enim: *Vir Iustus, si fortè sub Rege, homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est; ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi*. Ita S. August. vbi nota, quod militem excusat, quia iubente Rege, *innocentem facit eum ordo seruiendi*: exigit ergo necessitatem seruiendi, stante iussione, & præcepto.

Probatur secundò, quia ideo præcipiente Rege, iustè subditus pugnat in dubio bello, quia cum cócurrant ex vna parte certa obligatio obediendi, ex altera parte dubia obligatio non pugnandi in bello fortasse iniusto, præualet certa obligatio obediendi: at quando Rex non præcipit, tunc dubia obligatio non pugnandi in bello fortasse iniusto, præualet libertati subditi ad pugnandum, vel non pugnandum: quia nemo debet liberè, & nullo modo coactus, committere se periculo occisionis iniustæ.

Probatur tertiò, quia Principis declaratio, cum sit regula humana est fallibilis; ergo stante aliunde rumore, & fama iniustitiæ belli, & nullo existente præcepto cogente ad pugnandum, tunc regula illa non constituit subditos moraliter certos bellum esse iustum, sed ad summum facit probabilem esse iustitiam belli: At ex probabilitate sicuti non possum spoliare alium possessione bonorum, ita à fortiori non possum spoliare vita, & occidere: ergo debet subditus esse moraliter certus bellum esse iustum, aut saltem cogi præcepto ad pugnandum: sed in casu prędicto, neque est moraliter certus, neque cogitur: ergo non potest liberè se committere periculo iniustæ occisionis.

Restat, vt Respondeamus ad contraria argumenta.

Ad primum, Respondetur transeat ipsam indictionem belli esse implicitum præceptum quò ad communitatem: at non est quò ad singulares personas: hoc patet exemplo Sacramenti ordinis, nam communitas obligatur Diuino præcepto, vt sint in ipsa Sacerdotes, & ministri altaris: at si omnes peste defecissét, nullus in particulari obligatur, donec Episcopi pręcepto cogatur ad recipiendũ ordiné.

Ad secundum respondetur superiorem esse legitimam regulam directiuam actionum subditi; distinguo, si nihil occurrat contra eam directionem, concedo: Si occurrat rationabilis timor iniustitiæ, cum tertij præiudicio, & nego: tunc enim vt in dubio subditus licitè obediat, debet addi præceptũ, quo ad obediendum cogatur non obstante dubio.

Ad tertiam respondetur, quod non ad subditũ, sed ad Principem spectat prouidere, ne Respublica graue damnum incurrat, quod si timeatur, tunc debet præcepto cogere subditos, prout frequenter accidit, cum ex singulis familijs, seù domibus vnũ accipit, atque compellit ad bellum.

Ad quartum, Respondetur tunc in pari periculo præferendum esse periculum propriæ patriæ, quãdo ista inuita in periculum incurrit, quod contingit cum bellum est defensiuum, quo casu etiam si dubitetur, an iustè resistat, tamen poterit ciuis pugnare: at secus est, si patria spontè in eas angustias, & dubium iniusti belli atque periculum se conijciat, aggrediendo alios legitimos suorum statuum possessores, tũc enim spontè versatur in periculo; quare stante dubio de iustitia belli, non potest ciuis alios in bello aggredi, & vltrò se conijcere in periculum multarum occisionum iniustarũ, direptionum, ac oppressionum innocentium; quare tũc non nisi compulsus, sui Regis præcepto in dubio bello aggressiuo pugnare poterit.

SECTIO V.

An extranei teneantur inquirere de Iustitia belli? & an sit probabile sit illud esse iustum, pugnare possint?

SVMMARIVM.

An teneantur inquirere iustam causam belli non subditi? num. 32.

An possint non subditi pugnare in bello dubio? n. 33.

Omnes conueniunt posse non subditum pugnare, si pro vtraque parte adsint rationes probabiles. n. 34.

In dubio negatiuo, antequam alienigena se militiæ adscribat,

bat, tenetur diligẽter inquirere iuſtã causã belli.n.35.
An in dubio præſumatur bellum eſſe iuſtum? n.36.
Alienigena inſtante bello, ſe militiæ adſcribens debet eſſe moraliter certus bellum eſſe iuſtum. n.37.
Rex indicens bellum debet eſſe moraliter certus bellum eſſe iuſtum. n.38.
Quomodo miles alienigena teneatur examinare iuſtam cauſam belli? n.39. & 42.
Mulier quæ bona fide contraxit Matrimonium, ſuperueniente dubio de eius valore, poteſt petere, ac reddere debitum. n.40.
Quare in dubio bello alienigenæ mercatori liceat vendere arma, non autem liceat pugnare militi? n.41.

32 QVo ad primum dubium, an teneantur inquirere, & examinare iuſtam cauſam belli alienigenæ, alijque non ſubditi, antequàm ſe militiæ adſcribant? Affirmant communiter Theologi, ita Gabriel Io: Maior, Caietan. Syluest. Corduba, Valẽtia, Molina, Sanchez, Bannes, Villalobos, Azorius, Petrus Ledeſma, Sayrus, Io: Driedo, Syluius, Granado, Tannerus, Antonius Perez, & alij, quos adduxi ſupra ſect. prima. Negant alij, nullumque diſcrimen inter ſubditos, & non ſubditos conſtituunt, ita Suarez, Vaſquez, Petrus Lorca, Salas, Turrianus, Layman, Caſtropalaus, Thomas del Bene, & Io: Vigers, quos eadem ſectione prima adduxi; Vtriuſque ſententiæ fundamenta infra adducam.

Quò ad ſecundum dubium. Doctores primæ ſen-
33 tentiæ negant poſſe pugnare in bello dubio non ſubditum. Affirmant autem poſſe pugnare Doctores ſecundæ ſententiæ, nullam omnino inter ſubditum, & non ſubditum agnoſcentes differentiam.

Omnes autem Doctores, primæ, ac ſecundæ ſen-
34 tentiæ conueniũt alienigenam poſſe pugnare, imò cuilibet parti adhęrere, ſi pro vtraque parte adſint probabiles rationes iuſtitiæ belli, ita Suarez *de Charit. diſp.13. ſect.6.n.12.* Lorca *2.2. ſect 3. diſp.53.n.8.* Valentia *2.2. diſp.3. qu.16. punct.2.§. ſi autem miles.* Tannerus *de Charitate diſp. de bello aſſert.32.* Villalobos *tom.1. tract.1. diffic.18.n.4.* Layman *libr.2. tract.3. cap.12.n.8.* & alij, & Adamus Contzen *politicorũ lib.10. cap.5.§.7.* vbi ſic ſcribit. *Ordinariè tamen bona conſcientia milites hic non delinquunt. Nam qui bella gerunt cauſas ſpecioſiſſimas prætendunt, quæ planè neceſſariæ videantur. Deinde cum Rex, aut Princeps boni nominis eſt, meritò præſumunt eum iniuſta bella non ſuſcipere, cauſam accuratè examinaſſe, à prudentibus eam, & integris viris comprobatam eſſe*, ita Contzen.

Dico primò, quamuis dubium ſit negatiuum, ita
35 vt nihil occurrat, nec pro iuſtitia, nec contra Iuſtitiam belli, tamen alienigena, ſeù non ſubditus non poteſt ſe militiæ aſcribere, antequam diligenter inquirat, & examinet iuſtam cauſam belli, interrogãdo doctos, ac pios viros, quos nõ ſuſpicetur ex paſſione falli, aut fallere velle, neque ſufficit ſcire Principem indicentem bellum eſſe Catholicum, qui nõ ſoleat iniuſta bella ſuſcipere, atque Catholicos, & ſapientes habere Conſiliarios.

Probatur, quia neuter Principum indicens bellũ eſt regula actionum non ſubditi, neuter ſua ſuorũque Conſiliariorum authoritate conſtituit probabilem, nedũ certam iuſtam cauſam belli; tum quia non eſt maior ratio de vno, quàm de altero. tũ quia cuiuſque iudicium meritò ſuſpectum eſt in cauſa propria: ergo alienigena in Principum Iudicio, aut Conſilio non habet neque moraliter, certum neque probabile fundamentum, bellum eſſe iuſtum: quare vltrò ſe exponit periculo iniuſtæ occiſionis, præſertim cum neceſſe ſit alterutrum bellum eſſe iniuſtum.

Dices in dubio pręſumi iuſtam cauſam belli Abbas *in c.1. de tregua, & pace*, Franciſcus Arius *tract. de bello n.158.* Menochius *lib.6. praeſ.96.n.7.*

Reſpondetur primò rectiùs ſenſiſſe alios oppoſitũ docentes, nempè quando non apparet iuſta cauſa belli, tunc tam non præſumi. Barbatius *conſ.38. vol.1.* Franc. Marc. *q.455.n.48. part.1.* Ratio eſt, quia quando Princeps non poteſt aliquid agere ſine iuſta cauſa hæc non præſumitur, niſi appareat *Bal. in cap. quæ in Eccleſiarum n.14. de conſtitut. & conſ.326. vol.1.* Crauetta *conſ.135.n.41.* Brunus *conſ.15.n.7.* & alios citat Menoch. *lib.2. praeſ.10.n.52.*

Reſpondetur ſecundò, quod reſpectu ſubditi in dubio, cum dubium eſt negatiuum præſumitur iuſtum bellum, Princeps enim eſt legitima regula actionum ſubditi; at non reſpectu alienigenæ; nam reſpectu huius Princeps non eſt regula actionum eius, & illius ſententia, & authoritas in cauſa propria meritò ſuſpecta eſt.

Dices ſecundò, nemini licet temerè iudicare de proximo: ergo neque de Rege bellum indicente: ergo poterit alienigena in dubio, præſertim negatiuo, præſumens bellum eſſe iuſtum, pugnare.

Reſpondetur non debere iudicare bellum eſſe formaliter iniuſtum, ideſt mala intentione indictũ; hoc enim eſt temere iudicare; at non poteſt pugnare, omiſſa inquiſitione, credẽs bellum eſſe materialiter iuſtum, ideſt iuſtam cauſam à parte rei habere: quia cum repugnet vtrumque bellum eſſe materialiter iuſtum, non eſt maior ratio de vno, quàm de altero, quamuis poſſit credere vtrumque eſſe formaliter iuſtum, hoc enim non repugnat.

Dices tertiò carnifex alienigena, etiam poſt ſententiam, nulla inquiſitione facta, poteſt iudici locare operas ſuas; ergo etiam miles alienigena; nam Rex indicens bellum eſt, tamquam Iudex pronuncians ſententiam belli.

Reſpondetur diſparitas eſt, quia ſemper præſumitur pro Iuſtitia ſententiæ, & immeritò authoritas Iudicis eſt ſuſpecta: At non præſumitur magis pro bello huius, quàm illius Regis, neque Rex eſt propriè Iudex, quare alienigena iniuſtæ occiſionis diſcrimini ſe committere non debet.

Dico ſecundò, non poteſt alienigena, inſtante
37 bello, ſe militiæ adſcribere; niſi facta inquiſitione, ſit moraliter certus, bellum eſſe iuſtum: neque ſufficit, quod probabiliter credat eſſe iuſtum, neque poterit acquieſcere Regi, ſuiſque cõſiliarijs bellũ indicentibus. Hęc concluſio videtur contra ferè omnes Doctores.

Probatur, nam non minorem certitudinem moralem debet habere alienigena ſe militiæ adſcribens, quàm habeat Rex indicens bellum: Sed Rex debet eſſe moraliter certus, quod bellum ſit Iuſtum: ergo etiam alienigena pugnans.

Quod

Quod Rex debeat esse moraliter certus nec suf-
38 ficiat probabilitas, quod bellum sit iustum; nunc breuiter attingam; nam ex probabilitate Iuris sibi competentis non licet alium Regem à Regni possessione eijcere. Vittoria *de Iure belli n.* 27. Vasquez 1.2. *disp.64.cap.3.num.*13. Salas 1.2.*tr.*8. *disp. vnica sect.* 13. *num.* 128. Molina *tract.*2.*disp.* 103. Villalobos *tomo primo tract.*1.*diffic.*17.*num.*7. Præterea non licet ex probabilitate, quod res ab alio possessa mea sit, illum ea possessione priuare Suarez *de legibus lib.*5.*cap.*18.*num.*20. Vasq. *opusc. de restit. cap.*6.§.3.*num.*82. *&* 83. *vbi asserit, esse communem*. Villalobos *tomo primo summ. tractat.* 1.*diffic.*17.*num.*7. Sanchez *in summ. lib.*6.*cap.*3.*n.* 7. quamuis aliqui oppositum doceant; ergo si non licet, nisi ex certitudine morali, rei possessione priuare, neque licitum erit vita priuare, innumeris occisionibus, & incendijs turbare omnia. Deinde Rex indicens bellum se habet tanquam Iudex ferens sententiam mortis in hostes: sed in criminalibus probationes debent esse luce meridiana clariores *l. sciant cuncti C. de probationibus*: ergo non poterit Rex ex opinione probabili, sed tantùm ex morali certitudine bellum indicere vnde præclarè Adamus Contzen *lib.* 10. *politicorum cap.*5.§.2. sic ait. *Regula iuris est, Probationes in criminalibus luce meridiana oportere clariores esse: dubia enim causa, certa morte occumbere reum nulla æquitas patitur, quomodo igitur tot millia conciduntur, nec liquet, quis iustius induat arma? Iudex non nisi probata sequi debet, & non nisi de quibus liquet iudicare, l. illicitas §. veritas ff. de officio præsidis. Hoc si priuato reo seruatur; Vbi de hæreditate, & agellis, aut sanè vnius vili capite agitur, quid in magnis faciendũ, integrisq; populis, censebimus?* ita Contzẽ.

Quod autem non minorem certitudinem moralem debeat habere alienigena se militiæ adscribẽs, quàm Rex indicens bellum. Probo, nam miles est proxima causa occisionis; ergo debet habere iudicium certum eam occisionem esse iustam, sed non potest se tunc committere iudicio Regis, nam Rex non est legitima regula actionum alienigenæ, sed tantum sui subditi: tum quia cum Rex iudicet in causa propria, merito suspectum est tale Iudicium: ergo non potest alienigena Regis iudicium assumere, tanquam regulam suæ actionis. tum quia cũ impossibile sit vtrumque bellum à parte rei esse materialiter iustum, non est maior ratio de vno, quàm de altero bello: ergo temerè miles alienigena se periculo exponit iniustæ occisionis; dum se committit Iudicio Regis; Itaque cum miles alienigena non possit ex Iudicio Regis se regulare, debet habere proprium Iudicium, quo iudicet occisionem esse iustam: sed ad occisionem, vtpotè grauissimum damnum proximi, non sufficit iudicium probabile, sed requiritur moralis certitudo: ergo miles alienigena vt se militiæ adscribat debet esse moraliter certus, neque eam certitudinem moralem potest refundere in Regem, eiusque consilium, prout minus rectè dixerunt Suarez *de Charit. disp.*13.*sect.*6.*n.*12. Villalobos *tom.*1.*tract.*1. *diffic.*18.*n.*4. Lorca 2.2.*sect.*3.*disp.*53.*n.*7.*&* 8.

Confirmatur perspicuo exemplo, finge me habere inimicum, mei fratris occisorem, cumque fugitiuum, vt quis eum tamquam Bannitum licitè occidat, non sufficit occisorem probabiliter credere ex meo, meorumque consanguineorum dicto, illum esse bannitum, sed debet certitudine morali scire talem esse, alioquin in neutro foro excusabitur talis homicida: ergo à pari alienigena, qui in bello occidit, nedum probabiliter debet credere se iustè pugnare, ex Regis suorumque consiliariorum authoritate, sed debet esse certus moraliter eam occisionem esse iustam: fiet autem certus moraliter, quando viri docti, prudentes, pij, rerumque publicarum periti, minimèque suspecti asserunt bellum esse certissimè iustum, vt infra dicam.

Altero quoque exemplo idem confirmo. Nam maior est culpa assassini, ex accepta pecunia occidentis, quàm mandantis homicidium; hic enim humana fragilitate mouetur ad vindicandum acceptam iniuriam; ille fera barbarie vendit humanum sanguinem ex malitia; Vnde ille grauius, quàm iste punitur: Sed miles alienigena, qui accepta pecunia innocentem occidit, vtique nobilis assassinus dicendus est: ergò si Rex ne reus tot occisionum sit, iniusti belli, tenetur certus esse moraliter; etiam alienigena à fortiori tenetur esse certus moraliter; nam maior, in iniusto bello, est culpa stipendiariorum, qui accepta pecunia fundunt, humanum sanguinem, nihil prorsùs ab assassinis diuersi; quã sit culpa ipsius Regis, qui fortè passione, aut adulatione excæcatus, mandat bellum iniustũ.

Restat, vt Respondeamus ad sex argumenta, quæ pro sua sententia affert Suarez *de Charit. disp.* 13.*sect.*6.*n.*11.

Obijcies primò, quia oporteret singulos milites stipendiarios examinare causam belli: hoc autem est contra omnem consuetudinem, & humano modo impossibile, quia neque omnibus potest reddi ratio, neque omnes sunt illius capaces.

Respondetur dupliciter posse militem examinare iustitiam belli: Primò per principia intrinseca, idest examinando rationes, & causas belli, & hoc fateor esse plerumque moraliter impossibile, ac contra omnem consuetudinem. Secundò per principia extrinseca, interrogando viros prudentes timoratos, ac non suspectos; vel si alienigenæ habeant vnum caput, aut Regem, qui cum sapientum Consilio det licentiam se militiæ adscribendi; his casibus facile est fieri moraliter certos stipendiarios de Iustitia belli, quod si non habent à quo consilium petant, non se committant periculo iniusti belli.

Obijcies secundò, quia sequeretur, quod neque milites subditi possent ire ad bellum dubium sine examine causæ, nisi quando strictè præciperẽntur, ita vt non eundo inobedientes fierent, siquidem tunc solum excusat illos obedientia, quamdiù verò non imponeretur præceptum tutius non militarent. Consequens autem est contra omnem morem; aliaque obligatio perniciosa esset Reipublicę.

Respondetur nego sequelam, disparitas est, quia quamuis subditus non cogatur ex obedientia, tamen cum dubium est negatiuum, nihilque contra Iustitiam belli occurrit, tunc subdicus, est moraliter certus, nam superior est

legitima regula actionum ſubditi. Secùs eſt in alienigena, reſpectu cuius Rex bellum indicens, non habetur tanquam legitima regula ſuarum actionum, quare aliunde debet habere certitudinem iuſtitiæ belli.

Obijcies tertiò, ſi ſtipendiarij perpetui ante tẽpus belli potuerunt ſe obligare ad militandum, etiã in caſu dubio, transferendo ſuam conſcientiam in conſcientiam Principis, cur non potuerunt id facere, qui accipiunt ſtipendium in belli initio. nam moraliter eiuſdem rationis eſt exercere actum, & obligare ſe ad exercendum.

Confirmatur, quia, ſicut non licitè ire ad bellum iniuſtum, ita nec obligare ſe ad militandum in bello illo; neque enim ad militandum indifferenter in omni bello, ſiuè iuſto, ſiue iniuſto, & hoc ideo, quia militare in bello iniuſto eſt iniuſtum; ergo è contrario, ſi licet ſe obligare in bello dubio; iniqua non eſt talis obligatio: ergo ſine vlla præcedenti obligatione licebit propter ſtipendium hic, & nunc id facere. Neque iam multum referre videtur, quod iam antea cenſebatur quiſpiam ſubditus ratione ſtipendij; namque idem dici poterat, ſi contractus fiat, cum iam inſtat bellum, cum tunc etiam milites ſe obligant ad obediendum in omnibus, quę licitè poſſunt: & quod hæc obligatio anteceſſerit, vel nunc fiat, nihil intereſt ad Iuſtitiam.

Reſpondetur, diſparem eſſe rationem eius, qui inſtante dubio bello, ſe militiæ ad ſcribit, ac alterius, qui tempore pacis, nullo inſtante bello dat militiæ nomen, ille enim proximè, & per ſe exponit ſe periculo iniuſti belli, ſeu belli dubij; iſte autem remotè, & per accidens; ille cum Rege contrahens dubius eſt, an licitè contrahat, promittens militare in dubio bello; iſte verò & tempore, cum contrahit, certus eſt, ſe licitè contrahere, cum promittat pugnare in bello iuſto; quale autem ſit iuſtum bellum, ſuppoſita ſubiectione ad Regem, cui nomen dedit, ſpectat ad ipſum Regem iudicare; quare ſuperueniente dubio bello, licitè pugnat: inſtantia patet in matrimonio, nam mulier dubitans, an validè contrahat, non poteſt licitè contrahere, neque tunc poterit petere, aut reddere debitum coniugale, *vt in*
49 *cap. Dominus de ſecundis nuptijs*: at, ſi bona fide contraxit, ſuperueniente dubio de valore matrimonij, poſt adhibitam diligentiam, perſeuerante adhuc dubio poteſt petere, & reddere debitum Sanchez *de matrim. lib. 2. diſput. 41. n. 46. verſ. 3.* Suarez *de religione tom. 2. lib. 4. c. 5. n. 16.* Sà *verbo debitum coniugale n. 5.* Layman *lib. 1. tract. 1. c. 5.* Coninchius *de Sacr. diſp. 34. dub. 10.* Lorca 1. 2. *diſp. 38.* Diana *p. 4. tract. 3. reſol. 15.* ergo, quamuis illicitè det nomen militiæ alienigena inſtante tunc dubio bello; licitè ſe militiæ adſcribit, tempore pacis nullo inſtante bello, & ſuperueniente bello dubio, licitè pugnat, etiam perſeuerante dubio, pręſertim ſi ſtante dubio poſitiuo, aliquam adhibuit diligentiam ad indagandam veritatem.

Obijcies quartò, in ſimili dubio licet quibuslibet vendere arma his Principibus, atque militibus, in quo tamen idem periculum vertitur, ne cedat ſcilicet in iniuriam innocentum; ſi fortè re ipſa bellum eſt iniuſtum. Antecedens commune eſt. Conſequentia probatur: quia vterque concurſus eſt valdè moralis ad actum belli; &, licèt milites quodammodo immediatiùs videantur concurrere; attamen ordinariè magis nocere poſſunt, qui probent arma.

Reſpondetur, diſparem eſſe rationem militis pugnantis, ac mercatoris arma vendentis; ille enim immediatè, & proximè concurrit ad occiſionem, iſte mediatè, & remotè; illo non occidente, fortè alius non occideret; iſto autem mercatore non vendente arma, alij venderent: maior ergo cauſa requiritur ad excuſandum militem, quàm mercatorem; patet id ex recepta doctrina in materia de ſcandalo, vt apud Layman *libr. 2. tract. 3. cap. 13. n. 4. & 5.* Quando ſcilicet ex cauſa liceat cooperari alterius malo, miniſtrando materiam, & facultatem peccãdi, nam maior, & vrgentior cauſa, & neceſſitas requiritur, quando peccatum impediretur, re non miniſtrante materiam: adhuc vrgentior neceſſitas, ſi peccatũ ſit contra iuſtitiam: grauior quoque neceſſitas, ſi cooperatio materialis ad peccatũ, ſit per ſe, & propinquior, quàm ſi remota: ergo cum miles propinquè, mercator remotè concurrat; mirum non eſt, ſi in milite requiratur certitudo iuſtitiæ belli, non autem in mercatore.

Obijcies quintò; licitum eſt cuilibet ſeruire mercatori propter ſtipendium, animo cooperandi contractibus illius, de quibus illi non, conſtat, eſſe iniuſtos, neque tenetur illos examinare; ergo ſimiliter cenſendum erit in præſenti caſu.

Reſpondetur diſparitas eſt manifeſta, nam ſeruiens mercatori non habet rationabile dubium de contractibus celebrandis à Domino, præſertim, cũ nihil occurrit contra eorum iuſtitiam; at alienigena, qui inſtante bello ſe militiæ adſcribit habet rationabile dubium de Iuſtitia belli: ratio eſt euidens; quia cum vnus Rex dicat Regnum ad ſe ſpectare, alter dicat non ſpectare; neceſſariò ex duabus contradictorijs, vna debet eſſe vera; ergo ex duobus bellis, vnũ neceſſariò materialiter, & à parte rei debet eſſe iniuſtum; quãuis vtrumq; poſſit ex ignorantia veritatis eſſe formaliter iuſtum: ergo rationabiliter poteſt, & debet dubitare alienigena, an bellũ huius Regis, cuius militię ſe adſcribit, ſit à parte rei iniuſtum: ergo tenetur examinare, & inquirere veritatem.

Obijcies ſextò, quia is, qui non eſt ſubditus primò, & per ſe in omnibus, ſubdit ſe alteri propter ſtipendium, in quo nulli irrogat iniuriam; neque per ſe loquendo, ſe exponit periculo alicuius mali, & aliàs vtitur Iure ſuo, vendendo res ſuas, aut ſuã operam, quo certè non tenetur, ſe priuare in ſuum damnum.

Reſpondetur, quod in moralibus parum refert, quod quis, ſiuè directè, ſiue indirectè exponat ſe periculo iniuſtæ occiſionis: at, qui ſe militiæ adſcribit inſtante dubio bello, hic vel directè, vel indirectè ſe exponit periculo iniuſtæ occiſionis, quod cedit in iniuriam eius, qui occiditur: neque hic vtitur Iure ſuo, nam non habet Ius ad locandas ſuas operas in damnum alterius, cum dubio iniuſtè cædis.

Obijcies ſeptimò; ſtipendiarij alienigenæ habent pro ſe authoritatem Principis, ac totius Reipublicæ, quæ inducit magnam probabilitatem.

Reſpon-

Respondetur, Principem non esse regulam actionum non subditi, neque ea authoritas magnifacienda est, cum magna suspicione non careat is, qui in causa propria iudicat: tum, quia non minoris authoritatis est altera Respublica, aut Princeps, tum, quia non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo, vt iuste alienigena pugnet; at Reipublicæ authoritas ad summum non excedit probabilitatis gradum; neque potest afferre certitudinem moralem respectu alienigenæ.

Obijc. octauò; in causa dubia licitum est Aduocato patrocinari: ergo & militi alienigenæ pugnare in dubio bello.

Respondetur; disparitas est, quia aduocatus nihil nocet alteri parti, profert enim iura sui clientis, & alteri parti liber est, suas quoque rationes, & iura proferre: At miles obest occidendo, cum exequitur dubiam Principis sententiam belli.

Infertur ex dictis, alienigenam se militiæ inituro bello adscribentem, duplici modo posse reddi moraliter certum, bellum esse iustum. Primo, si interroget viros prudentes, publicarumque rerum peritos, non subditos Principi indicenti bellum, nimirum que suspectos, ac timoratos, & pios, qui ferè omnes, nedum dicant probabilem; sed certam esse iustitiam belli, ita Lorca 2. 2. *sect. 3. disp. 53. num. 5. Villalobos tom. 1. tract. 1. diffic. 18. num. 4.* Secus autem existimo, si aliqui respondeant, esse iustum, alij dicant iniustum, tunc dubia erit Iustitia belli, neq; poterit alienigena in eo dubio bello pugnare; quare oportet, vt ferè omnes sapientes asserant, esse certissimè iustum. Secundo modo poterit alienigena esse moraliter certus, si proprius Princeps, aut Respublica adhibito sapientum, piorumque Virorum consilio, determinet, bellum esse iustum, & det licentiam suis subditis se militiæ adscribendi, tunc, si nihil occurrat contra Iustitiam belli, neque rumor sit bellum esse iniustum, poterit pugnare alienigena, nam erit moraliter certus, ita Lorca vbi supra *num. 7.* & Suarez *de charit. disp. 13. sect. 6. n. 12.* Ratio patet ex dictis, quia tunc alienigena dirigitur à propria Regula suarum actionum, nempe sui Principis decreto, vnde, cum nihil contra eam regulam occurrit, fit moraliter certus, se licitè operari.

QVÆSTIO XXXV.

An probabiliter credens matrimonium esse validum, ita vt oppositum quoque putet probabile, aut probabilius, possit petere debitum?

SVMMARIVM.

Negant aliqui num. 1.

Affirmant probabilius alij, num. 3.

Ad contrahendum matrimonium requiritur certitudo moralis, quod validè contrahatur. n. 2. & 7.

Qui bona fide contraxit matrimonium, post adhibitam diligentiam, si perseuerat dubium, potest reddere, ac petere debitum. n. 4.

Quodcumque præceptum rectè obseruatur, sequendo id, quod probabile est. n. 5.

Dupliciter potest quis habere opinionem probabilem de validitate matrimonij. n. 6.

Facilius impeditur matrimonium contrahendum, quàm contractum dissoluatur. n. 7.

Ad impediendum sufficit vnicus testis, aut fama; ad dissoluendum requiritur plena probatio. n. 8.

Tria requiruntur ad voluntarium virtuale, seù indirectum. n. 9.

1 NEgant Salas 1. 2. *q. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 22. num. 220.* Coninchius *de sacramentis disp. 34. n. 103.* Marolla *tom. 1. disp. 3. c. 3. n. 168.*

Probatur primo *ex tex. in cap. inquisitioni de sententia excomm.* ibi: *Verùm, cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamuis non euidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam.*

2 Secundò ex tex. *in cap. in præsentia 19. de sponsalibus,* vbi apertè definitur, non posse contrahi cum secundo, nisi adsit certitudo de morte prioris viri, nec sufficere probabilem coniecturam: ergo etiam requiritur certitudo validitatis matrimonij, vt sit licitus vsus petitionis debiti.

Tertiò ex tex. *in cap. Dominus de secundis nuptijs,* vbi dicitur: *Si verò aliquis de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen nouerit nullatenus exigendum:* ergo cum dubio validitatis matrimonij illicita est petitio debiti: Sed is, qui vtramque opinionem putat probabilem, dubitat de valore matrimonij: ergo illicita est ipsi petitio debiti.

Quartò ex S. Thoma communiter recepto *in 4. dist. 41. q. vnica art. 5. quæstiunc. prima ad tertium.* Vbi sic ait: *Aut habet certam scientiam de impedimento matrimonij, aut opinionem; si primo modo, nec exigere, nec reddere debet: si secundo, debet reddere, & non exigere.*

Quintò, quia, cum probabilis opinio, possit esse falsa, qui ex opinione probabili validitatis petit debitum, se voluntariè exponit periculo fornicandi; cui non se exponit, qui necessitate coactus, ne priuet coniugem sua legitima possessione, debitum reddit: non enim ipsi reddenti tunc imputatur, neque ei est virtualiter, & indirectè voluntaria fornicatio, si reuera matrimonium sit nullum.

3 Affirmant verò alij, posse debitum petere eum, qui probabiliter putat, matrimonium esse validum, quamuis oppositum credat esse probabile, imò probabilius: ita Martinus Ledesma 2. *p. 4. q. 54. art. 4. col. 1.* Petrus Ledesma *de matrimonio q. 45. art. 1. ad finem* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 42. num. 9. & disp. 44. num. 4.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 23. num. 7.* qui tamen id affirmat post adhibitam diligentiam, Diana asserens esse probabile *par. 4. tr. 3. resol. 15.*

4 Probatur primò, quia plus est operari cum dubio, quam cum opinione probabili: sed is, qui bona fide contraxit, si post adhibitam diligentiam perseuerat

perseuerat dubius de valore matrimonij, potest
petere, & reddere debitum; sicut enim possessor
bonæ fidei, qui post diligentiam perseuerat dubius
potest rem ipsam distrahere, & consumere, ita qui
bona fide contraxit matrimonium, poterit libere
eo vti post diligentiam, Soto *lib. 4. de Iustitia quæst.
5. art. vltimo, & in 4. sentent. dist. 27. q. 1. art. 3.* Hen-
riquez *lib. 12. cap. 6. num. 5. & 7. Sa verbo debitum
coniugale num. 7.* Sanchez *de matr. lib. 2. disp. 41. n.
46. & 47.* Suarez *de religione tom. 2. lib. 4. cap. 5. n.
16.* Coninchius *de sacramentis disp. 34. dub. 10. concl.
4. num. 105.* Layman *lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 24.* Diana
part. 3. tract. 4. resolut. 295. & part. 4. tract. 3. res. 15.
Villalobos *tom. 1. tract. 1. difficult. 23. num. 2.* Valen-
tia *tom. 4. disp. 10. quæst. 6. punct. 2.* Filliucius *tract. 9.
num. 343.* Reginaldus *tom. 2. lib. 31. n. 299.* Quam-
uis immeritò oppositum alij sentiant, nempè Re-
bellius *part. 2. lib. 2. quæst. 16. sect. 2. nu. 11.* Salas *1. 2.
quæst. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 22. num. 195.* Guttie-
rez *de matrimonio cap. 49. n. 28.* Ergo si post adhi-
bitam diligentiam, qui bona fide contraxit, potest
perseuerante dubio petere debitum, poterit quoq;
à fortiori petere si probabiliter credat validum es-
se matrimonium, quamuis probabile, imò proba-
bilius putet ipsum esse inualidum.

Probatur secũdò, quia cũ in rebus practicis ple-
na certitudo frequenter haberi nequeat, proinde
quodcumque præceptum siuè humanum, siuè diui-
5 num, siuè naturale rectè obseruatur, sequendo
id, quod probabile est, etiam omissa opinione pro-
babiliori, ac tutiori: ergo etiam præceptum de
non fornicando obseruatur ab eo qui accedit ad
eam, quam probabiliter credit esse suam coniu-
gem: ergo etiam ante adhibitam diligentiam, qui
probabiliter credit matrimonium contractum va-
lidum esse, poterit, & vti petendo debitum; neque
ita violat præceptum de non fornicando.

Ad primum respondetur, dupliciter posse habe-
6 ri probabilem opinionem de nullitate matrimo-
nij: Primò, vt vtraque opinio reputetur probabi-
lis: Secundò, vt vna reputetur probabilis, de al-
tera verò opposita non constet, sed dubitetur an sit
probabilis: Qui vtramque opinionem reputat
probabilem, poterit reddere, & petere, nam cum
assentiatur esse validum matrimonium, proinde
non agit contra iudicium conscientiæ, vt ait textus
in cap. inquisitioni de sententia excomm. prohibens
petitionem debiti, *ne contra iudicium conscientiæ
committat offensam*: Qui autem vnam opinionem
scit esse probabilem, sed ignorat an opposita quo-
que sit probabilis? hic verè, & propriè dubitans
peteret debitum, quod illicitum est, ante diligen-
tiam saltem, dubitans enim potest reddere, sed ne-
quit petere, vt definitur *in cap. Dominus de secundis
nuptijs*.

Ad secundum respondetur requiri moralem
certitudinem mortis prioris viri, aut vxoris, seu
validitatis, vt possit contrahi matrimonium, vt ha-
betur *in cap. in præsentia de sponsalibus, & in cap. Do-
minus de secundis nuptijs*: at non requiritur moralis
certitudo validitatis matrimonij, vt quis eo vtatur
reddendo, ac petendo debitum, sed sufficit proba-
7 bilitas: id ostendo, nam facilius impeditur matri-
monium contrahendum, quàm contractum dissol-
uatur, aut separentur coniuges; magna enim incon-
uenientia sunt, si contrahatur inualidè matrimoniũ,
nullum autem inconueniens est ipsum non contra-
hi: quare ad impediendum matrimonium contra-
8 hendum, sufficit vnicus testis, aut fama, vt latè pro-
bat Sanchez *de matrimonio lib. 1. disp. 71.* sed ad dis-
soluendum matrimonium, fama non sufficit, *vt in
cap. si duo 35. qu. 6.* sed requiritur plena probatio,
per testes omni exceptione maiores, vt docet Co-
uar. *in 4. decretal. 2. p. cap. 8. §. 12. n. 7. & 8.* Soto *in 4.
dist. 41. q. vnica art. 3. concl. 3.* Villalobos *tom. 1. tract.
1. diffic. 23. n. 3.* Ergo cum facilè sit, & minus requi-
ratur ad impediendum matrimonium contrahen-
dum, proinde requiritur certitudo moralis ipsum
validè contrahi: è contra cum difficiliter contra-
ctum dissoluatur, non requiritur certitudo moralis
validitatis ipsius, vt quis eo vtatur, sed sufficit pro-
babilitas, vt possit licitè petere, ac reddere de-
bitum.

Ad tertium Respondetur eum, qui probabiliter
credit se validè contraxisse, propriè, & verè non du-
bitare, qui enim propriè dubitat, nulli parti assen-
titur, quare non prohibetur petere debitum.

Ad quartum Respondetur S. Thomam aliosque
DD. loqui de eo, qui probabiliter iudicat esse im-
pedimentum, sed ignorat an oppositum sit proba-
bile, hic enim verè dubitat, an legitimè petat debi-
tum, vnde tanquam dubius prohibetur petere, vt
definit *tex. in cap. Dominus de secundis nuptijs*. Præte-
rea esto ij Doctores doceant: non posse petere: at
alij graues Doctores probabiliter tradunt oppo-
situm.

Ad quintum Respondetur operantem secun-
dùm opinionem probabilem operari prudenter, ac
conformiter ad rectam rationem; proinde nulli pe-
riculo se exponere; nam esto nullum esset matri-
monium, tunc petens non esset formaliter forni-
carius, sed tantùm materialiter, sicut idem asserunt
doctores de reddente debitum. Neque refert, quod
reddens necessitate coactus reddit, quare fornica-
tio non est illi virtualiter volita; nam petens, quam-
uis liberè petat, tamen non tenetur cessare à peti-
tione, vnde fornicatio non est illi virtualiter volita;
9 tria enim requiruntur ad voluntarium virtuale, seu
indirectum: nempè, quod quis possit non agere ali-
quid, ex quo sequitur peccatum: quod agat: & quod
teneatur non agere D. Thomas *1. 2. q. 6. art. 3.* vbi
Caietanus, Vasquez, Medina, Zumel, Curiel *dub. 2.
§. 3.* Salas *disp. 1. sect. 4. tract. 1.* Montesinus *1. 2. disp.
9. q. 5. num. 87. & 92.* Lorca *1. 2. q. 6. art. 3.* Sed qui
probabiliter credit hanc esse suam coniu-
gem, prudenter operatur, cum ad eam
petens debitum accedit: ergo non
tenetur non petere debitum:
ergo si sequatur forni-
catio, erit illi
inuolunta-
ria.

(∴)

QVÆSTIO XXXVI.

An graui periculo imminente liceat sequi opinionem, quæ ita parùm probabilitatis habet, vt cessante tali periculo sequi non possit?

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui, num. 1. Negant alij, num. 3. Alij docent indistinctè, etiam extra periculum, posse sequi opinionem minimum gradum probabilitatis habentem, num. 5. Imò aliquando obligari ad eam sequendam, num. 2. Mihi distinguendum videtur, aut opinio verè est falsa, & improbabilis, & tunc neque quocumque periculo stante potest sequi, vel dubitatur an sit, vel non sit probabilis, & tunc stante periculo sequi potest, non autem extra periculum, n. 5.

1 AFfirmat Nauarrus *in cap. inter verba n. 135. in secunda edit.* vbi sic ait: *Licèt quis habeat opinionem alicuius partis, & solam alterius formidinem, non tenetur sequi opinionem, si inde magnum immineat alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem; quia periculum graue facit, vt in moralibus formido præponderet opinioni.* ita Nauarrus. & Sotus *de tegendo secreto mem. 3. quæst. 2. concl. 2.* ait. *Licèt habeat quis opinionem partis minùs tutæ, & solam formidinem alterius, non semper tenetur sequi opinionem, si modo ab illa parte magnum immineat periculum, & formido alterius habeat probabilitatem apparentem. Exempli gratia, interrogat te Iudex aduersùs dignissimam personam, nempè cuius vita prætiosa est in Republica, opinarisque Iudicem legitimè inquirere, sed cum probabili formidine partis contrariæ: certè non tibi consulerem opinionem sequi, vt testimonium dicas, sed potiùs celes, nam periculum graue, vt dignissima persona, præter ius occidatur, facit, vt in moralibus formido præponderet opinioni: At verò si formido tenuissima est, nempè, quæ à pauore potiùs, & ignauia meticulosi hominis, quàm à ratione proficiscitur, talis vincenda est, aut contra illam agendum*, ita Sotus, & Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 36. n. 8.* agens, an ad matrimonium inualidum ob occultum impedimentum, eo cessante ratificandum, oporteat alterum coniugem certiorem facere de nullitate, ait: *quod si est probabilis timor scandali, vel infamiæ, nec posset extorqueri consensus conditionalis absque prædicto periculo, posset amplecti ea opinio, vt omnino tecta prioris matrimonij nullitate, persuadeatur ignoranti, vt ex tunc habeat alterum in coniugem; quia quamuis ea opinio parùm probabilis sit, & secluso eo periculo amplecti nequeas, non tamen est omnimoda probabilitate destituta, sed aliqualem habet, cum patronos grauissimos, & rationes aliquantulum probabiles habeat, & quod aliàs non iudicaretur probabile, facit tale esse vrgens necessitas, & periculum quod ex opposito sequeretur.* Ita Sanchez, qui idem docet *lib. 1. summæ cap. 9. num. 25.* docent idem, Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 8.* Baldellus *to. 1. theol. moral. lib. 4. disp. 12. num. 4. 10.* Præpositus *q. 4. de confessione n. 88.* Castropalaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 2. n. 5.* Pellizzarius *tract. de monialib. cap. 10. num. 184.* vbi sic ait: *quotiescumque agitur de vitando graui malo, ac periculo proximi, lex charitatis obligat ad operandum, etiam secundum opinionem, quæ solum habeat aliquam speciem probabilitatis, saltem apparentis, & quæ veriùs dicatur formido, quàm opinio.*

Imò docent non solum te posse, sed teneri ali-
2 quando operari iuxta opinionem minimum gradum probabilitatis habẽtem, ne proximus incurrat grauissimum damnum, ita Castropalaus vbi supra, & Pasqualigus, *dec 30.*

Negant autem Basilius Pontius *de matrimonio lib. 4. cap. 25. numer. 7. & 10.* vbi de eadem quæstione scribens, ait: *nullum esse peccatum in eo, qui etiam extra casum necessitatis sequitur opinionem probabilem in hac re; si reuera illam iudicat probabilem per extrinseca principia (dico: si probabilis est; ego enim illam sententiam nullo modo existimo probabilem) quia in eo, quod sequitur opinionem in isto casu, nullam iniuriam irrogat Sacramento Matrimonij*, ita Pontius, qui sentit impertinenter se habere periculum; nam si opinio est probabilis, etiam extra periculum sequi potest; si verò iudicatur improbabilis, neque stante grauissimo periculo sequi licèt.

Hanc Pontij Doctrinam contra Sanchez probo, quia cessante periculo ea opinio est leui fundamẽto nixa, & sic improbabilis, & non tuta: ergo etiam accedente periculo erit innixa leui fundamento, improbabilis, & non tuta. Consequentia patet, quia cum periculum, sit aliquid multum opinioni extrinsecum, accidentale, & impertinens, non potest reddere fundamentum solidum, quod est leue; quare periculum est impertinens ad probabilitatem, vel improbabilitatem opinionis: ergo si illa tenuis probabilitas non sufficit ad excusandum à peccato extra periculum, neque sufficiet accedente graui periculo, nam etiam accedente periculo remanet fundamentum adhuc leue, & sic opinio improbabilis, & non tuta: Ergo dicẽdum cum Pontio, quod ea opinio, quæ tutò sequitur, stante periculo, tutò quoque sequitur extra periculum; quia in vtroque casu remanet idem fundamentum. Hinc patet quod extra periculum non possit coniux sequi opinionem, vt non moneat de nullitate matrimonij neque stante grauissimo periculo poterit eam sequi. Probo quia periculum accedens nihil confert
3 ad consensum præsumptum coniugis: ergo si extra periculum non validatur matrimonium inscio coniuge de nullitate, neque etiam quocumque graui periculo accedente poterit validari.

Pater Pasqualigus *decis. 20. num. 7.* & Bresserus
4 *lib. 3. de conscientia cap. 7. num. 77.* Scribunt indistinctè posse sequi opinionem, quæ minimum gradum probabilitatis habet, etiam si nullum sit periculum. Ratio est, quia ille minimus gradus probabilitatis constituit eam verè probabilem; sicuti minimus gradus gratiæ facit animam verè sanctam, & iustã, & minimus gradus albedinis constituit parietem verè album: ergo cum ea opinio sit verè probabilis, tutò sequitur; quia est rationabilis, quamuis opposita esset longè probabilior.

Mihi ita distinguendum videtur; Vel opinio
5 adeo improbabilis est, & falsa, ita vt extra periculũ sequi nequeat, & tunc neque accedente periculo

sequi

ſequi poteſt, vt ſupra authoritate Pontij, & ratione probaui: Vel opinio tam remiſſum, ſeù tenuem habet probabilitatis gradum, vt vir doctus dubius hæreat, an opinio reuera, ſit probabilis, vel non ſit probabilis, adeò vt nequeat ſe determinare, eam tanquam falſam condemnando, vel non condemnando; & hoc caſu dico cum Sanchez, quod extra periculum non liceat eam opinionem ſequi, de qua vir doctus dubitat, nec ſe determinare poteſt, vt iudicet probabilem, vel improbabilem; ratio eſt, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda: Accedente verò grauiſſimo periculo mortis Infamiæ, ſcandali, tunc ſtante tali dubio, an opinio ſit ſaltem per principia extrinſeca probabilis, ſequi poteſt, & ita vera eſt doctrina Nauarri, Soti, & Sanchez.

Probo, quia quilibet habet ius certum tuendi ſuum honorem, ſuam vitam, ſuas facultates, neque ſe exponendi grauiſſimo iacturæ bonorum, famæ, ac vitæ periculo: ergo in dubio, an opinio ſit probabilis, vel improbabilis, ſtat poſſeſſio pro tuendo honore, vita, facultate coniugis, & ſic vt non notificet impedimentum cum tanto diſcrimine; ita à fortiori docent de Ieiunio, & Horis canonicis, quia ſi dubium eſt, ſeù ſi adſit periculum, quod noceant ſaluti, non tenemur eorum præcepto, ſed ſumus liberi abſque vlla diſpenſatione ſuperioris, quia certum ius quis habet non ſe exponendi periculo ſalutis. Bonac. *de horis canon. diſp. 1. q. 6. punct. 2. num. 5.* Io: Sanchez *in selectis diſp. 51. num. 9.* Diana *part. 2. tract. 12. reſol. 28.* Fauet doctrina Iaſonis *in l. 1. num. 56. C. de ſumma Trinit.* vbi dicit in dubijs præſerendam eſſet ſententiam animabus fauentem.

QVÆSTIO XXXVII.

An teneatur Confeſſarius eximere pœnitentem à reſtitutionis obligatione, aut alia quacumque, ſi ſit opinio probabilis, vel probabilior excuſans?

SVMMARIVM.

Obligatur, quando expreſſè interrogatur, an ſit opinio probabilis excuſans? n. 1.

Niſi Confeſſarius præuideat, pœnitentem perſeueraturum in peccato. num. 2. poterit tunc iniungere reſtitutionem pro pœnitentia. n. 3.

Poteſt Confeſſarius ex opinione probabili excuſare à reſtitutione, omiſſa propria, & probabiliori. n. 4.

An teneatur excuſare à reſtitutione, ſi abſolutè interrogatur, an ſit obligatio reſtituendi? n. 5.

Si opinio excuſans ſit probabilior, non poteſt confeſſarius obligare ad reſtitutionem. n. 6. neque poteſt contra propriam opinionem obligare ad reſtitutionem, ſi vtraque opinio ſit æquè probabilis. n. 7.

Poteſt obligare ad reſtitutionem, omiſſa probabiliori excuſante, ſi præuidet pœnitentem excuſatum perſeueraturum in peccato. n. 8.

Obligatur ad abſoluendum, ſi pœnitens doctus afferat pro ſe opinionem probabilem. n. 9.

Sed quale peccatum ſit, ſi non abſoluat? n. 10.

Quid agendum Confeſſario, quando pœnitens verſatur in opinione falſa, & erronea? n. 11.

An poſſit Confeſſarius remittere ad alium Doctorem, quem ſcit opinionem excuſantem tenere? n. 12.

1 PRimus caſus eſt, quando pœnitens expreſſè rogat Confeſſarium, an aliqua ratione à reſtitutione excuſari valeat? hoc caſu tenetur eum eximere, aut abſtinere à conſilio, ita Salas 1. 2. *q. 21. tract. 8. diſp. vnica num. 85.* Sanchez *libr. 1. ſummæ c. 9. n. 21.* Ioannes Sanchez *diſp. 43. n. 42.* Diana *p. 2. tract. 13. reſol. 14.*

Probatur, quia ex fidelitate tenetur docere veritatem: ergo tenetur reſpondere eſſe excuſatum, & tutum in conſcientia, cum reuera ſtante probabili opinione ſit excuſatus, & tutus in conſcientia.

Limitandum tamen ego id puto, quando con-
2 feſſarius præuidet, quod conſulens liberatus ab
onere reſtituendi, propter opinionem probabi-
lem, aut probabiliorem, perſeueraturus eſt in pec-
cato v.g. in Iudice, qui ex probabiliori opinione
non tenetur ad reſtitutionem munerum contra
ius poſitiuum accepta à liberè dantibus; quamuis
is certiſſimè peccet: hoc caſu ne detur anſa peccā-
di, debet confeſſarius reſpondere obligando ad re-
ſtitutionem, iuxta opinionem probabilem; niſi pu-
taret illum non reſtituturum, ita Sanchez *in ſumma*
lib. 1. cap. 9. num. 21.

Ratio eſt, quia in hoc caſu non obſtat vinculum fidelitatis, eò quia non reputatur infidelis confeſſarius, ſi tanquam peritus medicus animæ pœnitentis, conſulat remedia opportuna æternæ ſaluti, quamuis cum fortunarum detrimento.

Adde quod poterit Confeſſarius, obligare pœ-
3 nitentem ad reſtitutionem, quamuis reuera nulla
adſit obligatio, ne perſeueret in peccato, imponē-
do ei reſtitutionem, tanquam pœnitentiam pec-
cati, eamque pœnitentiam tamquam medicina-
lem, optimum erit imponere (niſi præuideat non
adimplendam) & ne perſeueret in peccato pœni-
tens, prudenter faciet Confeſſarius, ſi permittat
pœnitentem credere ſe, ex natura rei, obligari ad
reſtitutionem, ad hoc vt in poſterum abſtineat à
peccato, quare non debet illi apertè dicere, ſe non
eſſe obligatum ad reſtituendum.

Hinc patet poſſe Confeſſarium ſequendo opi-
4 nionem probabilem omiſſa propria, & probabilio-
ri excuſare à reſtitutione, ita Vaſquez *diſp. 62. n.*
47. diſput. 63. num. 4. Salas *num. 84.* Sanchez *libr. 1.*
ſum. cap. 9. num. 28. Io: Sanchez *diſp. 43. num. 42.*
& diſp. 44. num. 50. Ratio eſt, quia poteſt quis ope-
rari ſecundum probabilem omiſſa propria, & pro-
babiliori opinione: ergo, & conſulere ſecundus eſt
caſus, quando pœnitens abſolutè interrogat, an
debeat reſtituere, non addens an ſit aliqua opinio
5 excuſans à reſtitutione, tunc communiter Docto-
res docent poſſe Confeſſarium obligare ſecundum
opinionem probabilem omiſſa alia probabili, non
autem omiſſa opinione propria, aut probabiliori,
vt infra dicam. Ita Sanchez *lib. 1. ſum. c. 9. n. 21.* Sa-
las vbi ſupra *num. 85.*

Contrarium tamen probabilius docent Villalobos *tomo 1. tract. 1. diffic. 12. num. 2.* & Caſtropalaus

tom. 1.

tom.1.tract.1.disput.2.punct.3.num.4. qui docent, quod, etiam si pœnitens ignoret opinionem excusantem, tenetur Confessarius, eum monere esse excusatum.

Ratio est, quia pœnitens, est consulens: ergo Confessarius ex officio tenetur illi aperire sua iura, quibus excusatur à restitutione; sicuti aduocatus ex officio tenetur manifestare clienti sua iura. tum quia pœnitens implicitè, & virtualiter interrogat confessarium, an possit excusari: sed quando expressè interrogat, an possit excusari, tenetur Confessarius ratione fidelitatis, respondere secundùm probabilem excusantem: ergo etiam quando tacitè, implicitè, seù virtualiter interrogat, tenetur ex fidelitate aperire, adesse opinionem probabilem excusantem, taciti enim, & expressi eadem est Virtus *l.1. ff. si certum petatur*. Tum quia, si pœnitens nollet acquiescere Confessario obliganti ad restitutionem, tenetur in conscientia Confessarius illum absoluere, & non obligare ad restitutionem, vt infra dicam: ergo etiam in hoc casu, quando pœnitens est obediens eius dictis, non debet obligare ad restitutionem, à qua secundum probabilem opinionem potest eum eximere; quia in vtroque casu pœnitens reuera inuoluntariè restituit, imò nollet restituere, si sciret se excusari. Tum quia Confessarius est iudex pœnitentis, non iudicans inter pœnitentem, & creditorem, sed inter pœnitentem, & Deum: sed potest eum absoluere, cum nulla diuinæ Maiestatis offensa: ergo tenetur, tum quia pœnitens se habet, vt reus, & est in possessione suæ pecuniæ: ergo illi fauendum.

Aduertit Castropalaus *to.1. tract. 1. disp.2. punct. 3. num. 4.* posse Sacerdotem ex aliorum opinione obligationem consulere, si rogans intelligat, solùm ex probabili opinione sibi esse obligationem consultam, tunc enim veritatem manifestat, neque illi iniuriam facit, siquidem tacitè dicit contrarium esse probabile, & posse illud tutò sequi: Sed hæc Castropalai Doctrina, vt ipsemet aduertit, non procedit in rudi homine, & ignorante, qui putaret sibi tamquam indubitatum consuli; tunc enim iniuriam illi facit Confessarius, si ab ignorantia non remoueat, & veritatem non manifestet. Addo ego, id ferè nunquam procedere, nisi consulens sit Theologus, aut doctus vir, qui Confessarij responsum benè nouit expendere, imò breuiter dicam, tale responsum esse ferè semper æquiuocum, & captiosum, quia pœnitens facilè existimare poterit, illud tanquam indubitatum sibi consuli, neque faciliter aduertet, contrarium esse tutum.

Tertius est casus, quando opinio excusans est probabilior, tunc nequit confessarius obligare ad restitutionem sequendo opinionem probabilem, (quamuis possit excusare à restitutione, sequendo opinionem minus probabilem, omissa propria, & probabiliori, vt supra dixi) ita Vasquez 1. 2. *disp. 62. cap. 9. num. 47. & disp. 63. cap. 3. num. 14.* Salas 1. 2. *q. 21. tract. 8. disp. unica sect. 10. num. 85.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 3. diffic. 12. num. 2.* Diana *part. 2. tract. 13. resol. 14.* Contra Sanchez *libr. 1. summæ cap. 9. n. 21.*

Ratio est, quia infideliter agit Confessarius, si secundum opinionem aliorum minus probabilem damnat ad restitutionem; nam pœnitens intendit interrogare de opinione magis probabili, & sibi fauorabili: ergo tenetur eam confessarius manifestare.

Obijcies, potest omissa probabiliori, ex opinione probabili excusare, vt supra dixi; ergo etiam obligare.

Respondetur, disparitas est, quia ad excusandum tenetur ratione fidelitatis, implicitè enim rogatur de opinione excusante.

Instabis igitur non solum de præiudicio pœnitentis, sed etiam eius, cui facienda est restitutio: ergo liber est Confessarius, cui velit fauere.

Respondetur, quod quò ad pœnitentem tenetur speciali vinculo fidelitatis respondere, an adsit aliqua opinio excusans: at nullo vinculo tenetur tertio, cui esset restituendum, est enim Iudex inter Deum, & pœnitentem, non autem inter creditorem, & debitorem.

Obijcies secundò, potest Confessarius omissa probabiliori opinione operari secundum probabilem: ergo, & consulere.

Respondetur, nego consequentiam, quia obstat fidelitas.

Quartus casus est, quando sunt duæ opiniones
7 probabiles, an possit Confessarius contra propriam opinionem obligare ad restitutionem?

Respondetur negatiuè, ita Vasquez 1.2. *disp. 62. num. 47. & disp. 63. num. 14.* Salas 1.2. *q. 21. tract. 8. disp. unica num. 85.* qui docent, quod Confessarius, vel alius consultus non potest pœnitentem, vel alium obligare ad restitutionem, vel aliquid aliud contra propriam opinionem, ex opinione alterius Doctoris, quoties alius non esset restituturus, si sciret non esse opinionem consilium dantis, sed aliorum tantùm; quia iniquum est, ficta authoritate conuincere alium, quia ille tunc non vult eam opinionem sequi, sed consilium dantis, ita Vasquez, & Salas. Quare agit tunc Confessarius contra fidelitatem, quia tenetur aperire consulenti propriam opinionem, de qua interrogatur: &, quamuis possit contra propriam opinionem eximere ab obligatione restituendi, tamen non rectè infert Sanchez *lib. 1. sum. cap. 9. num. 21.* quod poterit etiam condemnare ad restitutionem, disparitas est, quia in priori casu consulit iuxta desiderium, & voluntatem petentis Consilium, cum deobliget à restituẽdo; in posteriori autem casu consulit contra desiderium petentis Consilium, & contra virtutem fidelitatis, qua obligatur ad aperiendam veritatẽ.

Quintus est casus, quando Confessarius præuidet
8 pœnitentem perseueraturum in peccato non restituendo, tunc omissa probabiliori obligante ad restitutionem, tenetur, consulere iuxta opinionem, probabilem excusantem, ita Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 31.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 12. num. 2.* Contra Salon 2. 2. *q. 62. art. 2. contr. 4.* putantem, tantùm in articulo mortis obligari ad excusandum in tali casu.

Probatur, quia Confessarius tenetur ex officio, disponere pœnitentem ad Confessionem: ergo tenetur

netur monere de opinione excuſante, vt ita diſponat pœnitentem, & remoueat occaſiones peccãdi. Tum quia cum perſeueraturus ſit in peccato, niſi moneatur, tenetur ex charitate eum monere.

Sextus eſt caſus, quando pœnitens doctus affert
9 pro ſe opinionem verè probabilem, tunc tenetur abſoluere, ſiuè ſit proprius ſacerdos, ſiuè non, quãdo ſacerdos audiuit Confeſſionem, & non abſoluens peccat mortaliter, ſi iniuſtè graue onus pœnitenti imponat repetendi longam Confeſſionem, aut nimis verecundam, ſecùs ſi breuem, & non verecundam. Sotus *in* 4. *diſt.*18. *qu.*2. *art.*5. ad quintum Suarez *de pœnit. diſput.*32. *ſect.* 5. Vaſquez *p.*2. *diſp.*62. *c.* 7. *num.*40. Azor *lib.*2. *c.* 10. *q.* 10. Sayr. *libr.* 1. *cap.*9. Salas 1.2. *qu.*21. *tract.*8. *diſp. vnica num.*82. Henriquez *lib.*3. *c.*26. *n.*6. Thomas Sanchez *lib.*1. *ſum. cap.*9. *num.*29. Salon 2.2. *q.*63. *art.*4. *controu.*2. *concl.*4. Villalobos *tom.*1. *tract.*1. *diff.*12. *num.*1. Io: Sanchez *diſp.*33. *num.*54. *& diſput.*44. *num.*35. *verſ. qualiter.* Diana *part.*2. *tract.*13. *reſol.*11. Monteſinus 1.2. *diſp.*29. *q.*5. *num.*199. Merolla *tom.*1. *diſp.*3. *c.*4. *num.*45. Eminentiſſimus Lugo *de pœnit. diſput.*22. *ſect.*2. §. 2. Caſtropalaus *tom.*1. *tract.*1. *diſp.*2. *punct.* 4. *num.*3.

Ratio eſt, quia pœnitens ex opinione probabili, quam affert tutus eſt in conſcientia, & ſic rectè depoſitus ad recipiendam abſolutionem: ergo peccat Confeſſarius, ſiuè ſit proprius parochus, ſiuè delegatus, qui audita confeſſione eum non abſoluit, infert enim illi grauem iniuriam, quia ius habet ad abſolutionem.

Confirmatur nam confeſſarius verè, & propriè eſt Iudex ſententiam proferens, vt ex Trid. *ſeſs.*14. *de Sacram. pœnit. c.*5. Iudex autem obligatur ferre ſententiam.

Hoc tamen eſt diſcrimen inter confeſſarium proprium, & non proprium, quia iſte data abſolutione poteſt dicere pœnitenti, niſi mutes opinionem vlteriùs ad me non accedas; Sacerdos autem proprius id nequit dicere, ſed obligatur, quandocumque acceſſerit excipere, & abſoluere, vt rectè docet Lugo vbi ſupra *n.* 48. qui etiam *n.* 46. benè aduertit, aliquando confeſſarium virum doctiſſimũ eſse, & accuratè ponderatis rationibus contrariæ opinionis, quam multi, & docti ſcriptores ſequuntur, deprehendere eam falſam, quia aduertit rationes procedere ex æquiuocatione, aut ex falſo fundamento; quod illi authores non ita diligenter rem conſiderantes non aduerterunt, adhuc tamen ea opinio propter authoritatem Doctorum, verè eſt probabilis, quare obligatur adhuc pœnitentem abſoluere Sanchez *lib.*1. *ſum. cap.*9. *n.*30. Valent. 2. 2. *diſp.*5. *q.*7. *punct. vltimo in fine.* Bonacina *de peccatis q.*4. *punct.*9. *n.*8. Addo quoque obligari ad abſoluendum ſequendo probabilem pœnitentis opinionem, eſto præuideat illum abſolutum perſeueraturum deinde in peccato, vt quia opinio illa liberat à reſtitutione, non à peccato.

Ratio eſt, quia pœnitens, qui dolet de præteritis culpis, cum propoſito vlteriùs non peccandi, eſt iam diſpoſitus ad abſolutionem, & quamuis ſequẽdo eam opinionem liberantem à reſtitutione, exponat ſe periculo iterum peccandi, tamen non obligatur ſub mortali ad tale periculum reincidentiæ vitandum, faciendo reſtitutionem, quia tale periculum eſt remotum, non proximum; vnde ſi perſiſtat in ſua ſententia petens abſolutionem, cum voluntate non reſtituendi, abſoluendus omnino eſt.

Aduerte autem obligari confeſſarium ad abſoluendum pœnitentem, quando opinio verſatur circa rem aliquam factam, aut faciendam ab ipſo pœnitente, tunc enim ſtante opinione probabili pœnitens eſt diſpoſitus, & ius habet ad abſolutionem: At ſi opinio ſit circa Iuriſdictionem Confeſsarij, an v.g. poſſit abſoluere à caſu reſeruato, tunc poterit denegare abſolutionem, quia denegata abſolutio non arguit indiſpoſitionem, & indignitatem in pœnitente, ſed defectum Iuriſdictionis in confeſſario, proinde nulla iniuria irrogatur pœnitenti, ſed potius eam ſibi irrogat Confeſsarius. Io: Sanchez *diſp.*44. *num.*10. §. *ſed valdè notandum.* Pontius *de matrim. lib.*4. *cap.*25. Caſtropalaus *tom.*1. *tractat.*1. *diſp.*2. *punct.*4. *n.*4.

Sed difficultas eſt quale ſit peccatum denegare
10 debitam abſolutionem. Prima ſententia aſserit eſſe veniale. Vaſquez *diſp.*62. *cap.*7. Salas *q.*21. *tract.* 8. *diſp. vnica ſect.*9. Sayrus *in clau. Regia lib.*1. *cap.*9. *n.*13. Monteſinus 1.2. *diſp.*29. *q.*5. *n.*19.

Sed contra eſt, quia grauis iniuria infertur, dum graue onus iniuſtè imponitur pœnitenti, repetendi longam, aut ſatis verecundam Confeſſionem.

Secunda ſententia affirmat eſse ſemper mortale peccatum, etiam ſi confeſſio ſit breuis de ſolis venialibus, Caſtropalaus *tom.*1. *tract.*1. *diſp.*2. *punct.* 4. *num.*6.

Probat, quia graue damnum infert, priuando magno beneficio Sacramenti ad quod habet ius: eſse autem graue damnum, patet, nam frangens votum de vnica confeſſione venialium mortaliter peccat. Neque excuſat eſse damnum faciliter reparabile, quia hoc eſt per accidens; ſicut mortaliter peccaret priuans dignum beneficio Eccleſiaſtico; licèt ſciat facillimo negotio poſse aliud æquè bonum conſequi, quia ad grauitatem culpæ non attenditur, an poſſit damnificatus damnum reparare: Sufficit ſi damnum factum graue ſit.

Tertia ſententia, quam ego ſequor aſserit, eſse mortale ſi ſit confeſſio de mortalibus, aut ſatis longa, aut verecunda; erit veniale ſi ſit confeſſio de venialibus, ac breuis, nec verecunda. Suarez *de pœnit. diſput.*32. *ſect.* 5. Thomas Sanchez *in Decalog. lib.*1. *cap.*9. *n.*29. Ioannes Sanchez *diſp.*33. *n.*54. *in fine.*

Probo, quia quamuis quodcumque bonum Spirituale grande ſit comparatum ad bonum temporale, tamen admittit paruitatem materiæ conſideratum in ſuo genere; quare docent communiter venialiter peccare, non perſoluentem pœnitentiam peccatorum venialium; ſic venialiter peccat non celebrans vnum ſacrum promiſſum; nec quiſquam dicet mortaliter peccare Parochum nolentem audire vnicam confeſſionem venialium; ergo neque mortaliter peccabit denegans abſolutionem vnius confeſſionis venialium.

Tum quia, quamuis per accidens sit, esse reparabile damnum, tamen hoc non est impertinens ad diminuendam grauitatem damni: Vnde non peccat mortaliter, qui etiam inuito domino absumeret dolium vini, sciens mox certissimè absumendum ab hostili exercitu adueniente.

Ad instantiam de Ecclesiastico beneficio. Respondeo, quod esse faciliter reparabile damnum, non liberat ab iniustitiæ culpa, sed eam diminuit, in beneficio autem Ecclesiastico iniustè denegato non adeò diminuit, vt euadat veniale peccatum; quia ea denegatio erat grauissima iniuria: at in denegata absolutione, ita diminuit, vt sit veniale peccatum, quia non erat ea priuatio nimis graue damnum.

Ad instantiam de vouente confessionem venialium. Respondeo, non esse parem obligationem omittentis confessionem debitam ex voto, ac denegantis absolutionem, vt patet in omittente audire missam præceptam, qui mortaliter peccat, sed priuans alium suffragio Missæ, quam promiserat, peccat venialiter: sic etiam parochus omittens audire confessionem venialium non peccat mortaliter: at omittens eam confessionem debitam ex voto mortaliter peccat. Ratio discriminis est, quia vouens simpliciter priuat Deum obsequio promisso; at verò denegans absolutionem priuat pœnitentem fructu gratiæ sacramentalis, quod damnum est faciliter reparabile; ac longè minoris momenti, quam diuinum obsequium.

11 Septimus Casus est, quando versatur pœnitens in opinione omnino erronea, & falsa; tunc monendum esse de improbabilitate opinionis, atque repugnantem non absoluendum, docent Sanchez *libro* 1. *Summæ capit.* 9. *numer.* 28. Suarez *de pœnit. disputat.* 32. *sect.* 5. *numero* 3. Vittoria *in sum. de Confess. numer.* 177. Diana *part.* 2. *tractat.* 13. *resolut.* 11. Barthol. Ledesma *in sum. tit. de sacram. pœnit. diff.* 14. Villalobos *tom.* 1. *tractat.* 1. *diffic.* 12. *numer.* 4. Castro Palaus, *disputat.* 2. *punct.* 4. *num.* 7.

Sed Eminentissimus Lugo *de pœnit. disp.* 22. *sect.* 2. §. 2. *num.* 45. *& seq.* Optimè sic distinguit: Vel opinio versatur circa administrationem ipsius Sacramenti pœnitentiæ, vt circa iurisdictionem, an pœnitens accedat dispositus, contritus, cum sufficienti examine, & tunc confessarius nullo modo potest absoluere pœnitentem permittendo illi opinionem improbabilem; quia hoc non esset permittere, sed approbare, & in propria sua operatione sacerdotem sequi opinionem improbabilem. Vel opinio falsa versatur circa ipsius pœnitentis obligationes, vt circa restitutionem, vel aliam obligationem, tunc facta priùs accurata diligentia de improbabilitate opinionis, si deprehendat, pœnitentem versari in ignorantia culpabili, quia pœnitens dubitat de suæ opinionis falsitate, tunc tenetur docere veritatem, & non potest eum repugnantem absoluere. Si autem deprehendat, pœnitentem versari in ignorantia inculpabili, & inuincibili, tunc potest permittere, eum in tali errore versari, si cognoscat, quod monitus non acquiescet, imò deinde cum peccato faciet, quod priùs bona fide, & absque peccato operabatur: nisi ignorantia pœnitentis redundaret in damnum tertij, aut in publicum damnum, vel scandalum, tunc tenetur monere, quicquid inde sequatur, sed tali casu poterit confessarius hortari pœnitentem, consulere viros doctos, & eorum obedire Consilijs, quod si promittat, poterit absoluere, si verò non acquiescet, iam non erit dispositus ad absolutionem; tunc enim illa ignorantia incipit esse affectata, & culpabilis, quare tunc non erit absoluendus.

12 Octauus est Casus, quando Confessarius remittit pœnitentem ad alium Doctorem, quem scit, contrariam opinionem excusantem tenere, tunc licitè remittit, si sciat eam opinionem saltem ab extrinseco esse probabilem, aut illum, ad quem remittit tantæ esse doctrinæ, & pietatis, vt sua authoritate possit opinioni conciliare probabilitatem: Si verò sciat illam opinionem omninò falsam, peccat remittendo; quamuis ille Doctor consultus, ad quem remittitur, excusaretur à peccato ob inuincibilem ignorantiam, ita Vasquez *part.* 2. *disputat.* 62. *capit.* 9. *numer.* 48. Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tractat.* 8. *disputat. vnica, num.* 84. Sanchez *lib.* 1. *Summæ capit.* 9. *numer.* 23. quicquid contradicat Castropalaus *tomo* 1. *tractat.* 1. *disputat.* 2. *punct.* 3. *numer.* 5.

Prima pars probatur, quia, si illa opinio est ab extrinseco probabilis, potest ipsemet secundum eam consulere: ergo & ad alium remittere, qui secundum eam consulat.

Secunda pars probatur, quia scienter cooperatur peccato materiali alterius, quia cum ea opinio, sit reuera improbabilis, quamuis ille Doctor, & pœnitens ob inuincibilem ignorantiam non peccent formaliter, vt suppono, peccant tamen materialiter: ergo remittens, qui tali peccato materiali cooperatur, cum possit, & teneatur illud vitare, peccat. Consequentia patet, quia formaliter peccat cooperans materiali peccato alterius; licèt operans materialiter tantùm peccet, ob inuincibilem ignorantiam; Ratio est, quia cooperans, vult liberè obiectum malum: ergo formaliter peccat; sicuti formaliter peccaret cooperans copulæ duorum mentecaptorum; aut cooperans scienter fractioni ieiunij inuincibiliter ignorati à comedente.

Dices ex Castropalao, vel euidenter cognoscis, esse falsam, & tunc debes existimare alium doctorem ignorantia duci, & sic non potes ad eum remittere, vel non euidenter cognoscis falsam, & tunc frustra remittis, cum ipse possis absoluere.

Respondeo, sæpè contingere te dubitare, an sit falsa, & tunc prudenter potes ad alium remittere: Præterea, quamuis putes, esse euidentem falsitatem, tamen si probè noueris doctorem, ad quem remittis, esse te doctiorem, prudenter existimare poteris, illum diligentiùs examinare posse eius opinionis fundamenta,

ac deprehendere eam non eſse falſam, vt tu exiſtimas.

QVÆSTIO XXXVIII.

An opinio, quæ in vita eſt probabilis, & tuta, ſit etiam in articulo mortis?

SVMMARIVM.

Negant aliqui, num. 1. alij affirmant, n. 3. Neutra opinio eſt vniuerſim vera, n. 5.

Moribundum debere conari ad actum contritionis, docent aliqui, num. 2. alij probabiliùs docent non obligari, ſi confeſſus ſit cum attritione cognita, num. 4. & 8.

Quando vſus opinionis probabilis affert moribundo irreparabile periculum ſalutis, peccat ea vtens, num. 6. debet tamen eſſe periculum morale, n. 7.

Hodie ex Tridentino, eſt moraliter certum ſufficere attritionem ad gratiam promerendam in Sacramento pœnitentiæ, n. 9.

Quando Graues Doctores aſſerunt, aliquid eſſe licitum in articulo mortis, non peccat vtens ea opinione. num. 10.

An ſi non coexiſtant phyſicè materia, & forma Baptiſmi, ſed moraliter tantùm, ſit reiterandus Baptiſmus ſub conditione? n. 11.

Quando vſus opinionis probabilis nullum affert periculum in vita, neque affert in morte, quare vtroque tempore licitum eſt ea vti. n. 12.

An moribundus teneatur ad actum amoris Dei ſuper omnia? num. 13.

1 NEgant aliqui, docentes opinione probabili, quam in vita ſequi licet, non eſſe licitum in morte vti, ita Sanchez *lib. 2. ſummæ cap. 1. num. 6.* Io: Præpoſitus 3. *part. quæſt. 7. de Sacram. pœnit. dub. 5. num. 40.* Leſſius *lib. 3. cap. 1. num. 43.* Quare
2 docent, in articulo mortis confeſſum cum attritione cognita, conari debere ad actum contritionis, vt ſe tutum reddat, ne forte, ſi falſa ſit opinio illa, (quod ſufficit attritio cognita, cum Sacramento pœnitentiæ ad gratiam conſequendam) ipſe in æternum damnetur, ita Suarez primus huius opinionis author *de pœnit. diſp. 15. ſect. 4. num. 17.* Sanchez *libr. primo ſummæ cap. 9. num. 34.* Valentia 3. *part. diſp. 7. quæſt. 8. punct. 4. in fine verſ. Huc accedit.* Granado 1. 2. *controu. 2. tract. 12. diſp. 4. ſect. 4. num. 36.* Zambranus *de caſibus occurrentibus temp. mortis cap. 4. dub. 1. num. 24.* Coninchius *de Sacram. pœnit. diſp. 3. dub. 1. num. 6.* Io: Præpoſitus 3. *part. quæſt. 2. de contritione dub. 5. num. 57.* Tannerus *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 6. dub. 3. num. 66. & 68.* Nouatus *in deciſ. moralib. pro infirmis lib. 2. cap. 6. quæſt. 1.* Villalobos *tom. 1. tract. 9. diffic. 21. num. 4.* Io: Sanchez *diſp. 44. n. 13. verſ. rurſus.* Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 4. num. 132.*

Probant, quia ex charitate erga ſeipſum, tenetur homo in eo articulò, ſe quantum poteſt tutum reddere; ergo tenetur, non ſe committere opinionibus, quantumuis probabilibus, imò quantumuis moraliter certis, cum enim poſſit in ijs ſubeſſe falſum, ita æternam damnationem incurret. Vnde, quamuis hodie ſit moraliter certum, ſufficere attritionem cum Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccati, id enim Trident. *de pœnit. ſeſſ. 14. cap. 4.* quamuis non definiat de fide, ſupponit ianquam certum, tamen ſi reuera id eſt falſum, iſte damnabitur: ergo tenetur ex charitate erga ſe ipſum, conari ad actum contritionis, aut amoris Dei ſuper omnia.

Affirmant alij, docentes repugnare opinionem
3 aliquam eſſe probabilem, atque tutam in vita, & huiuſmodi quoque non eſſe in articulo mortis, ita Io: Sanchez *in ſelectis diſput. 19. num. 8.* Paſqualigus *deciſ. 27.* Io: de Eſcobar *de confeſſar. ſolicitant part. 2. q. 2. §. 2. num. 37.* Diana *part. 2. tract. 14. reſol. 9. & p. 3. tract. 4. reſol. 98. ac p. 8. tract. 1. reſol. 91.* Franciſcus Lugo *de principijs Theologiæ moralis p. 1. cap. 2. q. 4. num. 42.*

Hinc aliqui ex iſtis inferunt, ſuſcipientem in articulo mortis Sacramentum pœnitentiæ cum
4 attritione cognita non teneri ad actum contritionis, ita Fagundez *præcep. 2. libr. 2. cap. 4. num. 13.* Nugnus 3. *part. tom. 2. quæſt. 2. artic. 4. dub. 4. concl. 3. & verſic. ex dictis* Beccanus *de Sacrament. cap. 35. quæſt. 7. numer. 3.* Layman *libr. 5. tractat. 6. cap. 2. num. 6.* Philippus Faber *de pœnit. in 4. ſent. diſt. 14. quæſt. 2. diſput. 18. cap. 3. num. 71.* Salas *tom. 1. in 1. 2. quæſt. 21. tractat. 8. diſput. vnica ſect. 10. num. 98.* Card. Lugo *de pœnit. diſput. 7. ſect. 13. numer. 263.* Eſcobar *in Theol. morali tractat. 7. exam. 4. cap. 7. num. 35.* Hurtado *de pœnit. diſput. 3. diffic. 4.* Vaſquez 3. *part. tomo 4. quæſt. 86. artic. 2. dub. 6.* Amicus *tomo 8. diſputat. 9. ſect. 4. numer. 67.* Azorius *tomo 1. libr. 9 capit. 4. quæſt. 1.* Diana *part. 3. tractat. 4. reſolut. 98. & part. 8. tractat. 1. reſolut. 91.* Luiſius Turrianus *ſelectarum diſput. part. 1. diſp. 21. dub. 2.*

Probant primò, quia conſcientia pariter ligat in articulo, & extra articulum mortis, nunquam enim licitum eſt, offendere Deum: ergo, ſicuti probabilis opinio licitam reddit operationem in vita, ſic etiam in morte.

Secundò, quia nulla poteſt eſſe maior ſecuritas, quàm non peccare: Sed probabilis, opinio tutum teddit à peccato in vita; ergo etiam in morte.

Tertiò, quia ideo probabilis opinio tuta eſt in vita, quia ea prudenter quis operatur, eò quòd cõformis eſt rectæ rationi: ergo erit pariter tuta in morte, adhuc enim tunc erit conformis rectæ rationi.

Quartò quia, vt inquit Eminentiſſimus Lugo *loco citat. numer. 269.* Quamuis negotium ſalutis æternæ ſummi momenti ſit, & in quo nulla diligentia ſuperflua videri debet, non tamen obligat, niſi ad humanam, & moralem diligentiam; adeo vt non teneamur ad exquiſitam, & metaphyſicam diligentiam, ſed humanam, ac moralem, quæ ſcilicet excludat morale, & humanum dubium; alioquin Diuina præcepta intolerabilia eſſent, & ſupra humanas vires, & nunquam præcepto de procuranda ſalute propria

ptia

pria ita satisfactum esset, vt non deberet maior diligentia adhiberi, vt certiùs satisfaceret. Hinc non est repetendus paruuli Baptismus, si Parochus, aut persona fide digna testetur esse baptizatum; quia tunc non adest morale dubium de eo, quamuis in genere loquendo aliquando contingat mentiri Parochum, vel alium: Ergo cum ex Authoritate Tridentini sit moraliter certum, sufficere ad gratiam attritionem cum Sacramento pœnitentiæ, quamuis optimum consilium sit conari ad actum contritionis, ad id tamen ex præcepto non tenemur.

Quintò, ait idem Cardinal. Lugo: si esset huiusmodi obligatio, obligaretur etiam Confessarius instruere, & admonere pœnitentem de ea obligatione, atque adeo, qui excipit Confessionem ægroti constituti in mortis periculo, non posset eum absoluere, nisi conaretur habere actum contritionis, alioquin non esset sufficienter dispositus, cum non habeat animum seruandi præceptum, quod obligat ipsum sub mortali; imò non solùm Confessarius, sed quilibet alius teneretur ex charitate admonere, & instruere ægrotum de illo debito: consequens autem est absurdum, & contra praxim fidelium, ac laqueos injiciens conscientiæ: ergo, &c.

His tamen non obstantibus. Respondeo neutram ex his duabus opinionibus esse vniuersaliter, & indistinctè veram: quare.

Dico primò, quando vsus opinionis probabilis
6 in articulo mortis affert moraliter periculum irreparabile æternæ salutis, tunc peccat vtens opinione, omissa via certa. Dicitur autem morale periculum irreparabile esse in articulo mortis, quando erat quoque periculum in vita, sed illi faciliter occurri poterat. Exemplum est, fui præsens cum ordinaretur Petrus Sacerdos, & attentè obseruaui eum sacra vasa physicè non tetigisse, possum ei confiteri in vita, non autem in articulo mortis, quare in vita possum sequi opinionem probabilem, quod sit validè ordinatus, non autem in morte. Ratio discriminis est, quia quamuis subsit morale periculum, ne inualidè absoluat, tamen in articulo mortis est irreparabile periculum; quod tamen in vita reparabile est; nam facile inuenit remedium ex sequenti Confessione alteri facta.

Dixi, dummodo periculum sit morale, nam
7 quando aliquid est moraliter certum, non dicitur morale periculum subesse, neque tenetur homo ad maiorem suæ salutis securitatem procurandam; non enim tenetur ad exquisitam, & metaphysicam diligentiam, sed humanam, & moralem.

Infertur primò, ex dictis moribundum, qui cum
8 attritione cognita recepit Sacramentum pœnitentiæ, non teneri nouo præcepto ad actum contritionis, ex charitate erga se ipsum, quia ex Trident. *sess. 14. de pœnit. cap. 4.* est moraliter certum sufficere ad gratiam promerendam in Sacramento pœnitentiæ attritionem, & oppositum est falsum, temerarium, & erroneum, nam quamuis Tridentinum hoc de fide non definiat, tamen tanquam certum supponit, vt docet Cardin. Lugo *de pœnit. disput. 5. sect. 9. & disput. 7. sect. 13. numer. 271.* Fagundez *præc. 2. libr. 2. cap. 4. numer. 14.* Layman *libr. 1. tract. 1. cap. 5. num. 14. & lib. 5. tract. 6. cap. 2. num. 6. vers. verum.* Nugnus 3. *part. tom. 2. qu. 2. art. 4. diffic. 4.*

Infertur secundò, quando plurimi, & graues Doctores probabiliter docent licitum esse aliquid in
10 articulo mortis, tunc licitum est ea opinione vti in articulo mortis, ita Diana *part. 8. tract. 1. resol. 91. vers. respondeo concedendo.* Ratio est quia probabile iudicium practicè practicum, seù immediatè ordinatum ad operationem in ea circumstantia articuli mortis affert moralem certitudinem: licitam tunc esse operationem: ergo tunc non adest morale periculum. Exemplum est, probabilis opinio docet non obligari moribundum ad iterum recipiendum sacrum viaticum, si mortaliter peccauit post primam communionem, quare tutus erit.

Confirmatur nam tutus esset moribundus, qui acquiesceret responso pij, ac docti Confessarij: ergo etiam tutus est sequens Doctissimorum scriptorum opinionem.

Confirmatur secundò; nam quamuis non liceat ex opinione probabili, aut spoliare bonæ fidei possessorem, aut non obedire Prælato, tamen vtrumque licet, si probabilis opinio in aliquo casu licitum doceat, v.g. non obedire Prælato, ne graue damnum incurrat, ita Sanchez *in summa lib. 6. cap. 3. num. 7.* Sayrus *in claui Regia lib. 1. cap. 12. num. 4. vers. denique.* Turrianus *de Iustitia disput. 50. dub. 5. num. 9.* Petrus Nauarrus *de restitut. lib. 3. part. 3. dub. 13. n. 239.* Castropalaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 6. num. 1.*

Infertur tertiò, cum probabiles sint opiniones an reiterandus sub conditione sit Baptismus collatus absque physica coexistentia materiæ, & formæ, sed solùm cum coexistentia morali, cum
11 statim post formam prolatam effunditur aqua, nam reiterandum sub conditione, inquit Granado *de Sacram. controu. 9. tractat. 2. disput. 6.* Alij negant reiterandum, eo quod non videtur sufficiens fundamentum ad moraliter dubitandum, ita Soto *in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 8.* Henriquez *lib. 1. de Sacram. cap. 9. §. 10.* Mihi (contra Eminentissimum Lugo *disput. 7. de pœnit. sect. 13. num. 275.* qui indistinctè docet, tutum esse sequentem hanc opinionem probabilem, non reiterando) Dicendum videtur, cum sanus est infans ita Baptizatus, non esse reiterandum; at in mortis articulo infantem iterum esse sub conditione Baptizandum: Ratio est, quia, quod sit validus Baptismus, non est sententia moraliter certa, ita vt opposita sit improbabilis, & falsa: ergo est morale, & irreparabile periculum salutis æternæ, cui exponitur infans moribundus, si illa sententia est falsa. Qua etiam ratione puto sub conditione esse iterandum sacerdotium absque physica coexistentia prædicta collatum, quando Sacerdos plures absoluit, ita enim eos salutis periculo exponit.

Dico secundò, quando vsus opinionis probabilis nullum

12 nullum affert periculum in vita, neque in morte affert, quare vtroque tempore, licitum est, ea vti. Sic neque in vita, neque in morte tenetur quis repetere confessionem informem, nulli enim periculo se exponit, cum enim cætera peccata confitetur, recipit gratiam, & ab omnibus indirectè absoluitur. Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 4. num.* 133. Sic bonæ fidei possessor incipiens dubitare, post diligentiam remanens dubius, ex probabili opinione ad nullam tenetur restitutionem, qua opinione in vita, & in morte vti potest, ita Io: Sanchez *disp.* 44. *num.* 13. *vers. dices.*

Ratio est, quia his casibus circumstantia articuli mortis non addit aliquod morale, & irreparabile periculum ea opinione vtentibus, nam, si vsus eius opinionis in vita non afferebat aliquod periculum, neque affert in morte.

Aduerte, communiter Doctores docere, teneri
13 moribundum ad actum amoris Dei super omnia, quantumuis credat se per Sacramentum pœnitentiæ cum attritione iustificatum: Sed Azorius *tom. 1. lib. 9. cap. 4. q. 1. in fine*, id probabiliter negat, dicens, tunc tantum obligari fidelem ad actum dilectionis Dei super omnia, quoties est obligatio deferendi peccati statum extra Sacramentum. Vnde rectè monet Lugo de *pœnit. disp. 7. sect.* 13. *num.* 276. non debere Confessarios scrupulos, & laqueos inijcere moribundo in re incerta, ne ea occasione exponant infirmum periculo peccandi mortaliter.

QVÆSTIO XXXIX.

An peccet, qui non desistit à consulendo, donec inueniat Doctorem se excusantem?

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num. 1. Negant communiter alij. numer. 2. Distinguendum esse censeo probabilius. num. 3.

1 Affirmat Adrianus *in 4. in materia de restit. qu. de præscript. dub. vlt. vers. his præmissis ad quintum respondeo*, & Nauar. *c.* 17. *num.* 83. dicentes hunc esse in malo statu.

Negant hunc peccare, si recta intentione inue-
2 niendi probabilem opinionem id faciat, Zumel 1. 2. *qu. 76. art. 2. disput. 4. in fine.* Sanchez *in summa lib. 1. c. 9. n.* 24. Castropalaus *tom. 1. tr. 1. disp. 2. punct. 3. num.* 6. Baldellus *tom. 1. theol. moral. lib. 4. disp.* 12. *num.* 2. Bresserus *lib. 3. de conscientia cap. 6. num.* 68. Pasqualigus *decis.* 33.

Probatur hæc opinio, quia sequens probabilem opinionem, tutus est in conscientia: Sed ideo hic non desistit consulere, vt inueniat probabilem opinionem: ergo, postquam inuenerit, est tutus, & antequam inueniat, est quoque tutus, quia se tutum facere intendit. Tum quia, si pœnitens esset virdoctus, posset nunquam desistere à reuolutione librorum, donec inueniat aliquam probabilem opinionem excusantem: ergo idem potest facere consulendo, dummodò doctos, ac pios, paris eruditionis, ac priores adeat. Sed quia multi miserè in tam graui negotio decipiuntur, nam aliquando denegata absolutione à viro satis docto, & pio, mox alium confessarium adeunt, & faciliter absoluuntur, ideo.

Dico primò, mortaliter peccat is, qui dene-
3 gata absolutione à Sacerdote, quem doctum, & pium nouit, accedit ad monasterium, vbi ex frequentibus scandalis, ac alijs casibus, plurimi sunt Sacerdotes parùm timoratæ vitæ, ac parùm periti, & ita communiter parùm existimantur in ciuitate, & vnum ex istis, qui fortuito sibi occurrit, aduocans, faciliter absolutionem obtinet. Ratio est, quia iste non recta veritatis indagandæ intentione, sed inueniendi confessarij ad libitum respondentis, id efficit.

Dico secundò, mortaliter quoque peccat, qui denegata absolutione ab eo, quem in magna doctrinæ opinione esse nouit, aduocat Sacerdotem, de quo nihil aliud scit de sufficienti, aut æquali doctrina cum præcedente, sed tantùm esse Confessarium; hic enim exponit se periculo, vt cæcus cæcum ducens ambo in foueam cadant; nam intolerabilis temeritatis est, sententiam datam à docto Theologo reuocari à Confessario, qui nec theologus est, vel saltem solo nomine, nec vllo modo priori illi in doctrina comparandus.

Dico tertiò, qui à duobus, vel tribus, quos doctos nouit Sacerdotes inabsolutus abscedit, tutus est in conscientia, si accedat ad Sacerdotem, quem paris, aut maioris doctrinæ nouit, dummodo tria, aut quatuor hæc requisita concurrant. Primò æqualitas, aut maior doctrina in Theologia morali; addidi in Theologia morali, nã scio, frequentissimè euenire, vt magni nominis concionator, magnæ Doctrinæ reputetur, & sine difficultate ad eum, tanquam doctissimum confessarium recurratur; tamen ille in re morali, ac casibus conscientiæ minimè versatus, sit reuera indoctus, vnde sæculares falluntur putantes se doctissimum habere confessarium. Secundò, vt iste non sit in opinione parum timoratæ conscientiæ. Tertiò, quod pœnitens sciat, se rectè narrasse omnes facti circumstantias: accidit enim aliquando, denegasse me alicui absolutionem, qui mox ab altero, reuera docto Sacerdote absolutus est; quod ipse miratus, rogaui pœnitentem, quomodo factum narrasset? & deprehendens non expressisse aliquam circumstantiam, in qua punctum erat difficultatis, ideo in cartula scripsi factum, & legi pœnitenti, quo affirmante, ita se rem habere, iussi, vt cartulam ad illum Sacerdotem deferret, eaque lecta ille Sacerdos meam sententiam approbauit, suamque retractauit, quod etiam semper obseruaui, quotiescumque graue fuit negotium, vt de inualiditate matrimonij, aut de magna restitutione, nam scripsi factum, legi pœnitenti, & eo affirmante, ita se

se rem habere, scripsi etiam meam opinionem, quam rationibus, & authoritate firmaui, tradidi pœnitenti cartulam, iubens, vt eam deferret Sacræ Theologiæ magistris, aut actu Theologiam legentibus, quibuscumque vellet, dummodo tales sciret, & exequeretur, quod ipsi dicerent, & id ipso promittente, absolui eum. Quartò requiritur, quod in casu, quo duo, tres, aut plurimi viri doctissimi denegarunt absolutionem, nullum pronunciarūt matrimonium, aut dixerunt faciendam restitutionem, vt hæc sententia ab alio, quantumuis docto sacerdote, tutò reuocetur, necesse est, vt pœnitens possit ipse voce, vel, si nequeat, scripto, referre rationes, authoritates, & fundamenta illorum, vt hic ea consideret, atque argumenta dissoluat, alioquin non erit tutus pœnitens, quia facilè poterit iste decipi, si contraria fundamenta ignoret, cum tot docti viri contrarium docuerint.

QVÆSTIO XXXX.

An, & quando peccet lector, qui in moralibus, aut philosophicis improbabiles, aut minus probabiles opiniones docet.

SVMMARIVM.

Peccat mortaliter docens falsas opiniones in moralibus num. 1. Nullum verò est peccatum, docere minus probabiles. n. 2. Nullum quoque peccatum est, docere improbabiles, ac falsas in philosophia. n. 3.

1 Dico primò; docens improbabiles opiniones in moralibus peccat mortaliter, ita Sanchez *in summa lib. 1. cap. 9. n. 26.* Castropalaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 3. n. 7.*

Probatur, quia est causa plurium peccatorum, eorum, qui falsas eiusmodi opiniones auctoritate ipsius ducti ad praxim deducunt.

Secundò; quia grauiter decipit discipulos tradendo falsam doctrinam.

Dico secundò, nullo modo peccat, nec venialiter, si doceat opiniones probabiles, omissis probabilioribus, ac proprijs: est contra Sāchez, vbi supra, putantem, peccare venialiter, quia saltem leuiter discipuli decipiuntur; & ita nullum esse peccatum, docent Salas 1. 2. *q. 21. disp. vnica sect. 6. n. 69.* Castropalaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 3. n. 7.*

2

Probatur quia nullo modo peccat operans, vel consulens ex opinione probabili: ergo nec eam docens è Cathedra. tum, quia probabilior opinio faciliùs cognoscitur: ergo vtilitati discipulorum prospicit magister, docendo opiniones probabiles, quas ex se discipuli fortè, vel non agnouissent, vel saltem difficiliter eas tamquam probabiles percepissent. tum, quia probabilis opinio, vtpotè benignior plerumque erit discipulis gratior. tum, quia ex probatione opinionis minus probabilis, magis acuitur discipulorum ingenium. Ex his patet, non decipi discipulos.

Dico tertiò, non peccat lector philosophiæ do-
3 cens opiniones improbabiles, & falsas, est contra Sanchez *lib. 1. summæ cap. 9. n. 26.* & Castropalaum *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 3. n. 8.* putantes, mortaliter peccare.

Probatur primò ex S. Augustino relato *in cap. in quibus 23. q. 2.* vbi sic ait: *In quibus nihil interest ad capessendum Regnum Dei, vtrum credantur, aut non; vtrū vera putentur, aut falsa; in ijs errare, aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum; aut si est, minimum est, atque leuissimum.* Ita S. Augustinus.

Probatur secundò, quia nulli infert præiudicium, nam opiniones illæ non sunt ordinatæ ad praxim, neque decipit discipulos, siquidem potest tam aptè eas opiniones defendere, vt acuantur discipulorum ingenia. tum, quia nullus vir doctus, ac timoratus philosophiæ lector, aliquando de hoc scrupulum sibi fecit: nec enim quisquam peccaret, si defenderet, quantitatem constare ex indiuisibilibus, prout defendunt Ariaga, & aliqui neoterici. tum, quia volenti, & consentienti non fit iniuria: at gratissimum est scholaribus nouas defendere philosophiæ opiniones: quicquid sit de earum probabilitate, aut improbabilitate, de qua parum curant. tum quia vel scholaris philosophiæ est acris ingenij, vel obtusi: si acris ingenij nihil illi obest aliquas doctrinas falsas edoceri; facilè enim eas deprehendere potest, & oppositam opinionem defendere si libuerit: Si vero est obtusi ingenij, & tunc, siue receptæ, siue quæcumque opiniones illi tradantur, parùm, vel nihil proficiet.

Obijcies primò. Opinio improbabilis leui fundamento nititur: ergo doctrina leuis, & falsa est: ergo grauiter decipiuntur discipuli.

Respondetur: ergo est doctrina leuis, obiectiuè transeat; est leuis, quò ad modum docendi, nego: suppono enim, subtilibus, & apparentibus argumentis probari, quæ quamuis reuera non subsistant, tamen aptissima sunt ad acuenda discipulorum ingenia, vnde negatur discipulos decipi.

Obijcies secundò, ex his improbabilibus sententijs sequitur doctrinæ confusio, nam ex falsis principijs falsæ sequuntur conclusiones; quare grauiter decipiuntur discipuli.

Respondetur, vel lector est magni ingenij acumine præditus, vel mediocris ingenij: Si primum, facilè euitabit confusionem doctrinæ, apparenter saltem soluendo argumenta, si secundum, quamuis receptissimas doceat opiniones, non euitabit confusionem; pleræque enim opiniones, quo communiores, cò maiores experiuntur difficultates.

(***)

QVÆSTIO XXXXI.

An Opinio improbabilis, ſi non adſit tempus diſcutiendi, & neceſſe eſt ſtatim determinare intellectum, poſſit tutò ſequi, ſi adhibita mediocri diligentia, videatur probabilis?

SVMMARIVM.

Reſponſio affirmatiua, n. 1. tenetur ſuſpendere actum, ſi ſubeſt tempus diſcutiendi, n. 2.

RESpondetur affirmatiuè ita Suarez *tom. 3. diſp. 40. ſect. 5. n. 16.* Sanchez *in ſumma lib. 1. cap. 9. num. 25.* Valentia 1. 2. *diſp. 2. q. 14. punct. 4. q. 4.* Salas 1. 2. *q. 21. tract. 8. diſp. 1. ſect. 5. n. 44.* Merolla *tom. 1. diſp. 3. c. 4. n. 84.*

Probatur, quia in his circumſtantijs, inuincibiliter ignoratur falſitas eius opinionis: ergo excuſatur eam opinionem ſequens; tunc enim aliquid inuincibiliter ignoratur, quando quis tunc non poteſt certus fieri.

Dices poterit tunc ſuſpendere actum.

Reſpondetur, quod plerumque impoſſibile eſt ſuſpendere actum, vt quando difficultas eſt de actu, & eius omiſſione: aliquando verò non poteſt ſuſpendere actũ ſine magno incommodo, vel ſcandalo; tunc non tenetur expectare, vt faciat maio-
2 rem diligentiam. Quando autem cognoſcit eam opinionem indigere maiori diſcuſſione, & poteſt ſine magno incommodo ſuſpendere actum, tenetur expectare, maioremque diligentiam adhibere.

QVÆSTIO XXXXII.

An peccet Medicus, ſi omiſſo medicamento certo, vtitur probabili, vel probabiliori? & an id liceat, vt ob bonum publicum, eius vim experiatur, cum hoc facilius, vel promptius ſit?

SVMMARIVM.

Peccat ſi vtatur probabili medicamento omiſſo certo. n. 1, etiam ſi vt experiatur ob publicum bonum. n. 2.

1 QVo ad primum dubium Reſpondetur mortaliter peccare, ſi omiſſo medicamento certo, vtatur probabili, aut probabiliori, ita Vaſquez 1. 2. *q. 64. cap. 4. n. 23.* Azor *Inſtit. moral. tom. 1. lib. 2. c. 17. n. 11.* Saytus *in claui Regia lib. 1. c. 10. n. 6.* Sanchez *in ſum. lib. 1. c. 9. n. 38.* Layman *lib. 1. tr. 1. c. 5. n. 15.* Caſtropalaus *tom. 1. tract. 1. diſp. 2. punct. 9. n. 1.*

Probatur, quia probabile, aut probabilius medicamentum poteſt eſſe mortiferum: ergo agit contra charitatem, & contra fidelitatem medicus exponendo infirmum mortis periculo, omiſſo medicamento tuto, ac certo.

Quo ad ſecundum dubium Reſpondetur pecca-
2 re, non .n. excuſatur medicus ob bonum publicum, agit enim contra fidelitatem, cum ex officio teneatur curare ſalutem infirmi, neque poſſit eum periculo mortis exponere.

Dices bonum publicum præferendum eſt priuato: ergo licitè medicus experiri poteſt remedium vtiliſſimum Reipublicæ, non obſtante priuati hominis periculo. tum quia licitè poteſt Dux exercitus exponere periculo partem exercitus, vt ſaluetur totius exercitus.

Reſpondetur, quod ille poteſt præferre bonum publicum ſaluti priuati hominis, qui ex officio tenetur procurare publicum bonum; ideo poteſt Dux exercitus periculo exponere partẽ exercitus, quia ex officio tenetur curare bonum publicum totius exercitus: At medicus tantùm ex officio tenetur proſpicere ſaluti infirmi; proinde non poteſt ob bonum publicum, de quo ad eum nihil ſpectat, mortis periculo exponere infirmum.

Probatur ſecundò, nam certum eſt, ac præſens infirmi periculũ, incerta medicamenti experientia quæ rarò cõtingit, niſi cum mortibus plurimorum. Quare verè ſcripſit Plinius *lib. 29. natural. hiſtor. cap. 1.* agens de medicis: *Diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt. Medicoque tantùm hominem occidiſſe, impunitas ſumma eſt.* Hinc vulgatum illud Galeni documentum *Interfice audacter.* Nec minus verè, quam lepidè, cum coram Duce Mantuano controuerſia eſſet de Iuriſconſulti, ac medici præcedentia, Scurra rem definiuit: *Ita Doctor præcedit medicum, ſicut latro carnificem.* Sed redeamus ad Inſtitutum: medicamenti experientia multorum mortibus comparata, adhuc incerta eſt. Audi Galeni ſententiam *lib. 7. de compoſitione medicamentorũ per genera cap. 4. circa finem. Multum,* inquit, *experientiæ particularis in varijs, & corporibus, & vitijs, ſeù affectibus, huiuſmodi pronunciata deſiderant; quare ne quis temerè vel ſubito, vbi bis, teruè vſus expertuſque ſit, ferat ſententiam; cum enim corpora quibus medicamenta adhibentur, non exiguum differentiæ exceſſum in maioris minoriſque ratione obtineant, difficillimum eſt de omnibus eadem pronunciare.* Idem Galenus eod. *tract. de compoſit. medicam. per genera lib. 3. cap. 3.* ſic ſcribit, *cum per magna humanorum corporum ſit differentia, tum in natiuis ipſorum temperamentis, tum ætatum mutationibus, inſuper vitæ ſtudijs, nulla ratione, quod componitur medicamentum omnibus conuenire poteſt.* Idem vir Doctiſſimus *comment. 3. aphoriſ. 11.* inquit, *Medicinam etiam ſexies, vel ſepties probatam non debere facere vniuerſalem propoſitionem.* Ex quibus ſatis patet, quot mortes intercedant, neceſſe eſt, vt vnius medicamenti fiat experientia: ergo infideliſſimus, ac crudelis medicus, imò cruentiſſima beſtia, ſi tot hominum mortibus medicamentum experiri voluerit.

(*_*)

QVÆSTIO XXXXIII.

Corollaria ex præcedenti doctrina. Quando Medicus possit vti medicamento probabili?

SVMMARIVM.

Peccat omisso probabiliori medicamento, vtens probabili, num. 1.

Non peccat, si desperata salute det medicamentum, quod æquè probabiliter allaturum est mortem, aut vitam. num. 2. peccaret, si omisso certo in desperato daret medicamentum dubium, aut probabile, vt experiatur virtutem medicamenti, n. 3.

1 INfertur primò peccare medicum, si omisso probabiliori medicamento, vtatur probabili, quando deest certum, ita Sotus, & Salon, quos sequitur Sanchez *in summ. lib. 1. cap. 9. n. 41.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 21. sect. 4. in fine, & tom. 4. disp. 26. sect. 6. num. 5.* Vasquez *1. 2. tomo 1. disp. 64. cap. 4.* Portel *in addition. ad dubia Regular. Verbo opinio num. 10.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 1. n. 6.* Bonacina *tract. de legibus disp. 1. q. 4. punct. 4. n. 22.* Beccanus *de actibus humanis tract. 1. cap. 4. q. 9. n. 13.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 15.* Reginal. *lib. 13. n. 99.*

Contra Azorium, Arragonium, & Salas apud Sanchez *vbi supra num. 40.* Montesinum *1. 2. tract. 1. disp. 19. q. 5. n. 214.* Io: Sanchez *in selectis disp. 44. n. 36.* Dianam *part. 2. tractat. 13. resol. 7.* & Castropalaum *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 9. n. 8.*

Probatur, magis periculo exponitur salus infirmi sequendo opinionem probabilem, relicta probabiliori: ergo agit medicus contra charitatem, & contra fidelitatem, qua tenetur prouidere infirmo de securiori remedio, ac quam minus potest eum periculo exponere.

Secundò, quia eadem ferè proportio est opinionis probabilis ad probabiliorem, ac probabilioris ad certam: sed stante graui periculo infirmi non licet omisso certo medicamento, vti probabiliori: ergo neque omisso probabiliori vti probabili.

Infertur secundò, si desit certum medicamen-
2 tum, & sit certò futura mors, posse dari medicamentum dubium, quod æque probabiliter allaturum est mortem, ac vitam, ita Adrianus *de sacram. confess. quæst. de correct. fratern.* Valentia *tom. 3. disp. 3. quæst. 10. punct. 2.* Layman *lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 15.* Sanchez *in summa lib. 1. c. 9. n. 39.* Reginald. *lib. 13. num. 99.*

Contra Vasquez, Azorium, Salas, Angelum, & alios apud Sanchez vbi supra, & Castropalaum *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 9. n. 5.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 16. n. 1.*

Probatur primò nostra sententia authoritate Galeni *lib. 10. methodi cap. 10. in fine*, vbi sic scribit: *Quanto satiùs est aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quàm spe adempta certò perire; tanto profectò satius est potentibus præsidijs pugnare, quàm nihil agere.*

Secundò id ratione patet, nam spes salutis affert rationabilem causam exponendi se periculo, vt medicamentum perimat infirmum. tum quia id optabilius est tum ipsi infirmo, cum eius propinquis, nempè spem aliquam salutis adipisci, quàm omni remedio destitui.

Obijcies, si infirmus eo medicamento perit, periet medici culpa, qui aliàs ex vi morbi perijsset.

Respondetur nego antecedens, nam supposito morbo, licitum est exponere ægrotum tali periculo, quod si ex medicamento sequatur mors, id accidit præter medici intentionem.

Quare etiam id licitum est, si medicamentum citiùs sit mortem allaturum, nam spes vitæ præualet paruæ accelerationi mortis, ita Layman *libr. 1. tract. 1. cap. 5. n. 15.*

Præterea à fortiori id licet, si medicamentum non mortem, sed maximum virium defectum sit allaturum, spes enim vitæ præponderat illi virium defectui, vnde Galenus *loco cit. ait: Maluerit propinquorum fortassè aliquis, atque etiam ægrotans ipse aliquo spatio in senis habitu viuere, quàm illico mori.*

Hinc quoque patet: posse medicum præbere medicinam, quæ certò nocitura non est, dubium autem est an sit profutura, ita Valentia, & Sanchez *vbi supra n. 41.* prudenter enim tunc medicus grauat ægrum expensis, idque optabilius est infirmo, eiusque salutem desideranti.

Infertur tertio peccare mortaliter medicum, si
3 vt experiatur medicamentum dubium, aut probabile, in desperatis eo vtatur, omisso medicamento certo, Azor *lib. 2. Institut. moral. cap. 17. q. 11.* Nauar. *c. 25. n. 61.* Vasquez *1. 2. disp. 64. cap. 4.* Salas *1. 2. q. 21. tract. 8. disput. vnica sect. 14. n. 136.* Sanchez *lib. 1. sum. cap. 9. n. 38.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 16. n. 1. & 4.* Castropalaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 9. num. 3.*

Ratio est, quia mortale est tali medicamento exponere se periculo accelerandi mortem. tum quia nemini licet, morte proximi scientiam consequi.

Tractatus Secundus Finis.



TRACTATVS TERTIVS DE OBLIGATIONIBVS IVSTITIÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

An munerum reeeptio sit naturali iure Iudicibus interdicta?

SVMMARIVM.

Prima sententia affirmat. num.1.

Vix credibile, est litigantes non ex metu, sed liberè donare. num.2.

Donatio, nisi inter sanguine coniunctos, non præsumitur. num. 3.

Peccat cum obligatione restituendi, qui accepta pecunia eligit ad officia, cathedram, maioratum, cappellam, eleemosynam. n.4. vide n.8.

Sic Prorex vendens officia, nominans officiales, gratias delinquentibus, aut tractas concedens. n.5. Vide n.8.

Secunda sententia negans probabilior. n.6.

Licitè accipit Iudex, vt in arbitrarys iudicet pro donante. num.7.

Probabile est, non peccare eum, qui data pecunia eligit ad officia, cathedram, maioratum, cappellam, eleemosynam, nec Proregem vendentem officia, aut gratias, vel tractas. n.8.

Licitè accipit Iudex, si spontè, & liberè datur. n.9.

Quando datur, vt donum, quando, vt pretium? n. 10.

An in dubio præsumatur liberale donum? num.11.

Peccat, & tenetur ad restitutionem, si pretium accipit pro iusta sententia. num.12.

Nequit accipi pretium pro eo, quod ex Iustitia, aut charitate debitum est. n.13.

Restituendum, quod acceptum est pro dicenda veritate, pro reddendo deposito, commodato, inuento, aut debito, aut ne fureris, occidas, vel detrahas. n.14.

Aut si quæstor pro debita solutione accipit. n.15.

Iudex non tenetur restituere, quod accepit pro ferenda iniqua sententia. n.16.

Non tenetur restituere, quod accepit, vt citò causam expediat. n.17.

Licitè accipit, vt maiorem laborem in causa adhibeat.

Tenetur restituere Iudex, quod datum est ad redimendam vexationem. n.19.

Duces belli tenentur restituere, quod illis ab vniuersitatibus datum est pro quieta vita, vt dicunt. n.20.

Publicanus tenetur restituere, quod accepit, nè indebitè viatorem vexet. n.21.

Non tenetur restituere Iudex, quando is, qui dedit, restituendi obligationem remittit. n.22.

In dubio, an liberè, vel ex metu vexationis sit datum, restituendum est. n.23.

Officialis tenetur ad restitutionem, quando cum fraude accepit, petens supra suum stipendium. n.24.

Iudex iudicans contra dantem non tenetur ad restitutionem, si tantum ad alliciendum animum is dederit. num.25.

Mulier non tenetur restituere sibi datum ad alliciendum ad turpia. num.26.

An peccet Iudex recipiendo dona, quando scit, dari ad eum corrumpendum? n.27.



TILIS ad praxim est hæc quæstio, si enim naturali lege attenta, potest Iudex munus reeipere, quamuis id illi humana lege prohibeatur, atque ideo peccet, non tamen tenetur in cõscientia ad restitutionem, vt ex communi opinione infra ostendam. Imò humanas leges plerumque non obligare, in sequentibus demonstrabo, quia, vel non sunt vsu receptæ, vel contraria consuetudine abrogatæ sunt.

Prima opinio affirmat, naturali iure iudici prohibitam esse munerum receptionem, ita Gabriel *in 4. dist. 15. q. 6. concl. 4.* S. Antoninus 3. *p. tit. 9. cap.* 1. §. 2. Io: Monachus *in extrau. comm. de sententia excom. V. Clericos.* Mazienzo *in Dialogo relatoris. part. 3. cap. 35.*

Probant primò ex scripturis *Exodi 23. munera excæcant prudentes, & subuertunt verba Iustorum. Isaiæ 1. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Deuter. 16. non accipias personam, nec munera, quia munera excæcant*

oculos

oculos sapientum. Eccl. 20. Xenia, & dona excæcant oculos Iudicum. Ergo ex modo loquendi Scripturæ patet, nedum diuino iure, sed etiam naturali, prohibitam esse Iudici munerum receptionem.

Secundò, quia munera afferunt morale periculum iniustæ sententiæ, vel ex passione, vel ex malitia. Ex passione, inquam, quia verè dixit Bouadilla *in Politica tom. 1. libr. 2. cap. 11. num. 51. Iudicis animum donantis inclinatum, vel leuissimas rationes, tanquam euidentes existimare, munera enim excæcant oculos sapientum*; ex malitia autem, quia vt ait Innocentius Papa, *de contemptu mundi libr. 1. cap. 4. tales Iudices non inclinant animum ad iustitiam, sed iustitiam inclinant ad animum.*

Tertiò, quia in omni emptione, & venditione illicitum est, accipere aliquid supra iustum pretiũ. Sed iudex habet salarium à publico, tamquam iustum prætium suorum laborum: ergo, quod vltrà accipit, iniustè recipit, & cum obligatione restituendi.

Quartò, quia vix credibile est litigantes liberaliter donare; donant enim ex metu iniustæ sententiæ, aut ne Iudex tardius causam expediat, ita Turrianus 2. 2. *disp. 14. dub. 3. num. 16.* Petrus Nauar. *lib. 4. cap. 2. num. 98.* Rebellius *part. 2. lib. 18. q. 20. n. 2.* Ratio est, quia in dubio numquam præsumitur liberalis donatio, nisi inter sanguine coniunctos, aut nisi sint eius euidentia signa, vt docet in simili casu de vilius emente Lessius *libr. 2. c. 21. n. 37. Couar. lib. 2. var. c. 4. n. 9.*

Quintò. Probatur à pari ex his, quæ docent Doctores in similibus casibus, nam peccant cum obligatione restituendi, qui accepta pecunia eligunt ad officia, ad cathedram, ad maioratum, ad Cappellam, ad eleemosinam, vel ad dotem pauperi dãdam, ita Turrianus 2. 2. *disp. 14. dub. 3.* Rebellius *p. 2. lib. 18. q. 20. num. 1.* Fagundez *in præcepta decalogi tom. 2. lib. 8. c. 26. n. 41.* Diana *p. 6. tract. 6. resol. 59.* sic etiam peccat cum obligatione restituendi. Prorex vendens officia, nominans officiales ex recepta pecunia, aut gratias delinquentibus concedens, vel tractas frumenti; ita latè probat Hernandus de Mendoza *in tract. de tractis, & de vendit. officiorum ad Comitem de lemos, tunc Proregem Neap.* quem sequitur Diana *part. 6. tract. 6. resol. 1. 2. 3. & 4.* Ratio est, quia Ius electionis ad prædicta cõcessum est à Rege, aut à testatore, qui voluit, ista non vendi, sed donari: Ergo Prorex, vel alius elector vendit alienum, inuito domino: ergo idem dicendum de Iudice, nam Respublica tribuens potestatem iudicandi vult, gratis iudicium exerceri.

6 Secũda opinio est negatiua, eaque probabilior, nempe iure naturali, non esse prohibitum iudici munera recipere, si liberè dentur, vt ita se inclinet ad ferendam sententiam pro donante, & in alijs casibus, de quibus infra. Vnde tunc non peccat, neque tenetur ad restitutionem, ita Nauar. *in Man. c. 25. num. 58. & in extrau. de datis, & acceptis num. 15.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 88.* Lessius *lib. 2. c. 14. dub. 9.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 9.* Diana *p. 3. tr. 5. resol. 45. & tract. 6. resol. 4.* Reginaldus *libr. 10. n. 138.* Eminentissimus Lugo *de Iust. disp. 37. n. 128.* & hanc opinionem sequor.

Probatur, quia vel dantur, vt liberale donum, & tunc naturali iure attento iustè recipit; nam non est eo iure incapax Iudex talis dominij: vel dantur, vt prætium, & tunc licet recipere in plerisque casibus, de quibus infra, quando scilicet aliquid præstat Iudex, ad quid non tenetur ex Iustitia.

7 Infertur primò, quod Iudex licitè accipit per se, & iure naturali attento, vt inter pugnantes, & æquè probabiles Doctorum opiniones, aut in ijs, quæ illi arbitraria sunt, iudicet pro donante, ita Lessius *lib. 2. cap. 14. num. 64.* asserens, id esse probabile, Diana *p. 3. tractat. 5. resol. 55.* Fagundez dicens, esse probabile *in Decal. tom. 2. lib. 8. c. 26. num. 34.* Trullench *in Decal. tom. 2. lib. 8. cap. 1. dub. 6. num. 10.* Fragoso *de Regimine Christ. Reip. tom. 1. lib. 4. disp. 9. n. 42.* Dixi iure naturali attento, & per se, nam ex iure humano, aut per accidens, ratione scandali, vel iuramenti, id potest esse illicitum.

Probatur, per se, & iure naturali esse licitum, nam quamuis Iudex ex vi taciti pacti, etiam in arbitratijs teneatur gratis iudicare, id tamen verum est, quando liberè iudicat, nam post sententiam nõ potest petere prætium Iustæ sententiæ datæ: sed si ante sententiam in ijs, quæ illi arbitraria sunt, se obligat pro vna parte iudicare, potest tunc pro ea obligatione accipere prætium; nam tunc vendit suam libertatem, quæ libertas prætio æstimabilis est.

Libet hæc confirmare argumento Theologico, nam opus bonum, vt quid essentialiter dependens à Deo, est quid Dei, neque hac ratione est meritorium, nemo enim meretur dans alteri, quod est alterius: sed opus bonum, vt est liberũm, ita est meritorium, quia sic est quid hominis, & ita homo dat Deo, quod aliquo modo suum est: Ita Iudex dat donanti suam libertatem, dum se obligat, pro eo iudicare, in ijs, quæ ipsi arbitraria sunt, & ita meretur prætium.

8 Ex hac doctrina sequitur: probabile esse, non teneri ad restitutionem eum, qui accepta pecunia eligit ad officia, ad cathedram, ad maioratum, ad Cappellam, ad dotem pauperi dandam, ita Bañes, Lopez, & Rodriquez, quos citat Fagundez *in Decal. tom. 2. lib. 8. cap. 26. num. 39.* qui *num. 40.* asserit, esse probabile. Pariter excusatur à restitutione Prorex, qui accepta pecunia concedit officia, nominat officiales, largitur gratias delinquentibus, tribuit tractas. Ratio est, quia supposita potestate sibi concessa, pro pecunia dat, quod suum erat, nempe libertatem electionis, nam post promissam pecuniam non remanet liber ad electionem personæ.

9 Infertur secundò, quod Iudex licitè accipit, etiam pro iusta sententia, etiam in ijs, quæ non sunt ipsi arbitraria, si detur, tamquam liberale donũ, & spontè, ad hoc, vt intra Iustitiæ limites, animo per tale donum conciliato, ac benè affecto, iustè iudicet, ita Lessius *lib. 2. cap. 14. num. 64.* Rebellius *part. 2. lib. 18. qu. 20. num. 2.* Diana *p. 3. tract. 5. resol. 45. & tract. 6. resol. 4.* Ratio est, quia tunc est illicitum, aliquid accipere pro iusta sententia, quando accipitur tanquam prætium, secus, si accipiatur tanquam liberale donum.

10 Quod, si quæras, quando accipiatur seu detur

vt

vt donum, quando verò vt prætium?

Reſpondetur tunc dari vt pretium, quando dans dubitat, ne Iudex ex malitia iniuſtè iudicet, nam hoc caſu datur ex metu, & non liberè; tunc vero datur vt liberale donum, quando datur, non quia dubitatur de Iudicis bonitate, ſed vt inclinetur, & benè afficiatur ad cauſam, maioremque diligentiam adhibeat.

11 Sed an in dubio præſumatur liberale donum? Negant Turrianus, Nauar. & Rebellius. Mihi diſtinguendum videtur, vel donum eſt moderatum, & tunc præſumitur liberaliter datum; Ratio eſt, quia id eſt frequentiſſimum litigantibus, qui quamuis non dubitent de Iudicis integritate, curant in his moderatis Xenijs eius animum afficere, tum quia non eſt præſumendum litigantes temerè iudicare de integtitate Iudicis: vel donum eſt grãde, & notabile, tunc in dubio præſumitur metu datum, & coactè timore iniuſtæ ſententiæ, vnde reſtituendum eſt, vt mox dicam.

12 Infertur tertiò peccare Iudicem, & teneri ad reſtitutionem, quando proferenda iuſta ſententia aliquid accipit tanquam pretium. Ratio eſt, quia pugnat aliquid eſſe debitum ex iuſtitia, & tamen de nouo vendi. Nauar. *in man. cap. 17. num. 96.* Couar. *reg. peccatum part. 2. §. 3. num. 1.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 93.* Valentia *tom. 3. disp. 5. qu. 6. punct. 5. §. 2. quæst. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 14. dub. 9. num. 63.* Turrian. 2. 2. *disp. 14. dub. 3. num. 6.* Petrus Nauar. *libr. 4. cap. 1. num. 94.* Rebell. *part. 2. lib. 18. q. 20.* Lugo *de Iuſt. disp. 37. num. 126.* Bonadilla *in Politica tomo 1. lib. 2. cap. 11. n. 38.* Fauet textus *in l. 1. & 2. ff. de condit. ob turpem cauſam.*

13 Itaque quando aliquid debitum eſt ex Iuſtitia,
& idem eſt, ſi ſit debitum ex charitate, non poteſt
pro eo accipi prætium, & acceptum reſtituendum
eſt; dummodo ſine vllo ſumptu, aut labore præſtari
14 poſſit, aut detur talis laboris prætium. Hinc ſequitur, teneri teſtem reſtituere id, quod accepit, vt verum teſtimonium diceret. Sic nihil poteſt accipi pro reddendo depoſito, commodato, aut inuento, vel pro ſoluendo debito, aut ne fureris, ne occidas, ne detrahas, quia iſta ſunt ex Iuſtitia debita, ita Leſſius, & Rebelli vbi ſupra. Similiter tenentur re-
15 ſtituere quæſtores, & receptores publicæ pecuniæ, quod acceperunt pro debita ſolutione. Nauar. *in extrau. de datis, & promiſſis num. 5.* & Rebell. *loco citat.*

16 Infertur quartò Iudicem, qui iniquam tulit ſententiam, ob prætium ſibi datum, vel promiſſum, quamuis peccauerit iniquè iudicando, non tamen peccare, neque teneri in conſcientia ad reſtitutionem, accipiendo prætium pro iniqua ſententia, ita Nauar. *cap. 17. num. 39.* Angelus *verbo concuſſio §. 2. & v. reſtitutio verſ. turpe* lucrum Petrus Nauar. *de reſtit. lib. 4. cap. 2. dub. 12. concl. 1. & 2. & dub. 13.* Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 4.* Rebell. *p. 2. libr. 18. q. 19. num. 4.* Toletus *lib. 5. cap. 25. in fine.* Leſſius *lib. 2. c. 14. num. 54.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 94. §. contraria ſententia* Layman *libr. 3. tract. 4. cap. 4. num. 9. verſ. præterea.* Diana *part. 8. tract. 6. reſol. 110.* Contra Caietan. 2. 2. *q. 62. art. 5.* & Couarr. *in reg. peccatum p. 2. §. 2. & alios.*

Probatur, quia iniqua ſententia, quatenus eſt fauorabilis, & commoda vni parti, ſic eſt prætio æſtimabilis. tum eſt prætio æſtimabile periculum, cui iudex ſe exponit in fauorem dantis. tum quia quotieſcumque Iudex præſtat id, ad quod non tenetur, poteſt recipere prætium, tum patet à ſimili, communiter enim Doctores docent: non peccare meretricem, neque aſſaſſinum recipiendo prætium pro fornicatione, aut occiſione, & patet ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *q. 32. art. 7. in corp. & q. 62. art. 5. ad ſecundum.* Vbi docet: poſſe retineri id, quod propter opus malum eſt acceptum.

17 Infertur quintò, Iudicem iuſtè accipere, vt cauſam citiùs expediat, quam alioquin ita citò expedire non tenebatur, ſine tamen eorum præiudicio, qui antiquiores ſunt, Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 9. verſ. ſed ponamus,* & alij communiter; contra Bouadillam *in politica tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 39.* Bocrium *deciſ. 153. num. 2.* Azeuedum *in l. prima num. 19. tit. 6. lib. 3. recopilationum.*

Ratio eſt, quia quotieſcumque Iudex præſtat id, ad quod ex Iuſtitia non tenetur, poteſt recipere prætium.

Aduerto tamen peccare Iudicem, ac litigantem, ſi munus grande ſit, longè excedens finem, vt lis citius expediatur, nam hoc caſu daretur prætextu expeditionis, ſed reuera finis eſſet inclinare animũ Iudicis ad iniuſtam ſententiam, eo tamen caſu peccaret quidem, ſed non tenetur Iudex ad reſtitutionem.

18 Infertur ſextò, licitè accipere Iudicem, eo fine, vt maiorem diligentiam, maioremque laborem in cauſa adhibeat, ad quem alioqnin non tenebatur. Rebell. *p. 2. lib. 18. q. 20. n. 5. verſ. à partibus.* Molina *tomo 1. tract. 2. disp. 88.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 9. verſ. deinde.*

19 Infertur ſeptimò, Iudicem peccare, & teneri ad reſtitutionem, quando datum eſt illi ad redimendam vexationem, ex timore, ne iniuſtè iudicet, aut cauſam retardet, aut ſi negat præſtare ea, ad quæ ex officio tenetur, Nauar. *in ſum. cap. 17. num. 39.* Couar. *in reg. peccatum part. 2. §. 3. num. 7.* Turrian. 2. 2. *disp. 14. num. 7.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 4. n. 10. verſ. ſin verò.*

20 Hinc ſequitur, Duces belli miſſos à Prorege in Prouincias teneri ad reſtitutionem pecuniæ ab vniuerſitatibus datæ, *pro quieta vita*, vt vulgo dicunt, datur enim ne eos vexent, cũ habeãt à Rege ſtipendium; ſic S. Auguſtinus *ſerm. 19. de verbis Domini relatus in cau. militare 23. q. 1.* ait: *Quicumque ſtipendia ſibi publicè decreta conſequitur, ſi amplius quærit, tamquam calumniator, & concuſſor Ioannis ſententia condemnatur, Lucæ 3. quæ habet, eſtote contenti ſtipendijs veſtris.*

21 Pari ratione ad reſtitutionem tenetur publicanus, qui ne viatorem indebitè vexet, pecuniam accipit; Verùm ſi omittat perquirere merces, quas ex officio perquirere tenebatur, ne vectigalia fraudẽtur, tunc non tenetur reſtituere viatori, ſed conductori vectigalis, quantum prudentis arbitrio æſtimari poteſt dubium fraudati vectigalis.

Aduerto tamen nõ teneri Iudicem ad reſtituendum, quod ipſi datum eſt ad redimendam vexationem,

22 nem, si ex circumstantijs constet, eum, qui munus dedit, restituendi obligationem remittere, Rebellius *part. 2. lib. 18. quæst. 22. num. 5.* Layman *lib. 3. tract. 4. c. 4. n. 10. vers. sin vero.*

23 Infertur octauò, teneri ad restitutionem iudicem, quando perpensis omnibus circumstantijs, prudenter dubitat, an litigans liberaliter, vel ex metu iniustæ vexationis donauerit, ita Reginaldus *lib. 10. n. 141.*

Ratio est, quia, cum ipsi prohibitum sit, & teneatur ad restitutionem, si pro iusta sententia aliquid extorqueat, neque possit in conscientia retinere, nisi donum liberaliter datum debet euidenter constare, vel saltem prudenter præsumi, illud esse liberè datum: Ergo, si dubium sit an, sit liberè datum restituendum est. At si mediocre sit donum, vt supra dixi, puto, retineri posse, nam frequentissimum est donare Iudici, non ex timore iniustæ sententiæ, sed liberè, vt sit benè affectus erga causam.

24 Infertur nonò, teneri ad restitutionem officialem, quando intercessit fraus, quia ignorabat litigans quantitatem stipendij, cum enim danda essent duo, dedit quatuor, quia totidem petijt officialis. Ita Reginaldus *lib. 10. num. 141.* & Filliucius *tract. 31. cap. 9. num. 213.*

25 Infertur decimò, non teneri ad restitutionem Iudicem, quando Iudicat contra donantem, qui ei donauerat ad alliciendum eius animum, vt in arbitrarijs pro ipso iudicaret. Nisi expressè sub ista conditione datum esset, vt pro donante iudicaret Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 5. num. 4.* Petrus Nauarrus *lib. 4. cap. 2. num. 101.* Reginaldus *lib. 10. n. 182.* Lessius *libr. 2. cap. 14. num. 72.* Eman. Sà *v. restitutio num. 9.* Bonacina *de restitutione disp. 1. qu. 3. punct. 2. num. 6.* Molina *disp. 88. vers. neque refert.* Nauar. *cap. 23. num. 12. & cap. 17. num. 30.* Rodriquez *in sum. tomo 1. cap. 187.*

Probatur, nam donatio non fuit facta conditionatè, sed absolutè, & simpliciter: ergo nequit reuocari, tum, quia, si mulieri donatum sit ad eam alli-
26 ciendam, vt copulæ consentiat, si non consentit, non tenetur restituere. Molina *d. disput. 88. vers. neque refert:* Ratio est, quia defectus causæ impulsiuę, non vitiat donationem, neque tribuit donanti conditionem ob causam *l. 1. & 2. §. titio decem*, vbi Bart. *ff. de donation. l. 1. ff. de condit. causa data, & causa non sequuta l. si repetendi, vbi glosa verbo conditionē C. de condition. ob causam. l. 1. & l. vbi autem ff. de condit. ob turpem causam.*

Aduerte etiam, non peccare Iudicem, quamuis
27 sciat donari ad alliciendum eius animum, ad iniustam sententiam; nam tunc Iudex donantis turpitudini non cooperatur, eò quia recipiens donum neque tacitè, neque expressè promittit se iniustè iudicaturum, neque est causa eius peccati; quia donum non petit, sed tantùm permittit eius peccatū: peccaret tamen, si cooperaretur peccato donantis, idest, si tali receptione ostēderet se inclinari ad iniustam sententiam, & ideo litigans perseueraret in prauo desiderio iniustæ sententiæ.

Ex his patet responsio ad contraria. Ad primum, & secundum. Respondetur tunc illicitam munerum receptionem, quando ea comitatur intentio, aut periculum iniustè iudicandi; secus, si certum sit, sententiam pro donante esse iustissimam.

Ad tertium. Respondetur ea munera non accipi tanquam pretium, nisi darentur pro extraordinario labore, sed accipi, tamquam liberale donum, & liberè dari non vt Iudex iniustè iudicet; Sed vt sit benè affectus erga causam iustam.

Ad quartum. Respondetur, falsum esse, ea munera dari ex metu iniustæ sententiæ, imò dantur ex desiderio iustæ sententiæ, in ijs, quæ iudici arbitraria sunt; quare dicenda sunt potius dari ex concupiscentia, quæ non minuit; sed auget voluntarium, vt ait S. Thom. *1. 2. q. 77. art. 6.*

Ad quintum. Respondetur, oppositam opinionem esse probabiliorem.

QVÆSTIO II.

An munerum receptio sit lege humana Iudicibus interdicta, & an ex consuetudine excusetur?

SVMMARIVM.

Prima conclusio ratione legis positiuæ, ac iuramenti, peccat Iudex recipiens dona liberè data. n. 1.
Lex principis sæcularis obligat in conscientia. n. 2.
Prohibita est Iudicibus munerum receptio iure ciuili. num. 3.
Iure Canonico. num. 4.
Regnique Neapolitani. num. 5.
Secunda conclusio; in aliquibus casibus excusatur receptio munerum. num. 6.
Pro extraordinario labore. n. 7.
Secundò, si non, vt Iudex, sed vt amicus, quamuis amicitia oriatur ex officio. n. 8.
Tertiò, si conquereretur donans recusato munere. n. 9.
Quartò, post sententiam, nulla præuia promissione. num. 10.
Quintò, Xenia in natalitijs Christi Domini, etiam Romæ. num. 11.
Sextò, munuscula in cibo, & potu, nisi lege prohibeantur. num. 12.
Iure Canonico permißa
Sic etiam Iure Ciuili permissa
Neapoli tamen prohibita. n. 13.
Debent esse parua, quæ biduo à Iudicis familia possint absumi. num. 14.
Arbitrarium dicendum, pensata qualitate dantis, & recipientis. num. 15.
Si de consuetudine constat ea attendenda. n. 16.
Non est tutum, ab eodem frequenter Xenia recipere. num. 17.
Quia coalescunt ad vnum grande munus. n. 18.
Aliqui docent, non posse ea munuscula singulis annis excedere centum aureos. n. 19.
Verius id prudentis arbitrio committitur. n. 20.
Valorem tamen esculentorum, quamuis modicum nequit Iudex recipere. num. 21.
Septimò, si lex consuetudine abrogata sit, poterit Iudex recipere munera liberè data. n. 22.

Lex

Lex humana non acceptata à Populo, aut consuetudine abrogata non obligat in conscientia. n.23.

Vt dicatur lex non acceptata, non requiruntur decem anni, sed quod pluribus actibus populus legem non seruet, sciente tamen, & tolerante Principe. n.24.

Lex prohibens munera dicitur non acceptata, si publicè munera dentur, ac recipiantur, neque puniantur recipientes. n.25.

Sicuti in simili patet de bulla cœnæ. n.26.

Vt lex ciuilis contraria consuetudine abrogetur, sufficiunt decem anni. n.27.

Sic abrogata videtur Neapoli pragmatica prohibens munera. num.28.

Visitator punit officiales grandia munera recipientes. num. 29.

Quò ad grandia munera, lex non est abrogata, quia timorati non recipiunt, & puniuntur recipientes, & malè de illis populus sentit. n.30.

Quamuis visitator puniat recipientes parua munuscula, hoc non conuincit, legem non esse abrogatam. n.31.

Non peccat non obseruans legem, quam nec timorati seruant, adeò contra eam inualuit vsus. n.32.

Ratio est, quia ex hoc probabile est, legem non obligare. num. 33.

Iuramentum seruandi statuta intelligitur, quatenus sint vsu recepta. num.34.

Octauò excusatur, si salarium taxatum modicum sit, & insufficiens. n.35.

Non faciliter talis licentia concedenda. n.36.

Quando non excusatur recipiens munera, non eum iuuat, quod liberè dentur, aut spontè. n.37.

Prohibitus recipere, nec potest à sponte soluente. n.38.

1 DIco primò. Ratione legis positiuæ prohiben-
tis, ac iuramenti (præsertim in Regno Nea-
politano) peccat Index recipiens dona liberè data:
ita omnes Theologi, Lessius *de iustitia lib.2. cap.14.*
dub.9.num.64. Molina *tract.2. disp. 88.* Reginaldus
lib.10.num.142. Bartholomæus Medina *in Instruct.*
lib.1.cap.16.§.3. Sanctofaustus *in speculo disput. 27.*
2 *quæst. 31.* Ratio est, quia lex iusta Principis secula-
ris obligat in conscientia ad peccatum mortale, vt
docent omnes in materia de legibus. Iure autem
3 ciuili prohibetur ea munerum receptio. *l. plebiscito*
18. ff. de officio præsidis. l. solent §. fin. ff. de officio pro-
consul. l.1. C. ad l. Iuliam repetund. authentica nouo iure
C. de pœna Iudicis, authentica scriptum exemplar, vt Iu-
dices sine quoquo suffragio, §. nullo quoque, & §. sequē-
ti authentico de Iudicibus. Sic etiam iure Canonico *c.*
statutum §. siquid de rescriptis in 6. vbi de legato Pa-
pæ. *cap. 2. de censibus in 6.* vbi de visitatoribus. Sic
5 etiam de iure Regni Neapolitani vt *in Constitut. Ca-*
pitaneorum de officio capit. Constitut. Iustitiarijs de officio
Iustitiar. & Capitulum Regni Caroli II. Incipiens nullus
Iustitiarius Pragmatica 2. 4. & 5. de muneribus of-
ficial.

6 Dico secundò, excusant Doctores Iudices munera recipientes in sequentibus casibus.

7 Primò, quando extraordinarium laborem, ad quem non tenebatur, præstitisset in causa. Reginaldus *lib.1.num.143.* Petrus Nauarra *lib.3. cap.3.n. 18.* Molina *disp.88.*

8 Secundò, quando reciperet, non ratione officij, seù tanquam Iudex, sed ex amicitia, quamuis amicitia ex officio oriretur. Reginald. *lib.10.n.144.* Comitolus *respons. lib.6. quæst.7. num.4.*

9 Tertiò, quando donans ex dignitate suæ personæ meritò conquæreretur, tanquam de iniuria sibi facta, si donum recusaretur, Reginaldus *lib.10.num. 145. vers. quartus casus.*

10 Quarto, quando post sententiam, nulla tamen præuia promissione, ex gaudio, & gratitudine rei iustè obtentæ liberè donaretur, Reginaldus *lib. 10. num.145.* Menochius *casu 342. num.38.*

11 Quintò, iustè accipiuntur Xenia in Natalitijs Christi Domini, etiam in Romana Curia, vbi seuerissimæ de hac re extant Summorum Pontificum prohibitiones, hæc enim vetus consuetudo probauit: Nauar. *in commentario de datis, & promissis n. 5. & 33.* Comitolus *respons. lib.6. q.7. n.6.*

12 Sextò, vbi municipali lege non est expressè prohibitum, licitè accipiuntur munuscula, in cibo, & potu, ea enim Iure Canonico permittuntur, vt in *cap. statutum §. insuper* vbi glosa, & Doctores *de rescrip. in 6.* sic etiā iure ciuili *l. plebiscito 18. ff. de offic. præsidis.* Vbi Guilelmus, Bartolus, & Baldus *l. solent §. fin. ff. de officio proconsulis.* Vbi Baldus per eum textum, *& ex §. pen. Instit. de publicis Iudicijs,* vbi glosa in *Verbo esculentum, & poculentum,* Menoch. *casu 342. num.35.* Decianus *in tract. crim. tom.2. lib.8. cap. 35. num.14.*

Quamuis alij immeritò contrarium doceant, asserentes tex. in l. plebiscito correctum esse per *authenticam scriptum exemplar, vt Iudices, sine quoquo suffragio ita glos. in d. l. plebiscito.* Alex. *cons.205. col.4. vol. 2.* Puteus *de sindicatu verbo poculentum cap.2. num.1.* Boerius *decis.153. num.25.* Sylua Nuptialis *lib. 5. n. 97.* Quesada *diuersarum qq. cap.27. n.1.* Mazienzo *in Dialogo de relatore p.3. cap.32.*

Sed re vera tex. in d. l. plebiscito, non est correctus *per authenticam scriptum exemplar,* cum enim expressè non prohibeat hæc munuscula comestibiliū recipere, non censetur corrigere priora iura, nam vitanda est iurium correctio, nisi de ea euidenter constet.

13 In Regno tamen Neapolitano prohibentur etiā esculenta, vt in *pragmatica 2. 4. & 5. de muneribus officialium.*

14 Ea autem munuscula debent esse in parua quātitate, quæ iudicis familia biduo, vel triduo consumere valeat, ita Glosa *in dicta l. plebiscito,* & glosa *in cap. statutum §. insuper.* Vbi Dominicus *de rescriptis in 6.* glosa *in cap. licet 11. q. fin.* Martinus laudens *tr. de official. dominorum q. 89.* Petrus Greg. Sintag. *Iuris part.3. lib.36. cap.28. num.1.* Bouadilla *in Politica tom.1. lib.2. cap.11. num.45.* Plinius Iunior *Epistolarum lib.4.* dum agit de Iulij Bassij accusatione. Filliuc. *tract.31. cap.9. num.213.*

15 Rectiùs tamen id prudentis arbitrio committitur, pensata qualitate dantis, ac recipientis, *glos. in d. cap. statutum §. insuper de rescriptis in 6.* Guilelmus *in cap. & si quæstiones de simonia* Syluest. *v. iudex 1. q. 8.* Filliuc. *tract.31. cap.9. num.213.*

16 Si tamen constaret de consuetudine, illa attendenda erit. Gordonus *in Theol. morali lib.5. q.5. num. 18.* Sà *verbo Iudex n.12.*

Frequen-

Frequenter tamen ab eadem Xenia ista, ac
17 comestibilium munera recipere, non erit tutum in conscientia, vt rectè aduertit Filliuc. *tractat. 31. numer. 213.* quia posita ea frequentia (de qua prudentis arbitrio iudicandum est) coalescunt ea munuscula, ad constituendum vnum grande munus. Imò vt notat Bouadilla *tomo 1. lib. 2. cap. 11. n. 45.* Petrus Gregor. *libro 36. Syntag. cap. 28. numer.*
19 *1.* Decianus *tomo 2. libro 8. cap. 35. numer. 14.* omnia ea munera, non debent singulis annis excedere summam centum ducatorum; Veriùs
20 tamen est id arbitrio prudentis committendum; nisi aliter sit expressum in literis datæ dignitatis.

21 Valorem tamen esculentorum, seu comestibilium, etiam si sit vnus denarius, non poterit in conscientia Iudex recipere glosa *in l. 3. C. de condition. ob turpem causam.* Afflictus *in Constitut. Regni Capitaneorum num. 30.* Syluester *v. Iudex primo quæst. 8.* Filliucius *tractat. 31. cap. 9. n. 213.*

Septimò poterit in conscientia Iudex dona liberè data à litigantibus recipere, si humanæ leges, siue communes, siue municipales, ea prohibentes, vel per contrariam consuetudinem abrogatæ, vel non sint vsu receptæ à Populo, ita Speculator *in tit. de salar.* §. 1. Nauarr. *in extrauag. de datis, & promissis numer. 5.* Arragonius *2. 2. quæst. 71. artic. 4. ad secundum.* Rebuff. *tomo 3. constitut. Galliæ tractat. de salar. taxa numer. 18.* Folleriis *in constitut. Regni Iustitiarij numer. 18.* Gordonus *in theologia morali libro 5. quæst. 5. numero 18.* Emanuel Sà *v. Iudex n. 12.* Lugo *de iustitia disp. 37. num. 129. in fine.*

Quamuis contrarium doceant alij, vt Innocent. *in cap. sanè de officio ordinarij.* Baldus *in l. de quibus col. 23. ff. de legibus.* Marsilius *in l. 1. col. 12. ff. de sicarijs.* Tiraquellus *de pœnis temperand. causa 42. n. 12.* Bouadilla *in politica tomo 1. libro 2. c. 11. n. 64.*

Probatur, quia lex humana non acceptata à Populo, aut per contrariam consuetudinem abrogata non obligat in conscientia *l. de quibus vbi DD. ff. de legibus.* Abbas *in cap. 1. de treuga, & pace* vbi Immola, & alii Lessius *libro 2. cap. 22. dub. 13. n. 98.* Nauarr. *cap. 23. numero 41.* Diana *parte 1. tractat. 10. resol. prima.*

Vt autem prædictæ leges tanquam vsu non
24 receptæ, non obligent, non requiruntur decem anni; sed sufficit, quod Populus pluribus actibus legem non seruet, vt duobus, vel tribus actibus, quamuis lex paulò ante publicata fuerit, sciente tamen, & tolerante Principe Felinus, & Cardinalis *in cap. primo de treuga, & pace* Franciscus Aretinus *consil. 6.* Benedictus *in cap. Raynutius verbo vxorem nomine Adelasiam numero 229.* Henricus *tractat. de synodo artic. 2. numero 63.* Suarez *libro 4. de legibus cap. 16. numero 12.* Diana *parte 1. tractat. 10. resolut. 7.* quare in casu nostro, vt lex prohibens munera dicatur vsu
25 non recepta, sufficit quod maior pars populi, seu litigantium liberè afferat munera, & Iudices palam recipiant, neque puniantur, atque adeo vt populus prosequatur agere, sicut prius ante legis promulgationem, prout in simili docent

Quæstiones P. Verricelli.

26 Doctores omnes de Bulla Cœnæ Domini, quæ plerisque in locis non est acceptata, quamuis quotannis publicetur, ita Nauar. *consil. 1. n. 35. de constitut.* Suarez *de legibus libro 4. cap. 16. numero 9. & libro 3. cap. 19. numero 9.* Salas *de legibus disputat. 13. sect. 2. n. 9 & 11.* Bonacina *de legibus disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 28.*

Vt verò lex Ciuilis per contrariam consuetudinem dicatur abrogata, sufficiunt decem anni, Abbas *in cap. final. numero 7. & 11. de consuetudi-*
28 *ne.* Quare videtur abrogatam esse in Regno Neapolitano pragmaticam prohibentem huiusmodi munera, cum enim anno 1623. promulgata fuerit, iam 24. anni sunt, quibus ea non seruatur.

29 Aduerto autem, quod quamuis aliquando visitator Regni puniat officiales hęc munera recipientes, tamen non punit nisi munera grandia sint, quò ad hæc enim consuetudo non excusat à peccato mortali, nulla enim consuetudine introductum est, vt officiales possint recipere grandia, & immoderata
30 dona, tales enim seuerè puniuntur, & omnes de ijs malè sentiunt, & timorati recusant ea grandia dona recipere.

31 Præterea esto, quod pro quocumque paruo munere recepto, puniantur à visitatore officiales, non tamen sequitur eos ratione consuetudinis, non excusari à peccato mortali. Ratio est, quia nihil refert, quod Princeps, non tolleret transgressores suę legis, quando supponitur lex abrogata, per contrariam consuetudinem; nam nisi denuò lex publicetur, nō obligat in conscientia, ex hoc quod puniantur aliquando transgressores, puniuntur enim ex eo, quia Princeps præsumit suam legem contraria consuetudine abrogatam non esse, iuxta id, quod in simili docent Abbas *in cap. final. numer. 19. de consuetud.* Armilla *v. consuetudo n. 7.* Reginaldus *lib. 13. num. 249.*

Neque obstat, quod aliquibus non constat huiusmodi leges esse per contrariam consuetudinem abrogatas. Respondetur enim, quod quando contra
32 legem (de qua dubitatur an sit vsu recepta) ita inualuit consuetudo, vt eam plerique etiam boni viri, sine remorsu conscientiæ, non seruent, tunc non seruantes legem non peccant, ita Valentia *tom. 3. disp. 7. q. 5. punct. 8.* Reginaldus *lib. 13. n. 247.* Salas *de legibus disp. 19. sect. 3. §. 5. n. 43. in fine, & prima secundæ qu. 21. tract. 8. disp. vnica n. 169.* Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 19. q. 12.* Diana *p. 4. tract. 3. resol. 14. & 22.* Ratio est,
33 quia ex hoc satis probabile est, legem non obligare, cum plerique etiam timorati illam non seruent, qui autem operatur probabiliter operatur prudenter, atque adeo sine peccato. Id verò accidit in casu nostro in receptione munerum, Iudices enim etiam timorati ea recipiunt, dummodo grandia non sint.

34 Nec quoque obstat, quod officiales iurant seruare pragmaticas Regni; Respondetur enim Iuramentum intelligi de statutis vsu receptis, seu quatenùs sunt vsu recepta, non autem de alijs, ita Sanchez *in summa lib. 3. cap. 14. n. 22.* Malderus *2. 2. tract. 10. cap. 6. dub. 19.* Diana *part. 3. tract. 6. resol. 39.*

Octauò excusatur à peccato Iudex munera

M reci-

recipiens; imò excusaretur, etiam si non reciperet vt liberale donum, sed ab inuito vt prætium exigeret, quando constaret salarium, vel prætium à lege taxatum non esse iustum; præsertim si ita à consuetudine sit introductum, vt vltrà taxam aliquid recipiat; potuit enim contingere prætia taxata esse tempore antiquo, quando viliori prætio habebantur ea, quæ ad victum necessaria sunt; ita Eminentissimus Lugo *de iustitia disp.* 37. *num.* 125. qui rectè aduertit ex Molina *disp.* 83. non facilè hanc licentiam concedendam ijs Iudicibus, & Regijs ministris, qui licet stipendio sibi assignato non possint viuere, habent tamen talia officia, quæ alij multi acceptabunt pro eodem stipendio, eo quod multa alia habeant adiuncta emolumenta, priuilegia, eminentias, spem ascendendi ad superiora officia, & alia huiusmodi, quæ prætio æstimabilia sunt, Rebellius *part.* 2. *libr.* 18. *quæst.* 20. *num.* 5.

37 Denique pro Coronide aduerto, quod ijs casibus, quibus non excusantur à peccato Iudices munera recipientes, neque tunc excusari possunt eo prætextu, quod accipiant à spontè, & liberè dantibus, nam adhuc non licet Iudici accipere *l. fin. §. vt autem C. de re militari lib.* 12. Bart. & Decius *in l. inuitus ff. de regulis iuris*. Bouadilla *in politica tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 69. Menoch. *de arbitrarijs casu* 342. *num.* 37. Petrus Nauarra *de restitut. libr.* 3. *cap.* 3. *num.* 22. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 146. Qui enim
38 prohibetur aliquid recipere, non potest accipere à spontè soluente *c. exigit de censibus in* 6. Baldus *in authentica sed hodie C. de Episcopis, & clericis*, Felinus in *cap. ina nos in fine de homicidio*.

QVÆSTIO III.

An Iudices munera liberè data recipientes teneantur ante sententiam ad restitutionem?

SVMMARIVM.

Prima sententia affirmat. num. 1.
Secunda sententia negat. num. 2.
Quamuis iure municipali fieret incapax, non tamen eo rigore talis lex est vsu recepta n. 3.
Patet ex communi praxi iudicium timoratorum. num. 4.

1 AFfirmant Sotus *de iustitia libr.* 4. *quæst.* 7. *art. primum ad secundum*. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 6. Syluester *verbo Iudex primo, quæst.* 8. Salonius, Bannes, & Arragonius 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 4. Bartholomæus Medina *in instructorio lib.* 1. *cap.* 16. §. 3. *in fine*. Ioannes Medina *in Cod. de restitutione quæst.* 20. Sayrus *in claui Regia lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 8. Emanuel Rodriquez *in summa v. Iudex casu* 183. *concl.* 1. Mercado *lib.* 4. *de contract. cap.* 16. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 36. Franciscus Ortiz *in summa cap.* 13. Vega *lib.* 3. *cap.* 302.

Probant, quia quando lex impedit dominij translationem, tunc recipiens fit incapax, & consequenter tenetur ante sententiam ad restitutionem rei, quippe, quæ sua non est: sed iura, præsertim municipalia, impediunt transferri dominium; quod patet, nam idem est reddere incapacem dominij, ac obligare ante sententiam ad restitutionem, prout obligat Pragmatica Regni Neap. 2. 4. & 5. *sub tit. de muneribus officialium*.

Secundò, quia *in cap. statutum §. si quid autem de rescriptis in* 6. præcipitur delegato Papæ recipienti munera, vt ea restituat, nulla eorum, quibus restitutio facienda est, remissione valitura.

Tertiò, quia *in cap. exigit de censibus in* 6. Visitatores recipientes aliquid debitum præcipiuntur restituere duplum intra mensem, sub pœna interdicti, & alijs pœnis.

2 Negant alij, & probabiliùs obligari ante sententiam ad restitutionem Iudicem recipientem munera liberè data, ita Molina *tom.* 1. *tractat.* 2. *disput.* 88. Vasquez *tom.* 2. *in* 1. 2. *disput.* 164. *numer.* 17. Rebellius *libr.* 18. *quæst. vltima, numer.* 2. Salas *de legibus disput.* 15. Eminentissimus Lugo *de iustit. disput.* 37. *num.* 134. qui ait: id procedere, quamuis iure municipali, ac proprio iuramento obligaretur Iudex ad restitutionem ante sententiam, idem docent Paludanus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *artic.* 5. Layman *lib.* 3. *tractat.* 4. *cap.* 3. *num.* 10. Sanctofaustus in *speculo, disput.* 27. *quæst.* 31. Petrus Nauar. *de restitut. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 107. Reginaldus *libr.* 10. *numer.* 139. & 142. Nauarr. *in manual. capit.* 17. *num.* 33. *concl.* 8. Beia *parte prima respons. casu* 1. & 31. Sanchez *consiliorum lib.* 3. *c. vnico dub.* 1. *num.* 28. & 30. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 6. Angles *q. de donation. diffic.* 7. Perez *libr.* 2. *ordinan. tit.* 3. *lege* 34. & *tit.* 15. *lege* 30. Fagundez *in præcepta Decal. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 26. *num.* 32. & 33. & *cap.* 27. *num.* 9. Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 59.

Probatur, quia quilibet acquirit dominium rei liberè donatæ, nisi à lege fiat incapax ad acquirendum dominium: Sed Iudex non fit à lege incapax ad acquirendum huiusmodi dominium, ergo acquirit rei donatæ dominium: ergo cum sit effectus dominus non tenetur restituere ante sententiam, lex enim pœnalis non obligat ante sententiam. Quod autem Iudex non fiat incapax rei donatæ patet tum ex iure communi *in l. plebiscito ff. de officio præsidis l. solent §. fin. ff. de officio proconsulis, in authen. scriptum exemplar vt Iudices sine quoquo suffrag. & de iure Regni Neapol. in constitut. Capitaneorum Constitut. Iustitiarij, & Pragmatica* 2. 4. & 5. *de muneribus official.* quibus iuribus patet nullibi iudicem fieri incapacem ad hæc dona acquirenda; etenim diuersum est à Iure obligari ad restitutionem rei donatæ; etiam ante sententiam id enim intelligendum ante sententiam, qua ad talem pœnam damnetur, non autem ante sententiam declaratoriam criminis, vt de similibus legibus pœnalibus docet Sanchez *in summa libro* 2. *capit.* 22. *numer.* 20. Aliud autem est expressè fieri incapacem dominij rei donatæ; sed esto iure aliquo municipali fieret expressè incapax, tamen huiusmodi leges nunquam, cum eo rigore fuerunt vsu receptæ, atque

adeo quò ad hanc partem censentur abrogatæ, neque obligant in conscientia, vt rectè docent Salon 2.2. *quæst.* 71. *art.* 4 *in fine*, Lugo *de iustitia disput.* 37. *num.* 134. qui rectè ait, satis id patere ex comuni praxi omnium iudicum, etiam timoratorum, qui nuuquã ea munera restituunt, quando fuerunt liberaliter data, ueque à Confessarijs ad id obligantur.

Ex his patet ad primum, & secundum, ad tertium Respondetur ex Lugo, visitatorem puniri pœna interdicti, quam, si maluerit euadere, debet duplum accepti restituere.

QVÆSTIO IV.

An Quæstor Regis præferens vnum creditorem alteri, teneatur ad restitutionem?

SVMMARIVM.

Chyrographa minori pratio emi poßunt ab eo, qui non est causa difficilis exactionis. n. 1.
Debitor, qui absque sua culpa est impotens, potest accipere remissionem partis debiti, vt vnum creditorem alteri præponat. n. 2.
Non potest quæstor vnum alteri præponere, sed debet soluere pro rata. n. 3.
Si omnes creditores vrgent solutionem, non potest debitor vnum alteri præponere. n. 4.
Quando debitor possit gratificari, & vnum alteri præponere? num. 5.
Quando ad publicam authoritatem auocata est solutio, non potest vnus alteri præferri. n. 6.
Potest creditor per occultam compensationem accipere à Rege, quod quæstor sibi retinuit. n. 7.
Visitator quæstorem condemnans debet creditoribus, non Regi applicare pœnam. n. 8.
Iniquissimum vespasiani factum. n. 9.
Cur Index non tenetur ad restitutionem munerum, tenetur autem quæstor? n. 10.
Duplex discrimen inter Iudicem, & Quæstorem: cum ille non teneatur ad restitutionẽ, teneatur autẽ iste. n. 11.

QVæstor Regis, qui reditus Regios percipit, & Regis creditoribus soluit, iuxta assignationem creditorum factam à Regia Camera, aliquando, cum non sint pecuniæ, vnde possit statim omnibus solui, soluit vni assignatario, illi gratificando, & ideo accipit partem pecuniæ ab ipso, exclusis alijs: Aliquando exclusis assignatarijs, aut retardata illorum solutione, soluit alteri non assignato à Regia camera: Dubitatur ergo, an teneatur ad restitutionem?

Quod non teneatur ad restitutionem huius lucri.

Probatur primò, quia non est culpa ipsius Quæ-
1 storis, quod exactio sit difficilis, aut quod non statim omnibus soluatur, vnde potest aliquid recipere propter hoc, quia hunc alteri præfert, cum sit in eius arbitrio, quem cui præponat; id autem probari videtur ex doctrina *Lessij lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 9. *num.* 78. Vbi sic scribit: *Huiusmodi chyrographa non possunt emi minori pratio à debitore, vel eius ministris, quorum officium est, ea soluere, quia ipsi sunt causa malignæ solutionis, qua in re grauiter peccatur à quæstoribus, & Receptoribus Principum: secùs tamen est, si quæstor causa non sit, & scandalum absit.* Hæc Lessius, quem sequitur Salas *de emptione dub.* 40. Bonacina *de contract. disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 10. *n.* 4. Ægidius Trullench. *in Decalogum tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 20. *dub.* 10. *num.* 3.

Sed receptot non est causa difficilis exactionis, nam reuera non est pecunia Regis sufficiens pro omnibus creditoribus: ergo, si sua diligentia procurat solutionem vnius creditotis, iustè ab ipso aliquid accipit.

Secundò, quia ipsemet debitor, qui ptopter ino-
2 piam, & absque sua culpa est difficilis exactionis, nec potest omnibus satisfacere, potest conuenire cũ creditore, vt ipsum alteri ptæponat, & accipere remissionem partis debiti, ita Cardinalis Lugo *de iust. tom.* 2. *disp.* 26. *sect.* 7. *n.* 101. Bustus, Rosella, Conradus, & alij, quos citat Sanchez *lib.* 1. *consiliorum c.* 7. *dub.* 18. *n.* 1.

Ergo, cum Rex sit difficilis exactionis, absque culpa quæstotis, potest quæstor, vt hunc creditorem alteri præponat, iustè aliquid accipere.

Tertiò, quia quamuis Iudex gratis teneatur administrare iustitiam, nec in causis, in quibus habet arbitrium, possit aliquod munus accipere, vt pro dante munus ferat sententiam, si tamẽ accipit, peccat quidem, sed non tenetur ad restitutionem, nisi post condemnationem, & ita obseruare omnes Iudices timoratæ conscientiæ neque aliquem Confessarium illos obligare ad restitutionem docet Eminentissimus Lugo *tom.* 2. *disp.* 37. *sect.* 11. *num.* 134. qui citat Molinam, Henriquez, Vasquez, Angles Perez, Petrum Nauarram, Rebellium, & alios: & scripsi in præced. quæst.

Ergo, quamuis quæstor debeat gratis soluere, & pro suo arbitrio præferre hunc illi; tamen, si non soluit gratis, sed accepta pecunia, peccat quidem, quia facit contra voluntatem Regis, sed non tenetur ad restitutionem.

Quartò huiusmodi chyrographa licitè à tertio minori pretio emuntur, quàm sit ipsum creditum Molina *tract.* 2. *disp.* 361. *n.* 4. Lessius *libr.* 2. *c.* 21. *num.* 9. Salas *de emptore dub.* 40. Bonacina *de contractibus disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 10. *num.* 4. Trullench. *in decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 20. *dub.* 10. *num* 3. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *res.* 50. Eminentissimus Lugo *de iust. tom.* 2. *disp.* 26. *sect.* 7. *num.* 93. & 94. Lanfranchus noster *opusculorum moralium tom.* 2. *opusc.* 18. *c.* 5. *n.* 3. Ergo licitè quoque potest ea chyrogtapha emete ipse quęstor, vel alius nomine ipsius.

His tamen non obstantibus, Respondeo, quæstorem, seù receptorem Regis teneri ad restitutionem talis lucri, & ad damna, quæ passi sunt creditores assignati à Regia Camera, quibus iniustè retardata, aut denegata est solutio.

Probatur primò Authoritate grauissimorum
3 Theologorũ Molina *tom.* 2. *disp.* 313. vbi ponens tres casus, in quibus tales quæstores peccant cũ obligatione restituendi, sic scribit. *Interdum, ne retardent solutionem iam debitam, aut vt in solutione hos creditores præferant alijs, partem debiti, aut aliquid aliud accipiunt, quod creditores ipsi solẽt libenter offerre, vt re ipsis debita perfruantur, neque solutio eis retardetur; Et in vtroq; casu*

iniustum committunt, cum onere restituendi, quod ita acceperint. Neque enim in potestate ipsorum est, solutionem retardare, si habeant bona Regis, vnde soluant, aut per ipsos stat, quominus ea habeant; neque iustus titulus est, vt aliquid accipiant, ne iniustè solutionem retardent. Item, si non sint bona, vnde omnibus statim soluatur, iniustitia est, efficere venale, quem cui debeant præponere in solutione, neque ad id ius habent, ceditque in detrimentum publicum, atque in grauamen, & & præiudicium aliorum, qui, quòd non condonet, tantundem postponuntur alijs. Sicut autem Rex ipse non potest ea de causa accipere remissionem partis debiti, tenetur que, id restituere, si ea de causa illud accipiat; ita ipsi, qui vice Regis soluunt, non possunt id sibi accipere, si autem accipiant, restituere tenentur. Quando autem non sunt bona sufficientis, vnde omnibus statim soluatur, hi præferendi sunt, qui ius prælationis habent, vel propter hypothecam, vel quacumque alia ratione. Quod si nullus ius prælationis habet, diuidantur bona proportione quadam inter creditores, fiatque ita omnibus solutio per partes, ita vt nullus grauetur. Solent præterea huiusmodi ministri conuentionem facere cum quodam tertio, vt is emat huiusmodi debita, pecunia statim enumerata à creditoribus Regis, minori pretio, quam sit id, quod eis debetur, obtendentes id licitè posse fieri, eo quod debita illa minùs valeant creditoribus ipsis propter difficultatem, & molestiam recuperandi. Et, cum tertius hic sciat, sibi continuò esse soluenda, eò quod Minister Regis eligere soleat cui primò soluat, emit ea, quandoque pecunia ipsa Regis, soluiturque illi postea incrementum à ministro Regis cum eodem ipso ministro diuidendum; sicque mirum in modum accrescit capitale ad eiusmodi iniustam negotiationem, soluente Rege integra debita, meritòque conquærentibus creditoribus, quod ob difficiles, & retardatas solutiones defraudantur rebus illis debitis, atque ministris publicis, eiusmodi intermedijs hominibus, contra iustitiam, ea arte, & fraude, illa sibi vsurpantibus. Nullus autem sanæ mentis dubitare potest, hæc omnia restitutioni esse obnoxia creditoribus ipsis, neque vllum ius habere ministros publicos, aut eiusmodi inter medios ad ea sibi retinendum. Hæc Molina, qui etiam disput. 361. num. 4. ait; nihil posse Ministros Regis accipere, vt hunc illi creditori præferant.

Bonacina de contractibus disp. 3. quæst. 3. punct. 10. num. 7. sic scribit: Non est liberum quæstoribus, vel alijs, quibus incumbit onus soluendi debita Regis, soluere vni potiùs, quàm alteri, sed omnibus facienda est solutio ad ratam, ita vt nullus grauetur, nisi fortè sit aliquis, qui habeat ius prælationis. Hæc Bonacina.

Ægidius Trullench in decalogum tom. 2. libro 7. capit. 20. dub. 10. numero 3. idem iisdem verbis docet.

Eminentissimus Card. Lugo de iustit. tom. 2. disp. 26. num. 102. sic inquit: Infero primò peccare contra iustitiam quæstores publicos, & ministros Regis, quibus incumbit recipere pecunias Regis, & soluere etiam Regis creditoribus, quando ab eis emunt debita illa minori pretio, & ea postea integra recipiunt à Rege, quia, sicut Rex non posset minoris ea emere, ita neque ministri ipsi possunt, qui loco Regis ea debita soluere debent. Quò etiam pertinent, quod de aliquibus notat Molina, nempè ministros illos aliquando suggerere amico, vt emat minori pretio debita illa Regis à creditoribus, quæ postea integra emptori soluuntur à Ministro, diuiso inter vtrumque lucro illius emptionis, quod meritò, vt iniustum, & iniquissimum damnant prædicti authores. Hæc Lugo.

Doctissimus noster Lanfranchus opusculorum moralium tomo 2. opusc. 18. cap. 5. num. 2. vbi eadem docet. Probatur secundò ratione, nam triplici ex capite hic quæstor peccat cum obligatione restituendi. Primum caput est propter damnum creditorum, qui excluduntur. Secundum caput, propter damnum Regis, qui, quamuis integrè soluat, tamen reuera non remanet integrè liberatus à debito. Tertium caput est damnum creditoris, cui diminutè soluit.

Primum caput igitur est damnum creditorum, qui excluduntur, quod euidenter ostendo.

Primò, quia certissima est doctrina, quod, quan-
4 do plures creditores, qui habent æquale ius, concurrunt, & bona non sufficiunt pro omnibus, si omnes vrgeant solutionem, non potest debitor vni gratificari, altero excluso, sed debet soluere omnibus pro rata l. pupillus 24. ff. quæ in fraudem creditorum l. si non expedierit 6. §. si pupillus ff. de bonis authoritate iudicis possidendis. Rota Auenoniens. decis. 146. num. 7. Cephal. cons. 555. num. 15. tom. 4. Guttierez quæstionum ciuil. lib. 5. tom. 2. quæst. 100. num. 7. vers. nec huic Antonius de amato tom. 2. resol. 51. num. 26. Gaspar Thesaurus qq. forens. lib. 2. quæst. 16. num. 13. & 14. Carrotius decis. 109. num. 26. & 27. Vbi sic ait: Si omnes creditores instarent, & debitor per gratificationem voluit soluere vni, datur contributio cum alijs. Ratio est, quia debitor gratificando videtur committere dolum, & participare cum illo, cui soluit. Hæc Carrotius.

Ergo iniustè, cum plures assignatatij æquè vrgent solutionem (quos omnes vrgere testatur clamor populorum, inquit Regens Galeora responso fiscali 18. n. 17.) Quæstor vnum alteri præfert, sed debet omnes admittere pro rata.

Secundò, quia, si æqualis iuris sint creditores, de-
5 bitor, qui est impotens, non potest vni gratificari, nisi in duplici casu. Primus est, si alij creditores tacent, & vnus petat l. qui autem §. sciendum ff. quæ in fraudem creditorum. Nauar. cap. 17. num. 52. Syluest. v. restitutio 6. q. 8. Lessius lib. 2. cap. 3. lib. 2. cap. 15. dub. 5. Molina disp. 536. n. 34. §. hoc loco Layman lib. 3 tract. 3. c. 12. n. 7. Bonacina de restitut. disp. 1. q. 8. punct. 2. n. 20. Secũdus casus est, quando debitor impotens ab vno creditore timet ingentes molestias, ac lites, & damna, tunc enim cum tanto suo damno non tenetur, seruare ordinem in soluendo, sed potest isti totum soluere Molina d. disp. 536. n. 38. Sed in questore Regis vterq; casus cessat, nã omnes assignatarij petunt, & nullus tacet: ergo non potest vnum alteri præferre: Deinde, si ipse soluat pro rata, nullum timet damnum, vt patet: ergo cessat etiam ratio secundi casus.

Tertiò, quia, quandoad publicam authoritatem
6 auocata est debitoris solutio, non potest creditor exigere à debitore, nec accipere solutionem, præter iuris ordinem à Iudice seruandum: Vasquez opusculo de restitut. cap. 11. dub. 5. Turrianus. 2. 2. disp. 19.

dub3.

dub.3.num.6. Lugo de iustit. disput. 20. sect. 7. num. 168. Quare si pendente lite, vel ante litem motam, dubitans creditoribus ab anterioribus excludi, violenter pecuniam à communi debitore exigit, tenebitur debitum exactum restituere *l. pupillus ff. quæ in fraud. credit.* Gaspar Thesaurus *qq. forens. lib. 2. q. 16. num. 13. in fine.* Secus si bona fide, ante litem motam exactam pecuniam consumpsisset, prout refert decisum. Afflictas *decis. 190. in fine.* Grammaticus *q. t. num. 6.* Thesaurus *vbi supra num. 11. & 13.* Couar. *pract. cap. 29. num. 1. vers. his etiam.* Gratian. *disceptat. forens. lib. 2. cap. 384. n. 1.* sic etiam si omnes creditores hypothecarij, & non hypothecarij, intelligentes mercatorem, communem debitorem, esse decoctum, sequestrationes bonorum obtineant, & omnes inuigilant, & petunt solui, si vnus præripiat solutionem, eius diligentia sibi non proficit, & tenetur etiam consumptam pecuniam restituere, quia non potest præripere solutionem, cum ad publicam authoritatem iam sit auocata creditorum solutio; ita ex *l. fin. §. etsi præfatam C. de iure deliberandi* tradūt Vrsillus *ad afflict. decis. 190.* Romanus *consil. 111.* Benuenutus Straccha *tract. de decoctoribus num. 28.* & refert decisum in Senatu Pedemontano Gaspar Thesaurus *qq. forens. lib. 2. q. 16. num. 14.*

Sed solutio creditorum Regis auocata est ad publicum iudicium Regiæ Cameræ, & omnes inuigilant, & petunt solutionem: ergo non est facienda, nisi, & ordine, quo à Regi Camera præcipitur, & sic non potest quæstor præferre non assignatos assignatarijs, & cum omnes assignatarij sint paris conditionis, & par ius habeant, non potest vnum alteri præferre.

Quartò, quia casus noster euidenter exprimitur, ac deciditur *in l. qui autem §. sciendum ff. quæ in fraudem creditorum*, cuius verba sunt: *Sciendum Iulianum scribere, eoque iure nos vti, vt qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur, quamuis sciens, prudensque soluendo non esse, recipiat: non timere hoc edictum, sibi enim vigilauit. Qui verò post bona possessa debitum suum recepit, hunc in portionem vocandū, exequandumque cæteris creditoribus, neque enim debuit præripere cæteris post bona possessa, cum iam par conditio omnium creditorum facta esset.* Hæc ibi. Sed assignatio creditorum facta à Regia Camera, supplet vicem immissionis in possessionem bonorum debitoris: Ergo cum omnium istorum creditorum par sit conditio, non potest vnus creditor in fraudem aliorum creditorum assignatorum præripere totum creditum.

Quare concludendum est, quod non est in arbitrio, & electione Regij quæstoris præferre creditores non assignatos assignatarijs Regiæ Cameræ: Neque est in arbitrio quæstoris præferre vnum assignatarium alteri, sed debet omnibus pro rata soluere. Vnde corruunt omnia fundamenta, & argumenta adducta in contrarium, & sic peccat cum obligatione restituendi, propter damnum creditorum, qui excluduntur.

Secundum caput est propter damnum Regis, qui quamuis integrè soluat, tamen reuera non remanet integrè liberatus à debito, quod sic ostendo, nam Petrus creditor, cui Rex debet mille, recepit à Quæstore tantum quadringenta. Vnde Rex non remanet liberatus, nisi pro quadringentis, nam non liberè confitetur se recipisse integram solutionem ducatorum mille, sed ex timore, ne nihil omnino reciperet; quare ea confessio Regem non liberat; alia autem sexcenta, creditor nullatenus recepit, sed quæstor Regi furatur: ergo in conscientia tenetur Rex soluere Petro alia sexcenta, nam furtum quæstoris, non debet nocere Petro creditori, sed Regi, sibi enim imputet Rex, qui fures, & latrones ministros habet; neque Petrus est causa huius furti confitendo se recepisse mille, sed iusto timore perculsus, ne totum perdat, totum se recepisse cōfi-
7 tetur: Quare tuta conscientia potest Petrus per oc-
cultam compensationem, vt fraudando vectigalia, vel alio modo, accipere à Rege alia sexcenta, quæ reuera non recepit.

Hinc obiter infero. Quod, quando Regius Visi-
8 tator, comperta quæstorum fraude, eos ad multa aureorum millia condemnat; hæc non sunt fisco inferenda, sed diuidenda miseris creditoribus, alioquin Rex Iustissimus iniquissimum Vespasiani fa-
9 ctum imitaretur, de quo Suetonius, *in eius vita c. 16.* & Alciatus *Emblemate 145.* *Creditur* (ait Suetonius) *rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quò locupletiores mox condemnaret, quibus quidem vulgò pro spongijs dicebatur vti, quod quasi, & siccas madefaceret, & exprimeret humentes.* Hæc ille. Cum ergo quæstores isti humentes sanguine pauperū exprimuntur, non Regi, sed pauperibus creditoribus sunt danda ea, quæ damnati soluunt.

Tertium caput est damnum creditoris, cui quæstor diminutè soluit, nam iniquè cogitur confiteri se totum creditum recepisse; Vnde hoc dilemmate quæstorem vrgeo: Vel iniustè præfert Petrum cæteris creditoribus, vel iustè. Si iniustè præfert cæteris: ergo cæteris tenetur restituere damna; si iustè præfert Petrum Petro: ergo Petro tenetur restituere, quia diminutè soluit, & ea solutio gratis facienda erat. Probo, quia Rex dedit potestatem eligendi creditores, quibus solueret, voluitque fieri integrè solutionem: ergo pro illo arbitrio sibi à Rege commisso, vt hunc vel illum creditorem eligeret, nihil recipere potest, quod probatur hoc exemplo, Testator legat decem puellis maritandis, ab hærede eligendis, singulis centum, hæres, quia præfert Titiam Antoniæ, non potest à Titia recipere viginti, seu soluere 80. alioquin non solueret integrum legatum, neque potest vendere suum illud arbitrium, seu electionem, ratio est, quia illud arbitrium habet à testatore, qui voluit gratis exerceri; sic à Rege habet Quæstor potestatem præferēdi (esto haberet, quod falsum est) ergo gratis exercere debet, & integrè soluere: sic etiam Prorex peccat cum onere restitutionis, si pro pecunia nominet officiales apud Regiam Maiestatem, aut si concedat indulgentiam pœnæ debitæ pro delicto, aut concedat tractas frumenti extra Regnum, aut si vendat officia iustitiæ. Ratio est, quia hanc potestatem habet à Rege cum prohibitione accipiendi pecuniam pro huiusmodi gratijs, vnde vendit, quod suum non est. Diana *p. 6. tract. 6. res. prima 2. 3. & 4.*

Dices Iudex à Rege habet potestatem, sed arbi-

triū, cum expressa prohibitione recipiendi munera; tamen non tenetur in conscientia ad munerum restitutionem, vt communiter Doctores tradunt: ergo, quamuis quæstor à Rege accipiat potestatem hanc soluendi creditori, cui voluerit, & Rex velit integrè solui, & nihil recipere, tamen non tenetur, in conscientia restituere.

10 Respondetur; disparitas est, quia lex prohibet Iudici munera, sed non impedit translationem dominij; At Rex suo procuratori, seù quæstori, non tantùm prohibet, sed impedit transferri dominium pecuniæ datæ pro prælatione solutionis.

Dices; vnde habes, quod prohibens munera non impedit transferri dominium in Iudicem. At Rex prohibet, & impedit transferri dominium, quò ad Procuratorem, seù quæstorem suum?

Respondetur, disparitas est, quia Iudex non peccat contra Iustitiam, si accipiat pecuniam, quando est in ipsius arbitrio, pro hoc, vel illo iudicare; Ratio est, quia non tenetur (præcisa prohibitione legis humanæ) pro isto gratis Iudicare; quare ex natura rei non est contra Iustitiam, vendere suum arbitrium; quamuis autem lex humana id prohibeat, non tamē impedit translationem dominij; At procurator Principis peccat contra Iustitiam, si pro prælatione huius creditoris in solutione accipiat pecuniam. Ratio est, quia, cum procurator repræsentet Dominum, moraliter est vnum cum illo: ergo, cum Dominus ex natura rei peccet contra iustitiam accipiendo pecuniam, vel remissionem partis debiti, pro prælatione huius creditoris, etiam ipse procurator peccat contra Iustitiam accipiēdo pecuniam, nam sicuti Dominus, ita ipse gratis tenetur, seù integrè soluere totum debitum.

Ad primum itaque argumentum initio adductum in contrarium respondetur, quod vel pecunia, quæ reperitur penes Quæstorem capit omnes creditores assignatos à Regia Camera, vel non capit: si capit, & non soluit, iam quæstor est causa difficilis exactionis, & ita tenetur ad restitutionem illi, cui diminutè soluit, vel non capit omnes, & tunc debet recurrere ad Regiam Cameram, vt pro rata præcipiat, fieri solutionem. Quare, si non recurrat, sed soluat cui ipsi libuerit, damnificat creditores exclusos, quibus pro rata erat soluendum, vnde tenetur istis ad restitutionem damnorum.

Ad secundùm. Respondetur, inniti falso fundamento, nempè esse in potestate quæstoris, quem cui præponat ex creditoribus, etenim debet præferre assignatarios, qui habuerunt assignationem à Prorege, qui est supremus minister, aut à Regia camera, & si creditores assignati non possunt omnes recipere integram solutionem, debet quæstor soluere pro rata, aut recurrere ad Regiam cameram, vel Proregem, vt prouideat.

Ad tertium, duplex est disparitas. Prima est, quia 11 in multis causis est in arbitrio iudicis, pro quo ferat sententiam, vnde, si ideò recipit munera peccat, quidem, sed non tenetur ad restitutionem. At non est in arbitrio quæstoris, si pecunia Regia omnes creditores non capit, hunc illi præferre, sed debet, vel soluere pro rata, vel recurrere ad regiam cameram, alioquin iniustè damnificat exclusas, & iniustè damnificat eum, cui diminutè soluit, quando poterat integrè soluere.

Secunda disparitas est, quæ patet ex dictis, nam iudex ferendo pro isto sententiam propter pecuniā acceptam, in casu, quo habet arbitrium, non peccat contra Iustitiam, quia ex natura rei non tenetur, gratis pro isto iudicare: At Procurator Regis soluendo isti propter pecuniam acceptam peccat cō. tra Iustitiam, quia repræsentat Regem, qui tenetur integrè soluere.

Ad quartum patet disparitas, nam, vel pecunia sufficit, ad integram solutionem omnium assignatorum à Prorege, aut Regia camera, (hi enim à quæstore præferendi omnino sunt non assignatis) vel pecunia non sufficit: Si sufficit, ergo ipse quæstor est causa difficilis exactionis, & sic aliquid recipiēs peccat cum obligatione restituendi illi creditori, cui diminutè soluit, vt docent expressè. Molina *tom. 2. disp. 313.* Lugo *de iust. disp. 26. sect. 7. n. 102.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 9. num. 78.* Salas *de emptione dub. 40.* Bonacina *de contract. disp. 3. qu. 3. punct. 10. num. 4.* Trullench. *tom. 2. lib. 7. cap. 20. dub. 10. num. 3.* & alij. Vel pecunia Regis non sufficit ad solutionem integram omnium crediorum assignatorū à Prorege, & Regia camera, & tunc, quamuis ipse non sit causa difficilis integræ exactionis, tamen est causa, cur iniustè plurimi excludantur omnino; vnde istos damnificat; & his tenetur ad restitutionem damnorum; nam iniquè vni integrè soluit, cæteris exclusis; nam hoc casu debet recurrere ad Proregem, aut Regiam Cameram, vt prouideat, & diuidat pro rata.

QVÆSTIO V.

An Quæstor Regis non soluens creditori Regis, vulgo Assentistæ, assignato à Prorege, sed soluens alijs assignatis tantùm à Regia Camera, peccet, & obligetur ad restitutionem?

SVMMARIVM.

Quæstor est merus exequutor mandatorum Proregis. num. 1.

Non spectat ad Quæstorem iudicare, an sit iusta assignatio facta à Prorege. n. 2.

Respondetur affirmatiuè, dummodo ex hoc damnum illi Assentistæ proueniat.

Probatur, nam quæstor est merus exequutor mā-
1 datorum Proregis in distributione redituum Regis: Proregis enim mandatum præfertur cæteris ministrorum inferiorum: ergo iniustè quæstor damnificat creditorem, seù assentistam à Prorege assignatum; hic enim ius habet ad solutionem, in qua cæteris creditoribus præferendus est ob Proregis assignationem, huius enim mandatum (cum sit Supremus Regis Minister) præfertur mandato Regiæ Cameræ.

Secundò, quia, vt ait Molina *tom. 2. disput. 313.* Quando bona Regis non sufficiunt, vt omnibus statum soluatur, hi præferendi sunt à Quæstore Regis, qui

qui aliqua ratione ius prælationis habent, alioquin quæstor soluens cui ipsi libuerit, peccat cum obligatione restituendi: Sed Assentista, qui assignationem habet à Rege ius prælationis habet, nam ob publicam causam licitum est Proregi, retardare solutionem aliorum creditorum, & vnum cæteris præponere, quod facit, cum Assentistam cæteris prætert; ea quia iste subministrat pecuniam ad bella, & alia necessaria bono publico Regni: ergo tunc Assentista ius habet prælationis: ergo iniustè quæstor Regis denegat solutionem Assentistæ, vt soluat cui ipsi libuerit.

Quod, si dicas non esse reuera publicam, & iustam causam, sed quia fauore, & muneribus impetrat Assentista assignationem à Prorege, vt alijs præferatur.

Respondetur, quod quæstor est Minister, & me-
2 rus exequutor mandatorum Proregis, quare ad eum non spectat iudicare, sed exequi mandata Proregis. Adde, quod quæstor ignorat, an iustè, vel iniustè Assentista præferatur cæteris. Imò probabilius est, iustam esse causam, ratione belli, pro quo promptam pecuniam habere, publico bono expedit.

Tertiò accedit, quod, quando ad publicam authoritatem auocata est debitoris solutio, non potest vni solui, præter iuris ordinem à Iudice seruandum. Gaspar Thesaurus *qq. forens. libr. 2. quæst. 16. numer. 13. & 14.* Vasquez *opusc. de restitut. cap. 11. dub. 5.* Turrianus *2. 2. disputat. 29. dub. 3. num. 6.* Card. Lugo *de iustit. disputat. 20. sect. 7. num. 168.* Sed solutio facienda creditoribus Regis auocata est ad publicam Proregis authoritatem, qui ex iusta causa, spectatis Regni necessitatibus, decernit, illi, vel illi soluendam: ergo iniustè quæstor, qui est exequutor mandatorum Proregis contra eius mandatum alteri soluit.

Quòd autem Assentista patiatur damnum ex retardata solutione, nulli dubium esse, puto, nam mercatori plurimum nocet, solutionem non esse factam. Præterea vt eam obtineat, multa Proregis familiaribus, & alij munera ipsi eroganda sunt.

Verùm, si daretur casus, quod Assentista nullum pateretur damnum, quia in eius arbitrio positum esset ex hoc, vel illo Regis reditu solutionem obtinere, eo casu puto non peccare mortaliter quæstorem, si contra mandatum Proregis soluat alijs creditoribus assignatis à Regia Camera, nam cessante damno prædicti Assentistæ, ac cessante alio damno Regis, parum curat prorex, quod huic, vel illi Regis creditori fiat solutio.

* * *

QVÆSTIO VI.

Quibus, & quomodo teneatur restituere quæstor, qui cæteris creditoribus Regis exclusis vni diminutè soluit?

SVMMARIVM.

Primus casus, quando Regia pecunia sufficit ad integram omnium solutionem. n. 1.
Secundus casus est, quando pecunia Regis non sufficit, & præfertur non assignatus exclusis alijs assignatis. n. 2.
Plures casus distinguuntur pro enodanda hac difficultate. num. 3.
Si Quæstor restituit creditori, iniustè excluso, an habeat regressum contra eum, cui soluit? n. 4.
An si Quæstor Procurauit assignationem à Prorege, possit iustè accipere, quod acciperet alius emptor illius chyrographi. n. 5.

QVo ad Primum dubium. Quibus sit restituendum? plures distinguendi sunt casus.

Primus Casus est, quando Regia pecunia, quæ
1 est apud quæstorem, sufficit ad integram solutionem omnium creditorum assignatorum à Prorege, aut à Regia camera, & quæstor fingens non sufficere, vt illis soluat, aliquid accipi, tunc illis, à quibus accepit, tenetur restituere.

Secundus est casus, quando Regia pecunia non
2 sufficit ad integram solutionem, soluit Petro creditori non assignato à Prorege, aut Regia camera, exclusis assignatarijs, creditum autem Petri, cui soluit erat mille, sed soluit 600. retentis sibi 400. & apparet facta integra solutio ducatorum mille; In hoc casu duplex est difficultas. Prima, an teneatur restituere mille creditoribus exclusis? Secunda, an teneatur restituere 400. seu illi à quo accepit.

Quod autem ad nullam teneatur restitutionem, hac ratione sibi persuadent quæstores, nam ideo aliqui creditores assignantur à Prorege, aut Regia Camera, alij verò non assignantur, quia illi muneribus, fauore, aut potentia obtinent assignationem, cæteri verò excluduntur, non, quia negligentes sint in petenda assignatione, sed, quia carent eo fauore, aut potentia, apud Proregem: ergo iniustè excluduntur, ergo receptor iustè eos admittit ad solutionem. Sed iustè quoque quæstor accipit ab illis 400. quia soluendo non assignatis, exponit se periculo, vt condemnetur ad iterùm soluendum, ac se exponit periculo pœnæ, nam puniri soleut priuatione officij, aut alijs pœnis.

Contra autè, quod teneatur in conscientia ad totã summam mille soluendã; nam quæstor est minister subordinatus Proregi: ergo sicuti iniustè excluderet creditorem ab ipso Rege assignatum, ita etiam iniustè excludit assignatum à Prorege, aut à Regia Camera: ergo tenetur ad restitutionem dãnorum iniustè exclusis, ad quæstorem autem spectat executio, non discussio mandatorum Proregis, an iusta, vel iniusta sint. tum, quia creditor, qui obtinuit pro se sententiam, executioni mandari propter authoritatem publicam, cæteris paribus præferendus

ferendus est, ita post Vasq. & Molinam Eminentissimus Lugo *de iustitia tom. 1. disp. 20. sect. 7. n. 170.* Sed assignatus à Prorege obtinuit sententiam executioni demandari: ergo ipse iustè præferendus est à quæstore, & iniustè postponitur. tum quia meritò talis quæstor, præsertim si sibi retinet partem pecuniæ debitæ puniendus est Regens San Fælicius *decis. 284. & 285. tom. 2.* Regens Galeota *responso fiscali 22.* Larrea *alleg. fiscale 36.*

Dico primò, si quæstor certus est eum, cui soluit fuisse iniustè exclusum ab assignatione, nam creditores assignati non erant personæ miserabiles, nec erat aliqua causa publica, aut alia iusta, qua præferentur, non assignatis, sed amicitia, fauore, aut muneribus obtinuerunt assignationem, tunc quæstor non tenetur ad restitutionem assignatarijs, nisi pro rata damni illati, si fuissent omnes assignati. Explico tres sunt creditores Regis, Petrus, & Paulus assignati, & Andreas non assignatus creditum singulorum est bismille, in arca Regia sunt tantum triamillia, vnde si tres omnes fuissent assignati, singulis deberentur mille, quare si quæstor Andreæ soli soluit bismille, tenetur restituere mille Petro, & Paulo.

Dico secundò, quando quæstor dubitat an iustè, vel iniustè sint assignati. Petrus, & Paulus, & exclusus Andreas, tunc tenetur ad restituendum omnia bismille Petro, & Paulo, quæ soluerat Andreæ non assignato. Ratio est, quia quæstor in dubio tenetur obedire Proregi, aut Regiæ Cameræ assignanti, quare iniustè damnificat excludendo assignatarios.

Dico tertiò in casu quo iustè soluit Andreæ, quãuis non sit assignatus, non potest retinere pro periculo, cui se exposuit totam pecuniam acceptam v.g. mille, sed quantum prudentes extimatur illud periculum pœnæ, aut damni cui se exposuit, reliquã autem summam tenetur ipsi Andreæ restituere, vnde si nulli periculo se exposuit, quia certus est Proregem, aut Regiam cameram ratas habituram solutiones factas, tunc tenetur omne, quod retinuit restituere, alioquin esset infidelis minister Regis, qui non liberaret Regem à debito, & contra voluntatem Regis diminutè solueret, vt probant superiora argumenta adducta in præcedenti quæstione.

Dico quartò, quando quæstor non recordatur, aut incertæ sunt personæ à quibus iniustum lucrum accepit, prout supra explicaui, quia lucrum excedit æstimationem periculi, cui se exposuit, tunc debet restituere pauperibus, sicut cætera iniustè oblata ab incerta persona. Hic tamen aduerto, tunc teneri restituere pauperibus, quando cum culpa Theologica, idest cum peccato, accepit tale lucrũ, sciens se malè agere, nam solùm id, quod cum iniustitiæ mortali peccato acceptum est ab incertis personis, est obnoxium restitutioni pauperibus faciendæ, iuxta tex. *in cap. cum tu de vsuris, & cap. cum sit de iudicijs*, vt patet ex his, quæ docent Layman *lib. 3 tract. 3. part. 1. cap. 6. num. 2.* Molina *tract. 2 disp. 698. num. 6.* & Lessius *lib. 2. cap. 7. dub. 6. num. 26.*

Dico quintò, quando creditores assignati, & iniustè exclusi passi sunt damnum, tenetur quæstor restituere damnum, aut aliter reddere indemnes; patiuntur autem ipsi damnum ob retardatam solutionem, aut quia adhuc non fuit eius solutum, aut quia coacti fuere tam vili pretio sua chirographa vendere. Si verò assignatarius iniustè exclusus nullum passus est damnum, quia aliunde Rex integrè ei soluit, tunc non tenetur quæstor ad restitutionem eius pecuniæ, quam verè soluit, tenetur tantum ad restitutionem illi creditori, cui diminutè soluit, qua tenus pecunia, quam retinuit, excedit æstimationem periculi, cui se exposuit.

Dico sextò, si incertæ sint personæ damnificatæ, non tenetur ratione damni dati incertis personis facere aliquam restitutionem pauperibus: sicuti si occidam æquum personæ incertæ, non teneor restituere aliquid pauperibus pro æquo occiso.

Tertius casus est, quando pecunia Regis non sufficit ad integram solutionem creditorum assignatorum, quæstor autem vni soli integrè soluit, cæteris exclusis, in hoc casu tenetur ad restitutionẽ exclusis, nam tenebatur soluere pro rata, vt docent Molina, Bonacina, Trullench, & alij supra præcedenti quest. allegati.

4 Sed difficultas est, an quæstor, qui restituit damnum creditoribus iniustè exclusis, habeat regressũ contra creditorem, cui iniustè soluit, & qui ex tali fraude habuit commodum, & per occultam saltem compensationem possit sibi satisfacere?

Videtur ita distinguendum ex Lugo *de iustitia tom. 1. disput. 20. sect. 7. num. 179.* Vel creditor qui recepit solutionem erat conscius, & particeps fraudis, quia sciens iniustè alijs creditoribus damnum inferri, recepit solutionem, eum tamen alij creditores instarent apud Regiam Cameram, & eis esset facta assignatio, tunc tenetur in conscientia creditor iste particeps fraudis reficere damnum creditoribus iniustè exclusis, vt probatur *ex l. qui autem §. sciendum ff. quæ in fraudem creditorum.* Vnde quæstor poterit habere regressum contra hunc creditorem participem fraudis, cui indebitè soluit, & per occultam satisfactionem poterit sibi satisfacere: Si verò creditor, cui facta est solutio, non fuit particeps fraudis, sed bona fide recepit solutionem, non cogitans de præiudicio aliorum assignatorum, tunc iste creditor ad nihil tenetur, vt docet idem Lugo *vbi supra*; quare in hoc casu non potest quæstor habere regressum.

Sed his non obstantibus. Respondetur non posse habere regressum, quando quæstor accepit pro ea solutione pecuniam, aut sibi retinuit partem debiti. Ratio est, quia tunc in se assumpsit illud periculum, ex damno aliorum assignatariorum, alioquin creditor, cui facta est solutio sentiret damnum, seu exponeretur periculo, vt quod ei solutũ est auferatur à cæteris creditoribus; Quæstor autem absque vllo periculo retineret pecuniam acceptam, nam si cæteris creditoribus aliunde Rex solueret, non tenetur quæstor ad aliquam restitutionem; & si Rex non solueret cæteris creditoribus, quæstor haberet regressum aduersus eum, cui iniustè soluit.

5 Quartus casus est, quando quæstor sua industria, & labore procurauit assignationẽ à Prorege vnius creditoris. In hoc casu videtur posse tuta conscientia tantum accipere, quantum quilibet alius, qui

eam

eam apocham emeret. & ita videtur ſentire Leſſius *lib.2.cap.21. dub.9. num.78.* Ratio eſt, quia quæſtor non eſt cauſa difficilis exactionis, & aliunde ſua induſtria hoc premium meretur.

Reſpondetur tamen negatiuè ex Lugo *de Iuſtit. diſp.26. num.102.* vbi docet, quod, ſicut non poteſt Rex ea chirographa minoris emere, ita neque poteſt quæſtor, qui eſt vnum cum Rege, tertius autem iuſtè minoris emit, quia tanti communiter, & publicè ea chirographo æſtimantur propter difficilem exactionem; difficultas autem exactionis prouenit à Regis miniſtris, qui non ſoluunt pro rata, ſed prout ipſis libuerit: Itaque poterit quæſtor pro ſuo labore, aut induſtria in procuranda Proregis aſſignatione aliquid prudentis arbitrio recipere, non autem tantum, quantum tertius, qui ea chirographa emeret. tum, quia cum Prorex ad inſtantiam quæſtoris aſſignat, vel committit quæſtori aſſignationem, aut ratas habet ſolutiones ab eo factas, habet eam voluntatem, vt integrè ſoluat, non autem, vt emat chirographa, alioquin non eſſent Prorex, neque quæſtor fideles miniſtri Regis; Nam Rex totum debitum ſolueret, & adhuc non remaneret Rex liberatus, ſed tuta conſcientia poſſet creditor occultè ſibi compenſare damnum diminutæ ſolutionis; quia Rex in conſcientia tenetur pro fraudibus miniſtrorum in ſolutione debiti; ſicuti, ſi ego debeo Franciſco centum, & ea illi mitto per ſeruum meum, qui aufugit, aut diminutè ſoluit, non remaneo liberatus. Neque obſtat, quod creditores conſentiunt, nam non eſt conſenſus liber, ſed coactus ſicuti eius, qui ſoluit vſuras.

Quo ad ſecundum dubium, quomodo quæſtor debeat reſtituere damnum creditoribus iniuſtè excluſis?

Reſpondetur, quod debet quæſtor, & obligatus eſt ſub peccato mortali exactiſſimam adhibere diligentiam, vt inquirat perſonas damnificatas, & cognoſcat quantitatem damni, damnum autem poteſt quæſtor tripliciter reſtituere v. g. Petrus creditor iniuſtè excluſus coactus eſt ſuum chirographum ducatorum mille vendere pro 500. vel adhuc retinet illud, quod tamen ſi vellet vendere vix inueniret 500. tunc Quæſtor: vel debet Petro reſtituere 500. ex propria pecunia: vel debet reſtituere mille accepto ab ipſo ſuo chirographo ducatorum mille exigendorum à Rege: vel abſque præiudicio aliorum creditorum aſſignatorum, debet quæſtor ſua induſtria, & labore, curare, vt Petrus iterùm aſſignetur à Prorege, aut Regia Camera, & integram, atque effectiuam ſolutionem ducatorum mille conſequatur, qui modus certè eſt ſauior, ac facilior.

(*,*)

QVÆSTIO VII.

An emens chyrographum pluris, quàm ſoleat communiter vendi, dicatur iniuſtè læſus?

SVMMARIVM.

In foro conſcientiæ quæcumque grauis læſio inducit obligationem reſtituendi. num. 1.
Neceſſitas emptoris non eſt iuſta cauſa augendi pretium. num. 2.
Neque eſt iuſta cauſa commoditas emptoris. n.3.
Chyrographa non habent pretium communi vſu taxatum. num.4.
Quando pretium non eſt lege, aut vſu taxatum, poteſt vendi, quanti venditor voluerit. n.5.
Merces vltroneæ vileſcunt pro medietate. n.6.
Mercator iuſtè cariùs vendit. n.7.

QVidam Regis Miniſter neceſſitate coactus emit à mercatore capitale quadraginta millium ducatorum cuiuſdam arrendamenti difficilis exactionis, quod propterea communiter æſtimabitur ad ſummum ducatis ſexdecim mille, emit autem pecunia numerata pro viginti mille, & inſuper mercator retinuit ſibi ducatos ter mille, & quingentos tertiarum, quæ ad emptorem ſpectabant.

Quæritur, an emptor, ſit iniuſtè læſus in prætio, vnde per occultam compenſationem poſſit ſibi ſatisfacere?

Pro parte affirmatiua affertur. Primò quia in fo-
1 ro conſcientiæ non requiritur læſio vltrà dimidiā,
ſed quæcumque læſio grauis ſufficit ad inducendā
obligationem reſtituendi, atque adeo, vt læſus per occultam compenſationem poſſit ſibi ſatisfacere, S. Auguſt. *lib. 13. de Trin. cap.3. S.Thom.2.2. quæſt. 77.art.1.ad primum*, vbi Caiet. Henricus. Gandau. *quodlib.3.quæſt.28.* Nauar. *cap.23. num. 84.* Molina *diſp.350.* Salas *de empt.dub.26.num.6.* Card. Lugo *de iuſtit.tom.2. diſp.26.num.81.* Layman *lib.3.tract. 4.cap.17. num.5.*

Sed in hoc contractu fuit grauis læſio, nam mercator læſit emptorem in ducatis 7500. ergo emptor licitè poteſt per occultam compenſationem ſibi ſatisfacere.

Secundò non eſt iuſta cauſa augēdi pretium ne-
2 ceſſitas, & indigentia emptoris, qui ea re magis indiget, non enim quis poteſt cariùs vendere panem famelico, quia emptor eſurit, Henricus Gandau. *quodlib.14.q.14.* Lugo *diſp.26.num.43.* Molina *diſp. 351.* Layman *l.3.tract.4.cap.17.num.10.in fine:* Ergo neceſſitas illa emptoris non potuit eſſe iuſta cauſa augmenti talis pretij.

Tertiò neque eſt iuſta cauſa augendi prætium
3 aliqua emptoris commoditas, nemo enim ſuam commoditatem emere cogitur, vt ex S.Thoma 2.2. q.77.art.1. Vnde *in l.pretia ff.ad legem falcidiam* dicitur: *pretia rerum non ex affectu, vel vtilitate ſingulorū, ſed communiter figuntur.* Hic communiter Doctores docent, quid quamuis emptor chirographi poſſit integram ſummam in ea contentam recuperare propter ſuam induſtriam, fauorem, aut aliàs, tamen

licitè

licitè emit chirographum minori pretio, secundum illud, quod communiter existimatur difficilis exactionis, quod enim facile ipse possit exigere, suæ fortunæ est imputandum, ita Lessius *libr.2. cap.21. dub.9.* Salas *de empt.dub.*40. Bonacina *de contract. disput.3.q.3.punct.*10.*num.*4. Ægidi. Trullench *libr.7. cap.*20.*dub.*10. Diana *part.1. tract.8. resol.*50. Hinc etiam præclarè docuit Lessius *lib.2.c.28.num.27.* & Layman *lib.3 tract.4.cap.17.num.9.* quod quis licitè pro assecuratione mercium consuetum pretium accipit, licèt priuatim cognoscat ex amici litteris, nõ esse tantum nauigationis periculum, quantum vulgo æstimatur, v.g. mare iam à piratis securum esse. Ratio horum omnium est, quia prætium naturale iustum est, quod loci consuetudo approbat, secundum communem æstimationem Sotus *lib.6. de iust. qu.2. art.3.* Couar. 2.*variar.cap.3. num.*4. Molina *disp.* 348.

Ergo, estò, quod emptor facilè tanquam Regis Minister, posset illud capitale, etiam integrum recuperare, tamen, cum huiusmodi capitale communiter æstimetur sexdecim mille aureis, læsus est in prætio, dum emit viginti mille.

His tamen non obstantibus, iustum fuisse contractum, nec posse emptorem in conscientia aliquid accipere per occultam compensationem.

Probatur primò, authoritate grauissimorum Theologorum, qui in terminis ponunt huiusmodi casum, Lessius *libr.2.cap.21. dub.9.num.77.* Sic ait: *Integrum est ijs, qui hæc chirographa vendunt, non æstimare difficultatem, aut incertitudinem solutionis debitæ, ac proinde nolle vendere, nisi integrè numeretur tota sũma; vsu enim receptum est, vt hæc vendantur, quantum vendi possunt absque fraude, & ignorantia, intra limites summæ contentæ.* Hæc Lessius, quem sequitur Salas *de empt.dub.*40. & Trullench. *lib.7. cap.20. dub.10. num.* 3.

Ergo, quod isti docent de Chyrographis (cum par omnino sit ratio) idem dicendum est de capitali, quod possit vendi absque fraude, & ignorantia intra limites summæ contentæ.

Secundò Probatur, quia huiusmodi chyrogra-
4 pha non habent prætium communi vsu taxatum;
nam iuxta emptorum, ac venditorum qualitatem,
ac facilitatem, vel difficultatem, quam habent recu-
perandi, aliquando viliùs, aliquando cariùs ea ven-
dunt; quare rectè Lessius *vbi supra*, dixit: communi
vsu receptum esse, vt ista vendantur, quantum ven-
di possunt intra limites summæ contentæ. Etenim
5 ea, quæ non habent prætium lege, vel vsu taxatum,
possunt vendi, quanti venditor voluerit Petr. Na-
uar. *lib.3.cap.2.num.*11. Reginald. *lib.*25. *num.*286.
Sotus, Valentia, & alij apud Dianam *part.1 tract.8.*
resol. 56.

Tertiò, quia, sicut alij Doctores docent ea, quæ non habent prætium lege, aut communi vsu taxatum, debere vendi iudicio prudentis, spectatis rei circumstantijs, ita Lessius *lib.2.cap.21 n.16.* Nauar. *cap.27. num.*28.

Sed huiusmodi Chyrographa verè non habent vnum commune prætium vsu taxatum: ergo consideranda est venditoris circumstantia: hæc enim multum confert ad augendum, vel minuendum prætium, considerata facilitate, vel difficultate exactionis: sed apud illum mercatorem, qui famosissimus est in toto Regno, ac Italia, & ingentis summæ negotia habet cum Rege, nedum difficilis, & periculosa, imò propè facilis erat exactio: ergo mirum non est, si possit crescere prætium talis venditionis crediti cum Rege.

Quartò considerandum, quod iste mercator ven-
6 didit rogatus, aliàs non venditurus, sed sicut mer-
ces vltroneæ, quando rogatur emptor, decrescunt
pro tertia parte, imò pro medietate, ita, cum roga-
tur venditor, crescit prætium pro tertia parte, imò
pro medietate. Crescere autem, & decrescere pro
tertia parte docuerunt Caietan.2.2.*q.77.art.*1. Les-
sius *lib.2. c.21.dub.4.num.*33. Salas *de empt. dub.*25.
*num.*4. Lugo *de iust.disp.26.n.*44. Diana *p.1 tract.8.*
*resol.*22.53.& 78. qui etiam *resol.* 36. ex Nauarro,
& Io: de la Cruz docuit: iustam fuisse emptionem
census non periculosi, cuius capitale erat centum,
pro 80. quia emptor fuerat rogatus.

Imò crescere, & decrescere pro medietate docuerunt Palatius *in sum. Caietani verbo emptio. cap.1.* Salas, Rebell. Megal. Faustus, & alij apud Dianam *d.resol.*78. Card. Lugo *disp.26 num.*44.

Quintò considerandum, quod merces cariùs
7 emuntur à mercatore, quàm ab alijs, qui mercato-
res non sunt, etenim mercator ingentes patitur la-
bores, molestias, ac pericula, ita Lessius *d.l.2.c.21.*
*n.*24. Medina *c. de restit.q.3.§. secundum erat*, Caiet.2.
2.*q.77.art.*1. Lugo *d.disp.26.num.*44. Vnde rectè di-
xit Palatius *vbi supra*, quem sequitur multis relatis
Diana *d. resol.*78. quod idem pallium, quod apud
mercatorem emitur quatuor aureis, apud alium
non mercatorem potest emi duobus; Ergo, cum
venditor huius Capitalis sit magni nominis, & insi-
gnis mercator, cuius præcipua cura est similium
chyrographorum emptiò, & venditio; quamuis iu-
stum prætium etiam communiter receptum apud
alios non mercatores esset, vt huiusmodi chyro-
grapha venderentur 40. pro centum, tamen tale
prætium non est apud mercatores.

Sextò considerandum est, verè impossibile esse, taxare commune prætium in venditione similium chyrographorum, nam ex diuersitate circumstantiarum personæ ementis, vendentis, arrendamenti, temporis, &cet. adeò variantur pretia, vt impossibile sit assignare vnum commune pretium.

Septimò est considerandum, quod ratio, quare chyrographum difficilis exactionis possit licitè emi minùs summa contenta, est, quia venditor recipit commodum; nam subleuatur à molestia, & periculo recuperationis; Ergo quò crescit, aut decrescit periculum, eò decrescit, & crescit pretium: ergo, si apud hunc venditorem non est adeo magnum periculum, nec magna difficultas exactionis, neque crescit illius prætium, & sic poterit maiori prętio vendere, quàm alius, qui maiori periculo erat obnoxius.

Ex quibus patet responsio ad argumenta in contrarium adducta.

Ad primum Respondetur, non fuisse læsionem in pretio.

Ad secundum Respondetur, necessitatem emptoris

ptoris non augere per se pretium, sed per accidens, quatenus venditor rogatus, aliàs non venditurus vendit.

Ad tertium negatur esse aliquod prætium communi vsu taxatum, sed ferè tot sunt diuersa pretia, quot venditoris, & temporum circumstantiæ. Respondetur secundo esto sit commune pretium, erit huiusmodi apud alios non mercatores; at apud mercatores vendentes longè maius est pretium.

QVÆSTIO VIII.

Mutuato oleo, si ipsum non restituitur, an possit peti pretium eius temporis, quo cariùs valet?

SVMMARIVM.

Si mutuans oleum non erat seruaturus, vsuram committit petens pretium eius temporis, quo cariùs valet. num. 1.

Pretium iustum est illud, quo res valet tempore traditionis. num. 2.

Si est in electione mariti restituere rem dotalem, vel pretium, aute solutum matrimonium, remanet res dotalis, & sub periculo vxoris. n. 3.

Præsumitur vsura quando apponitur pactum contra regularem naturam contractus. n. 4.

In detegenda vsura sufficiunt coniecturæ. n. 5.

Si soluto matrimonio est in electione viri restituere oleum, vel pretium, attenditur pretium tempore traditionis. n. 6.

Opinio Caietani periculosa. n. 7.

Opinio Caietani non admittenda, nisi cum quibusdam conditionibus. n. 8.

Prima conditio, vt in gratiam emptoris differatur solutio. num. 9.

Secunda conditio, vt deducantur expensæ in conseruando, ac pericula. num. 10.

Tertia conditio, vt sit liberum Emptori quandocumque libuerit soluere pretium. n. 11.

Quarta conditio, vt sit emptor monitus de lucro cessante. num. 12.

ANno 1641, die 6. Ianuarij Petrus, & Paulus mercatores Ciuitatis Barij ibidem acceperunt à Ioanne Salmas 319. olei, ac promiserunt his verbis restitutionē. *Pro Salmis 319. olei, quas accepimus promittimus restitutionē in Ciuitate Bitunti, aut ipsarum pretium, prout tibi libuerit, non enim erit differentia inter nos; & quandocumque illud volueris liquidare, per diem ante denunciabis.* Dubitatur ergo. An Creditor possit petere pretium olei mense octobris, quo cariùs valet, præsertim, si non erat seruaturus?

Respondetur negatiuè, quare debet petere pretium quo valebat oleum mense Ianuarij, quando fuit factus contractus, & traditum oleum. Moueor ex sequentibus fundamentis.

Primum fundamentum est, quia ille, qui non
1 est seruaturus oleum, vsque ad tempus, quo cariùs valet, committit vsuram, si pro dilata solutione, paciscitur pretium currens eo tempore, quo fit solutio, quo tempore vt plurimùm oleum, vel frumentum carius æstimatur, hæc est omnium receptissima opinio contra Caietanum.

Ex Theologis Scotus *in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. col. 4.* Sotus *de iust. lib. 6. q. 4. art. 2.* Io: Maior, *in 4. dist. 15. q. 32.* Gabriel *ibid. q. 11. art. 1. & art. 11. dub. 9.* Medina *C. de rest. q. 38.* Sylu. *v. vsura 2. q. 2.* Angelus *v. vsura 1. num. 34.* Molina *disp. 355. num. 7.* Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 15. num. 14. vers. deinde* Lessius *lib. 2. cap. 20. n. 152. & cap. 21. dub. 6. num. 53.* Toletus *lib. 5. cap. 34. n. 1.* Salon. *2. 2. q. 78. art. 2. controu. 22. num. 7.* Nauar. *cap. 17. num. 238.* Salas *de empt. dub. 41.* Faustus *in speculo confess. disp. 6. q. 40.* Angles *in q. de vsura ratione emptionis diffic. 2.* Bonacina *de contract. disp. 3. qu. 2. punct. 4. num. 16.* Bannes *2. 2. q. 77. art. 4. dub. 7.* Reginald. *lib. 25. num. 207.* Filliuc. *tract. 35. nu. 110.* Rebell. *part. 2 lib. 9. q. 11.* Palatius *lib. 4. de contractib. c. 3.* Azor *p. 3. lib. 10. cap. 7.*

Ex Iurisperitis Hostiens. Butrius, Calderinus *q. 6.* & Abbas *in c. fin. de vsuris* Hostiens. *in sum. tit. de vsuris §. an aliquo casu vers. 4.* Laurent. *de Rodulphis in cap. consuluit p. 2. q. 29. de vsuris,* & Ambros. de Vignate *in c. salubriter num. 83. de vsuris.* Couar. *lib. 2. variar. resol. cap. 3. n. 6.* Scaccia *de Commerc. §. 1. q. 7. part. 1. n. 31.* Anania *in c. Nauiganti num. 12. de vsuris.* Imola *cons. 25.* Cepolla *cons. ciuili 10.* Natta *cons. 369. in prine.*

Contra Caietanum *2. 2. qu. 78. art. 2. ad septimum, & in sum. verbo vsura exterior.*

Quare cum relictum sit creditoris electioni, vt quocumque tempore ipsi libuerit possit petere, vel oleum, vel pretinm, si petat tempore, quo oleum, cariùs valet vtique si non erat seruaturus oleum, vsque ad illud tempus, vsuram committit, quia ratione dilatæ solutionis accipit maius pretium, quàm valeat oleum tempore traditionis.

Communis autem sententia contra Caietanum solidissima ratione probatur, quia illud iustum est rei pretium, quo res æstimatur tempore traditionis: ergo si maius pretium accipitur ratione dilatæ solutionis, cum hæc sit implicitum mutuum, accipitur illud maius ratione mutui, quod est vsura.

Quod autem iustum pretium rei sit, quo res æsti-
2 matur tempore traditionis, docuit idem Caietan. *in sum. v. emptio.* Nauar. *in man. cap. 23. n. 82.* Medina *C. de restitut. qu. 38.* Mercadus *lib. 3. de contract. cap. 9.* & patet ratione manifesta, quia tempore traditionis transfertur in dominium emptoris, & deinceps eius periculo stat, aut diminuitur, & eius beneficio augetur: ergo tempore traditionis æstimanda est. Consequentia probatur iustum prætium rei sumitur ex bonitate intrinseca rei, ac ex communi hominū æstimatione: Sed ad taxandum pretium rei non attenditur bonitas intrinseca, quæ est tempore solutionis, sed tempore traditionis, cum post traditionem crescat, & decrescat emptori: ergo ad taxandum prætium rei non attenditur communis æstimatio, quam habet res tempore solutionis, sed traditionis, alias rationes vide apud Salonium *2. 2. q. 78. art. 2. controu. 22. n. 7.*

Dices tunc ille, qui non est seruaturus merces, non potest vendere, prætio cariori currente tempore solutionis, quando purè, & absolutè vendidit, ac tradidit,

tradidit, & ex titulo venditionis translatum est dominium, tunc enim debet attendi pretium currens tempore venditionis, ac traditionis factæ: Sed in casu nostro venditio non est facta purè, sed sub conditione, nempè si eliget pretium: ergo ante impletam conditionem, idest ante electionē pretij non adest venditio; ergo tunc incipit esse venditio, quando impletur conditio; idest eligit pretium: ergo benè potest peti pretium currens eo tempore, quo fit venditio. Id quod dixi in terminis docent
3 Doctores in simili casu: si vir habeat electionem restituendi, vel rem dotalem, vel pretiū, non fit emptio, sed res illa remanet dotalis, ac sub periculo vxoris, neque acquiritur per emptionem viro, donec soluto Matrimonio eligat restituere pretium. Couarr. *pract. qq. c.28. n.5.* Menoch. *de præs. lib.3. præs.74.n.20.* Castrens. *in l. æstimatæ ff. soluto matrim.* probat text. *in l. plerumque §. si ante ff. de iure dotium.* Vnde ad mulierem spectat augmentum, & diminutio rei dotalis, ita ex *d. l. plerumque* Constantius Rogetius *tract. de dote q.11. n.2.* Et sic debet in tali casu maritus restituere pretium currens tempore soluti Matrimonij, ita Couarr. *pract. qq. c.28.*

Ergo cum in casu nostro non adsit venditio ante electionem pretij debet attendi pretium currens eo tempore, quo fit venditio, seù quando eligitur pretium.

Respondetur dupliciter ad hoc argumentum. Prima responsio est hanc alternatiuam, quod possit creditor eligere vel oleum, vel pretium, factam esse ad occultandam vsuram, seù ad occultandam venditionem factam pretio cariori, ratione dilatæ solutionis: Id autem ostendo, quia electio restituēdi rem, vel pretium de natura contractus debet esse debitoris *l. plerumque §. fi. ff. de iure dot. l. ei qui vers. quod si pluribus ff. depositi c. in alternatiuis de regul. Iuris in 6.* in terminis Natta *cons.650.n.4.*

Quare si electio secundum naturam contractus data fuisset debitori, vtique nulla fuisset suspicio fraudis, quia esset in potestate ipsius nolle emere, seù nolle dare pretium carius, sed ipsam rem: Cum autem de facto data sit electio creditori contra naturam contractus, apertè arguitur occultatio vsuræ, seù occultatio carioris pretij ratione dilatæ so-
4 lutionis: Constat enim, quod quando apponitur pactum contra regularem naturam contractus, præsumitur contractus fæneratitius: Doctores *in cap. illo vos de pignor.* Natta *consil. 198. n 12.* Accedit, quod præsumitur contractus fæneratitius, quando pacta omnia apponuntur in fauorem creditoris (prout est in casu nostro, vt ex dicendis patebit) Cardinalis *in clem. prima §. ceterum q. 3. de vsuris* Natta *d. consilio*
5 198.*n.*13. Vbi autem agitur de detegendo contractu fæneratitio nō requiritur tàm exacta probatio, propter naturam simulationis, quæ per coniecturas etiam leues manifestatur, ita post Castrens. Natta d.cons.198.nu.16. Abbas *cons.113. col.2. lib.2.* vbi ait quod contra vsurarias indicia faciunt plenam probationem, aliàs nunquam posset conuinci vsura. Menoch. *casu 235. n.29.*

Accedit, quod illud onus impositum mutuatario restituendi rem, vel pretium ad electionem creditoris, contra naturam contractus, in quo electio spectat ad debitorem *d. l. plerūque in fin. ff. de Iure dotium* hoc inquā onus est pretio æstimabile: sed omne onus pretio æstimabile, quod imponitur mutuatario, indebitum, & vltra sortem est vsura: ergo, etc.

Respondetur secundò quod tunc, quando potest restitui res, vel pretium, fit æstimatio pretio currenti tempore restitutionis, quando nō est res vsu consumptibilis, aliàs secùs, vt si sit oleum, frumentum, vinum, & ea, quæ constant pondere, numero, & mensura: sed hæc responsio patet ex sequenti fundamento.

Secundum fundamentum, quod non possit peti pretium olei currens tempore solutionis, seù mense Septembri, sed mensis Ianuarij, quando fuit facta traditio olei, quia in apoca fuit data electio Creditori petendi quādocumque ei libuerit oleum, vel pretium, non autem fuit expressum de pretio currenti tempore traditionis, aut solutionis.

Sed quando potest restitui oleum, vel pretium, & aliud non est expressum, tunc intelligitur de pretio currente tempore traditionis olei. Id in termi-
6 nis docet Maranta *cons.139.* vbi cum fuissent datæ in dotem 60. Salmæ olei cum pacto, vt restitueretur oleum, vel pretium, consuluit restituendum esse pretium currens tempore contracti Matrimonij, quia dominium olei tempore traditionis fuit translatum, quod docuit glosa singularis in *l. æstimatæ, ff. soluto matr.* quam glosam sequitur Baldus *in l. res in dotem ff. sol. matr. &* Alex. *cons.79. lib.5.*

Quod etiam Probatur apertè *ex l. si vini, & olei 7. ff. de vsufr. earum rerum, quæ vsu consumuntur, & ex §. constituitur,* vbi glosa, & Aretinus *num.2. Instit. de vsufr.* Vbi habetur, quod is, cui legatus est vsufructus olei, finito vsufructu tenetur restituere, vel eandem quantitatem, vel pretium: debet autem restituere pretium currens tempore traditionis, non restitutionis olei, Quibus iuribus expresè deciditur casus noster. Vide Aretin. loco cit.

Sed iam soluendæ sunt quædam obiectiones contra ea, quæ diximus.

Prima obiectio est, Quia opinio Caietani permittentis posse pacisci pretium currens tempore solutionis reputatur probabilis à Victoria, Soto, & alijs Thomistis, & quibusdam seruatis conditionibus probabilem censent Salon. 2. 2. *q.78. art.2. controu.22. n.4.* Faustus *in speculo confess. disp.6. q.4.* Lopez *lib.2. Instruct.*

Respondetur primò transeat esse probabilem, & tunc illa haberet locum, quando expresè esset cōuentum de pretio currente tempore solutionis; cum autem id non sit expressum semper intelligitur pretium currens tempore traditionis, vt probaui supra in secundo fundamento.

7 Respondetur secundò, quod idem Caietan. *d. q. 78. art.2. in fine,* dicit suam opinionem periculosam, & dissuadendam, his verbis. *Hæc autem, quæ dicimus vide, quàm periculosa sint, & licet non extorta, tracta tamen quantum trahi possunt, quare Pastores animarum consulant abstinendum.* Hæc de se Caietanus, & Salon vbi supra *num.4. in fine* ait: *Opinionem Caietani nullo modo consulendam ante factum, imò post factum suadendum vēditori, vt securiùs agat, & restituat acceptum, vltra pretium cōmune, quo res valet tēpore traditionis.*

Respon-

Respondetur tertiò, in casu nostro abesse præci-
8 puas conditiones, quibus opinio Caietani ab aliquibus reputatur probabilis, cũ alij Thomistę, imò communiter falsam omninò iudicent.

Prima conditio: quia ad hoc, vt possit cariùs vẽ-
9 di prætio currenti tempore dilatæ solutionis, debet vendi pecunia credita, ita vt in gratiam emptoris non vendatur pecunia numerata, secus enim esset si emptor esset paratus mox, seù paulo post numerare pecuniam, ita Salonius, & Faustus vbi supra: at in casu nostro, cum Mercatores offerrent creditori quãdocumque ei placeret oleum, vel pretium, vtique habebant pecuniã numeratam, quam paulo post, aut mox soluissent, si ita creditori placuisset, neque iste per decem menses expectasset.

Secunda conditio est, vt deducantur expensæ in
10 conseruando vsque ad tempus solutionis pretij, atque æstimatio periculorum, & diminutionis, quæ conditio seruanda est à venditore quoque olei, qui erat oleum seruaturus, ita *Salon vbi sup. num.* 5. Less. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 153. Angel. *v. vsura* 2. *n.* 34. Sylu. *vsura* 2. *q.* 2. Molin. *disp.* 355. *n.* 5. Couar. 2. *var.* 3. *n.* 6. Bonac. *de contractibus disp.* 3. *q.* 2. *pun.* 4. *n.* 16. & omnes. In casu autem Nostro creditor nullam vult deducere æstimationem custodiæ, atque periculi.

Tertia conditio, vt sit liberum emptori soluere
11 pretium, quandocunque ei libuerit, quia sibi imputare debet, si non soluit, quando oleũ viliùs valet, quæ cõditio obseruanda est à vendente pretio currente tẽpore solutionis, non solũ, quando non erat seruaturus, sed etiam, quando erat seruaturus, & in gratiam emptoris ante illud tempus vendit, quia si accipit, quod seruare volebat, nullum patitur dãnũ, ita Salon. *d. contr.* 22. *n.* 4. Faustus *in spec. disp.* 6. *q.* 40. Nauar. *c.* 17. *n.* 219. Sotus *lib.* 6. *q.* 1. *art.* 2. Laurent. de Rodulphis *in c. consuluit p.* 2. *q.* 29. *de Vsuris* Azor. *p.* 3. *lib.* 10. *c.* 7. *vers. deinde* Tolet. *lib.* 5. *c.* 34. *n.* 1. Imola *cons.* 25. Natta *cons.* 369. *n.* 2. Scaccia *de commercijs* §. 1. *q.* 1. *n.* 419. *&* §. 1. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 32.

Quarta conditio, quia, cum carius hoc prætium
12 debeatur ratione lucri cessantis, eo quod in gratiã emptoris vendit pecunia credita non numerata, debet proinde monere emptorẽ de lucro cessante, ac si seruaturus erat merces, debet monere, etiã de sua intentione, & augmento pretij, tunc currentis ratione dãni, quod erit passurus vẽdendo eo tẽpore merces, quas in aliud sibi vtile seruabat, alioquin emptor esset rationabiliter inuolũtarius in illo augmento pretij, ita Salon. 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. *contr.* 22. *n.* 4. Molin. *disp.* 355. *n.* 4.

In casu autem nostro nulla apparet monitio de tali lucro cessante, vel ratione dilatæ solutionis, vel ea ratione, quia venderet oleum, quod erat ad Octobrem seruaturus.

Quare colligitur apertè ex dictis, quod etiam si fuisset seruaturus oleum vsq; ad Octobrẽ, adhuc nõ potest petere pretiũ currẽs mense Octobris. Primò, quia id nõ est expresũ in cõtractu, & in dubio pactũ intelligitur de pretio currẽte tẽpore traditionis: Secundò, quia debuit relinquere electionem debitori restituendi oleum, vel pretiũ iuxta naturã contractus, quia sic seruaretur indemnis. Tertiò, quia debebat relinquere libertatem debitori se liberandi, & restituendi quandocumq; vellet. Quartò, quia debebat monere emptorem de lucro cessante, eo quia statuerat seruare oleum vsque ad octobrem, quæ omnia patent ex dictis, & sic, siuè erat seruaturus, siuè non erat seruaturus oleum vsque ad octobrẽ, in neutro casu tuta conscientia poterit petere pretium currens mense octobris, si hoc est Carius quã sit pretium, quod erat currens mense Ianuarij.

Secunda Obiectio sumitur ex Soto *lib.* 6. *de Iust. q.* 4. *ar.* 2. quem sequit. Salon 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. *contr.* 22. *n.* 3. *&* 8. vbi sic ait: *Qui in tempore Natiuitatis Domini abundat grano, quod non instituebat seruare, rogatur verò à Petro, vt vendat illi triticum pecunia soluenda mense Maij, potest cum illo ita conuenire, nisi statim soluas, nolo tibi vendere, sed mutuari tantum ea lege, vt vel totidem modios tritici in Maio restituas, vel quod tunc valebunt: hic contractus omnium iudicio licitus est.* Hæc Salon; ergo etiam licitus est contractus iste, de quo agimus, vt in ciuitate Bitunti restituatur, vel oleum, vel pretium tunc currens,

Respond. quod longè diuersus est casus noster ab illo quem ponit Sotus. Primò, quia in casu Soti liberum est debitori, restituere quandocũq; ei libuerit, vnde sibi imputet, si non restituat tempore, quo granum viliùs valet: At in casu nostro non potest restituere, nisi quando creditor petit, qui vtiq; petet quando oleum cariùs est. Secundò, in casu Soti liberum est debitori, restituere granum, vel pretium, vnde nulla est suspicio vsuræ, quia non potest cogi à creditore, vt det prætiũ, eo tẽpore, quo cariùs valet: At in casu nostro electio petendi oleũ, vel pretiũ, est creditoris, qui re vera voluit vẽdere, & ratione dilatę solutionis, & sic ratione mutui, vult cariùs pretiũ, quã quãdo vendidit, & tradidit oleum. Tertiò in casu Soti in gratiã emptoris vẽditor non recipit pretiũ tunc currẽs in numerata pecunia: At in casu nostro non in gratiam emptorũ, qui offerunt, quandocumq; ipsi libuerit, oleum vel pecuniã numeratam in ciuitate Bitunti, sed propter proprium comodum venditor per decem ferè menses distulit petere pretium, vt peteret eo tempore, quo carius est.

Respond. Secundò, trãseat, quod posset peti pretiũ currens tempore petitionis, seù mensis octobris tamen hoc intelligitur, si ita expresè conuentũ esset, vt nõ solueretur pretium currens, tempore traditionis, sed tempore solutionis, at, quãdo nihil est dictum, tunc intelligitur conuentũ de pretio currente tempore traditionis, vt patet ex dictis supra in secundo fundamẽto, & vlterius probo, quia, si in dotẽ datæ sint res aliquę absq; certa æstimatione, pacto tamen expresso, quod æstimentur per arbitros, debẽt extimari secundum pretium illud, quod habent tempore traditionis. Soccinus *cons.* 56. *vol.* 1. Couar. *pract. qq. c.* 28. *n.* 1. *vers. primum*.

Tertia obiectio est, quia restitutio olei, vel pretij facienda est in ciuitate Bitunti: ergo debet attendi pretium currens in loco, & tempore restitutionis faciendæ.

Respond. primò, nego consequentiã, tũc enim deberet attẽdi pretiũ currẽs in loco restitutionis faciẽdæ, quando pretiũ taxandũ esset secundũ tẽpus solutionis: At esse taxãdũ secũdũ tẽpus traditionis,

ſupra Probaui: ergo debet attendi pretium currens in loco, & tempore traditi olei, & ſic pretium currens tunc in ciuitate Barij.

Reſpondetur ſecundò tranſeat, quod debeat attendi pretium currens in Ciuitate Bitunti (quod falſum eſſe ſupra oſtendi) at ex hoc non ſequitur quod debeat attendi pretium currens menſe Octobri decem menſibus poſt traditum oleum, quia cum poſſet menſe Ianuarij, vel paulò poſt fieri reſtitutio in ciuitate Bitunti fraude creditoris factum eſt, vt differretur petitio ſolutionis per decem menſes, quo tempore carius valeret oleum.

QVÆSTIO IX.

Dilata ſolutione magnæ quantitatis olei, an poſſit peti pretium, quo ad minutum ſolet vendi?

SVMMARIVM.

Si non erat venditurus minutatim, non licet ob dilatam ſolutionem accipere pretium, ac ſi ad minutum vendidiſſet. num. 1.

Seruaturus oleum ad tempus, quo carius valet, non poteſt paciſci pretium ſummum illius temporis. n. 2.

Reſpondetur negatiuè, nam dilata ſolutione magnæ quantitatis olei debetur pretium, quo mercatores communiter conſueuerunt emere, non autem alij particulares emptores.

Probatur primò, quia contractus emptionis dilata ſolutione, non differt à contractu, qui fit facta ſolutione de præſenti, numerata pecunia: ſed ſi de præſenti, mox numerāda pecunia, mercatores emiſſent oleum in magna illa quātitate 319. Salmarum pacto inito de ſoluēdo pretio currenti, vtique nullus dubitaret ſoluēdum eſſe pretium currens inter mercatores emenres in magna quātitate, neq; vllus ſomniaret quod conuentū eſſet de ſoluendo pretio currente inter particulares emptores, qui emunt ad minutū, vt duas, aut quatuor Salmas: ergo idem dicendum eſt facto pacto de communi pretio dilata ſolutione, quod expreſsè docuit Reginaldus *lib. 25.*
1 *num. 309.* cuius verba ſunt: *Quæro an venditori liceat merces credita pecunia ideo pluris vendere, quia ſi illas vendidiſſet minutatim maius pretium accepiſſet. Reſpondeo, quod ſi non erat minutatim venditurus, non licet ei vendere, quanti vendidiſſet minutatim.* Hæc Reginald.

Probatur ſecundò, quia quodcumq; onus pretio æſtimabile, impoſitum mutuatario, contra modum conſuetū contrahendi, ſeu ad quod onus ex natura contractus nō tenetur, ſemper eſt vſura: Ergo vſura eſt ratione dilatæ ſolutionis, & ſic ratione mutui impliciti, petere à mercatore emente in magna quantitate, pretiū quod ſoluunt particulares ementes ad minutum, quia mercator longè minori pretio emit in magna quanritate vt patet ex praxi, & tradit Leſſius *l. 2. c. 21. n. 4.*

Probatur tertiò, quia ille, qui eſſet ſeruaturus
2 oleū, aut frumentum vſque ad tempus, quo carius valet poteſt paciſci pretiū currens tempore ſolutionis; at debet paciſci pretium mediocre; ſi enim paciſcatur pretiū rigoroſum, & ſummum currens eo tempore, vſuram committit; quia ſic ponit ſe in tuto, nam ipſe non eſt certus, quod venditurus erat pretio ſummo, & rigoroſo, ita omnes, Leſſius *l. 2. c. 21. n. 28.* Mol. *tr. 2. diſp. 355. n. 6.* Scotus *in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. in fin.* Gabr. *ibid. q. 11. art. 1.* Couar. *2. var. c. 3. n. 6. in fin.* Fauſtus *in ſpeculo diſp. 6. q. 37. & 40.* Lopez *de contr. lib. 2. c. 66.* Salon *2. 2. q. 78. art. 2. cōtr. 21.* Bonacina *de contr. diſp. 3. q. 2. punct. 4. n. 16.*

Sed neque iſte eſt certus, quod ſi ſeruaſſet ſuum oleum vſque ad octobrē, vendidiſſet eo menſe mulieribus, & particularibus totum ſuum oleū Salmarū 319. eo pretio currente inter particulares ducatorū 16. in ſingulas ſalmas, imo hoc erat moraliter impoſſibile, pro tāta quātitate: ergo iniquiſſimè petit à mercatoribus ementibus in magna quantitate pretium, quod habuiſſet à mulionibus ementibus ad minutum.

Adde, quod pretium hoc, quo emunt particulares ad minutū, comparatiuè ad pretiū, quo mercatores emunt in magna quantitate, non ſolū eſt pretiū rigoroſum, ſed rigoroſiſſimum: ergo ſi iniquū, & vſurariū eſt paciſci pretium rigoroſum currēs inter mercatores tempore ſolutionis, certè iniquiſſima vſura erit, ratione dilatę ſolutionis, petere à mercatoribus emētibus in magna quātitate pretium currens inter particulares ementes ad minutum.

Probatur quartò, eſto quod venditor erat particularibus totum oleum menſe Octobri venditurus ducatis 16. pro ſingulis ſalmis (quod erat moraliter impoſſibile:) tamen cum de facto vendiderit mēſe Ianuario ſimul omnes ſalmas 319. Mercatoribus: ad hoc vt ratione lucri ceſſantis poſſet petere à mercatoribus idem pretium, quod habuiſſet à particularibus ementibus ad minutum, neceſſe erat monere mercatores de tali lucro ceſſante, alioquin non poteſt illud petere, quia ſi mercatores hoc ſciuiſſent, vtiq; tali pretio non emiſſent, vt docēt Molina *diſp. 355. n. 4.* Salon *2. 2. q. 78. art. 2. contr. 22. n. 4.* & alij omnes tractantes de lucro ceſſante: ergo cū de hoc moniti mercatores non fuerint, imò nihil vnquam tale ſomniauerint (ſi enim fuiſſent moniti & expreſſum in contractu, iam non eſſet dubium) ſequitur quod ad tale pretium non tenentur, ſed ad illud, quod à mercatoribus præſtari ſolet ementibus in magna quantitate.

QVÆSTIO X.

An ſit vſurarium pactum, vt mutuatarius det pauperibus, vel hoſpitali centum in eleemoſynam, pro eiuſdem mutuatarij anima?

SVMMARIVM.

Non eſt ſimonia ſi detur, vt motiuum, & ad alliciendum ad actum Deo gratum. n. 1.

An ſit vſura ſi obligetur ad frequentandum molendinum, ſcholas, conferendum alteri perſonæ dignæ beneficium? n. 2.

Vſura eſt obligari ad aliquid pretio æſtimabile vltra ſortem,

fortem, ad quod aliunde non tenetur. n.3.
Quando datur, vt motiuum, quando, vt pretium? n.4.
An quelibet persona possit acceptare votum, aut donationem pauperibus factam? n.5.

Pars Negatiua, quod non sit vsurarium.

Primò Probatur, quia ad vsuram requiritur, vt id, quod sorti accedit, sit aliquid temporale, qua rectè inquit Laym. *l.4.tr.4.c.16.n.2.ver.porrò; Si paciscaris, vt vltra sortem recipiendam, pro te oretur, sacrificetur, &cet. non est vsura, sed potius simonia, quia comodum seù beneficium mutuationis temporale confertur quasi in compensationem pro re spirituali.* Hæc Laym. Sed elargitio eleemosinæ dandæ pauperibus nō comodum temporale, sed ad summum est spirituale comodum ipsi mutuanti: ergo nō est vsurarium tale pactum; quod autem non sit simoniacum, infra ostendam.

Secundò quia, quando aliquid tēporale non datur, tamquam pretium pro re spirituali, sed tāquā motiuum ad mouendum hominem ad benè operādum, tunc non est vsura, nec simonia: Non vsura, quia nihil temporale vltra sortē accipitur: Non simonia, quia non datur, vt pretium rei spiritualis. Quare rectè ait Turrianus *in select. disp.p.2.disp.16. dub.3.posse Patrē offerre pecuniam filijs, vt moueat illos ad benè operandum, vt ad audiendam missam, confitenda peccata, ad ingrediendū religionem, sic potest infideli dari pecunia, tamquam motiuū, quo inducatur ad baptismū, sic potest collator beneficij promittere alicui beneficiū, vt moueat illum ad faciendum eleemosinam, non, vt pretium beneficij, sed, vt moueat ad actum honestum, & Deo gratum.* Hæc Turrianus; Ergo etiam possum alteri mutuari, vt moueam illum ad faciēdam eleemosinam, non quasi dem mutuū, vt pretium boni operis, sed vt moueam, mediante mutuo, ad bonum opus eleemosinæ, tanquam aliquod pium, & Deo gratum.

Tertiò, quia probabilis est sententia eorum, qui docent: quod, quando mutuans vltra sortē nihil ac-
2 cipit, tunc non est vsura; quare docent, nō esse vsuram, si mutuatarius se obliget ad frequentādū scholas, molendinum, ad conferendū alteri personæ dignæ officiū beneficium. Ita Adr. *in 4. vbi de rest.* Angel. *verbo vsur. 1.§.5.* Io. Maior. *in 4. dist. 15.q.29.* Petr. Nauar. *lib.4. de rest.c.2.n.267.* & alij; sed mutuans ex eleemosina pauperibus data nullum temporale lucrum consequitur: ergo non committit vsuram.

His tamen non obstantibus Respondetur, hoc pactum esse vsurarium.

Probatur, quia iniustitia pacti vsurarij cōsistit in
3 hoc, nempè quod mutuatarius ex pacto tacito, vel expresso obligetur, obligatione ciuili, & stricta, ex Iustitia, ad præstandum aliquid pretio ęstimabile vltra sortem, ad quod non tenetur, neq; ex natura contractus mutui, neq; aliūde est obligatus: sed ita est in casu nostro; nā obligatur mutuatarius, obligatione stricta ex iustitia, dare eleemosinā pauperibus, quæ obligatio est aliquid pretio æstimabile, ad quam non tenetur, neque ex natura contractus mutui, neque aliundè: ergo est vsura.

Confirmatur; nam quæ vis obligatio Ciuilis, & stricta est pretio æstimabilis, aufert.n. naturalem libertatē; vnde homo, vt ab illa esset liber, aliquid solueret, vnde talis obligatio, est materia vsuræ; sic obligatio ad mutuandum est vsuraria S. Thom. 2.2.*q.78.art.2. ad 4.* sic obligatio ad frequentandum scholas, moledinum. Caietan. 2.2.*q.78.art.2.* quem omnes sequuntur; sic obligatio sacerdotis ad applicandum sacrificium pro Petro, quia aufert ab illo suam libertatem, est pretio æstimabilis; vnde potest pro ea pretium recipere, & ea obligatio est materia vsuræ; sic obligatio Regis ad dandum officiū tali personæ dignæ est prætio æstimabilis, vnde cōmitteret vsuram, qui cum tali pacto mutuaretur Regi, prout communiter, & probabilius docēt Arragon. 2.2.*q.78.art.2.* Sotus *lib.6. de Iust. q.1. art. 2.* Lessius *l.2.c.20.dub.9.* Molina *tom.2. de contract. disp.310.* Rebell. *p.2.lib.8.q.4.* sic vsuram, & simoniam simul committit is, qui mutuatur collatori, cum pacto, vt ipsi conferat beneficium, Lessius *l. 2.c.20.n.64.* Mercad. *tract. de Vsur. c.7.* Medina *lib. 5. Instr. cap.14.§.24.* Ergo, cum obligatio ciuilis, & stricta ad dandam eleemosinam, pauperibus, auferat libertatem, est pretio æstimabilis, & facit cōtractum vsurarium. Sed clariùs id ostendam respondendo ad argumenta contraria.

Ad primum respondetur, non esse materiā vsurę eleemosinam, prout est actus meritorius, & satisfactiuus pro peccatis, sed sic est materia simoniæ; at idem actus eleemosinę, prout habet annexū onus pecuniarium, sic est materia vsuræ, patet instantia in sacrificio missæ, nam, si mutuor sacerdoti centū, & hic obliget se ad celebrandū centus missas, vtiq; committo vsuram, nam quamuis sacrificiū, vt quid spirituale, sic non sit materia vsuræ, tamē, vt habet annexū onus, seu obsequiū, & laborē, sic est aliquid pretio æstimabile, pro quo recipitur stipēdiū, & est materia vsuræ, sic beneficium Ecclesiasticū, vt quid spirituale, est materia simoniæ; at verò, vt habet annexū comodum tēporale, est materia vsuræ, quare simoniam, & vsuram committit, qui mutuatur Episcopo cum pacto, vt ipsi conferat beneficium.

Ad secundum Resp. tunc mutuum dari, vt motiuum ad eleemosinam, quādo nulla adest obligatio
4 ciuilis, aut pactū dandi eleemosinā: quando .n. intercedit pactū, & obligatio, tunc pecunia nō datur, vt motiuum, sed vt pretium; vnde omnes docent, quod, quando adest pactum, tunc sēper adest simonia, si res est spiritualis, vt *in c. vlt. de pact.* S. Thom. 2.2.*q.100.art.1. ad 2.* Si verò onus est temporale, tunc intercedente pacto, est vsura, si sumus in mutuo S. Thom. 2.2.*q.78.art.2.ad 2.* Ratio à priori est, quia tunc pecunia datur, vt motiuū, quādo accepta pecunia homo manet omnimodè liber, vt priùs, ita vt non possit constringi, quia nulla obligatione ciuili tenetur, sed tamen ex gratitudine, & honestate; nam de ratione motiui est allicere voluntatē, non autem cōstringere vi externa; quando autē intercedit pactum, & obligatio ex Iustitia, ita vt possit constringi, tunc non remanet libertas: ergo illa acceptio pecuniæ mutuæ non est motiuum, quando mutuatarius compelli potest ad dandam eleemosinā, quia, si esset motiuū relinqueret illū liberū Hinc certum est, esse vsurā, & simoniam, si quis mutuaretur mille cum pacto, vt mutuatarius obligaretur ad dandum beneficiū; sic esset vsura, & simonia,

ſi quis mutuaretur puellæ mille, cum pacto vt ingrederetur religionem.

Ad tertium Reſpondetur, quod impertinenter ſe habet ad vſuram, quod mutuatarius, vel alius, pro quo mutuatarius acceptet, & accipiat lucrum ex mutuo: imò poſset eſse vſura, etiam ſi nullus lucrum accipiat, vt ſi mutuatarius ſe obligaret ad projciendum in mare; ſufficit enim ad malitiam vſurę, quod mutuatarius in ſe recipiat aliquod onus pretio ęſtimabile, ad quod non tenebatur, neque ex natura mutui, neque aliundè. Adde quod mutuans dicitur acceptare pro pauperibus, quod patet, quia quamuis votum factum Deo, dandi centum pauperibus, vel tali Eccleſiæ poſſit à ſuperiori commutari in aliud opus pium, antequam acceptetur ab Eccleſia ita Caiet. *tom. 2. opuſc. tr. 11. q. 3.* Nauar. *c. 12. n. 78.* Azor *tomo 1. lib. 11. c. 19. q. 12.* Suarez *lib. 6. de voto c. 15. n. 3. & 11.* Layman *lib. 4. tract. 4. c. 8. num.*
5 *21.* tamen non poteſt commutari, ſi quis promittat Petro dare centum in eleemoſynam pauperibus, tale enim votum dicitur acceptatum à pauperibus, mediante perſona Petri, cui eſt facta promiſſio, ita Syluest. *v. votum 4. q. 7. dicto 4.* Diana *p. 8. tract. 6. reſ. 96.* Tiraq. *de priuil. pia cauſa priu. 114. num. 1.* quamuis alij oppoſitum doceant, vt Clarus in *§. donatio q. 12. num. 6.* Io: Sicardus *in l. nec ambigi C. de donation.*

Colliges ex dictis, quod licet hoc pactum, quo mutuatarius ſe obligauit dare eleemoſinam ſit vſurarium; tamen defendi poteſt à labe ſimoniaca, quia intentio mutuantis non fuit dare mutuum tamquam pretium rei ſpiritualis, ſed tanquam pretium oneris temporalis in danda eleemoſina; ſicuti non committit ſimoniam Sacerdos, recipiendo eleemoſinam pro ſacrificio miſsæ; quia non habet intentionem recipiendi pretium pro actione, prout eſt quid ſpirituale, ſed prout laborioſa eſt.

QVÆSTIO XI.

Quę conditiones requirantur, vt ratione lucri ceſſantis, liceat aliquid vltra ſortem exigere?

RESpondeo tres requiri, ad quas ceteræ reducuntur, nempè Primò, vt mutuum ſit verè cauſa ceſsationis lucri, hoc eſt, quia ſi non fuiſsem mutuatus, lucratus vtique fuiſsem, lucrum enim ceſſans, eſt amiſſio lucri ob mutuum. Secundò, vt intercedat mora debitoris, intereſſe enim lucri ceſſantis, non debetur, niſi poſt moram, aut expreſſum pactum, tunc enim debetur, etiam ante moram iuxta communem opinionem. Tertiò, vt intereſſe lucri ceſſantis non excedat valorem ſpei amiſſi lucri, aliæ conditiones, quas plerique Doctores enumerant, vel non requiruntur, vel ad has reducuntur, vt patebit ex ſequentibus, & probat doctiſſimus noſter D. Andreas Lanfranchus *opuſculorum moralium tom. 2. opuſc. 17. cap. 11. & 12.*

SECTIO I.

Corollaria ex prima conditione requiſita ad intereſſe lucri ceſſantis, vt mutuum verè ſit cauſa ceſſationis lucri.

SVMMARIVM.

Abſtinens à negotiatione, ob præuiſum mutuum, poteſt petere lucrum ceſſans. n. 1.

Quamuis mutuetur non rogatus, poteſt petere lucrum ceſſans. n. 2.

Quamuis habeat in arca pecuniam otioſam ad contingentes neceſſitates. n. 3.

In foro conſcientiæ requiritur deſtinatio pecuniæ ad negotiationem, & potentia proxima negotiandi, cum probabilitate lucri. n. 4.

Quid requiratur in foro externo, variæ ſunt Doctorum opiniones, n. 5.

Qui licitè non poteſt, aut non vult negotiari, nequit petere lucrum ceſſans. n. 6.

An poſſim petere lucrum ceſſans, ſi anceps eram, an eſſem negotiaturus? n. 7.

Satis eſt, lucrum ceſſans veriſimiliter probari. n. 8.

INfertur primò, quod ſi mercator abſtinuit ab exponēda pecunia negotiationis, eo quod ſciebat multos pecuniā mutuò petituros, poterit in pactum deducere intereſſe lucri ceſſantis, ita optimè probat Leſſius *lib. 2. c. 20. n. 90. & ſeq.* Lugo *de iuſtit. diſp. 25. ſect. 6. n. 91.* Laymā *lib. 3. tr. 4. c. 15. n. 8. verſ. addunt.* Malderus *2. 2. tr. 5. c. 3. dub. 13. §. dico quinto.*

Probatur, quia reuera præuiſum mutuum eſt cauſa ceſſationis lucri, niſi enim præuidiſſem mutuum, vtique pecuniam negotiationi expoſuiſſem; ſicut meum peccatum à Deo præuiſum fuit cauſa paſſionis Chriſti.

Infertur ſecundò, poſſe in pactū deduci lucrum
2 ceſſans, quamuis nō rogatus, ſed ſpōtè offeras te ad mutuandū, ita Molina *diſp. 315.* Leſſius *lib. 2. c. 20. n. 101.* Eminentiſſimus Lugo, *de iuſt. diſp. 25. n. 107.* Sotus, Nauar. Lopez, Petrus Nauarra, Toletus, Valentia, Bannes, & alij, quos citat, & ſequitur Salas *de vſuris dub. 20. n. 3.* Lanfranchus *opuſculorum tom. 2. opuſc. 17. c. 11. n. 2.*

Quamuis contrariū doceant Medina, Angles, S. Antoninus, & alij apud Salas *loc. cit.* ac Menochius *de arbitr. caſu 119. n. 3.* qui requirunt, quod inuitus, aut rogatus mutuetur.

Probatur, quia adhuc mutuum eſt cauſa ceſſationis lucri, nam niſi oblatum mutuum acceptaſſes, pecuniam negotiationi expoſuiſſem: tum quia æqualitas contractus non pendet ex eo, quod te offeras aut non offeras ad mutuum, ſed ex eo, quod propter mutuum ceſſat ſperatum lucrum.

Infertur tertiò poſſe in pactum deduci lucrum
3 ceſſans, quamuis mercator habeat in arca aliā pecuniam otioſam, quam negotiationi exponere potuiſset; ſi eam ad cōtingentes neceſſitates reſeruare ſtatuerat, ita Nauarr. *c. 17. num. 112.* Molina *diſp. 316.* Leſſius *lib. 2. cap. 20. n. 87.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 18. num. 8. verſ. addunt* Salas *de vſuris dub. 20. n. 6.*

n.6. Rebellius *de iust. part. 2. lib.8. qu.6. numer.20. quares* Eminentissimus Lugo *de iust. disp.25. n.90.*

Quamuis oppositum doceant Salicetus, quem citat, & sequitur Natta *cons.370. col.pen. vers.considerandum.* Lanfranchus *tom.2. opusc.17.c.12.n.7.*

Probatur, quia ex mutuo non debeo priuari libertate retinendi mille in arca otiosa, & alia mille negotiationi exponendi: Supposita autem hac voluntate, cum mutuò dantur mille, quæ erant negotiationi destinata, verè tunc mutuum est causa cessationis lucri.

Infertur quartò, quò ad internum forum conscientiæ, vt possit exigi interesse lucri cessantis, tria requiri, nempè primò destinatio mutuatæ pecuniæ
4 ad negotiationem. Secundò proxima potentia negotiandi. Tertiò probabilitas lucri, ita Salas *de vsur. dub.20.n.2.* Eminētissimus Lugo *de iust. disp.25.n.95.*

Probatur, quia, nisi ista adsint, nequit mutuum dici vera causa cessationis lucri.

Infertur quintò quò ad forum externum varias
5 esse doctorum sententias, quę sint probanda à mutuante, vt post debitoris moram, possit exigere interesse lucri cessantis.

Prima Opinio communiter recepta est, non satis esse probare se solitum negotiari, aut mercatorem esse, sed quod fuit in proxima potentia talis lucri, quia in promptu habebat merces, quas potuisset emere, & lucrari, si mutuatam pecuniam habuisset, hæc opinio fundatur in celebri illa doctrina Castrensis *in l.3. §.fin. ff. de eo quod certo loco*, quē sequitur ibi Iason, vbi docet: tria requiri ad interesse lucri cessantis. Primò, quod solitus est, & nunc solet negotiari. Secundò, quod habuit proximam potentiam negotiandi, quia paratas merces habebat. Tertiò, quod sit mora commissa per debitorē, idemque scribunt Decius, Alexander, Curtius Iunior, Parisius, Rubeus, Crauetta, Rolandus, Purpuratus, Neuizanus, Bursatus, Caietanus, & alij apud Mascardum *de probationib. concl.933. num.17.* Afflictus *decis. 20.* Mohedanus *decis.208.n.2.* Puteus *decis.237. vol.1.* Gama *decis.110.n.21.* Gayll. *lib.2. obser.6.n.5.* Mysinger. *cent.4. obser.56.* Seraphinus *decis.88.714. & decis.1240.* Vbi ait, non sufficere fidē proxenetę, quid habuit prę manibus, plures, qui eas pecunias cępissent ad societatem, si isti publicè habebantur pro non idoneis, Franciscus Marcus *dec. 169. lib. 1.* Polidorus Ripa *obseruat. prima* Riccius *collectan.622.* Caballus *milleloquio 290.* Crauetta *cons.320.* Natta *cons.370. & cons.450.n.6.* Hyppolit. Riminal. *cons.52.n.46. vol.1. & cons.218.n.99. lib.2.* Io: Guttierez *de Iuram. confirmat. p.1.c.2.n.8.* Peguera *decis.33.n.2.* Hondedeus *cons.50. n.30. vol. 1.* Ruinus *cons.209. n.4. vol.1.* Rubeus *cons.88.n.4.* Gabriel *lib.3. tit. de solution. concl.10.n.3. vers. contrarium* Soto *de iustitia lib.6. q.1. art.3. col. pen. concl.5.* Molina *tract.2. disp.315. in fine, & disp.316. in princ.*

Secunda est opinio in praxi recepta, satis esse, probare se mercatorem, & solitum negotiari, & quod alij similis conditionis tantum lucrati sint, quod, & ipse lucratus esset, si mutuatam pecuniam habuisset, nam ex hoc probabiliter apparet cessatio lucri, quamuis non probetur, se habuisse paratos mercium venditores, & hanc opinionem in praxi receptam asserit Cagnolus *in l. vnica n.42. C. de sententijs, quæ pro eo quod interest, & in l. curabit n.67. C. de action. empti, & in l. quatenus n.19. ff. de regul. Iuris*, idem docent Bartol. Angel. Imola, Aretin. Salicet. Io: Andreas, Butrius, Riminald. Iunior, Rota Genuens. Parisius, Rebuffus, Io: Lupus, Bursatus, & alij, quos refert Menoch. *de arbitr. casu 119.n.4.* Gabriel *tit. de solution. lib.3. concl.10.n.3.* Salas *de vsuris dub. 20.n.2.* vbi docet sufficere probabilitatē lucri, Lugo *disp.25.n.95.* Cacher. *dec.143.n.4.* Rota Genuēs. *dec. 1.n.40.* Muta *dec. Siciliæ 52. num.17. & dec.42.n.35.*

Debet autem probare, se solitum negotiari eo tempore, quo debitor fuit in mora, ita post alios Mascardus *concl. 933. n.4.* Crauetta *cons.320. n.3.* Menoch. *casu 119.* Seraphinus *decis.186.*

Tertia Opinio distinguit, nam in mercatore satis est probare, se solitum negotiari, seù se esse mercatorem: at in eo, qui non est mercator, neque solitus negotiari, requiritur, quod probet se habuisse voluntatem negotiandi, & quod erat in proxima potentia, quia merces paratas habebat, ita Mascardus *concl.933.n.24.* Villaguth. *de vsuris q.18. concl. 4.n.23.* Barbosa *in l. 2. p.1.n.50. ff. soluto matr.* Gaillus *lib.2. obseruat.6.n.4.* Nauar. *c.15. n.111.*

Verùm in Ciuitatibus insignioribus, vt Romæ, Neapoli, Venetijs, ac similibus, in quibus negotiorum occasiones non deficiunt, sufficit probare se, solitum negotiari, ita decisum *in Rota Romana* refert Seraphinus *decis.186. n.6.*

Quarta est opinio, quod sufficiat, probare, se solitum negotiari, etiam si non probet proximam potentiam negotiandi, neque habuisse paratas merces, sed eo casu minor erit taxatio lucri cessantis ob dubiū, seù periculum, quia fortè non fuisset negotiaturus, quia fortè defecisset occasio vtilis negotiationis, ita egregiè voluit Natta *cons.370.n.6.* quē nō benè reprehēdit Menoch. *de arbitr. casu 119.n.5.*

Quinta Opinio est, Iudicis arbitrio relinqui, quādo dicatur probatum interesse lucri cessantis, nequit enim assignari certa, & generalis regula, sed ex diuersitate personarum, & negotiorum. Id attendendum est, ita Menoch. *de arbitr. casu 119. in fine* Mascard. *concl.933.n.24.*

Inter has opiniones tertia mihi probabilior videtur, in mercatore enim raro deficiunt occasiones negotiorum, secus in cæteris.

Infertur sextò, quod neq; Doctor, neque miles, ne-
6 que Clericus, neque alius, qui nō poterat licitè, aut nolebat negotiari, exigere poterit interesse lucri cessantis, ita Nauar. *c.17.n.112.* Barbosa *in l.2. p.2. n.49. ff. soluto matrim.* Seraphin. *decis.1240.*

Infertur septimò, non videri veram opinionem Eminentissimi Lugo *de iust. disp.25.n.95.* vbi ait: *pos-*
7 *se exigi lucrum cessans, etiā si ego non deliberauerā negotiari, sed anceps eram; ea ratione, quia mutuans in gratiā mutuatarij se priuat hac potestate deliberandi, & destinādi suam pecuniam negotiationi, quæ libertas pretio æstimabilis est, neque tenetur gratis eam spem, & potestatem à se abdicare.* Ita Lugo, cuius opinio non placet. Primò, quia est contra omnes, nam communiter Doctores requirunt, probandum esse, mercatorem habuisse paratas merces, quas emere potuisset; alij requirunt, probandum esse se so-

litum negotiari, alij, quod pecuniam destinauerat negotiationi. Vnde Rota Genuensis *decis.139.* rectè ait: *quod de remoto interesse nulla est habenda ratio.* Secundò, quia sequeretur, quod semper mutuans posset ratione lucri cessantis aliquid exigere vltra sortem, nam semper se priuat potestate negotiandi, & deliberandi, quod est aperire viam vsuris; peto enim, cur potest exigere lucrum cessans, quando anceps est, an negotietur, & non etiam, quando omnino deliberauit non negotiari? etenim in vtroque casu se priuat potestate deliberandi, cum potuisset mutare voluntatem, & negotiari: ergo vel in vtroque casu, vel in neutro potest pro ea potestate, qua se priuat, aliquid vltra sortem exigere. Tertiò, quia ea spes lucri, posita in deliberatione, & dubio de negotiatione, non est pretio æstimabilis, nam ea spes lucri, posita ea in deliberatione adeo tenuis est, vt non sit eius consideratio habenda.

Quartò, quia causa cessationis lucri non est mutuum, sed indeliberatio negotiandi; ideo enim mutuatus sum, quia non deliberaueram negotiari, fortè non fuissem mutuatus.

Infertur octauò, satis esse, si lucrum cessans pro-
8 babiliter, & verisimiliter probetur, seù coniecturaliter, & præsumptiuè, ita glosa in *l.3. §. vltimo*, vbi Iason *numer.6. ff. de eo quod certo loco* Cagnolus *in l. quatenus numer. 20. ff. de regul. Iuris*, Alciatus *in l. vnica in fine C. de sententijs, quæ pro eo quid interest.*

Quamuis oppositum alij doceant, quod debeat concludenter probari, & quasi certò apparere sperati lucri amissio, ita Roland. *cons. 30. num. 14. vol. 1.* Io: Guttierez *de Iurament. confirmat. part. 1. cap. 2. num. 9.* Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 45. n. 43.* Hondedeus *cõs. 50. num. 30. vol. 1.* Barbosa *in l. de diuisione num. 28. ff. solut. matr.*

Probatur nostra opinio, nam, vt praxis obseruat, satis est probare, se esse mercatorem: ergo cessatio lucri non probatur certò, & concludenter, sed coniecturaliter, & præsumptiuè.

SECTIO II.

De secunda conditione requisita ad interesse lucri cessantis, nempè, quod debitor sit in mora, aut adsit expressum pactum illud exigendi ante moram.

SVMMARIVM.

Post moram debetur interesse lucri cessantis, quamuis nullum intercesserit pactum. n. 9.

Quando debitor constituatur in mora? n. 10.

Per interpellationem, etiam extraiudicialem, constituitur in mora. num. 11. sed an per solam diei appositionem? num. 12.

Quando in foro conscientiæ constituatur in mora? n. 13.

Debitor impotens non est in mora. n. 14.

An sit licitum pactum, vt ante moram, teneatur mutuatarius ad interesse lucri cessantis? n. 15.

Si pactum sit simpliciter de interesse lucri cessantis, intelligitur post moram. n. 16.

Quando quis à Rege cogitur mutuari, tunc ei debetur, sine pacto, & sine vlla mora interesse lucri cessantis? num. 17.

Qui fecit contractum vsurarium bona fide, potest retinere id, quod per licitum contractum lucratus fuisset. num. 18.

QVod autem post moram debeatur interesse lucri cessantis, quamuis nullum intercesserit
9 pactum, paret ex tex. *in l. 2. §. nauis ff. ad legem Rhodiam de iactu, & in l. lecta ff. si certum petatur*, Glosa *in c. conquestus de vsuris.* Mascard. *de probat. tom. 2. concl. 933. n. 24.* Gaillus *lib. 2. obser. 6. n. 3.* Hippol. Riminaldus *cons. 52. num. 54. vol. 1. & cons. 218. n. 105. vol. 2.* Bursatus *cons. 68. n. 1. vol. 1.* Franciscus Beccius *cõs. 105. n. 24.* Crauetta *cons. 460. n. 9. vol. 3.* Cephalus *cons. 56. n. 50. vol. 1. & cons. 398. n. 14. vol. 3.* Hondedeus *cõs. 50. n. 22. vol. 1.* Gabriel *lib. 3. tit. de solution. concl. 10. num. 1.* Barbosa *in l. secunda part. 1. num. 48. ff. soluto matrim.* Rota Genuens. *decis. 37. num. 11. & decis. 86. num. 3.* Seraphin. *decis. 912. & decis. 1427.* Menoch. *casu 119. num. 3. vers. secundò requiritur.* Nauarr. *in man. cap. 17. n. 111.* Lanfrancus *opusc. tom. 2. opusc. 17. cap. 10. num. 1.*

Sed difficultas est, quando dicatur debitor in
10 mora, adhoc, vt possit condemnari ad interesse lucri cessantis? Certum est, moram committi per
11 expressam interpellationem iudicialem, aut extraiudicialem, quamuis vna fuerit, ita Doctores comm. *ex lege mora ff. de vsuris l. titia §. vsuras ff. de legat. 2. l. qui Romæ §. cohæredes ff. de verborum obligation.* Menoch. *de arbitr. casu 220. num. 25. & 26.* Mascard. *concl. 933. num. 35.* qui de communi testatur Cassan. in *consuetud. Burgund. rubrica 4. §. 23.* glosa *fera Souffi Samments num. 7. & seq.*

Controuersia autem est, an debitor constituatur in mora, ita vt teneatur ad interesse lucri cessantis
12 per solam diei appositionem? Negant Caietan. 2. 2. *q. 78. art. 2. in respons. ad primum* Ambros. de Vignate *in cap. salubriter n. 264. de vsuris*, & Menoch. *de arbitr. casu 119. num. 14.* ea ratione ducuntur, quia sola dies non interpellat pro homine, quando magnum aliquod præiudicium versatur ex commissione moræ.

Contrarium tamen, & rectiùs docent communiter Doctores, nam diei appositio importat tacitam interpellationem extraiudicialem, & inuoluit implicitum pactum soluendi, eo die adueniente, vnde tunc moram committi, & deberi interesse lucri cessantis docent Doctores ex *l. quoties in diem ff. de verborum obligation. & l. magnam C. contrah. & comm. stipulat.* ita Rolandus *cons. 89. numero 9. vol. 2.* Alex. Raudens. *decis. 17. num. 16. & 17.* Hyppolit. Riminaldus *cons. 89. n. 18. vol. 1.* Hondedeus *cons. 50. num. 5. & 7. vol. 1.* Cephalus *cons. 586. num. 17. vol. 4.* Petrus Nauar. *de restitut. lib. 3. cap. 2. num. 282.* Villagut *de vsuris quæst. 19. vers. 2.*

Vnde statim, quod secundùm formam litterarũ in tempore statuto non fuit facta solutio, constituitur debitor in mora, ex qua oritur interesse, Rota Genuens. *decis. 129. & 150.* Mula *decis. 52. num. 3.* Franciscus Anton. Costa *consil. 48. num. 2.* Scaccia *de commer. & Cambijs §. 1. q. 7. part. 2. ampliat. 8. n. 100.* Regens Capic. Latro *dec. 106. n. 10.*

Imò

Imò in foro conscientiæ committitur mora, & 13 debetur interesse lucri cessantis, citrà vllam expressam interpellationem, & citrà vllam diei appositionem, quando debitor cognoscit creditorem egere, & non posse, aut non audere petere debitũ, aut ignorare debitorem, quia tunc est tacita interpellatio, ita Mascardus *concl.* 933. *num.* 36. & quando creditor ex metu reuerentiali non potest interpellare debitorem, tunc iste sine interpellatione constituitur in mora. Scaccia de *Cambys* §. 1. *q.* 7. *p.* 2. *ampl.* 8. *num.* 130. Castillus *decis.* 112. Peguera *decis.* 33.

E contra verò, quando debitor est impotens ad 14 soluendum, non constituitur in mora, neque tenetur ad interesse lucri cessantis, quamuis sit expressè interpellatus, quia tunc non adest culpa ex eo, quod non soluat, ita ex S. Antonino Afflictus *decis.* 20. *num.* 3. Rota Genuens. *decis.* 99. *in fine* Roland. *cons.* 35. *vol.* 1. Menoch. *casu* 119. *num.* 3. *vers. præterea*, qui rectè subdit; *nisi impotens factus sit post moram* Berous *cons.* 193. *num.* 28. *vol.* 1. Bursatus *cons.* 68. *num.* 41. *vol.* 1.

Rursus quæritur, an licitum sit pactum, vt mu- 15 tuatarius teneatur ante moram ad interesse lucri cessantis? Negant Sotus *de Iust. & iure libr.* 6. *quæst. prima art.* 3. *concl.* 4. Durand. *in* 3. *part. dist.* 37. *quæst.* 2. *ad primum*. Io: Andreas Calderinus, Laurentius de Rodulfis, & Ancar. *in cap. fin. de vsuris*. Mascardus *concl.* 933. *num.* 25. Gayllus *lib.* 2. *obseruat.* 5. *num.* 16. Blasius Florez Diaz *de mena ad Gamam dec.* 110. *num.* 3. *fol.* 51. Menoch. *de arbitr. casu* 119. *num.* 11.

Contrarium tamen docent communiter Doctores in glosa *in cap. conquæstus verbo de feudo de vsuris* Archid. Hostiens. Abbas, Anania, Romanus, Alexãder, Decius, & alij quos citat, & sequitur Couar. *var. resol. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 5. Io: Guttierez *de iuramento confirmat. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. Rota Genuens. *decis. prima* 34. 78. 84. & 99. Riccius *collectan.* 1956. vbi refert plures decisiones Rotæ, & ex Theologis Adrianus *in* 4. *vbi de vsuris* §. *quia factum est* Caietan. 2. 2. *quæst.* 78. *artic.* 2. *ad primum* Maior *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 30. Conradus *de contract. quæst.* 30. Io: Medina *de restitut. quæst.* 38. *causa* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 80. Salas *de vsuris dub.* 19. *num.* 2. Molina *tom.* 2. *tr.* 2. *disp.* 315. Salon 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *controu.* 9. Bannes, & Arragon. ibidem Villagut *de vsuris quæst.* 18. *num.* 30. Nauarr. *in Manual. cap.* 17. *num.* 111. & *in comment. de vsuris num.* 40. Eminentissimus Lugo *de Iustitia disp.* 25. *num.* 87. Petrus Nauar. *de restitut. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 288. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 18. *n.* 8. Rebellius *part.* 2. *lib.* 8. *quæst.* 5. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 20. *punct.* 2. *concl.* 3. Reginald. *lib.* 23. *n.* 80. Aluiainus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *ibidem* Gabriel *quæst.* 11. *art.* 1. *notab.* 2. Maior *quæst.* 30. Azorius *institut. moral. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 5. Bonacina *de contractibus disp.* 3. *qu.* 3. *punct.* 4. *propos.* 4. Noster Lanfranchus *opusculorum tom.* 2. *opusc.* 17. *cap.* 10. *num.* 3.

Probatur communi doctrina, quia ea spes lucri, qua se priuat mutuator in gratiam mutuatarij est pretio æstimabilis: ergo eius compensatio in pactum deduci potest, etiam ante moram.

Præterea, si merces, quas in alio tempore, quo cariores esse solent, vendere statueras, nunc in gratiam emptoris vendis, potes in pactum deducere illud lucrum cessans iuxta tex. *in cap. nauiganti de vsuris*: ergo etiam in mutuo, ratione lucri cessantis, poterit aliquid vltra sortem exigi.

Interesse autem cessantis lucri dupliciter poterit in pactum deduci, & vtroque modo iustè, nempè certa summa expressa, aut incerta, quantum scilicet deinde constiterit fuisse amissum lucrum v. g. mutuatus sum mille, quos tali mense ad cambium destinaueram, quantum deinde constiterit fuisse cambij lucrum amissum, tantundem pacisci possum mihi reddi, ita Couar. 3. *Variarum cap.* 4. *n.* 5. Surdus *de alimentis tit.* 1. *q.* 45. *n.* 77. Villagut. *de vsuris q.* 18. *n.* 30. qui idem asserunt de interesse damni emergentis Rebellius *par.* 2. *lib.* 8. *q.* 6. *n.* 1. Eminentissimus Lugo *de Iust. disp.* 25. *n.* 96.

Verum suspecta est regulariter taxatio certi lucri, seù certæ quantitatis, ita decisum in Rota Romana *in diuers. decis.* 315. *p.* 2. Cæsar. de Grassis *decis.* 1. *de Vsuris* Riccius *collect.* 1956.

Aduertendum tamen, quod, quamuis Validum, 16 ac licitum sit pactum de Interesse lucri cessantis soluendo, etiam ante moram, tamen, si in mutui contractu absolutè conuentum sit de restituendo mutuo cum interesse, nisi aliud expressius habeatur, hoc pactum recipit interpretationem à Iure communi, nempè quod restituatur interesse post moram; ita Seraphinus *decis.* 1427. *n.* 3.

Aduertendum secundò, quod quando quis cogi- 17 tur mutuari à republica, aut à Principe, aut aliter inuitus mutuatur, tunc ei debetur etiam ante moram, & sine vllo pacto interesse lucri cessantis, ita Molina *disp.* 315. *in princ.* Lessius *lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 11. *n.* 79. Salas *de Vsuris dub.* 19. *n.* 6. Eminentissimus Lugo *de Iust. disp.* 25. *n.* 86. Lanfrancus *opusculorum tomo* 2. *opusc.* 17. *cap.* 10. *num.* 2.

Aduertendum tertiò quod, si quis fecit contra- 8 ctum vsurarium, bona fide, credens, esse Iustum, potest tantum lucrum retinere, quantum acquisiuisset per contractum licitum, ita Eman. Sà *V. vsura n.* 8. Tanner. 2. 2. *disp.* 4. *q.* 7. *dub.* 3. *n.* 99. Diana *par.* 1. *tract.* 8. *resol.* 47. & *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 92. quamuis oppositum doceat Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 12. Sed de hoc alibi.

SECTIO III.

Corollaria ex tertia conditione requisita ad interesse lucri cessantis, nempè vt non excedat valorem spei amissi lucri.

SVMMARIVM.

Non est soluendum totum lucrum probatum, sed valor sperati lucri. num. 19.
Deducenda expensæ, ac labores. num. 20.
An deducendus labor mutuantis? num. 21.
Deducendum periculum sortis. num. 22.
Quando non probatur, fuisse paratum negotium, minor erit æstimatio sperati lucri. num. 23.
Taxatio lucri cessantis faciẽda est iudicis arbitrio. n. 24.
Traxis tribunalium. num. 25.

An

An Mercator, qui, dilata ſolutione, plures habet emptores, & cariùs vendit, poſſit petere lucrũ ceſſans? n.26.
An debeatur intereſſe, alterius intereſſe lucri ceſſantis, ſeù lucrum lucri? num.27.
Intereſſe tertiarum annuorum redditũum, poſt moram debetur ad rationem quinque pro centum. n.28.

Infertur primò non eſſe ſoluendam totam amiſſi lucri ſummam articulatam, & probatam per te-
19 ſtes, ſed valorem ſperati lucri, quia poterat multipliciter ea ſpes fruſtrari, imò potius damnũ, quam lucrum obuenire, ita Aragon. 2.2. *q.78. art.2. fol.491. verſ. his ergo* Barboſa *in l.2. par.1. n.52. ff. ſolut. matr.* Diaz *de Mena ad Gaman. deciſ.110. n.3. fol.51.*
Infertur ſecundò, deducendas expenſas, ac labo-
20 res, ita Diaz *de Mena ad Gaman. deciſ.110. n.3.* Cagnol. *in l. vnica n.43. C. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt*, Villagut. *de vſuris q.18. concl.5. n.34.*
Infertur tertiò, deducendam eſſe æſtimationem
21 laboris ipſius mutuantis; ſeù creditoris, quãdo maluiſſet ipſe aliquid moderatum ſoluere, quàm eo die laborare, vt in artifice, qui mallet v. g. tres tantum iulios ſine labore lucrari, quam quatuor cum labore; ſecus eſt in eo, qui vel nullum, vel penè nullum ſentit in eo negotio laborẽ, neque vt à labore vacet, vellet, vel minimum lucrum ammittere, vt in mercatore, qui ferè eundem ſentit laborem in negotio capitalis decem, aut duodecim millium aureorum, ita egregiè docet Leſſius *lib.2. c.20. dub. 11. n.98.* quem ſequitur Lugo *de Iuſtit. diſp.25. n.98.*
Infertur quartò, quod ſi in negotiatione verſe-
22 tur periculum non ſolum lucri, ſed etiam ſortis, tunc in æſtimatione ſperati lucri, venit etiam æſtimatio periculi ſortis, quare eo caſu taxatio intereſſe lucri ceſſantis tenuis erit, quia hoc ſortis periculum minùs facit æſtimare ſpem lucri, ita optimè docent Molina *diſput. 316. §. pro lucro ceſſante & §. pen.* Eminentiſſimus Lugo *diſp.25. de Iuſtit. n.101.* Diaz *de Mena ad Gaman. deciſ. 110. num. 3. fol. 51.* quamuis minus rectè oppoſitum docuerint, Sotus, & Salonius, quos citat & ſequitur, Salas *de Vſuris dub.20. num.8.*
Infertur quintò, æſtimationem ſperati lucri ad-
23 huc tenuem fieri, quando creditor probat tantum, ſe eſſe mercatorem, & tunc ſolitum negotiari, non autem probat, ſe tunc habuiſſe paratas merces, ſeù paratum aliud negotium; illud enim dubium, quod fortè tunc non fuiſſet occaſio negotij, minuit pretium ſperati lucri, ita benè conſiderauit Natta *conſ.370. n.6. verſ. quid igitur dicendum vol.2.*
Infertur ſextò, quod cum taxatio lucri ceſſantis
24 debiti poſt moram debitoris dependeat ex diuerſis circumſtantijs, varijſque rerum euentibus, proinde non niſi iudicis arbitrio eius taxatio facienda eſt, nam attentis periculis, ac perſonis alijſque, quæ prudens Iudex conſiderabit, modò maior, modò minor erit æſtimatio ſperati lucri, ita probat *tex. in l.3. §. vlt. ff. de eo, quod certo loco*, & docent Aretinus, Corneus, Io. Anania, Felynus, Iaſon, Soccinus Senior, Franciſcus Marcus, Rebuffus, Natta, Gayllus, & Burſatus, quos citat, & ſequitur Menochius *de arbitr. caſu 119. num.10.* Mangonius *deciſ. florent. 32. num. fin.* Rota Genuenſis *deciſ.117.* Gomez Leo *deciſ. 98. in deciſ. diuerſorum tom.2.* Seraphinus *deciſ.772. num.1.*
Praxis tamen aliquorum tribunalium obſeruat,
25 vt in non ſolitis negotiari taxetur hoc lucrum ad rationem vnius pro quatuordecim; in mercatoribus verò ad rationem ſeptem, vel octo pro centum, ita in praxi ſeruari ait Diaz *de Mena ad Gaman. deciſ.110. n.3. in fine fol.51.* & Io. Guttierez *de Iuram. confirmat. par.1. c.2. n.4. & Borgninus deciſ.13. num.38. de contract. par.2.* ait: ex ſtatuto, aut ex pacto poſſe hoc lucrum taxari ad rationem octo pro centenario, ita deciſum in Sacro Concilio Neap. refert Regens *Capycius latro deciſ.106. in fine*, & aliquando intereſſe in S. C. fuit liquidatum ad rationem nouem pro centenario, quia in regno de facili emptiones inueniuntur Anna *alleg.42.* Io: Baptiſta Thorus *in compend. deciſionum par.3. verbo intereſſe partis*, qui refert ita deciſum & Regens Capycius latro *conſultat. 25. n.52. tom.1.*
Rota autem Romana, vt refert Seraphinus *deciſ.714.* taxauit hoc lucrum ad rationem decem pro centenario; quia probatum fuerat, creditorem ceſſaſſe ab emptione officiorum vacabilium; ſed idem Seraphinus *deciſ.770. n.3.* ait, Rotam taxaſſe intereſſe ad rationem ſeptem cum dimidio pro centenario, quia prætendens intereſſe non habebat magis negociationem officiorum vacabilium, quam non vacabilium.
Infertur ſeptimò ex Molina *diſput. 316.* & Emi-
26 nentiſſimo Lugo *de Iuſt. diſp.25. n.89.* cautè agendum cum mercatoribus, qui dilatã ſolutione vendunt ſummo pretio, atque magnam mercium quãtitatem eo modo diſtrahunt, non enim prætereà poſſunt exigere intereſſe lucri ceſſantis, nam ceſſans lucrum compenſatur ex eo, quod ſummo pretio, & magnam mercium quantitatem vendunt, ſed veriùs hoc iudicij arbitrio committendum eſt, plerumque enim hæc non æquant intereſſe lucri ceſſantis.
Infertur octauò, non deberi intereſſe alterius intereſſe lucri ceſſãtis, ſeù lucrũ lucri, ne res in infinitũ procedat *argum. tex. in l. fin. C. de vſuris rei iudicatæ*
27 Ruin. *conſ.55. n.16. vol.2.* Decius *in c. cum venerabilis n. 16. de excep.* Gabr. *lib.3. tit. de ſolution. concl. 10. n.4.* Cephalus *conſ. 85. n. 8. lib. 1.* Hondedeus *conſ.50. n.28. vol.1.* Bolognettus *in l. vnica n.123. C. de ſentent. quæ pro quod intereſt*, & ita refert deciſum in Sacro Conſilio Neapolitano Francus, quamuis ipſe oppoſitum doceat *deciſ.254. n.14.* Minadous *deciſ.17.* Ioan. Baptiſta Lupus *in l. curabit par.1. §.6. n.120. C. de action. empt.* Anna *conſ.48.* Rodericus *de annuis redditibus lib.3. q.7. n.27.* Rouitus *in prag. 3. de ceſſione bonorum num.21.* Regens Capijc. *latro conſultat.59. n.1. vol.1.*
Quamuis oppoſitum doceant Cagnolus *in l. vnica n.46. C. de ſententijs, quæ pro eo, quod intereſt* Rota Genuenſ. *deciſ. 134.* Burſatus *conſ.54. num.42. vol. 1.* vbi teſtatur ita deciſum in Senatu mantuano Beretta *conſ.25. num.5.* Franc. *d. deciſ.254.* Menoc. *de arbitrar. caſu 119. num.18.* Villagut. *de vſuris qu. 18. num.34.*
Primum fundamentum noſtræ ſententiæ eſt, quia iura prohibent vſurarum vſuras, ne fiat in infinitum

infinitum

infinitum processus, & ex modico debito ingentes debitorum facultates exhauriantur.

Respondet Menochius disparem esse rationem vsuræ, ac cessantis lucri, quid vsura respicit lucrum creditoris absque eius industria, lucrum autem cessans respicit industriam creditoris.

Sed contra, quia etiam in vsura est aliqua creditoris industria, qui suam pecuniam non fodit in terra, sed tribuit nummularijs, vt cum vsuris illam repetat.

Contra secundò, quia, quod debeatur interesse lucri cessantis: non est quia fuit creditor impeditus ab industria, sed quia fuit impeditus à lucro: ergo etiam si sine vlla industria obueniat lucrum debetur interesse: ergo par ratio est vsuræ, ac lucri cessantis.

Secundum fundamentum est, quia spes spei, seù spes lucri, ex altero sperato lucro adeo tenuis est, & tam varijs subiacet periculis, vt nullius prorsus sit considerationis; quod patet nam vt ait cagnolus ex capitali ducatorum mille, ac ducentum, quorum interesse erat ad rationem decem pro centenario, lapsu viginti quinque annorum interesse ipsius interesse ascendit ad summam viginti quinque millium aureorum; paucissimi autem sunt mercatores, qui cum simili capitali eadem proportione diuites fiant.

Obijcies quia debetur interesse alterius interesse damni emergentis, vt docent Rota Genuens. *decis.* 87. *n.* 9. Hondedeus *cons.* 50. *n.* 16. *vol.* 1. ergo etiam debetur interesse alterius interesse lucri cessantis.

Respondetur disparitas est, quia interesse damni emergentis non est incertum, sed euidenter, & clarè probatur: at interesse lucri cessantis, & multò magis interesse alterius interesse, seù lucrum lucri, est incertissimum, & non nisi coniecturis probari potest, & tam varijs rerum euentibus, periculisque est expositum, vt non sit eius consideratio habenda.

Obijcies secundò, quia debetur interesse tertia-
28 rum decursarum annuorum redditnum post moram, ad rationem quinque pro centum, ita Vincentius de Anna *singul.* 261. Vrsillus *decis.* 291. *n.* 6. Fabius de Anna *cons.* 48. *num.* 13. *volum.* 1. Francus *decis.* 254. Io: Griuellus *decis. dolana* 103. *num.* 8. Regem Capycius latro *consultat.* 59. *num.* 18. & 19. ergo etiam debetur interesse alterius interesse lucri cessantis.

Respondendum ex doctissimo Domino Capycio latro *d. consultat.* 59. *n.* 19. ideo deberi interesse tertiarum, quia istæ debentur principaliter, & de per se, cum capitale peti non possit: vnde resciso contractu census, tertiæ non prodncunt amplius interesse, quia tunc peti potest capitale, & tunc resciso contractu tertiæ sunt accessoriæ, ita Mandellus *cons.* 211. *n.* 15. Rouit. *in pragm.* 3. *de cessione bonorum n.* 21. & Capycius latro *d. cons.* 59. *n.* 23. At interesse lucri cessantis debetur accessoriè, nam capitale peti poterat, meritò peti non potest interesse alterius interesse lucri cessantis.

QVÆSTIO XII.

An Iure naturali attento census vtrimq; redimibilis sit licitus? quando scilicet ad libitum emptoris tenetur venditor se redimere.

SVMMARIVM.

Prima sententia negat, & est communis. num. 1.
A Rota Romana hac sententia Probatur. num. 2.
Sic quoque Bulla Pij V. prohibetur repeti pretium census. num. 3.
Secunda sententia affirmat validum esse Iure naturali. num. 4.
Hic contractus dissuadendus in Praxi. num. 5.
Consuetudine receptus in Germania, ac in Belgio & in toto oriente apud catholicos. num. 6.
Discrimen inter mutuum, & censum vtrinque redimibilem. num. 7.
Licitus est contractus societatis cum triplici pacto, nempè societatis, assecurationis lucri certi pro incerto, & assecurationis capitalis. num. 8.
Non est facilè damnandus contractus, qui à pijs, & doctis viris in regione passim exercetur. num. 9.
Sufficit Idiotam, se velle contrahere eo modo, quo docti dicunt sibi licere. num. 10.

Negant Sotus *de Iust. lib.* 6. *q.* 5. *art.* 3. Couar. 3. *var. c.* 9. *n.* 4. Nauarr. *in comment. de vsuris n.* 122. Salas *de Censibus dub.* 25. Salon. *de contract. ar.* 3. *de censibus controuer.* 9. *n.* 2. Bannes *de Iust. q.* 38. *art.* 4. *de censibus dub.* 2. *vers. secunda Concl.* Sà *V. Census n.* 9. Guttierrez *pract. lib.* 2. *qu.* 168. *n.* 9. Martinengus *de censibus c.* 6. *n.* 262. Cencius *de censibus p.* 2. *c.* 1. *q.* 3. *art.* 8. *n.* 1. Canisius *de censibus in fine* Binsfeldius *in c. in ciuitate q.* 12. *concl.* 10. Felicianus de Solis *trac. de Censibus lib.* 1. *c.* 10. *n.* 28. Mantica *de tacitis & ambig. conuent. lib.* 8. *tit.* 22. *n.* 22. Duardus *de censibus tomo* 2. §. 5. *q.* 42. Rodericus *de annuis redit. lib.* 1. *q.* 4. & 18. & *lib.* 2. *q.* 3. & 13. *n.* 28. Megalius 2. 2. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 99.

His accedunt decisiones sacræ Rotæ Romanæ decernentes talem contractum nullum, & vsurarium, ac receptas pensiones in sortem computandas, ita Seraphinus *decis.* 1006. vbi alias adducit Rotæ decis. & aliæ snnt Rotæ decisiones, quæ habentur impressæ *post tract. Duardi de censibus decis.* 147. 272. *n.* 8. & *decis.* 183. *n.* 3.

Quare meritò Pius V. in sua Bulla de Censibus pacta continentia pretium census ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibuit.

Probatur hæc sententia, quia pactum redimendi, quo venditor se obligat redimere, mutat speciem contractus, & transfert in contractum mutui, in mutuo autem quicquid vltra sortem recipitur vsura est, vt per Surdum *Cons.* 202. *n.* 40.

Contraria tamen sententia videtur verior, ac probabilior, nempè præcisa humana lege id prohibente, licitum esse contractum census cum pacto, vt teneatur se venditor redimere ad libitum emptoris, vel intra certum tempus dummodo tale onus,

le onus,

le onus, quod in se suscipit venditor iusto prætio compensetur, augendo prætium Census; hic tamen contractus, vt monet Medina, & omnes, dissuaduendus est in praxi, propter scandali periculum, quia vsuræ speciem habet præsertim in locis, vbi viget constitutio Pij V. tale pactum prohibentis. Hæc opinio visa est probabilis Romæ *anno* 1581. in consultatione doctissimorum Theologorum, vt testatur Valentia *tomo 3. disp. 5. q. 22. pun. 6. & q. 25. pun. 2.* qui latè eam defendit. Talis quoque census vtrimque redimibilis vniuersali consuetudine in plerisque Germaniæ prouincijs receptus est, vt testatur Layman, qui probat, esse licitum *libr. 3. tr. 4. c. 18. n. 56.* & in Belgio refert Lessius, qui etiam probat licitum. *l. 2. c. 22. dub. 10.*

Hunc etiam contractum tanquam licitum receptum esse inter Catholicos Constantinopoli, & in toto oriente, & ipse testor, cum ibi quinquennio commoratus sim. eum licitum docuerunt Medina. *C. de vsuris qu. 15. prope fin.* Io: Maior *in 4. dist. 15. q. 43. & 44. in fine* Gabriel *ibid. q. 12. in fine* Conrad. *de contract. q. 84. post. 5. Concl.* Rebellius *p. 2. lib. 10. q. vlt. n. 6.* Azor, qui ait in rigore defendi *tomo 3. lib. 10. c. 17. q. 94.* Malderus *2. 2. tract. 5. dub. 11.* Reginald. *lib. 25. n. 416.* Immola *in c. illo vos de pignoribus* Molfes. *in summ. tract. 12. c. 6. n. 125.* Molina *tr. 2. disp. 391. claus. 11.*

Probatur primò nostra opinio, quia hoc est discrimen inter contractum mutui, & contractum census vtrimque redimibilis, quia mutuans nulli subijcitur periculo, si ante restitutionem mutui res hyppothecata pro mutuo pereat, perit enim periculo mutuatarij, qui in omni euentu semper tenetur restituere mutuum, at venditor census vtrimque redimibilis subijcitur periculo, si domus censualis v. g. in qua fundatur census pereat, & comburatur, quia extinguitur census, & non tenetur deinceps nec restituere sortem, nec soluere pensiones: ergo pactum redimendi ex parte emptoris non transfert contractum ad speciem mutui; cum adhuc stante tali pacto perseuerent proprietates census. Præterea alterum discrimen est inter contractum census vtrimque redimibilis, ac mutuum vsurarium, vt docet Layman. *lib. 3. tract. 4. c. 18. n. 14.* quia censualis contractus certum fundamentum requirit, in quo fundatus sit, cum sit ius pecipiendi reditus annuos, ex alicuius fundo, negotiatione, opificio &cet. certo pretio comparatum: eoque fundamento penitus ruente (puta, si venditor census, eiusue hæredes nullos annuos reditus habere incipiant) contractus censualis nullum amplius locum habere potest, quamuis ob adiectũ assecurationis pactum sors repeti queat. Contractus verò mutui cum quacunque persona rectè institui tur, sine vllo ordine ad requisitom aliquod fundamentum. Quare vsura est, si census realis, aut personalis constituatur, aut continuetur cum persona non habente reditos annuos, siue ex fundo, siue ex propria industria, vt docent omnes, & Layman loco citato, ac Nauar. *c. 17. num. 258.*

Secundò probatur, quia in cæteris venditionibus licitum est pactum, quo venditor se obligat ad libitum emptoris redimere, vt docent Couar. *3. variar. c. 9. n. 3.* Molina *tr. 2. disp. 377.* Lessius. *lib. 2. c. 21. dub. 14. n. 13.* & omnes communiter: ergo etiã in contractu censuali, nam censualis contractus est vera emptio, & venditio Iuris exigendi pensionem annuam ex tali fundo: ergo vbicumque pactum appositum non destruit naturam emptionis, & venditionis, remanet essentia census: cum essentia ipsius sit emptio, & venditio Iuris exigendi annuam pensionem ex tali fundo.

Probatur tertiò, nam potest tertius quidam v. g. fideiussor, obligare venditorem ad se redimendum intra certum tempus, vel cum ipsi fideiussori libuerit, quod etiam stante Bulla Pij V. licitum esse docent omnes: ergo etiam ipse emptor census poterit dato iusto prætio ad id obligare venditorem, nolla enim est ratio, cur hanc obligationem possit suscipere venditor à fideiussore, & non ab emptore census præcisa humana constitutione id prohibente.

Probatur quartò, nam pacta, quæ separata sunt iusta, etiam vnita iusta sunt: sed post contractum census, v. g. post mensem, potest emptor rogare venditorem, vt accepto iusto prætio, suscipiat in se obligationem se redimendi intra certum tempus, vel ad libitum emptoris: ergo etiam ista pacta poterunt in eod. contractu vniri.

Probatur quintò, quia Doctores similem contractum admittunt tanquam licitum, nempè contractum illum societatis cum triplici pacto. Primò societatis. Secundò Assecurationis certi lucri pro incerto. Tertiò assecurationis capitalis, vt explicat, & probat Bonacina *de contract. disp. 3. qu. 3. pun. 1 t. n. 2.* & ante eum Hostiensis *in sum. tit. de Vsuris §. an aliquid* Nauar. *in man. c. 17. n. 255. & in comment. de vsuris not. 14.* Couar. *3. var. c. 2. n. 4.* Molina *disp. 417.* Lessius *l. 2. c. 25. dub. 3.* Grat. *discept. forens. to. 2. c. 360. n. 10. & 11.* Diana, qui alios citat *p. 1. tr. 8. res. 30.* ergo etiã admitti debet tãquã iure naturali licitus cẽsus redimibilis, neque enim video, cur magis in censu, quam in illo lateat vsura, cum semper contrahens securus sit de Capitali, & de lucro.

Probatur sextò, quia, quando aliquis contractus in aliqua regione celebrari consueuit à Viris doctis, & pijs, quamuis dubij, & obscuri iuris sit, non est propterea facilè damnandus. Bartol. *in l. si quis fugitiuus §. apud labeonem ff. de adilit. edicto* Tiraq. de *vtroque retract. lib. 2. §. vltimo n. 127.* ergo neque hic census vtrimqoe redimibilis tamquam vsurarius est damnandus (præcisa Bulla Pij V.) nam receptissima consuetudine, In Belgio, Germania, ac toto oriente apud catholicos, quotidie, & absque vllo scrupulo exercetur.

Probatur septimò, nam vel contrahens est vir doctus, vel idiota; si vir doctus, potest ratificare suam intentionem, se nolle mutuari, sed censualem contractum celebrare suscipiendo in se periculum fundi censualis; si autem sit idiota, vt tutus sit in conscientia, sufficit, si velit contrahere eo modo, & eo titulo recipere pensionem, quo viri docti, ac probi dicunt, sibi licitum esse contrahere, quamuis non possit ex defectu ingenij id percipere, & intelligere, ita Lessius *l. 2. c. 20. n. 106. & c. 22. n. 62.* Valentia *3. tom. disp. 5. q. 25. pun. 2.* Layman. *l. 3. tra. 4. c. 18.*

4. cap.18. num.13. Diana par.1 .tract.8.resolut.3.

Ex quibus patet ad opposita, & ad constitutionem Pij V. Respondetur, quod quamuis ob iustissimos fines, & ob vitandas fraudes, huiusmodi pactum redimendi prohibeat, tamen non iudicat esse contra ius naturale tale pactum, alioquin contractus ante bullam cum tali pacto celebratos damnasset, tamquam verè vsurarios, quod tamen non fecit.

QVÆSTIO XIII.

An census vtrinq; redimibilis sit licitus in foro conscientiæ, etiam in locis, vbi recepta est bulla Pij V. ita vt possit licitè in eo perseuerari, ac retineri pensiones, non computando eas in sortem?

SVMMARIVM.

Si Iure naturali contractus est licitus, potest in conscientia in eo perseuerari ante sententiam.num.1.

Lex se fundans in præsumptione non obligat in foro conscientiæ, si non subsit fraus præsumpta. n.2.

Contractus census contra bullam Pij V. est nullus. n.3.

Alienatio rei Ecclesiasticæ sine solemnitate, valet in conscientia ante sententiam. n.4.

Sic in conscientia potest retineri pœna sponsalibus adiecta. num.5.

Sic legata in testamento minus solemni retineri possunt. num.6.

Dupliciter lex annullat. Primò non assistendo, idest denegando audientiam. n.7.

Secundò resistendo, inhabilitando contrahentes.

Quando resistit, neque cessante fraude valet contractus. num.8.

Etiam in conscientia, Nullum est matrimonium sine Parocho, professio ante tempus contractus pupilli cum tutore. n.9.

Dupliciter lex potest decernere nullum contractum. Primò efficienter, Secundò declaratiuè, & præsumptiuè tantùm. n.10.

Probabile est pactum se redimendi esse nullum. n.11.

Quando lex se declarat, vt actus sit inutilis, tunc neque in conscientia tenet. num.12.

Non cessat lex si eius finis cesset in casu particulari.n.13.

Quando lex non efficit, sed declarat nullum contractum, tunc tenet in conscientia, si cesset fraus. n.14.

An Neapoli bulla Pij V. sit recepta? n.15.

Respondetur affirmatiuè, ita ex Molin.disp.392. in fi.docet Salas de censib.dub.12.n.6.& 7.qui sic ait: *Si contractus iure naturæ nõ est vsurarius, non est talis habendus in foro conscientiæ ante sententiam, sed potest licitè in eo perseuerari, ac retineri pensiones non computando eas in sortem,* ita Salas.Idem docent Nauarr. *in comment. de vsur.s n.106.* Valentia 2.2. *disp. 5.q.25.pun.2.in fine.* Reginald.*lib.25.n.415.* Vbi sic ait: *Mens Pontificis non fuit declarare iniquitatis vsurariè reos, qui in emptione census non seruarent omnes prædictas conditiones, sed ipsos esse præsumendos vsurarios, quod pertinet ad forum externum, quandoquidem in foro conscientiæ non est locus præsumptioni, quando veritas est in contrarium. c. tua nos de sponsalibus c. humanæ aures 12. q.5. Itaq; is, qui seruatis omnibus conditionibus de iure naturali necessarijs ad iustitiam census, eum emerit, potest in conscientia tutus esse ab vsuræ labe, etiam si alias à Pontifice positas omittat, & addat eis contrarias, dummodo non repugnantes iuri naturali.* Hæc Reginaldus, & idem docent Molsesius *in sum. tom.2. tract.12. c.6.n.40.* & alij quos affert Diana *p.1 tract.8.resol.44.*

2 Probatur primò, quia quando lex se fundat in præsumptione, non obligat in foro conscientiæ, si reuera non subest fraus præsumpta, ita Laym.*lib.1. tr.4.c.21.n.4.* Fernandez *in exam. Theol. mor.p.2. c. 4.§.3.n.4.* & alij quos sequitur Valerus *de differ.vtr. fori V. lex diff.15.n.1.* ergo cum Bulla Pij V. prohibens pactum redimendi se fundet in præsumptione intentionis vsurariæ, si re vera cessat talis intentio, quia contrahentes non intendunt mutuum, sed verum censum constituere, non obligat eos in conscientia.

Probatur Secundò, quia vt rectè ait Lessius *l.2.c. 22.n.97.* vsura non est, vbi ex parte rei non est, inæqualitas contra Iustitiam: ergo etiam si contra bullæ prohibitionem fiat contractus, si nulla sit inæqualitas Iustitiæ contraria, nulla erit vsura: ergo neque erit peccatum, tales pensiones recipere.

Obijcies ex Eminentissimo Lugo tract.de Iust. to.2.disp.27.n.124. Vbi docet contractum vtrimq; redimibilem contra bullã celebratum esse verè, & propriè, non præsumptiuè vsurarium si recipiantur pensiones vltra sortem; nam huiusmodi contractus, non solum quo ad pactum redimendi appositum, sed secundum se totum, & quò ad substantiam est irritus ac nullus, cum bulla dicat contractus sub alia forma celebrandos fenetatitias iudicamus, & contractum esse nullum fatentur ipsimet Aduersarij, Molina *disp.392.* & Salas *dub.12.n. 6.& 7.* Filliucc.*tr.35.p.2.c.3.n.339.* Rebell.*p.2. lib. 10.q.vlt.n.7.vers.quod si contra* Guttierez 2. *pract.q. 176.* ergo cum contractus sit nullus deficit iustus titulus accipiendi eas pensiones, quare vsura est; sic à pari, quia contractus matrimonij sine Parocho nullus est, eo vti fornicari est.

Confirmatur ex decis. Sacræ Rotæ, vt per Seraphin. *decis.1006.* quæ decreuit pensiones receptas ex censu cum pacto redimendi ex parte emptoris, esset computandas in sortem, quia totus contractus ex adiecto pacto redimendi est irritus, ac nullus, & sic deficit titulus recipiendi pensiones vltra sortem.

Respondebis ad argumentum Eminentissimi Lugo contractum esse validum pro foro conscientiæ; in quo attenditur veritas, & non præsumptio, quãuis pro foro externo iudicetur inualidus, & sic corruit fundamentum Lugo, nam pro foro conscientiæ perseuerat iustus titulus recipiendi pensiones vltra sortem. Id autem multis exemplis confirmari potest: sic enim electio, alienatio rei Ecclesiasticæ, aut pupilli absque iuris solemnitate valida, sunt in foro conscientiæ, donec iudicis rescindentis authoritas accedat. Abbas *in c.quia plerisq; n.31. & ibi* Innoc. *de Immun. Ecclesiastic.* Rodriq. *tom. 1. qq. regul.*

5 *qq. regul. q. 27. art.* 10. Layman. *l. 1. tr. 4. c. 16. in fine.*
sic in conscientiæ foro retineri potest pœna spon-
salibus adiecta, Sanchez *de matrim. l. 1. disp.* 31. sic
probabile est, hæredem in non solemni, ac nullo
6 testamento institutum, posse in conscientia reti-
nere hereditatem, ita Sotus *lib. 4. de Iustit. artic.* 5.
quæst. 5. Sà *v. hereditas, num.* 32. *& v. testamentum*
num. 3. *& alij.*

7 Sed contra, quia dupliciter contractus potest an-
nullari. Primò, si lex non assistat contractui dene-
gando audientiam, & hoc, vel ob vitandas frau-
des, aut ob fraudis præsumptionem, & hoc casu
tenet contractus in conscientiæ foro: Secundò, si
lex resistat contractui, quia ob vitandas fraudes,
aut alia Reipublicæ incommoda contractum pro-
8 hibeat, damnet, reprobet; & inhabilitet contra-
hentes, & hoc casu, neque in conscientia sustine-
tur, etiam si omnis cesset fraus. Ratio, est quia hoc
casu lex, & voluit, & potuit omninò annullare ta-
lem contractum, licèt nulla subesset fraus; voluit
quidem, quia expediens est Reipublicę, ob bonum
publicum, ne fraudulenti contractus deinceps ce-
lebrentur; Ergo contractum, quamuis alioquin iu-
re naturali iustum, voluit annullare. Præterea,
quod voluerit omnino annullare, satis colligitur,
ex verbis legis; non solum non assistentis, sed pro-
hibentis, damnantis, ac reprobantis contractum.
Potuit autem lex irritare, nam potest inhabilitare
personas contrahentes, vt patet.

9 Quare etiam in foro conscientiæ inualida sunt
matrimonia sine parocho; professiones ante legi-
timum tempus; contractus pupilli cum tutore &c.
Hæc doctrina, traditur per Molinam *tr. 2. disp.* 81.
Sanch. *de Matrim. lib. 6. disp.* 38. Laym. *l. 1. tr. 4. c.* 16.

In casu autem nostro Pius V. prohibet, repro-
bat, ac damnat contractus contra bullam Celebra-
tos his verbis. *Contractusque sub alia forma post hac*
celebrandos feneratitios iudicamus: ergo, cum lex non
solum non assistat, sed resistat, damnet ac repro-
bet contractum, ille est omnino irritus, etiam
pro foro conscientiæ: Et sic adhuc firmum rema-
net argumentum Eminentissimi Lugo, contra-
ctum census vtrimque redimibilis esse propriè
vsurarium, quia deficit titulus recipiendi pensio-
nes vltra sortem.

10 Secundò, igitur respondeo ad argumentum
Card. Lugo, quod dupliciter potest contractus per
legem decerni nullus. Primò efficienter, nempè,
quod ipsa lex efficiat nullum. Secundò, declara-
tiuè, & præsumptiuè tantum, nempè cum lex non
efficit nullum, sed nullum esse, præsumit, & decla-
rat. Quando lex ob bonum publicum ad fraudes
vitandas, aut aliàs, efficit contractum nullum re-
sistendo, & reprobando contractum; tunc ille etiā
in foro conscientiæ, est irritus, quamuis reuera nul-
la subsit fraus, iuxta doctrinam Molinæ, Layman,
11 & aliorum supra adductam. Vnde probabile est,
pacta contra bullam contractui censuali apposita,
vt se redimendi ad libitum emptoris esse omnino
irrita, itaut non teneatur in conscientia venditor
se redimere, nam, vt rectè ait Layman *d. leg. 1. tr.*
12 4. *c.* 16. *num.* 8. quando Pontifex se declarat, se vel-
le, quod actus sit inutilis, quod pro infecto habea-
tur (prout hic Pius V.) tunc neque in conscientiæ
foro sustinetur: neque refert, quod cesset fraus; nā
non cessat lex, quando in casu particulari cessat
finis legis: sufficit enim quod finis legis nō cesset in
cōmuni, & vniuersaliter; vt docent omnes, Suarez
de legibus. l. 6. c. 7. l. 3. c. 23. Vasquez, Salas, & innu-
meri apud Dianam *p. 1. tr. 10. resol.* 28. finis autem
bullæ fuit, prohibere, & euitare contractus vsura-
rios, qui sub his pactis latere solent, qui finis non
cessat, quamuis in tali particulari contractu nulla
sit fraus.

14 Quando autem lex non efficit nullum contra-
ctū, sed præsumit, & iudicat nullum, ac talem de-
clarat, ob defectum, qui iure naturali reddit nul-
lum; tunc, quia lex se fundat in præsumptione, ce-
dit præsumptio veritati, & sic in foro conscientiæ
validus est contractus, & obligat, donec in foro
externo declaretur nullus. Quare, quamuis pactum
redimendi sit nullum, tamen, si absit intentio fæne-
ratitia, in foro conscientiæ validus est, quò ad sub-
stantiam contractus census, & non fæneratitius.
Ratio est, quia Pius V. in sua bulla non dicit con-
tractus sub alia forma celebrādos irritos, & nullos
iudicamus: ergo non efficit nullos, sed ait, fænera-
titios iudicamus, idest fæneratitios esse, præsumi-
mus; Itaq; ex adiecto pacto totus contractus cen-
sualis, non efficitur nullus, sed præsumitur, & de-
claratur nullus: Ergo, si reuera abest intentio vsu-
raria, cum in foro conscientiæ cesset præsumptio,
non erit in foro conscientiæ, neque fæneratitius,
neq; nullus. Ex quibus patet responsio ad diffici-
lè satis argumentum Card. Lugo.

Petes, an bulla Pij V. sit in Regno Neapolitano
recepta?

Respondet negatiuè Molfesius *in sum. to. 2. tr.* 12.
c. 6. n. 82. Sed aduerto ex Lessio *l. 2. c. 22. n.* 100. quod
potest bulla esse quò ad vnam partem recepta, non
quò ad aliā, & ita videtur receptissima bulla Nea-
poli, quo ad prohibitionem pacti se redimendi,
nam tale pactum non frequenter, & palam, prout
in Germania, & in Belgio, sed clam, ac rarissimè ap-
ponitur; quod est signum, bullam receptam esse
quo ad hanc partem.

QVÆSTIO XIV.

An iustus sit contractus census, cum obligatione se redimendi intra certum tempus, dando duodecim pro centum?

SVMMARIVM.

Pretiū census taxatur iuxta consuetudinē Regionis. n. 1.
Quę fuerit olim vsura centesima. num. 2.
Neapoli illicitum est, excedere decem pro centum. nu. 3.

Respondetur negatiuè, talis enim contractus
iniustissimus est.

Probatur, quia in taxando prætio census atten-
denda est consuetudo regionis, vt docent Menoc.
cons. 236. Surdus *cons.* 172. *num.* 34. *lib.* 2. Guido
Papæ *cons.* 180. *Couarru.* 3. *Variarum cap.* 9. *num.* 6.
vers.

*vers.ex quibus,& c.*10.*num*,2. Thesaur. *qq.forens.lib.* 1.*q.*32.*n.*5. Grassius *decis.part.*1.*lib.*2.*cap.*118.*n.*25. Nisi adsit legitimum prætium lege taxatum, vt doceent Couar. *vbi supra n.*6. Laym. *lib.*3.*tract.*4.*c.*18. *in fine*,& alij.

Sed in censu irredimibili ex parte emptoris adest in Regno Neapolitano ex Bulla Nicolai V. pretium legitimum, vt non excedat decem pro centum, quæ etiam consuetudine vniuersalissima recepta est, nam numquam census ordinarij idest irredimibiles ex parte emptoris excedunt decem pro centenario, vt tradit Scaccia *de Commercijs* §.1. *q.*1. *num.* 244.

Ergo à fortiori iniustissimum est prætium census, in quo venditor obligatur, se redimere intra certum tempus, dando duodecim pro centum; nam propter onus se redimendi debet crescere pretium census, vt infra dicam.

Secundò, quia apud Regia Gallorum tribunalia in praxi receptum est, quod si annuus reditus constitutus sit ad rationem vnius pro octo, aut nouem, minoriuè prætio, quam decem, omnino illicitus, & reprobus contractus iudicetur, ita ex Rupellano *lib.*1. *instit.forens.c.*34. & alijs tradit Couar. 3.*var.c.* 10.*n.*2.

Tertiò, quia apud antiquos vsura centesima erat, in qua duodecim in singulos annos dabātur; & vocabatur centesima, quia centesimo mense æquabat sortem, olim enim vsuræ menstruæ erant, idest singulis quibusque mensibus præstari solebant, vt patet *ex l.publica* §.*lucius ff. depositi* eamque esse vsuram centesimam tradit Tiraq.*lib.*1.*retract.gl.*6.*n.*18. Hermolaus *in Plinium lib.*13.*cap.*4. Alciat. *lib.*3.*dispunct.c.*1. Couar.3.*var.c.*9.*n.*6. Huiusmodi autem vsura centesima i. duodecim annua pro centum non præstabatur, nisi cum creditor in se suscipiebat nauis periculum, neque currebat vsura centesima, nisi tempore nauigationis; quare vt primum nauis tenuerat portum, cessabat vsura centesima, & currebat vsura communis. *l.*1. *vbi glosa C. de nautico fœnore.* Ergo in censu reali, in quo tale periculum non subest, iniustum est prætium, dare centum pro annuis duodecim.

Quartò adeo in Regno Neapolitano etiam in
3 censu redimibili ex parte venditoris tantum, illicitum est excedere summam annuorum decem, vt Rouitus *in pragmatica prima de censibus num.*7. dicat esse vsurarium pactum, & illicitum, quod solutio annuorum decem sit anticipata, quia illa obligatio soluendi anticipatè est pretio æstimabilis, & sic excederetur summa annnorum decem taxata per illam pragmaticam, & per Bullam Nicolai V.

* * *

QVÆSTIO XV.

Quale sit prætium iustum census, cum pacto se redimendi intra certum tempus.

SVMMARIVM.

*Ob onus redmendi debet crescere prætium census. n.*1.
*Prima sententia quinque pro centum, cum ordinarij census sint sex, & tres reales. n.*2.
*Secunda sententia parùm à præcedenti differt. n.*3.
*Tertia Sententia nouem pro centum. n.*4.
*Quarta Sententia septem. n.*5.
*Quinta Sententia diminuit quartam partem census ordinarij. n.*6.
*Sexta sententia spectandus vsus. n.*7.
*Septima sententia sex. n.*8.
*Octaua Sententia septem cum dimidio. n.*9.
*Nona Sententia decem, vbi talis est consuetudo. n.*10.

1 NOtandum, quod ob onus impositum venditori se redimendi, debet crescere prætium census, vt docent omnes, Lessius *lib.....c.*22.*num.* 61. Layman *lib.*3.*tract.*4.*cap.*18.*num.*6. Couar. 3. *var.cap.*9.*num.*3. Sicuti pactum de retrouendendo facit domum, non tanti æstimari, quanti si fuisset fuisset liberè vendita, Abbas, Barbatius, & Anton. Burgos. *in c.ad nostram de empt.& vendit.*& infinitos cumulat Tiraq. *de retract.conuent.in præfat. num.*20. Couar.3. *var.cap.*10.*n.*1. Azor *part.*3.*lib.*8.*cap.*12. *quæst.* 3.

Difficultas est, quantum crescat prætium, census, cum pacto se redimendi intra certum tempus, aut ad libitum emptoris, supra prætium census ordinarij, idest redimibilis ex parte venditoris tantùm, & quot sunt capita tot sententiæ.

1 Primò docet Lessius *lib.*2.*cap.*22.*num.*61. quod cum in censu ordinario emantur annua sex, & tres reales pro centum, adiecto pacto vtrimque redimibilis, poterunt pro centum emi annua quinque.

Secundò Layman *lib.*3.*tractat.*4. *cap.*18.*num.*6.
2 parùm differt à Lessio inquiens, emi annua quinque pro centum cum pacto vtrimque redimibilis, & ita in Germaniæ prouincijs consuetudo inualuit, cum census ordinarius sit sex pro centum.

Tertiò Io: Medina *C.de vsur. quæst.vlt.* quem se-
3 quuntur Lessius *lib.*2 *cap.*21.*num.*120. & Lugo *de iustitia tomo* 2.*disputat.* 26.*num.* 202. hanc tradunt doctrinam, si res, quæ liberè venditur absque vllo pacto redimendi valeat centum, adiecto pacto in beneficium venditoris, valebit octoginta; quod si pactum redimendi sit in beneficium vtriusque valebit nonaginta; quare hæc doctrina posset trahi ad censum, nam si in censu ordinario redimibili, ex parte solius venditoris dantur centum pro annnis decem, adiecto pacto redimendi in beneficium vtriusque possunt dati centum pro annuis nouem.

Quartò Soccinus *cons.*15.*col.*6.*vol.*1. quem se-
4 quitur Tiraq. *de retract. conuent. in præfat. num.* 20. docet, quod si res, quæ liberè venditur valeat

centum, adiecto pacto redimendi in beneficium Venditoris valebit septuaginta.

5 Quintò, Nauarrus in Man. *cap.* 23. *num.* 86. ait pactum redimendi quartam partem, & ampliorem prætij diminuere.

6 Sextò, Molina *tract.* 2. *disp.* 375. *num.* 8. ait rem hanc prudentis viri arbitrio, esse in vnaquaque regione definiendam, spectata consuetudine eius regionis, communique hominum in illa existimatione, quæ multum facit, vt prætium iustum sit censendum, & idem docet Lugo *de iust. tom.* 2. *disp.* 26. *num.* 189.

7 Septima est opinio Reginaldi *l.* 25. *num.* 416. vbi ait quod si Census ordinarij prętium sit decem pro centum, vtrimque redimibilis prætium erit quinque, vel sex pro centum.

8 Octaua, eaque receptissima, ac communis sententia est, quam & ego sequor (quò ad ea loca, in quibus non est frequēs vsus contractus cēsus vtrimque redimibilis) ex adiecto pacto se redimendi in beneficium emptoris crescere prætium Census pro tertia, vel quarta parte, ita communé esse opinionem docent Azorius *part.* 3. *lib.* 8. *cap.* 12. *quæst.* 3. Scaccia *de Commercijs* §. 1. *quæst.* 7 *par.* 2. *ampliat.* 8. *num.* 38. qui refert decis. Rotæ *diuers.* 746. *num.* 5. Salas *de censibus dub.* 22. Madius *in tract. Censuali* §. 23. *fol.* 240. Bonac. *de contractibus disp.* 3. *quæst.* 4. *punct. vnico n.* 7. & 24.

Dicendum ergo quod cum per censum ordinarium iustè emantur annua decem pro centum, ideo adiecto pacto se redimendi ad certum tempus, vel ad libitum emptoris, possunt emi pro centum annua septem cum dimidio: sed hoc, vt supra dixi, intelligendum est, quò ad ea loca, in quibus non est frequens vsus census vtrimque redimibilis, at in ijs locis, vbi frequens est hic contractus valet consuetudo, vt sit æquale prætium census redimibilis, ac irredimibilis, vt mox dicam.

Nonò, dicendum cum Valentia *tomo* 3. *disp.* 5.
10 *quæst.* 25. *punct.* 2. *vers. in ijs*, quod in ijs prouincijs vbi plures multò, vel certè non pauciores sunt, qui vtrinque redimibilem emunt pro eodem pretio, ac censum redimibilē ex parte venditoris tantùm, valet consuetudo, vt sit æquale pretium vtriusque census. Ratio est quia propter multitudinem emptorum decrescit pretium census vtrinque redimibilis, ita vt sit æquale cum pretio census redimibilis ex parte venditoris tantùm. Tum quia hæc cōmunis æstimatio potest facere, vt sit iustum pretiū census vtrinque redimibilis, etiam si idem sit quoque pretium iustum census redimibilis ex parte venditoris tantùm; cum iusta precia rerum (vbi non viget lex determinatè pretium definiens) minimè consistat in indiuisibili. Ita Valentia. Tum quia vt docent Molina *tract.* 2. *disp.* 375. *num.* 8. & Lugo *de iust. tom.* 2. *disp.* 26. *num.* 189. iustum prætium census vtrimque redimibilis attendendum est spectata consuetudine regionis, communique hominum in illa existimatione, nam, vt ait Valentia *loco citato*, iusta est ea æstimatio census, eo quod communiter homines prudentes, & experti, qui in eiusmodi locis ita emunt hunc censum, & vendunt, iudicant eiusmodi emptionem, & venditionem per se, & à toto genere esse non incommodam vtrique parti. Hinc est, quod Constantinopoli, & in toto penè Oriente receptissima est consuetudo inter catholicos, vt census vtrimque redimibilis decem annua, emantur pro centum. Hinc etiam est, quod in Germania, & in Belgio, ex Lessio, & Layman sit ferè æquale prætium vtriusque census. Hinc denique cum hodie Neapoli, post Regni tumultus, ingens paupertas eos, qui erant ante ditissimi, opprimat, summaque sit pecuniarum raritas, frequentissimus est hic contractus census vtrimque redimibilis, & præstito pignore, emuntur annua decem pro centum: quare puto sustineri posse, atque in his circumstantijs iustum esse.

QVÆSTIO XVI.

An dato pignore, augeri debeat pretium census vtrimque redimibilis?

SVMMARIVM.

Augendum esse pretium census data fideiussione aliqui affirmant. num. 1. Probabiliùs alij negant, & ita vsus obtinuit. num. 5.

In censu licitum est dare fideiussores. num. 2. Fideiussor potest aliquid loco mercedis recipere. n. 4.

Sine fideiussione, aut pignore minùs valet census, quare cum eo reducitur ad æqualitatem. n. 6.

AFfirmant in simili casu Rebellius *parte* 2. *lib.*
1 9. *quæst.* 7. *num.* 2. & Faustus *in speculo confessariorum disp.* 18. *quæst.* 83. *in fine*, qui loquentes de censu redimibili ex parte venditoris tantū hoc pactum de præstanda fideiussione, aut pignore, inter ea pacta numerant, quæ non nisi aucto census prætio fieri possunt: ergo idem dicendum de pignore, in censu vtrimque redimibili, nempè minuendam esse pensionis quantitatem, & augendum pretium census. Porrò lici-
2 tum esse pactum de fideiussione in censu redimibili ex parte venditoris tantùm, docent communiter, nempè quod per fideiussionem tutum se reddat emptor, quod res, in qua census collocatur sit venditoris census, neque sit alteri oneri subiecta, ac quod pensio debito tempore soluatur; non autem vt detur fideiussio ad hoc vt si res censui subiecta perierit, adhuc soluatur census. Ratio est, quia consonum est naturæ contractus censualis, vt sicut venditor census iustum pretium fuit consequutus, ita quoque se tutum, & securum reddat emptor, de solutione pensionis, & obseruantia promissorum; ergo non repugnat naturæ contractus censualis dare fideiussiones, & pignora pro obseruantia promissorum, atque ita docent tum Iurisperiti, tum Theologi Antonius Gama *decis.* 380. *num.* 2. Ludouicus Auendanus *de censibus Hispan. cap.* 97. *num.* 15.

n. 15. vbi ait: ita obseruari de consuetudine Duardus *de censibus to.* 1. *§.* 3. *q.* 13. *&* 14. *& to.* 2. *§.* 5. *q.* 47. *n.* 3. *&* 5. Lopez *lib.* 1. *Instruct. c.* 57. Salon *de censibus art.* 3. *controu.* 14. *n.* 1. *&* 7. Molina *tr.* 2. *disp.* 391. *n.* 1. Salas *de censibus dub.* 11. *vers. nona est, & dubit.* 37. *n.* 4. Rebellius *p.* 2. *lib.* 9. *q.* 7. *n.* 2. Eman. sà *verbo census n.* 3. Toletus *lib.* 5. *c.* 46. *n.* 1. Reginaldus *li.* 25. *n.* 417. Felicianus *de censibus lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Bonacina *de contract disput.* 3. *quæst.* 4. *pun. vnico num.* 29. sed, quamuis licitum sit pactum de danda fideiussione, tamen, quia est onus, quod potest adesse, & abesse à contractu census, si adsit, debet compensari aucto pretio, vt scribunt Rebellius, & Faustus *vbi supra*.

Probatur primo ex tex. *in l. fundi partem ff. de contrahen. emptione*, vbi dicitur, computandum esse in pretij partem onus emptori adiectum.

Secundò, quia fideiussionem esse partem pretij census, docent expresè Duardus *de censibus*
3 *tomo* 2. *§.* 5. *quæst.* 47. *num.* 6. ex Alciato *consil.* 6. *lib.* 8.

Tertiò, quia Venditor census, vt præstet fideiussionem debet pro ea fideiubenti aliquid dare; nam licitè fideiussor pro ea obligatione potest aliquid
4 accipere loco mercedis; vnde mercatori pro fideiussione solui posse duo pro quolibet cẽtenario, decisum est à Rota Rom. *apud Chirog. decis.* 64. sed re vera merces hæc statuenda est prudentis viri arbitrio attenta, qualitate periculi, cui fideiussor se exponit Baldus *in l. antiqua n.* 2. *in fine C. ad Velleianum* Io. de Anania *in cap. fin. n.* 42. *vers. nam habetur respectus de Vsuris* Rota Romana *decis.* 141. *num.* 2. *apud Duardum in to.* 2. *de censibus* Bartol. Castrensis, & alij *in l. hoc iure §. labeo ff. de donation.* Decius *cons.* 7. *n.* 1. Auendanus *de exeq. mandatis par.* 2. *c.* 12. *vers. & videtur*, vbi dicit, esse communem Salas *de censibus dub.* 37. *num.* 2. *vers. sæpè autem*: Ergo, si censualista debet fideiussori aliquid soluere, meritò, augendum erit precium census: ergo idem quoque dicendum de pignore, nam est pretio æstimabilis ea carentia rei pignoratæ, eo tempore, quo illa se priuat censualista.

His tamen non obstantibus. Respondeo nega-
5 tiuè, nempè dato pignore nõ esse pretium augendum census vtrimq; redimibilis, seu idem esse pretium, eandem pensionem soluendam, dato, vel non dato pignore.

Probatur primo à pari, nam, vt tradunt Salas *de censibus dub.* 37. *n.* 3. *vers. & quamuis*, ac Bonacina *de contractibus disp.* 3. *q.* 4. *pun. vnico n.* 29. iam vsus, & consuetudo obtinuit in censu redimibili ex parte venditoris tantum, vt sine augmento pretij præstetur fideiusio; quia ex natura rei ius habet emptor ad suam indemnitatem per fideiusores, & alia cõuenientia media habendam: ergo etiam in censu vtrinque redimibili sine augmento prætij præstanda est fideiusio, vel dandum pignus; eadem autem est ratio fideiussionis, ac pignoris, iuxta ea, quæ tradunt glos. Bart. & communiter DD. *in l.* 1. *ff. qui satisdare cogantur* glosa, & Bart. *in l. prætoria ff. de prætor. stipulat.* Negusantius *de pignoribus mem.* 1. *quintæ partis, num.* 1.

Secundò, quia, si adsit periculum (non dato pignore, aut fideiusore) vt non soluatur pensio, aut aliàs venditor non stet promissis, vtique tunc minus valet ius annuæ pensionis, quod venditur, Abbas *in cap. cum Ioanne col.* 2. *de fide instrum.* Couar. *variarum resol. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. *vers. quinto infertur* Rota Romana *decis.* 148. *num.* 5. *parte* 2. ergo dando fideiusorem, vel pignus reducit contractum ad æqualitatem, quia remouet periculum, & sic non est augendum prætium rei venditæ.

Tertiò, quod venditor tutum reddat emporem, quod stabit promissis, est de intrinseca ratione contractus: ergo dando fideiussionem, vel pignus, pręstat id, ad quod ex natura ipsins contractus obligatur; quare ex hoc non debet prætium augere.

Quartò, quia, si dare fideiusorem, vel pignus esset onus, ad quod ex natura contractus non teneretur, & proinde deberet augeri pretium; sequeretur, quod in mutuo non poset dari pignus, quod est absurdum: ergo, quod velit emptor census, se tutum reddere per fideiussionem, aut per pignus, non debet ex hoc augere prætium census.

Confirmatur; nam contractus census vtrimque redimibilis habet quandam similitudinem cum mutuo: ergo, sicut in mutuo datur pignus, ita quoque in isto.

Ex his patet responsio ad contraria.

Ad primum Respondeo tex. *in l. fundi partem ff. de contrahenda emptione*, loqui de onere, quod est extra naturam contractus, quale erat, vt emptor, qui medietatem fundi emerat, alteram medietatem conduceret.

Ad secundum, & tertium concedo, fideiussionẽ, aut pignus ese partem pretij: ergo augendum est pretium census, nego consequentiam: Nam sine fideiussione, aut pignore, ob periculum, qualecumque sit, minus valet census, quare addita fideiussione, vel pignore reducitur ad æqualitatem. Præterea, in censu adest quædam latitudo pretij, addita autem fideiusio, vel pignus, non excedit latitudinem rigorosi pretij.

QVÆSTIO XVII.

An, & quando solutio cedat in causam sortis; vel interese liquidi, aut Illiquidi?

SVMMARIVM.

In dubio solutio cedit in computum tertiarum, quamuis non sint liquidæ. num. 1. *&* 2.

Quando interesse non est liquidum, tunc solutio cedit in causam sortis. n. 3.

PRinceps Castellanetæ moriens reliquit filium, quẽ hęredem instituit, eiq; in pupillari ętate decedẽti (prout decessit) substituit D. Ioannam filiam, ipsi autẽ D. Ioannæ, D. Annæ, & D. Camillæ filiabus

singulis pro dote reliquit viginti millia, cum reciproca substitutione; mortua autem est in pupillari ætate Anna. Huic autem patris testamento non acquieuit D. Camilla, vnde anno 1621. Nubens Duci Iizzani se dotauit de omni eo, quod ad ipsam ratione legitimæ, paragij, aut substitutionis prędictę spectare poterat, & eodē anno petijt per Sacrū Cōsilium sibi assignari paragium competens vsque ad virilē, ac etiam viginti millia legata ex substitutione D. Annæ præmortuæ, & interim aliquid pro alimentis, & expensis sibi liberari; Deinde constito, quod in hæreditate paterna deducto ære alieno, ex feudalibus, & Burgensaticis erant ferè trecēta millia, Regens Bouitus di 6. Iulij 1624. decreuit quid prædictis Ducibus Iizzani soluerentur decem millia in causam declarandam. Quæritur an prædicta decem millia cedant in causam viginti millium dotis, vel interesse decursi.

Quod cedat in causam interesse decursi, seu tertiarum.

Primò. Affertur nam in dubio solutio censetur,
1 facta in computum tertiarum, seu vsurarum, non sortis principalis *l. prima C. de solutionibus* vbi Bart. *I. in his §. imperator, & §. fin. ff. eodem* Bartol. *in l. fin. ff. de eo quod certo loco* Ruinus *cons. 49. in fine lib. 5.* Negusantius *de pignoribus p. 3. mem. 2. n. 13. vers. sed in prædictis* Surdus *cons. 290. vol. 2.* Molina *disp. 565. n. 3.* Scaccia *de commercijs, & cambijs §. 2. glosa 5. n. 99.* Theodorus *allegat. 5.*

Idque procedit etiam si interesse non sit liqui-
2 datum, nam apertissimè iura præcipiunt cedere nō in causam sortis, sed vsurarum, neq; distinguunt an sint liquidæ vel non, & ita pluries decisum testatur Regens Capyeius Latro *decis. 21.* & Thorus *tomo 2. Compendij decisionum verbo solutio*.

Secundò, quia si fuisset facta solutio in causam dotis, non fuisset decreta absque vllo vinculo, sed iuxta morē Sacri Consilij fuisset facta liberatio marito, cum obligatione conuertendi in annuos redditus, & cum fideiussione restituendi in casu soluti matrimonij.

Tertiò, quia paragium, habita ratione opulentissimæ hæreditatis paternæ, erat quinquaginta trium millium ducatorum, vnde mirum non erat, ea decē millia, data esse pro tertijs decursis trium annorū.

His tamen non obstantibus. Respondeo decem millia prędicta liberata esse in causam dotis, & sortis, non pro tertijs decursis.

Probo, quia adhuc non erat certum deberi paragium, neque ipsius interesse, sed tantum certum, & liquidum erat deberi ea viginti millia: Quādo autē
3 interesse non est liquidum, tūc solutio cedit in causam sortis, ita decisum in Sacro Cōsilio refert Anna *allegat. 112. & 54.* Anna Filius *cons. 30.* Corneus *cōs. 295. vol. 3.* Riminaldus *cons. 297. n. 13. vol. 2.* Faber *in suo Codice lib. 8. tit. 30. dec. 31.* Gratianus *disceptat. forens. c. 224. n. 44. vol. 2.* Riccius *collectanea 349.* Facit aurea doctrina Regentis Capycij Latro *dec. 21. n. 10.* qui ex Camillo de medicis *cons. 48.* ait: quod quando certum est deberi interesse, licèt non sit liquidatum ad quā summā ascēdat, tunc semper cedit solutio in causam ipsius interesse decursi; si verò dubitetur, an simpliciter debeatur interesse, tunc solutio cedit in causam certā sortis; id autem patet ex tex. expresso *in l. prima vbi* Glosa, *& in l. si is, cui §. Flauius vbi* Bart. *ff. de solut.* nam solutio pręsumitur facta pro causa certa, & liquida, non pro incerta, & illiquida, Menoch. *consil. 121. numer. 40. & libr. 3. præsumpt. 136. numer. 12.* Decianus *consil. 60. n. 25. vol. 2.* vbi rectè docet præsumi factam solutionem in causam magis certam: In casu autem nostro, cum dubitetur an debeatur paragium, & cuius quātitatis sit, meritò dubitatur quoq; de interesse, vnde hoc est simpliciter incertum, & illiquidum, & aliūde dos, saltem 20. millium ducatorum in testamento relicta, liquidissima erat.

Ex his patet responsio ad primum argumentum in contrarium.

Ad secundum respondetur liberata esse ea decē millia absque vinculo, quia fuit facta liberatio ad instantiam Ducissæ vxoris, non solius mariti.

Ad tertium respondetur, quod adhuc sub iudice lis est, an debeatur paragium, & quantum sit: Vnde est omnino illiquidum.

QVÆSTIO XVIII.

Catholici Regis Maiestas iussit Quæstori suo, vt tot lanæ pondera daret in eleemosinam fratribus minoribus; quæritur, an danda sit lana alba?

SVMMARIVM.

Si quis templo vas legauit, & in eo ærea, vel argentea sint vasa, argenteum debetur. n. 1.

Fauore piæ causæ in dubio præsumitur, quod maius est, fuisse legatum. n. 2.

Donationes Principum latissimè sunt interpretandæ. n. 3.

Liberalitas propria Regum est. n. 4.

Respondetur affirmatiuè.

Probatur primò ex celebri textu *in l. titia §. seia ff. de auro, & argento legato*, vbi habetur, quod si
1 quis, templo donum, seu imaginem legauit, si in eo templo non nisi ærea, aut argentea tantùm sint vasa, argenteum debet ab hærede præstari: Ergo cum fratres minores, indigeant lana alba, & nigra, videtur alba, quæ est prætiosior, à Regia Maiestate donata; nam deinde possunt vili prętio emere lanam nigram, & vestes conficere.

Secundò, quia fauore piæ causæ, in dubio intel-
2 ligitur legatum, vel donatum, quod est maius, ita Bartolus per illum textum *in d. §. seia*, quem sequitur Baldus, Ancaranus, Imola, Abbas, & Soccinus Senior, quos refert Tiraquellus *de priuil. piæ causæ, priuil. 25.* Barbatia *in c. indicante n. 12.* & ibi Couar. *n. 4. & 5.* vbi ait esse communem opinionem, *de testam.* Menochius *lib. 4. præs. 106. n. 33.* Roman. *singulari 515.* vbi ait, quod si legatus sit calix, intelligitur calix aureus; quod tamen non placet, cum rarissimè tales habeantur in Ecclesia.

Tertiò, quia vt consuluit Alex. *cons. 17. col. 2. lib.*
3 *6.* quem sequitur Tiraquellus *de nobilitate cap. 37. num. 50.* donationes Principum, latissimè sunt interpretan-

terpretandæ, sicut, & alia eorum beneficia, *l. fin. ff. de constitution. Principum, l. si quando C. de bonis vacantibus lib.* 10. *cap. cum dilecti*, & ibi Innocentius, & alij de donationibus, *cap. olim tibi, & ibi glosa*, & Doctores *de verborum significatione*.

Liberalitas enim propria Regum est, vt dixit
4 Cicero, *oratione pro Rege Deiotaro*, vbi inter Regias laudes, illas reponit, *largum esse, beneficum, liberalem*. Sic cum Perillus, vnus ex Amicorum Alexandri numero, filiabus suis doteni, ab Alexandro petijsset, iussit Rex, illum capere talenta quinquaginta, cumque respondisset, decem satis esse. *Tibi* (inquit) *satis tantum accipere, mihi verò non satis est tantum dare*.

Idem Anaxarcho Philosopho iusserat, quæstorem dare quantumcumque pecuniam ille postulasset; Cumque quæstor, audita postulatione, turbatus Alexandro indicasset, Philosophum petere centum talenta; *Rectè* (inquit) *facit, sciens se amicum habere, qui tantum dare possit, & velit*. Paulus Manutius *in apophtheg. lib. 4. in Alexandro n. 6. & 7*. Sic Suetonius *in Tito* refert quod super cœnam aliquando recordatus, quod eo die, nemini quicquam præstitisset, memorandam illam vocem ædidit, *Amici diem perdidi*.

His accedit, quod donatio, aut legatum factum à nobili, & diuite accipit interpretationem, vt quod maius est, donatum intelligatur, Baldus *in l. 1. num. 4. C. de verb. signif.* Castrens. *cons. 383. n. 2. lib. 1*. Menoch. *lib. 4. præs. 106. n. 22*.

Ex quibus patet, quod cum mendicantes indigeant lana alba, & nigra, facta à Rege eleemosina lanæ, danda est alba, quæ est melior est, quia postea faciliùs possunt habere nigram, & vestes conficere.

QVÆSTIO XIX.

Quibus coniecturis probetur factam esse nouationem contractus?

SVMMARIVM.

Non inducitur Nouatio, nisi expressis verbis fiat. num. 1.
At hodie etiam ex coniecturis inducitur nouatio. n. 2.
Euidens autem coniectura est, si fiat solemnis delegatio nominis debitoris. num. 3. Ad solemnem delegationem nominis debitoris tria requiruntur n. 4.
Quando Bancum, vel campsor scribit in suis libris, se debitorem eius, cuius mandatum est, vt soluat, dicitur inducta nouatio. num. 5 At contrarium veriùs docent alij. n. 9.
Per simplicem cessionem, factam gratia facilioris exactionis, non liberatur primus debitor, neque inducitur nouatio. n. 6.
Assignare est verbum indifferens ad simplicem cessionem, & ad dationem in solutum. n. 7.
Ad inducendam nouationem non sufficiunt quæcumque coniecturæ, sed requiruntur perspicua, vrgentes, & efficaces. n. 8.
Ad inducendam nouationem requiritur, quod expressè dicatur primum debitorem liberari. n. 10.
Ad nouationem tria requiruntur. n. 11. Primò, vt primus debitor iubeat debitori suo quod promittat; non enim sufficit, si iubeat, vt soluat. n. 12. Secundò, vt in Banco adsit præsens pecunia numerata. n. 13.
Tertiò, vt debitum sit purum, & præsens, non autem in diem, aut sub conditione. n. 14.
Quando cessionarius constituitur procurator, veluti in rem propriam ad exigendum, tunc non inducitur nouatio, sed est simplex cessio. n. 15 Quando apud cedentem remanent actiones efficaces, non inducitur nouatio, nec solemnis delegatio. num. 16. Quando secundus contractus nihil aliud continet, nisi executionem primeua obligationis, non inducitur nouatio. n. 17.

MArcellus, vti hæres Portiæ, debebat aureos centum viginti Antonio, eius vita durante; Vnde assignauit Antonio absenti, & notario præsenti, ac pro eodem stipulāti, ducatos annuos sexagintatres debitos per Regiā Curiam super Regijs Dohanellis Apuliæ, & constituit Antonium Procuratorē, veluti in rem propriam, durante eius vita, & pro alijs annuis ducatis quinquaginta septem alios redditus, & suos debitores assignauit; subdens prædictus Marcellus, quod sibi reseruabat potestatem liquidandi instrumenta contra dictos debitores dictorum introituū, secundum formam titus magnæ Curiæ Vicariæ, ad omnem requisitionem dicti Antonij. Hac assignatione facta, Antonius fecit scribi suum nomen in Regijs libris Dohanarum Apuliæ. Quæritur an Marcellus sit liberatus, itaut sit inducta nouatio, seu delegatio, adeò vt periculum nominis cessi, seu Dohanæ spectet ad Antonium.

Pro parte affirmatiua affertur; quia quamuis iu-
1 re nouissimo, non inducatur nouatio, nisi expressis verbis fiat *l. fin. C. de nouationibus*: tamen potest etiā hodie induci nouatio ex coniecturis, nam expressū dicitur quod euidentibus signis apparet, tacitum enim idem operatur, ac expressum *l. eum quid ff. si*
2 *certum petatur*, quare cōmuniter docent omnes ex coniecturis, etiam hodie, induci nouationem Francus *decis. 15*. Gayllus *lib. 2. obseruat. 30. n. 3*. Mantica *de tacitis conuentionibus lib. 17 tit. 7. & decis. 36 n. 2*. Facchineus *controuers. lib. 3. c. 9*. Trentacinquius *variarum resol. lib. 3 tit. de nouatione res. 1. n. 3*. Rota Genuę *decis. 197*. Felinus *cons. 21*. Osaschus *decis. 142. n. 11*. Borgninus *decis. 19. de indicijs* Vrsillus *ad Afflict. decis. 353*. Franciscus Marcus *decis. 155*. Decius *cons. 400. n. 2*. Parisiūs *cons. 107. n. 27. lib. 3*.

Euidens autem coniectura est, inductam esse
3 nouationem, atque adeo primum debitorem liberatum, quādo apparet factam esse solemnē delegationē nominis debitoris, ita docent Doctores locis citatis, præsertim Gayllus *lib. 2. obseruat. 30. n. 7*.

Ad delegationem verò tria Doctores omnes requirunt. Primum, quod primus debitor iubeat suo debitori vt soluat. Secundum, quod delegatus verè sit debitor. Tertium, quod delegatus per stipulationē promittat se soluturum, si hæc concurrant dicitur solemnis delegatio, per quam fit nouatio, & censetur liberatus primus debitor, qui reputatur soluisse, quamuis hoc non fuisset verbis expressum; nam qui delegat soluit, quia nomen debitoris censetur in solutum datum tex. *est in l. delegare la prima ff. de nouation. in l. quamuis §. Interdum ff. ad velleianum*.

Gayllus *vbi supra*, & tria ista sufficere ad delegationem solemnem passim docent omnes ex Castrensi *in d.l. delegare, & in d.l. si mulier §. interdum* Surdus *decis. 23. n. 5.*

At verò Dohanellæ Apuliæ fuerunt solemniter delegatæ, quia Marcellus primus debitor iussit soluere Antonio suo creditori, & verè erat Dohana debitrix, & promisit soluere, nam in publico libro
5 Banchi Dohanę fuit scriptum nomen Antonij tanquam noui creditoris, & quando Bancbum scribit nomen eius, cui est soluendum, dicitur promittere solemniter, & per publicam scripturam, & hoc æquiualet stipulationi, vnde inducit nouationem, & liberationem primi debitoris, ita Bartolus *in l. singularia num. 19. ff. si certum petatur* Angelus *in l. qui vsumfructum ff. de verborum obligat.* Imola *in l. penult. ff. de verborum obligat.* Castrensis *cons. 181. num. 4. vol. 1.* Alex. *cons. 60. in fine vol. 6. & cons. 173. num. 3. vol. 7.* Soccinus *in l. singularia num. 15. ff. si certum petatur* Menochius *de præsumpt. lib. 3. præs. 134. n. 50. & 68.* Rota Genuæ *decis. 2. num. 25.* vbi ait campsorem dici animo nouandi promisisse, quando in suis libris scripsit se debitorem illius, cui mandatum est, vt soluat Rebuffus *in constit. Reg. tract. de litteris obligator. art. 1. glosa 9. n. 20.* Surdus *decis. 23. n. 5.* Afflictus *decis. 353. num. 5. & 6.* vbi ait: quod si Banchum se obligauit, & scripsit debitorem, habetur, ac si soluisset, & liberatur primus debitor, & ait obseruari de consuetudine in Regno Neapolitano. Puteus *decis. 124. num. 1. lib. 3.* vbi ait: quod stante littera Cambij, ac commissione, & partita mercatoris, cui directa est littera, censetur primus debitor liberatus. Purpuratus *in l. singularia num. 24. ff. si certum petatur*, vbi ait: Communem esse opinionem: quod inducitur nouatio ex iussu facto mercatori, quando mercator describit iussum creditoris in libro suo, & ille acceptat Tuschus *v. delegatio concl. 144. num. 20.*

His tamen non obstantibus. Dico in casu posito non esse factam nouationem, neque solemnem delegationem, neque primum debitorem liberatum, neque periculum spectare ad Antonium, cui facta est cessio: Nam per eam assignationem facta est simplex cessio, nam nouatio, neque solemnis delegatio: per simplicem autem cessionem factam gratia facilioris exactionis, & solutionis, primus debitor non liberatur, nisi sequuta vera, & reali solutione, vt docent omnes ex glosa *in l. legaui ff. de liberatione legata*, quæ ait: quod cedere non est soluere.

Sed hoc iam ostendam, non esse per eam assignationem factam delegationem; sed simplicem cessionem.

Probatur primò, quia assignare est indifferens
7 ad simplicem cessionem, aut ad dationem in solutum, vt ait Alciatus *in l. assignare 107. ff. de verborum significat.* immò Rebuffus ibidem *vers. 8.* ait: quod significat cedere, & Regens Capycius Latro *decis. 142. num. 23. tom. 2.* ait: quod verbum assignare licet possit dominium transferre, tamen non importat de necessitate dominij translationem, citat textum *in l. cum pater 79. §. pater pluribus ff. delegatis secundo.* Parisius *cons. 33. num. 6. vol. 3.* Sed datio in solutum nunquam dicitur facta, nisi expressis verbis de illa appareat. Alexander *in l. si cum pro emptore num. 4. vers. vnde teneas, ff. de pactis*. Præterea
8 ad inducendam nouationem, vel delegationem requiruntur, non qualescumque, sed perspicuæ, clarissimæ, vrgentes, & efficaces, atque apparentes coniecturæ. Soccinus *cons. 21. num. 3. lib. 1.* Decius *cons. 400. in fine.* Riminaldus Iunior *cons. 201. num. 15. & 16.* Vrsillus *ad Afflictum decis. 353. n. 4. & seq.* Alex. *cons. 173. num. 6. lib. 7.* Mantica *decis. 36. n. 2.* Riccius *Collectanea 309. & 2481.* At verò in casu nostro
9 nulla adest coniectura nouationis, aut delegationis, nam acceptatio nominis cessi, & inscriptio facta à Banco nominis Antonij, non est sufficiens coniectura, ad inducendam nouationem, nisi alia concurrant, de quibus infra, sed tantum dicitur simplex cessio, ita præclarè Baldus *cons. 249. incip. super libris thesaurariæ n. 3. vol. 1.* vbi sic scribit: *Nouissima iure non fit nouatio, licèt, quod debetur uni transcribatur alteri ad abundantiorem cautelam, vt per Bartolum in l. delegare ff. de nouation. & hodie præsumitur tacitè agi, quod non fiat nouatio, sed noua cautela adhibita l. fin. C. de nouationibus*: ita Baldus, qui etiam *cons. 348. num. 1. vol. 1.* sic scribit: *Campsor aliquando datur pro soluto, aliquando pro soluendo: nam si actum est, vt facta promissione per campsorem, intelligatur vetus obligatio sublata, & noua subrogata, standum est pacto: Si autem nihil agitur deliberatione, sed solum de obligatione nouæ personæ: tunc durat actio prima*. Hæc Baldus. Præterea tunc dicitur facta nouatio, seù
10 delegatio, quando expresè actum est, vt primus debitor liberetur, ita Afflictus *decis. 353. num. 5. & 6.* Faber *tit. de nouation. decis. 11.* Riccius *Collectan. 309.* Molina *de iustitia disp. 559. vers. his ita constitutis*, vbi probat: non censeri factam nouationem per acceptationem debitoris, etiam si iste promittat soluere, nisi contrahentes exprimant id facere animo abolendi priorem obligationem, & idem docet Castillo Sotomayor *lib. 5. controuersiarum cap. 77. in principio* Gabriel *cons. 155. num. 20. lib. 1.* vbi ait: quod si mercator promittat pro alio soluere, non fit nouatio, nisi dicat, quod suscipit onus soluendi pro debitore, animo eum liberandi, & hanc esse communem opinionem testatur Marescottus *variarum resolutionum lib. 1. cap. 11. per totum*, & Antonius Gabriel *comm. opinionum tit. de nouationibus concl. 1. n. 19. vers. contrariam*, ait hanc esse magis communem, Rota Genuæ *decis. 2. num. 12.* & ita decisum à Sacra Romana testatur Farinacius *decis. 445. in nouissimis*; Ergo, cum non sit dictum de liberatione primi debitoris, per acceptationem Dohanæ factæ per Antonium, non remanet primus debitor liberatus.

Probatur secundò, quia ad delegationem, seù
11 nouationem, per quam primus debitor liberatur, tria alia requirunt Doctores, quæ in casu nostro non adsunt.

Primum requisitum est, vt primus debitor iu-
12 beat debitori suo vt promittat, nam si tantum iubeat vt soluat, tunc non liberatur, nisi sequuta reali solutione; ratio est, quia quousque soluat, non impleuit mandatum, ita Bartolus *in l. singularia n. 19.* & ibi Soccinus *num. 20. vers. 3. limita ff. si certum petatur*.

tatur, quare quando debitor mandat debitori vt soluat suo creditori, & creditor acceptat, tunc iste non est casus delegationis, sed simplicis cessionis factæ gratia facilioris exactionis, & importat tantum simplex mandatum, neque habetur loco solutionis, aut satisfactionis, nisi facta solutione; quare periculum nominis cessi est cedentis, & cessionarius habet regressum contra debitorem cedentem, si à debitore cedente non potuerit consequi, ita docent communiter Doctores Decius *cons. 99. n. 4.* Franciscus Becius *cons. 105. n. 1. 3. 4. & 35.* Surdus *cons. 27. n. 10. & cons. 145. n. 5. & 6. & cons. 269. num. 24.* Monticellus *tract. de Inuentario c. 9. n. 8. habetur tom. 8. p. 2. fol. 220. tractatuum diuersorum* Soccinus *cons. 37. n. 23. vol. 1.* Osaschus *dec. 61. n. 7.* Addentes ad Baldum *in cap. 1. de beneficio fratris*, Marilianus *dec. 2. n. 8.* Iacobus Cancerius *variarum resolutionum to. 2. c. 6. n. 183. & 184.* Scaccia *de commerciis, & cambiis §. 2. glosa 5. q. 8. n. 249. 252. & 253.* Gaytus *tr. de credito cap. 2. tit. 3. n. 350.* Mastrillus *dec. 179. n. 10.* Gaspar Rodericus *de annuis redditibus lib. 2. quæst. 21.* Stephanus Grat. *dec. 13. num. 39. & dec. 117. num. 1.*

Secundum requisitum est, vt in Banco adsit præ-
13 sens pecunia numerata, & prompta ad solutionē, nam si Bancum se scribat debitorem eius, cui facta est cessio, & non habeat promptam pecuniam numeratam, non dicitur facta delegatio, neque nouatio, Baldus *cons. 348. n. 1. vol. 1.* vbi ait: quod ad hoc vt intelligatur facta nouatio debet pecunia esse parata solutioni, & afflictus *decis. 353. num. 6.* ait: quod tunc dicitur facta nouatio, seu delegatio, & solutio, quando Banchum se scribit debitorem, & banchū est soluendo, & habet pecuniam paratam: At Banchum Dohanæ pro sequentibus annis nunquam habuit pecuniam paratam solutioni.

Tertium requisitum est, vt debitum sit purum, &
14 præsens, non autem in diem, aut sub conditione, sicut erat Antonij: *si viueret*, & *pro singulis annis eius vita*, nam si debitum est in diem, ex hoc, quod ego mando debitori meo, vt soluat, & iste acceptat, ac promittit, non inducitur nouatio, quia ad delegationem, seu nouationem requiritur mandatum, vt soluat incontinenti, ita præclarè Soccinus *in l. singularia n. 20. vers. 2. ff. si certum petatur* Surdus *dec. 23. n. 10.* qui ait: non esse factam nouationem, quando debitor promisit soluere in diem certam Salicetus *in l. si pro debito C. de bonis authoritate Iudicis possidendis* Puteus *dec. 126. n. 4. lib. 3.* Menochius *de præsumpt. lib. 3. præs. 134. n. 72.*

Probatur tertiò, quia ad inducendam nouationem, & delegationem requiruntur euidentissimæ coniecturæ; at in casu nostro nedum non sunt euidentes coniecturæ delegationis, immò adsunt oppositæ coniecturæ, quibus probatur, esse factam simplicem cessionem, non autem delegationem.

Prima coniectura est, quia quando Cessionarius constituitur procurator, veluti in rem propriam ad
15 exigendum, tunc non inducitur nouatio, vnde simplex acceptatio mandati, nisi sequatur solutio non liberat mandantem, Salicetus *in l. si filius la 2. n. 2. vers. sed dubitari potest ff. ad macedoniam*, Castrensis *in l. delegare n. 4. vers. vnum scias, & in l. si debitorem n. 3. ff. de nouat.* Cagnolus *in l. singularia in prima lectura n. 165. vers. non obstat modo, & num. 89. ff. si certum petatur*, & ita refert decisum Tuschus *in verbo Delegatio concl. 143. n. 7. in vna Bononiensi pecuniaria 13. Ianuarij 1581. corā Illustrissimo Lancellotto.* At in casu nostro Marcellus constituit Antonium Procuratorem, veluti in rem propriam, ad exigendum annuos ducatos 67. Dohanæ Apuliæ: ergo non delegauit, sed simpliciter cessit gratia facilioris exactionis.

Secunda coniectura est, quia non censetur facta
16 nouatio, neque delegatio, aut datio in solutum, si apud cedentem remanent actiones efficaces contra debitorem cessum, ratione quarum agere possit, ita Baldus, Immola, Alexander, & Iason, quos citat, & sequitur Osaschus *decis. 61. n. 9. in fine*, Soccinus *cons. 37. n. 21. vol. 4.* Hoc enim est contrarium delegationi, quando autem adest in instrumento pactū contrarium delegationi, non inducitur delegatio, quamuis cætera requisita ad delegationem concurrerent, vt ait Surdus *decis. 23. n. 6. & 7.* Nam post factam delegationem, delegans non potest neque agere, neque debitorem delegatum liberare. Hyeronymus de Laurentijs *dec. Auenon. 99.* Ergo in casu nostro non est facta nouatio, neque delegatio, neque datio in solutum; sed est simplex cessio, quia Marcellus primus debitor reseruauit sibi actiones contra debitores cessos, & promisit liquidare contra eos instrumenta ad instantiam Antonij.

Tertia coniectura simplicis cessionis est, quia
17 quando secundus contractus non continet aliud, nisi executionem primeuæ obligationis, non reputatur inducta nouatio, quia primus, & secundus reputantur vnicus contractus, & ideo secundus est pars primi, ita Baldus *cons. 433. n. 6. vers. item quando vol. 5.* Petrus Ancaranus *cons. 54. n. 3.* At ista assignatio creditorum, nihil omnino in se continet, nisi exequutionem primeuæ obligationis: ergo non inducitur per eam nouatio, neque primus debitor est liberatus.

Probatur quartò ex glosa & Baldo *in l. ea lege 17. C. de vsuris*, vbi ait: quod si certa quantitas annua fructuum, percipienda ex aliquo fundo, assignata sit: si fundus non reddat eam quantitatem, rescinditur pactum, & peti potest quod acceptum nō est.

Ex dictis (præsertim in secundò argumento) patet responsio ad contraria; Nam Marcellus mandauit Bancho, non vt promitteret, sed vt solueret, mandans autem vt soluat, non liberatur, nisi sequuta solutione. Præterea Bancum non habuit aliquando pecuniam paratam, pro ijs annis, quibus non soluit. Vnde non fit delegatio, quando Bancum non habet pecuniam paratam. Præterea Marcellus non mandauit vt soluat incontinenti, sed adueniente die, & si viueret Antonius: quando autem mandatum est, vt soluat adueniente die, non inducitur delegatio, vt supra ostendi.

(∴)

QVÆ-

QVÆSTIO XX.

Qoando in ſoro interno, aut externo liceat ſolucre, aut ſolutionem recipere cum præiudicio anteriorum creditorum?

SVMMARIVM.

Quando anterior creditor eſt hyppothecarius, & pecunia extat, ea auocatur. num.1. ſecus ſi bona fide ſit conſumpta. num.2. ſed ſi mala fide eſſet conſumpta, adbuc auocaretur. num.3. Quid ſi anterior ſit perſonalis, ſed priuilegiatus? num.4. Quid ſi ad publicam authoritatem auocata eſt ſolutio? num.5. quando omnes inſtant, non poteſt debitor vni ſoluere integrè. n.6. Quid ſi vnus ſententiam obtinuit executioni mandatam? num. 7. An poſſit creditor ſponte oblatam pecuniam accipere. num.8.

Reſpondeo plures eſſe caſus diſtinguendos. Pri-
1 mus caſus eſt, quando creditor anterior eſt hyppothecarius, & pecunia ſoluta extat, tunc etiã ſi ſolutio, aut acceptio facta ſit bona fide, tamen in conſcientia tenetur reſtituere anteriori creditori hyppothecario, & de hoc nullũ eſſe dubium ait Gaſpar Theſaurus *qq. forenſium lib. 2. q. 16. n. 1. & 2. & patet ex l. ſcimus 22. §. & ſi præfatam C. de iure deliberandi gloſ. in l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.*

Secundus eſt caſus, quando bona fide accepit
2 ſolutionem, & bona fide conſumpſit pecuniam, tunc variæ ſunt Doctorum opiniones, ſed magis communis opinio, iuxta quam ſepè fuit deciſum in Sacro Concilio Neapolitano & alibi, anteriorem hyppothecarium non poſſe auocare pecuniam bona fide ſolutam, & conſumptam à poſteriori creditore, ita Afflictus *deciſ. 190.* Capycius *deciſ. 78.* Cancerius *variarum reſolutionum lib. 2. c. 6. n. 178.* Gaſp. *Theſaurus d. q. 16. à n. 7. vſque ad 13.* vbi ait ita deciſum in Senatu Taurinenſi Couar. *pract. qq. cap. 29.* Grammar. *q. 1. poſt* eius deciſiones. Rota *diuerſ. to. 3. deciſ. 548.* Aponte *deciſ. 34. n. 20.* Cardinalis Lugo *de Iuſtitia diſp. 20. n. 179.* Ratio eſt, quia poſterior non tenetur ad reſtitutionem ratione iniuſtæ acceptionis, nam bona fide accepit, & conſumpſit; neque tenetur ratione rei acceptæ, quippe qui non eſt factus ditior, neque retinet aliquid alteri obligatum. Quare hanc opinionem in vtroque foro procedere docent Rebellius *de obligat. Iuſt. p. 1. lib. 2. q. 19. n. 16.* Molfeſius *ad Conſuetud. p. 4. de ſucceſſ. ab inteſtato q. 27. n. 16. & 17.* excipitur tamen fiſcus qui habet peculiare priuilegium, vt conſumptam pecuniam auocet *l. differre §. fin. & l. ſeq. ff. de iure fiſci* Cancerius *variar. reſol. to. 2. c. 6. n. 178.* qui eiuſdem fiſci priuilegium extendit ad dotem, & alias cauſas priuilegiatas Cephalus *conſ. 448. num. 33.* Couarr. pract. c. 29. vbi ait, ita deciſum in Granatenſi prætorio.

Tertius eſt caſus, quando mala fide conſumpſit,
3 id eſt ſciens communem debitorem eſſe impotentem, tunc tenetur ad reſtitutionem in vtroque foro, Gaſpar Theſaurus *lib. 2. q. 16. n. 13.*

Quartus eſt caſus, quando anterior creditor non
4 eſt hyppothecarius, ſed habet priuilegium, ſed actionem perſonalem priuilegiatam, tunc aliqui Doctores ita diſtinguunt: aut poſterior, cui eſt facta ſolutio, eſt pariter priuilegiatus, & præfertur poſterior ob maiorem diligentiam in petendo, aut poſterior non eſt priuilegiatus, & tenetur in conſcientia ad reſtituendum anteriori priuilegiato, & etiam tenetur in foro externo, ita Barboſa *in l. 1. p. 6. n. 21. ff. ſoluto matr.* Guttierez *qq. Ciuilium lib. 5. q. 100. n. 2.* vbi ait ita deciſum Gaſpar *Theſaurus qq. forenſium lib. 2. q. 16. n. 6.*

Sed indiſtinctè probabilius cenſeo, præferri creditorem priùs petentem, quamuis nullatenus priuilegiatum, anteriori priuilegiato nõ habenti hyppothecam, ſed tantum perſonalem actionem priuilegiatam, ita Leſſius *lib. 2. c. 15. dub. 5. n. 41.* Molina *tr. 2. diſp. 536. §. hoc loco & §. ex hactenus dictis.*

Ratio eſt, quia dominium ſolutæ pecuniæ transfertur in poſteriorem creditorem, hæc autem pecunia, cum nulli ſubiaceat vinculo obligationis, licitè accipitur; nam non ſpectat ad creditorem poſteriorem, petentem ſuum creditum indagare; an debitor poſſit in uerſo ordine ſibi ſoluere? tum quia *lex quod autem 6. §. 2. & 3.* ſimpliciter, & abſolutè præfert priùs petentem, propter ſuã diligẽtiã.

Itaq; dicendum eſt, quod quando anterior creditor habet perſonalem actionem tantùm præfertur in vtroque foro poſterior creditor diligẽtior in petendo, vt probat *tex. in l. pupillus 24. ff. quæ in fraudem creditorum* Gaſpar Theſaurus *qq. for. lib. 2. q. 16. n. 6.* Nauarrus *c. 17. n. 52. & 53.* Sylueſter *V. reſtitutio 6. q. 18.* Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 5.* Molyna *diſp. 536. § hoc loco*, probabilem eſſe ſcribit Card. Lugo *de Iuſtitia diſp. 20. n. 166.* Contra Vaſquez in *opuſc. de reſtit. c. 11. dub. 5.* & Turrianum *diſput. 19. dub. 3. à n. 6.* qui in conſcientia docent non poſſe accipere, quamuis in foro externo non poſſit anterior creditor perſonalis auocare pecuniam ſolutam, quia lex, ne lites in infinitum creſcãt, denegat actionẽ.

Quintus eſt caſus, quando ad publicam autho-
5 ritatem auocata eſt ſolutio debitoris, tunc non poteſt poſterior creditor exigere à debitore, neque accipere ſolutionem præter ordinem à Iudice ſeruandum, Vaſquez *de reſtitut. cap. 11. dub. 5.* Turrian. *diſp. 19. dub. 3. à n. 6.* Gaſpar Theſaurus *qq. forenſ. lib. 2. q. 16. n. 14.*

Quare ſi vnus creditor interim per violentiam extorquet debitum, tenetur ad reſtitutionem, nam facit iniuriam anterioribus creditoribus *d. l. pupill. 24. ff. quæ in fraud. credit.* ibi: *ſi extorſerit inuito reuocetur.*

Sextus eſt caſus, quando omnes creditores in-
6 ſtant pro ſolutione, tunc non poteſt debitor gratificari vni, alioquin datur contributio cum alijs, ſi alia bona non ſufficiant. Ratio eſt, quia debitor gratificando videtur committere dolum, & participare cum illo, cui ſoluit, ita Carotius *deciſ. 109. n. 26. & 27.* Rota Auenionenſis *deciſ. 146. n. 7.* Cephalus *conſ. 555. n. 15. tom. 4.* Guttierez *lib. 5. qq. Ciuilium to. 2. q. 100. n. 7. verſ. nec huic*, Antoninus de Amato *to. 2. reſol. 51. n. 26.* Afflictus *dec. 190.* in fine vbi Vrſillus Theſaurus *qq. forenſium lib. 2. q. 16. n. 14.*

Probatur *ex l. pupillus 24. ff. quæ in fraudem creditorum*

torum

torum *l. si non expedierit 6. §. si pupillus ff. de bonis authór. iudicis possidendis.*

7 Septimus est casus, quando quamuis omnes creditores instant pro solutione extra iudicium, vnus tamen in iudicio petit, & sententiam obtinet, ac executioni mandari procurat, atque ita pecuniam accipit, tunc iste etiam in conscientia præfertur anterioribus creditoribus non hypothecarijs, Molina *disp. 536.* Vasquez *de restitut. c. 1 t. dub. 5.* Cardin. Lugo *de Iust. disp. 20. n. 170.* Ratio est, quia lex iusta validè potuit hoc priuilegium ei dare propter diligentiam, atque etiam propter reuerentiam Iudicij publici, sed requiritur sententiā esse exequutioni mandatam, vt probant iura à Molina allata.

Hoc tamen intelligendum est, dummodo alij non petijssent etiam in iudicio, nam si deinde alij declararentur anteriores in hyppotheca, datur actio reuocatoria, ita decisum in Senatu Taurinēsi testatur Thesaurus *qq. forensium lib. 2. q. 16. num. 14.* Quinimmo censeo, semper dari actionem reuocatoriam, si omnes in iudicio instarunt, non enim est ratio cur tunc vnus alteri præferatur & parum iuuat esse sententiam quò ad vnum exequutioni mandatam.

8 Octauus est casus, quando Creditor non petit, sed debitor spontè offert pecuniam debitam, cum præiudicio aliorum, tunc duplex est difficultas. Prima est an debitor peccet? secunda est an licitè in conscientia creditor accipiat?

Quò ad priorem difficultatem, clarum est peccare debitorem, inuerso ordine, soluentem; non enim debet cum damno aliorum integrè huic soluere Molina *disp. 536. §. hoc loco,* Lessius *lib. 2. c. 15. dub. 5. n. 40.* Vasquez *opusc. de restit. c. 1 1. n. 106.* Quò ad secundam difficultatem respondeo non peccare creditorem accipientem solutum spontè oblatā cum præiudicio anteriorum, non habentium hypothecam, ita Medina *C. de vsuris q. 4. §. si verò* Molina *n. 34. &* Lessius loco citato. Contra Rebellium Syluestrum, & Azorium, quos citat, & sequitur Bonacina *de restit. disp. 1. q. 8. pun. 2. n. 23.* Ratio est, quia creditor non accipit nec alienum, neque rem alteri obligatam; & quamuis debitor peccet soluendo, tamen non debet esse curæ creditoris, eius peccatum prohibere, neque cum proprio dāno renetur cuitare damnum aliorum creditorum. Præterea vt ait Card. Lugo *disp. 20. n. 177.* facilitet posset debitor monere creditorem, vt petat, ad hoc vt petendo præferatur cæteris non petentibus.

QVÆSTIO XXI.

An Procurator, vel œconomus, qui à Domino accepit monetas grandiores, aureas, vel argenteas, possit eas in minutas commutare, & lucrari?

SVMMARIVM.

Regula est affirmatiua. n. 1.

Fur qui aliena pecunia negociatur, non tenetur ad restitutionem lucri. n. 2.

Præcedens regula limitatur, quando Dominus vult ipse pecuniam commutare, ac lucrari, n. 3. vel si dominus obligatus sit in certa specie pecuniæ soluere. n. 4. vel si dominus probibuisset. n. 5. vel si domino damnum prouenit. n. 6. vel si data est procuratori pecunia à creditoribus domini. n. 7.

Respondetur affirmatiuè ita Azorius *p. 3. lib. 10. c. 4. q. 1 1.* Lessius *lib. 2. c. 23. dub. 2. n. 18.* Diana *p. 1. tract. 8. resol. 32.* Molina *de Iust. tom. 2. tr. 2. disp. 402.* Reginaldus *to. 2. lib. 25. c. 33. n. 450.* Rebellius *par. 2. lib. 1 1. q. 1 0. n. 2.* Salas *tract. de Cambijs dub. 7.* Bonacina *de contract. disp. 3. q. 5. pun. vnico n. 5.* Filliucc. *tract. 35. p. 2. c. 5. q. 7. n. 369.* Layman *lib. 3. tract. 4. c. 19. n. 5.* Vnde inquit Lessius *loco cit.* si tradam famulo, vel negotiorum gestori mille aureos in auro, vt soluat meo creditori, non curans qua specie solutio fiat, & ille eas commutet cum moneta argentea, cum lucro, & illam soluat creditori, retento lucro, non tenetur ad restitutionem talis lucri.

Probatur primò, quia illud lucrum est fructus industriæ, non pecuniæ, quæ non est fructifera, sed sterilis, & infæcunda: ergo non debetur domino pecuniæ, quæ ex natura sua non est fructifera; neque tale lucrum debetur creditori, cui fit solutio, quia hæc species illi non erat debita, & integrè est illi satisfactum alia specie pecuniæ; ergo cum sit fructus industriæ peccat ad eum, cuius est industria.

Secundò quia pecunia nō est causa lucri, sed est veluti instrumentum, quo meo labore, & industria partum est illud lucrum; ergo sicuti si quis alterius scalpello efformat imaginem, spectat ad artificem imago, non ad dominum Instrumenti, ita etiam illud lucrum, quod ea pecunia, veluti instrumento lucratus est.

2 Tertiò, quia si commodatarius, depositarius, Thesaurarius Principis, vel etiam fur, vsuratius, vel alius iniquus possessor, negotietur aliena pecunia, non tenetur Domino pecuniæ ad lucri restitutionem, quia tale lucrum est fructus suæ industriæ non pecuniæ, ita S. Thom. & Caiet. 2. 2. *q. 78. ar. 4.* Sotus & alij *in 4. dist. 15. q. 2.* & habetur *in cap. plerique & cap. fin. 14. q. 3.* Sylueft. *V. vsura 6. q. 2.* Couarruuias *3. Variar. resol. 3. n. 6.* Beia *par. 1. casu 42.* Diana *par. 1. tract. 8. resol. 32.* Bonacina *de contractibus disp. 3. q. 5. punct. Vnico n. 5.*

Quartò, si Procurator frumentum, quod dominus non fuisset venditurus, sed conseruaturus ad certum tempus, vendidit interim eo tempore, quò carius valet, & lucratur, nec peccat, neque tenetur ad restitutionem talis lucri, sed tantum tenetur restituere frumentum æqualis bonitatis, ita Bonacina, Diana, & alij *vbi supra.* Ratio est, quia tale lucrum est fructus industriæ suæ: sed etiam lucrum ex commutatione monetæ est fructus industriæ commutantis: ergo ad ipsum spectat.

Quintò, quia iste procurator non tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ, neq; ratione iniustæ damnificationis: ergo ad nihil tenetur.

Sextò, quia si Procurator ea commutatione passus esset aliquod damnum, vt quia falsas monetas accepit, damnum hoc non est subeundum à Domi-

Domino, vt patet: ergo nec lucrum, quia, qui sentit commodum debet sentire incommodum.

Limita primò, nisi Dominus expressè, vel tacitè
3 mandet procuratori, vt eam pecuniam commutet, quia vult ipse Dominus, ea commutatione lucrari, tunc enim, cum procurator habeat salarium, ex quo tenetur exequi honesta Domini mandata, & in ijs exequendis suum laborem, & industriam impendere; ideo enim accipit salarium; &, cum pecùnia sit Domini, manifestum est; procuratorem non posse eo casu facere illud cambium suo nomine, sibique lucrum illud appropriare, sed tenetur, sui Domini nomine cambium instituere, illique lucrum tribuere, ita optimè aduertit Layman *lib. 3. tract. 4. c. 19. n. 4. in fine*.

Limita secundò, quando Dominus obligatus es-
4 set soluere creditoribus in ea pecuniæ specie, aurea v.g. vel argentea, vel, esto non sit obligatus, vult tamen Dominus in ea specie fieri solutionem, tūc enim tenetur procurator restituere creditoribus lucrum ex prædicto Cambio, ita Azorius, Lessius, Rebellius, Reginaldus, Molina, Salas, Bonacina, & Filliuccius *num.* 371. & Layman *n. 5. vers. Dico secundo*.

Verùm, si Creditores eam pecuniæ speciem non fuissent commutaturi, sed eandem expendissent, atque adeo nihil lucri amiserunt, tunc Procurator non tenetur ad restitutionem, cum nullum inferat damnum, ita Lessius, & Layman vbi supra. Et in hoc casu non peccaret procurator mortaliter, sed venialiter tantum, quia, cum non inferat graue damnum, non videtur hæc grauis iniuria, ita Molina *tr. 2. disp. 402. concl. 3.* Layman *lib. 3. tract. 4. c. 19. n. 5. vers. dico 2.*

Limita tertiò, quando Dominus huiusmodi
5 Cambium prohiberet suo Procuratori, tunc peccaret Procurator commutando pecuniam: Verùm non tenetur ad restitutionem lucri; sicuti, si fur idem lucrum fecisset, non teneretur ad restitutionem, cum sit fructus industriæ: eo tamen casu obligaretur ad restitutionem, si ea pecuniæ commutatione damnum aliquod ipsi Domino, vel alteri proueniret. Quo ad peccatum verò puto, cum Layman, & Lessio *locis citatis*, regulariter non esse peccatum mortale, sed veniale, si absit damnum. Verum cum eodem Layman censeo, peccare mortaliter, quando grauiter offenderetur, & indignaretur Dominus, vt, quia omnes de ipso obmurmurarent, quod semper solueret in minuta pecunia; vel quia non libenter mercatores ex hoc illi merces suas venderent; vel quia propterea merces cariùs emendæ essent; his casibus peccat mortaliter procurator; si autem hæc incommoda cessent, quamuis inuitus esset dominus, non peccat mortaliter.

Limita quartò, quando ratione commutatæ pecuniæ in minutiorem, ideo cariùs merces emuntur, vel quia procurator emendo res aliquas modicas, potuisset tallerum expendere pro nouem Iulijs, sed eo commutato, notaret in rationibus sui Domini, se expendisse pro octo Iulijs. Vnde in aliquibus regionibus raro puto, nullum inferri damnum domino, quando emendæ sunt merces, vel alia necessaria pro victu. Verùm, si nullum inferatur damnum domino, tunc tuta conscientia poterit procurator commutare pecuniam, sibique retinere lucrum, ita Azorius, Lessius, Molina, Reginaldus, Rebellius, Salas Filliuccius, Layman, et alij communiter.

Limita quintò, quando Dominus non tradit
7 pecunias expendendas famulo, sed è contra mittit famulum ad accipiendas pecunias à debitore, qui, si soluit grandiores, non possunt in minutas commutari a famulo. Ratio est, quia dominium illarum pecuniarum domino est acquisitum, et ille est virtualiter inuitus; non, sic quando tradit pecunias expendendas, tunc enim parùm curat qua pecuniæ specie fiat emptio, vel soluatur creditoribus, modò nullum ei obueniat damnum, aut expressè contrarium non declaret, ita Layman *lib. 3. tr. 4. c. 19. n. 5. vers. 3. dico*.

QVÆSTIO XXII.

An contrahentes, factis minutis, et acceptatis, antequam stipulentur possint pænitere?

SVMMARIVM.

Si ante scripturam contractus est perfectus, non datur locus pænitentiæ n. 1.

Quando constat de voluntate nolentis se obligare ante scripturam, datur locus penitentiæ n. 2.

Non censetur, se velle obligare ante scripturam, quando quis recusauit iurare n. 3.

Tunc dicitur perfectus contractus, quando pars parata valet, est ad scripturam. n. 4.

Quando testator distulit autenticare testamentum non neque ad pias causas. n. 5.

In gratuita promissione non præsumitur animus se strictè obligandi, nisi ad sit instrumentum, vel iuramentum. n. 6.

Non dicitur donatio remuneratoria, si sine proportione excedit merita. n. 7.

Quando Partes voluerunt inseri tenorem alicuius scripturæ, præsumuntur velle contrahere in scriptis. n. 8.

Sic etiam si contractus habet multa capitula, & pacta. num. 9.

Vnus Probi viri testimonio credi potest. n. 10.

Vidua quædam, senio confecta, ære alieno, ac summa egestate pressa, litem habebat ferè sexaginta miliū ducatorum, hæc promisit viginti millia monti mortuorum, vt litem expediret, adiectis quibusdam pactis, factæ sunt minutæ, et ostensæ Viduæ, dixit, sibi placere; et ità mons prosequutus est litem; sed, cum remissiùs ageret, Vidua pænitens, eandem donationem cum stipulatione fecit cuidam Monasterio.

Quod autem teneatur vidua, stare contractui, nec possit pænitere, contendit mons, quia, quamuis in minutis dictum sit, vt fieret scriptura; tamen non est dictum, quod aliter contractus non valeret, vnde scriptura non requiritur ad substantiam
1 contractus, sed tantum ad probationem, et sic ante scripturam contractus est perfectus, neque potest

test

test esse locus pœnitentiæ; Est hæc opinio contra Castrensem *in l. contractus C. de fide instrum.* Est communis, ac omnium tribunalium vsu recepta gl. *in d. l. contractus*, et eam esse communem tradunt Gratus *cons.* 107. *n.* 4. *&* 6. Gabr. *tit. de pactis concl.* 3. *n.* 1. *vers. contrarium.* Detius *cons.* 340. et ità sæpe decisum *in sacro Consilio testatur* Gizzarellus *decis.* 75. Vrsillus, *ad Afflict. decis.* 39. in Rota Romana. Pureus *decis.* 13. *num.* 3. *lib.* 3. Mangonius *decis. flor.* 135. *in fine, & decis. lucensi* 95. et in praxi receptissimam tradit Morotius *cons.* 96. *num.* 10. Riccius *collect.* 907. Ancar. *qq. famil lib.* 1. *q.* 26. et ita decisum in senatu Pedamontano Tesaurus *decis.* 197. Masc. *concl.* 425. *num.* 8. Carrotius *de locato p.* 1. *q.* 7. *n.* 3. *& seq.* Decianus *cons.* 64. *n.* 17. *vol.* 3. vbi innumeros citat Menochius *lib.* 3. *præs.* 148. *n.* 4. Bursatus *cons.* 100. *num.* 10. *vol.* 1. vbi ait: hanc esse communem, *& num.* 20. ait, ita decisum in Rota Romana sachineus *controuers. lib.* 2. *c.* 97. Matienz. *l.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *glosa* 7. *num.* 1. Mantica *de tacitis* et ambiguis conu. *lib.* 1. *tit.* 10. *n.* 7. vbi testatur hanc esse magis communem Castillus Sotomaior *controu. lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 14.

His tamen non obstantibus. Respondetur hanc viduam potuisse pænitere, nam omnes doctores vno ore affirmant, quod quando ex coniecturis
2 constat de voluntate contrahentium. quod noluerunt se obligare ante scripturam, et quod voluerunt interim cõtractum esse in suspenso, tunc semper est locus pænitentiæ, ità Aretinus *cons.* 160. *vers. venio ad secundum de voluntate* Tesaurus *decis.* 197. *n.* 3. Hizzarellus *decis.* 75. *n.* 3. *&* 4. Baldus *cons.* 7. *vol.* 1. Angelus *cons.* 16. Menochius *lib.* 3. *præs.* 148. *num.* 12. Mareabrunus *cons.* 20. *n.* 24. *& seq. ac* 50. Castillo Soto Maior *controu. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 16. Eminentissimus Lugo *tract. de iust. & iure tom.* 2. *disp.* 23. *sect.* 6. *n.* 93. Molina *tom.* 2. *disp.* 262. *num.* 12. Rebel. *de obligat. iust. p.* 2. *lib.* 18. *q.* 4. *n.* 5.

Quod autem apertissimè constet de voluntate Viduæ nolentis se obligare ante stipulationem patet ex sequentibus quatuor fundamentis,

Primum fundamentum est, quia quando prædictæ viduæ ostensæ fuerunt minutæ, ante, et posteà, ac semper rogata, vt stipularetur contractum, obstinatissimè respondit, se stipulaturam post liquidationem, et addebat rationem, si iam stipulor, mons erit negligens in prosequutione litis, nec erit litium finis, nam et aliam litem oportebit cum monte instituere, meus autem animus est, lites terminare, non inchoare, quare post liquidationem sum stipulatura, et ita sæpè dicebat suo confessario, atque aduocato: Ergo non fuit illi animus se obligandi ante stipulationem, et ita in terminis docet Cardinalis Lugo *d. tract. de iust. & iure tom.* 2. *disp.* 23. *sect.* 6. *n.* 93. cuius hæc sunt verba, *Indicia,*
3 *quæ arguunt defectum animi se grauiter obligandi, sunt si promittens requisitus, vt promissionem iuramento firmaret, id recusauit,* ita Lugo; Ergo patet defuisse animum viduæ se obligandi, quia requisita, vt stipularetur, recusauit, donec liquidarentur credita.

Dices, vel recusauit stipulari ante minutas, et tunc contractus non erat absolutus; vel recusauit stipulari post minutas acceptatas; et cum per acceptationem minutarum absolutus sit contractus, parùm refert, quod recusauerit stipulationem; quia post contractum absolutum, non potest pænitere.

Respondetur, quod in ipsa acceptatione minutarum requisita recusauit stipulari, et sic numquam habuit animum se obligandi. Præterea quandocumq; fuit requisita semper recusauit stipulationem, et numquam se ostendit paratam: ergo numquam habuit animum se obligandi, vt patet ex sequenti fundamento.

Secundum fundamentum est, quia tunc per ac-
4 ceptationem minutarum, habetur contractus pro absoluto, et adest animus se obligandi, nec possunt pænitere; quando partes ostendunt se paratas ad stipulationem, et promittit contrahens, facere scripturam ad omnem voluntatem, & requisitionem partis, aut mandant fieri scripturam, ita expressè docet Gizzarellus *d. decis.* 75. *n.* 4. qui citat Aretinum *cons.* 159 *n.* 10. Barbatiam *in Rubrica de empt. & vendit.* Detium *cons.* 346. Quare secus est si pars non est parata, ad omnem requisitionem alterius, facere stipulationem, sed vult differre ad aliquod tempus; tunc signum est velle se non obligare ante stipulationem, neque habere contractum pro absoluto; sed velle manere in suspenso: sic Surdus *decis.* 292. *per tex. in d. l. contractus C. de fide instrum.* quem ita interpretatur, & refert decisum, quod quidam scripserat totum testamentum, in quo erant legata pia, & dixit, quod post reditum è villa, volebat illud authenticari per notarium, cum interim mortuus sit, non valuit testamentum, neq; quo ad legata pia, ex defectu voluntatis, quia ex eo, quod testator distulit in certum tempus, & non erat paratus mox authenticare, non habebat testamentum pro perfecto, & absoluto; ita in casu nostro, cum vidua se paratam ad stipulationem numquam ostenderit, sed semper recusauit, & distulit, noluit se obligare ante stipulationem.

Itaq; mons tenetur probare, quod vidua quando acceptauit minutas, erat parata ad libitum montis stipulari; sed hoc mons nequit probare, imò probatur oppositum; ergo non habuit vidua animum se obligandi.

Tertium fundamentum est, quia hæc est differentia, inter contractus gratuitos (vti est hic, vt mox ostendam,) & onerosos; quod in onerosis semper præsumitur animus se obligandi, etiam ante scripturam; in gratuitis verò ante scripturam, non præsumitur animus se obligandi, & sic in foro externo, ante scripturam non potest cogi gratuitò promittens, ad obseruandam suam promissionem;
6 Ratio est, quia in gratuita promissione non præsumitur promittentem tantum onus voluisse sibi imponere obligandi se ex iustitia, ita vt possit cogi obseruare promissa, nisi ex publico instrumento constet de tanta obligatione voluntariè sibi imposita, ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 113. *art.* 1. *in* 4. *dubio* Molina *tom.* 2. *disput.* 262. *num.* 8. Cuius hæc sunt Verba: *Quando quis solum promittere, atque obligare se intendit ex morali, & politica honestate, id quod vt plurimum euenit, violatio promissionis absque vlla rationabili causa, non est ex*

suo

suo genere culpâ lethalis, *sed venialis*, *vt bene Caietan. alibi mat; neque qui promittit, cogi potest à publica potestate, vt quod promisit adimpleat*, *vt idem Caietan. rectè subiungit* (& infra, *num.* 12. sic ait) *Porrò in conscientiæ foro in eiusmodi gratuitis standum est intentioni eius, qui promisit, eo quod ex sola ipsius voluntate pendeat, quousque se debitorem voluerit constituere: In foro verò exteriori, coniecturis id est iudicandum, attentis circumstantijs omnibus concurrentibus*; *Quod si publica scriptura, aut chirographo, à se subscripto, quis diceret: promitto me daturum hoc, vel illud, aut astringo id soluturum, censetur voluisse se obligare ex iustitia, & non ex sola morali honestate*, ita Molina, quem sequitur Cardinalis Lugo *d. disput.* 20. *sect.* 6. *num.* 93. & idem docent Sotus *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 2. *ante* §. *ut verò*. Rebellius *part.* 2. *libr.* 18 *quæst.* 4. *num.* 5. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 17. *num.* 6. Petrus Ledesma *in summa tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. *fol.* 544. *col.* 2. Fernandez *in exam. Theologiæ part.* 1. *capite* 15. §. 8. *num.* 11. Armilla, Fumus, & Caietan. *in summa v. Perfidia* Maratius 2. 2. *tractat. de iust. & iure disput.* 19. *sect.* 10. Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 9. *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 122. Tabiena *v. pactum* §. 7. Syluest. *ibidem num.* 4. S. Antoninus 2. *part. tit.* 10. *cap.* 1. §. 4. Riccardus *in* 4. *dist.* 38. *artic.* 3. *quæst.* 3. Lopez *in instruct. part.* 2. *cap.* 27. *fol.* 195. Corduba *casu* 133. Sotus *de secreto mem.* 1. *quæst.* 1. Mazienzo *lib.* 5. *num.* 2. *&* 11. *tit.* 16. *lib.* 5. *recopil.* Franciscus Garzia *de contract. par.* 2. *c.* 3. Idem Petrus Ledesma *de matrim. quæst.* 47. *artic.* 5. *dub.* 2. *conclus.* 1. *fol.* 255.

Dices, esse hunc contractum onerosum, quia mons obligabatur expedire lites viduæ.

Respondetur donationem fuisse viginti millium ducatorum, quæ summa sine vlla proportione, excedit onus persequutionis litis, quæ erat in limine, præsertim cum vidua concurreret pro sua rata ad expensas litis: ergo dicendus est contractus gratuitus; quod patet ex illa communi doctrina, non dici donationem ob merita, sed simplicem dona-
7 tionem, quando donatio sine proportione excedit merita, vnde tunc inter personas prohibitas non valet. Alexand. *consil.* 59. *num.* 4. *vol.* 1. Oldradus *cons.* 226. *numer.* 8. Clarus § *donatio quæst.* 3. *numer.* 3. Tiraqu. *in l. si vnquam verbo donatione num.* 81. *C. de reuocand. donation.* Ratio est, quia denominatio fit à maiori parte, glosa *in cap. proposuisti de Consecrat. Ecclesiæ*.

Quartum fundamentum est, quia tunc censentur partes voluisse contrahere in scriptis, quando
8 voluerunt in instrumento inseri tenorem alicuius scripturæ; non enim censetur perfectus contractus, donec illa scriptura inserta, fiat stipulatio; Ratio est, quia donec inseratur, potest variari scriptura inserenda. ita Baldus *consil.* 284. *lib.* 4. Sed ita accidit in casu nostro, nam in minutis dicebatur, quod stipulatio fieret, prout in ipsis minutis continebatur; ergo donec minutarum tenor insereretur in stipulatione, non censentur contrahentes voluisse se obligare, quia minutæ in multis locis erant cancellatæ, & diuersimodè emendatæ, quare facilè erat eas variare. Fauet doctrina Thesauri *dicta decis.* 197. *in fine*, vbi ait, quod quando contractus
9 habet multa capitula, & pacta, quæ sine scriptura nequeant obseruari, vt in capitulis pacis, tunc videntur nolle partes se obligare ante scripturam, ante quam faciliter posset esse variatio; sed ita accidit in isto viduæ contractu, qui infinita habet pacta, & est inuolutissimus, quod demonstrauit euentus, cum enim cum monasterio deinde stipularetur, iam notarius ferè absoluerat lecturam contractus coram partibus, & propè erat, vt partes de more iurarent, inter hæc fuit facta dubitatio, de quadam partita, & ita fuerunt partes inter se discordes, vt discesserint nolentes amplius stipulari, & post multa verba, ac multum temporis interuallum consenserunt, & fuit facta stipulatio; Vnde patet esse contractum multis pactis inuolutum, & sic non est, nisi in scriptis celebrandus.

Denique addo, quod etiam si ex solo dicto confessarij, & huius viduæ, quæ est probatissimæ vitæ, constaret, illam non habuisse animum se obligandi ante stipulationem, possunt tuta conscientia Domini Gubernatores montis cessare à lite, & ab inquietatione Monasterij, & credere depositioni Confessarij, aut viduæ, neque ita desunt suo muneri. Ratio est, quia testimonium
10 vnius probi, & fide digni viri, quamuis non afferat necessitatem credendi, ita vt illi obligemur credere; tamen affert iustam, probabilem, & rationabilem causam credendi, adeo vt qui velit, possit tuta conscientia illi credere. Glosa *in l. titio fundus ff. de condition. & demonstrat.* Baldus *in l. indicia vers. quarto quæro C. de rei vendicat. & in cap. cum contingat de rescriptis*, glosa *in cap. cupientes de election. in* 6. Cepolla *in l.* 4. *numero* 30. *C. pro emptore*, Iason *in l. properandum* § *sine autem alterutra num.* 9. *C. de iudicijs*, Nauar. *in manual. cap.* 22. *numer.* 82. *versic.* 13. Emanual Sà *v. testis numero* 1. Layman *libr.* 3. *tractat.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 3. idem Nauar. *consil.* 1. *numero* 2. *de testibus*, Sanchez *de matrimon. libr.* 10. *disputat.* 12. *numero* 51. *& in summa lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 13.

Imo ipsimet viduæ possunt tuta conscientia credere, potest enim credi ipsimet parti, si sit persona timoratissimæ conscientiæ, magnæ, ac spectatæ fidei; Vnde talis persona litigans, excusatur ab expensis, quia non præsumitur per calumniam litigasse, Iason *in l. properandum* §. *sine autem alterutra numero* 10. *versic. quarto limita C. de iudicijs*.

Ex quibus omnibus patet, quod Domini Gubernatores montis, non agunt contra conscientiam, nec desunt suo muneri, si cessant a lite, & desinant inquietare monasterium pro donatione prædicta.

QVÆSTIO XXIII.

Quantum restituere debet occidens artificem annorum triginta, qui singulis annis lucrabatur aureos sexaginta, quibus se ipsum, filios, & vxorem alebat?

SVMMARIVM.

Homicida tenetur restituere omnia damna, quæ passus est occisus. n.1.

Tenetur restituere vxori, filijs, & parentibus occisi, qui ab eo alebantur. n.2.

Imò tenetur restituere liberis, quantum eorum hæreditas imminuta est. n.3. Tenetur ad restitutionem quamuis damnatus ipse esset ad mortem. n.4.

Non est restituendum totum lucrum, sed quantum valet spes lucri. n.5.

In æstimatione damnorum plura considerantur, quæ eam diminuunt. n.6.

Communis sententia est, æstimationem fieri prudentis viri arbitrio. n.7. variæ aliæ opiniones afferuntur. n.8. 9. 10. 11. & 12. Propria opinio affertur. n.13.

Census vitalitij quantum sit pretium. n.11.

1 SVppono primò, quod homicida tenetur restituere omnia damna, quæ passus est occisus; sua enim actione talium damnorum causa fuit, ita Petrus Nauarrus *lib.4. cap.1. num. 64.* Molina *tom. 4. tract.3. disput.83.* Nauar. *in manuali cap.15. num.19.* Azor. *3. part. lib.5. cap.3. & 4. quæst.2.* Vasq. *de restit. cap.2. §. 3. dub.1.* Bonac. *de restit. in particulari disp. 2. quæst. vlt. sect.2. punct.1. num.6.* Lessius *lib.2. cap.9. dub.20.* Ex Iuristis Speculator *tit. de iniurijs §. 2. col. 1. vers. sed nunquid* Abbas *in cap.1. col.2. vers. vlterius quæro de iniurijs* Marsilius *sing. 575. & consil. 131. numer.44.* Crauetta *cons. 116. numer. 6.* Plotus *in l. si quando num.695. C. vnde vi* Gomez *3. variar. cap. 3. numer. 47.* Rolandus *consil. 39. vol.2.* Couar. *2. var. cap. 10.*

Quare omnes prædicti Doctores concludunt, quod homicida tenetur restituere damnum, quod passi sunt illi, qui ius habebant petendi alimenta ab occiso, vt vxori, filijs, & parentibus occisi, quibus tenetur restituere damnum quod passi sunt, priuando eos alimentorum præstatione, imò tenetur restituere liberis, quantum eorum hæreditas
3 ob iniustæ mortis accelerationem imminuta est, Abbas *in d. cap. 1. de iniurijs* Gomez ius *3. variarum cap.6. numer.14.* Nauar. *cap.15. numer. 24.* Molina *tract.3. disput.2. & 83.* Lessius *lib.2. cap.9. dubit.26.* Vasquez *de restitut. cap. 2. §.3. dub.7.* Sanchez *consiliorum lib.1. cap.4. dub.3. num.7.* Diana *par.5. tract.4. res.59.* Marsilius *sing.575. & cons.131. num.44.* Roland *cons.39. n.10. & seq. vol.2.* Menoch. *de arbitrar. casu 122. n. 3.*

Imò tenetur homicida ad restitutionem dam-
4 norum, quamuis ex iudicis sententia damnatus esset ad mortem. Ratio est nam diuersa, ac separabilia sunt esse illatum damnum in bonis, ac in vita per occisionem, ita Sanchez, Mercatus, Gordonus, Malderus, Azorius, Petrus Nauar. Couar. & Gomezius apud Dianam *part.5. tract.4. res.60.* quibus adde Marsilium *sing.575. & cons.131.* at Rolandum *cons. 39. n. 10. vol. 2.* quamuis probabile esse, quod tunc non teneatur ad restitutionem doceant plures grauissimi authores apud Dianam *vbi supra*.

Suppono secundò, non esse restituendum totum
5 illud lucrum, quod occisus viuendo consequutus fuisset, sed quantùm valebat spes lucri; nam lucrum erat in spe; lucrum autem in spe minus valet, quàm in re; sicuti fructus terræ minoris valent in semente aut in flore, quàm in segetalis autem restitutio lucri in spe facienda est ad arbitrium boni viri, ita Bonacina *vbi supra* Vasquez *de restitut. cap. 2. §. 3. dub.2.* Sanchez *cons. lib.1. c.4. dub.2. n.7.* Diana *part. 5. tract.4. resol.53.*

Suppono tertiò, pro huiusmodi restitutionis
6 computo plurima esse consideranda, quæ eam minuunt. Primò ætas occisi. Secundò complexio. Tertiò victus eiusdem occisi. Quartò pericula infirmitatum, aut carceris, quibus eius operæ impediri poterant. Quintò verisimilitudo, quod alios filios, filiasue procreasset, pro quibus alendis minuenda essent alimenta filiarum, quæ nunc viuunt. Sextò posito, quod esset facienda æstimatio huius damni, dando certam aliquam summam vnica vice, considerandum quoque est quod vxor, & duæ filiæ viuentes possent breui tempore mori.

His positis quæritur quantum sit restituendum?

Prima sententia, quæ communis est, docet re-
7 stitutionem faciendam iuxta prudentis viri arbitrium pensatis omnibus circumstantijs, vt ætate, sanitate, viribus, &c. Ita Lessius *lib.2. cap.9. dub. 20. num.129.* Filliuc. *tractat.32. num.202.* Turrian. *2.2. disput.28. dub.2. numer.9.* Bonac. *vbi supra num. 9.* Ex Iuristis Bartolus *in l. interdum §. qui furem ff. de furtis* Menoch. *de arbitrar. casu 122. numero 3.* Marsilius *consil. 131. num. 44.* Crauetta *cons.116. numero 6.*

Sed ex hoc non soluitur difficultas, adhuc enim quæritur quomodo Iudex regulabit suum arbitriũ in taxando huiusmodi damnum?

Secunda sententia est, posse filios, ac vxorem oc-
8 cisi iurare in litem pro huiusmodi damnis, ita Platus *in l. si quando numer. 695.* Vbi Iason *numer. 57. C. vnde vi.*

Sed redit eadem difficultas, nam adhuc recurri debet ad arbitrium iudicis, ne æstimatio damnorum sit iniusta, quare superest inquirendum quomodo iudex poterit regulare suum arbitrium?

Tertia est sententia ferè communis, quod Iudex
9 debeat seruare formam traditam *in l. hæreditatum ff. ad l. falcidiam*, vbi in æstimatione falcidiæ detrahendæ à legato alimentorum hæc forma præscribitur, nempè vt à prima ætate vsque ad annum vigesimum computentur triginta anni, à vigesimo ad 25. computentur 28. à vigesimo quinto ad 30. computentur anni 25. à trigesimo ad trigesimum quintum anni viginti duo. Ab annis triginta quinque ad quadraginta, computentur anni vi-

ginti. Ab annis quadraginta vſque ad annos quinquaginta, tot annorum computatio fiat, quot ætati eius ad annum ſexageſimum deerit, dempto vno anno. Ab anno verò quinquageſimo vſque ad quinquageſimum quintum, fiat computatio annorum nouem. Ab annis quinquaginta quinque, vſque ad ſexageſimum, annorum ſeptem. Ab annis ſexaginta, cuiuſcunque ætatis ſit, annorum quinque fiat computatio, ita tex. *in d. l. hæreditatum*.

Hanc autem computationem ſeruandam eſſe in reſtitutione damnorum occiſi, docuerunt ſpeculator *tit. de Iniurijs* §. 2. *col.* 2. *verſ. ſed vſque* Roffredus *tract. de libellis* 3. *par. rub. de action. in fact. de his qui deiecerunt col. pen.* Angelus *in* §. *item his in fine, Inſtit. de obligat, quæ ex quaſi delicto naſcuntur*. Maranta *in ordine Iudic. par.* 4. *diſt.* 1. *num.* 4. Rebuff. *in l.* 1. *num.* 22. *C. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt* Plotus *in l. ſi quando n.* 695. *C. Vnde vi* Abbas *in cap. primo, & in cap. olim de Iniurijs* Rolandus *conſil.* 39. *num.* 14. *vol.* 2. Gomez 3. *variarum cap.* 3. *num.* 38. *& cap.* 6. *num.* 11. Couar. 2. *var. cap.* 10. *num.* 7. Sanchez *Conſiliorum lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 7. Angelus *v. reſtitutio primo* §. *homicida* Beccanus *de Iuſtitia, & Iure in q.* 62. S. Thomæ *quæſt.* 8. *concl.* 1. probabile eſſe inquit Diana *par.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 53.

Ratio eſt, quia diſpoſitio eius legis obtinet in quibuſcumque controuerſijs, in quibus agitur de taxanda vita hominis, gloſa celebris *in l. omnium la ſeconda ff. de vſufructu* gloſa *in l. cum hi* §. *nihil autem, verſ. Iuuene* vbi Baldus *ff. de tranſaction.* Io: Lupus *in Rubrica de donation.* §. 27. *num.* 4. Caſtrenſis, & Iaſon. *in l. ſi Pater puellæ col. vlt. C. de inoff. teſtamento* Rodericus Suarez *in l. quoniam in prioribus limit.* 3. *num.* 8. *C. de inoffic. teſtamento* Alciatus *tract. de præſumpt. reg. prima præſ.* 44. Pinellus *in l.* 2. *c. vlt. num.* 32. *C. de reſcindenda vendit.* Corduba *in l. ſi quis à liberis* §. *ſed ſi filius num.* 109. *C. de liberis agnoſcend.* Surdus *de alimentis tit.* 9. *quæſt.* 11. *num.* 27. qui de communi teſtatur.

Contrarium tamen docuit Vaſquez *tract. de re-*
10 *ſtit. cap.* 2. §. 3. *dub.* 3. vbi docuit, diſpoſitionem *d. l. hæreditatum* non eſſe attendendam in reſtitutione damnorum occiſi.

Primò, quia ea lex ſtatuit de detractione falcidiæ pro legato alimentorum, cum autem falcidia ſit inducta à Iure poſitiuo humano, meritò libera eſt facultas legiſlatori ſuo modo eam taxandi; at reſtitutio damnorum fit ex Iure naturali, quare attendendũ eſt damnum, quod re vera illatum eſt.

Secundò, quia in taxandis huiuſmodi damnis, multæ circumſtantię ſunt attendendæ, præter ætatem, quas dicta lex hæreditatum non conſiderat, nempè, an occiſus erat infirmæ valetudinis, an alijs impedimentis, veriſimile erat impediri poſſe eius lucra, &c.

Tertiò, quia graues authores docent, præter falcidiam, in alijs controuerſijs non eſſe attẽdendam formam præſcriptã *in d. l. hæreditatum*, & ita docuerunt Alexander, Imola, & omnes *in d. l. hæreditatum* Iaſon. *in l. eum qui ita* §. *qui ita ſtipulatur col.* 5. *ff. de verborum obligation.* Afflictus *dec.* 34. Couar. 3. *variarum. cap.* 9. *n.* 8.

Quarta ſententia eſſe poſſet, quod debeat computari quantum vnoquoque anno deducta periculorum eſtimatione, poterat lucrari occiſus pro alimentis vxoris, & filiorum v.g. lucraturus eſſet deducto ſuo victu, & prædicta æſtimatione periculorum viginti octo ducatos ſingulis annis, qui cedebant ad alimenta prædicta. Deinde homicida debet reſtituere tantam pecuniæ ſummam, quanta neceſſaria fuiſſet pro capitali redditus ducatorum viginti octo ad vitam occiſi, hęc ſententia fundari poſſet in ſimili diſpoſitione *legis* 3. §. *item ſi reipublicæ ff. ad l. falcidiam*, & ſimile docet gloſa in detrahenda falcidia legati annui *in l. cum Titio, & in l. hæreditatum ff. ad leg. falcidiam*, & quò ad reſtitutionem damnorum faciendam ab homicida hanc opinionem innuit Vaſquez *de reſtitut. c.* 2. . 3. *dub.* 3. dum ait: *faciendam* huiuſmodi æſtimationẽ, eo modo quò ad aſſecurationem vitæ fieret æſtimatio: ergo ſentit dandum id, quod daretur pro ſorte annui cenſus ad vitam occiſi.

11 Quanta autem ſumma requiratur pro capitali annui redditus ad vitam, variæ ſunt Doctorũ opiniones, quas refert Couar. *var. reſol. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 7. Nam Oldradus *conſil.* 207. ait, eſſe vnum pro ſex, nempè ſexdecim cum dimidio pro capitali centum ducatorum Bald. *conſ.* 295. *lib.* 5. ait eſſe vnum pro nouem, *& conſil.* 410. *lib.* 1. ait eſſe, vnum pro decem. Romanus *conſil.* 202. ait eſſe, vnum pro octo, ſed loquitur ad vitam viri, & vxoris, Garzias *de cõtractibus p.* 2. *c.* 29. *n.* 9. dicit regulariter taxari ad vnum pro ſeptem, Molina *tract.* 2. *diſp.* 388. *num.* 5. quem ſequitur Bonacina *de contract. diſp.* 3. *q.* 4. *pun. vnico. num.* 18. ait: prætium taxandum attendendo ad vltimum terminũ, ad quem mortaliter peruenire poteſt vita eius, in qua fundatur cenſus, & ſumendo medietatem illorũ annorum; ita vt pretium cenſus adæquet penſiones totius medietatis illorum annorum: ſic enim vterque contrahens ſubijcitur æquali periculo damni, & lucri: quare, ſi tradens centum aureos ad conſtituendum cenſum vitalitium ſit quadraginta annorum, & moraliter peruenire poſſit ad ſexaginta annos, poterit exigere decem in ſingulos annos.

Sed prima opinio Oldradi nõ videtur tuta, nam in Regno Neapolitano adeſt pragmatica ſecunda de cenſibus, in qua præteriti cenſus ad vitam ad rationem decem & octo, aut viginti pro centum, omnino prohibentur, & moderantur ad rationem quatuordecim, etiam pro tempore præterito. Aliæ autem opiniones videntur nimis rigidæ, nam cenſus perpetuus emi poteſt ad rationem vnius pro decem: qua etiam ratione reijcienda eſt opinio Molinæ, ac Bonacinæ; nam, ſi cenſualiſta ſit ætatis decem annorum, non poſſet exigere, niſi quatuor in ſingulos annos, & tamen pro cenſu perpetuo poteſt exigere decem: Quare, vt ait Couar. cum Medina *in C. de reſtitut. cap. de cenſu ad vitam*, niſi adſit certa, ac communis prouincię æſtimatio, ſtandum eſt prudentis viri arbitrio, perpenſis ætate, ac valetudine ementis cenſum vitalitium.

Itaque ex dictis videtur aſſerendum, id dandum pro huiuſmodi alimentis, quod daretur pro ſorte cenſus ad vitam occiſi, ſi nunc viueret.

Sed

Sed hæc sententia plures patitur difficultates prima, quia adhuc incertum est, quantum sit iustum pretium census ad vitam, vt patet ex dictis; secunda est quia non tenentur filij occisi acceptare eam quantitatem, quæ sufficeret ad censum vitalitium ducatorum annuorum viginti octo, sed possunt petere, vt singulis annis soluantur ipsis prædicta 28. vt sentit Marsilius *consil. 131. num. 34.* & Rolandus *consil. 39. num. 11. vol. 2.* Ratio est, nam si occisus non fuisset, sed tantũ debilitatus, aut truncata artificis manus, iustè potuisset petere alimenta quousque viueret; ergo à pari possunt filij occisi petere singulis annis aliquid pro alimentis, toto eo tempore, quo prudens iudex arbitrari potest duraturam fuisse vitam occisi.

Quinta est sententia Ludouici Beiæ *casu 43. in*
12 *fine par. prima* vbi de occiso quadragenario, ac infirmæ valetudinis, ait restitutionem faciendam per quindecim annos vitæ.

Quid dicendum in tanta opinionum varietate?
13 Respondeo, & dico: si peculiaris ratio infirmæ valetudinis occisi, aut similis non occurrat, in æstimatione damnorum seruanda est forma præscripta à *l. hæreditatum ff. ad legem falcidiam*; quæ similiter loquitur de æstimatione Legati alimentorum. Ratio est, quia vt habetur *in l. non possunt ff. de legibus non possunt omnes articuli singillatim comprehendi, sed cum in aliqua causa sententia earum manifesta est, is qui iurisdictioni præest ad similia procedere, atque ita ius dicere debet,* ita tex. vnde communiter docent omnes, quod ex identitate, aut paritate rationis lex extenditur à casu ad casum *l. illud ff. ad l. aquiliam l. à titio ff. de verborum obligationibus:* ergo cum in computatione annorum, quibus viuere potuisset occisus (si peculiaris ratio non occurrat) tunc non sit maior ratio cur tot annos iudex, aut vir prudens arbitretur, & non plures, aut pauciores, meritò attendi debet computatio annorum facta à Iure in casu omnino simili.

Si autem occisus erat infirmæ valetudinis, debilis complexionis, vitæ periculis expositus, vt quia bannitus, aut alias capitales inimicitias habebat, tunc prudentis viri arbitrio debet fieri minor computatio annorum, quam *in dict. l. hæreditatum*.

Dico secundò, in computatione operarum artificijs, pro singulis annis, censeo saltem tertiam partem detrahendam esse ratione periculorum, quæ consideraui *in secundo, & tertio supposito*, quare si artifex deducto suo victu, lucratus fuisset pro filijs sexaginta aureos singulis annis, tũc singulis annis, quousque duraturam verisimiliter fuisset vita artificis, soluenda sunt filijs, & vxori, non sexaginta, sed quadraginta.

Dico tertiò, non tenentur vxor, & filij acceptare vnica vice summam aliquam, qua æstimentur alimenta prædicta, sed possunt singulis annis petere annua quadraginta, verum si consentirent, posset homicida soluere semel tantam pecuniæ quantitatem, quæ sufficeret ad sortem annui redditus ducatorum quadraginta ad vitam occisi, si iste viueret, dando eam quantitatem, quæ in ea regione dari solet pro censu vitalitio similis personæ.

Itaque in casu mihi proposito, cum nutui tradendæ essent pauperes filiæ occisi, consideratis omnibus circumstantijs, consului trecentos aureos dandos pro damnis illatis.

QVÆSTIO XXIV.

An valor extrinsecus pecuniæ attendendus sit secundùm tempus contractus, vel solutionis?

SVMMARIVM.

Valor duplex, Intrinsecus, & extrinsecus. n. 1.
Multipliciter potest certa pecuniæ species promitti. n. 2.
Cum certa pecuniæ species, & in certo numero est promissa, attenditur valor extrinsecus secundùm tempus contractus, sic quando certa species tantùm, sed non in certo numero; ac etiam si nihil sit expressum. num. 3. & 4.

Respondetur attendi debere secundùm tempus contractus.

Suppono autem duplicem esse valorem mone-
1 tæ, vnum intrinsecum, & est ipsa bonitas, vel pondus metalli: alterum extrinsecum, vt cum eodem inuariato zecchino eius valor variatur.

Suppono secundò, in quolibet contractu dupliciter posse fieri pecuniæ mentionem, Primò, vt
2 certa species sit promissa, vt scilicet tot zecchini reddantur. Secundò, vt sit promissa quantitas, vt redantur tot ducati, nomen enim ducati accipitur in genere pro mensura cuiuslibet pecuniæ, non autem pro certa specie.

Suppono tertiò dupliciter posse aliquam pecuniæ speciem promitti. Primò causa demonstrationis. Secundò causa æstimationis: dicitur autem causa æstimationis promissa, quando non solum exprimitur certa pecuniæ species, vt zechinus, sed certus numerus, vt promitto reddere centũ zecchinos: Causa verò demonstrationis est, quãdo certus numerus non exprimitur, vt si dicã me soluturũ in zechinis, ita Doctores mox citãdi his positis.

Dico primò, cum certa pecuniæ species, & in certo numero est promissa, tunc attendi debet valor extrinsecus secundùm tempus contractus, ita omnes, Abbas *in cap. quanto num. 15. de Iure Iur.* Couar. *de mutat. monet. §. vnico concl. 7.* Molina *tra. 2. disp. 312. conc. 2.* Faber *de varijs debit. solutionib. c. 2.*

Probatur, quia certa pecuniæ species est promissa, & in certo numero: ergo nec in altera specie, nec in diuerso numero solui potest: ergo tempus contractus tunc attendi debet: tum quia contractus ex conuentione legem accipiunt *l. 1. §. si conuenit ff. depositi*, & aliud pro alio inuito creditore solui non potest *l. 2. §. 1. ff. si certum petatur*.

Dico secundò, quando promissa est certa pecunię species, v.g. in zecchinis, sed non in certo numero, vel quando nihil est expressum, sed promissa est mutui restitutio, tunc si vel scriptura, vel testibus constat in qua specie pecunię factum est mutuũ attendi debet æstimatio, seù valor extrinsecus monetæ secundum tempus contractus, non autẽ solutio-

 nis,

nis, ita communiter Doctores ex tex. *in cap. olim causam de censibus, & cap. quanto, vbi* Abbas *n.32. de iure iurando, vbi* etiam Hostiensis, Afflictus *decis.* 194. Guido Papæ *decis.493.* & pluries in Camera Imperiali decisum testantur Musinger. *cent. 4. obser. prima &* Gayllus *lib.2. obser. 73.* Albertus Brunus *de monetis par.1. in Concl. partic.3. limitat. prima* Facchineus *lib.2. controu. iuris cap.9.* Tiraq. *de vtroque retractu lib.1.c.2. glosa* 18. Nauar. *cap.17. num. 294.* Azor. *tom.3. lib.10. cap.7. q.2.* Couar. *in tract. de veter. numis matum collatione cap.7. §. vnico n.10.* noster D. Andreas Lanfranchus *opusc. moral. tom.2. opusc.17.c.8. n.8.* vbi doctè, ac latè agit de hac quæstione. Sic in vltimis voluntatibus attenditur valor monetæ tempore testamenti, non tempore mortis, Albericus, Romanus, & Iason *in l. cum quid ff. si certum petatur* Gayllus *lib.2. obseruat.73. num.4.* Sic in statuto imponente pœnam, attenditur valor monetæ tempore statuti, non delicti, aut sententiæ Iason *in d. l. cum quid prima sect. n.28.* Gayllus *d. obser.73. n.5.*

Quare reijcienda est opinio eorum, qui docent, quod non expresso certo numero, attendatur valor extrinsecus tempore solutionis, prout docuerunt Sotus *lib.3. de iust. q.1. art.2. & q.12. art.1.* Syluest. *v. solutio q.2.* Petrus Nauar. *de restitut. lib.3. cap.2. n.259.* Toletus *lib.5.c.34. n.2.* Medina *C. de restitut. q. vlt. vers. ideo fatentur* Rebell. *par.2. lib.11. q.15. concl. vltima* Filliuccius *tract.35. n.490. vers.5.* Molina *tract.2. disp.312. concl. prima.*

Probo attendendum valorem tempore contractus, non solutionis, nam noua lex mutationis monetæ ad futura, non ad præterita negotia adaptanda est: sed solutio mutui, cum sit necessariò dependens à præterito mutuo, & vnum quid cum illo faciat; meritò ea solutio dicitur præteritum negotium: ergo noua lex mutationis monetæ non comprehendit solutionem præteriti mutui.

Probatur secundò, nam dispositio contractus pendet ex contrahentium voluntate: sed voluntas non fertur in incognitum: ergo non fertur in futurum monetæ valorem incognitum, sed in præsentem valorem, qui cognitus est, tempore contractus.

Probatur tertiò, nam nemini suum beneficium debet esse damnosum: at damnosum esset mutuum factum; si enim non essem mutuatus, centum zecchinos in arca haberem, quare iniustè cogor recipere septuaginta.

Probatur quartò, nam in valore intrinseco attenditur tempus contractus, vt docent omnes, ergo etiam in valore extrinseco. Probatur conseq. quia vtrobiq; idem versatur periculum lucri, & damni, tum quia ideo in valore intrinseco attenditur tempus contractus, vt seruetur æqualitas: ergo idem dicendum de extrinseco valore, non enim minoris damni est accipere pro solutione centum tallaros impuri argenti, & accipere sexaginta tantùm.

Probatur quintò, nam quod mutuator se exponat periculo lucri, & damni, augmenti, ac diminutionis monetæ, videtur quidam contractus distinctus à mutuo, in quem contractum non consensit: ergo reddenda est eadem pecuniæ species, vel saltem æquiualens; tunc enim nulli se exponit periculo, nam perinde est, ac si mutuatam pecuniam semper in arca retinuisset.

QVÆSTIO XXV.

An mulier, quæ, cum promisisset iuueni sui corporis copiam, accepit centum, data ab ipso ad alliciendum eius animum, teneatur ad restitutionem, si deinde pœnitens non consentiat?

SVMMARIVM.

Donationes factæ ad alliciendum valent, quamuis deinde donatarius non consenserit. n.1. secus si tacitè, vel expressè promisisset. n.2. & 4.

Donatio facta ex errore dante causam contractui, vel est nulla, vel reuocari potest. n.3.

QVod non teneatur ad restitutionem, videtur dicendum. Ratio est, quia illa donatio fuit absoluta, non conditionata: ergo valida est, quamuis deinde mulier non consentiat, vt probat tex. *in l. si repetendi C. de condition. ob causam.*

Secundò, quia donationes factæ ad alliciendum alterius animum, v. g. ad conferendum beneficium, ad mutandum, ad ferendam sententiam, ad copulam obtinendam, hoc ipso, quod fiunt ad alliciendum, & inclinandum alterum, non dicuntur fa-
1 ctæ ad obligandum, quare valent, etiam si donatarius deinde non consentiat; imò acceptare potest donationem, etiam si non intendat præstare, quod donator exoptat, ita docent communiter DD. Lessius *lib.2.c.18. dub.16. in princ.* Rebellius *de obligat. iustitiæ par.1. lib.3. q.7. n.6.* Io: Valerus *de different. vtriusque fori v. restitutio differ.34.* Layman *lib.3. tra. 4. par.3.c.5. n.4.* Diana *p.2. tr.16. resol.38. in fine:* quicquid in oppositum doceat Lopez *de contract. lib.2.c.44. n.1. vers. sequitur 4.*

His tamen non obstantibus, Respondetur, teneri ad restitutionem ita Medina *Cod. de restit. q.2. concl. 4.* Nauar. *in man. c.17. n.3.* Petrus Nauarrus *de restitut. lib.4. c.2. dub.12. n.144.* Ludouicus Lopez *1. par. instructor. c.107.* Corduba *lib.1. q.32.* Aragon. *2. 2. q.62. ar.5. in resp. ad secundum concl.7.* Diana
2 *par.8. tract.6. resol.110.* Ratio est, quia ficta illa promissio copulæ mulieris dedit causam donationi, quia nisi hæc promisisset, iuuenis non donasset, ergo dolus, & error dederunt causam donationi, nam ex eo errore, quia putabat mulierem verè, & non fictè promittere, ideo motus fuit ad donandum, quo eam in proposito promissæ copulæ confirmaret: quando autem donatio facta est ex er-
3 rore dante causam contractui, etiam si error, & dolus non prouenirent ex causa donatarij, sed ex parte tertij, vel ex propria falsa persuasione, tunc donatio, vel ex nulla, vt docent Conradus *de contractibus q.57.* Medina *C. de restitut. q.33.* Sanchez *de matrim. lib.1. disp.64.* Vel saltem donantis arbitrio reuocari potest, vt docent Lessius *lib.2. cap.17. num.33. vers. petes,* Layman *lib.3. tr.4. par.3. cap.5. n.6.* Vbi

ait:

ait: ad hoc non requiri iudicis sententiam, quia non tantum in pœnam, ob iniuriam, irritatur, sed defectu pleni consensus, error enim causat inuoluntarium, nam si sciret veritatem, vtiq; nollet donare.

Quare sic distinguendum puto: Aut mulier pu-
4 dica nihil neque tacitè, neq; expressè, promisit, & iuuenis tribuit ad alliciendum, & tunc recipiens non tenetur restituere, vt contra Lopez docent communiter doctores *supra citati*: Vel mulier promisit expressè, aut tacitè copulam, & tunc tenetur ad restitutionem, copula non sequuta, vt docet Lopez *lib. 2. de contract. cap. 44. num. 1. vers. 4. sequitur.*

Aduerte autem quod si promissio facta sit ad alliciendum ad copulam, vel aliud turpe, tunc si non sit impleta, partes non tenentur stare huiusmodi promissionibus, & antequam impleatur, est nulla Molina *tract. 2. disp. 94. concl. 2.* Caietanus *2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 2.* Couarruuias *reg. peccatum par. 2. §. 2. num. 1. de regul. iuris in 6.* Salon *2. 2. quæst. 62. art. 5. contron. 3. concl. 2.* Diana *par. 8. tract. 6. resol. 110.* Ratio, est quia in malis promissis peccatum, est non resilire à contractu *cap. in malis, 22. quæst. 4.*

QVÆSTIO XXVI.

An in Religionibus obseruantibus excusetur quis à peccato mortali contra votum paupertatis, ex licentia præsumpta, dum superior facilè adiri potest?

SVMMARIVM.

Negat Card. Lugo num. 1. Affirmant cæteri omnes n. 3.
In Religione obseruanti, sub mortali tenetur Prælatus non habere voluntatem, vt sine sua licentia aliquid accipiatur. n. 2.
Ad tuendam obseruantiam non est conueniens medium sub graui culpa, aut præcepto prohibere quamcumq; acceptionem. n. 4.
Religiosus subditus, quo ad paupertatem tractandus est tamquam filius. n. 5.
Accipiens generalem licentiam, si deinde det meretrici, non peccat contra votum paupertatis, neque illa tenetur ad restitutionem. n. 6.

1 NEgat Eminentissimus Lugo *de iust. disp. 3. sect. 7. n. 134. & seq.* regulariter loquendo.

Primo, quia alioquin eneruaretur religiosa disciplina, & votum paupertatis esset obseruantia de solo titulo, pauca enim religiosis occurrunt, ad quæ si petant facultatem à Prælato non obtinerent.

Adde, quod si immediatus superior non esset licentiam concessurus, facilè à maioribus, vt Prouinciali, Generali, Nuntio, Legato Apostolico, deniq; à Summo Pontifice petitam, concedendam esse plerumq; præsumi potest, quare omninò corrueret regularis obseruantia.

Secundò, quia quamuis credatur Prælatum rogatum concessurum licentiam; tamen dum licentia non petitur, non solum est inuitus, quò ad modum, idest displicet modus expendendi sine expressa licentia, sed ratione displicentiæ modi, est omnino inuitus quò ad substantiam; Et quidem in ijs Religionibus, in quibus religiosa paupertas strictè obseruatur, hæc videtur esse superiorum voluntas, ne pateat aditus ad eneruandam obseruantiã paupertatis religiosæ; Vnde nec in Prælatis superiorib. neq; in ipso Summo Pontifice præsumi potest alia voluntas; nam licèt licentiam petitam facilè concederent, interim tamen, dum non petitur, volunt, regulariter loquendo, hoc est, dum superior facilè adiri potest, grauiter prohibere substantiam circa ipsum vsum ad vitandam relaxationem voti paupertatis, cuius obseruantiam Prælati omnes, & ipse Summus Pontifex sustinere tenentur, ex debito officij sui.

Confirmatur, nam vt ait Suarez *de relig. t. 3. lib. 8. c. 11. n. 7.* in religione obseruante debet Prælatus sub peccato graui non habere talem voluntatem, vt licentia non petita, res vsurpentur.

Tertiò, quia si Prælatus expressè declaret suam voluntatem grauiter, & omnino prohibendi ipsam substantiam, in ijs circumstantijs, quibus adiri potest; tunc non sufficeret voluntas illa conditionata, nempè quod daret licentiam, si peteretur, vt fatentur ijdem Doctores, qui pro sufficientia voluntatis conditionatæ allegantur, ita Manuel Rodriquez *to. 2. suæ summæ c. 31. n. 7.* Lopez *lib. 2. de contract. c. 40. col. pen. & in instruct. par. 1. c. 156.* Ergo nomine voluntatis conditionatæ, seu præsumptæ non intelligunt DD. quod Prælatus rogatus licentiam concederet, nam etiam quando ita suam declarauit voluntatem concessisset rogatus, sed vlterius requirunt, quod in ijs circumstantijs, non petitæ licentiæ, quamuis modus displiceat, tamen non est inuitus quòad substantiam, & non velit ratione modi, etiam substantiam grauiter prohibere.

Quartò, quia quamuis subditus sciat superiorem rogatum facilè dispensaturum in lege, tamen mortaliter peccat, si non petat dispensationem, nam superior vult grauiter obligare ad non operandum sine dispensatione; ergo etiam grauiter peccat contra paupertatis votum, quando scit Prælatum velle grauiter obligare ad non operandum sine licentia.

Quintò, quamuis nõ peccet quis mortaliter peccato furti, quando dominus rogatus esset concessurus, licèt displiceat modus accipiendi, tunc enim est inuitus quò ad modum, non quò ad substãtiam vt docet Caiet. *v. furtum*, quem omnes sequuntur; tamen dispar ratio est furti, ac peccati contra votũ paupertatis, Dominus enim non intendit nisi suum damnum, & interesse, vnde si rogatus fuisset concessurus, non dicitur grauiter inuitus: Prælatus antè primariò intendit obseruantiam, ac disciplinam regularem, quæ eneruatur, & corruit, ex illo modo expendendi sine expressa licentia; vnde ratione talis modi illiciti, est omnino, & grauiter inuitus, quò ad substantiam.

His tamen non obstantibus, Respondeo regula-
3 riter loquẽdo non peccare mortaliter, sed venialiter tantum religiosum accipientem, aut dantẽ aliquid sine licentia expressa, quam rogatus superior concessisset, etiã si facilè peti posset, & non peteretur.

Hæc videtur communis ſententia Doctorum, adeo vt ſolus Lugo tàm ſcrupuloſè loquatur, ita docent Sanchez *lib.7.cap.19. num.61.* Suarez *de religione tomo 3. lib.8. cap.11. num.* 11. Manuel Rodriquez *qq regul. tom 3. quæſt.29. art.10. concl.* 5. Miranda *in manuali Prælat. tomo 1. quæſt. 28. art.16. conc. 1. & 2.* Leſſius *lib.2. cap.40. dub.9. num.79.* Fagundez *præcepto 2. lib.8. cap.6. num.3.* Hieronymus Flamma *3. par. methodi cap.9. §.12.* Fauſtus *in theſauro religioſ. lib.8. quæſt.126. n.3.* Mendozza *in ſuis quodlib. quæſt. 8. concl.4.* Nauar. *de regular. comment. 2. num. 20.* Graffius *deciſ. par.1. lib.3. cap.5. num. 54.* Peyrinus *de relig. tom.1. cap.2. quæſt.2. §.4.* Diana *par.1. tr.6. reſol.31.*

Qui omnes docent peccare venialiter, ſi modus diſpliceat Prælato, fuiſſet tamen licentiam conceſſurus, ſi eam ſubditus petijſſet; & docent omnes monialem abſcondentem munera accepta ſine expreſſa licentia, non quia timet auferri, ſed quia timet reprehendi, peccare venialiter tantùm; ergo ſentiunt potuiſſe ſuperiorem adiri, ac peti licentiam, alioquin non diſpliceret modus accipiendi ſine expreſſa licentia ſi non potuiſſet adiri ſuperior, tum quia nihil impedit adiri Abbatiſſam, quæ ſemper eſt præſens: Ergo communiter Doctores excuſant à mortali, quamuis ſuperior adiri potuiſſet: Ergo non rectè Lugo nititur interpretari hanc communem doctrinam in caſu quo ſuperior adiri nequit, Doctores enim loquuntur apertè quando ſuperior facilè adiri poteſt, & iſti vniuerſim, & generaliter excuſant à mortali; Neque excipiunt religiones in quibus adeſt ſtricta votis paupertatis obſeruantia. Quare hæc opinio excuſans à mortali eſt communis, ac per principia extrinſeca probabiliſſima, eamque probabilem quoque eſſe per principia intrinſeca, etiam in religionibus paupertatis obſeruantiſſimis, mox oſtendam.

Probo, tota ratio Eminentiſsimi Lugo eſt, quia tenetur Superior ex officio tueri regularem paupertatis obſeruantiam: Sed ad hanc tuendam non eſt conueniens medium grauiter prohibere quamcumque acceptionem, ſine expreſſa licentia, ita, vt ſit omnino inuitus: ergo non præſumitur ſuperior pro tuenda obſeruantia paupertatis eſſe omninò, & grauiter, quò ad ſubſtantiam, inuitus. Probo minorem, nempè non eſſe medium conueniens, quia voluntas ſuperioris ad tuendam obſeruantiam regularem debet conformari eiuſdem religionis regulis, & inſtituto: Sed quamuis regulæ, & conſtitutiones religionis, ad pleraſque obſeruantias grauiſſimas tuendas, potuiſſent obligare ſub mortali, tamen noluerunt obligare ad culpam, ſed tantùm ad pœnam externam ſubeundam, imò præcipiunt conſtitutiones Religionum, vt ſuperiores rariſſimè graui præcepto ſanctæ obedientiæ obligent, quod præceptũ eſſet maximum medium ad regularem obſeruantiam conſeruandam; ratio eſt, quia alioquin maius eſſet detrimentum animarum ex culpa mortali, qua paſſim illaquearentur animæ religioſorum, & viri timorati innumeris ſcrupulis cruciarentur, quàm eſſet vtilitas religioſæ obſeruantiæ, ad quam tuendam alia aptiora, & conuenientiora media religio inſtituit: ergo à pari, quamuis poſſet Prælatus ratione modi illiciti, ne regularis paupertatis obſeruantia eneruetur, eſſe inuitus omninò quò ad ſubſtãtiam, tamen de facto non eſt præſumendus, ita, quò ad ſubſtantiam inuitus ne ſic laqueum ſubditis inijciat.

Confirmatur nam media à Religionum regulis inſtituta, ad conſeruandam obſeruantiam, nõ ſunt præcepta, aut cenſuræ, aut alia animam illaqueantia; ſed vigilantia Superiorum, & ſeueritas in puniendo tranſgreſſores pęnis externis: tum quia religiones obſeruantes ab inobſeruantibus non diſtinguntur, quia illæ habent ad tuendam diſciplinam regularem præcepta, aut cenſuras, aut alia huiuſmodi, quæ ad culpam obligant; ſed quia in illis vigilant ſuperiores, minimas inobſeruantias ſeuerè puniunt, non ſic in iſtis: tum quia ſi ſuperior ad aliquam obſeruantiam tuendam vellet generaliter obligare ſub præcepto obedientiæ, hic vtique malè ageret, & contra religionis conſtitutionem. Ergo etiam malè agit, ſi ad tuendam obſeruantiam non accipiendi aliquid ſine licentia, vellet grauiter obligare, declarando ſe ſemper inuitum omnino, & quò ad ſubſtantiam, nam hoc æquiualet præcepto obedientiæ. Fauet quoque prædictis Trident. *ſeſſ. 25. de reformat. cap.* 3. vbi præcipit indicibus, vt quandocumq; executio realis, aut perſonalis fieri poteſt, abſtineat ſe à cenſuris, & interdicto: ergo Prælati Eccleſiaſtici debent quàmminimum poſſunt obligare ad culpam, ſed per externas pœnas, ac vigilantiam cuſtodire diſciplinam: tum quia diſciplina regularis primariò reſpicit bonum communitatis; vota autem, quibus religioſus ſubijcitur Prælato, facta ſunt primariò ob bonum particulare animæ vouentis: Ergo Paſtor vigilans pro cuſtodia votorum, debet primariò attendere ad bonum particulare animę vouentis, & ſecundariò ad obſeruantiam: ſed eſt contra bonum particulare animæ vouentis eum paſsim obligare ſub peccato mortali, pro vt obligat quàdo eſt omnino, & quò ad ſubſtantiam inuitus: ergo, &c. Denique ſi doctrina Eminentiſsimi Lugo eſſet vera, quod præſumatur Prælatus rationi modi illiciti, inuitus etiam quò ad ſubſtantiam, ne labatur diſciplina regularis, ſequeretur quod contra omnes Doctores, ſemper peccarent mortaliter religioſi accipiendo, aut dando ſine expreſſa licentia cum peti poſſet, & in rariſsimo, aut nullo caſu excuſarentur à mortali, nam vel peccat, vel non peccat taliter accipiens: ſi non peccat; ergo Prælatus non curaret, neque peti licentiã, contra ſuppoſitum; ſuppono enim eſſe religionem obſeruantem, proinde vigilare Prælatum vt petatur licentia: ſi peccat; ergo ſemper mortaliter, probo, quia ex doctrina Lugo, ſemper tenetur Prælatus tueri obſeruantiam, hoc medio, nempè omnino, & quò ad ſubſtantiam prohibendo acceptiones ſine expreſſa licentia; ergo ſemper religioſus peccaret mortaliter, quando acciperet ſine expreſsa licentia.

5 Adde quod Religioſus ſubditus, quo ad paupertatem tractandus eſt à Prælato initar filij Rebellius *de Iuſt. par. prima quæſt. 15. ſect. 13. & 15.* Fagundez *præc. 2. lib. 8. cap.6. num.* 7. Sed in filijs quando

quando pater rogatus concessurus fuisset licentiã, semper præsumitur inuitus quò ad modum tantũ, non quò ad substantiam: ergo etiam Prælatus regularis respectu religiosi præsumitur inuitus quò ad modum tantùm, non quò ad substantiam.

Confirmatur secundò, nam Eminẽtissimus Lugo non loquitur consequenter, etenim *de Iustitia*
6 *disp.* 3. *num.* 142. docet quod quando Prælatus dat generalem licentiam subdito expendendi aliquid pro suo libito, non intelligitur limitasse suam intentionem ad vsus honestos, sed potius abstulisse ex parte sua totum impedimentum, vt vsus ille non esset contra votum paupertatis, atque adeo meretricem ab eo accipientem, non teneri restituere, citat Bannes, Lopez, Rebellium, Salas, Sairum, & Dianam; quod probat, quia in alijs materijs licentia generaliter concessa non limitatur ad vsus non turpes; sic petens à te licentiam vtendi pignore à te accepto potest licentia generaliter concessa, vti pignore ad turpem vsum, dando meretrici, & sic peccaret contra castitatem, non contra Iustitiam: sed inconsequen.er loquitur Lugo, nam si per ipsum ratione modi illiciti accipiendi sine expressa licentia, præsumitur superior omnino inuitus quò ad substantiam, vt ita tueatur obseruantiam regularem: ergo ratione modi illiciti expendendi ad turpia, præsumitur à fortiori omninò inuitus quò ad substantiã, & suam licentiã limitasse ad honestos vsus, quia tenetur tueri disciplinam regularẽ, quæ magis corruit dando meretrici, quàm dando honestæ personæ sine expressa licentia. Vnde patet responsio ad instantiam de pignore, nam ille non debet vigilare, aut curam gerere pro anima petentis licentiam vtendi pignore: vnde non præsumitur suam licentiam limitasse: at Prælatus vigilare debet tamquam rationem pro animabus subditorum redditurus; vnde nec potest, nec præsumitur adeo generalem, & illimitatam licentiam concedere.

Ad primum argumentum, oppositum Respondetur obseruantiam paupertatis ex hac doctrina non esse de solo titulo, cum Prælati vigilant, cum seuerè puniunt transgressores, cum religiosi sunt timorati, qui abhorrent etiam à veniali peccato deliberato, prout ex Dei gratia sunt inumeri Religiosi.

Ad confirmationem respondetur quod non potest rationabiliter præsumi licentia superioris mediati, vt Generalis; quando immediatus est omninò inuitus, nam cum demandata sit cura Monasterij Præposito immediato, huic conformis debet esse voluntas Generalis, quousque ad eum recurratur, alioquin regimen esset in ordinatissimum, & nulla esset subditorum obedientia.

Ad secundum patet ex dictis; nam magis ex officio tenetur prælatus curare ne animæ subditorũ mortalem culpam incurrant, & pereant; quam ne labatur externa regularis disciplina; nam ista est propter salutem animarum, non è contra; laqueũ autem inijceret subditorum animabus, si sub mortali peccato prohiberet omnes acceptiones sine expressa licentia.

Ad confirmationẽ respondetur, Suarez non dicere, quod peccat Prælatus, si non sit inuitus quò ad substantiam, quando religiosi accipiunt, aut dant, sine licentia expressa, nullibi enim id asserit Suarez: sed docet non debere Prælatum conniuere, ita vt consentiat aliquid accipi sine vlla licentia; adeo vt tam quò ad modum, quàm quò ad substantiam omnino consentiat accipi sine licentia, quia talis consuetudo taliter accipiendi, destruit regularem obseruantiam, quam ex officio tenetur custodire, & posita tali consuetudine nullo modo peccarent accipiendo sine licentia: Ego autem suppono peccare venialiter, quia Prælatus est inuitus quò ad modum, quamuis non sit inuitus quò ad substantiam.

Ad tertium patebit ex dicendis quæstione sequenti breuiter autem respondetur disparitas est, quia quando Prælatus se declarat, tunc falsum est, quod rogatus licentiam concederet, nam si sciret acceptum animo non petendi licentiam, tunc vtique si rogaretur licẽtiam denegaret, quamuis non denegasset si sciret acceptum animo petendi licentiam. Quando autem Prælatus se non declarauit, tunc præsumitur quam minimum potest obligare animas ad culpam; vnde præsumitur tantùm inuitus quò ad modum, sic enim tuetur obseruantia, & animæ non illaqueantur culpa mortali.

Ad quartum, Respondetur quod disparratio est legis, ac voti paupertatis, quia lex primariò ordinatur ad bonum commune; votum ad bonum particulare vouentis; quare ob bonum commune præsumitur inuitus omninò superior, vt lex non obseruetur ante petitam dispensationem, quam petitam facilè concessisset: At Prælatus ob bonum particulare subditi non præsumitur eum velle grauiter obligare, vt sub mortali aliquid non accipiat sine licentia expressa.

Ad quintum, Respondetur retorquendo argumentum, quia sicut Dominus primariò intendit bonum suum particulare: vnde non dicitur grauiter inuitus, si modus accipiendi tantùm illi displiceat: ita quoque Prelatus primariò debet curare, & intendere ad bonum particulare animæ subditi, quia subditus ratione voti illi subijcitur, votum autem primariò respicit bonum particulare vouentis: Ergo si Prælatus debet primariò respicere bonum particulare animæ subditi, non censetur velle passim hunc obligare ad mortale.

QVÆSTIO XXVII.

Corollaria ex præcedenti quæstione, circa materiam religiosæ paupertatis.

SVMMARIVM.

Si Religiosus dubitat, an superior rogatus concederet licentiam, peccat mortaliter. num. 1.

Aliquando Superior ratione modi, etiam quò ad substantiam est inuitus n. 2.

An Religiosus accipiens pecuniam ab amico ad emendos libros, quos emit, & palam expositos habet in cella, peccet contra votum paupertatis? num. 3.

In-

1 INfertur primò, quod, si Prælatus adeo difficiliter esset petitam licétiam concessurus, vt si sciret rem acceptam animo non petendi licentiam, tunc dubitaretur, an denegaret licentiam, eo casu mortaliter peccat subditus accipiēdo sine expressa licentia. Ratio est, quia subditus dubitans, an Prælatus sit concessurus licentiam, mortaliter peccat, quia exponit se periculo frangendi votū paupertatis. Molina *tom. 2. disp. 276. num. 7.* vbi ait: *non posse accipi sine beneplacito superioris indubitatè præsumpto.* Quamuis si probabiliter crederet, adhuc in tali circumstantia daturum licentiam, non peccaret mortaliter, ita Sanchez *lib. 7. c. 19. num. 13.* Diana *par. 1. tract. 6. resol. 31.*

2 Infertur secundò, quando tales sunt circumstantiæ alicuius particularis casus, vt meritò præsumatur superior omninò inuitus, ita vt ratione modi inuitus esset, etiam quò ad substantiam, tunc vtique peccaret mortaliter, quia deest præsumpta licentia, talis casus esset verb. gr. si quis ingentem pecuniæ summam ver. grat. centum aureos simul acciperet sine licentia expressa, aut sine illa daret, quamuis crederet non denegandam, si petijsset ab initio. Ratio est, quia tunc esset notabilis iactura obseruantiæ, quam Prælatus tenetur custodire, etiam hoc medio, & tunc prudenter præciperet in virtute Sanctæ obedientię. Idem esset, si munera multa, ac magna breui tempore sine expressa licentia acciperet. In his autē certa regula dari nequit, sed prudentis arbitrio standum, pensatis circumstantijs rei acceptæ, accipientis, causæ accipiendi Prælati, & alijs huiusmodi.

3 Infertur tertiò, quid dicendum ad eam quæstionem, an religiosus accipiens ab amico pecunias ad emendos libros, quos emit, & non occultat, sed palam expositos tenet in cella, peccet contra paupertatem? Negant peccare Azor. *tomo 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 3.* Faber, Coriolanus, Io: Caramuel, & Machadus, quos citat, & sequitur Diana *parte 1 tract. 6. resol. 26. & par. 7. tract. 11. resol. 19.* Affirmant peccare Sanchez *in summa libro 7. cap. 19. num. 56.* Card. Lugo *de Iustit. disput. 3. sect. 8. num. 153.* qui probat, quia pecunia accepta mox acquiritur Monasterio; ergo sine licentia vtitur pecunia monasterij. Deinde emptio, vt firma sit, confirmanda est à Prælato, aliàs rescindi potest, tum quia iniquè decipit Prælatum putantem, eum vti ex legitima licentia ijs libris; ergo perinde est, ac si occultet, aut sine licentia communibus libris vteretur, tum quia in Religione obseruanti hic grauiter puniretur, ac scandalizaret. Mihi sic videtur distinguendum; Aut dubitatur, quod, si Prælatus fuisset informatus de tota re, ac circumstantijs non petendi licentiam, prohibuisset eum, ne reciperet pecunias, aut ijs acceptis prohibuisset, ne emeret libros, aut emptos auferret, tunc falsa est opinio Azorij, quod talis non peccat mortaliter, nam hoc casu superior est omninò, & quò ad substantiam inuitus, aut superior, nec prohibuisset accipere pecunias, neque emere, neque emptas sine licentia auferret, sed grauiter puniret pro inobseruantia, tunc dico, peccare venialiter, & non mortaliter, quia superior est inuitus quò ad modum, non quò ad substantiam. Hinc patet Responsio ad argumenta Eminentissimi Lugo. Ad Primum Respondetur, vti pecunia Monasterij ex licentia præsumpta; Ad secundum non decipit venditorem librorum, si probabiliter credit, contractum non rescindendum. Ad tertium non decipit grauiter Prælatum, quippè qui non est grauiter, & quò ad substantiam inuitus. Ad quartum in Religione obseruanti plerumque pro inobseruantia, aut veniali culpa, grauiter quis punitur, pœnitentia tamen regulari. Ad quintum, esto scandalizaret, grauiter peccat contra charitatem, non contra paupertatem.

QVÆSTIO XXVIII.

An mortaliter peccet Religiosus accipiendo, aut dando sine expressa licentia, quàm petitam obtinuisset, si Prælatus declarauit suam voluntatem, seque esse omninò inuitum, omnemque tollere suæ voluntatis præsumptionem.

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num. 1. Sed distinguendi sunt duo casus. num. 2. Non præsumitur stricta prohibitio, quò ad Religiosos eiusdem Monasterij. num. 3. Semper in dubio verba Prælati interpretanda sunt in benigniorem partem, scilicet se esse inuitum quò ad modum, non quò ad substantiam. num. 4.

1 AFfirmant Eminentissimus Lugo *de Iust. disput. 3. sect. 7. num. 125.* Mannel Rodriquez *to. 2. summæ cap. 31. num. 7.* Ludouicus Lopez *par. 1. Instructorij cap. 156. col. pen. & lib. 2. de contract. c. 40. circa finem.*

Probant, quia tunc Prælatus declarat se ratione modi inuitum esse, etiam quò ad substantiam, & hoc, vt tueatur regularem obseruantiam: tum quia cum Prælatus se declarauerit, sumus in claris, eum esse omninò, & quò ad substantiam inuitum: sed ita Prælato omninò inuito accipere, est peccatum mortale contra paupertatem ergo, &c.

2 His tamen non obstantibus, Respondetur distinguendos esse aliquos casus.

Primus est, quando posita tali declaratione, tamen tales sunt circumstātię facti, vt Prælatus sciens subditum accepisse sine animo petendi licentiam adhuc certissime est concessurus illam, tunc non peccat mortaliter v. g. attritæ sunt vestes subditi, ad quas conficiendas Monasterium paupertate oppressum tenetur, subditus accipit viginti aureos pro vestibus, sine licentia expressa, & nunt vestes interiores, quas videns fortuitò Prælatus, reprehendit subditum, tamen non denegat licentiam habendi, tunc quando subditus accepit, non peccauit mortaliter. Ratio est, quia reuera Prælatus non est eo casu inuitus quò ad substantiam, sed quò ad modum tantum; Vnde præcedens declaratio, vel fuit facta ad terrorem, vel illa non

compræ-

comprehendebat hunc casum specialem. Quare, quacumque posita præuia declaratione, si in talibus circumstantijs non dubitetur Prælatum concessurum licentiam, quamuis sciret acceptionem, aut retentionem factam sine animo petendi licentiam, non erit peccatum mortale.

Secundus casus est, quando nullum apparet euidens signum, quod Prelatus esset concessurus licentiam, sciens factam acceptionem sine animo petendi licentiam, tunc posita declaratione prædicta, temerè præsumitur licentia, & sic peccat mortaliter subditus sine illa aliquid accipiendo.

Aduerto ex Fagundez *præcepto 2. lib. 8. cap. 6. n. 5.* & Hieronymo Flamma *3. part. methodi cap. 9. §. 12.* Sanchez *lib. 7. cap. 19. num. 66.* Diana *part. 7. tractat.*
3 *11. resol. 20.* non peccare religiosos eiusdem Monasterij, si res cuiuscumque pretij sibi mutuò donent; quare prædicta declaratio Prælati, qua declarat se omnino inuitum, vt aliquid donetur, aut accipiatur sine expressa licentia, nisi apertissimis verbis fiat, ad hunc casum non extenditur.

Aduerto secundò, quod, nisi verba Prælati sint clara, in dubio accipienda sunt in benigniorem partem, nempè velle peti licentiam, ita vt sit inuitus quò ad modum, non quò ad substantiam, & sic declarasse videtur, se non consentire, quod non petatur licentia.

QVÆSTIO XXIX.

An mortaliter peccent Abbatissa, ac moniales cuiusdam Monasterij Regni Siciliæ in immoderatis, & superfluis dulciariorum sumptibus, pro communi vsu, adcò vt septuaginta moniales quotannis quinque millia librarum saccari absumant; Comparata tamen pecunia, ex ipsarum officialium propinquis?

SVMMARIVM.

Monialis ex licentia Abbatissæ, potest redditus sibi concessos propinquis dare, sed non potest in vana, & superflua consumere. n. 1. & 5.

Quid sit superfluum, statur prudentis arbitrio, ac Prælati iudicio. n. 2. & 8.

Abbatissa habet liberam administrationem bonorum monasterij, & potest concedere licentiam ad donandum. num. 3.

Mortaliter peccat Abbatissa concedens licentiam ad superfluos sūptus, ac monialis ea licentia vtēs. n. 4. & 5.

Mortaliter peccat Prælatus, si subditus habeat superfluam suppellectilem, aut construens superflua, & curiosa ædificia n. 6. & 7.

Mortaliter peccat Prælatus, si negligens sit in eradicandis malis consuetudinibus. n. 9.

Non potest Abbatissa dare licentiam, contra probibitionem ordinarij Prælati. num. 10.

Non potest Monasterium monialium inducere consuetudinem. num. 11.

PRo parte negatiua affertur primò, quia sumptus isti non fiunt ex bonis communibus monasterij, sed ex redditibus, & peculio ipsius monialis infirmariæ, aut illius, cui est demandata cura communis victus, sed potest ex licentia Abbatissæ hanc pecuniam in suam honestam recreationem,
1 aliosque licitos vsus consumere, imò, & propinquis suis donare, Beia *in responsis casuum conscientiæ p. 4. casu 32.* Hieronymus Cenedo *de paupert. religiosæ dub. 32. num. 9. & 15. & dub. 17. num. 9.* Valerus *de differ. vtriusque fori verbo munera num. 73.* ergo à fortiori poterunt licitè consumere in victum lautiotem, & splendidiorem monialium. tum, quia satiùs est abundantiori mensa hos redditus in commune conferre, quam priuatim in cellulis superflua retinere; aut extra monasterium largiri: hæc enim destruunt obseruantiam, ac disciplinam regularem, non autem lautior victus.

Secundò, quia verissimum est illud S. Bernardi pronunciatum. *Vbi non est abundantia, non est obseruantia*; quare in his, quæ spectant ad communem victum, præsertim infirmarum, debet Prælatus magis inclinare in liberalitatem, quàm in parsimoniam, vt ait Card. Lugo *de iustitia disputat. 3. sect. 8. num. 188.*

Tertiò, quænam tamquam superflua religiosæ
2 paupertati aduersentur, standum est prudentis viri arbitrio, attentis circumstantijs personarum, ac consuetudinis, Lugo *dicta disp. 3. sect. 7. num. 183.* Basilius Legionensis *in quæst. quodlibet. disp. 9. Scholastica*, Faustus *in thesauro Religios. lib. 8. quæst. 98.* Sed antiqua hæc est consuetudo in isto monasterio; ergo, &c. Præterea consideranda est muliebris sexus fragilitas, ac nobilissimarum virginum præclara natalia, quæ delicatè enutritæ, nequeunt ab huiusmodi honestis recreationibus æquanimiter abstinere.

Quartò, quia id fit ex licentia Abbatissæ, quæ liberam habet bonorum monasterij administrationem, ac etiam monialium, non secus ac Abbas, vt docent Baldus *in cap. 1. col. 6. de his qui feudum dare possunt* Rodriq. *qq. regular. tom. 1. quæst. 17. art. 12. in fine*: Vnde potest etiam dare licentiam ad donandum, Sanchez *in summ lib. 7. cap. 19. num. 44.* Cardin. Lugo *de iustit. disput. 3. sect. 3. num. 129.* Faustus *in thesauro Religiosorum lib. 8. quæst. 221.* ergo licitè Abbatissa concedit licentiam pro communi victu, & recreatione ad eiusmodi sumptus.

His tamen non obstantibus, Respondeo, mortaliter peccare Abbatissam, ac moniales in his immoderatis, ac superfluis dulciarum sumptibus, quod faciliter ostenditur.

Primò, quia sumptus superflui, & immoderati,
4 etiam si non sint ex pecunia monasterij, sed monialibus à propinquis donata, & etiam si sint pro communi victu, directè opponuntur voto paupertatis, & mortaliter peccat Prælatus licentiam concedens, mortaliter quoque peccat monialis ea licentia vtens Nauar. *in cap. non dicatis num. 53. 12. quæst. 1.* Syluest. *v. religio 5. quæst. 7. in secundo dict.* Rodriq. *qq. regular. tom. 3. quæst. 29. art. 11.* Miranda *in manuali Prælat. tom. 1. quæst. 28. art. 9. & tractat. de*
5 *sacris monialibus quæst. 9. art. 2. in fine.* vbi expresè ait, mortaliter peccare Abbatissam concedentem licentiam, vt monialis in rebus superfluis peculium ei concessum consumat Sanchez *in summa libro 7. cap. 19.*

cap.19.num.23.Petrus Nauar.*de restit. lib.3. cap.1.p.3.dub.1. num.168. corol.3.* Valentia 2.2 *disp.10.qu.4. punct.3.* Aluarus *lib.2. de planctu Ecclesiæ cap.64.* Faustus *in thesauro religio f.lib.8.qu.94. & 95.* Card. Lugo *de iustit.disput.3.sect.7.num.131.* vbi sic ait, *fatendum ergo mihi videtur, in Religione, in qua paupertatis votum cum rigore obseruatur, subditum, etiam ex Superioris licentia, habentem superflua peccare contra votum paupertatis, non ex defectu licentiæ, sed quia votum illud, non solum est de non vtendo absque Prælati licentia, sed etiam de conseruando statu paupertatis, nec faciendis sumptibus, qui pauperes non decent. Vnde Prælatus ipse, vel Conuentus totus faciendo sumptus superfluos peccant contra paupertatis votum*, ita Eminentissimus Lugo, qui *sect.8. num. 183.* ait: *Prælatum non posse expendere in superfluis, nec dare licentiam subdito expendendi.*

Confirmatur ex Trident.*sess.25.de regular.cap.2.*
6 vbi statuitur, vt suppellex religiosi sit paupertatis statui conueniens, nihilque superflui in ea sit; quod sub mortalis culpæ reatu à Prælatis curandum est, Lezana *in summa qq. regular.part.1.cap.6.numer.13.* at non minus paupertati aduersatur profusio in conuiuijs, atque luxus, & deliciarum aucupium,
7 neque communis vsus ita excusat, nam etiam ędificia communia sunt, tamen eorum superflua, & nimis curiosa constructio mortali culpa non vacat, vt patet ex Concilio Viennensi *in clem.exiui §.rursus de verb. signif.* & ex S. Bernardo *epist. ad fratres de monte Dei.*

Quàm autem immoderati, superflui, & abominabiles sint isti dulciariorum amarissimi sumptus, Prælati, quibus moniales istæ subiectæ sunt, sæpè declararunt, & nouissimè earum Prælatus ordinarius, Sanctæ Obedientię pręcepto seuerè prohibuit; Vnde eos immoderatos, superfluos, atque religiosæ paupertati oppositos esse, satis patet, etenim quid
8 dicatur superfluum, iudicio superioris committitur, Faustus *in thesauro religiosorum lib.8.quæst.97. & 98.* Barbosa *in Trident.sess.25. de regul.cap.2.numer.31.* & refert decisum Armendaritius *in addit. ad recopil. legum Nauarræ libr.2.tit.18.libr.7.de relig.numer.84.* Card.Lugo *de iust.disput.3.sect.8. num.183.* Sed Bone Deus? quis prudens negabit, esse profusos, superfluos, & vanos sumptus, solemni paupertatis voto obstrictas Virgines, quæ vix (etiam seruientibus comprehensis) septuaginta attingunt, quotannis in dulciarijs quinque millia librarum Saccari cõsumere, & iugiter vana, imò insana occupatione vexari, adeo vt plusquam vndecim millia librarum dulciariorum conficiant? quid de his sentiret S. Bernardus, qui in Apologia ad Guillelmum Abbatem, tam acriter lautiores Monachorum epulas insectatur? audiamus mellifluum Bernardum. *Fercula*, inquit, *ferculis apponuntur; & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi nec dum gustasse pisces. Tanta quippe accuratione, & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor, aut quinque ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima: nec satietas minuat appetitũ. Palatum quippe, dum nouellis seducitur condimentis: paulatim dissuescere cognita, & ad succos extraneos veluti adhuc ieiunum, auidè renouatur in desideria. Venter quidem, dum nescit, oneratur, sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras (vt eas natura creauit) epulas fastidimus, dum aliæ alijs multifariè permiscentur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus; transitur nimirum metas necessitatis: sed needum delectatio superatur; Quis enim dicere sufficit, quot modis (vt cætera taceam) sola oua versantur, & vexantur, quanto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc singillatim apponuntur? Vt quid autem hæc omnia; nisi vt soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum, talis de foris apparere curatur, vt non minus aspectus, quàm gustus delectetur: &, cum iam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, nec dum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur: oppressus magis obruitur, quàm reficitur. Sic Macharius vixit? Sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit? Sic Patres in Ægypto conuersati sunt? Sic denique Sancti Benedictus Franciscus, Dominicus, quos sui ordinis Principes, & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri censuerunt?* Ita S. Bernardus ad viuum harum monialium cenulas expressit: has quoque S. Hieronymus *epist.2.* exprobat dum ait. *Nunc similam, & mella fastidio. Nominare genera, & nomina piscium, scio, quo littore concha lecta sit calleo: saporibus auium discerno prouincias.* Pudet ista de sacris virginibus referre; nam, vt idem S.Hieronymus *epist. 13.* scribit: *Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere, de quàm prætiosis cibis stercus conficiat.*

Quam grauis ergo est Abbatissæ culpa, quæ tam
9 absurda, ne dum permittit, imò ad ea expressam licentiam elargitur? Nam prælatus, si negligens sit in extirpandis inobseruantijs, & malis consuetudinibus, mortaliter peccat, etio quod subditus non peccaret, quia prælato incumbit cura publici boni, Soto *de ratione tegendi secretum mem.2. quæst.2. concl.3. vers. secundam verò partem* Bannes 2. 2. *quæst.33.art. 2.dub.2.* Suarez *de charit. disput.8.sect.2.num.6.* qualis culpa erit prauas consuetudines fouere? Sed audiant, quid dicat S. Bernardus *in Apologia ad Guillelmum Abbatem. Miror* (inquit) *cum regula dicat ad magistrum respicere, quicquid à discipulis delinquitur, & Dominus per Prophetam, sanguinem in peccato morientium, de manu pastorum requirendum esse minetur: Quomodo Abbates nostri patiuntur fieri talia?* at ipse dicã. Quomodo Abbatissa nostra. patitur fieri talia?

Secundò esto hæc non essent superflua, & vana impendia; at prudentissimè ad innumera inconuenientia: & scandala præcauenda, ordinarius Prælatus Sanctæ obedientiæ præcepto distinctè mandauit, ne tales, sumptus præsertim ex particularibus mo-
10 nialium pecunijs, fierent: Sed Abbatissa nequit dare licentiam contra præceptum Prælati ordinarij, neque haber liberam facultatem in administratione bonorum Monasterij, quando illa facultas arctata est ex præcepto ordinarij Prælati, vt docet expressè Sanchez *in summa tom.2.libr.7.c.19.num.44.* Diana *parte prima tract. 6. resolut. 17. & 22.*

Tertiò, ex hoc execrãdo, & pessimo Monialium abusu, quanta est ipsis solicitudo, turbatio, amaritudo, quanta secularibus scandala? quanta santissimarum legum inobseruantia? quanta egestas, quanta æris alieni obligatio? sed ista singillatim, & accuratè consideremus.

De solicitudine primum dicam. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 7. *in corp.* ait: quod *Paupertas non est perfectio, sed perfectionis instrumentum, in quantum per remotionem diuitiarum tollit charitatis impedimenta, quorum primum est sollicitudo, quam secum diuitiæ afferunt, vnde Dominus dixit Matthæi 13. Quod autem seminatum est in spinis, hic est, qui verbum Dei audit, & solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum.* Itaque ex hoc abominabili abusu, vt consueta cibaria, tamquam fel draconum amarissima, moniales, quæ officijs præficiuntur, exibeant, erubescentes minora, quàm cæteræ præstare toto anno in conquirendis vndique, & extorquendis à propinquis pecunijs, iugi solicitudine suffocantur, & cum sæpè harum parentes egentes sint, quis earum tormenta, angustias, & cruciatus explicare poterit? Infelices istæ Egyptijs illis vetè comparantur, quorum omnis labor erat in paleis colligendis.

De secularium scandalo quid dicam? eorum lamenta, & quærelas nouimus, qui meritò moniales sanguisugis comparant, iuxta illud *prouerb. cap.* 30. *sanguisuga duæ sunt filiæ dicentes affer, affer*, vnde verissimè scripsit S. Bonauentura; *in epist. ad fratres sui ordinis*, vbi ait; *hæc superfluitas pacem fratrum inquietat, grauat amicos, & hominum peruersis iuditijs multipliciter nos exponit, & non sine praiudicio paupertatis occurrit sumptuositas expensarum. Nam, cum fratres paucis nolint esse contenti, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter adponatur.* Hæc S. Bonauentura.

De inobseruantia constitutionum Summorum Pontificium, eiusdem Religionis, atque Prælatorum, satis apparet; immanis enim dulciariorum hæc moles, tota diuiditur in infinita munuscula, quæ extra monasterium largiuntur. Prætereo contemptum prohibitionis, ac præceptorum ordinarij Prælati.

De egestate autem, qua aliquæ eius Monasterij Virgines præmuntur, ob hæc vana, & superflua eam experientia nouimus; quò circa Prælata tot pauperibus iniurium facit, quot dare valeret.

De ære alieno comperi, hoc anno Monasterium duo millia aureorum accepisse sub vsuris; Qua ergo prudentia, qua conscientia, tanto ære alieno grauata, in tanta egestate, cum tanta inobseruantia, cum tanto scandalo, cum tanta turbatione, Abbatissa intemperatas eiusmodi commessationes, & amarissima dulciaria nedum permittit, sed fouet, & apptobat? Dicam cum Bernardo dicam: *præsumptuosus dicar; sed verum dicam, nimirum, ceci facti sunt duces Cecorum.*

Iam breuiter ad opposita argumenta respondebimus.

Ad primum, quamuis possit monialis particulates redditus ex licentia Abbatissę donare propinquis, non tamen ex eiusdem licentia poterit in vana, & superflua consumere, vt docent omnes præsertim Miranda *tract. de sacris Monialibus quæst.* 9. *art.* 2. *in fine, & in man. Prælat. tom. primo quæst.* 28. *ar.* 9. disparitas est manifesta, nam donare propinquis, præsertim egentibus, est opus honestum, neque paupertati oppositum; aut in gulæ irritamenta consumere, aliaque vana illicitum, & paupertatis votum contrarium.

Ad secundum aliud est abundans victus, aliud superfluus, & immoderatus; primum Bernardus laudat, secundum execratur.

Ad tertium consuetudo non excusat, postquam eius prauitas à Prælato declarata est, Miranda *in manuali Prælat. tom.* 2. *quæst.* 28. *art.* 12. neque vlla cõsuetudo paupertatis voto derogare potest. Azorius *par.* 1. *lib.* 13. *cap.* 11. *quæst.* 15. Neque longæui temporis vsu se tueri possunt, *tantò enim sunt grauiora peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam; quare nemo sanæ mentis intelligit, naturali Iuri, quacumque consuetudine (quæ dicenda est veriùs corruptela) posse aliquatenus derogari*, vt dicitur *in* 11 *cap. fin. de consuetud.* Prætereo Monialium Monasterium, cum sit communitas imperfecta non posse consuetudinem inducere. Bartolus *in l.* 1. *ff. de legibus*, Abbas *consi.* 53. *num.* 1. *vol.* 2. Pasqualigus *decis.* 415.

Ad illud autem de discretione, & charitate, considerata sexus fragilitate, atque virginum nobilitate. Respondeo cum S. Bernardo *in ea Apologia Ista charitas destruit charitatem: hac discretio discretionem confundit. Talis misericordia crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ enim charitas est, carne diligere, & spiritur negligere? Quæuè discretio totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis verò misericordia ancillam reficere, & dominum interficere?*

Ad quartum patet, illicitè, atque inualidè hanc licentiam ad vana, & superflua, præsertim contra præceptum obedientiæ Ordinarij Prælati, per Abbatissam concedi.

Itaque ad hanc fœdissimam pestem è sacris Virginum septis eliminandam, ad hæc gulæ spectra exterminanda, ad profusos luxus profligandos, Dominicæ domus zelo succensus Prælatus exurgat, feneris legibus interdicat, Sanctæ obedientiæ præcepto prohibeat, si opus sit, anathematis mucrone succidat, ne dum Abbatissæ, sed & monialibus cunctis in virtute Sanctę obedientię præcipiat, ne in vana hęc, & voluptuosa quoquomodo expendant, neuè conficiant, ne largiantur, nisi accepta expressa eiusdem Ordinarij licentia, imò ne in communi mensa apposita virulenta hæc dulciaria recipiant; certos denique limites pro infirmis veris, non fictis, præscribat.

* *
*

QVÆ-

QVÆSTIO XXX.

An, attenta constitutione Clementis VIII. de largitione munerum, peccet Prælatus Regularis, aut Abbatissa concedens licentiam donandi absque graui causa, plura munuscula, quæ infra mensem excedant duos aureos, & quatuor intra annum?

SVMMARIVM.

Responsio affirmatiua. num.1.

Leue munusculum est duorum aureorum. num.2. & 4. Licet donare alia munuscula, quamuis nec ad cibum, neque ad deuotionem pertineant. n.3.

Ad constituendam grauem materiam spectandus est finis legis. num.5.

Ex munusculo duorum aureorum non incurritur censura bullæ de datis, & promissis, num.6.

Sine causa concedens donandi licentiam peccat. n.7.

Non licet infra mensem excedere duos aureos, donando sine graui causa. num. 8. Nec infra annum quatuor aureos. num. 10. Nisi ex constitutionibus religionis minor quantitas præscribatur. num.11.

Modica furta quomodo continuentur, aut discontinuentur, moraliter? num.9.

An possit Prælatus concedere licentiam donandi decem in anno? num.12. Potest, sed ex graui causa n.13.

Ex graui causa, prudentis arbitrio, potest Prælatus donare quamcumque summam. num. 14.

In bulla Clementis non comprehenditur donatio remuneratoria. num.15. Potest excedere merita in quarta parte. num.16. Potest donari confessario, concionatori, aduocato, famulo, vltra assignatum stipendium. num.17.

Quis sit finis bullæ Clementis VIII. num.18.

An hæc bulla sit vsu recepta. num.19.

Et lex dicatur non vsu recepta, nihil refert paulò ante publicatam, aut confirmatam, vel quotannis promulgatam, vt patet quò ad aliquos canones bullæ Cœnæ. num.20.

Bulla Clementis nihil noui statuit præter pœnas, & approbationem causæ in capitulo generali. num.21.

RESpondetur affirmatiuè, ita Bonacina *in tract.*
1 *varijs disp.3. punct.1. num.9. & punct. 5. num. 6. & 7.*

Probatur, quia ex constitut. Clementis VIII. confirmata ab Vrbano VIII. munerum largitio omnibus regularibus vtriusque sexus interdicta est, *præter leuiora esculenta, & poculenta, seù ad deuotionem, vel religionem pertinentia munuscula, ex*
2 *superioris licentia danda*, & hæc leuia munuscula reputantur ea, quæ valorem duorum aureorum non excedunt: ergo peccat contra constitutionem Clementis VIII. Prælatus regularis, aut Abbatissa, quæ sine graui causa concedit licentiam donandi vnum aut plura munuscula, siue eidem, siue diuersis personis, vt infra mensem excedant quantitatem duorum aureorum, & infra annum quatuor aureos.

Leuiora autem munuscula esse, quæ quantitatem duorum aureorum non excedunt, declarauit idem Clemens VIII. Patri Claudio Aquauiuæ Præposito Generali Societatis Iesu, ac docent expressè Molfesius *in summa tomo 1. tract.7. cap.20. num. 86.* Bonacina *in tract. varijs disp.3. punct. 1. num.9. & punct. 5. num. 6.* Scortia *in Bulla Pont. epit. 158. theorem. 396.* Homobonus *in examine Ecclesiastico par.1. tract.7. cap.30. quæst. 123.* Io: Valerus *in different vtriusque fori verba munera num. 65.* Filliucius *tom.2. tract.34. num.65.* Diana *par.1. tract. 6. resol. 5.* Contra alios docentes, eam quantitatem esse contra constitutionem Clementis VIII., quæ si daretur sine licentia, sufficeret ad peccatum mortale furti, vt voluerunt Faustus *in thesauro religios. lib.8. quæst 218.* & Paulinus Berti *in explicat. huius Bullæ de largit. munerum in decem casibus positis post 2. par. princip.* Quamuis autem Clemens VIII. loquatur de esculentis, ac poculentis, vel ad deuo-
3 tionem pertinentibus, tamen eadem ratio est de alijs munusculis, etiam si ad cibum, & deuotionem non pertineant, ita Bonacina *disput.3. punct.1. num. 9. vers. tertiò.* Io: de la Cruz *de statu relig. lib.1. cap. 3. dub.5. concl.3.* Filliuceius *tract.34. num.71.* Diana *par.1. tr.6. resol.7.*

Munusculum autem valoris duorum aureorum
4 esse leue, neque contra constitutionem Clementis VIII. inde patet: nam in Iure hæc quantitas dicitur modica *l. si oleum 15. cum sequenti?* vbi glosa *ff. de dolo.* Felinus *in cap. interfecisti de homicidio,* quare pro modica summa non debet grauibus pœnis per Clementem impositis subijci.

Præterea ad constituendam materiam grauem, spectandus est finis legis munera prohibentis, vt rectè ait Io: de la Cruz *de statu religion. lib. 1. cap.3. dub.5. not.4.* sed finis huius legis, siue sit ne dissipentur bona Monasterij, siue ne detur ambitionis occasio, siue vt disciplina regularis, ac paupertas custodiatur, sequitur quod materia, quæ est grauis pro furto, vel pro voto paupertatis non erit grauis in ordine ad hos fines, quia per munuscula duorum aureorum valoris non dissipantur bona monasterij, nec datur ambitionis occasio, nec euertitur disciplina regularis; sic non pecca-
6 ret contra constitutionem Gregorij XIII. de datis, & promissis, qui tribueret munusculum duorum aureorum, ita Sanctarellus, quem citat, & sequitur Alphonsus de Leone *de censuris recoll. 4. lit. B. versic. dantes.* Diana *parte 7. tractat. 4. resol.6.* quia modicum munusculum non iudicatur sufficiens ad iudicem obcæcandum, vt etiam docuerunt Menochius *de arbitrarijs casu 145. num.4.* Boccacius *parte prima de pactis num.31.* Diecastillus *de Iustitia lib. 2. tract. 1. disput. 5. dub. 7.* fauet tex. *in cap. & si quæstiones de symonia:* vbi non incidit in symoniam Episcopus, cuius frater dederat equum Cardinali eum consecranti, nam erat donum nimis paruum respectu talium personarum, nec censetur Cardinalem ex hoc ad illum inclinaturum. Itaque munusculum valoris duorum aureorum non est contra constitutionem Clementis VIII. debet tamen donari ex aliqua rationabili causa, dono proportionata, vnde cum sit leue damnum non requiritur grauis

causa

causa, sed causa alia rationabilis, quamuis leuis;
7 sine causa autem peccaret superior concedens licentiam, & monialis donas Petrus Nauar. *de restitut. lib. 3. cap. 1. numero 187. vers. 3. colligo* Corduba *quæst. 54. dub. vlt. dicto primo* Sanchez *lib. 7. summæ cap. 19. num. 36.* Bonacina *in varijs tract. disp. 3. punct. 6. num. 9.*

Ergo cum ad munusculum duorum aureorum possit absque graui causa Abbatissa concedere licentiam, non licebit absque graui causa dare licentiã ad plura munuscula excedentia infra mensem duos aureos, nam infra mensem ob temporis propinquitatem ea munuscula moraliter continuantur quamuis dentur diuersis personis, ita Bo-
9 nacina *dict. disput. punct. 5. num. 7.* quamuis oppositum sentiat Eminentissimus Lugo *de iustitia disput. 3. numero 181.* sicut plura modica furta intra mensem continuantur moraliter, vnde constituunt peccatum mortale, vt docent communiter Doctores. At si per mensem, & amplius interpollentur, tunc ad constituendum furtum mortale requiritur quantitas duplo maior illa, quæ semel ablata sufficeret ad mortale, ita Nauarrus *in man. cap. 17. num. 140.* Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 46.* Rebellius *de Iustitia parte 1. libro 3. quæst. 15. sect. 4. num. 37.* Sanchez *lib. 7. summæ cap. 21. num. 20.* Bonacina *loco citato* Molina *disput. 688. num. 2.* Diana *parte prima tract. 6. resol. 34.* Cardin. Lugo *de Iustitia disp. 16. num. 47.* Vt autem ita moraliter discontinuentur modica furta, vt singula sint peccata venialia, requiritur inter ea interuallum vnius anni, vt expresse docent Sanchez, & Bonacina locis citatis, & idem sentiunt Nauarrus, Lugo, & Molina vbi supra, & Toletus *libro 5. cap. 16. num. 5.* quare falsum est, quod tanquam probabile admittit Filliucius *tract. 31. num. 244.* dicens: quod modica furta per mensem, aut dimidium interpolata non sunt peccata mortalia, hoc enim falsum esse manifeste ostenditur, nam iuxta communem opinionem furari à diuite tres iulios cum dimidio est peccatum veniale: ergo posset quis sine peccato mortali, per modica furta interpolata per mensem aut dimidium accipere in anno, atque retinere octo, aut quatuor aureos. Neque id vnquam dixerunt Nauarrus, & Toletus, quos citat Filliuccius, quia asserunt tunc singula furta esse venialia, quando sunt adeo modica, & adeo interpolata, vt per tres, aut quatuor annos deueniatur ad summam duplo maiorem illa, quæ semel ablata sufficeret ad mortale, itaque sentiunt requiri annum, & amplius, vt ita interpolentur modica furta, vt omnino discontinuentur moraliter.

10 Itaque idem discursus ex Bonacina aptatur ad munuscula Monialium, nam infra mensem data continuantur moraliter, & ideo non potest Abbatissa sine graui causa concedere licentiam donandi vltra duos aureos infra mensem; sed per interuallum vnius mensis discontinuantur, adeo vt requiratur quantitas duplo maior, & sic poterit concedere licentiam, etiam absque graui causa, donandi munuscula valoris quatuor aureorum: Vt autem omnino ea munuscula discontinuentur moraliter debet esse vnius anni interuallum.

Ex quibus patet posse Abbatissam sine graui causa, modò adsit aliqua causa rationabilis, concedere licentiam largiendi plura munuscula, quæ infra mensem non excedant duos aureos, & intra annum non excedant quatuor aureos.

11 Verum si ex constitutionibus Religionis, aut Prælati taxata sit minor quantitas munusculorum, eam excedere non licet, vt docent Molina *tract. 2. disp. 276. vers. illud verò* Sanchez *libro 7. cap. 19. numero 42.* Bonacina *de largit. munerum disput. 3. punct. 6. numero 8.* qui *punct. 5. num. 6.* dicit in præcipua quadam Italiæ Vrbe Archiepiscopum decreuisse, vt Moniales bis tantum in anno darent res, quæ tres iulios singulis vicibus non excederent.

Obijcies primò, quia vt refert Azorius *parte*
12 *prima libro 12. cap. 12. quæst. 4.* multi docent posse Prælatum regularem concedere licentiam donandi in singulos menses duorum, vel trium aureorum summam, alij in singulos annos decem, alij duodecim, alij quindecim aureorum quantitatem. Præterea multi, & graues Doctores quorum aliqui scripserunt post bullam Clemẽtis VIII. dicunt posse Prælatum concedere licentiam donandi vsque ad decem aureos pro causa pia, & rationabili ver. gr. pro pauperibus, pro nuptijs cognatorum, pro gratificatione benefactorum, &c. ita Corduba *in summa quæst. 54. dub. vltimo dicto primo*, Lopez *in instruct. conscient. parte 2. cap. 5. vers. primo quod in alijs, & lib. 2. de contract. cap. 40. col. 3. versic. circa religiosos* Nauarr. *de restitut. libro 3. cap. 1. numero 189.* Fagundez *præcep. 2. lib. 8. cap. 6. num. 12.* Hieronymus Flamma *3. parte method. cap. 13. §. 15.* Io: de la Cruz *de statu religion. lib. 1. cap. 3. dub. 4. & 5.* vbi ait: ita præceptum esse fratribus Prædicatoribus in Capitulo Pisano, & ita seruare Prælatos timoratos, & doctos.

Respondetur primò, Azorius hodie per bullam Clementis VIII. non posse Prælatum ad eam summam decem aureorum concedere licentiam, nisi ex causa approbata in Capitulo Generali.

Respondeo secundò citatos Doctores non
13 aliud voluisse, nisi quod inferior, & immediatus Prælatus possit ex iuxta, & rationabili causa concedere licentiam vsque ad decem aureos, & quod pro maiori summa requiritur licentia Generalis, aut Prouincialis: At ipsi supponunt requiri causam grauem, & vt loquitur Petrus Nauarrus *de restitut. libro 3. cap. 1. numero 187. & 188. requiritur causa pia, aut necessaria*: nam si posset Prælatus regularis singulis monialibus concedere licentiam sine graui causa donandi decem aureos in singulos annos manifeste corrueret disciplina regularis, & paupertas religiosa destrueretur, si enim essent in monasterio centum moniales possent summam mille aureorum

ex leui causa prodigere; tum quia Doctores prædicti docent posse dare licentiam donandi decem ex bonis Monasterij: quis autem non videt ita dissipari patrimonium Christi? Itaque concedendum est posse etiam hodie post bullam Clementis VIII. Prælatum regularem concedere licentiam donandi decem, dummodo adsit grauis causa; nos enim hactenus loquuti sumus de munusculis, quæ sine graui causa donantur, quæ non posse excedere quantitatem duorum aureorum infra mensem, nec quatuor aureorum infra annum probauimus; At si munera dentur ex graui causa, & proportionata, etiam stante bulla Cle-
14 mentis VIII. possunt munera excedere summam, etiam centum, aut mille aureorum, nam arbitrio prudentis viri potest Prælatus ex graui causa concedere licentiam pro quacumque summa, vt docent communiter Doctores ita Hieron. Cenedo *de paupertate Religiosa dub. 26. num. 6. concl. 2.* Sanchez *in summa tomo 2. lib. 7. cap. 19. num. 24.* Azorius *parte 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 4.* Suarez *de religione tomo 3. lib. 8. cap. 15. num. 13.* Valerus *in different. vtriusque fori v. munera num. 65.* Nauar. *in cap. non dicatis numero 25.* Io: de la Cruz *de statu relig. lib. 1. cap. 3. dub. 5. not. 4.* Molina *tract. 2. disput. 276. col. 2. vers. illud verò* Bonacina *de varijs tract. disput. 3. pun. 6. num. 8.* Vvadingus *tract. de contractibus disput. 3. dub. 10. n. 1.* Cardin. Lugo *de Iustit. disp. 3. sect. 8. n. 186.*

Hinc rectè ait Lopez *de contract. libro 2. cap. 40. vers. quartò superaddimus*: quod insigni benefactori munus centum aureorum rationabile est, ac concedi posset, etiam ex bonis conuentus.

Hinc quoque rectè docent communiter Do-
15 ctores bullam Clementis VIII. non comprehendere donationem remuneratoriam, si proportionetur meritis, nec nimis merita excedat; nam in bulla vetita est donatio, seù largitio munerum: donatio autem ea est, quæ fit purè, & liberaliter: donatio enim quæ fit ob causam non est simpliciter donatio, sed cum addito, & vocatur antidotalis, quæ dicitur remuneratoria, quæ non est propriè, & strictè Donatio *l. attilius regulus ff. de donation.* ita docent omnes, Sousa *in explicatione Bullæ Clementis VIII. §. primo numero 65. & 66.* Scortia *in Selectis constitut. theorem. 395.* Sorbus *in explicatione eius bullæ vers. item alius casus,* Paulinus Berti *in eadem bulla quæstione vltima casu 7.* Cenedo *de paupertate religiosa dub. 27.* Faustus *in thesauro religiosorum libro 8. quæst. 227. numero 4.* Valerus *in differ. vtriusque fori verbo munera num. 97.* Diana *parte prima tract. 6. resolut. 15.* Bonacina *in tract. varys disput. 3. punct. 3. numero 2.* Io: de la Cruz *de statu religion. lib. 1. cap. 3. dub. 5.* Filliuccius *tract. 34. n. 97.*

Quod vlterius ostenditur, nam cui prohibitum est donare, non prohibetur facere donationes remuneratorias, cum enim huiusmodi sint recompensationes beneficij, recedunt à proprietate donationis; Abbas *in rubrica de donationibus, & in cap. per tuas numero 2. eodem tit.* Molina *disput. 293.* Layman *libro 3. tract. 4. cap. 12. num. 9.*

Immò quia, vt ait S. Thomas 2. 2. *quæst. 106.*
16 *artic. 6.* gratitudinis lex postulat, semper plus reddi, quam sit acceptum, & maximè decet esse gratos religiosos; ideo in terminis bullæ Clementis VIII. religiosus, seù monialis ex licentia Prælati non solùm potest donare quantum satis est ad satisfaciendum obsequijs, & muneribus acceptis, sed etiam aliquid vltra, arbitrio boni viri, ita Nauar. Sanchez, Corduba, Valerus, & Cenedo, quos citat, & sequitur Diana *parte 1. tract. 6. resol. 16.* qui addit donationem remuneratoriam non esse contra constitutionem Clementis VIII. quando excedit valorem meritorum, & beneficiorum in quartà parte, vt si merita ver. gr. valeant duodecim, & à moniali dentur sexdecim, ita Barbosa *in l. qua dotis 34. n. 60. ff. soluto matrim.* Cenedo *de paupert. relig. dub. 16. num. 13.*

Hinc seclusis prohibitionibus particularibus
17 cuiusque Monasterij, licet Moniali ex licentia Abbatissæ vltrà prædictam summam quatuor aureorum in anno, donare causa remunerationis, & vltra stipendium assignatum, Confessario ordinario, vel extraordinario, Concionatori, Procuratori, Aduocato, Medico, Famulo, ac etiam propinquis, à quibus eis donatum fuerat, Scortia in Bullis *Pontific. epit. 158. theorem. 395.* Faustus *in thesauro relig. libro 8. quæst. 227. numero 7.* Berti *in explicat. Bullæ Clementis VIII. quæst. vltima casu 6. fol. 423.* Diana *parte prima tract. 6. resol. 17.* Vide *infra tract. 8. q. 52.*

Obijcies secundo, finis adæquatus Constitutio-
18 nis Clementis VIII. est ne munerum largitio sit ambitionis occasio, & ne dissipentur bona Monasterij; ergo vbi cessat vterque finis, cessat obligatio eius constitutionis; & ita asserunt Sousa *in explicat. bullæ fundam. 5. §. 5. numero 34.* Valerus *in different. vtriusque fori verbo munera numero 20. 23. & 81.* Granado *parte 2. disp. 15. sect. 3. numero 18.* Diana *parte 1. tract. 6. resolut. 12. & 33.*

Respondeo quò ad munera inter ipsos religiosos præsertim eiusdem monasterij, verum est finem adæquatum bullæ esse, ne detur ambitionis occasio, vt patet ex apertissimis verbis bullæ; quare si ea ambitionis occasio cesset, licita erunt ex licentia Superioris inter ipsos quæcumque munera, vt docent Granado, & Valerus vbi supra Diana *resol. 18. & 33.* Megalius *consil. 33. numero 6.* At quò ad exteros, finis bullæ est, vt seruetur disciplina regularis, & vt regularis paupertas custodiatur, vt enim docent omnes finis legis, colligitur ex proemio eiusdem legis; *l. fin. ff. de hæredibus instituend.* vbi Bartolus *num. 8.* & Imola *numero 4.* Abbas *in cap. aduersus num. 2. de Immunitate Ecclesiarum*: Sed in initio suæ constitutionis, ait Clemens: *vt regularium disciplina in pristinum restituatur*; & infra agens de recipiendis potentibus hospitibus ait:

Ita

ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsùs eluceat. Quare huius constitutionis finem esse, ne munerum largitione paupertas regularis eneruetur, docuerunt Azorius *parte prima lib. 12. cap. 12. quæst. 4.* Faustus *in thesauro relig. lib. 8. quæst.* 208. Homobonus *in exam. Ecclesiastico parte prima tract. 9. cap. 5. quæst.* 10. Filliuccius *tract. 34. cap. 3. quæst. 6.* Paulinus Berti *in explicat. bullæ parte prima princ. fol. 414. concl.* 1. Sorbo *in compen. priuil. verbo munera*, qui rectè docent, prohibitam esse largitionem munerum quò ad exteros, quamuis inde nulla esset ambitionis occasio, neque Ecclesiæ patrimonium dissiparetur.

Obijcies tertiò, quia constitutio Clementis
19 VIII. *de largitione munerum*, non est in multis locis vsu recepta, prout in Hispania, vt testatur Sanchez *lib. 7. summæ cap. 19. num.* 42. 100. *&* 105. Neque in Italia Peyrinus *de religioso subdito tomo primo quæst. 2. de paupertate cap. 2. §. 6.* & absolutè eam non esse vsu receptam, scripserunt Gratianus *disceptat. forensium tomo 2. cap. 202. num.* 17. Megalius 1. 2. *lib. 2. cap. 27. quæst. 3. num. 65. & consil.* 33. Homobonus, Victorellus, & alij, quos citat Diana *parte prima tract. 6. res.* 1.

Respondent primò, aliqui eam hodie obligare, quia confirmata est ab Vrbano VIII. anno 1640. & sic ante nouem annos, ita Lezana *de obligation. regularium cap. 6. numero* 55. & Diana *part. 8. tract. 6. resol.* 12.

Sed hæc responsio facilè euertitur, nam ad
20 hoc, vt lex Ecclesiastica non habeat vim obligandi, sufficit, eam non esse vsu aliquando receptam, quamuis decennium non sit elapsum à promulgatione legis, quia nullibi statutum est decennium, ad hoc vt lex non vsu recepta non obliget; quod patet apertè in Bulla Cœnæ Domini, quæ quotannis solemniter publicatur, & tamen in ea in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipitur, vt singuli Episcopi in suis diœcesibus eam publicent, nullibi tamen publicatur, ita Felinus *in cap. 1. de tregua, & pace* Suarez *de legibus libro 4. cap. 16. num.* 12. Diana *parte 1. tract. 10. resol. 7.* sic graues Doctores excusant legentes in Germania libros hæreticorum de religione tractantes, quamuis id prohibitum sit in bulla Cœnæ Domini, quæ quotannis publicatur, quia ibi non est vsu recepta Filliuccius *tomo 1. tract. 16. num.* 11. Beccanus 2. 2. *tract. 3. cap. 6. quæst. 8. num. 4. & 22. & cap. 15. quæst. 8. num.* 5. Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 15. num.* 4. Ergo, cum in pluribus locis bulla de largitione munerum non sit vsu recepta, ibi non obligat.

Respondetur itaque secundò bullam, de largi-
21 tione munerum nihil noui statuere præter pœnas, & approbationem causæ in capitulo generali, & quò ad hoc fateor, in pluribus locis non obligare, quia non est vsu recepta: At quò ad cætera, vt non concedatur licentia, nisi pro graui causa quò ad dona notabilis quantitatis, & quod munuscula non dentur, nisi ex rationabili causa, continet obseruantiam voti paupertatis, quæ est de Iure Diuino, vnde nihil iuuat contra eam contrarius vsus, qui est potiùs corruptela iuxta *tex. in cap. fin. de consuet.* sed hæc euidentius patent ex sequenti quæstione.

Obijcies quartò. ex Eminentissimus Lugo *de iustitia disput. 3. sect. 8. num. 181. & 182.* vbi docet: quod plura peccata leuia contra votum paupertatis (si religio nullum in bonis patiatur detrimentum) non coalescunt in vnum graue contra votum paupertatis: Sicut nec plura peccata leuia contra religionem coalescunt ad faciendum vnum graue: nec plura peccata leuia contra castitatem, vel temperantiam.

Respondeo: tunc plura peccata leuia contra paupertatem non coalescere in vnum graue; quando Superior est inuitus quò ad modum, vt dando, aut accipiendo sine licentia, quam rogatus dedisset: at, quando Superior est inuitus quò ad substantiam, quia rogatus adhuc non dedisset licentiam, tunc coalescunt in vnum. Ratio antem, cur contra cæteras virtutes plura leuia peccata non coalescant in vnum graue; coalescant autem contra votum paupertatis; discriminis inquam ratio ea est, quia cæteræ virtutes habent obiectum indiuisibile, ita vt obiectum vnius actus non continuetur cum obiecto alterius actus; secus autem est, si obiectum vnius actus continuetur cum obiecto alterius actus eiusdem virtutis: adest exemplum in virtute temperantiæ, quod exemplum pro se affert Eminentissimus Lugo, sed contra ipsum retorquetur; nam plures paruæ comestiones in eodem die ieiunij, quæ essent peccata leuia, coalescunt in vnum peccatum graue fractionis ieiunij; quia, cum commestio in eodem die sit aliquid diuisibile, & successiuum moraliter constituatur; secus esset de paruis comestionibus diuersis diebus; nam istæ non continuantur, quia indiuisibilia habent præcepta, & obiecta: Quare, cum acceptio pecuniæ inuito Prælato, sit aliquod diuisibile, & successiuum; meritò potest vna acceptio pecuniæ cum alia continuari, & sic plures acceptiones continuari, & coalescere in vnam grauem contra votum paupertatis: alioquin sequeretur absurdum, quod posset quis singulis diebus per annum expendere duos argenteos, inuito quò ad substantiam Prælato, & tamen numquam peccare mortaliter contra votum paupertatis.

*
* *

QVÆSTIO XXXI.

An in locis, vbi non est vsu recepta Bulla Clementis VIII. de largitione munerum, peccet Prælatus Regularis, aut Abbatissa concedens licentiam donandi absque graui causa plura munuscula, quæ infrà mensem excedant duos aureos, & quatuor infra annum?

SVMMARIVM.

Responsio affirmatiua. num.1.

Ex iure communi Prælatus non potest concedere licentiam, nisi pro leuibus munusculis. num.2.

Bulla Clementis est iuris cõmunis restitutiua, nec aliquid noui statuit, præter pœnas, & approbationem causæ num.3.

Ex iure communi non potest Prælatus concedere licentiam donandi, nisi ex causa rationabili, & proportionata num.4.

An possit monialis donare propinquis ex redditibus sibi à superiore sine restrictione concessis? num.5.

Probabile est non peccare mortaliter, sed venialiter, superiorem concedentem licentiam donandi, absque graui causa, quatuor aureos infra mensem, & octo infra annum. num.6.

Potest Abbatissa concedere licentiam moniali donandi res magni valoris, æstimato eius labore num.7.

1 Respondetur affirmatiuè Probatur primò, quia in locis, vbi non est recepta bulla Clementis VIII. seruanda est dispositio iuris communis, sed attenta dispositione iuris communis non potest si-
2 ne graui causa concedi licentia, nisi quò ad parua munera, vt patet ex tex. *in cap. cxiji qui seminat §. de vilibus de verborum significatione*, vbi sic dicitur: *de vilibus autem mobilibus, & parum valentibus, liceat fratribus (pietatis, vel deuotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa) obtenta super hoc priùs superiorum licentia, intra, & extra ordinem alijs clargiri.* Vnde Prælatum posse facere paruas donationes docuerunt Villalobos *tom.2. tract.35. diff. 32. num. 1.* Diana *par. 8. tract. 6. resol.12.* Paruæ autem donationes censentur, quæ sunt valoris duorum aureorum, vt supra probaui, ita vt infra mensem duos aureos non excedant, nec infra annum quatuor, tum, quia ad eam quantitatem potest superior sine graui causa concedere licentiam ex constitutione Clementis VIII. vt
3 ostendi: ergo etiam ex dispositione iuris communis: siquidem constitutio Clementis est iuris communis restitutiua, neque aliquod nouum ius condidit, præter pœnas, ac modum approbandi causam, adeò vt quicquid ante Clementis Bullam licebat, nunc liceat, & quicquid illicitum erat, nunc quoque sit illicitum: ita Io. de la Cruz *de statu relig. libr. 1. cap. 3. dub. 5.* Io. Valerus *in diff. vtriusque fori verbo munera num. 1. 37. & 98.* Paulinus Berti *in explic. Bullæ de largit. munerum par. 2. casu 3. in fine fol. 418. colum. 7.* Diana *par. 1. tract. 6. resol. 2.*

4 Probatur secundò, quia iure communi attento, non potest religiosus donare, neque ex superioris licentia, absque rationabili, & proportionata causa, Nauarrus *lib. 3. tit. de statu monachi cons. 3. numero 33.* Emanuel Sà *v. religio num. 49.* Sanchez *lib. 7. summæ capit. 19. numero 36.* Corduba *in sum. quæst. 54. dub. vltimo dicto primo* Lopez *2. par. instruct. conscient. cap. 5. col. 3. & lib. 2. de contract. capit. 40.* Molina *tract.2. disp. 276. vers. illud verò* Petrus Nauar. *de restitut. lib. 3. cap.1. num. 187. vers. tertio Colligo* Io. de la Cruz *de statu religion. lib. 1. capit. 3. dub. 5.* Fagundez *præc. 2. lib. 8. capit. 6. num. 12.* ergo ad leue donum, vt duorum aureorum infra mensem, & quatuor aureorum infra annum, leuis causa, sed rationabilis sufficit: ad graue, & maius donum eam quantitatem excedens, grauis, & maior causa requiritur.

Obijcies primò, quia graues Doctores scribunt, posse Prælatum concedere licentiam donandi decem aureos.

Respondetur, posse, si adsit grauis causa, vt præcedenti quæstione dixi.

Obijcies secundò, quia tutor, & quiuis alius, qui nequit donare, tamen potest donare toties, quoties prudentis viri arbitrio conueniens erit donatio; ergo etiam Prælatus Regularis poterit concedere licentiam donandi munuscula ex rationabili causa, quotiescumque ea causa donandi fuerit, quamuis non sit grauis: ergo poterit excedere per plura munuscula prædictam quantitatem duorum aureorum in mense, & quatuor in anno.

Respondetur, nego consequentiam, disparitas est, quia per frequentes donatiunculas, & munuscula destruitur disciplina regularis, & corruit paupertas religiosa: quare ad excedendam prædictam quantitatem quatuor aureorum in anno, non sufficit leuis causa, sed requiritur grauis, & quasi necessitas.

Obijcies tertiò, quia multi docent, etiam
5 attenta bulla Clementis VIII. adhuc posse moniales de annuis redditibus, ex sui superioris licentia ad suum vsum, sine aliqua restrictione, concessis, parciùs viuendo liberè donare propinquis; quia Clemens non prohibet, nisi donationes ex quibus grauia incommoda sequuntur monasterio: Nullum autem incommodum infertur monasterio, si monialis parciùs viuendo donet cognatis, propinquis, & alijs ex rationabili causa, ita Ludouicus Beia *respons. par. 4. casu 32.* Cenedo *de pauper. religiosa dub. 17. numero 9. & dub. 32. numero 9. & 15.* Valerus *de different. vtriusque fori v. munera numero 73.* Peyrinus *de religioso subdito tom. 1. quæstione 2. capit. 2. §. 6.* Diana *par. 1. tract. 6. resol. 19.* ergo tam attenta constitutione Clementis

mentis VIII. quàm Iuris communis dispositione, potest Monialis de prædictis redditibus donans, etiam absque graui causa, excedere summam prædictam quatuor aureorum.

Respondetur nego antecedens, pro vt negant Azorius *parte 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 7.* Faustus *in thesauro religios. lib. 8. quæst. 154. num. 3.* Sanchez *in summa lib. 7. cap. 19. num. 105.* Bonacina *in tract. varijs disp. 3. punct. 2. num. 4.* non enim poterat Clemens VIII. clarioribus verbis id prohibere, sic enim ait: *Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet religioso à suis superioribus, vel propinquis, aut amicis, etiam eleemosinæ, & charitatis titulo, & illius propria personæ intuitu attributa, seù quoquo modo per quemlibet religiosum suo monasterio domui, aut loco acquisita, eique vt ad libitum de eis disponat per superiores concessa fuerint, præterquam leuiora esculenta, & poculenta, seù ad deuotionem pertinentia munuscula.* Hæc Clemens. Ratio autem huius constitutionis non est, ne dissipentur bona Monasterij, nulla enim dissipantur bona Monasterij si donet ex pecunia sibi à propinquis data, & vt ad libitum de ea disponat à superiore sibi concessa; sed ratio, ac finis constitutionis, est vt restituatur, ac conseruetur disciplina regularis, & paupertas religiosa; quare non solum ex constitutione Clementis, sed etiam iure communi attento, id prohibitum est, alioquin corruit religiosa paupertas.

Obijcies quartò, quia si superior infra mensem concedat sine graui causa licentiam ad tot munuscula, quæ sint valoris quatuor aureorum, & infra annum licentiam ad plura munuscula, quæ sint valoris octo aureorum: tunc iste excessus non videtur grauiter lædere paupertatem religiosam, quare non videtur peccatum mortale, sed veniale tantùm.

Respondetur, Probabile esse non peccare
8 tunc mortaliter superiorem. Ratio est, quia donum duorum aureorum est leue donum: ergo datum ex superioris licentia infra mensem, vltra aliud munusculum etiam duorum aureorum (dummodo adsit inter hæc dona aliquot dierum interuallum) non videtur grauiter aduersari voto paupertatis. At videtur mortaliter peccaturum, si vnica viee donet, absque graui causa, donum quatuor aureorum.

Aduerto non peccare Abbatissam, quæ con-
7 cedit licentiam donandi absque graui causa, vltra quantitatem prædictam munuscula ab ipsis monialibus elaborata, quæ estimato labore sunt magni valoris: at modici, sunt sumptus, ita Bonacina *in tract. varijs disp. 3. pun. 1. num. 5.* Scortia *in bullis Pont. epit. 158. theorem. 396.* Io: Valerus *in differ. vtriusque fori verbo munera num. 66.* Io: Caramuel *in regulam S. Benedicti disp. 59. resol. 8. nu. 859.* Diana *par. 1. tract. 6. resolut. 6. & par. 7. tract. 11. resol. 17.* Card. Lugo *de Iust. disp. 3. sect. 8. num. 149.* Ratio est, quia sicut religiosus absque fractione voti paupertatis potest acceptare obsequium sibi præstitum, ita & alteri præbere: Neque id est dissipare bona monasterii, quia potest Prælatus in acquirendis præiudicare monasterio; Sanchez *de matrimon. libro 6. disput. 4. num. 13.* Neque adest ambitionis occasio, vt suppono; neque eneruatur disciplina regularis, quia gratis laborans pro alio non lædit paupertatem religiosam, quia non est indecens statui pauperis gratis laborare. Sed id putat verum Cardin. Lugo, si antequam fiat, opus ceptum sit, ad petitionem amici: At ego puto cum Caramuele etiam si non sit factum ad eius petitionem, tamen posse superiorem concedere licentiam, quia per hæc dona non læditur paupertas religiosa, neque euertitur regularis disciplina dummodo non sit eiusmodi res, cuius priuatio damnum, & graue incommodum afferat Monasterio, quia tunc si semel monasterio acquisita sit, non poterit absque graui causa donari.

Ex dictis in hac, & præcedenti quæstione concludo, prudentissimè facturum quarundam Monialium Ordinariorum Prælatum, si ad eradicandos frequentissimarum largitionum, ac munusculorum abusus, præcipiat singulis in virtute Sanctæ obedientiæ, ne sine expressa eiusdem Ordinarij licentia aliqua munuscula ex quacumque causa quibusuis personis donent, neque de licentia Abbatissæ, quæ infra mensem duos, & infra annum quatuor aureos excedant.

QVÆSTIO XXXII.

Per biennium quidam Religiosus, eleemosinarum quæstor cum coniugata adulteratur, & ipsi, ac alteri sorori ex eleemosinis præbet alimenta, quæritur an soror soluta, si aliunde est pauperrima, excusari possit à peccato, si nullatenus adulterio cooperetur.

SVMMARIVM.

Comedens furtiuos cibos peccat. num. 1.
Quando grauis necessitas excuset à furto. n. 2.
An habens licentiam generalem à Superiore Regulari validè possit expendere in vsus turpes. num. 3. & 5.
Potest Vxor viuere ex bonis mariti per vsuram acquisitis. num. 4.

RESpondetur 1. non, posse excusari ex eo capite, quia non est causa adulterij, vel furti, quamuis enim non sit causa iniustæ ablatio-
1 nis, est tamen causa iniustæ consumptionis bonorum monasterij comedens eos cibos, vnde peccat, & ad restitutionem tenetur sicuti passim docent Doctores de comedente furtiuos cibos Nauar. *cap. 17. num. 9.* Molina *disput. 720.* Sanchez *l. 2. mor. cap. 23. n. 34.*

Secundò non potest excusari ex eo capite, quia
2 cũ ista sit in graui necessitate excusatur à peccato furti comedens furatum cibũ, vt docẽt Lessius *l. 2. cap. 12. num. 71.* Petrus Nauar. *l. 3. part. 4. cap. 1. num. 5.* Diana *par. 2. tra. 17. resol. 29. & par. 5. tract. 8. resol. 23.* Vasquez. *opusc. de eleemosina cap. 1. dub. 7.*

*num.*60. Coninchius *disp.*27.*dub.*10.*num.*162. Etenim negatur istam esse in graui necessitate, qua excusetur à furto, ex doctrina Bannes 2.2.*quæst.*32. *art.*7. & Dianæ *part.*5 *tract.*8. *resol.*24. vbi docent, quod si homo infimæ sortis, & absque notabili honoris sui detrimento mendicare potest, & hac via suæ necessitati succurrere, non potest excusari à peccato furti; sicuti secundum multos excusari posset homo, cui pro conditione sui status grauissimũ ei esset mendicare: At ista mulier est infimæ sortis, cui non esset notabile honoris detrimentum mendicare: ergo excusari non potest à furto, ratione grauis necessitatis.

Tertiò non posset excusari ex eo capite, quia iste religiosus eleemosinarum quæstor affirmat superiorem non requirere ab ipso, nisi tres tantum carolenos in singulos dies, & de quocumque alio, quod superest ei liberè disponendi licentiam concessit. Primò, quia certum est eleemosinas datas, esse monasterii, & aliunde incertum, & satis improbabile est, adeò amplam licentiam illi concessam, vt præter victum, & vestitum, quicquid superest pro suo arbitratu expendat; quare pro vna parte bona debentur monasterio, ex altera parte dicta licentia est dubia, & incerta, ac cum sit quid facti nõ præsumitur, nisi certò probetur *l. in bello* §. *facta ff. de captiu. & postlim. reuers.* Secundò, quia esto, quod
3 superior concesserit prædictam licentiam, tamen non præsumitur dedisse licentiam, nisi in vsus licitos, & honestos, non autem ad adulterandum, vt fatentur communiter Doctores Molina *tom.*1. *disp.* 94. *& disp.*140.*num.*9. *& disp.* 276. Sanchez *in sum. lib.*7.*cap.*19.*num.*30. *& cap.*22.*num.*12. Lessius *lib.* 2.*cap.*4. *num.*37. Sanctarellus *de Apostasia c.*6. *dub.* 2. *num.*12. Villalobos *in sum. tom.*2 *tract.*28.*diffic.*5. *num.*10. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset specialiter concessurus, *regula generali* 81. *de regulis iuris in* 6. Imò neque posset talem licentiam concedere, & si ipsemet superior expenderet, accipiens obnoxius esset restitutioni Molina *tom.*2.*disp.*276. Lessius *lib.*2.*cap.*41. *num.* 73. Sanchez *lib.*2.*mor cap.*19.*num.*31. *& cap.* 32. *num.*19.

Quartò non potest ista excusari ex eo capite, quia præsumitur superiorem monasterii consentire, vel rathum habiturum, vt mulier ista innocens, & pauperrima viuat ex eleemosinis prædictis. Primo, quia cum hoc habeat annexum peccatum adulterij, non potest præsumi talis consensus. Secundò, quia cum monasterium præsumatur velle moderatas eleemosinas diuersis indigentibus elargiri, non est præsumendum, quod vni pauperi fœminæ velit totum victum suppeditari.

His tamen non obstantibus puto hanc pauperem mulierem ex triplici capite excusari posse.

Primò, quia monasterium non simpliciter, & absolutè, sed conditionatè, & ex suppositione præsumitur consentire, vt ista pauperrima mulier viuat ex prædictis eleemosinis, quamuis enim simpliciter, & absolutè loquendo Monasterium sit inuitum, vt huic mulieri alimenta præstentur; tamen ex suppositione, quod sola adultera consumptura esset omnes illos allatos ab adultero, non est improbabile, quod facta tali suppositione, Monasterium non dissentiat, vt ex illis cibis, alioquin consumendis, viuat paupercula mulier innocens: Sicuti facta suppositione, quod exercitus irruens in cellarium ebibat omnia dolia vini, non præsumitur inuitus dominus, vt ego accedens bibam vinum alioquin cõsumendum; quod rectè innuit Layman *lib.*3. *tract.* 2.*cap.*3.*num.*2.*vers. hæc limitatio*, vbi ait *fieri poterit, vt ad nihil absumptor teneatur, si videlicet res nullo modo ab interitu liberari posse videatur, quia tali casu Dominus meritò inuitus non est*. Hæc Layman. Quæ doctrina licèt vniuersaliter accepta, non sit vera, tamen in casu nostro concurrentibus his duabus circumstantijs, scilicet, quod alimenta furtiua, alioquin consumenda essent à sola adultera; deinde, quod comedens sit pauperrima, & egena, erga quã viscera pijssima Regularium commoueri par est, nõ puto improbabile esse asserere, in his circumstantijs monasterium non esse inuitum.

Secundò, posset excusari hæc mulier ex altero
4 capite, & suppono probabilem esse opinionem, licitè posse vxorem viuere ex bonis mariti per vsurã acquisitis, ita Nauar. *cap.*17. *num.* 268. Vasquez *de restitut. cap.*11.*dub.*3. Molina *tom.*2.*disput.*330.§. *de vxore* Layman *lib.* 3. *tract.*3. *cap.* 11. *in fine*. Contra Sylu. *v. vsura* 8. *quæst.*2. Quam tamen opinionem ego cum aliqua restrictione admitterem, nempè si pecuniæ vsurarum essent confusæ cum alijs mariti, vel ab isto expensæ in emptionem ciborum, quia pecuniæ post confusionem, & cibi empti sunt in dominio mariti; secus esset de ipsis pecunijs vsurarijs in indiuiduo extantibus, has enim pecunias vt potè alienas mulier consumere, & expendere nequit. Ratio huius opinionis est, quia cum pecuniæ confusæ, & cibi empti, fiut in dominio mariti, qui ex iustitia tenetur non solùm restituere vsuras, sed etiam ex iustitia tenetur præbere alimenta vxori, ista non peccat si accipiat, quod est sibi ex Iustitia debitum, etiam cum præiudicio creditorum, seu soluentium vsuras.

Eodem modo dici posset in casu nostro, soror adultera, cum sit minùs pauper, tenetur ex iustitia alere sororem pauperrimam gl. & DD. *in l. qui filium ff. vbi pup. educ. debeat* Surdus *de aliment. tit.*1.*qu.* 25. ergo ista soror pauperrima innocens non peccat, si accipiat cibos emptos ab adultera ex pecunia furata, modò ipsam indiniduam furatam pecuniam non accipiat.

Dices ista soror innocens exponit se periculo consentiendi in adulterium, illudque suadendi sorori adulteræ.

Respondetur non peccare eum, qui ex magna necessitate se exponit peccandi periculo, ita communiter DD. Suarez 3. *part. tom.*4. *disput.*72.*sect.*2. *num.*4. Sanchez *in sum. lib.*1.*cap.*8.*num.*3. Sà *v. absolutio num.* 12. Pontius *in appendice de matrimonio c.* 6. *num.*5. & alij, &c.

Tertiò excusari potest ex alio capite, nam à pluribus audiui in ea Religione frequentissimum esse vt superiores conueniant cum eleemosinarum quæstoribus, vt dent in singulos dies tres carolenos, reliquium (si forte habent in eleemosinam) liberæ eorum dispositioni indulgent: ergo cum à frequen-

tec

ter accidentibus sumatur probabilis credulitas *l. in obscuris ff. de regul. iuris*, poterit id mulier prudenter cedere, quo posito, probabilis est grauissimorum Doctorum sententia, religiosum habentem licentiam, validè dare meretrici, vel ludere, neque accipientem teneri ad restitutionem, imò neque ipsum peccare contra votum paupertatis, sed tantum contra Castitatem, ita docent Rebellius *part. 2. lib. 12. quæst. 4. sect. 2. num. 6.* Alcozer *de ludo c.* 17. Angles *quæst. de restitut. ludi dub.* 1. Lopez *lib. 2. de contract. cap. 40. §. an autem, & part. 2. instructor. conscientiæ cap. 33. alias* 183. Medina *prima parte summæ cap. 14. §. 29.* Salas *de ludo dub.* 21. Diana *part. 2. tract. 15. resol. 54. part. 3. tract. 1. resol. 65. & 98. & p. 7. tract. 9. resol. 15.* Bannes 2. 2. *quæst. 62. art. 5. dub. 5. vers. aduertendum* Io: Franciscus Suar. *in Enchiridio casuum conscientiæ lib. 3. vers. de voto paupertatis fol.* 256. probabilem asserit Sayrus in claui regia *libro 11. cap. 12. num. 15.* & Card. Lugo *de iustit. disp. 3. sect. 7. num. 142.* Faustus *in speculo confessar. disp. 32. q. 21. num. 5.* vbi affirmat validè expendere, & accipientem non teneri ad restitutionem; at inquit eum peccare contra votum paupertatis, quod videtur non dici consequenter. Ratio est, Primò, quia ea generali concessione Prælatus quãtum ex parte sua aufert impedimentum, vt talis vsus non sit contra votum paupertatis ex defectu licentiæ, atque ideo recipiens non tenetur restituere. Secundo, quia duo consideranda sunt in vsu illicito, nempè consumptio pecuniæ, & fornicatio, quò ad secundum est omnino inuitus Prælatus, at non est inuitus, quò ad consumptionem, & supposita fornicatione, de consumptione pecuniæ non curat; ergo erit peccatum contra castitatem, non contra paupertatem. Tertiò, quia viuens extra religionem ex licentia Papæ, vel ejectus si expendat in vsus illicitos, factam tenet, prout obseruatur ex consuetudine, neque accipiens tenetur ad restitutionem, vt docent Molina *tr. 2. disp. 276.* & Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 13.* Salas *de ludo qu. 21. n. 5.* ergo etiam religiosus accepta licentia generali, si det meretrici, hæc non tenetur ad restitutionem.

QVÆSTIO XXXIII.

An validè instituatur hæres religiosus, vt distribuat bona, prout sub confessionis sigillo audiuit, cum conditione ne se intromittat Religio?

SVMMARIVM.

Valida est institutio ad pias causas, etiam si committatur in liberam voluntatem hæredis. n. 1.

Non potest religiosus sine licentia superioris acceptare hæreditatem, aut munus executoris. n. 2.

Prælatus Regularis non potest se intromittere, in distributione bonorum facienda ab executore religioso, numero 3.

An si factum sit legatum, vt nihil acquiratur Monasterio, adhuc acquiratur. n. 4.

Potest cogi Religiosus ad declarandum opera pia; si non obstat sigillum Sacramentale, aut naturalis secreti. num. 5. & 6.

An credatur dicenti se habuisse sub sigillo? n. 7. quomodo compellendus ad dicendam veritatem? n. 8.

An hic religiosus possit compelli, vt det monasterio? num. 9. & 10.

1 RESpondeo, & dico primò. Valida est huiusmodi hæredis institutio, seù dispositio, etenim institutio, aut legata ad pias causas valida sunt, etiam si committantur in liberam voluntatem hæredis, vt constat ex text. *in cap. cum tibi de testamentis*, vbi Innocent. III. ait, *Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus*, & id etiam patet *ex l. id quod pauperibus C. de Episcop. & Cler.* Abbas Innoc. & Couar. *in d. cap. cum tibi* Sanchez *Consiliorum libr. 4. cap. 1. dub. 65.* Molina *tractat. 2. disputat. 234. in fine, & disput. 157. §. legatum* Lessius *libr. 2. cap. 19. dub. 2.* Clarus *§. testamentum quæst. 6.* Tiraq. *de priuilegijs piæ causæ priuil. 64.* Lugo *de iustitia disputat. 24. num. 342.* Diana *part. 5. tract. 3. resol. 127.* Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 2. num. 7.* vbi ex Innocentio, Abbate, Claro, & Couar. docet, quod si testator dixit committo omnia bona mea arbitrio, & dispositioni Titij, tunc titius erit solo nomine hæres, & merus executor, vnde totam hæreditatem obligatus erit in pias causas erogare.

Verum in casu nostro non erit solo nomine hæres, si reuera testatrix in confessione non commisit omnia bona in opera pia erogari, vt infra dicam,

Dico secundò non potest Petrus Religiosus, abs-
2 que sui superioris licentia, acceptare hæreditatem,
aut officium executoris testamenti si esset solo nomine hæres, vt patet de executore *ex cap. 2. de testamentis in 6. & clem. vnica eod. tit.* de hæreditate quoque patet, quia alioquin incurreret vitium proprietatis.

Dico tertiò, si Prælatus Religionis dederit licen-
3 tiam acceptandi hæreditatem, & executoris officium suo religioso, non potest ipse Prælatus se intromittere in hæreditate, ita vt aliter, quam iuxta arbitrium religiosi distribuantur bona hæreditaria, etiam si testator id non prohibuisset; Ratio est, quia executoris officium est munus personale, & non transit ad monasterium, ita Bart. *in suis qq. disputatis qu. 12.* & alij quos sequitur Sanchez *in summa lib. 6. cap. 11. n. 21.* à fortiori autem id est dicendum stante prohibitione cum annullatione institutionis, facit doctrina Abbatis *cons. 42. vol. 2.* Fran-
4 chi *decis. 718.* Graffij *decisionum part. 1. libr. 3. cap. 5. num. 41.* qui docent, quod si testator reliquit legatum monacho, & voluit, quod nihil acquiratur monasterio, alioqnin nullum esset legatum, tunc si non consentiret superior, vt Monachus retineat legatum, illud non valet, & nihil erit soluendum, sed remanebit penes grauatum.

Dico quartò, quando non adest sigillum secreti
5 naturalis, aut Sacramentalis, cogi potest religiosus ab Episcopo, vt declaret opera pia, in quæ testator voluit sua bona distribui, vt docet Card. Lugo *de iustit. disp. 24. n. 336.* Imò etiam si testator prohibuisset

exigi

exigi rationem ab executore à se designato, nihilominus potest, ac debet Iudex Ecclesiasticus eam ab ipso exigere, vt ex tex. *in authentica de Ecclesiasticis titulis* §. *pro redemptione*, glosa. Abbas, & Conar. *in cap. tua nobis de testamentis* Molina *tract. 2. disput. 251.* §. *dubium deinde*. Ratio est, quia exigere huiusmodi rationem est munus publicæ potestatis in Reipublicæ commune bonum introductũ, quod testatur non potest impedire, præsertim cum huiusmodi impedimentum præberet occasionem peccatis.

Dico quintò, neque potest, neque tenetur exe-
6 cutor reddere rationem, aut declarere ea, quæ defunctus ei secreto naturali, aut sub sigillo confessionis iniunxit, ita Sanchez *consiliorum lib. 4. cap. 1. dub. 49.* Lugo *de Iustitia disp. 24. num. 334.* De Sacramentali secreto est euidens; De secreto autem naturali probatur, nam alioquin cogeretur testatur prodere se ipsum, si fortè relinquit pro exoneratione suæ conscientiæ, aut aliunde ex hoc manifestaretur aliquod eius delictum.

Aduertit tamen post Sanchez, Lugo, non cre-
7 di confessario diceuti sibi sub sigillo commissum, alioquin pararetur via fraudibus, nisi testibus probaret commissionem sibi factam sub secreto, id asserente testatore. Verum credo in defectu testium stari eius iuramento.

Aduertit præterea idem Lugo teneri executorem reddere rationem, quando præsumeretur fraus, quia res distribuendæ pœnes ipsum reperirentur.

At contrarium puto verum, non enim culpa executoris nocere debet testatori, vt eius secreta prodantur, neque id potest vmquam fieri obstante sigillo confessionis, quare post datum iuramentum, aut censuram comminatam, standum eius conscientiæ; tum quia fortè nulla fuit executoris culpa; posset enim ex iusta causa res retinere, quia adhuc tempus eas distribuendi non aduenerit.

Dico sextò, potest Episcopus, ac Prælatus regularis sub præcepto obedientiæ, & etiam comminata excommunicatione, compellere hunc religiosum, vt si re vera nullo teneretur secreto naturali, aut Sacramentali (quia testatrix, vt ei complaceret dixit, se commisisse sub sigillo confessionis cum re vera nihil commiserit sub sigillo) potest inquam cõpellere, vt declaret, si potest saluo vtroque secreto, declarare voluntatem defuncti, vt reddat raionem. Probatur ex dictis, quia sicuti testatur non potest disponere, vt executor non reddat rationem Episcopo, ita neque potest disponere, vt non declaret suam voluntatem Episcopo, ac Prælato regulari; ad hoc ne religiosus fraudem committat; quare si re vera nullum sit sigillum confessionis; aut nullum sit secretum naturale, quia ipse testator parùm curat suam voluntatem. Notam esse, quia fortè dixit, vt in opera pia arbitrio religiosi distribuerentur, hoc casu non potuit testator impedire, ne religiosus aperiat commissionem sibi factam, atque reddat rationem, vt patet ex dictis supra.

Dico septimò, non potest Prælatus regularis compellere religiosum cui commissa est distributio in opera pia, vt det totum, vel aliquid suo Monasterio, quamuis, vt ait Sanchez *lib. 6. summæ cap. 11. num. 59.* possit suo Monasterio elargiri. Ratio est, quia instituto hærede, religioso, & adiectò, vt in opera pia distribuat hæreditatem, tunc hæres est solo nomine, & reuera merus exequutor: ergo sicuti Monacho nullum Ius competit ad bona hæreditaria, ita neque competit Monasterio; nisi postquam religiosus elegerit Monasterium; sed ad electionem Monasterij cogi non potest, quia vt docet Sanchez *d. cap. 11. num. 21.* munus exequendi, seu eligendi personale est, & competit Monacho, & non transit ad Monasterium, neque in electione piorũ operũ Prælatus se intromittere potest.

Dico octauò, potest religiosus iste eligere se ip-
10 sum, & in suam vtilitatem conuertere relictum, si sit data facultas distribuendi in opera pia, sed eo casu poterit Prælatus eam v. g. pecuniam Monacho applicatam auferre, & in communes conuentus vsus consumere, vt docet Sanchez *d. lib. 6. summa cap. 11. num. 61.* Quare poterit Prælatus præceptis, & censuris compellere religiosum, vt nihil in suos vsus expendendum ab hæredirate accipiat, & si quod accepit det Monasterio. Quamuis enim Prælatus nequeat se intromittere in electione piorum operum; at post electionem factam in beneficium ipsius religiosi, poterit id illi auferre, quia tunc acquisitum est Ius Monasterio.

QVÆSTIO XXXIV.

An Religiosus cui donatum est, vt distribuat, prout in confessione audiuit, possit compelli ad declarandum? & quæ saluo sigillo declarare possit? & an peccet contra paupertatem dando alijs locis pijs, & non suo Monasterio.

SVMMARIVM.

Compelli potest ad declarandum ea, quæ potest saluo sigillo num. 1.

Quid possit saluo sigillo declarare. n. 2.

Non omne, quod dicitur intra confessionem cadit sub sigillo. num. 3.

An peccet religiosus dando alijs locis pijs, & non suo Monasterio? num. 4.

1 AD primum Respondetur compellendum esse declarare ea, quæ potest saluo sigillo. Ratio est, quia in his præsumitur fraus, vt prætestu confessionis liberè dispònat contra votum paupertatis: tum quia alioquin in potestate sua esset fraudare pias voluntates Cardin. Lugo *de Iust. disp. 24. num. 334.* Sanchez *consiliorum lib. 4. cap. 1. dub. 49.*

Ad secundum respondetur posse saluo sigillo
2 declarare sequentes propositiones.

Primò, potest declarare, an donans nihil aliud dixerit in confessione, quàm, quod religiosus *pro suo arbitratu disponeret*, dicens: *tua voluntas mea est, fac vt libueris*.

Secundò, potest declarare, an donans obligauerit ad dandum pauperibus, & locis pijs, quorum

rum tamen electionem religioso commisit.

Tertiò potest declarare, an donans voluit certam summam v. g. mille, dari certis personis, debet tamen tacere nomen personarum, debet quoque tacere causam, ob quam voluit illis dari.

Probo, posse has propositiones saluo sigillo de-
3 clarari, quia non omne, quod dicitur intra confessionem spectat ad Confessionem, aut cadit sub sigillo; sed ea tantum, quæ sunt peccata, vel quæ dicuntur propter explicanda peccata, quare illa, quæ nihil omnino deseruiunt ad explicanda peccata: aut non dicuntur hoc fine propter explicationem peccatorum, ea dicuntur concomitanter, & non cadunt sub sigillo, ita Suarez *tom.4.3.p.disp.33.sect.3.* Mercerus *3.p.q.11.art.2.* Diana *p.5.tract.11.resol.5.*

Sed quod donans velit Confessarium suo arbitratu disponere, aut velit disponere ex sua electione ad pias causas, aut velit dari mille certis personis, tacito nomine personarum, & tacita causa, non est aliquid, quod dicatur propter explicationem peccatorum: ergo est impertinens ad confessionem, neque cadit sub sigillo, & perinde est, ac si fuisset dictum extra confessionem.

Ad tertium an peccet dando alijs locis pijs, & non suo monasterio? Respondetur, quatuor posse considerari casus.

Primus est, quando in confessione dixit, facias de his bonis, vt libuerit, & tua voluntas mea est, hoc casu peccat dando alijs. Ratio est, quia ipso iure ea bona acquisita sunt monasterio, quare alijs donat bona monasterij, nam ea verba dicta in confessione relinquunt eam donationem reuera liberam.

Secundus est casus, quando in confessione dixit quidem, tuo arbitratu da pauperibus, & locis pijs: hæc bona tamen ex diuersis, & apertis coniecturis, patet, noluisse obligare ad dandum pauperibus, sed liberè dedisse religioso sua bona, & ideo dixit, quod daret suo arbitratu pauperibus, quia propter Sacerdotis bonitatem, ac pietatem, supponebat donans in alia opera, præter pia, ab ipso non fore ea bona distribuenda. Hoc casu sicut in præcedenti, remanent ea bona liberè donata, & sic ea bona ipso iure transeunt ad Monasterium, vnde peccat alijs dando.

Tertius est casus, quando obligauit religiosum ad dandum pauperibus, ac locis pijs, quorum electionem religioso comisit; Hoc casu non peccat dando alijs locis pijs. Ratio est, quia tunc non transeunt ad monasterium, nisi Religiosus eligat monasterium, ad hanc tamen sui monasterij electionem compelli non potest, Sanchez *in summa lib.6. cap.11. num.59.*

Quartus est casus, quando obligauit ad dandum certis personis, & tunc est euidens, posse dare, quia est merus exequutor.

(*.*)

QVÆSTIO XXXV.

An bona licitè acquisita ab Apostata tempore apostasiæ, si reuertatur ad religionem, & in ea decedat, spectent ad Religionem?

SVMMARIVM.

Responsio affirmatiua est communis. num.1.

Constitutiones Pontificiæ statuentes bona acquisita ab Apostata spectare ad cameram loquuntur, quando Apostata priuatur bonis illicitè acquisitis; aut moritur in Apostasia. n.2.

Spectant ad religionem, quando reuertitur ad religionem, & ijs non est priuatus. n.3.

Quid, si fuerit iniustè electus à Prælato, etiam cum consensu capituli? n.4.

1 Respondetur affirmatiuè ita Suarez *de relig. tom.4. lib.3. cap.2. num.19.* Sanchez *in summa lib.3. cap.33. num.9. & 31.* Emanuel Rodriquez *quæstionum Regular. tom.1. quæst.30. art.11.* Hieronym. Rodriquez *in compend. Regular. resol.11. num.11.* Miranda *in manuali Prælatorum tom.1. quæst.51. artic.7.* Portel *v. Apostata num.7.* Sanctarellus *de apostasia cap.3. num.23.* Sanctosaustus *in thesauro Religiosor. lib.8. qu.56. num.2.* Cherubinus *ad Bullam 43. Gregor. XIII. quæst. prima.*

Probatur, quia Constitutiones Pontificiæ, *nempè 43. Gregor. XIII. Incip. officij nostri, & 19. Pij IV. incip. decens esse decernimus, & 29. §.1. Pauli III,* quas refert Miranda *vbi supra*, statuentes, bona Apostatæ spectare ad Cameram Apostolicam, loquuntur in duobus casibus. Primus est, quando Apostata ob illicitam negotiationem illis bonis illicitè acquisitis priuatur. Secundus est, quando decedens extra claustra reliquit spolia post obitum, quæcumque illa sint, etiam licitè acquisita: ergo istæ constitutiones non sunt extendendæ ad casus non expressos, & sic ad casum, quo bona licitè acquisita sunt ab apostata, qui rediens ad religionem in ea moritur; nam iurium correctio strictè est accipienda, iure communi enim bona acquisita tempore apostasiæ spectant ad religionem *c. abbates 18. quæst.2.* Innocentius *in cap. cum olim il secondo num.4. de priuilegijs*, vbi Hostiens. *num.13.* & Io: Andreas *numer.7. de cleric. coniug.* Imola *in l.1. §. per seruum num.30.* vbi Iason *num.13. ff. de acquirenda poss.* sicut bona serui fugitiui pertinent ad dominum *l.1. §.1. ff. de acquir. rerum dominio;* Ratio est, quia, quicquid monachus acquirit: ergo non potest apostatando monasterium suo iure priuare; tum, quia spoliorum introductio odiosa est, ideo strictè interpretanda Calderinus *consl.1. numer.1. de peculio clericorum* Seraphinus *decis.594. num.1.* tum, quia religiosus decedens intra claustra, verè non relinquit spolia, quia non habet, nisi merum vsum facti bonorum, quæ retinet: ergo bona relicta, cum supponantur nullo modo ipsius, non sunt dicenda propriè spolia. tum, quia reuocato ad religionem apostata, est ab illa alendus, & si iustè eijciatur præstanda sunt illi alimenta, ne statim mendicare cogatur, vt rectè aduertit miranda: ergo ad

ad illam spectant bona per eum acquisita.

Quod autem prædictæ constitutiones Pontificiæ loquantur in duobus casibus allatis, patet ex earum contextu, nam de primo casu negotiationis illicitæ loquitur Pius IV. de secundo casu, quo Apostata decedit extra claustra, loquitur Gregorius XIII. ait enim §.3. *Bona quæcumque per regulares extra claustra degentes, nisi ij, ad quos spectant, sufficienti fuerint testandi facultate suffulti, ad Cameram spectare, ac bona eorumdem sub spoliorum nomine comprahensa, per Cameram recuperari posse, iuxta Pauli III. litteras, & eandem vniuersaliter in spolijs prædictis succedere, & nomen veri hæredis habere*, ita Gregorius. Sed nomen hæredis refertur ad mortuum: ergo non succedit, nisi in morte. Præterea spolia sunt mortui; ergo Camera mortuo succedit. Præterea Constitutio Pauli III. quæ est 29. §.1. expressè loquitur de spolijs post mortem relictis. Deinde camera succedit Apostatæ, tamquam hæres: ergo mortuo apostatæ, seu decedenti in apostasia extra claustra; nam qui moritur intra claustra, iam non moritur apostata.

Colliges primò, quod bona illicitè acquisita per 3 illicitam negotiationem non spectant ad Cameram; quando apostata ijs non est in vita priuatus, sed reuocatus ad religionem, in ista decedit, ita Rodriquez *qq. regular. tom.1. quæst.30. artic.12.* Miranda *tom.1. quæst.51. artic.7.* contra Suarez *de relig. tom.4. lib.3. c.2. n.29.*

Ratio est, quia spolia dicuntur mortui apostatæ, non autem moritur apostata, qui reuocatus ad religionem, in ista moritur.

Colliges secundò, illa dici illicitè acquisita ab apostata, quæ illicitè acquirerentur à Clerico, quatenus clericus est, nempè per negotiationem clericis prohibitam, aut per militiam.

Aduerte autem, bona prædicta apostatæ dece-4 dentis intra claustra spectare ad monasterium, etiam si ab eius prælato fuerit priùs iniustè eiectus; vel rediens fuerit iniustè non acceptatus; quia delictum Prælati non nocet Monasterio *cap. delictum de regulis iuris in 6.* etiam si minor pars conuentus consensisset, Dynus *in d. cap. delictum*, quod si maior pars consentit capitulariter ad iniustam eiectionem, vel repulsam, neque est priuandum monasterium prædictis bonis, nisi post sententiam iudicis declaratoriam, nullus enim tenetur ad pœnam subeundam, nisi post sententiam, ita Sanchez *in summa libro 7. capit. 33. numero 22.* Molina *disputat. 140. in fine.*

* * *

QVÆSTIO XXXVI.

Sit ita legatum sit Religioso consanguineo, vt teneatur hæres necessitatibus eius succurrere, ita prout ab ipso fuerit requisitus, dummodo quantitas petita, singulis annis, non excedat ducatos octoginta, & eo anno, quo à dicto Religioso non fuerit requisitus, ad nihil teneatur. An monasterium inuito, aut ignorante Religioso; possit petere legatum? Et an Prælatus possit compellere ad petendum?

SVMMARIVM.

Monasterium potest inuito, aut ignorante monacho adhire hæreditatem illi delatam. n.1. sic etiam legatum. n.2.

Non potest Monachus sine Prælati licentia adire hæreditem, aut acceptare legatum. n.3.

Potest Prælatus compellere monachum ad acceptandum legatum, aut adeundam hæreditatem. num.4. vide num.19.

Legatum relictum pro necessitatibus Religiosi, potest Prælatus in vsus communes Monasterij conuertere. numer.5.

Ea verba, si voluerit, faciunt legatum conditionale. num.6.

Sic etiam ea verba; ad omnem instantiam, faciunt legatum conditionale. n.7. Cum petierit, cum voluerit, constituunt legatum conditionale. n.8.

Clausula resolutiua importat conditionem. n.9.

Clausula in fine posita, comprehendit omnia antecedentia, quæ continentur in eadem oratione. n.10.

Declaratio voluntatis est actus personalis, qui nequit fieri ab alio. num.11.

Non potest Pater declarare voluntatem filij, nec Dominus serui, nec Prælatus religiosi. n.12.

Quando aliquid committitur arbitrio alterius, ille actus est personalis, neque tunc licet recedere ab eius persona. n.13.

Natura conditionis voluntariæ est, vt sit implenda in forma specifica, non per æquipollens n.14. præsertim si conditio voluntaria habet diuersum effectum. n.15.

Clausula resolutiua importat formam specificam. n.16.

Clausula in fine posita refertur ad omnia antecedentia, quando militat eadem ratio. n.17.

Potest testator legare pro necessitatibus religiosi, ita vt Prælatus non se ingerat, alioquin caducatur legatum. num.18.

Si legatum sit Religioso, si volueri, si petierit, non poterit compelli ad petendum legatum. n.19.

1 PRo parte affirmatiua affertur. Primò, quia, quamuis sit ardua quæstio inter Doctores, an possit Monasterium inuito, aut ignorante Monacho, adire hæreditatem illi relictam? communior tamen, ac probabilior sententia est, quod possit, ita Bartolus *in l.1. num.21. & 22. ff. de vulgari*, vbi Bartholomæus Soccinus *numer.22.* Alexand. *numer.23.* Ripa *numer.151.* Imola *numer.6.* Iason *numer.43.* Alciatus *num.83.* Parisius *numer.113.* Cappella Tholosana *dec.226.* Francus *decis.40. in fine.* Gama *decis.308.* & infinitas citat, ac sequitur Sanchez *in summa libro 7. cap.12. num.40.* Cardinalis

Lugo

Lugo *de iust, tom.1, disp.3. sect 5, n.94.*
Secundò, quia quicquid sit de hęreditate, quò ad
2 legatum, tamen certissimum est, in omnium sentẽ-
tia, ipsum sine facti monachi, ipso iure acquiri mo-
nasterio, & sic inuito, aut ignorãte monacho potest
monasterium acceptare legatũ quia legatũ adop-
tione aliqua nõ indiget, & hoc esse certũ asserit Pa-
risius *in c. in præsentia n.206. in fine de probation.* Guil-
lelmus de Benedictis *in cap. Raynutius verbo si absq; liberis il secondo n.82. de testamentis*, Sanchez *in sum-
ma lib.7. cap.12. n.38*, Cardinalis Lugo *de iustit. disp.
3. sect.5. n.94.*
Tertiò quia non potest monachus, neq; hæredi-
3 tatem, neq; legatum petere, aut acceptare sine Præ-
lati licentia, Imola *in c. dudum de sepult.* Addentes
ad Cappellam Tholosanam *decis.226.* ergo tantùm
Prælatus poterit petere legatum inuito monacho.
Quartò quicquid sit, an sit necessaria petitio, vel
4 acceptatio monachi, tamen ad tollendas lites, po-
test Prælatus Regularis, compellere censuris, & pę-
nis monachum ad acceptandum, sicuti potest
compellere ad agenda alia vtilia monasterio, spe-
culator, Fulgosius, Villalobos, & Spino, quos citat,
& sequitur Sanchez *in summa lib.7. c.12. n.41.*
Quintò, quia quamuis relictum sit legatum pro
5 necessitatibus monachi, adhuc tamen potest supe-
rior ad libitum de ipso disponere, atque conuerte-
re in vsus communes monasterij, quia legatum ip-
so iure transit in monasterium: ita Rodriquez *qq.
regular. tomo 2. q.125. art.6.* Portel. *verbo legatum
n.5.* Sanchez *in sum. lib.7. c.17. n.21.*
His tamen non obstantibus, dico non posse Pręlatum petere legatum præsens, non petente Religioso, aut sine speciali mandato eiusdem religiosi, & si petat, non teneri hęredem ad solutionem, neq; ipsum Religiosum posse cogi ad petendum.
Fundamentum est, quia pręsens legatum est conditionale, si Religiosus voluerit, si petierit: ergo hęc conditio in forma specifica est implenda, atq; adeo eo nõ petente, Prælatus, seù monasterium nequit petere.
Antecedens Probatur primò ex illis verbis testamenti *teneatur hæres necessitatibus eius succurrere, pro vt ab ipso fuerit requisitus*, quod perinde est, ac si dixisset: *teneatur soluere si petierit, si voluerit, si declarauerit se velle*, non enim illæ formulæ loquendi differunt ab illa: *ita prout ab ipso fuerit requisitus*: Sed
6 illa verba *si voluerit, si petierit*, faciunt legatum con-
ditionale, adeo vt antequam legatarius petat, aut
declaret, dies legati non cedat; neque ius vllum
transeat ad legatarium, & si ante declaratum con-
sensum, aut ante petitionem legatarius moriatur,
non transmittit legatum ad suos hæredes, quia non
est purificata conditio *l. si ita legatum §. illi si volet
l. senatus §. legatum ff. de legatis primo l. si ita expres-
sum ff. de conditionibus, & demonstrationibus* Angelus
cons.293. n.2. & quamuis conditio ista, *si volet*, de
natura sua insit legato, tamen si exprimitur à te-
statore reddit legatum conditionale, & est condi-
tio voluntaria non necessaria, nam tunc testator
non vult diem legati cedere, neque deberi, ante-
quam ponatur conditio, idest antequam petatur,
aut antequam legatarius declaret se velle glosa, &
Bartolus *in l. si ita legatum §. illi si volet ff. de legatis
primò.*
Secundò, idem antecedens probatur ex iisdem
verbis, prout ab ipso fuerit requisitus, quod perinde
7 est, ac si dixisset ad omnem ipsius instantiam: Sed
hæc verba quod ad omnem instantiam debeat sol-
uere faciunt legatum conditionale, quia impor-
tant, idem ac cum voluerit, seù quod non tenea-
tur soluere, nisi cum petierit solutionem, ita Castil-
lionus *cons. 17. num. 17. & 18. vers. caterum* Tu-
schus *verbo conditio concl.583. n.34.* Alexand. *cons.
72. n.14. vol.5.*
Tertiò, quia ea verba *teneatur succurrere, ita, prout
ab ipso fuerit requisitus*, important idem, ac si dixis-
set cum petet, cum voluerit: Sed hæc verba Lego
8 Petro *cum petierit, cum voluerit*, faciunt legatum
conditionale tex. est expressus *in l. fidei commissum
§. sic fidei commissum ff. de legatis tertio* ibi: *Hoc lega-
tum cum voluerit conditionale esse, nulli dubium est l. si
decem cum petiero ff. de verb. obligat.* Glosa *in l. Sena-
tus §. quando ff. de legatis primo l. cum vir ff. de condi-
tion. & demonstrat. l. quod pupillæ ff. quando dies lega-
ti cedat* Detius *cons.421. num. 5.* Hondedeus *cons.
51. num.5. vol. 2.* Crauetta *cons.15 num. 3.* Surdus
cons.298. num.35. vol.2. Parisius *cons.81. num.6. vol.
1.* Ruinus *cons.68. n.7. vol.4.*
Quartò, ea clausula resolutiua, nempè: *& eo an-
9 no, in quo à dicto Religioso non fuerit requisitus ad nihil
teneatur*, hæc inquam clausula resolutiua importat
conditionem Ruinus *consil.152. vol.4.* quod autem
ea clausula resolutiua cadat, tam supra tempus, si
scilicet non petierit infra annum, quàm supra per-
sonam, idest si religiosus legatarius non petierit;
10 probo nam clausula in fine adiecta, comprehendit
omnia antecedentia posita in eadem oratione;
Bartolus per illum text. *in l. seia §. Gaio ff. de fundo
instructo, & in l. si ita stipulatus §. Chrysogonus col.3.
ff. de verborum obligat.* Imola, & Buttius *in Clement.
prima de supplenda negligentia Prælatorum* Detius
cons.92. num.1. Natta *cons.614. num. 2.* Alex. *cons.
66. num.6. lib.3.* tum quia, quæ in vna oratione in-
cluduntur, debent pariter determinari *l. tam hoc iu-
re §. fin. ff. de vulg. & pupill. l. quamuis C. de impuber.*
tum, quia, vt ait Castillo Sotomaior *quotid. contro-
uers. lib.5. cap.114. num.4.* ea verba, quod aliter non
teneatur soluere sunt annullatiua dispositionis, in
qua proferuntur, si in actu non concurrant omnes
qualitates præcedentes.
Itaque satis probatum est, illud antecedens nostri fundamenti, præsens legatum esse conditionale, si religiosus nepos petierit, si voluerit. Restat vt probemus illam consequentiam: Ergo conditio in forma specifica est, implenda, atq; adeo religioso non petente, Prælatus, seù monasterium nequit petere.
Consequentiam hanc multipliciter ostendo; nam in ea probanda residet tota difficultas.
Primò itaque probatur, nam in hoc legato con-
ditionali si legatarius voluerit, si petierit, illa volũ-
tatis declaratio, est actus personalissimus, qui ab ip-
11 so legatario, non autem ab alio eum repræsentante
fieri pôt, nisi de eius mandato speciali, tex. est ce-
leberrimus, & expressus *in l. si ita expressum 69. ff. de
condition.*

condition. & demonstrat. Cuius hæc sunt verba: *si ita expressum erit: Titiò si voluerit, do lego; apud labeonem, Proculus notat, non aliter ad hæredem legatarij pertinere, quàm si ipse legatarius voluerit ad se pertinere: quia conditio personæ iniuncta videtur*, ita ibi. Nota: *conditio personæ iniuncta videtur*; vnde quamuis hæres repræsentet personam defuncti, tamen non poterit declarare se velle legatum; Ratio est, quia declaratio voluntatis est actus personalis, qui non potest ab vllo alio, quàm ab ipso legatario præstari, ita ex *l. idem Pomponius §. fin. ff. de rei vindicat. l. centesimis §. fin. ff. de verborum obligation. l. in compromissis ff. de receptis arbitris*, Angelus *cons.* 293. Castillo Sotomaior *controuersiarum iuris libr. 2. capit. 6. num.* 34.

Secundò, quia ita monasterium repræsentat mo-
12 nachum, præsertim quò ad acquisitionem legati, sicuti Pater filium, dominus seruum, Baldus *in l. 1. quæst. 10. C. qui admitti*: Sed declaratio voluntatis adeo est actus personalis, vt nequeat pater ex persona filij declarare se velle, aut dominus ex persona serui, tex. est expressus *in l. si stipulatus fuerim 76. ff. de verborum obligat.* vbi Bartolus *num. 3.* ait: *quod ea, quæ sunt meri facti, & consistunt in declaratione voluntatis, vt in legato optionis, non transeunt ex persona filij ad Patrem, aut ex persona serui ad dominum*: ergo neque transeunt ex persona monachi ad monasterium, idem docet Iason *in l. inter stipulantem 83. §. si stucum num. 7. in fine ff. de verborum obligat.* idem probat textus *in l. qui hæredi 45. ff. de condition. & demonstrat.*

Tertiò, quia non est legata determinata, ac certa quantitas, sed incerta, dummodo non excedat annuos ducatos octoginta, dixit enim testator teneatur hæres necessitatibus eius succurrere, ita pro vt ab ipso fuerit requisitus, quare remisit arbitrio nepotis quantitatem quam vellet petere: sed quan-
13 do aliquid definiendum est arbitrio alterius, ille actus declarandi est personalissimus, & nullo modo poteſt recedere ab eius persona *l. si coita 76. ff. pro socio* Gratianus *disceptationum forensium cap. 444 num. 16. cum seq.* Marius Giurba *ad consuetudines Senatus Messanensis cap. 2. glosa 7. parte 1. num. 20. 21. & 22. fol. 209.* Castillo Sotomaior *controuers. iuris lib. 5. c. 183. num. 11.* Hinc rectè docent omnes, quod facultas data alicui religioso distribuendi suo arbitratu in pauperes, aut in pia opera, non transit in monasterium, Imola *in clem. vnica num. 24. de testamentis* Sanchez *in summa lib. 6. c. 11. n. 21.*

Quartò, eadem consequentia probatur, nam ista conditio, *si voluerit, si petierit, prout petierit*, est conditio voluntaria, quando est expressa, nam facit legatum conditionale, & impedit ne dies legati cedat, Bartolus, & glosa *in l. si ita legatum §. illi si volet ff. de legatis primo*, sed natura conditionis volun-
14 tariæ, est, vt sit adimplenda in specifica forma, formaliter, & specificè, cruditer, & vt verba sonant, nec sufficit impleri per æquipollens, ita docent communiter ex tex. *in l. qui hæredi, & l. meuius ff. de conditionibus, & demonstrat.* Bartolus *in l. gallus §. & quid si tantum col. 1. ff. de liberis, & posthumis*, vbi Baldus, Imola, & Castrensis, *num. 7.* Iason *num. 27. & 28.* Ruinus *in prima lectura num. 60.* Menoch. *lib. 4. præsumpt. 185. num. 24.* Latissimè Soccinus *in l. 1. col. 14. vers. octauo notabiliter ff. de vulgari, & pupillari* Rota Romana *decis. 433. num. 2. par. 1. in nouissimis* Soccinus Iunior *cons. 102. num. 36. & 37. vol. 1. & cons. 180. num. 41. vol. 2.* Rolandus *cons. 57. num. 55. vol. 3.* Ruinus *cons. 4. num. 4. vol. 5.* Id præsertim procedit quando conditio voluntaria producit di-
15 uersum effectum cum impletur in forma specifica, ac cum impletur per æquipollens, quod accidit in casu nostro, nam monachus non petit, nisi quando indiget, quantum indiget, ac pro suo vsu particulari: Monasterium verò semper petet, quia semper indiget, petet singulis annis totam quantitatem octoginta ducatorum, ac non pro necessitatibus particularibus nepotis testatoris, quibus testator prospexit, sed pro communi vsu monasterij: ergo manifestè patet esse contra mentem testatoris eam conditionem impleri per æquipollens.

Quintò, idem ostenditur ex illis verbis: *Et eo anno, in quo à dicto Religioso non fuerit requisitus, ad nihil teneatur*: est enim clausula hæc resolutiua, perinde enim est, ac si dixisset: *Nisi petitum sit infra annum à*
16 *dicto Religioso, ad nihil teneatur*, quæ verba important formam specificam, neque recipiunt alium intellectum, & modificationem separatam à verbis Alex. *cons. 3. n. 4. vol. 1.* Roland. *cons. 63. n. 31. vol. 4.* Soccinus *cons. 251. col. 4. vers. postremo vol. 2.* vbi ait, quod talia verba sunt præcisa, neque patiuntur dispositionem, cui adijciuntur recipere alium sensum, quàm verba sonant. Difficultas est, an clausula resolutiua, quod non teneatur soluere cadat supra tempus tantum, vel etiam cadat supra personã? scilicet si nepos non petet? supra probaui cadere supra vtrumq; nã clausula in fine posita cadit supra omnia antecedentia, quę sunt in eadẽ oratione, quę regitur ab vno verbo. Sed nunc euidẽtius hoc pro-
17 bo, nã clausula in fine posita, refertur ad omnia antecedentia, quando in illis militat eadẽ ratio Craur. *cons. 149. per totum* Bellamera *cons. 33. n. 19. & 20.* Imola *cons. 131.* Romanus *cons. 480. col. 2. vers. capio* Alexander *cons. 122. num. 15. & 16. vol. 7.* nam ratio, præsertim expressa in testamento, sic disponit, sicut ipsa verba dispositiua disponunt *l. emptor §. fin. ff. de rei vindicat.* Roland. *cons. 99. n. 46. vol. 4.* latissimè, & infinitos cumulans Castillo Sotomaior *controuers. iuris lib. 5. cap. 169. num. 7.* Sed ratio quare disposuit testator, vt si nepos intra annum octoginta non peteret ad nihil hæres teneretur, hæc est, quia cum mens eius esset, vt succurreretur necessitatibus particularibus nepotis Religiosi, non potest Religiosus indigere singulis annis maiori summa, quam octoginta ducatorum; quare meritò noluit teneri, si intra annum non petantur, nam sequenti anno duplicata summa caderet in beneficium monasterij, non autem nepotis: ergo pari ratione noluit hæredem teneri, non solum si non fuerit requisitus intra annum, sed si non fuerit requisitus ab ipso nepote, cum enim à nepote requiritur, eius particulari necessitati succurritur; cum verò requiritur à Prælato, tunc monasterij communibus vsibus pecuniæ applicatur: ergo cum eadem ratio militet in vtroque casu, ad vtrumque refertur clausula

illa

illa resolutiua in fine posita.

Sextò, quia potest testator legare pro particulari
18 necessitate Religiosi, ita vt Abbas non se ingerat sed illi permittat, & tunc si Abbas se ingerit, efficitur caducum legatum, nec vltra debetur Bart. *in l. si alienum 49. ff. de hæredibus instituend. & in authentica excipitur, num. 2. C. de bonis quæ liberis*, vbi Angelus, Corneus, & Fulgosius, Abbas *in cap. 2 num. 8. de statu Monachorum, & in consl. 44. num. 3. & consl. 63. num. 8. vol. 2.* Archidiaconus *in cap. primo 16. quæst. 3.* Durantis *de arte testandi tit. de legatis cautela 63.* Graffius *decis. part. 1 lib. 3. c. 5. n. 41.* Francus *dec. 718.* Rodriquez *qq. Regular. tom. 2. q. 125. art. 2. & 3.* Sanchez *in summa lib. 7. cap. 17. n. 4. & 7.* Cardinalis Lugo *de iust. disput. 3. sect. 3. num. 57.* Sed in casu nostro perinde est, ac si testator dixisset, quod Prælatus in tali legato non se ingerat, nam voluit succurri necessitatibus nepotis Religiosi, quando indigebit, & quantum indigebit, ac quando se indigere declarauerit, quod est idem ac dicere, quod noluit testator soluì legatum pro communi vsu monasterij, sed tantùm pro vsu populari, vt succurrat sui nepotis necessitatibus.

Septimò, id videtur sensisse Doctissimus Cardinalis Lugo *de iust. disp. 3. sect. 5. num. 107.* vbi sic scribit: *Non peccare me contra votum paupertatis, si procurarem, quod me nullum ius acquirente hæres maneat testatori obligatus ad subueniendum mihi, quoties ego cum licentia Prælati ab eo certam summam petiero.* Ita Lugo, qui apertè ait, quod antequam ego petam nullum mihi debetur legatum; si mihi non debetur, neque debetur monasterio; quod autem monasterium non possit me cogere ad petendum infra dicam.

Restat vt respondeamus ad contraria argumenta.

Ad primum, secundum, & tertium. Respondetur ea procedere, quando legatum est purum, secus si sit conditionale legatum, vt est præsens, cum voluerit, aut si petierit, quia antequam legatarius declaret se velle, atque petat, non est purificata conditio, & sic nullum ius acquisitum est monasterio, ea autem voluntatis declaratio cum sit actus personalis, non potest fieri, nisi ab ipso Religioso legatario, non autem à monasterio, aut ab eius Prælato.

Ad quartum Respondetur, tunc religiosum pos-
19 se à Prælato compelli ad adeundam hæreditatem, aut ad acceptandum legatum, quando ista sunt purè relicta absque conditione, tunc enim non acceptando priuaret Monasterium iure acquisito: Secus est si sic legatum *si Religiosus voluerit*, nam hoc legatum est conditionale, & ante conditionem impletam, idest antequam declaret se velle, nullum ius est acquisitum monasterio, natura enim conditionis est, vt interim antequam impleatur faciat cessare omnem obligationem, *cap. finali de sponsalibus in 6.* Gozadinus *consl. 1. n. 40.* conditio enim nihil ponit in esse. Rolandus *consl. 58. n. 18. vol. 3.* Ergo cum nullum ius sit acquisitum monasterio, ipse Religiosus non petendo, neque acceptando non priuat monasterium aliquo iure, & sic potest non petere, & ad petendum cogi non potest; alioquin idesset contra expressam dispositionem testatoris, qui voluit dari, si pro indigentia sua peteret, & quantum peteret infra certam summam. Id patet à pari, nam non peccat Religiosus, si ex iusta causa non acceptat rem sibi donatam Sanchez *in summa lib. 7. cap. 19. n. 75.* Card. Lugo *de iust. disp. 3. sect. 5. n. 95.* ergo neque peccat, neque tenetur hic Religiosus petere legatū, nã fuit relictum pro sua indigentia, & quando indigeret, & pro ea quantitate, qua indigeret; tum quia non video fundamentum, quo possit Prælatus in virtute obedientiæ illi præcipere, vt petat legatum sibi relictum, quando indigebit; nam votū obedientiæ obligat ad obediendum præceptis, quæ spectant ad regularem obseruantiam, non autem ad acquirendum pro monasterio, præsertim stante iusta causa, nam non petit legatum, quia non fuit mens testatoris grauare hæredem pro necessitatibus communibus monasterij, sed pro necessitatibus particularibus sui nepotis.

Ad quintum Respondetur frater, quod post petitum, & acceptatum legatum à Religioso poterit Prælatus id illi auferre, & conuertere pecuniam in vsus communes monasterij, quia non potest Religiosus illam habere, nisi dependenter à voluntate Superioris: At non potest Prælatus ipse ab initio petere legatum, quia non debetur, nisi Religiosus Nepos voluerit, quando voluerit, & quantum voluerit, quæ declaratio voluntatis est actus personalis, & non transfertur ad Prælatum.

QVÆSTIO XXXVII.

An possint Regulares pro dilata alicuius debiti solutione, soluere lucrum cessans absque solemnitate requisita à Sacra Congregatione in decreto de non recipiendo mutuò cum solutione lucri cessantis?

SVMMARIVM.

Responsio est affirmatiua. n. 1.

Dilata solutio non est verum, proprium, ac formale mutuum, sed virtuale. num. 2.

Verba legis correctoriæ in proprio significatu sunt accipienda. num. 3.

Communis vsus loquendi præfertur proprietati verborum. num. 4.

Diuersa est ratio mutui, ac dilatæ solutionis. n. 5.

In lege correctoria, & odiosa, neque propter identitatem rationis, debet fieri interpretatio vltra verborum proprietatem. num. 6.

1 Respondetur affirmatiuè, & apparet euidenter ex verbis decreti, quæ sunt. *Cum compertum sit regulares, qui prohibentur census imponere super rebus ad eorum monasterio pertinentibus, loco censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuò accipere cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis, Sacra Congregatio Sanctissimo approbante declarauit huiusmodi contractus esse contra mentem Decreti, vt supra aditi.* Hoc decretum habetur in libello, cui titulus est, *Bullæ, & de-*

& decreta recentiora, fol. 140. & refert Lezana *in sum. qq. regularium c.* 10. *n.* 2. *&* 3. & Bonac. *de alien. bon. eccl. disp.* 2. *q. vnica pun.* 1.

Cum itaque decretum prohibeat accipere mutuò pecunias, cum solutione lucri cessantis, non prohibet differre solutionem, aut soluere lucrum cessans, nam differre solutionem non est propriè
2 accipere mutuò, quia dilatio solutionis non est verum propriũ, & formale mutuum implicitum, & virtuale, prout passim vocãt Doctores, præsertim Lessius *libr.* 2. *c.* 21. *n.* 53. mutuum enim formale, prout definit idẽ Lessius *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 3. ex *l.* 2. *ff. si certum petatur. Est traditio rei, numero, pondere, vel mensura constantis, eo animo, vt statim fiat accipientis cum obligatione, vt similis specie, vel bonitate restituatur*; quæ definitio mutui non conuenit dilatæ solutioni: ergo dilata solutio non est proprium, verum, & formale mutuum, quare decretum prohibens acceptionem mutui cum solutione lucri cessantis, non comprehendit dilatam solutionem, cum solutione lucri cessantis.

Primò, quia verba legis odiosæ, prohibitiuæ, &
3 correctoriæ iuris antiqui (prout est ista) debent accipi strictè, & in proprio significatu, Abbas *in c. ad audientiam num.* 2. *de decimis*, Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 18. *n.* 6. Ergo cum dilata solutio non sit propriè mutuum, hoc decretum non comprehendit dilatam solutionem.

Secundò, quia verba legis debent accipi iuxta communem vsum loquendi, qui præfertur proprietati verborum DD. *in l. non dubium C. de legibus* Bart. *in l. Labeo ff. de suppell. legata* Suarez *de legibus lib* 6. *c.* 1. *num.* 9. Layman *vbi supra n.* 5. Ergo cum dilata solutio iuxta communem vsum loquendi non dicatur mutuum, hoc decretum non comprehendit dilatam solutionem.

Tertiò, quia longè diuersa ratio est recipiendi
5 mutuò pecunias cum solutione lucri cessantis, ac dilatæ solutionis; Prælatus enim regularis, qui mutuò accipit, facilè potest pecuniã mutuatam in vsus non necessarios conuertere, & ita facilè potest ex eo mutuo lædi monasterium: at tale periculum cessat, quando propter dilatam solutionem, soluit lucrum cessans. Præterea liberum est Prælato accipere mutuum; at plerumque non est liberum ob impotentiam non differre solutionem, dilata autem solutione necessariò consequitur solutio lucri cessantis. Itaque diuersa omnino ratio est mutui ac dilatæ solutionis; Quando autem casus aliquis, neque ex verborum proprietate, neque ex paritate rationis, comprehenditur sub noua lege, tunc nullo modo asserendum est casum illum esse comprehensum, præsertim in lege pœnali, odiosa, & corre-
6 ctoria (prout est lex huius decreti) in qua neque ob rationis identitatem debet fieri interpretatio vltra verborum proprietatem, ita Castro *de lege pœnali libr.* 1. *cap* 7. *docum.* 3. Suarez *de legibus libr.* 6. *capit.* 4. *num.* 3. Layman *libr.* 1. *tract.* 4. *c.* 18. *numer.* 9. *in fine.* Ex quibus patet neque ex verbis, neque ex paritate rationis decretum prædictum comprehendere dilatam solutionem.

QVÆSTIO XXXVIII.

An possit Prælatus regularis vendere libros superfluos seù duplices, & ex eorum prætio conficere ea, quæ necessaria sunt pro Bibliothecæ vsu, vt fenestras, armaria, & alia huiusmodi?

SVMMARIVM.

Superflui libri licitè venduntur. n. 1.

Alienatio fit in vtilitatem monasterij, si prætium conuertitur in rem duraturam, & proficuam Monasterio. num. 2.

Prælati arbitrio committitur, quando pretium conuertatur in vtilitatem Ecclesiæ. n. 3.

Non est necesse pretium rei venditæ, conuertere in emptionem rerum eiusdem generis. n. 4.

Pecunia redacta ex venditione rei immobilis, non reputatur immobilis. n. 5.

Licitè fit alienatio, quando res Ecclesiæ indiget reparatione, & aliundè nequit haberi pecunia. num. 6.

1 PRo intelligentia notandum, quod licitè superflui libri venduntur, & in alios meliores commutantur; sic oues senescentes, quæ non sunt aptæ ad fructum, vendi possunt, & aliæ emi, ita ex Bonacina *de alienat. boni Ecclesiæ disputat.* 2. *quæst. vnica punct.* 2. *numero* 8. quò ad libros docet Peregrinus *in compend. priuileg. verbo alienatio versic. limitatur tamen*; Idemque probatur ex Glosa *in authentica hoc ius porrectum verbo inscribitur C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, quæ docet posse vendi ab Ecclesia vasa superflua, quod etiam docuit Menoch. *de arbitr. casu* 172. *n.* 12.

Ratio est, quia quatuor ex causis possunt res Ecclesiæ vendi, nempè necessitatis, vtilitatis, incommoditatis, & pietatis, vt docet glosa *in summa* 12. *quæstion.* 2. Menochius *dicto casu* 172. Molina *disputat.* 465. Vasquez *opuscul. de redditib. cap.* 2. *dub.* 2. *numer.* 9. ergo superflui libri licitè venduntur, & in alios commutantur vtiliores, ac magis necessarios, hoc enim vtile est ipsi monasterio; Sed difficultas est, an possit eorum pretium conuerti in emptionem rerum necessariarum, aut rerum vtilium pro Bibliothecæ vsu; &c.

Respondetur affirmatiuè. Probatur primò ex
2 doctrina Rodriquez *qq. regular tomo primo, quæst.* 27. *artic.* 8. Vbi sic ait: *In vtilitatem autem ipsorum monasteriorum fiunt alienationes, si conuertantur in rem monasterij, & duraturam, puta in emptionem alicuius rei, seù ædificium, vel aliud simile. Item conuerti dicitur in vtilitatem monasterij, etiam si monasterium non haberet perpetuam vtilitatem, sed temporalem ex tali alienatione, vt pro colendis agris, colligendis fructibus, seù aliàs, vt notat Dominicus in cap. ca enim §. hoc ius* 16. *quæst.* 2. *colum.* 2. Hęc Rodriquez, Ex cuius verbis patet licitè fieri alienationem, quando prætium conuertitur

in

in rem duraturam vtilem monasterio; Sed talis est bibliothecæ ornatus; ergo fauet tex. *in l.* t. & ibi glosa *verbo dotem ff. de impensis in res dotales factis*; vbi impensa facta in vtilitatem agri dotalis, ad perpetuam agri vtilitatem, minuit dotem.

Secundò, quia ex prudentis Prælati arbitrio pen-
3 det rerum circumstantijs pensatis, iudicare vtilem esse alienationem, seù in vtilitatem monasterij prætium conuerti, vt docet Rodriq. *vbi supra*, & Baldus *in l. 1. n. 12. C. de fide instrum. & iure hasta fiscal. lib.* 10. Menoch. *d. casu* 172. ergo sufficit, quod prudens Præpositus iudicet, vtilius esse pro bibliothecæ vsu necessaria emere, quàm illos superfluos libros, ac duplices, tineis, ac fuliginibus relinquere.

Tertiò, quia quamuis bene fiat, si librorum pre-
4 tium in aliorum librorum emptionem conuertatur, id tamen non est necessarium; siquidem nulla est necessitas in eiusdem generis res prætium conuertere, iuxta ea, quæ docet Redoanus *de rebus Ecclesiæ non alien. quæst 6. numer.* 24. vbi ait, quod
5 pecunia redacta ex venditione rei immobilis, non reputatur immobilis, sed inter mobilia computatur; ita Iacobi Cynus, Albericus, Baldus, Corneus, & Decius *in l. ea demum C. de collation.* & idem scribit Tiraquel. *de retr. lignag. §. 1. gl. 7. n.* 113. *& §. 32. gl. t. n.* 20.

Quartò, quia licitè fit alienatio, quando res Ec-
6 clesiæ indiget reparatione, & aliunde nequit fieri impensa, Zabarella in *clem. 1. in princ. de reb. Ecclesiæ non alien.* Feder. de Senis *cons.* 210. Menoch. *dicto casu* 172. *numero* 15. Sed Monasterium aliunde non potest commodè, necessaria pro vsu bibliothecæ emere, ergo bene venduntur superflui libri, vt talia emi possint. Imò, etiam si aliunde haberi possit pecunia, adhuc possunt superflui libri vendi, & eorum prætium in ea, quæ bibliothecæ necessaria sunt conuerti, vt probant superiora argumenta.

QVÆSTIO XXXIX.

Testator legauit fundum Ecclesiæ, & adiecit, quod possent Præsbyteri illum vendere, & conuertere prætium in annuos redditus; fuit fundus sine solemnitate alienatus: quæritur, an valeat dicta alienatio?

SVMMARIVM.

Negant aliqui. num. 1. At probabiliter affirmant alij. numer. 2.

Conditio illicita habetur pro non adiecta num. 2. qualis est, quod fundus relictus Religioni incapaci non possit alienari. num. 3.

Alienatio necessaria non requirit solemnitatem. numero 4.

Si testator dedit tutori licentiam alienandi, adhuc requiritur iusta causa. n. 5.

Valet argumentum ab alienatione rei pupilli ad Ecclesia. num. 6.

Ex permissione testatoris, seù licentia data, potest alienari res pupilli. numero 7.

Si testator prohibet, fundum Ecclesiæ relictum alienari, tunc neque cum solemnitate alienari poterit. numero 8.

1 QVod non valeat alienatio facta, sine solemnitate, etiã si testator expressè dixisset, quod possẽt sine solemnitate vendere, docent Quaranta *in sum. Bullar. verba alienatio numero* 21. Filliucius *tom. 3. tractat. 44. cap. 4. num.* 29. Riccius *decis. 77. in praxi part. 1. prima edition.* Bonacina *tractat. de alienat. bonorum Ecclesiæ disputat. 2. quæst. vnica punct. 4. numer.* 11. citantur pro ista opinione etiam Couar. *in c. tua n. 6. de testamentis*, & Armilla *v. alienatio numer.* 19. qui tamen hoc verè non docent.

Probant primò, quia de iure res Ecclesiastica non est alienabilis, sine solemnitate, sed translato dominio per legatum; fundus factus est Ecclesiasticus; ergo ea conditio, quod possit alienari, sine solemnitate est contra iura, atque adeo illicita, reprobata, & habetur pro non adiecta, vt *in d. cap.*
2 *tua*, vbi glosa, Barbatia *numer.* 4. & Couar. *numer.* 6. de testamentis docent, quod ea conditio adiecta legato pio, ne Episcopus, negligente executore se intromittat, habetur pro non adiecta, quia est contra iura. Ratio est, quia nemo potest disponere, vt iura non habeant locum in suo testamento *l. nemo potest ff. de legatis primo*, nequit enim subditus sui superioris potestati præiudicare.

Probant secundò, quia, si quis relinqueret mona-
3 sterio incapaci fundum cum conditione, vt illum non alienaret, hæc conditio reprobatur, & habetur pro non adiecta, & ea non obstante, fundus debet vendi, & prætium debet dari monasterio, non hæredi, ita Rebuff. *in compend. de alien. num.* 23. Francus *de rebus Ecclesiæ non alien. in 6. vers. 12. limitatio*, Quaranta *v. alienatio n.* 41. Filliucius *tract. 44. cap. 4. num.* 32. Rolandus *cons. 14. vol.* 4. Marsilius *sing.* 132.

Ergo à pari, conditio, vt alienetur fundus, sine solemnitate, reprobatur; quia non minùs illa est contra iura præcipientia rem Ecclesiasticam non alienari, sine solemnitate, quàm sit illa, qui mendicantes incapaces possideant bona immobilia: ergo vtraque tamquam conditio illicita, & reprobata habetur pro non adiecta.

Probatur tertiò, quia dato, & non concesso, quod posset fundus Ecclesiasticus alienari sine solemnitate, quia ita disposuit testator, tamen hoc intelligitur, quando testator præcepit alienationem, tunc enim alienatio cum sit necessa-
4 ria non voluntaria, non requirit solemnitatem, prout de re minoris, quam iussit testator alienari ex *l. 1. & 3. C. quando decreto opus non est l. 1. & l. magis puto §. si fundus, & §. pupillus ff. de reb. eorum* Roland. *consil. 99. numero 40. vol.* Alex. *consil. 215. in princip. vol.* 6, Menoch. *de arbitrar. casu* 171. *numero* 67. Romanus *consil. 394. numero* 7. & de re Ecclesiastica, quod, quando alienatio est

neceſſaria, ex mandato Teſtatoris non requiratur ſolemnitas, docent Marſilius *de ſing.* 132. Rebuffus *in compend. de alienat. numer.* 29. *&* 30. Vgolinus *de poteſtate Epiſcopi capit.* 14. §. 7. *numero* 5. *in fine*. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi allegat.* 95. *numero* 61. Redoan. *de reb. Eccl. non alienat. quæſt.* 51. *capit.* 3. *numer.* 22.

Sed in caſu noſtro, teſtator non mandauit alienationem; Vnde non eſt ea alienatio neceſſaria, ſed eſt alienatio voluntaria; dixit enim quod poſſent ſi vellent: ergo cum ſit alienatio voluntaria requiritur ſolemnitas.

Quartò adducitur, quia licentia data à teſtatore
5 tutoribus alienandi ſua bona relicta minori, non intelligitur, quod poſſint alienari, ſine iuſta cauſa; quare non poterunt pro leui debito, alienare prędia magni valoris; ſed intelligitur data licentia, ad arbitrium boni viri, & cum iuſta cauſa: ita Bartolus *in l. alio numer.* 13. *ff. de aliment. & cibar. legatis, & in authentica hoc ius porrectum num.* 16. *C. de SS. Eccleſiis* Salicetus *in l.* 3. *C. quando decreto opus non eſt* Menochius *de arbitr. caſu* 182. *n.* 34.

Ergo à pari, facultas data præsbyteris alienandi fundum, non intelligitur, quod poſſint alienare ſine iuſta cauſa, ſed cum cauſa, nempè ſi inde maior proueniat Eccleſiæ vtilitas: ergo ad hanc cauſam cognoſcendam, neceſſaria eſt authoritas ſuperioris, & ſic requiritur ſolemnitas.

His tamen non obſtantibus, Dico probabilem eſſe, & tutam in conſcientia contrariam opinionē, quod valida ſit hæc alienatio.

Probatur primò authoritate Lapi *conſ.* 26. *num.* 4.
6 *verſ.* 3. *dubitat*, & Caſtrenſ. *conſ.* 346. *poſt medium verſ. præterea ſatis vol. primo*, quos ſequitur Cardin. Tuſchus *v. alienatio concl.* 273. *numero* 53. *& concl.* 276. *num.* 44. qui docent, quod facultas alienandi fundum, Eccleſiæ relictum, & incorporatum, data per teſtatorem æquiualet ſolemnitatibus requiſitis, & ſic, ſi teſtator dixit, quod fiat venditio, aliquorum bonorum pro aliqua ſatisfactione, aut alia cauſa, tenet alienatio ſine ſolemnitate, quæ alioquin neceſſaria eſſet: ergo in caſu noſtro facultas alienandi data per teſtatorem æquiualet ſolemnitatibus, ita vt ſine ſolemnitate, valeat alienatio. Ratio eſt, quia, ſicuti quouſque eſt fundus in dominio teſtatoris poteſt de eo, vt ipſi libuerit diſponere, ita etiam ſeruanda eſt diſpoſitio teſtatoris, poſtquam tranſijt ad Eccleſiam, nam tranſit affectus cum illa qualitate alienabilitatis, ex præcedenti diſpoſitione teſtatoris. Quod paret à ſimili, nam ſi fundus factus eſt alienabilis per emphyteuſim, & reuertitur ad Eccleſiam, poterit iterum dari in emphyteuſim, ſine ſolemnitate, quia cum illa qualitate alienabilitate reuerſus eſt ad Eccleſiam. Alex. *conſil.* 189. *volum.* 2. Decius *conſil.* 83. Cæſar de graſſis *deciſ.* 3. *numer.* 14. *de rebus Eccleſiæ non alienat.* Seraphinus *deciſ.* 1490. Barboſa *de Epiſcop. allegat.* 95. *numer.* 32. ergo, quando Eccleſiæ acquiritur fundus, qui ex diſpoſitione teſtatoris, factus eſt alienabilis, tranſit ad Eccleſiam affectus, illa qualitate alienabilitatis, & ſic ſine ſolemnitate poterit alienari.

Confirmatur, nam ſuperior poteſt irritare votum emiſſum à ſubdito tempore ſubiectionis, implendum tempore illius ſolutæ, ratio eſt, qui eo tempore, quo emittitur votum, voluntas ſubditi ſubditur ſuperiori, ita Sanchez *de matrim. libr.* 9. *diſput.* 39 *num.* 16. *& lib.* 4. *ſum. cap.* 29. *numer.* 31. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 29. ergo à pari, quamuis fundus tempore alienationis ſit Eccleſiaſticus, tamen poteſt fieri alienabilis ſine ſolemnitate propter diſpoſitionem teſtationis factam eo tempore, quo fundus non erat Eccleſiaſticus.

Probatur ſecundò, nam ſicuti iura prohibent, alienari fundum pupillarem, ſine decreto, & iuſta
7 cauſa, ita etiam prohibent alienari fundum Eccleſiæ, ſine ſolemnitate, & iuſta cauſa; imò maior prohibitio adeſt, & maior cauſa requiritur, in alienatione rei pupillaris, quàm Eccleſiaſticæ, ſiquidem ob maiorem vtilitatem Eccleſiæ poteſt res Eccleſiæ alienari; ſed ob maiorem vtilitatem pupilli, non poteſt alienari fundus pupillaris, vt habetur *in l. magis puto §. ſi æs alienum, & l. ſi fundus ff. de rebus eorum gl. in l. ob æs C. de prædijs minorum*, Fulgoſius, Caſtrenſis, Iaſon, Albericus, & Baldus *in l. mandata ff. de officio eius*, Maranta *tractat. de multiplici alienatione numero* 20. Ergo valet argumentum ab alienatione rei pupillaris ad alienationem rei Eccleſiaſticæ: Vnde quando res pupillaris poteſt alienari ſine decreto; à fortiori poterit alienari res Eccleſiaſtica ſine ſolemnitate, gl. *in l. liberos*, vbi Salicetus *C. de excuſat. tutorum.* Gloſa *in l. reſpublica* vbi Bartol. & Angelus, *C. ex quibus cauſis maiores*, Iaſon *in § ex maleficijs inſt. de actionibus* Euerardus *in loco à pupillo ad Eccleſiā n.* 1.

Sed non ſolum mandatum alienandi, factum per teſtatorem, ſed ſola permiſſio, ſeù facultas alienandi data tutoribus per teſtatorem, operatur, vt teneat alienatio rei pupillaris, ſine decreto Iudicis, vt docet gloſa *in l.* 3. *C. quando decreto opus* non eſt, vbi Baldus ſic ait, *Cum habent permiſſionem teſtatoris, non requiritur decretum*, & Bartolus ibi ait, *Cum adeſt voluntas defuncti manifeſta, poſſunt alienari prædia, ſine decreto*, idem docet Salicetus ibi Bald. *in l.* 1. *ff. de rebus eorum*, & Alexander *conſil.* 62. *numero* 1. *volum.* 2. ait, *quid licet in alienatione rerum minoris requiritur decretum Iudicis, tamen fallit, quando teſtator executoribus dedit poteſtatem vendendi, quia tunc ſine ſolemnitate poterit procedi ad alienationem prædictam*, & Bartol. *in l. alio numero* 8. *ff. aliment. & cibarij legatis*, ait: *quod data licentia alienandi, poterit fieri alienatio ad arbitrium boni viri, ſine decreto.*

Ergo etiam in re Eccleſiæ relicta, permiſſio, ſeù facultas data per teſtatorem alienandi, ſupplet ſolemnitatem, nec requiritur alia ſolemnitas.

Ratio videtur apertiſſima in vtroque caſu rei pupillaris, & Eccleſiaſticæ, nam teſtator de re ſua ad libitum diſponere poteſt: ergo poterat expreſsè iubere, vt res relicta alienetur, quia ſic ſibi placebat: ergo, ſi quando iubet alienationem non requiritur alia ſolemnitas,

vt

vt in d. l. 3. *C. quando decreto opus non est*, neque requiritur quando dat facultatem alienandi, alioquin si requireretur solemnitas, esset inutilis,& frustratoria dispositio testatoris:tum quia auferretur illi potestas de re sua pro libito disponendi, si non posset dare facultatem alienandi.

Friuola autem est disparitas, quam ad hoc argumentum affert quara ita *loco cit.* ait enim, quod pupillus maior factus potest ratificare alienationem, non sic Ecclesia,quæ nequit ratificatore,vnde data facultate,per testatorem,potest alienari res pupilli, non Ecclesiæ friuolissima disparitas; nam ante ratificationem vtraque alienatio rei Ecclesiasticæ, & pupillaris requirit solemnitatem, & absque solemnitate est nulla alienatio;ergo vtrobique par ratio.

Nec minùs friuola est altera disparitas, quam affert, quia (inquit) fundus pupillo relictus remanet laicalis;at Ecclesiæ relictus fit Ecclesiasticus:At remanet laicalis quidem,sed pupillaris; pupillaris autem fundus requirit decretum, sicuti Ecclesiasticus requirit solemnitatem; ergo si pupillaris fundus, sine decreto alienari potest, ex facultate alienandi data per testatorem; Ecclesiasticus quoque fundus sine solemnitate alienari potest ex facultate testatoris.

Probatur tertiò, quia si testator legat fundum

9 Ecclesiæ,cum conditione,quod non possit alienari, tunc neque cum solemnitate in casu à iure permisso,poterit alienari, ita Abbas *cons.* 45. *num.* 4. *vol.* 2. glosa *in cap. verum de condition. appositis*, Afflictus *decis.* 11. *numer.* 5. Caualcanus *decis.* Fiuizana 29. *n.* 19. *vol.* 2. Grammaticus *decis.* 93. *n.* 4. Magonius *decis.* 92. *n.* 19. Mastrillus *dec.* 77. *n.* 4. & 7. Aretin. *consl.* 22. Maranca *tract. de multiplici alienat. n.* 15.

Ergo si facultas ablata per testatorem, facit fundum Ecclesiæ inalienabilem, etiam in casibus à iure permissis, & cum solemnitate; nec proinde talis conditio dicitur reprobata, aut esse contra iura;ita quoque facultas alienandi data per testatorem, facit rem Ecclesiasticam alienabilem, etiam sine solemnitate.

Ad Primum itaque argumentum in contrarium. Respondetur, quod non est contra iura in casu nostro, rem Ecclesiasticam alienari, sine solemnitate, nam quando testator dat facultatem alienandi, non est res Ecclesiastica. Præterea iura ipsa hanc facultatem datam per testatorem confirmant, vt patet *ex l.* 3. *C. quando decreto opus non est*.

Ad secundum respondetur, quod non pendet à voluntate testatoris, quod monasterium fit capax, aut incapax. Sed pendet à voluntate testatoris, quod fundus relictus perseueret, vel non perseueret in dominio Ecclesiæ; Vnde potest dare facultatem alienandi.

Ad tertium respondetur, quod sicut potest testator iubere alienationem, & eo casu non requiritur solemnitas, quia alienatio est necessaria; ita etiam potest dare facultatem alienandi, & eo casu neque requiritur solemnitas, quia quamuis alienatio sit voluntaria, respectu clerici alienantis, est tamen necessaria, respectu Ecclesiæ, cui factum est legatum, quia Ecclesia legataria necessitatur acquiescere voluntati testatoris, qui dedit licentiam clerico alienandi rem relictam, & non minus obtemperatur voluntati testatoris, quando præcipit alienationem, ac quando dat facultatem, & licentiam alienandi pro libito clericorum.

Ad quartum Respondetur primò argumentum hoc, aliud non probare, nisi quod requiratur aliqua iusta causa, aut vtilitas in alienatione, non autem probat, quod requiratur præter iustam causam solemnitas,nam voluntas testatoris supplet solemnitates.

Respondetur secundò, quod dispar ratio est, quando testator disposuit, seu permisit tutori, aut executori, alienari fundum pupillarem, ac in casu nostro, cum dedit facultatem clericis, alienandi fundum, & conuertendi pecuniam in annuos redditus; etenim in priori casu testator non respexit ad commodum executorum, aut tutorum, quare non possunt pro libito alienare fundum magni valoris, prò modico ære alieno; Sed in casu nostro, testator respexit commodum clericorum, vnde si clericis est magis commodum habere annuos redditus, quàm fundum, possunt pro libito alienare fundum ex facultate ipsis data per testatorem.

Concludendum igitur, satis probabile esse validè fundum fuisse alienatum, absque solemnitate, & sic in conscientia tutam esse prædictam alienationem.

QVÆSTIO XL.

An Pater Generalis possit concedere assensum in contractu à monasterio, saluo eius assensu, celebrato, si ante præstationem assensus ob delatam hæreditatem incipiat esse enormissimæ lesionis.

SVMMARIVM.

An Contractus sit vtilis Ecclesiæ, attenditur tempus contractus, quicquid postea accidat. numer. 1. Sed id accipiendum est de tempore contractus validi, & perfecti. num. 3.

Valor rei inspicitur tempore contractus. n. 2.

Si in contractu requiritur alicuius assensus, ante illum contractus non valet. n. 4.

Quando contractus est conditionalis, attenditur pretium currens tempore purificatæ conditionis. n. 5.

Non valet impetratio assensus Regijs, post mortem vendentis feudum, quia id esset in præiudicium hæredis. num. 6.

1 PRo parte affirmatiua adducitur, quia an contractus sit vtilis Ecclesiæ attenditur tempus ipsius contractus, quicquid postea accidat, glosa Io: Andreas, & Hostiens. *in cap. ad aures de rebus Ecclesiæ non alienandis* glosa *in c. cum dilecti de empt. & vendit.* Ruinus *cons.* 35. *num.* 35. *vol.* 1. Iason *cons.* 54. *num.* 4. *part.* 2. Seraphinus *decis.* 366. *num.* 1. vbi asserit ita decisum, & *dec.* 1125. *num.* 5. Guido Papæ *dec.* 157. Riccius *decis. prima*, & 14. *in praxi Ecclesiastica p.* 1. *in prima aditione.*

Secundò adducitur, quia valor rei inspicitur
3 tempore contractus, & non postea, quamuis postea creuerit l. 3. §. diui ff. de iure fisci glosa, & Doctores in c. cum causam de testibus Soccinus cons. 48. n. 3. vol. 4. ergo, cum iste contractus, eo tempore, quo fuit iuratus, non fuerit Ecclesiæ damnosus, parùm refert, quod incipiat esse damnosus postea, ante præstitum assensum.

His tamen non obstantibus; Respondetur, non posse nunc Patrem Generalem concedere assensum cum enormissimo Ecclesiæ damno.

Probatur primò, quia vtilitas Ecclesiæ non at-
3 tenditur tempore contractus quomodocumque, sed tempore contractus validi, & perfecti, ita ex Baldo in l. si quis §. si suo in tertio notab ff. de vulg. & pupill. Riccius in prax. part. 1. decis. prima in fine, vbi ait, quod in contractu emphyteutico, an sit vtilis Ecclesiæ, attenditur tempus contractus, sed confectæ Scripturæ, quia in Emphyteusi ante scripturam contractus est inualidus, & imperfectus. Et ratio est manifesta, nam contractus nullus, & imperfectus, donec perficiatur, verè non est contractus l. 4. §. condemnatum ff. de reiudicata l. non putaui §. non quauis ff. de bonorum poss. contra tabul Tiraqu. de retract. consanguin. §. 1. glosa 2. n. 5. & 6.

Sed quando contractus factus est cum clausula, saluo assensu apostolico, aut P. Generalis, tunc, quamuis de iure non requireretur assensus, tamen illa verba faciunt contractum conditionalem, & cum conditio nihil ponat in esse l. substituto ff. de acquir. rerum dominio cap. primo de sponsalibus in 6.
4 ideo ante præstitum assensum, contractus non valet, neque ius ante acquiritur contrahenti, ita Seraphinus decis. 805. numer. 5. Menochius consl. 170. Anna singulari 447. Riccius in praxi part. 1. in prima editione decis. 36. & decis. 85. & decis. 24. num. 4. & 5. vbi ex Rebuffo, Capycio, & Iacobino docet, quod facta alienatione, saluo assensu, eo concesso valet contractus ex nunc tempore assensus.

Ergo, cum contractus ante assensum sit nullus, nullum ius transfert, & cum incipiat valere ex nūc tempore assensus, manifestè patet, non esse perfectum, nisi tempore assensus, quare, an sit vtilis, vel damnosus, debet attendi tempus assensus, quo tempore contractus perficitur, & validatur: ergo, si tempore assensus reperiatur nouissimè Ecclesiam lædere, huiusmodi assensus illicitè, imò fortè nulliter concederetur.

Probatur secundò à pari, nam, quando contra-
5 ctus est in pendenti, & conditionalis, tunc attenditur prætium rei currens tempore purificatæ conditionis, & perfecti contractus, sic notabiliter docet Couar. pract. qq. cap. 28 num. 5 ex l. plerumque §. si ante ff. de iure dotium, quod, si mulier dedit dotem, cū pacto, vt soluto matrimonio esset in electione mariti restituere rem dotalem, vel pretium, quia talis contractus emptionis pendet à conditione, si vir elegerit restituere pretium, ideo, donec soluto matrimonio eligat pretium, non fit emptio; & cum, eligit pretium, attenditur pretium currens tempore soluti matrimonij, nam tunc perficitur contractus emptionis.

Ergo à pari, cum iste contractus factus ab Ecclesia saluo assensu Patris Generalis, sit conditionalis, vt docent Seraphinus decis. 805. num. 5. Riccius decis. 24. 36. & 85. in praxi part. 1. attendenda est vtilitas Ecclesiæ, quæ est tempore contractus perfecti, & impletæ conditionis, nempè, quæ est tempore assensus: ergo, si eo tempore est enormis læsio, illicitè præstatur assensus.

Probatur tertiò à simili, nam non valet impe-
6 tratio assensus Regij post mortem alienantis feudum, quia id esset in præiudicium hæredis, cui per mortem alienantis est ius quæsitum in feudo; Vnde requiritur nouus consensus hæredis, & nouus assensus Regis, super nouo isto consensu hæredis, ita Isernia in c. imperialem n. 16 de probib. feud. alienat. per feder. & in cap. 1. §. donare num. 8. qualiter olim poterat alienari, Francus decis. 620. Capycius decis. 115 num. 4. Grammat. decis. 103 num. 106. & 120. Osaschus decis. 119. numer. 26. Georgius in repetit. feudal. cap. 43. num. 46. Aponte de potestate Proregis tu. de assensu super dote §. 1. n. 12. & 19.

Ergo, cum per mortem matris huius religiosi, quæsitum sit ius monasterio, non potest post illius mortem impetrari assensus in contractu facto ante mortem, nam præiudicaretur iuri quæsito per monasterium, quare requiritur nouus contractus, & assensus super isto nouo contractu.

QVÆSTIO XXXXI.

An vxor occultè veneno occidens maritum, possit in conscientia ante sententiam accipere, aut retinere donationem propter nuptias, seu antiphatum?

SVMMARIVM.

Occidens testatorem non est incapax hæreditatis, sed ei aufertur à fisco. n. 1.

Lex pœnalis non obligat in conscientia, ante sententiam declaratoriam criminis. n. 2.

Quando lex impedit translationem dominij, obligat ante sententiam. num. 3 sic beneficiarius non residens. n. 4. sic non recitans officium. num. 5. sic simoniacus. n. 6. sic spurius. n. 7 sic mulier occidens maritum ante sententiam sunt priuati, & tenentur in conscientia. n. 8. sic maritus occidens vxorem ipso iure est priuatus lucro dotis. n. 9.

AFfirmandum videtur primò ex glosa in l. si maritus C. de donation. inter virum, & vxorem, vbi docet, quod, si vxor maritum occiderit, instituta accusatione, debet ab ea, tamquam ab indigna, auferri donatio propter nuptias (quæ hodie in Regno Neapolitano vocatur antephatum, vt ex afflicto ait Borellus in summa decisionum tom. 3. tit. 8. n. 12.) ergo, si aufertur ab ea, tamquam ab indigna, acquiritur illi ante sententiam.

Secundò à pari, ex textu in l. cum ratio §. fin. ff. de
1 bonis damnat. ex quo ait Clarus in §. homicidium num. 16. quod occidens testatorem, aut illum, cuius hæreditas sibi ab intestato debetur, priuatur hæreditate, & hoc non, vt excludatur tamquam incapax,

pax, sed, vt admittatur ad succedendum, & deinde
fiscus illam auferat, tamquam ab indigno: ergo
etiam mulier occidens maritum non est incapax
antephati, sed admittitur, & deinde per senten-
tiam, tamquam ab indig..a, aufertur, idem probat
tex. *in l. tutius ff. de iure fisci*, vbi glos. & Bartolus, Pe-
regrinus *de iure fisci lib. 2. tit. 3. in princ.* Thesaur. *qq.
forens. lib. 2. q. 4. n. 1*, Regens Capycius Latro *consul-
tat. 131. n. 27. vol. 2.*

Tertio ex generali regula, quæ habet, quod lex
pœnalis non obligat in conscientia ante sententiam
2 declaratoriam, & sic quando aliquis per pœnam
priuatur re sua, non obligatur ad executionem ante
sententiam, Suarez *tom 1. de relig. tractat. 3. libr. 4. de
Simonia c. 43. num. 13.* Layman *libr. 1. tr. 4. c. 15. n. 6.*
Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 8. n. 13*, Diana *p. 3. tr.
19. resol. 21. & alij passim.*

His tameo non obstantibus, Respondetur nega-
tiuè, ita Bartol. Baldus, & alij, quos mox afferam.

Probatur primò, quia, quando lex impedit tran-
3 slationem dominij, tunc obligat in conscientia ante
sententiam: Sed lex impedit translationem domi-
nij in casu nostro, ue vxor virum occidens lucretur
donationem propter nuptias, seu antephatum: er-
go in conscientia ante sententiam tenetur non pe-
tere, aut petitum antephatum restituere; ea tamen
cautela, ne se prodat.

Quod autem lex impediens translationem do-
minij obliget in conscientia ante sententiam, patet
ex receptissima illa doctrina, quod, quando est pœ-
na, quæ oon requirit actionem, seù exequutionem
hominis, sed in sola passione consistit, vt est inhabi-
litas, impedimentum ad acquirendum dominium,
& cet. tunc hanc pœnam tenetur quis ante senten-
tiam subire in conscientia: secus autem est in pœna,
quæ requirit actionem, seù exequutionem homi-
nis, qualis est priuatio dominij acquisiti, ita Caie-
tan. 2. 2. *quæst. 62. artic. 3. & in summa verbo pœna*,
Angelus, Armilla, Sà, & alij Summistæ *eodem verbo
pœna.* Adrian. *quodlib. 6. quæst. 1.* Nauar. *cap. 23. num.
7.* Castro *de lege pœnali lib. 2. num. 5.* Molina *tract. 2.
disp. 96.* Vittoria *select. 2. de Indis numer. 14.* Rodri-
quez *qq. regular. tom. 1. q. 6. art. 19.* Simancas *cathol.
institut. tit. 9. num. 31.* Layman *lib. 1. tractat. 4. cap. 15.
num. 5.* Suarez *de legibus lib. 5. cap. 7. & cap. 19. num.
6.* Vasquez *opusc. morali de testamentis cap. 5. §. 7. dub.
1.* glosa communiter recepta *in element. 2. de hæreti-
cis verbo ex nunc* Abbas *in cap. 2. de constitutionibus
n. 7.* vbi D.cius *n. 14.* Felinus *n. 7.* & alij.

Ratio est, quia, cum lex impediat translationem
dominij, illud vtique non transfertur; nemo autem
potest in conscientia retinere sibi, quod suum
non est; quare ex natura rei tenetur mox restituere
ante sententiam.

Exemplum autem legis impedientis translatio-
nem dominij, quæ obligat in conscientia ante sen-
tentiam, est in Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de re-
4 format.* vbi de beoeficiario non residente sic statui-
tur: *Eum pro rata temporis, fructus suos non facere, nec
tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta illas
omnes sibi retinere posse.* Alterum exemplum est in
5 Concil. Lateran. sub Leone X. & Bulla Pij V. nam
beneficiarij non recitantes Diuinum officium, be-
neficiorum suorum fructus suos non faciunt. Sic
Simoniacus tenetur ante sententiam restituere, &
6 quicumque accipit aliud per contractum, quo, iure,
est ita incapax, vt recipere nihil valeat, vt inquit
Vasquez *in opusc. moral. de testamentis c. 5. §. 7. dub. 1.
7 num. 102*, sic, quia spurius ex legibus est omnino in-
capax, & inhabilis ad comparandum dominium
bonorum parentum suorum per testamentum, siuè
extra testamentum, est obligatus in conscientia ad
restituendum omnia patri donatori, vel hæredibus
relictis in testamento, vel hæredibus ab intestato,
cum pœna hæc non requirat actum Iudicis, vt do-
cent Couarr. *part. 2. epitome de sponsal. cap 8. §. 5. n. 8.*
Placa *epitome delict. cap. 41. num. 24.* Io: Baptista Lu-
pus *de illegitim. comment. 2. §. 2. num 76.* Molina *de
iust. tract. 2. disp. 167.* Vasquez *opusc. de testamentis c.
5. §. 7. dub. 1.*

Sed muliere occideute virum, legem impedire
8 acquisitionem dominij, ne scilicet acquirat domi-
nium donationis propter nuptias, patet, nam mu-
lier ante mariti mortẽ non habet dominiũ, neq; di-
rectũ, neq; vtile donationis propter nuptias, sed tan-
tum habet hypothecã *l. vbi adhuc C. de iure dotium.*
post mortẽ autẽ viri mulier lucratur ex consuetudi-
ne Neapolitana antephatum, seù donatiouem pro-
pter nuptias, quò ad plenam proprietatem, si nulli
sint filij, superstitibus verò filijs lucratur tantum
vsumfructum antephati Fraoeus *decis. 182. numer.
14.* Itaque mulier mortuo viro lucratur antepha-
tum, idest acquirit dominium vtile, vel directum;
sed, quando mulier virum occidit, tunc lex impedit
omne lucrum; ergo impedit acquisitionem domi-
nij, id autem patet ex *l. si ab hostibus §. fin. ff. soluto
matrim.* Cuius verba sunt: *Si vir vxorem occiderit
dotis actionem hæredibus dandam esse, Proculus ait, &
rectè, non enim æquum est, virum ob facinus suum dotem
sperare lucrifacere; idemque è contrario statuendum est*,
ita textus subdit glosa, quod *vxor occidens virum
nou lucratur donationem propter nuptias ex pacto.* Ergo
si lex impedit maritum homicidam aliquid lucri-
facere ex bonis vxoris, idemque è contrario sta-
tuat, vxorem homicidam non lucrifacere aliquid
ex bonis mariti, vtique impedit acquisitionem do-
minij, alioquin certè lucrifaceret: sed, quando lex
impedit acquisitionem dominij obligat in con-
scientia ante sententiam: ergo ante sententiam in
conscientia vxor homicida non acquirit antepha-
tum, & iniustè acceptum restituere tenetur.

Secundò Probatur authoritate, & ratione Baldi
in l. 1. n. 3. C. unde vir, vbi sic inquit; *Quæro, an vir oc-
cidens vxorem ei succedat? Videtur, quod sic, ex l. eum
ratio in fine ff. de bonis damnat. In contrarium est veritas
ex l. si ab hostibus §. si vir ff. solut. matr. quia, qui occidit,
videtur diuertisse sua culpa, vnde nihil lucratur l. consen-
su C. de repud.* ita Baldus, & Bartolus *in l. ei qui 21. ff.
de his, quibus vt indignis, ait, quod vir occidens vxorem
numquam lucratur dotem; at, si ab alio occisa non vendi-
cat eius mortem, lucratur dotem, quam postea perdit, quia
non vindicauit vxoris mortem.*

Tertiò, quia Doctores docent, maritum homi-
9 cidam ipso iure priuatum esse lucro dotis, quæ dos
pertinet ad hæredes vxoris, ita Marsilius *consil. 93.
num. 3.* Io: Campegius *de dote part. 5. quæst. 2.* Baldus

nouellus

nouellus *de dote part. 8. priuileg. 31.* Vbi ait, *quod homicida est ipso iure priuatus, & factus incapax, vnde transit ad hæredes, non ad fiscum*, idem docet Rolandus *de lucro dotis quæst. 61. numer. 11. & seq.* Decius *consil. 525. col. 5.* & eadem ratio est de lucro antephati: Ergo ante sententiam obligatur in conscientia, quia cum numquam lucratus sit, vt ait, Bart. Et ipso iure sit incapax, & priuatus lucro, vt dicebant Campegius, Baldus, Nouellus, Rolandus, & alij, retinceret iniustè. quod suum non est, quia cum numquam lucratus sit, numquam suum fuit. Quod dixi de mari to homicida quò ad lucrũ dotis, idem dicendum de vxore homicida, quò ad luctum antephati.

Probatur quartò ratione *ex l. si ab hostibus §. fin. ff. solut. matrim. Nam æquum non est aliquem præmiari ex suo delicto*, idemque dicunt Marsilius *d. consil. 93. numer. 3.* & Barbatia *in addit. ad Bal. in l. 1. C. vnde vir*, nam nisi mortuo viro, vxor non lucratur antephatum: ergo, si acquireret illud ante sententiam declaratoriam criminis, iam præmiaretur ex suo delicto.

Probatur quintò ratione Io: Campegij *de dote part. 5. quæst. 2.* vbi ait, ideo lucrum dotale non acquiri marito homicidæ, quia semper in pacto lucrandi desertur lucrum sub ea conditione, nisi matrimonium culpa debentis lucrari non sit dissolutum *l. consensu C. de repudijs l. Lucius ff. soluto matrimonio*, sed quod maritus occidit vxorem, aut è contra, tunc homicida non debet lucrari, nam culpa sua dissoluitur matrimonium: ergo deficit conditio apposita in pacto.

Ad primum itaque argumentum Respondetur glosam ibi docere, quod probato homicidio aufertur ab vxore donatio propter nuptias, non quia de iure illi erat prius acquisita, sed ex occulto crimine de facto acceperat illam, quare eo probato auferenda illi est donatio, quam iniustè, & defacto retinebat.

Ad secundum Respondetur ex Capegio *de dote part. 5. quæst. 2. num. 2.* vbi ait, quod ideo dominium donationis propter nuptias, aut dotis, non acquiritur homicidæ, quia deficit conditio, quæ tacitè inest in pacto de lucro dotis, aut donationis propter nuptias nempè nisi debens lucrifacere culpa sua dissoluat matrimonium. At quando ex testamento, vel ab intestato homicidæ debetur hæreditas, tunc eam hæreditatem acquirit, deinde tamen sibi à fisco auferendam; ratio est, quia non subintelligitur tacitè aliqua conditio, ne hæreditatem acquirat, si occidat testatorem, aut eum cui ab intestato succedit, quare ipsi acquiritur hæreditas, quam tamquam ab indigno fiscus aufert.

Ad tertium patet ex dictis.

(*_*)

QVÆSTIO XXXXII.

Petrus eadem naui cum Mercatore vectus ei vinum furatur, & absumit, & sequenti die nauis cum omnibus mercibus, solis hominibus saluis perit, quare vinum etiam apud dominum perijsset, quæritur an teneatur ad restitutionem prætij.

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. numer. 1. alijs probabilius negant. numer. 2.

Ex capite rei acceptæ ille tantum tenetur restituere, apud quem perseuerat res formaliter, vel æquiualenter, quatenus factus est ditior. n. 3.

1 Affirmant Sotus *lib. 4. de iust. q. 7. art. 2.* & Layman *l. 3. tr. 2. c. 3. n. 2.*

Probatur, quia eo tempore, quo furatum vinum mala fide absumitur, mox consurgit obligatio ad pretium restituendum: ergo talis obligatio durat, quamuis vinum sequenti tempestate perijsset, nisi fuisset absumptum.

Confirmatur nam si mercator vendidisset vinum, quod mox perit, tenetur emptor ad restitutionem prætij: ergo etiam fur tenetur ad restitutionem prætij, quia iam orta obligatio, non est vnde extinguatur.

Negant, & tectius Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 15. n.*
2 *93.* Vasquez *tract. de restitut. cap. 2. §. 3. dub. 3. num. 9. & cap. 5. dub. 11. §. hæc omnia:* Petrus Nauar. *libr. 4. cap. 4. numer. 26.* & probabilem asserit Layman vbi supra.

Probatur, quia vel fur tenetur ad restitutionem ex capite rei acceptæ, vel ex capite iniustæ damnificationis, non potest teneri ex capite rei acceptæ, quia ex hoc capite ille tantum tenetur, apud quem
3 perseuerat res ipsa, formaliter, vel æquiualenter nempè, quia factus est ditior, quod suppono nõ esse in casu nostro. Neque potest teneri ex capite iniustæ damnificationis, quia ex hoc capite ille tantùm tenetur, qui verè est causa damni simpliciter, supposito autem quod vinum perijsset apud dominiũ, etiam si non fuisset furatum, iste simpliciter non est causa damni; quod probo, quia si fur non consumpsisset vinum, sed seruasset, quod postea perijsset tempestate, tunc fur secundum opinionem aduersariorum non teneretur ad restitutionem, quia simpliciter non est causa damni, quamuis auferendo inferat damnum secundum quid, pro eo tempore, quo aufert.

Ad rationem in contrarium respondetur, quod fur non tenetur per se ad restitutionem prætii, sed per accidens, & in casu quo sua culpa non potest restituere rem ipsam: Sed sua culpa non est, quod non possit restituere rem ipsam: ergo ad prætii restitutionem non tenetur, vnde tunc absumpto vino v.g. vendito illo, non oritur obligatio simpliciter, & absolutè ad prætium, sed oritur obligatio conditionatè, si scilicet sua culpa non potuerit restituere ipsum vinum; Quod apertiùs ostendo, quia si idem vinum venditum à fure inueniretur proiectum à tempe-

tempestate, & putridum, illud restituendo satisfaceret, quia obligatio per se, & simpliciter est ad restituendum rem ipsam furatam, pretium verò non est restituendum, nisi conditionatè, si culpa furis non possit ipsa res restitui.

Ad Confirmationem responsio est euidens, quia emptor per se est, principaliter, tenetur pretium soluere, tum quia certum est rem emptam, emptoris periculo perire. tum quia argumentum hoc nimis probat, nam contra ipsos aduersarios, etiam probaret pretium esse restituẽdum si vinum à tempestate ipsa, non autem à fure consumeretur, quod ipsi aduersarij negant.

QVÆSTIO XLIII.

Religiosus dedit centum Petro grauiter egenti, quæ Petrus dedit in Societatem, cuius capitale extat, quæritur an possit differre solutionem, si Religiosus bona fide dedit, quod dare non poterat?

SVMMARIVM.

Graui necessitate pressus differre potest solutionem. numer. 1.

Pecunia transit in dominium accipientis, si sua miscuit, vel expendit. n. 2.

Habita fide de pretio, mox transfertur dominium in emptorem. n. 3.

Est in electione minoris militis, fisci, ac Ecclesiæ, vel fundum ex sua pecunia emptum vindicare, vel ipsam pecuniam cum vsuris repetere. n. 4.

1 Respondetur affirmatiuè. Probatur quia graui necessitate pressus potest differre solutionem pecuniæ debitę, si facta solutione à suo statu decideret, ita communiter Doctores, & quotidiana praxis ostendit; Scotus *in 4. dist. 15. qu. 2. art. 4.* Nauar. *c. 17. num. 62.* Petrus Nauar. *lib. 4. c. 4. num. 45.* Lessius *lib. 2. cap. 16. num. 21. & 25.* Lugo *de iust. tom. 1. disp. 21. num. 10.*

Dices quando res debita in specie extat, v. g. vestis aliena, tunc nulla inopia excusat, sed mox restituenda est. Sed hic extat capitale Societatis ducatorum centum; ergo mox restitutio facienda est.

2 Respondetur pecuniam statim transisse in dominium accipiẽtis, si eam vel suis pecunijs miscuit, vel expendit *l. rogasti §. vltimo ff. si certum petatur l. si alicui 78. ff. de solution.* Petrus Nauar. *libro 3. cap. 4. numero 215.* Sanchez *in sum. tomo primo libro 2. cap. 23. numer. 35.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 3. numer. 23.* Eminentissimus Lugo *de iustitia disp. 6. sect. 13. numer. 171.* Lessius *libr. 2. cap. 20. 157.* Sed hanc pecuniam accipiens, mox expendit, quia dedit pro contractu Societatis, neque illud capitale Societatis est aliquid monasterij, sed est ipsius contrahentis, sicuti emptus equus ex pecunia aliena, est ementis, non autem illius, cuius erat pecunia, vt patet *ex l. 1. & 8. C. si quis alteri, vel sibi*, vbi sic dicitur: *Qui aliena pecunia comparat, non ei cuius nummi fuerint, sed sibi tam actionem empti, quam dominium si ei tradita fuerit possessio, quærit* idem habetur in *l. si ex ea C. de rei vendicat.* Ergo cum nulla pecunia monasterij sit penes hunc, sed tantùm obligatus sit restituere centum à religioso accepta, potest horum differre solutionem, quousque possit sine sui status sui iactura restituere.

3 Confirmatur à fortiori nam habita fide de pretio vestis, mox transfertur dominium in emptorem, quare in ea veste non præfertur venditor cæteris creditoribus, ita Couar. Vasquez, Petrus Nauar. Molina, & Turrianus, quos sequitur Lugo *de iustitia tomo primo disput. 20. numer. 17.* ergo si nobilis pauper potest ob conseruandam decentiam status differre solutionem alijs creditoribus, vtique poterit differre restitutionem vestis, vel pretij ipsi creditori; ergo etiam potest nobilis, qui debet alicui centum, cum quibus contraxit societatem, cuius capitale extat, differre solutionem, nam ea centum accepta verè non extant, sed tantùm habet ius illud Societatis.

4 Obijcies, quando tutor, vel curator emit fundum de pecunia minoris, est in electione minoris, an velit fundum vindicare, vel pecuniam in emptionem erogatam cum vsuris à tutore, aut curatore repetere *l. si curator 3. C. arbitrium tutelæ*, quod priuilegium etiam militi competit *l. sicut proponis 8. C. de rei vind.* ac etiam fisco Bal. *in l. si cum seruum 23. ff. si certum petatur.* Peregrin. *de iure fisci lib. 6. tit. 3. n. 12.* Sed Ecclesia pari priuilegio gaudet, ac fiscus, miles, & dos: Ergo religio poterit auocare capitale prædictum.

Respondeo extra controuersiam esse, ac prorsùs indubitatum, posse auocare; at antequam in Iudicio Ecclesia auocet, debitor inopia præssus restituere non tenetur, sed poterit vsque ad meliorem fortunam differre solutionem.

QVÆSTIO XLIV.

An Moniales Sapientię prohibere possint Monialibus Sanctæ Crucis Lucensis, ne altius ædificent, ne maris prospectus impediatur?

SVMMARIVM.

Potest aliquis ædificare in suo vsque ad Cœlum, etiam si obscurentur vicini lumina. n. 1.

Nisi faciat ad æmulationem. num. 2. quæ tamen in dubio non præsumitur. n. 3.

Quando maris prospectus impeditur, non potest ædificari, nisi in distantia centum palmorum. n. 4.

Ignorantia impedit ne consuetudo inducatur. n. 5.

Leges Ciuiles sacris Canonibus non contrariæ seruandæ sunt, etiam in foro Ecclesiastico. n. 6.

Non licet ædificare, quando vicini ædificium redditur inutile. num. 7.

Non licet ædificare cum damno loci publici. n. 8.

Quando duobus priuilegiatis contendentibus conquassentur priuilegia? n. 9.

Vt pax inter Religiosos seruetur non licet vni Monasterio ædificare, ita vt prospiciat interiora alterius monasterij. num. 10.

Pro

1 PRo parte negatiua, facit communis regula *ex l. altiùs C. de seruitutibus*, *& l. fin. ff. eod.* vbi communiter omnes docent, quod quis potest in suo altiùs ædificare, vsque ad Cœlum, etiam si lumina vicini obscurentur, dummodò faciat ad suam vti-
2 litatem, non ad emulationem, Alex. *cons. 174. vol. 2.* Marsil. *sing. 154.* Iason. *consil. 98. vol. 1.* Vrsillus *ad Afflictum, decis. 225. numer. 2.* Gratian. *disceptat. cap. 572. numer. 57.* Cepolla *de seruitut. urban. prædiorum c. 39. n. 1.*

Emulatio autem in dubio, non præsumitur, gl.
3 *in l. fluminum ff. de damno infecto*, vbi Bartol. Decius *consil. 372. num. 3.* Vrsillus *decis. 225. in fine.* Menoch. *de arbitrarijs casu 156. & de præsum. libro 6. præs. 29.*

Secundò, quia esto Moniales Sapientiæ haberent aliquod priuilegium, tamen, cum agant contra alias moniales, pariter priuilegiatas couquassantur priuilegia.

His tamen non obstantibus. Respondetur affirmatiuè, nempè posse moniales Sapientiæ, prohibere nouum ædificium, eo enim ipsæ veluti viuæ tumulantur, nam sol obscuratur, aer adimitur, ventus tollitur, maris prospectus impeditur, ac miseris monialibus sedentibus in tenebris, & vmbra mortis, erit deinceps mors solatium, & vita supplicium: Quatuor solidissimis fundamentis moueor.

Primum fundamentum est, quia, quando maris
4 prospectus impeditur, non potest ædificari, nisi in distantia centum pedum, ita expressè statuitur in l. penult. *C. de ædific.* priuatis, quæ lex antea non allegabatur, quia Græcè scripta, in latinum versa non erat, & iuxta eam legem *anno* 1638. fuit iudicatum in sacro consilio vt per Regentem Capyciū Latro *decis.* 50. Et quamuis pars aduersa diceret, eam constitutionem per contrariam consuetudinem abrogatam, quia numquam illa lex fuit Neapoli practicata. Dupliciter fuit responsum, *vt in d. decis. num.* 22. Etenim non scimus contrarium, nempè quod numquam fuerit practicata. Deinde, quamuis in aliquibus locis, forsan fuisset practicatum cōtra formam textus prædicti, hoc euenit, quia non fuit oppositum, sicuti neque in hac causa opponebatur à principio, cumque numquam appareat, fuisse contra legem prædictam iudicatum. hodie si opponitur, non potest recedi à iuris dispositione, ita D. Regens Capycius Latro; quibus rationibus addo tertiam, nam ad hoc vt lex per contrariam consuetudinem abrogetur, oportet, populum non ignorare legem, sed scire eam, & contra eam iudicari, nam ignorantia tollit consensum, *l. si per errorem ff. de iurisdictione omnium iudicum c. quamuis 38. dist.* Vnde omnes DD. communiter asserunt, quod
5 ignorantia impedit, ne consuetudo introducatur, ita Gregorius Lopez *in l. 5. & 3. partita 5. tit. 2.* Salas *de legibus disp. 19. sect. 6. numer. 61.* Henriquez *lib. 4. tit. 13. in comm. lit. n.* Villalobos *tom. 1. tractat. 24. diff. 9. numero 8. & tractat. 2. diffic. 38. numero 5.* Io: Sanchez *in selectis disputat. 54. numer. 33.* Diana *part. 4. in fine in quæst. de officio mortuorum versic. ad secundum.*

Sed ea lex ignorabatur à latinis, vnde neque in antiquis latinis Codicibus reperiebatur, eamque ignorauit Accursius, vt notat Dominus Capycius latro *n. 21.* ergo non potuit lex ignorata abrogari per contrariam consuetudinem.

Præterea non, refert, hanc legem esse Ciuilem,
6 nam secundum ciuiles leges in foro Ecclesiastico iudicatur, vbi non sunt sacris canonibus contrariæ DD. *in cap. primo de noui operis nunciat. & in cap. innotuit de arbitris* Regens Capycius Latro *decis. 66. n. 25.* Rodriquez *qq. regul. tom. 1. q. 66. art. 2.* Layman *lib. 1. tract. 4. c. 13. n. 7.*

Secundum fundamentum, illudque solidissi-
7 mum est, quia, quando ex nouo ædificio, aliud redditur inhabitabile, & inutile. non licet vicino cum tam ingenti damno alterius ædificare, & altiùs tollere, textus est expressus *in l. fin. §. fin. C. de seruitutibus*, vbi si area ex vna parte recipit ventum, & ex nouo ædificio fit inutilis, non licet vicino altius ædificare.

Neque potest dici, quod hoc est speciale in area fauore fructuum.

Respondetur enim decisionem illius textus, procedere in quocumque casu, ædificium vicini fit inutile, patet ex ratione, quam textus adducit ibi; *Sancimus, nemini licere sic ædificare, vel alio modo versari, vt idoneum ventum, & sufficientem, ad præfatum opus infringat, & inutilem domino aream faciat.* Ita Imperator: hæc autem ratio vniuersalis est, & comprehendit omnem similem casum, quo vicini ædificium fit inhabitabile, & inutile. Hinc est, quod Māgonius *decis. 6.* quem refert Riccius *collectan.* 1041. ait, non licere altius tollere, quando ex huiusmodi ædificio nocumentum præbetur vicino ad occupandum solum ventum, & aerem. Hinc etiam Afflictus *decis. 388. num. 11.* qui citat Bal. *in rubr. ff. de rerum diuis. col. 3.* ait, quod, quando molendinum meum inferius fit inutile ex superiori molendino, non potes illud ædificare cum tanto meo damno.

Sed monasterium Sapientiæ euadet prorsus inutile, & inhabile, adeo vt illud necesse sit deserere, si nouum hoc Monasterium Sāctæ Crucis fiet; prudentem enim virum considerare oportet, has Sacras Virgines Sapientiæ esse huius Ciuitatis nobilissimas, ac delicatissimè educatas, ac intra illos sacros carceres perpetuò conclusas, quæ autem maior miseria excogitari potest, vt hoc nouo ædificio, ita ex omni latere, omnis aspectus eis adimatur, vt vix cœlum aspicere possint, ac ita sepeliantur, imò nec solis radios, aliquo tempore recepturæ sint, adde, ventum adeo impediri, vt eas æstate ardere oporteat, adde, aerem, nullo vento agitante immotum, euadere insalubrem, & pestilentialem; quare necesse fuit, eas diruere quoddam dormitorium, cum sexmille ducatorum damno, quia, cum ventum impediret, ex insalubri aere, omnes iugiter infirmę erant. Itaque erit Monasterium Sapientiæ, tot impendijs ad 60. ducatorum millia ædificatum, deinceps inhabitabile his virginibus, easque aliò commigrare oportebit. Quæ autem æquitas patitur, cum tanto damno nouum hoc monasterium Sanctæ Crucis ædificari?

Tertium fundamentum est, quia non licet altius

8 tius ędificare,cum damno loci publici. Monasteriũ autem sacrarũ Virginum,est locus publicus, vt habetur expresśè *in l. vt inter diuinum C. de Sacrosanctis Ecclesijs*. Quod autem non liceat cum damno publici loci ædificari, passim docent omnes *ex l. 2. §. idem labeo, & §. cum quidam velum,ff. ne quid in loco publico*, ita Crauetta *consil.94.* Aloysius Leo *in l. 1. numero 9. C. de ædification. priuatis*, Vrsillus *decis.* 225 *num.3.* Boer. *decis.*320. D. Capycius Latro *d. decis.50. n.11.*

Hac ratione cum damno publicarum scholarũ, non licet in suo ædificare. Horatius Lutius, *tract. de priuileg. Scholarum, priuil.47. in 18.tomo tractatuum diuersorum fol.* 80.

Neque dicas Monasterium Sanctæ Crucis, esse etiam locum publicum, vnde conquassantur priuilegia.

Respondetur enim, quod quando duo loca æ-
9 quali gaudent priuilegio, ille locus præfertur, qui patitur damnum,ita in terminis noui ędificij vnius Monasterij,cum damno alterius monasterij. Rota Romana *in nouissimis decis.*530.*part.3.* Hieronymus Rodriquez *in Epitome regularium v. monasterium n.* 11. & Parladorus *rerum quotidianarum libr. 1. cap.* 17. *num.*208. Ratio est manifesta, quia reuera monasterium,quod ex nouo ædificio damnificatur habet priuilegium ne damnificetur: ædificans autem nullum habet priuilegium ad ædificandum,cum alterius damno; & sic quamuis vterque locus sit publicus, tamen vnus est priuilegiatus, ne lædatur;alter verò nullum habet priuilegium ædificandi,cum alterius damno.

Quartum fundamentum est, quia, vt seruetur
10 pax inter religiosos; Doctores docent, quod non licet vni monasterio virorum, altius tollere; itaut prospiciant interiora alterius Monasterij, etiam virorum, contra *l.altiùs C. de seruitut.* ita Hieronymus Rodriquez *in Epitome Regular. verbo Monasterium resol.96. num. 11.* & vniuersaliter docet Portel, *de dubijs Regular. v.Monasterium, num 12. quod non potest ædificari nouus conuentus, ita vt praexistens molestetur:* Ergo à fortiori si non licet monasterio virorum ædificare ita vt prospiciant interiora alterius monasterij virorum; neque licet Monialibus Sanctæ Crucis ędificare cum tanto damno aliarum Monialium Sapientiæ, vt istarum monasterium fiat inhabitabile, & necesse sit illud deserere.

QVÆSTIO XXXXV.

An Concubina Petri eius consortio diù sterilis, quæ à Paulo cognita concepit, & peperit filium huic similem, possit persuadere Petro eius esse filium, vt eum hæredem instituat?

SVMMARIVM.

Illius præsumitur filius, cui similis est n.1.

Monstruosi sunt filij, qui parentibus dissimiles sunt. numer. 2.

Quando mulier à Pluribus est cognita, nullus eorum tenetur ad filij alimenta. n.3.

Quando dubitatur, vter duorum sit pater, vterque tenetur ad alimenta. n.4.

Quasi Possessio filiationis operatur, vt habendus sit tamquam verus filius, nisi oppositum euidenter probetur. numer. 5.

Quod vxor diù fuerit sterilis cum marito, non probat filium esse conceptum ex adulterio. n.6.

Similitudo prouenit ex vehementi imaginatione mulieris in ipso concubitu n. 7. quomodo imaginatio concurrat ad similitudinem fœtus. n 8.

Quare si prægnanti denegetur piscis desideratus, si se tangat in capite, pariet infantem cum Carneo pisce in capite? num.9.

1 PRo parte negatiua affertur primò, quia illius præsumitur filius, cui ore similis est. Alciatus *lib.9. parergon. cap.12.* Tiraq. *leg. 1.connub.num.37.* Thesaurus *decis.3.num.6.* Vbi ait hunc teneri ad alimenta, si mulier iuret eius filium; Vnde Aristoteles
2 ait: *Monstruosos esse filios, qui parentibus sunt dissimiles,* vt scribit Antonius Sanctacruz *de hyppocratica Philosophia tex.78.vers. ad similitudinem.*

Secundo, quia quando mulier a pluribus est co-
3 gnita, nullus eorum tenetur ad alimenta. Alexander *cons.157. libr.5.* & ita decisum in Senatu Pedamont, Thesaurus *vbi supra numer. 4. vers.septima regula*, Gomez *in l. Tauri 11. numer.1.* Sanchez *consil. lib.4.cap.1.dub.1.num.3.* Lessius *lib.2.cap.10. dub.6. numer.39.* Eminentissimus Lugo *de iustitia disputat. 13. num.20.*

Ergo iniustè mulier persuadet Petro eius esse filium, eumque lędit; nam si sciret eam ab alijs cognitam, illum filium,tamquam suum non agnosceret; neque daret alimenta, ad quæ de iure non tenetur.

His tamen non obstantibus Respondetur affirmatiuè, nempè posse tuta conscientia persuadere Petro; vt tamquam filium eum agnoscat, & hæredem instituat.

4 Probatur,quia communis opinio Theologorum est, quod quando dubitatur vter duorum sit Pater, tunc vterque tenetur pro parte ad alimenta, imò si vnus nolit, vel nequeat dare alimenta, tunc alter tenetur in solidum, ita Turrianus, *in opusc.theol.to.1. opusc.10 disput,5.dub.3.* Vasq. *part.2 disp.66.cap.8. num.7.* Villalobos *tom.1.tract.1.diff.20.n.12.* Azor *tom.3 lib.2.cap.19.qu.8.* Dicastillus *de iustit.lib.2.tr.2.disp.7.dub.11.num.161.* Diana *part.4.tract.3.resol.31. & part.7.tract.11.resol.35.* Hoc posito sic argumentor si æquale sit dubium tunc æqualis est probabilitas filiationis, Petri, ac Pauli; quare non magis vni, quàm alteri potest mulier persuadere esse filium, vt illum ad hæreditatis institutionem inducat: ergo si ex coniecturis propendeat esse filium Pauli, ob sterilitatem,& oris similitudinem,adhuc remanet dubium,cuius sit filius;nam istę coniecturæ non afferunt certitudinem filiationis, sed quod probabiliùs sit esse filium Pauli, quam Petri: Sed quando duæ sunt opiniones,potest quis relicta opinione probabiliori sequi probabilem vt docet Suarez, Vasquez, Valentia, Lessius, & alij, quos sequitur Sanchez *in sum.libr.1.cap.9.numer.14.* & Diana

part.1,

part.1. tract.13. resol.prima. Ergo, quamuis probabilius sit ex allatis coniecturis hūc esse filium Pauli, tamen adhuc remanet probabile esse filium Petri, vnde potest mater Petro persuadere, vt eum tamquam filium hæredem instituat.

Accedit quod puer iste semper fuit tractatus, & habitus, vt filius Petri, & sic est in possessione filiationis Petri, hæc autem quasi possessio filiationis operatur, vt habendus sit tamquam verus filius; nisi contrarium concludenter, & euidenter
5 probetur, ita DD. *in cap. per tuas de probationibus*, vbi Abbas, Decius, & Felinus, Menoch. *de præs.lib. 6. præs.53. num.21. & de arbitr. casu 89.numero 69.* Ratio est, quia possessio præponderat omnibus rationibus non conuincentibus. Layman *libro primo, tract primo, cap.5.§.3.num.21.* & alij, quos sequitur Diana *part.2.tractat.15.resol. 11.part. 4. tractat. 3. resol. 26.*

At quod diu Concubina Petri, ex consortio illo concubinario fuerit sterilis, quæ cognita à Paulo concepit, & peperit, non conuincit esse hunc filium Pauli; quia etiam si mulier fuerit sterilis per plurimos annos, si post concubitum eum adultero con-
6 cepit, hoc non probat esse filium adulterinum, ita Card. Paleotus *de notis spurijsque filijs, cap.15. numero 5.* Menoch. *de arbitrar. casu 89. numero 31.* Ratio est, quia vt notat Plinius *lib.7. natur histor.c.13. Mulieres aliquæ semel tamen pariunt, aliæ post certum tempus, aliæ secundùm diuersos syderum motus, nunc fecundæ, nunc steriles sunt*, vt etiam dixit Arist. *lib.7.histor. animal. cap.6.*

Neque conuincit esse filium Pauli, altera coniectura, quia illi similis est, etenim hæc potius leuis suspicio, quam coniectura dicenda est, vt notat Alciat. *de præsum.reg.3.præs.7.* Menoch. *de arbitrar.casu 89. numer. 97. & 102.* Nam similitudo prouenit
7 ex vehementi imaginatione mulieris in ipso concubitu, vt omnes affirmant, ex Arist. *libro 7. histor. animal. cap.6.* Plinio *lib.7.cap.11.* vbi ait: *adulteram geminos aliquando peperisse, & vnum adultero, alterum marito fuisse similem*, & Heliodorus *libr primo histor. Ethyopiæ*, ait: *albam prolem ex vtroque parente Ethyope fuisse generatam*, idem tradunt Plutarchus *de placitis philosophorum libr.5. cap. 12.* Valerius Maxim. *lib.9. cap.15.* S. Isidorus *libr.12.ethim.cap.1.* S. Aug. *libr. 18. de Ciuitate Dei cap.5.* Tiraquellus *de legibus Connub. lege 7. num 37.* Delrius *disquisitionum magicarum lib.primo cap.3.quæst.3.* Io: Battista Porta *magiæ naturalis lib.2.cap.23.* Pererius *in Genesim cap.30.* Antonius Santacruz *de hyppocratica philosophia tex. 78. vers. vnum tamen*, vbi inter cæteras rationes, quare gemelli nascantur consimiles, hanc affert: *quia (vt plurimum) vna fiunt imaginatione*, & subdit Santacruz. *Dixi, vt plurimum, quia in vna copula, vna tantùm solet imaginatio persistere, quantumuis transuolet humanum ingenium. Hæc erat apud Ciceronem 1. Tusculanarum causa, ob quam bestiæ simillimæ nascuntur, quia scilicet sunt rationis expertes, hærentem habent imaginationem. Idem Plinius asserebat dubitans quare tam dissimiles homines existant? Quoniam, inquit, velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenij varietas, multiformem imprimit notas: cum cæteris animalibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulis-que in suo, eiusque genere, ita Plinius. Igitur cum generans in puncto seminationis vnam habuerit imaginationem, & vnam ideam, quæ per Spiritus in substantiam fuerit transfusa seminalem, consequens est vt partito gemellorum semini, æqualis impartiatur similitudo. At qui diuersis congressibus fratres generantur, iam diuersis imaginibus efformantur, dissimilesque euasceutur; non vnicus flatus est humanæ phantasiæ, speculum est multarum figurarum, mille imaginibus depingitur.* Hæc Antonius Santacruz, quare cum similitudo ad imaginationem generantis referatur, mirum non est filium non Patri, sed alteri nasci, quandoque similem.

Dices istæ duæ coniecturæ sterilitatis, ac similitudinis separatæ non probant hunc esse filium Pauli, iunctæ tamen simul benè probant, quia filiatio nonnisi coniecturis probanda est, alioquin est impossibilis probationis *l. Lucius ff. de condition. & demonstrat.*

Respondetur illas coniecturas probare filiationem, quas lex vt concludentes admittit *l.1.§.si quis ff. de carbontano edicto.* Menoch. *dicto casu 89.n.12.* Sed allatæ coniecturæ etiam simul sumptæ non sunt concludentes, neque conuincentes esse filium Pauli, & non Petri: ergo, quamuis ostendant probabilissimum esse, hunc esse filium Pauli, tamen cum non conuincant, neque plenè probent, adhuc relinquunt non esse improbabile, quod possit esse filius Petri; Vnde non peccat mater, si sequens hanc probabilitatem persuadeat Petro, vt tamquam filium ipsum hæredem instituat.

Curiosum autem Philosophicum dubium occa-
8 sione dictorum placuit enodare, nempè, Quomodo imaginatio Pauli v.g. quam mulier habet in ipso concubitu, concurrat ad efformandum fœtum similem Paulo?

Respondent primò aliqui actum imaginationis emittere quosdam spiritus, quibus non solum distantes potentias potest alterare, & excitare ad operandum, imò etiam potest alterare corpora longè à se posita, & separata, ita Paracelsus *libr. de imaginibus*. Pomponatius *libro de incantamen. capit. 3. & 4.* Andreas Cataneus *de mirabilibus eff. causis, & alij.*

Sed contra primò est communis omnium Theologorum, ac philosophorum sententia, quæ negat imaginationi vim alterandi corpus aliquod, ita S. Thomas, Ferrar. & alij apud Delrium *disquisit. magic.lib.1.cap.3.q.2.*

Contra secundò, quia imaginatio est actio vitalis immanens: ergo non potest esse operatiua transeunter, seù non potest alterare, & producere qualitatem aliquam in subiectum distinctum, scilicet in potentiam appetitiuam, vel loco motiuam, aut potentiam formatricem fœtus.

Respondeo secundò imaginationem non esse causam efficientem, alioquin operaretur indistans, cum nihil producat in medio; & tamen ex imaginatione, quæ est in capite, aliquando potentia loco motiua pedis operatur, aliquando potentia generatiua commouet instrumēta generationis, vt cum quis imaginatur turpia, aliquando (vt in casu nostro) potentia formatrix fœtus determinatur ad formandum

mandum fœtum conformem imaginationi mulieris; itaque dicendum est, imaginationem, cum sit actus vitalis immanens, & non operetur transeunter proinde nihil producere, neque in medium, neque in potentias illas distantes, vt loco motiuã, generatiuam, aut formatricem fœtus; quare imaginatio est tantum conditio, sine qua non operarentur, seù determinarentur prædictæ potentiæ ad talem operationem. Ratio est, quia, cum omnes istæ potentiæ sint radicatæ in eadem anima, habent inter se quamdam sympathiam, & subordinationem, vt posita operatione vnius, statim operetur altera; quod patet varijs exemplis; sic posita operatione potentiæ imaginatiuæ, statim operatur appetitiua; posita appetitione, statim operatur loco motiua, nisi sit impedita; vt patet in somniantibus, in quibus vapores cibi ascendunt ad cerebrum, & mouent quædam corpuscula, in quibus sunt species phantasmatum; phantasmate autem excitato, mox potentia imaginatiua producit imaginationem motus progressiui; deinde à vehementi imaginatione motus, determinatur potentia appetitiua ad appetitionem motus; posita appetitione motus determinatur potentia loco motiua, etiam in dormientibus, ad producendum motum, & ita dormientes aliquando ambulãt, dum somniantur, vt declarat Andreas Laurentius *in histor. Anatom. lib. 4. cap.* 12. hinc canis dormiens latrare solet; quia memoria illius respicit species inimici, cognoscit enim per species, quas conseruat in absentia obiecti, vt ait Antonius Sanctacruz *opusc. 9. de facult. in specie cap.* 23. *vers. memoria*. Vnde patet, quod imaginatio nihil producat in potentiam appetitiuam, aut motiuam, sed tantum se habet, vt conditio, vel vt proponẽs obiectum, circa quod potentia appetitiua versetur; quare fit, vt istę potentiæ habeant quamdam subordinationem inter se, seù sympathiam, vt operante vna, altera quoque operetur. Hinc ergo apparet, quare mulier ex vehementi imaginatione Pauli, quam habet, quando cognoscitur à Petro, concipiat, & pariat filium similem, non Petro, sed Paulo, quem imaginatur. Ratio est, quia imaginatio de Paulo est conditio, sine qua non determinaretur potentia formatrix, ad formandum fœtum cum tali effigie; quia istæ potentiæ imaginatiua, & formatrix fœtus, cum sint potentiæ radicatæ in eadem anima, habent inter se quamdam subordinationem, & sympathiam, vt operante vna altera determinetur ad similiter operandum; est enim potentia generatiua apprimè coordinata imaginatiuæ, inde est, quod cum quis Venerea imaginatur, statim potentia generatiua commouet instrumenta destinata generationi; sic quoque è contra, quando ex abundantia cibi, adest in membris generationis abundantia seminis, ea turpiter commouentur, ex quo turpi motu, mox imaginatiua potentia operatur, & imaginatur turpia, & hæc propter sympathiam, & coordinationẽ potentiæ imaginatiuæ, & generatiuæ. Præ-
9 terea ex hoc patet, cur si pregnanti, piscem v.g. desideranti, denegetur piscis, & hæc se tangat in capite, pariet infantem cum carneo pisce in ipso capite? Ratio est, quia ex denegatione piscis contristatur prægnans, vnde intensa in ipsa fit imaginatio piscis denegati; cum autem se tangit in capite, imaginatur caput, vnde coniunguntur istæ duæ imaginationes, & coalescunt in imaginationẽ piscis, & capitis (vt patet de eo, qui cum viderit montem, & aurum, nocte somniatur montem aureum) quare talis imaginatio piscis, & capitis determinant potentiam formatricem fœtus, ad formandum fœtum cum carneo pisce in capite.

QVÆSTIO XXXXVI.

An possit sine solemnitate, & assensu Apostolico, quidam secularis aperire ianuam, qua è domo sua immediatè ingrediatur Ecclesiam Regularium.

SVMMARIVM.

Nequit Ecclesiæ seruitus imponi sine eadem solemnitate, quæ requiritur in alienatione. n. 1.

Neque in fundo minoris poni potest seruitus, sine decreto Iudicis. n. 2.

Seruitutes, quæ immobilibus adhærent, inter immobilia computantur. n. 3.

Ianua, qua immediatè patet aditus ad cubicula secularium, atq; seminarũ, destruit clausuram regularẽ. n. 4.

Respondetur negatiuè.

1 Probatur primo, quia non potest imponi seruitus Ecclesiæ sine assensu Apostolico, & cæteris solemnitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ, ita expresè docent Abbas, Antonius de Butrio, & Immola *in c. nulli de rebus Eccles. nõ alienand.* Redoanus *tract. de rebus Ecclesiæ non alienand. q.* 14. *n.* 22. & *q.* 2. *c.* 16. *n.* 1. Rebuffus *in compend. de reb. Eccles. non alienand. n.* 4. & 6. Quaranta *in summa Bullar. v. alienatio n.* 21. Tiraq. *de retract. lignagijs §.* 1. *glosa* 5. *n.* 2.

Secundò; quia seruitus in fundo minoris impo-
2 ni non potest, nec remitti, quæ ei debetur, sine decreto Iudicis; seruitutes enim inter immobilia cõputantur *l. sed si pecunia, quæ est* 3. *§. simili modo ff. de rebus eorum*; ergo neq; sine solemnitate potest poni seruitus in Ecclesia, pupillus enim, & Ecclesia à pari procedunt in alienatione.

Tertiò, quia seruitutes, quæ immobilibus adhę-
3 rent inter immobilia computantur Alex. *consil.* 221. *col.* 2. *vers. præterea vol.* 6. Philipp. Francus *in c.* 2. *de reb. Ecclesiæ non alienand. in* 6. Ergo si reputantur seruitutes inter immobilia, requiritur solemnitas in impositione, seù alienatione.

Quartò, quia non solum res immobiles Ecclesiæ, sed etiam iura prohibentur sine solemnitate alienari. *c.* 2. *de reb. Ecclesiæ non alienan. in* 6.

Præterea ex hac ianua omninò destruit Regu-
4 larium clausura, cum ab Ecclesia ad secularium, & fœminarum cubicula pateat immediatus accessus, & sic ex porta in communi pariete videtur facta vna communis domus secularium, & religiosorũ; quare omnis clausura destructa est, quod sequentibus ostendo 1 *ex tex. in l. cum ædes ff. de legatis* 3. vbi legatis ędibus cõtinetur et conclaue, cui erat aditus ex ipsis ędibus, nã ꝓpter aditũ reputatur, quid vnũ

S sic

ſic in l. prædijs §. *pen. ff. de legat.* 3. vbi legatâ domo venit hortus, cui patet aditus per domum: idem habetur *in d. l. prædijs* §. *balnea*, vbi legata domo veniunt balnea, ſi ad illa eſt aditus intrinſecus per domum. Vnde Bartol. *in d. l. prædijs* §. *vlt. ff. de legatis* 3. Soccinus *iunior conſ.* 61. *n.*4. *lib.* 1. *& conſ.* 159. *num.*7. *verſ. tertio facit lib.* 2. Berous *conſ.* 44. *num.* 34. *&* 40. *lib.* 2. docent: ſolum aditum è domo in hortum, aut balneum ſufficere, vt comprehendantur ſub legato domus, quia ratione aditus reputantur quid vnum cum domo. Sic Hieron. Gabriel. *conſ.* 94. *n.*9. *lib.* 2. docet: quod legata domo, legata cenſetur apotheca ei contigua, ſi eſt aditus ad eam ex domo. Et *in c. ſi Ciuitas in ſi. de ſententia excomm. in* 6. habetur, quod interdicta Eccleſia, cemeterium ei contiguum etiam interdictum, reputantur enim quid vnum. Itaque ſi Eccleſia, & habitatio religioſorum, & ſecularium, ac fæminarum propter immediatum aditum ſunt quid vnum, & vna habitatio, ſequitur omnino deſtrui clauſuram.

QVÆSTIO XXXXVII.

An peccet vir diues, & Nobilis, qui filiam naturalem veluti famulam tractat, vilem veſtitum, victumque inter ſuas famulas præſtans?

SVMMARIVM.

Filio naturali an præſtanda ſint alimenta cõſiderata neceſſitate naturæ, an verò qualitate Patris? n. 1. *&* 2.

An filij naturales nobilium ſint nobiles, ac poſſint ferre arma, ſeù inſignia, & familiam Patris? n. 3.

An naturalis debeat ſedere ad menſam cum legitimo filio. num. 4.

Filia naturalis patris nobilis, an ſit iungenda in matrimonium cum plebeo, vel artifice? num. 5.

Reſpondetur affirmatiuè.

1 Probatur, nam quamuis Baldus *in l. ſi maritus ff. ſoluto matrim.* Caſſaneus *conſ.* 39. *num.* 55. Calderinus *conſ.* 60. *col.* 6. Palatius Rubeos *in cap. per veſtras de donat. notab.* 3. §. 24. *num.* 3. dixerint: filio naturali præſtanda eſſe alimenta conſiderata tantum neceſſitate naturæ, non autem perſonę Patris qualitate.

Communis tamen opinio eſt, quod naturali fi-
2 lio debeantur alimenta, non ſolum reſpectu habito ad neceſſitatem vitæ, ſed conſiderata quantitate facultatum, ac nobilitate, & dignitate parentum, ita docent omnes in *cap. cum haberet per illum tex. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium* vbi gloſa, & Abbas *in vlt. notabili* Hoſtienſ. *circa finem verſ. ſecundum facultates* Io. And. *col.* 2. *verſ. in gloſa* Butrius *col.* 1. *ver. nota quod etiam* Ancaran. 7. *notab. & Præpoſitus col.* 2. Alexander *in l. ſi maritus ff. ſolut. matrim.* Francus *deciſ.* 283. *n.* 18. Ruinus *conſ.* 27. *lib.* .. Molina *tract. de hiſpan. primogenijs c.* 15. *n.* 55. *verſ. ſed verius*, Tellius Fernandez *in l.* 10. *Tauri col.* 1. *&* 2. *num.* 10. Aretin. *conſ.* 17. *col. pen.* Couar. *epit. de ſponſalibus part.* 2. *c.* 8. §. 6. *n.* 7. Surdus *de alimentis tit.* 4. *quæſt.* 18. *n.* 51. Caccialupus *in l. ſi qua Illuſtris, col. antepen. C. ad orficianum* Iaſon. *in* §. *item Seruiana num.* 64. *& in* §. *fin. Inſt. de action.* Corſetus *in ſing. incip. ſpurios il ſecõdo* Bonacoſius *tract. de æquitate Canonica concl.* 2. Pariſius *conſ.* 14. *n.* 27. *vol.* 2. Peregrinus *de Iure Fiſci lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 72. Sanchez *opuſcul. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 34. *n.* 2. *&* 3. Diana *p.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 131. Benè tamen aduertit Molina *vbi ſup.* non adeò pinguia alimenta præſtanda eſſe naturali, ac legitimo filio.

Probatur primò, quia tex. *in cap. cum haberet de eo qui duxit in matrim.* ſic ait: *ſolicitudinis tuæ intererit, vt vterque liberis ſuis ſecundùm quod eis ſuppetunt facultates, neceſſaria ſubminiſtrent*: ergo expreſsè voluit textus præſtanda eſſe alimenta neceſſaria ſecundùm quantitatem facultatum, & ſic etiam attenta dignitate perſonarum.

Probatur ſecũdò, quia quamuis de Iure cõmuni.
3 Naturales filij nobilium non ſint nobiles *l. humilem C. de incertis nuptijs* Bartol. *in l. ſi vt proponis C. de dignit. lib.* 12. Nec poſſunt deferre nomen, Vulgò caſata, & arma ſeu inſignia patris Bald. *in l. generaliter C. de Inſtit. & ſubſtit. ſub condit. factis*, latè Tiraq. *de nobilit. c.* 15. Tamen hodie ex conſuetudine naturales nobilium ſunt nobiles, & tamquam nobiles tractantur, & vt tales non contribuunt in ſubſidijs popularibus, ita Guido Papæ *deciſ.* 580. Boerius *deciſ.* 127. *in fin.* Tiraq. *d. c.* 15. *n.* 25. qui loquuntur de conſuetud. Regni Franciæ Io. Rainerius *tract. de nobilitate in* 2. *q.* 5. *princip. n.* 22. Neurzan. *conſ.* 8. *n.* 19. Paſchalis *de patria poteſtate p.* 4. *c.* 2. *num.* 26. ſic in Hiſpania illegitimè nati ex conſuetudine admittuntur ad inſignia, nomen, arma, honores, & nobilitatem Patris, Garſia *de benef. par.* 7. *c.* 15. *n.* 49. Barboſa *opuſc. de appellatiua verborum vtriuſque Iuris, appellatiua* 164. *n.* 10. Et in Regno Neapolitano naturales ex conſuetudine gaudent Patris nobilitate, & ita ſeruatum eſt ſæpius in pænis infligendis Regens Sanfelicius *deciſ.* 56. *n.* 17. Francus *deciſ.* 569. qui etiam docent quod hodie naturales de generali conſuetudine portant arma domus, & vocantur de cognomine, ſeù familia. quod etiam docet Afflictus *in tract. de Iure prothomiſeos gloſa prima n.* 33. vbi loquitur de Regni Neapolitani conſuetudine, & ait naturalibus competere Ius congrui ex generali conſuetudine. Imò quando ſunt filij naturales Titulatorum, vt Ducum, Marchionum, Principum indifferenter admittuntur ad habitum militum Hieroſolymitanorum, vt teſtatur Marc. Ant. Surgent. *tract. de Neapolis. Illuſtrib. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 14. Paſchalis vbi ſupra *n.* 20. quod tamen mihi difficile videtur, niſi ſint duces non recognoſcentes ſuperiorem. Quare iſta filia naturalis de qua agimus non eſt vocanda Beatrix, ſed Donna Beatrix, quia vt dixit Guido Papæ *d. deciſ.* 580. Naturales hodie ex conſuetudine gaudent omnibus prærogatiuis nobilium, ac ſi eſſent legitimi, niſi in ſuccedendo.

Ergo cum iſta puella, quamuis naturalis reputanda ſit nobilis, vtique iniuſtum eſt, ei veſtitum, & victum tamquam famulæ, & inter famulas præbere, & quãuis Baldus *in c. per tuas de maior. & obed.* quẽ ſequitur Benedictus *in c. Raynutius v. Raynutius num.* 30.

num. 30. de testamentis, dicat, filium naturalem quantumcumque legitimatum non debere sedere ad mensam cum fratre legitimo; tamen cum hodie ex consuetudine per omnia prærogatiuis nobilium gaudeat (licet sit inferioris conditionis, ac legitimus) frater legitimus non debet dedignari, eum ad suam ipsius mensam sedere.

Probatur tertiò, nam Pater nobilis, præsertim
5 diues, non potest suam filiam ità tenuè dotare, vt illam iungat in matrimonium cum plebeo, aut artifice, sed debet quærere personam eiusdem, quæ non sit artifex, & ita tenetur dotare naturalem assignando dotem, considerata nobilitate Patris, ac quantitate patrimonij, ita Abbas *cons. 115. num. 1. vers. attamen vol. 2.* Cardinal. Paleotus *de notis Spurijsque filijs cap. 50.* Francus, qui testatur ita decisum, *decis. 283. num. 18.* vbi *num. 24.* ait, quod in hac taxatione considerandum est, quod filiæ spuriæ in hoc Regno, nisi auro oneratæ, vix virum reperiunt Surdus *de alimentis tit. 1. quæst. 10. num. 19. & 20.* Tiraquellus *de nobil. capit. 20. num. 106.* vbi ait, quod, quamuis filia spuria non sit dotanda, quando se ipsam ex sua arte dotare potest, tamen dotanda est, quando indecorum est illi, artem exercere, cum sit filia nobilis viri, idem docet Bald. Nouell. *de dote par. 6. priuil. 16.* & Lupus *in cap. per vestras §. 2. col. 3. de donation. inter virum, & vxorem.*

Vnde Detius *cons. 611.* quem sequuntur Card. Paleottus *de notis, & spurijs cap. 50.* & Franc. *decis. 283. n. 18.* dicunt, non fuisse inconueniens, quod filia naturalis viri clarissimi, ac diuitis, qui decessit cum vnico filio legitimo, quod fuerit dotata per Patrem in ducatis 3500.

Fateor tamen, quod dos danda filiæ naturali est longè minor, quam dos legitimæ filiæ, Abbas *cons. 115. vol. 2.* Paleottus *vbi supra c. 50. n. 1.* Surdus *de alimentis tit. 7. q. 9. n. 31.*

Quod autem non possit Pater diues, ac nobilissimus filiam naturalem coniungere in matrimonium cum homine plebeo, & artifice, sed debet nuptui dare personę Ciuili, inferioris tamen nobilitatis, patet ex dictis, quia hodie nobilium bastardi reputantur nobiles, tum probo euidenti ratione, nam mulier dotanda est ita, vt possit nubere viro paris conditionis, quod autem artifex non sit paris conditionis, ostendo, nam filius naturalis viri nobilis non debet exercere artem, quia id illi est indecorum; quamuis enim Pater non teneatur alere naturalem, quando iste ex sua arte se alere potest; tamen tenetur alere, quando indecorum est filio naturali viri nobilis, artem exercere; ergo, si naturalibus filijs nobilium indecorum est, artem exercere, sic & artificem ducere in matrimonium, ita Couar. *epit. de sponsalibus par. 2. cap. 8. §. 6. num. 9.* Lupus *in c. per vestras §. 23. num. 7.* Baldus nouellus *de dote par. 6. priuil. 16.* Caccialupus *in l. si qua illustris num. 93. C. ad orficianum* Paleotus *de notis, & spurijs cap. 48. num. 6.* Tiraq. *tract. de nobilit. cap. 20. num. 106.* Duennas *reg. 367. num. 1.* Surdus *de alimentis tit. 7. quæst. 9. num. 25.* Thesaurus, & Gaspar filius *in addit. decis. 211. num. 14.* Abbas *in cap. 2. col. 2. de conuers. infidelium* Gabriel *commun. opinionum*

lib. 6. tit. de alimentis concl. 1. n. 30. Calcaneus *cons. 58. col. fin. vers. nec potest Pater*, Baldus nouellus *in l. 1. num. 106. ff. soluto matrim.* Addentes ad Cappellam Tholosanam *decis. 77.* Crauetta *cons. 199. col. 1.* Roland. *cons. 54. n. 78. vol. 1.*

Concludendum itaque, quod hæc donna Beatrix nobiliter, ac ciuiliter tractanda est, non, vt famula; in propria, non in famularum mensa; dotanda etiam competenter v. g. mille aureis, ita vt possit non artifici, sed honesto, ac ciuili viro nuptui tradi, & si vellet ingredi Monasterium, debet etiam competens dos assignari, & ad hoc etiam posset cogi Pater, vt docet Baldus *in l. fin. C. de dote prom issa* & Baldus nouellus *de dote par. 6. priuil. 16. n. 2.*

QVÆSTIO XLVIII.

An possit Baro in suo fæudo instituere ex ciuibus milites stationarios, qui distinctis cohortibus, diurnis, nocturnisq; excubijs à Bannitorum, ac Turcarum incursionibus Ciuitatem custodiant.

SVMMARIVM.

An vniuersitas teneatur ad excubias, ob periculum hostium, vel latronum. n. 1. & 4. ac 10.

Consuetudo decem annis præscribitur contra legem Ciuilem. num. 2.

Consuetudo est, qua acquiritur Ius populo, præscriptio, qua acquiritur Ius priuato. n. 3.

Non potest Baro Compellere ad excubias, nisi instante graui periculo, cui aliter occurri nequit n. 4.

Vniuersitates non sunt grauandæ, pro persecutione bannitorum. n. 5.

Ideo vassalli soluunt Regi tributa, vt sine nouo onere eos ab hostibus, & bannitis defendat. n. 6.

Nouum onus imponi vniuersitatibus à Baronibus, prohibitum est à Carolo V. n. 7.

Prohibitum quoq; est Iure communi. n. 8.

In Impositione oneris, exigitur proportio geometrica. n. 9

Non est consuetudo, quæ inducitur à priuata persona, sed præscriptio. n. 11.

Vt subditi grauentur à Domino nouo onere, requiritur tempus immemorabile. n. 12.

Noua onera esse per metum imposita, ostendunt murmurationes vassallorum. n. 13.

Populi murmuratio impedit quasi possessionem, & sic impedit præscriptionem. n. 14.

Baro tenetur restituere damna ob noua onera excubiarum imposita, ex eo tempore, quo cæpit dubitare, ea esse iniusta. n. 15.

1 PRo parte affirmatina; Primo affertur, quia ob periculum hostium, vel latronum tenetur vniuersitas ad excubias. Petra *de potestate Principum fol. 44. n. 38.* Boerius *decis. 212.* Capiblancus *de Baronibus pragmatica 19. n. 45.*

Secundò, quia per viginti annos, præscripta est consuetudo talium excubiarum, consuetudo enim, etiam si sit decem annorum, sufficit, quamuis esset contra legem ciuilem; Abbas *in cap. fin. de consuetud. num. 11.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 4. quæst. 4.* Gregor.

gor. Lopez *l. 5. glosa 4. tit. 2. par. 1.* Couar. *primò Var. cap. 17. num. 8. §. 4.* Molina *de Iust. tom. 1. disp. 77.* Tannerus *tom. 2. disput. 5. quæst. 7. dub. 1. num. 8.* & alij, quos refert Salas *de legibus disput. 19. sect. 4.* Diana *par. 6. tract. 5. resol. 2.* Ratio est quia ad consuetudinem, requiritur longum tempus *l. prima C. quæ sit longa consuet. l. de quibus, l. sed ea, quæ ff. de legibus*; Sed de Iure Ciuili, longum tempus dicitur decem annorum, vt in toto tit. *C. de præscriptionibus longi temporis §. 1. Instit. de vsucapionibus l. super longi temporis ff. de præscriptionibus*. Hæc autem non est præscriptio, quæ saltem quadraginta annos requirit, contra vniuersitatem, vt docent omnes *in l. fin. & in authentica, quas actiones C. de Sacrosanctis Ecclesijs*, sed est consuetudo, quod
3 sic ostendo; quia præcipua differentia inter consuetudinem, & præscriptionem, hæc est; Nam per præscriptionem acquiritur Ius priuato, & agitur de fauore personæ priuati, præscribentis contra aliam priuatam personam, aut contra vniuersitatem; sed consuetudo illa est, qua non acquiritur aliquod Ius priuato, neq; agitur de fauore priuatæ personæ præscribentis, sed agitur de fauore, & præiudicio totius vniuersitatis, acquiritur Ius in commune omnibus, & contra omnes de populo, nam consuetudo facit Ius publicum quò ad omnes, quos negotium tangit, ita docent Abbas, & alij *in cap. fin. de consuet.* vbi Cardinal. Flor. *quæst. 8.* Corneus *cons. 168. col. 5. vers. sed pro vt alias legendo vol. 4.* Bal. *in l. imperium col. 4. in fine vers. circa occasionem de Iurisd. omnium Iudicum* Crauetta *de antiquit. temporum. par. 4. particula prima n. 21.* Sed in casu nostro, quod vasalli teneantur ad excubias, vt se ipsos à latronibus, & hostibus custodiant, nullum Ius acquiritur priuatæ personæ, scilicet Baroni; sed agitur de fauore, & præiudicio eiusdem vniuersitatis; quæ se ipsam custodit; ergo talis vsus excubiarum non indiget præscriptione; sed consuetudine, consuetudo autem, decem annis firmatur.

Tertiò, quia quamuis hæc vniuersitas hoc onere excubiarum grauetur, aliundè tamen subleuatur; nam ex hoc respectu, immunis est à militum hospitijs, à militum transitu, à præsidijs, à Capitaneis belli, & à Commissarijs.

Quartò, quò ad impendia tormentarij pulueris, quæ quotidiè se exercendo in bellicis exercitijs ciues subeunt, hæc necessaria videntur, vt in militari disciplina exerceantur; alioquin tempore belli, ac pugnæ, si casus euenirent, essent rudes, inexperti, & inepti.

His tamen non obstantibus Respondeo, non posse tuta conscientia, Baronem hæc excubiarum onera vniuersitati imponere.

Probatur primò authoritate Doctorum, qui ex-
4 pressè docent; quod non potest Baro compellere suos vaxallos ad excubias, nisi tempore grauis, & instantis periculi, cui aliter tunc occurri non possit; ita docent Iacobinus de Sancto Georgio *in inuest. feudali tit. de allodijs num. 43.* Bouadilla *in politica tomo primo lib. 2. cap. 16. num. 121.* Freccia *in tract. de subfeudis, lib. 2. authoritate 44. fol. mihi 231.* Azeuedus *lege 4. tit. 4. lib. 6. Recopil.* Mansuerus *in sua pract. tit. de taleis fol. 132.* latè, & optimè Lucas de Penna *in l. 1. C. ne rusticani ad vllum obsequium lib. 11.*

Sed hiemali tempore, nullum instat periculum turcarum, neq; hoc necessarium est, ad securitatem, pro bannitis, qui non in ciuitate, sed in campestribus latrocinia exercent; & pro ciuium securitate, satis est, omnes habere domi suæ prompta arma, vt pulsata campana possit populus congregatus, se à bannitis defendere; ergo non potest Baro, has iuges excubias instituere, cum tanto onere Ciuium; quia non semper extat graue periculum hostium, aut bannitorum.

Secundò, quia vt ait Regens Aponte *in tract. de*
5 *potestate Proregis, tit. de regalib. imposit. num. 59.* *Non sunt vniuersitates grauanda pro persequutione bannitorum, nam in Regno in quolibet prouincia destinati sunt Bargelli, seu Capitanei de Campagna, ad persecutionem malefactorum, & pro ipsorum stipendio facta fuit impositio trium assium prò quolibet foculari, in vnaquaque prouincia*, ita Aponte. Ergo iniustè vniuersitas, duplici onere grauatur, personali, ac reali; tum quia ideò tributa soluunt,
6 tributa Regi, vt fine eorum grauamine ab hostibus, & latronibus eos defendat, & iustitiam, administret, vt ait Andreas de Isernia *in cap. 1. §. Nautigia, in tit. de statue, & consuet, & in prælud. feudorum quæst. 2. num. 34. & in tit. quæ sint regalia num. 15.* ait: *non posse Regem pro seruanda iustitia imponere noua vectigalia, quia eandem debet seruare cum, redditibus sui Regni, qui ideò præstantur sibi, & habet Dohanas, & alia Iura. Vnde sunt quasi stipendia, ad hoc constituta, & ideò tenetur ille, qui hæc percipit custodire subditos ab incursu latronum*; aliàs tenetur ad restitutionem. Ita Isernia, & idem docent Aponte *de potestate Proregis tit. de regalibus impositon. num. 65.* Albertus Bruuus *cons. 127. col. 7. vers. & ea ratione vol. 2.*

Tertiò, id in Regno expressè prohibetur à Ca-
7 rolo V. *in pragmatica decima tit. de Baronibus*, cuius hæc sunt verba. *Dicti Barones, aut vtiles Domini, & nunc in antea, nullas imponant, aut imponi faciant nouas exactiones, aut gabellas; nec noua seruitia, nouas ve angarias, aut alia noua onera inducant, aut induci faciant directè, vel indirectè, sine expressa licentia nostra, aut Viceregis nostri Generalis, si casus talis occurrerit, quod fieri debeat.* Ita Imperator; Ergo non potuit Baro, noua excubiarum onera inducere, quia quamuis adesset iustissima causa Bannitorum, ac Turcarum, requiritur licentia Proregis.

Quartò, idem statuitur in Iure communi, vt *in l.*
8 *1. C. ne rusticani ad vllum obsequium deuocentur, ibi: ne quis ex rusticana plebe, quæ suam capitationem detulit, ad vllum aliud obsequium deuocetur*, & est tex. *in l. p. C. ne operæ à collatoribus exigantur*, quare rectè dicit Petra *in tract. de potestate Principum cap. 13. num. 12. non posse Baronem noua onera vaxallis imponere*, & Baldus *in cap. 1. in princ. qualiter vaxallus iurare debeat fidelitatem*, ait, quod, *noua seruitia præsumuntur iniusta*.

Quintò, alia ratione id ostenditur, nã in oneribus quę vniuersitati imponuntur, exigitur proportio geome-

geometrica, vt cum necessitas est communis, omnes cõmuniter, & quoad fieri possit æqualiter grauentur, æqualitate inquam, & proportione geometrica, vt ij, qui maiores vires habent, plus soluant, minùs verò, qui minores; quare iniustum est onus, quo alij supra alios grauantur, ita Eminentissimus Lugo *de Iustitia tom. 2. disp. 36. sect. 2. n. 23.* Layman *lib. 3. tract. 3. par. 1. c. 3. n. 2. vers. 3. conditio*, Doctissimus Thomas del Bene præceptor meus *tract. de parlamentis dubit. 2. sect. 2. n. 5.* Sed onera hæc excubiarum, nulla seruata æqualitate geometrica, grauant vaxallos, nam aliqui pauperes grauantur, alij omninò exempti sunt: ergo non seruatur debitus modus.

Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

Ad primum Respondetur, Doctores, qui docent
10 ob periculum hostium, aut latronum, teneri vniuersitatem ad excubias, loqui in casu, quo instat graue, & aliter ineuitabile periculum, vt docent alij omnes.

Ad secundum Respondetur, hanc non esse consuetudinem inductam ab hominibus vniuersitatis, sed esse præscriptionem, quæ requirit quadraginta annos, cum sit contra vniuersitatem. Quod autem sit præscriptio, Probatur primo. Nam istæ excubiæ fiunt pro foribus Palatij Baronis, & sic potiùs pro honore suæ personæ, quam pro necessitate vniuersitatis; secundò esto, quod nullum sit commodum Baronis, non potuit Baro compellere ad
11 has excubias, vnde non potuit induci consuetudo, quæ inducenda est à Populo, non à particulari Persona; Vnde rectè Crauetta *de antiquit. temporum par. 4. in princ. n. 25.* in terminis loquens de oneribus, quę domini Vaxallis imponunt, sic scribit. *Posito; & non concesso, quod vbi Dominus præscribit, contra subditos, & sic contra vniuersitatem, diceretur consuetudo, & non præscriptio, tamen talis consuetudo deberet esse præscripta, spatio quadraginta annorum, cum agatur contra vniuersitatem l. fin. C. de Sacrosanctis Ecclesijs, & cum ista consuetudo cadat super eo, super quò Dominus inducens consuetudinem expressè statuere non posset, quo casu etiam, quod consuetudo dici possit, tamen in ea tempus requiritur necessarium, ad præscriptionem*, ita Crauetta; Ergo, cum vniuersitas hunc vsum excubiarum non induxerit, sed Baro compulit vaxallos ad excubias; consequenter non est dicendus ille vsus consuetudo; Sed præscriptio; quia consuetudo inducitur à Populo, non à particulari persona Baronis. Adde,
12 quod, quomodocumque vocetur, siuè consuetudo, siuè veriùs præscriptio, non potuit induci, nisi tempore immemorabili, vt de excubijs in terminis docet Lucas de Penna *in l. 1. in fine C. ne rusticani ad vllum opus deuocentur, lib. 11. & in l. hac lege col. prima vers. nota, quod collecta C. de aquæ ductibus lib. 11.* Balbus *de præscription. par. 6. princip. quæst. 6.* Bouadilla *in politica tom. 1. lib. 2. cap. 16. num. 117. & 118.* Petrus Antibolus *de muneribus par. 2. §. restat num. 11.* Crauetta *de antiq. temporum par. 4. in princ. num. 26.* Vbi probat, requiri tempus immemorabile, vt subditi grauentur a Domino.

Adde præterea, hæc onera à Barone imposita,
13 præsumi per metum extorta, & hoc satis ostendant murmurationes vaxallorum, vt docet Isernia *in cap. 1. col. 4. vers. plaustrorum, quæ sint regalia* Baldus *in cap. 1. vers. passiones de pace Constantiæ* Lucas de Penna *in l. 1. C. ne rusticani ad vllum obsequium, lib. 11.* Capyc. *in inuestit. feud. vers. collectarum*, Boerius *decis. 132. num. 4.* Grammaticus *voto 12. num. 17.* Anna *singulari 556.* Bouadilla *in politica tom. 1. lib. 2. c. 16. n. 117. & 118.* Mascardus *de probation. concl. 1307.*

Ergo, cum illa onera excubiarum, metu Baronis præsumatur extorta; & in casu nostro est euidens, nam carcerantur; qui ad excubias non accedunt: nequeunt minori spatio, quam immemorabili induci, neque per consuetudinem, neque per præscriptionem: non inquam per consuetudinem; quia consuetudo requirit, vt liberè popu-
14 lus consentiat, non autem ex metu compellatur: neq; per præscriptionem, quia vt inquit Isernia *in d. cap. 1. col. 4. vers. plaustrorum, quæ sint regalia*, & Lucas de Penna, *in l. prima C. ne rusticani lib. 11. populi murmuratio impedit possessionem, vel quasi possessionem, & consequenter impedit præscriptionem.*

Ad tertium Argumentum, quod quamuis à Barone grauetur vniuersitas, hoc onere excubiarum; aliunde tamen subleuatur, ex eiusdem diligentia, & paterna protectione ab hospitatione transitus militum, à præsidijs, à Capitaneis Belli, à Commissarijs. Respondeo, maius esse onus excubiarum, quàm illa, à quibus subleuantur; ratio est; quia non est in potestate Baronis, ne molestentur à transitu militum, &c. quia ista spectant ad Proregem, vt ait Aponte *de potestate Proregis, tit. de prouisionibus fieri solitis §. 6. num. 6.* quare, si præsens Baro, ob suam diligentiam, Prorex præsens ob Baronis amorem, immunem reddat vniuersitatem à dictis oneribus, tamen non erit semper immunis, & tuta; quia succedet alius Baro, alius Prorex, sub quorum reginine non erit immunis; itaque non erit perpetua hæc securitas ab hospitijs, à præsidijs, commissarijs, &c. Sed onus excubiarum intolerabile est, & perpetuum, & numquam poterunt miseri vassalli, post plurium annorum decursum, grauissimum iugum suis ceruicibus impositum excutere: ergo sine proportione, plus grauantur, quàm subleuentur. Prætereo, quod forte hoc onus excubiarum, propter damna, quæ patiuntur rustici, qui suis laboribus viuunt, longè superat onera à, quibus subleuari dicuntur. Præterea quoque, non posse Baronem acquirere Ius grauandi vassallos, onere aliàs indebito excubiarum, ex hoc quod sua diligentia subleuat à quibusdam oneribus, nam ex officio est obligatus, in eo quod potest, tamquam Pater eos iuuare, ac subleuare ab oneribus, quibus præmuntur.

Ad quartum patet responsio ex dictis.

Hinc infertur, teneri Baronem ad restitutionem damnorum, quæ passi sunt sui vassalli ex isto onere excubiarum, ac pro pœna carceris, quando omiserunt excubias, tenetur autẽ restituere dãna, quæ
15 passi sunt sub suo regimine, ab eo tẽpore, quo cępit

dubitare, de Iustitia huius oneris, & omisit facere debitam diligentiam, consulendo viros doctos, vt veritatem deprehenderet, nam ab isto tempore, cæpit esse in mala fide, ita Molin. *tract. 2. disp.36. concl.1.* Sanchez *de Matrim. lib.2. disp. 41. num.* 13. qui docent: quod possidens rem alienam, quam credebat suam, si incipiat dubitare, & omittat facere diligentiam, deinde ad se reuersus diligentia adhibita, comperiat esse alienam, tenetur à die qua cæpit dubitare, restituere fructus domino; Nam ab illo die cæpit esse in mala fide. Quò autem ad suum prædecessorem Baronem, non tenetur restituere damna ciuibus, suo tempore illata, nisi certò sciat Baronem prædecessorem, fuisse in mala fide; quia sciebat, aut dubitabat, hæc onera excubiarum iniustè imponi, & omisit debitam diligentiam, pro inquirenda veritate.

QVÆSTIO XLIX.

An, si dubium sit feram laqueo irretitam posse euadere, extrahens teneatur restituere tendenti laqueum quantum valebat spes capiendi feram?

SVMMARIVM.

Responsio est negatiua. Contra aliquos n.1.
Soluendus tamen valor laboris in tenendo laqueo. n.2.

Respondetur negatiuè ita sentit Eminentissi-
1 mus *Lugo de iustit. disp.6. num.* 83. Contra Molinam *disp.42.* Lessium *lib.2. cap.5. dub.11. num.50.* & Layman *lib. 3. tract.1. cap. 4. num.* 12. qui docuit pro portione dubij feram diuidendam.

Probatur primò, quia expresſè tex. *in l. in laqueum, & l. naturalem §. illud quæsitum ff. de acquir. rerum dominio, & §. illud quæsitum Instit. de rerum diuis.* dicunt feram esse capientis, eò quod *multa accidere possint, vt is, qui eam vulnerauit, non capiat*, neq; ea iura obligant sic capientem ad aliquam restitutionem, ergo gratis dicitur restituendum esse valorem fære pro portione dubij, aut restituendum quantum valebat spes illa capiendi feram.

Secundò, quia licitum est aliquem frustrare spe sua, dum iure meo vtor, vt patet de pluribus concurrentibus ad beneficium, vel cathedram: Sed vtor iure meo, dum feram in nullius dominio adhuc existentem accipio: ergo.

Tertiò, quia cum fære naturalis sit libertas, in dubio non præsumitur feram amisisse naturalem libertatem; nam naturalis libertatis amissio, cum sit quid facti, non præsumitur nisi probetur *l. in bello §. facti ff. de captiu. & postlim. reuersis.*

Quartò, quia vel teneretur iste ad restitutionem, ratione iniustæ damnificationis, & hoc non, quia iniustum damnum non dedit, qui feram sub nullius dominio adhuc existentem cæpit, vel ratione rei acceptæ, & neq; hoc, quia nihil alienum cæpit.

Quintò, quia quotiescumq; tuo labore, & industria alicuius rei dominium mihi acquiritur, vt si bona fide plantaueris arborem in vinea mea; vel ædificaueris domum in solo meo, non teneor soluere valorem arboris, vel domus, sed tantum valorem materiæ, & mercedes fabrorum, vt expresſè docet text. *in §. ex diuerso Instit. de rerum diuis. & l. adeo §. ex diuerso ff. de rerum diuis. l. qua ratione ff. de*
2 *acquir. rerum dominio*; ergo si tua industria tendendi laqueum, færa mihi acquisita sit, teneor tantùm soluere valorem laboris in tendendo laqueo.

Obijc. iniuriam infero vulneranti: ergo teneor soluere fraudatam spem capiendi feram.

Respondetur nego antecedens, quia cum fera adhuc naturalem libertatem retineat, non est vulnerantis, sed occupantis; nec est ille rationabiliter inuitus, si fera, quæ alioquin fortè euadet, à me capiatur; dummodo illi suus labor, & industria soluatur.

QVÆSTIO L.

An debitor relictis omnibus, statim possit religionem ingredi, si spes sit eum manendo in seculo satisfacturum? Et quid dicendum post Bullam Sixti V.

SVMMARIVM.

Negant aliqui, si manendo in seculo, quamuis longo tempore, possit satisfacere n.1.
Alij limitant, si saltem biennio posset magna ex parte satisfacere. n.2.
Alij Probabilius absolutè affirmant. n.3.
Nemo tenetur soluere debitum, cum detrimento boni altioris ordinis. n.4.
Debitor non potest compelli, vt aliquid de nouo lucretur. num.5.
Non tenetur lucrosam hæreditatem acceptare. n.6.
Vt filius arceatur à religione, ob paupertatem parentum, non sufficit communis, sed grauis requiritur necessitas. n.7.
Bulla Sixti V. prohibens à religionis ingreſſu debitis grauatos, intelligitur de decoctoribus, & ijs qui fraudulenter, & sua culpa ad inopiam deuenerunt. n.8.

NEgant aliqui, si manendo in seculo, etiam
1 longo tempore posset satisfacere, ita Io. Gerson *par. 2. operum in opusc. an liceat grauato debitis intrare religionem fol. mihi* 532. *Alphab. 39. lit. X. & Y.* Supplementum Gabrielis *in 4. dist. 38. quæst. 1. art.5. dub. 2. coroll. 2.* Nauar. *in c. cui portio num. 8. de Regul.* Io. Medina *de rest. q. 3. causa* 8. Valentia *tom.3. disput.5. quæst.6. punct.7.* Molina *tom.3. disp.* 758. Rebellius *lib.2. quæst.17. num.27.* Reginaldus *lib.10. num.2. §. 4.* Bonacina *de restitut. in genere disput. prima quæst. vlt. p.2. §.1. n.1.* Corduba *in reg. S. Francisci c.2. q.5.*

Temperant alij hanc sententiam docentes: non
2 posse ingredi si spes sit, quod per biennium saltem manendo in seculo, ex toto, vel magna ex parte satisfaciet ita Lopez *in instruct. par. 1. cap. 29.* Nauar. *in comment. p. de regular. num.* 8. Azorius *tom. 1. lib.12. cap.1. quæst.5.* Lessius *l.2. cap.16. dub.8. &*

lib.2.

lib.2. cap.41. num.32. Sanchez *lib.4. summa cap.19. num.8.* Petrus Nauar. *de restit. lib.4. cap.4. diffic. vltima num. 78. & 79.* Diana *par. 3. tract. 2. resolut. 41.* Eminentissimus Lugo *de Iust. tom. 1. disput. 21. num.67.*

Probant primò, Molina, & alij, quia consilium, vt est ingressus religionis, non debet præferri præcepto Iuris naturalis, pro vt est debiti restitutio: Neque debitor in conscientia liberatur cedendo bonis.

Secundò, quia filius non potest egente patre religionem ingredi S.Tho. 2.2. *quæst. vlt. ar.6. & quodlib.3. art.16.* ergo neq; debitor omissa restitutione; Vtraq; enim obligatio, & restituendi, ac succurrendi Patri est de Iure naturali.

Tertiò, quia si quis callet artem sibi decentem, vel habet lucrosum officium tenetur in conscientia exercere, vt satisfaciat creditoribus Nauar. *in cap. non dicatis 2. quæst.1. num.3. vers.5.* Petrus Nauar. *de restitut. lib.4. cap.4. n.93.* Sanchez *de matr. lib. 6. disp.4. num.9. vers.4.* ergo & tenetur manere in seculo vt exerceat, lucretur, & satisfaciat.

Quartò obligati ad ratiocinia non sunt ad religionem recipiendi ante redditas rationes, vt *in can. legem 53. dist.* ergo nec debitis obstricti ante creditorum satisfactionem.

Quintò non licet differre restitutionem ob lucrum temporale, quod speratur ex dilatione; ergo neq; ob lucrum spirituale, quod speratur per ingressum religionis.

Sextò, quia id expresse prohibet Sixtus V. in constit. *incip. cum de omnibus 27. Nouemb. 1587.* ibi: *ingenti ære alieno grauati supra vires facultatum suarum nullatenus recipiantur*, idemq; antea statuit Pius V. & deinde Clemens VIII. *anno 1602.* qui graues pœnas imposuerunt eis, qui tales receperint.

His tamen non obstantibus Respondeo proba-
3 bilius esse posse statim, non expectato biennio, religionem ingredi, dimissis tamen bonis, quæ habet, quamuis spes esset, quod creditoribus satisfacere posset, ita S.Thom. 2.2. *quæst. vltima art. 6. ad tertium* Caietanus ibidem Paludanus *in 4. dist. 38. quæst.3. art.1. concl. 7.* Angelus *v. religiosus §. 6.* Tabiena §. 11. Syluester *v. religio 2. quæst. 4.* Rosella *verbo religio 2. quæst.5.* S.Antonin. *par.2. tit.11. cap.2. §.1. & par.3. tit.16. cap.2. §.3.* Viguerius *in instit. cap.16. n.7.* Astensis *in summa lib.6. tit.19. q.6.* Aragonius 2.2. *quæst.62. art.8. causa 8.* Clauis Regia *lib. 10. tract.5. cap.7. num.15.* Filliucius *tract. 32. cap.5. quæst.8. num. 155.* Innoc. *in Rubr. de oblig. ad ratiocinia.* Hieronymus à Politio *in regul. S. Francisci c. 2. num.35.*

Probatur primò, ex S. Thoma, quia non debet, quis propter debita, libertate priuari *l. nemo C. de exactor. tributor. lib. 10.* Sed esset libertate priuatus, seù præcipuo exercitio libertatis, si non posset eligere statum propter debita, hoc enim est proprium personæ liberæ, quod propterea seruo non licet absq; domini consensu *c. si quis 17. quæst.2.* ergo licitum illi est, eligere statum religiosum.

Respondet Molina *disp.758. vers. superest*, quod non debet quis propter debita libertate priuari, hoc sensu; vt nequeat homo liber propter debita vendi; cæterum falsum est, quod ex debito, & contractibus non resultet in persona obligatio personalis, qua ad debita teneatur, etiam si non habeat bona vnde soluat, nam vt soluat detruditur in carcerem.

Contra, quia si homo liber nequit, propter debita libertate priuari; nequit etiam priuari præcipuo libertatis exercitio, quod est electio status: tum quia cessio bonorum liberat à carcere *l. 1. C. qui bonis cedere possunt*; ergo etiam liberat debitorem, vt possit statum eligere.

Probatur secundò, non prohibetur quis propter debita eligere statum matrimonialem; etiam si ex Matrimonij oneribus, fiat impotens ad solutionem: ergo neq; prohibendus est ab electione status religiosi.

Probatur tertiò, nemo tenetur soluere debi-
4 tum, cum detrimento boni sui longè maioris, vel quod altioris ordinis sit, Caietan. 2.2. *quæst.62. art. 3.* Nauar. *cap. 18. num. 47.* Petrus Nauar. *de restit. lib.2. cap.4. num.403.* ergo propter debitum pecuniarum non est quis priuandus libertate eligendi statum perfectionis, seù religionis; hæc enim libertas electionis status est bonum longè maius, & superioris ordinis ad pecunias.

Probatur quartò, nam debitor non potest com-
5 pelli à creditoribus, vt aliquid de nouo lucretur; vnde non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur à debitore, sed cum aliquid de bonis diminuitur *l. non fraudantur 177. ff. de regul. Iuris*, quare non tenetur debitor lucrosam hæreditatem acceptare *l. qui autem 6. ff. quæ in fraudem creditor.* & quamuis Sanchez *de matrim. lib.6. disp.4. num.9.* debitorem peccare tunc asserat, tamen id intelligendum, cum sine iusta causa acceptare recusat.

Probatur quintò, quia sponsalia continent promissionem Matrimonij, quod multoties pluris æstimatur, quàm prægrandis pecuniarum summa; & tamen sponsus, non obstante tali promissione, potest ingredi religionem.

Probatur sextò, quia debitor non censetur se voluisse obligare ad omnia media apta ad satisfaciendum creditori; Sed ad ea, quæ per se proximè ordinata sunt ad satisfaciendum: At perseuerare in seculo, vel ingredi religionem, non sunt per se proximè media ad solutionem, sed per accidens, & remota; ergo non fuit intentio ad ea se obligandi. Et sicuti non tenetur quis religionem ingredi, vt satisfaciat creditoribus, ita neq; tenetur perseuerare in seculo.

Probatur septimò contra eos, qui docent debere saltem per biennium expectare, nam ea mora est satis periculosa, & pluribus tentationum procellis exposita; qui enim tandiu differt religionis ingressum, frequentius à Sancto proposito recedit, quare non tenetur se tanto discrimini exponere, cum aliunde ex dictis pateat, non fuisse voluntatem se obligandi ad perseuerandum in seculo, vt creditoribus satisfaciat.

Ex his patet responsio ad cōtraria. Ad primum Respondetur restitutionem esse in præcepto, si existant bona, at si non extent, non est præceptum de nouo acquirendi, cum damno boni maioris, pri-

uando

uandose libertate eligendi ſtatum coniugalem, aut religioſum.

Ad ſecundum reſpondetur ex Lugo, maius eſſe vinculum, ſeù debitum filij reſpectu Patris, quam creditoris, vnde omiſſa reſtitutione poteſt egentem patrem alere.

Reſpondetur ſecundò retorquendo argumentũ, nã, ſi paupertas Patris ſit cõmunis, & ordinaria, ad huc tenetur filius manens in ſæculo eum alere *l. fin. §. ipſum autem C. de bonis quæ liber. l. filia C. de Patria poteſtate l. 1. & 2. C. de alend. liberis cap. cæterum 86. diſt. c. ſi qui 30. diſt.* Nauar. *cap. 14. num. 13.* his enim Iuribus non requiritur grauis, aut extrema neceſſitas in parente, vt illi filius ſuccurrere teneatur, ſed ſufficit eſſe magnã neceſſitatẽ qualis eſt cõmunis, & ordinaria pauperũ: At, vt filius ob parentũ neceſſitatẽ prohibeatur à religionis ingreſſu, nõ ſufficit neceſſitas communis, & ordinaria, ſed
7 ſaltèm grauis, qua propterea oporteat parẽtes mẽdicare, vel cũ dedecore, & notabili indecentia ſui ſtatus alijs ſeruire, ita omnes docent, S. Thom. 2. 2. *q. 101. art. 4. ad 4.* ibique Caietanus, *& 2. 2. q. 189. art. 6. & quodlibet. 3. art. 16.* Nauarr. *in manuali cap. 14. n. 14. & in commentar. 3. regular. n. 48.* Toletus *lib. 5. cap. 1. num. 7.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. num. 34. & in diſput. de ſtatu vitæ deligendo quæſt. 7. num. 88.* Rodriq. *tom. 2. summæ cap. 6. concl. 6.* Abulenſ. *in cap. 6. Matth. quæſt. 34. 50. & 79. & in cap. 8. q. 69.* Layman. *lib. 4. tr. 5. cap. 4. num. 2.* Sà *verbo religio num. 2.* Syluest. *eodem verbo 2. num. 7.* Valentia *to. 3. diſput. 7. quæſt. 1. punct. 2.* Caietan. *in cap. 15. Matth.* Corduba *quæſt. 141.* Lopez *par. 1. cap. 54.* Angles *quæſt. 3. de voto* Angelus *v. religioſus num. 31.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæſt. 8.* Fernandez *in exam. Theol. par. 1. cap. 3. §. 9. num. 1. & par. 1. cap. 8. §. 1. num. 2.* Miranda *in manuali prælat. tom. 1. quæſt. 17. art. 8.*

Ergo ſi filius, qui egentem parentẽ obligabatur alere, ſi neceſſitas non ſit grauis, poteſt eo relicto ingredi religionem, à fortiori poteſt omiſſa reſtitutione ad religionem admitti.

Ad tertium Reſpondetur, excuſari ab exercitio ſuæ artis, ex graui damno, quod pateretur priuando ſe libertate eligendi ſtatum.

Ad quartum Reſpondetur, Canones arcere à Religione obligatum ad ratiocinia, quia dolum, & fraudem præſumunt: at in caſu noſtro ſuppono ceſſare dolum, & fraudem, vt infra dicam.

Ad quintum Reſpõdetur, non amittere lucrum, ſed pati damnum eum qui priuatur libertate eligendi ſtatũ; quod patet, quia ob reſtitutionem non prohibetur eligere ſtatum coniugalem; quamuis inde fieret impotens: cur ergo prohibebitur eligere ſtatum religioſum?

Ad ſextum Reſpondetur ex contextu Bullę Six-
8 ti V. euidens eſſe Pontificem loqui de decoctoribus, ac de eis, qui fraudibus, ac graui culpa ad inopiam deuenerunt, inquit enim: *Multi decoctores poſt dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interuerſam alienam pecuniam eorum fidei creditam, vt ratiocinia effugiant* (& paulo poſt) *tunc demum quærunt à religione auxilium, quando aliunde illud non ſperant; vnde ſub habitu, & nomine religioſorum, animum religioni inimicum, & inueterata vitia retinent.* Hæc Sixtus, ex quibus euidenter patet, loqui de debitore fraudulento, & eodem ſenſu loqui Pium V. docent Sanch. *in ſum. lib. 4. cap. 19. num. 24.* & Bonacina *de reſtitutione in genere diſp. 1. quæſt. vlt. punct. 2. §. 1. num. 8.* ſic etiam accipiendus Clemens Octauus. Quare, ſi re vera in foro interno, in quo ſtatur dicto pænitentis, aut in foro externo varijs ſignis conſtet, ſine fraude, ſine culpa ad inopiam deueniſſe, quod aliquando contingit in aliquibus, qui bona fide fideiuſſerunt, aut aliunde innocentes depauperati ſunt; tunc ſine vllo ſcrupulo poſſunt mox admitti, quamuis ſpes eſſet eos manendo in ſeculo ſatisfacturos; quicquid aſſerat Eminentiſſimus Lugo *de Iuſt. diſp. 21. num. 89.* Nam, ſi ante Bullam Pij, atq; Sixti mox admitti poterant, vt probat idem Eminentiſsimus Lugo *num. 67.* etiam poſt Sixtum admittendi ſunt; quippe qui nihil innouauit, quò ad eos, qui ſine culpa ad inopiam deuenerunt.

QVÆSTIO LI.

An ſi in diſpenſatione ſacræ Pænitentiariæ adſit clauſula, dummodo impedimentum, ſit omnino occultum, poſsit contrahi matrimonium ſi duobus teſtibus ſit notum.

SVMMARIVM.

Occultum dicitur, quod non eſt publicum, quamuis per duos teſtes probari poſſet num. 1.

Publicum dicitur tripliciter, nempè: notorium, aut manifeſtum, aut famoſum. num. 2.

In magna Ciuitate quot homines neceſſe ſit ſcire delictum, vt dicatur publicum? variæ opiniones afferuntur. num. 3.

Opinio authoris. num. 4.

An, ſi delictum eſt publicum in vno loco, ſed in altero, vbi contrahitur, eſt occultum, nec ibi moraliter vnquam publicandum, poſſit diſpenſari. num. 5.

Si delictum eſt publicum, ſed occultum eſt impedimentum afferre, poteſt diſpenſari. num. 6.

Non poteſt diſpenſari, quando delictum deductum eſt ad forum contentioſum. num. 7.

An, ſi adſit clauſula, dummodo ſit omnino occultum, poſſit diſpenſari, ſi duobus ſit notum? num. 8.

Quid, ſi eſſet notum conſanguineis, qui non ſunt manifeſtaturi? num. 9.

DIco primò, quãdo in literis ſacræ pęnitentiarię
1 adeſt clauſula, dummodo impedimentum ſit occultum, tunc occultum accipitur, quod non eſt publicum, quamuis per duos teſtes plenè probari poſſet in iudicio, pro vt eodem modo accipitur occultum, prout diſtinguitur à publico in omnibus conceſsionibus, & facultatibus Apoſtolicis, ac Sacri Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* dum concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi, & abſoluendi in caſibus occultis, ita communiter DD. Nauar. *in manuali cap. 27. num. 255.* Sanchez *de matr. lib. 8. diſp. 34. num. 55. & lib. 2. diſp. 37. n. 11.*

&c in

& in sum. lib.2. c. 19. n. 19. Suarez *de pænit. disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 2. Molina *de Iust. tract.* 3. *disp.* 79. *num.* 8. *vers.* 2. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *num.* 30. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 20. §. 4. Sà *v. Episcopus num.* 35. *& verbo manifestum num.* 5. Sayrus *de censur. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 21. *& lib.* 7. *c.* 13. *num.* 12. Comitol. *respons. lib.* 6. *quæst.* 44. *num.* 2. Barbosa *de potestate Episcopi allegat.* 39. *num.* 20. Lezana *in summa verbo literæ Apostolicæ num.* 28. Diana *p.* 7. *tract.* 2. *resol.* 15. *& par.* 8. *tract.* 3. *resol.* 110. Manuel *in bulla Cruciatæ* §. 9. *num.* 129. *in fine, & primo tomo summæ c.* 166. *num.* 3. Viuald. *in candelabro tit. de irregul. num.* 315. Alterius *de censuris tom.* 2. *disp.* 8. *de suspensione cap.* 3. *vers. secundò notand.* Bonacina *de censuris disp. prima quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. *vers.* 4. Ratio est, quia ideo petitur, vt sit occultum, ad hoc vt obuietur publico scandalo, cui satis obuiatur si impedimentum non sit publicum. tum quia occultum, & publicum contrariè opponuntur, ergo verè, & propriè occultum dicitur, quod non est publicum.

Publicum autem tribus modis dicitur, quod,
2 vel *notorium* est, idest quod scitur à maiori parte alicuius communitatis, in qua sint saltem decem homines, vel est *manifestum* cuius fama est in maiori parte communitatis, item tamen vt fama, seù manifestatio oriatur à scientibus, vel est *famosum*, quod nititur fama maioris partis, orta ex vno sciẽte, vel ex inditijs, aut ex præsumptionibus, ita Nauar. *cap.* 27. *num.* 255. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *num.* 30.

Verùm si in communitate v. g. Vicinia, Academia, Ciuitate, ingens sit hominum multitudo, tunc non desideratur ad publicitatem, vt maiori parti sit notum delictum, alioquin non diceretur publicum, quod mille hominibus esset notum, si in Ciuitate sint decem millia hominum: Sed quot homines necesse sit scire, vt dicatur publicum? hoc opus, hic labor.

Aliqui dicunt sufficere sex homines scire, vt ali-
3 quid sit publicum, ita glosa *in cap. manifesta* 2. *q.* 1. Butrius *in cap. vestra de cohabit. Cler. & mul.* Miles *verbo notorium* Probus *in cap.* 2. *de constit. in* 6. *n.* 67. Afflictus *decis.* 265. Genuensis *in praxi archiep. in prima adit. cap.* 66. *num.* 2.

Sed hanc opinionem vt falsam reijcit Petrus Nauar. *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 294. alioquin si sex scirent sacerdotem concubinatium posset publicè iste reprehendi, ac de eo loqui.

Alij docent publicum dici, quod decem homines sciunt, ita Raynerius, quem sequitur Syluest. *verbo notorium q.* 4.

Sed eandem opinionem rejicit Petrus Nauarra vbi supra, multi enim sacerdotes sunt honorabiles in populo, quorum infirmitas decem viris nota est.

Alij docent id Iudicis arbitrio relinquendum, qui attentis facti circumstantijs iudicare poterit, num eo vsq; criminis notitia, vel fama diffusa fuerit, vt spectata humana imbecillitate impossibile sit cohibere, quò minus in aliorum cohabitantium cognitionem deueniat, ita Abbas *in cap. vestra de cohabit. Clericorum, & mulierum* Molina *tract.* 4. *disput.* 31. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 1. *cap.* 5. *n.* 8. Bartol. *in l. scriptus num.* 2. *ff. de relig. & sumpt. fun.* Bermond. *de concub. verbo notorium num.* 12. Gomez *variar. resol. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 41. Menoch. *de arbitr. casu* 166. *n.* 7.

Sed quia Iudex iuxta regulas prudentiæ, suum debet arbitrium moderari, adhuc remanet difficultas, quando arbitrari poterit esse publicum?

Mihi ita videtur dicendum, vel quæritur quan-
4 do delictum dicatur *notorium*, vel quando dicatur *manifestum*, aut *famosum*. Si quæritur quando dicatur *notorium*, sufficit decem homines scire, seù coram decem esse commissum, nam decem homines faciunt plebem *cap. vnio* 10. *quæst.* 3. sic dicitur notoriè occisus, qui coram decem occisus est *c. de manifest.* 2. *quæst.* 1. sic actus electionis, aut alius similis dicitur notoriè geri, si coram decem fiat, Cynus *in l. ea quidem C. qui accusare non possunt* Bald. *in l. si verò §. qui pro rei qualitate*, & ibi Iason *ff. qui satisdare cogantur* Crauetta *cons.* 121. *num.* 2. Ratio est, quia moraliter tunc est impossibile, non diuulgari, & inotescere cæteris, qui non viderunt si delictum est coram decem commissum. Si verò delictum non sit notorium, sed *manifestum*, vel *famosum*, tunc non sufficit diffamatio apud decem homines, sed plures requiruntur, qua in re certa regula tradi non potest; nam maior numerus requiritur si fama sit apud homines diuersarum viciniarum, aut regionum Ciuitatis; minor numerus sufficit ad diffamationem in eadem vicinia vnde placet regula tradita à Molina *tract.* 4. *disp.* 31. *num.* 3. quem sequuntur Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. & Lugo *de Iustitia disput.* 14. *sect.* 6. *num.* 70. vbi docent, quod si Academia constet ex mille, sufficit viginti esse notum, plus minusuè; qui tamen non ex vna, vel duplici domo sint, sed ex diuersis: Si vicinia constet ex quadraginta personis, sufficit sciri à decem, vel octo in diuersis domibus cõmorantibus: Si oppidum constet ex quadraginta domibus, sufficit si notitia sit apud viginti de eo populo: Si Ciuitas ex quinque milibus constet, sufficit si triginta sparsim de ea ciuitate id sciant.

Aduerto vlterius, quod si decem homines deponant, aut dicant se audisse, quamuis non dicãt à quibus audierint, neque deponant formiter de fama, dicetur publicum delictum, & probata eius fama, ita docent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius *de indicijs, & tortura q.* 47. *num.* 267. cuius rei, non ea videtur ratio, quia ipsi decem faciunt populum iuxta *c.* 1. *de electione*, quia vt ex Petro Nauar. supra dixi, ad huc dicitur occultum delictum, cuius fama est apud decẽ; sed quia si decem deponunt publicè audiuisse probabilissimum est scire plusquam triginta.

Sed difficultas est, an si in loco vbi delictum est
5 commissum publicum est, sed locus adeò distat, vt moraliter nunquam credatur publicandum in loco, vbi contrahitur matrimonium, an tunc dispẽsari possit? Affirmant Auila *de censuris par.* 2. *c.* 7. *disp.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. Sanch. *in summa lib.* 2. *c.* 11. *num.* 20. Duardus *in Bulla Cænæ lib.* 3. §. 2. *q.* 11. *n.* 10. Fagundez *præc.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 28. Diana

par. 7.

par.7. tract.2. resol.16. negant probabilius Nauar. *cons. 43. de tempor. ordinat. in nouis* Suarez. *de pænit. disp.30. sect.2. num.2.* Sanctarellus *de heresi cap. 5. dub.6. num.26.* Bonacina *de censuris disp. 1. quæst. 3. punct. 2. num. 3.* Castro Palaus *tomo 1. tract. 4. disput. 4. punct. 3. §. 1. num. 14.* Ratio est, quia, quamuis in loco matrimonij, moraliter nunquam publicabitur delictum; at publicari poterit in loco delicti, matrimonium esse contractum, & sic oriri publicum scandalum. tum quia remanet libertas coniugibus adeundi locum delicti, cum publico scandalo.

Præterea aduertendum, ad huc occultum dici
6 impedimentum matrimonij, quando, quamuis delictum sit publicum, tamen ratione ignorantiæ, occultum est illud esse impedimentum matrimonij, vt si in oppido, in quo ferè omnes sunt rustici, & ignorantes, publicum sit adulterium, publica promissio de futuro matrimonio post mortem mariti; at vix duo, aut tres sciunt, id esse impedimentum, tunc poterit dispensari, quia tunc impedimentum occultum est Sanchez de matrim. *lib. 8. disp. 34. num. 56.* Diana *par.8. tract.3. resol.110.* & ita in simili casu de Episcopo dispensante cum irregulari occulto; docent Emanuel Sà *v. Episcopus num.35.* Rodriq. *in summa tom.1. cap.176. num.3.* Henriq. *lib.14. c.20. §.4.* Sayrus *de censuris lib. 7. cap. 13.* Bonacina *de censuris disp.7. quæst. 5. pun.1. num.4.* Riccius *in praxi resol. 456. num. 5. in 2. edit.* Nauar. *cons. 2. de Clerico non ord. ministr.* Zechius *de casibus Episcopo reser. casu vltimo num. 1. vers. & quid,* Piasecius *in praxi Episcop. par.1. cap.1. num. 56.* Miranda *in manuali Prælat tom.2. q.8. art. 14. concl.2.* Barbosa *de Episcopo alleg. 39. n. 27.* Diana *p.7. tract.2. resol.16.*

Denique his addo, non posse dispensari, quando
7 delictum, ex quo prouenit impedimentum, deductum est ad forum contentiosum, nam tunc verè dicitur publicatū, cum iudiciaria acta constituant notorium Iuris, Soccinus senior *cons. 38. col.8. vers. 7. principaliter vol.1.* Soccinus iunior *cons.16. n.18. vol.1.* Parisius *cons.111. num.7. vol. 4.* Neuizanus *cons.81. num.32.* Aretinus *cons.42. n.5.*

Dico secundò, quando in literis pænitentiariæ
8 propter enormitatem delicti, ex quo oritur impedimentum, adest clausula, *Dummodo delictum sit omninò occultum,* vt, si quis cognouit matrem, eiusque filiam, & cum vtraq; genuit filios; si cum altera ad vitandam infamiam vult cōtrahere matrimonium; tunc, si delictum duobus testibus sit notum, nequit dispensari; nam *omnino occultum* dicitur, quod nequit plenè probari in iudicio per duos testes, neque aliter plenè probari potest, quam per ipsam rei confessionem, ita Couar. *in clem. si furiosus par.2. §.3. num.4. vers. ex quibus* Rodriq. *quæst. regular. tom.1. quæst.24. art.11.* Baldus *cons.174. n. 3. vol.2.* Suarez *de censuris disp. 41. sect. 2. num. 6.* Genuensis *in praxi Archiep. cap.66. num. 2. in prima æditione.*

Ratio est, quia dictio *omnino* exponitur, idest *totaliter, & indistinctè* glosa, & Bartol. *in l. si cum exceptione §. quatenus ff. quod metus causa* Rolandus *à valle cons.84. num. 24. vol. 1.* Sed occultum dicitur, vel quod non est probabile, vel quod non est publicum: ergo omnino occultum est, quod neq; publicum, neque probabile est.

His adde, neque dici delictum omnino occultū,
9 quando ij, qui sciunt, sunt consanguinei, nā quamuis isti non cogantur testificari, aut ratione honoris numquam testificaturi sint; sufficit, vt delictum sit probabile, & sic non omnino occultum, posse illos testificari si vellent, nam in causa matrimoniali, fauore matrimonij, admittūtur testes consanguinei Farinac. *de testibus quæst.54. n. 64. 137. & 191.* Gabriel *tit. de testibus concl.13. num.11. qui alios citant.*

QVÆSTIO LII.

An qui vicit in ludo, eò quod collusor errauit in numerandis punctis, & victor non monuit, teneatur ad restitutionem?

SVMMARIVM.

Responsio negatiua est communis. n.1.
Multæ fraudes, & astutiæ licitæ sunt in ludo. n. 2.
Potest collusor mox post numerationem punctorum aleas miscere, quamuis dubitet, vel sciat, puncta non benè numerata. n.3.

1 RESpondetur negatiuè, ita Lessius *l. 2. cap. 26. dub.2. in fine* Aleozer *tract. de ludo cap. 20.* Sanchez *consil. lib.1. cap.8. dub.14.* Eminentissimus Lugo *de Iust. disp.31. sect. 2. §. 3. num. 36.* Hurtadus de Mendoza *de contract. disp.8. diffic. 7.* Diana *par.7. tract. 9. resol.45.*

Contra Nauar. *c.20. num.17.* Lopez *2. p. c.35.* Philiarchum *de offic. sacerdot. tom.2. lib.5. cap.2. n.9.*

Probatur, quia, licet ludens teneatur alterum non defraudare; non tamen tenetur alterum de sua negligentia, vel errore admonere; hæc enim est lex ludi.

Confirmatur primò, quia in aliquo ludo alearum est in vsu, quod, si aliquis est oblitus, numerare, vel apponere calculos, si recordetur, postquam distributæ sunt aleæ, non potest secundùm leges ludi numerare, vel apponere.

Secundò, quia, si expressè intercessisset pactum inter ludentes, vt qui errauerit in numerando, sibi imputet, & perdat; tunc iustè quis lucrabitur; sed ex communi ludentium consuetudine id est introductum; ergo videtur de hoc tacitum pactum intercessisse, atque adeo cum taciti, & expressi idem sit iudicium, licitum etiam erit tale lucrum.

Tertiò, quia ex recepta ludentium consuetudi-
2 ne multæ fraudes, seu astutiæ licitæ sunt in ludo, ex quibus licitè quis potest lucrari, sic qui certò nouit, se victurum, licitè potest inuitare, & augere sponsionem. Qui certò nouit se perditurum, licitè potest inuitare, vt alter timens, ne vincat, recuset, & perdat. Inuitatus ab altero, sciens, se habere plura puncta, fingere potest, se dubitare, & tandē dicere se acceptare, modò sibi donentur duo puncta, vt altero ea concedente, certò perdat. Sic fingens

fingens se nolle acceptare, vt alter plus auget licitè lucratur. Sic sciens se habere meliorem ludum, si fingat se habere peiorem, vt alter augeat sponsionem licitè lucratur. Sic potest vnus numerare pauciora puncta, vt postquam alter sua exhibuerit, ipse postea exprimat, quæ habet, & ita lucretur. Sic licitè lucratur qui videt aleas ex negligentia collusoris, modò non intercedat alia fraus, sed tantum negligentia collusoris, ita pluribus Doctoribus relatis docent Sanchez *consiliorum lib. 1. c. 8. dub. 12.* Lessius *l. 2. cap. 26. dub. 2. num. 14. & 15.* Molina *tom. 2. disput. 517.* Gouar. *regula peccatum p. 2. §. 4. n. 5.* Layman *lib. 3. tract. 4. c. 21. n. 6. in fine,* Diana *p. 7. tract. 9. resol. 44. 50. & 53.*

Dices qui errauit in numerando, verè non perdidit; ergo soluit nummos, quos non perdidit.

Respondetur quod verè perdidit, quia secundum leges ludi non vincit qui habet plura puncta, sed qui habens plura puncta ea collusori ostendit; quod si verè habeat plura, sed non ostendit, iam verè perdidit, & obligatur soluere: quod patet ex dictis, quia valeret pactum ita expressum; ergo ita etiam dicendum, cum iam adsit tacitum pactum ex consuetudine ludi.

Infertur ex dictis, neque teneri ad restitutionē
3 eum, qui sciens, vel dubitans collusorem errasse
in numerandis punctis, post semel ea numerata,
ne iterum numerentur mox aleas miscet, & sic
vincit. Ratio est, quia semel ea numerauit; ergo
sibi imputet, si negligenter numerauit.

Dices non debebat aleas miscere, sed debebat paululùm expectare, aliàs videtur vti fraude.

Respondetur post semel factam numerationē, siuè benè, siuè malè, ius est collusori miscere aleas; quod si in numerando alter errauit, sibi imputet; nec tenetur alter paululùm expectare, quia hoc esset tacitè admonere eum de errore, & vt supra dixi, non tenetur admonere collusorem; tum quia collusor nec ipse rogauit, vt expectaret, sed credens se bene numerasse, ad hoc non aduertit.

QVÆSTIO LIII.

Petrus, cum Regio assensu, vendidit feudum Paulo fratri, hic retrouendidit eidem, sine assensu, & moritur; cui ab intestato succedit Petrus. Quæritur an Petrus possit in conscientia, tacita morte fratris petere assensum, & renouationem inuestituræ; & sic euitare releuium?

SVMMARIVM.

Etiam in retrouenditione requiritur assensus, quamuis præcedens venditio facta fuisset cum assensu. num. 1.

Nisi venditio facta fuisset cum pacto de retrouendendo. num. 2.

Non potest impetrari assensus, tacita morte alienantis. num. 3.

Quando alienatio fit in proximum agnatum non requiritur assensus. num. 4.

SVpponendum, quod etiam in retrouenditione
1 requiritur assensus, quamuis venditio præcedens,
facta fuisset cum assensu. Isernia *in c. 1. §.
si verò de controu. inuest.* Aponte *cons. 72. n. 11. vol.
1.* Afflic. *in cap. 1. num. 24. quid si post alienat. Dominus
feudum recup.* Schraderus *de feudis, p. 8. cap. 1.
num. 40. vol. 1.* Borrellus *in summa decis. tom. primo
tit. 34. num. 15.*

Verum si venditio facta fuit, cum pacto de re-
2 trouendendo, & super ea præstitus est assensus;
tunc in retrouenditione nouus assensus non requiritur,
Afflic. *in cap. imperialem num. 39. de probib.
alien. per feder.* Schraderus *de feudis par. 8. c. 2. n. 54.
vol. 1.* Borrellus, *in summa decis. par. 1. tit. 34. n. 33.*
His positis.

Pro parte negatiua, nempè non posse impetrari assensum, tacita morte alienantis, & ita fraudari releuium, affertur, quia non valet assensus præstitus, post mortem alienantis, quia vel esset in præiudicium hæredis, vel Regis, ratione releuij, aut deuolutionis; vnde requiritub nouus consensus hæredis, & assensus Regis, super nouo isto consensu. Iserna *in cap. imperialem, num. 16. de probib. feud. alien. per Feder. & in cap. 1. §. donare n. 8. qualiter olim poterat alienari,* & ita decisum refert Franchus, *decis. 620.* Capyc. *decis. 115. num. 4.* Grammat. *decis. 103. num. 106. & 120.* Osaschus *decis. 119. num. 26.* Georgius *in repet. feud. cap. 43. num. 46.* Aponte *de potestate Proregis tit. de assensu super dote §. 1. num. 12. & n. 19.* vbi sic ait, *Assensus semper est gratia, & dependet à Principis voluntate, qui morte alienantis subsecuta, non tenetur assentiri, sic validando contractum defuncti, propter interesse releuiorum, ac etiam fortè propter deuolutionem.* ita Aponte. Itaque cum Rex possit, non præstare assensum, super alienatione feudi, vt docet Anna *alleg. 39.* sequitur, quod subreptitius est assensus, si taceatur mors alienantis, & ita fraudetur releuium.

His tamen non obstantibus, Respondetur tuta conscientia posse taceri mortem alienantis, & super alienatione, ante duos annos facta, impetrari assensum, & ita euitari releuium.

Probatur, quia frater, qui succedit ab intesta-
to, & est proximus agnatus, iustè possidet, titulo
emptionis absque vllo assensu, quando enim alie-
4 natio fit in proximum agnatum, tùnc potiùs est
refutatio, quàm alienatio, & ideò assensus non
requiritur, vt est tex. expressus *in cap. 1.* vbi glosa,
*verbo, concederetur de alienat. feudi paterni, cap. 1.
§. si vero de feudi alienat.* Balbus *decis. 22.* Anna
allegat. 6. n. 1. Iacobinus in *inuest. feud. verbo, & cum
pacto il secondo num. 17. & 31.* plurimos citat Borrellus
summa decis. tom. 1. tit. 34. num. 20.

Quare, cum hic sine vllo assensu, iustissimè possideat titulo emptionis, non autem titulo hæredis, & assensus non sit necessarius, sed illum ad bene esse requirat; sequitur, quod non tenetur ad releuium, neque tenetur declarare mortem fratris, debet tamen intra annum, & diem petere renouationem inuestituræ. Cassaneus *in consuetud. Burgund. tit. des fiedz. §. 8. glosa 2. n. 46.* Tepatus *tom. 2. tit. 379. cap. 15.*

QVÆSTIO LVI.

Quidam Marchio à tempore immemorabili non soluit decimas prædiorum, quæ possidebat in suo marchionatu: quæritur an dicatur etiam præscripsisse immunitatem à decimis prædiorum, quæ à 37. annis emit à suis ciuibus?

SVMMARIVM.

Responsio negatiua. num. 1.
Præscriptio mensuratur à possessione. num. 2.
Quando præscribenti obstat Ius commune, non fit extensio de casu ad casum. num. 3.
Præscriptio est odiosa. num. 4.
Priuilegium non soluendi decimas, non extenditur ad Noualia. num. 5.
Præscriptio percipiendi decimas, etiam immemorabilis, non extenditur ad prædia de nouo empta. num. 6.
Neq; ad noualia num. 7.
Prædia obnoxia decimis ad quemcumq; transeunt cum suo onere. num. 8.
Certissimum est, non sufficere laico quadraganariam præscriptionem sine titulo. num. 9.
Sufficit tamen quadragenaria sine titulo, quò ad quotam, idest ad effectum minuendi decimam. num. 10.
Propositio indefinita æquiualet vniuersali. n. 11.
Immemorabilis præscriptio operatur præsumptionem priuilegij, sed non priuilegij concessi per verba indefinita, aut in amplissima forma. num. 12.

REspondetur negatiuè, quare tenetur in con-
1 scientia soluere omnes decimas prædiales,
exceptis tantum ijs prædijs, quæ ipse, & sui prædecessores à tempore immemorabili possiderunt, & non soluerunt decimas, & hæc præscriptio non extenditur ad prædia de nouo acquisita, & ita docet Suarez *de Religione tom. 1. lt. 1. de diuino cultu c. 19. n. 7.* quamuis contrarium de præscriptione immemorabili doceat Merolla *tom. 3. disp. 6. de priuil. c. 8. n. 109.*

Probatur primò, quia præscriptio mensuratur
2 à possessione; ita vt tantum quis præscribat quan-
tum possidet; *nam sine possessione præscriptio non procedit cap. sine possessione de reg. Iuris in 6.* quare tantum quis præscribit quantum legitimo tempore, & bona fide possidet Felinus *in cap. auditis n. 19. de præscr.* Puteus *decis. 107. lib. 1.* Crauetta *cons. 292.* *Abbas cons. 101.* Tepatus *tit. 557. cap. 3.* Coccinus *decis. 346. num. 9.* vbi ait regulam esse, quòd tantum est præscriptum, quantum possessum, Seraphinus *decis. 908. & 346. & 1404.* Geminianus *consil. 45. nu. 5. & 6.* Cardin. Turchus V. *præscriptio concl. 523. nu. 10.* Layman *in Theol. morali lib. 3. tract. 1. cap. 8. num. 6.* qui ferè in terminis decidit casum nostrum; sic dicens: *Ex hac requisita conditione possessionis infertur primò, quod aliquis via præscriptionis præcisè, plus acquirere non potest, quàm possidet, argumento cap. cum olim de præscription. Quare si inferior Principe temporis diuturnitate, cum bona fide, ex certis rebus vectigalia exegit, non ideo censetur Ius vectigalis absolutè, & quò ad omnia præscripsisse.* Ita Laiman. Ergo quamuis Marchio ex certis prædijs tempore immemorabili non soluerit decimas; non ideo censetur absolutè, & quò ad omnia prædia, nempè etiam noua, quæ acquirit, præscripsisse immunitatem à decimis, cum hanc immunitatem non possederit, & sic non præscripsit.

Confirmatur primò, nam quando obstat præ-
3 scribenti ius commune, tunc non fit extensio in
præscriptione de casu ad casum, ita Puteus *decis. 107. n. 3. lib. 1.* vbi ait, quod quamuis probata præscriptione circa vnum actum Iurisdictionis fiat extensio ad alios actus Iurisdictionis eiusdem speciei, vt ait Castrens. *in l. Imperium col. pen. ff. de Iurisd. omn. iudicium*; tamen hoc non procedit, quando Ius commune est contra præscribentem, tunc non est extensio neq; ad alios actus Iurisdictionis eiusdem speciei, ita Felin. Innocent. Abb. Raynal. & Roman. apud Puteum *vbi supra*; ergo non fit extensio præscriptionis immunitatis decimarum de vno ad aliud prædium, sed tantùm est præscriptum, quantum est possessum, quia Ius commune obstat præscribenti, nam quilibet laicus iure communi tenetur ad decimas.

Confirmatur secundò, nam præscriptio est
4 odiosa, & strictè interpretanda, & dicitur con-
tra naturalem æquitatem, Crauetta *cons. 1. n. 26. par. 2. & cons. 29. n. pen.* ergo non debet extendi de vno ad aliud prædium.

Probatur secundò, quia priuilegium concessum
5 alicui non soluendi decimas, non extenditur ad
Noualia, ita Butrius *in c. tua il p. de decimis*, Moneta *tract. de decimis cap. 4. nu. 67.* Rebuffus *eod. tract. quæst. 14. n. 30.*

Sunt autem Noualia agri de nouo ad culturam redacti, qui à tempore immemorabili erant inculti, vt declarat *tex. in c. quid per nouale de Verb. signific.*

Ergo si ad Noualia non extenditur priuilegium, non soluendi decimas a fortiori, neq; extenditur ad prædia de nouo empta: Ergo neq; præscriptio extenditur ad immunitatem, quò ad prædia de nouo empta; nam strictius accipitur præscriptio, quam priuilegium, vt docet expresè Couar. 1. *var. resol. c. 17. n. 13. vers. quia distinctum.*

Probatur tertiò, nam si quis tempore imme-
6 morabili præscripsit Ius percipiendi decimas ex
aliquibus prædijs, non potest præscriptionem allegare, quò ad prædia de nouo empta, quia in præscriptione non potest fieri extensio de re ad rem, & de prædio ad prędium, nam tantùm est pręscriptum, quãtum est possessum, ita sæpè in Rot. Rom. decisum refert Seraphinus *decis. 908.* ex doctrina Hostiens. Butrij, & Abbatis *in c. cum contingat de decimis*, Achilles de Grassis *decis. 3. de decimis.*

Sic præscriptio, neque extenditur ad Noualia *d. c. cum contingat*, Vbi Doctores Seraphinus *decis. 1404.* vbi ait, ita decisum, Moneta *de decimis c. 4. num. 79.* Couar. 1. *var. c. 17. n. 13.* Rebuffus *de decimis q. 14. n. 9.*

Ergo si præscriptio percipiendi decimas non extenditur ad prędia de nouo empta, neq; pręscriptio immunitatis à decimis extenditur ad prædia de nouo empta; vtraq; .n. pręscriptio est cõtra Ius com-

commune, vtraque odioſa, vtraque ſtrictè intelligenda.

Probatur quartò, quia prædia obnoxia deci-
8 mis ad quemcumque poſſeſſorem, quantumuis priuilegiatum tranſeant, etiam ad ipſum Papam, tranſeunt cum onere decimarum; niſi peculiare adſit priuilegium, aut deinde poſt tranſitum præſcribantur, aut Sum. Pontifex concedat immunitatem; ita S. Thom. 2.2. *quæſt.*87. *art.* 4. Doctores *in cap. de terris de decimis, & in cap. quanto de Iudæis* Layman *lib.*4.*tract.*6.*cap.*3. *num.*5.

Ergo cum ciuium prædia obligata ſint, & obnoxia decimis, ſiue ad Marchionem, ſiue ad aliam perſonam tranſeant, cum ſuo onere tranſeunt, niſi vel Marchio, vel alia perſona oſtendat peculiare priuilegium, aut poſt tranſitum præſcripſiſſe immunitatem per quadragenariam cum titulo, aut per immemorabilem præſcriptionem.

Dixi per quadragenariam cum titulo, nam
9 quod ſufficiat laico quadragenaria ſine titulo ad præſcribendam immunitatem à decimis, eſt falſiſſimum, & improbabile, ac omni carens fundamento, & non ſolum contra omnium ſententiam, ſed etiam contra textum *in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. vbi traditur regula, quod quando Ius commune eſt contra præſcribentem requiritur immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo, quare ad immunitatem præſcribendam à decimis requiritur quadragenaria cum titulo, ita communiter Doctores quos citant, & ſequuntur Couar. 1. *var. cap.*17. *num.*8. *verſ.decimo* Layman *l.*4.*tract.*6.*c.*7. *num.*9. Diana *par.*3. *tract.*5. *reſol.* 77. vbi in fine ſic concludit: *Dicendum ſufficere præſcriptionem* 40. *annorum cum titulo iuſto, ſeu probabili, & par.*5. *tra.* 14. *reſol.* 42. Denique nullus eſt omnino Doctor, qui doceat oppoſitum.

Neque oppoſitum docent Diana *dict. reſol.* 77. nec Tannerus 2.2. *diſp.*5. *quæſt.* 3. *dub.* 2. *num.* 31. & Henriq. *lib.* 7. *cap.* 27. *n.* 2. ſed attentè legenti, patet eos docere, quod tunc ſufficiat quadragena-
10 ria ſine titulo, quando non prætenditur exemptio ab omnibus decimis, ſed à quota, & ſic ad effectum minuendi decimam, vt loco decimæ ſoluatur vigeſima, aut trigeſima pars fructuum; in hoc caſu rectè dicunt Diana, Tannerus, & Henriq. quod ſufficit quadragenaria ſine titulo, idemque docent Doctores *in cap. aliquibus de decimis*, Seraphinus *deciſ.* 1102. *num.* 7. Balbus *de præſcription. par. prima quintæ pr.nc.pal s, quæſt.*7. Guid. Papæ, qui ait pluries fuiſſe deciſum *deciſ.* 284. Borellus *in ſum. deciſ. tom.*1 *tit.* 19. *n.* 53.

Itaque in conſcientia obligatus eſt Marchio ſoluere omnes decimas illorum prædiorum, quæ non poſſedit a tempore immemorabili, cum Immunitate à decimis.

Obijcies ex Merolla *tomo* 3. *diſp.* 6. *de priuileg. cap.* 8. *num.* 109. *nam in cap. quia circa de decimis* habetur, quod priuilegium exemptionis decimarum extenditur ad poſſeſſiones acquiſitas, & poſtmodùm acquirendas: ergo etiam præſcriptio immemorabilis; quia hæc affert præſumptionem priuilegij, vt dicunt Doctores *in l. hoc Iure* §. 1. *verſ. ductus aquæ ff. de aqua quotidiana, & æſtiua*, vnde ſi ex ſtatuto nequeat, aliquid probari, niſi per priuilegium, ſufficit probatio præſcriptionis immemorabilis, quæ habet vim priuilegij Garſia *de nobilitate, gloſa* 12. *num.*63. Gironda *de expoſit. priuil. num.* 852.

Reſpondetur diſparitas eſt, quia, vt inquit textus *in d. cap. quia circa*, illud priuilegium fuit indefinitè conceſſum; verba autem indefinita æquiua-
11 lent propoſitioni vniuerſali, vt probat Couar. *variarum reſol. lib.*1. *cap.*13. Secus autem eſſet ſi priuilegium eſſet per verba reſtrictum, & limitatum, ad prædia tantum acquiſita ante illud, tunc non extenditur ad futura: quamuis ergo præſcriptio
12 immemorabilis afferat præſumptionem priuilegij, gratis tamen aſſeritur, afferre præſumptionẽ priuilegij conceſsi in ampliſsima forma, aut per verba indefinita; imò talis præſumptio priuilegij, ſequitur naturam poſſeſsionis, à qua inducitur huiuſmodi priuilegium præſſiptum; ſed poſſeſsio eſt limitata ad certa prædia; ergo etiam priuilegium præſumptum eſt limitatum ad certa prædia; nequit enim cauſa producere effectum ſe ipſa nobiliorem; ergo poſſeſsio limitata nequit cauſare præſumptionem priuilegij illimitati; tum quia ideo Pontifex *in d. cap. quia circa* aſſerit priuilegium indefinitè conceſſum extendi ad prędia futura, quia ait: *in beneficijs pleniſſima eſt interpretatio adhibenda, quare tale priuilegium eſt fauorabile, & extendendum*; at præſcriptio eſt odioſa, & ſtrictè interpretanda, atque adeo præſumptum priuilegium ex immemorabili præſcriptione, erit quoque ſtrictè interpretandum, nam ſequitur naturam præſcriptionis.

QVÆSTIO LVII.

An Notabiliter mutato rerum ſtatu, atque ad pauperiem redacto donante, acceptata donatio reuocari poſsit, & quid ſequuta rei donatæ traditione?

SVMMARIVM.

Nequit ſequuta inopia, reuocari donatio iam perfecta per traditionem poſſeſſionis. n.1.

Reuocatur tamen, ſi non ſit ſequuta traditio, quamuis eſſet acceptata. n.2.

Votum ſimplex deſinit obligare, ſequuta notabili mutatione rerum. num.3.

Promiſſio non obligat mutatis rerum circumſtantijs. n. 4. *dummodo ſit gratuita, & non perfecta, ſecus ſi perfecta ſit, ſequuta traditione, & ſecus ſi ſit promiſſio oneroſa.* num.5.

Acceptata donatio, etiam Iuramento firmata, ante traditionem, reuocari poteſt, variato notabiliter rerum ſtatu. n.6.

Quæ mutatio requiratur? n. 7.

Quid ſi dubitetur, an ſit ſufficiens mutatio, vt poſſit reuocari? n. 8.

An poſſit reuocari donatio facta Eccleſiæ, ante traditionem, mutatione facta? n.9.

Dico

Dico primò, si quis donauit domum, eiusque
1 possessionem donatario tradidit, non potest quacumque sequuta inopia donationem reuocare; ita docent omnes, præsertim Rebellius *de obligat. Iustitiæ par.2. lib. 18. quæst.11. num.4.* Molina *tract.2. disp.272. in initio* Laiman *lib. 3. tract. 4. par.3. c.5. num.5.* dum ait reuocari posse, re adhuc integra.

Probatur, quia per traditionem translatum est rei donatæ dominium, atque adeo est perfecta donatio, tum quia Vniuersalis est regula, perfectam donationem inter viuos reuocari non posse *l.1.2.3.4. & 5. C. de reuocandis donation.* tum quia expressè docent omnes, quod si quis donauit maiorem, aut notabilem partem suorum bonorum, si in egestatem deueniat tenetur donatarius præstare illi alimenta, pro rata fructuum rei donatæ, quod si non præstiterit, tunc propter ingratitudinem reuocatur donatio, ita glos. *in l. fin.* vbi omnes, præsertim Salicetus *C. de reuocandis donationibus*, & esse magis communem tradit Clarus *in §. donatio quæst. 21. num. 3.* Surdus *de alimentis tit.1. quæst. 68. num.5. & 8. & tit.8. priuil.61. numero 4.* ergo donatio sequuta traditione non reuocatur, sed præstanda sunt alimenta pro rata fructuum rei donatæ.

Dico secundò, Variato notabiliter rerum sta-
2 tu, atque ad inopinatam paupertatem redacto donante, si rei donatæ non sit sequuta traditio, reuocari potest donatio, quamuis acceptata. Fundamentum huius conclusionis est communis, & recepta doctrina, in quam morales Philosophi, pariter, ac Theologi, & Iurisperiti conspirant, nempè desinere obligare promissionem, atque adeo eam donationem acceptatam, quando ita mutatur status rerum, personarum, negotiorum, cæterarumque circumstantiarum, vt rationabiliter te à promissione, & donatione retraxissent, si præcogitasses. Sic Tullius *libro primo officiorum*, & Seneca *lib. 4. de beneficijs cap.35. Tunc*, inquit, *fidem fallam, tunc inconstantiæ crimen andiam, si cum omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero promissum. Alioquin quicquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi, & meam fidem liberat.* Hactenùs Seneca Theologorum Princeps, S. Thom. *2.2. quæst. 110. art. 3. ad quintum sic* docet: *Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant, alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit, quod habebat in mente; nec etiam est infidelis non implendo quod promisit; quia eadem conditiones non extant.* ita S. Thomas qui eadem docet *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. prima ad primum*, & ibi Io. Maior *quæst. 1. col. 5. coroll. 5.* Carthusian. *quæst. 2. §. quæritur* item Caietan. *2. 2. quæst.88. artic. primo §. quid enim promissio* vbi hæc habet: *Si quis promisit alicui dotare hinc ad annum illius filiam, & interim tanto est affectus infortunio rerum suarum, vt extra ordinem illum sit, in quo promisit, non tenetur ad promissa, quæ constat, quod non promisisset in tali statu*, hæc Caietanus, idemque docet *in 2. 2. quæst. 113. art. 1. §. ad quartam denique dubitationem*, idem tradiderunt Sotus *libro 7. de Iustit. quæst. 2. artic. primo in responsione ad primum argumentum*, Molina *de Iustit. tract. 2. disput. 272. numero 6.* Layman. *libro 3. tract. 4. par. 3. cap.5. numero 5.* Rebellius *de obligat. Iustitiæ parte 2. libro 18. quæst. 11. num. 4.* Lessius *lib.2. cap.18. dub. 10.* Amicus *in cursu Theologico tomo 5. disput. 18. sect. 5. numero 59.* Gordonus *in summa libro 4. quæst.3. cap. 9. num. 33.* Diana *parte 8. tract. 6. resol. 105.* Villalobos *tom. 2. tract.20. diff.6. num.2.*

Probatur primò nostra conclusio à pari, nam votum simplex, quod est gratuita promissio fa-
3 cta Deo, desinit obligare si notabilis mutatio accidat, & inopinatus euentus occurrat, vt præsumi possit vouentis intentionem ad eiusmodi euentum non se extendisse, sed excepturum fuisse, si in mentem venisset. Quare si magnam eleemosynam vouisti, & deinde grauem, atque inopinatam rei familiaris iacturam passus es, vnde difficulter votum exequi poteris, censeris voto solutus, ita docent Abbas *in cap. primo de voto* Angelus *V. votum 3. numero 10.* Syluester *V. religio 2. quæst. 17.* Molina *tract. 2. de Iustit. disput. 272.* Suarez *lib. 4. de voto cap. 19.* Layman. *lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 2. num. 13. vers. dices*, Sanchez *in summa lib. 4. cap. 2. num. 18.* Azorius *tomo primo, lib. 11. cap. 20. quæst. 1. 3. & 4.* Ratio est, nam quæcumque promissio, etiam facta Deo, censetur facta secundum regulas prudentiæ, & ex communi hominum vsu: ergo ipso Iure tacitam habet conditionem, *si absque notabili damno potero*.

Probatur secundò ratione desumpta ex *l. eos 28. ff. de regul. Iuris*, vbi dicitur: *Eos, qui ex liberalitate conueniuntur in id quod facere possunt condemnandos*: ergo donans qui ante donatæ rei traditionem, ad inopinatam est redactus inopiam, deobligandus est à gratuita promissione, non enim censetur facere posse, quod sine grauissimo incommodo præstare nequit.

Probatur tertiò, nam gratuita promissio vim habet ex sola intentione promittentis; ergo non debet obligare vltra intentionem ipsius rationabiliter interpretatam, ergo desinit obligare sequuta tam grandi rei familiaris iactura.

Probatur quartò, ex vniuersali regula, quam tum Theologi, cum Iurisperiti tradunt, nempè non obligare votum, neque iuramentum, neque promissionem aliquam; quando postea mutatæ sunt rerum circumstantiæ, quibus mutatis, promittens se obligare noluisset, si præuidisset: ita ex *tex. in cap. quemadmodum de Iureiurando*, scribunt Nauarrus *in Man. cap.18. num.7.* S. Antoninus *p. 2. tit. 10. cap.6. §.5.* Abulensis *in cap. 5. Matth quæst. 265.* Syluest. *V. Iuramentum 3. quæst. 1. & 2. & V. pactum, quæst. 4.* ibidem Angelus, Armilla, & Tabiena, Henriquez *lib. 11. cap. 14. in fine* Sanchez *de matrimonio libro primo disput. 62. num. 3. & 6. & in summa libro 4. cap. 2. numero 18.* ex Iurisperitis idem scripserunt Innocentius *in cap. veniens de Iure iurando*, vbi Abbas *numero 4.* Butrius *in cap. quemadmodum numero 13. eodem tit.* Hostiens. *eodem titul. in summa numero 13.*

Oldradus *conſ.* 241. *num.* 2. *ver.* 2. *quia dictum Iuramentum* Federicus *de Senis conſil.* 239. *circa medium*, & *conſ.* 281. *in princip.* Geminianus *conſ.* 84. *in fine verſ. ad illud quod dicitur* Caſtrenſ. *conſ.* 448. *num.* 2. *vol.* 1. Cardinal Zabarella *conſ.* 46. *num.* 3. *verſ. ſed etiam dico* Romanus *conſ.* 379. *num.* 6. Guttierez *de Iuram. par.* 1. *c.* 29. *n.* 6. & *cap.* 71. *n.* 6.

Quamuis autem hoc axioma, nempè quod promiſſio, etiam Iurata intelligitur, rebus in eodem ſtatu permanentibus, procedat in quacunque promiſſione, & pacto, vt latiſſimè probat Tiraquell. *in l. ſi vnquam in præfat. num.* 167. *C. de reuocand. donat.* & *de legibus connubial. gloſa prima, par.* 13. *num.* 42. & Ancharanus *conſ.* 394. *num.* 4. Ta-
5 men in promiſſionibus reciprocis, & onerosis, aut in promiſſionibus gratuitis quidem, ſed perfectis, ex ſequuta traditione, rariſſimè verum eſt traditum axioma: At in promiſſionibus gratuitis, & donationibus, quamuis acceptatis, ante traditionem, & re integra (hæc regula veriſsima eſt) cum enim gratuita promiſsio ex ſola libera voluntate promittentis dependeat, ideò benignè interpretanda eſt, noluiſſe in omnem euentum ſe obligare, ſed rebus in eodem ſtatu permanentibus, & non immutatis notabiliter: ita egregiè docet, ac diſtinguit Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *par.* 3. *cap.* 5. *num.* 5. & Rebellius *p.* 2. *lib.* 18. *quæſt.* 11. *num.* 4.

Infertur primò ex dictis, quod quamuis acce-
6 ptata donatio ſit iuramento confirmata, adhuc mutatio notabiliter rerum ſtatu, ante traditionem deſinit obligare, ita expreſsè docent Molina *tract.* 2. *diſput.* 272. *num.* 9. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 10. *num.* 73. Sanchez *in ſumma lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 18. Diana *parte* 8. *tract.* 6. *reſol.* 105. Ratio eſt, quia iuramentum non inducit nouam obligationem, ſed vinculo religionis confirmat obligationem, quam promiſsio in ſe continet: Sed promiſsio non continet obligationem, variato notabiliter rerum ſtatu, ante rei donatæ traditionem.

Infertur ſecundò, non quacunque rerum mu-
7 tationem deobligare donantem, ſed requiritur notabilis mutatio, & talis, vt prudentis arbitrio, ac conſideratis circumſtantijs, ſi præuiſa fuiſſet, retraxiſſet à dando, ita Nauarrus *cap.* 18. *num.* 7. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 1. Sanchez *de matrimon. libro* 1. *diſput.* 72. *num.* 6. & *in ſumma lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 21. & 22. Molina *tract.* 2. *diſput.* 272. *col.* 4.

Quare aſſerenti ſe minimè promiſſurum, aut donaturum, ſi à principio præcognouiſſet inopinatum euentum, & inopiam, adhibenda eſt fides, in vtroque foro, ſi iudicio prudentis viri nequaquam promiſiſſet, ſi præuidiſſet, ita Nauar. *cap.* 18. *num.* 7. & Sanchez *vbi ſupra lib.* 1. *diſp.* 62. *num.* 6. qui optimam rationem affert, nam ea, quæ ab animo pendent, cum teſtibus probari nequeant, proinde partis Iuramento probantur Couar. 2. *variarum cap.* 10. *num. primo* Maſcardus *de probat. concl.* 45. *num.* 48. & *concl.* 94. *num.* 5.

Verum ſi prudenter conſideratis circumſtan-
8 tijs, adhuc dubium ſit, an ea mutatio, ac ſuperueniens paupertas tanta ſit, quod deobliget ab acceptata donatione; tunc præſumendum eſt pro vinculo donationis, quæ eſt in poſſeſſione obligandi; donec euidenter conſtet de excuſatione; proinde tunc ea promiſsio obligat, ita Sanchez *in ſumma lib.* 4. *cap* 2. *num.* 13. 34. & 52. & Eminentiſs. Lugo *de Iuſt. tract.* 2. *diſput.* 23. *num.* 91.

Infertur tertiò, etiam donationem Eccleſiæ fa-
9 ctam, & acceptatam ante ſequutam traditionem, mutato notabiliter rerum ſtatu reuocari poſſe. Probatur nam etiam votum, quod eſt promiſsio facta Deo, deſinit tunc obligare, vt diximus; ergo etiam promiſsio gratuita facta Eccleſiæ; id autem ſine difficultate procedit in ijs caſibus, in quibus ſine traditione non transfertur dominium in Eccleſiam, prout quando donatur genus, ſeù quantitas, Pariſ. *conſ.* 77. *num.* 6. *lib.* 1. aut in alijs caſibus, de quibus vide Riccium *in addit. ad Tiraquell. in tract. de priuil. pia cauſa priu.* 107. Difficultas eſt quando certa domus eſt donata Eccleſiæ, quæ acceptauit donationem; nam tunc ſola acceptatione, ſine traditione, traſfertur dominium, vt docent omnes *in l. vltima C. de Sacroſanctis Eccleſis*, & *in l.* 1. *C. de donat. quæ ſub modo, ac in cap.* 2. *de conſuetud.* Tiraquell. *vbi ſupra*, & Andreas de Georgio *alleg.* 31. *num.* 1. quare videtur, quod eo caſu tranſlato iam dominio, perfecta ſit donatio, & ſic nequeat reuocari, mutato rerum ſtatu; Sed adhuc dico reuocari poſſe donationem, ante traditionem; quia adhuc non eſt perfecta donatio; nam quamuis ſine traditione traſferatur dominium; non tamen tranſit poſſeſsio in Eccleſiam, vt docent Doctores *in dict. l.* 1. *C. de donat. quæ ſub modo*, & *in cap.* 2. *de conſuetud.* Riccius *in addit. ad Tiraquell. dicto priuil.* 107. ergo mutato rerum ſtatu deſinit obligatio ad tradendam poſſeſsionem, & ſic reuocabilis eſt donatio.

QVÆSTIO LVIII.

An Ciuitas Neapolitana ingenti ære alieno grauata, conſtruere poſsit Monaſterium Virginum Eremitarum, quarum Congregationem inſtituit Venerabilis Mater Vrſula Benincaſia?

S V M M A R I V M.

Debitor impotens ad ſoluendum ſuis Creditoribus nequit donare, ac peccat aliquid ab ipſo gratuitò accipiens. n. 1.

Nequit Rex aliquid concedere, cum tertij præiudicio. num. 2.

Vrſula Benincaſia adhuc viuens, à Ciuitatis Neapolitanæ electis, ciuitatis nomine, publico inſtrumento,

mento, eligitur in Patronam, & protectricem. num.3.
Moniales Eremitæ institutæ ab Vrsula. num.4
Vaticinium Vrsulæ futuræ sanctitatis suarum Eremitarum.n.5.
Potest Ciuitas ob suum bonum, præiudicare creditoribus suis, retardando solutionem.n.6. & 13.
Potest Princeps, ex causa publici Boni, præiudicare tertio nume. 7. & etiam Ciuitas. num. 9. & 13.
Sic etiam differre solutionem. n.8.
Vir nobilis, quamuis impotens ad soluendum, tamen potest aliquid donare, si id necessarium est ad sui status decentiam.n.10.
Iactura rei familiaris excusat à retardata solutione. num.11.
Ob solutionem debiti, non tenetur aliquis, diù differre ingressum in Religionem. n.12.

1 RESpondendum videtur negatiuè. Primò, quia debitor impotens ad soluendum suis creditoribus, nequit donare, *l. qui autem §. simili modo ff. quæ in fraudem creditorum l.penult. C. eodem* Caietan. *tom.2. opusc.tract.6. cap.4.* Molina *tract. 2. disput. 328. concl. 2.* Lessius *libro 2. cap.20. num.170.* Rebellius *lib. 1. quæst. 7. sect. 2. num. 14.* Eminentissimus Lugo *de Iustitia tomo primo disput.20. num. 112.* qui omnes docent, iniustè titulo gratuito accipi à debitore ære alieno grauato, & impotente, vt suis creditoribus satisfaciat.

Secundò, quia, cum Viduarum, pupillorum, ac pauperum greges, quibus debet Ciuitas, summa egestate premantur; si ex pecunia ijs debita construeret monasterium, meritò obijcietur illud *Ecclesiastici cap. 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.*

Tertiò, quia non potest Ciuitas, imò neque Rex (cuius maior est authoritas) aliquem rebus suis spoliare, aut cum alterius præiudicio quid-
2 quam alteri concedere *l.2. §. merito, & §. si quis à Principe ff. ne quid in loco publico l.sed cum harede 12. ff. ad Trebellianum l.3. C. vnde vi, l.4. C. de emancipatione liberorum,* quod & Romani Principes oculatissimè obseruauerunt, ne suis gratijs cuiquam nocerent, pro vt de Adriano scribunt Xiphilinus *in eius vita,* & Zonaras *tom. 2. Annalium*: de Augusto Suetonius *c.56.*

His tamen non obstantibus, Respondeo affirmatiuè, nempè posse nobiles Ciuitatis ferre suffragium pro Eremi huius constructione, ex publica pecunia; quamuis inde sequatur aliquale creditorum præiuditium. Ratio est, quia modico priuatorum damno, preualet ingens bonum publicum Ciuitatis, ac Regni Neapolitani, quinimmò totius orbis christiani, & Ecclesiæ Dei, quod ex huius monasterij constructione euenturum venerabilis Mater Vrsula prædixit.

Ad rationis istius Euidentiam, opere pretium est, aliqua prælibare ex vita Vrsulæ, quam typis mandarunt Illustrissimus Didacus Transmiera Inquisitor Regni Siciliæ, & P. Franciscus Maria Maggio, ac Canonicus Montanarus olim procurator Neapolitanæ Ciuitatis, in articulis pro causa Canonizationis Seruæ Dei Neapoli impressis
3 1627. qui *fol. 44.* sic inquit: *In tantum excreuit opinio eius Sanctitatis apud vniuersam Ciuitatem Neapolitanam, vt ipsius Electi, nomine publico totius Ciuitatis, ad ipsius orationes confugerent in omnibus publicis necessitatibus; cuius precibus Deum semper propitium experti fuere* (fusius vide hæc apud Transmieram *parte 1. lib.3. cap. 4.*) *& eum adhuc viueret, eodem nomine publico dictæ Ciuitatis, eam in protectricem, ac Patronam eiusdem Ciuitatis elegerunt: quam electionem instrumento publico, rogato manu Notarij Ioannis Hieronymi Benincasa confirmarunt sub die 24. Septembris 1618.* ex eodem autem instrumento apparet, Vrsulam coram Ciuitatis electis, veluti inito pacto, se obstrinxisse, Ciuitatem semper suis precibus defensuram, è contra Electi, Ciuitatis nomine promiserunt, Eremitarum Monasterium se ædificaturos. Huic Monialium Eremitarum Monasterio erigendo, regulas præfixit Vrsula, quas deinde bonæ memoriæ Gregorius XV. Sum.Pontifex prævia matura consideratione de consilio, & voto S. R. E. Cardinalium, ab eo in hac re specialiter deputatorum, authoritate Apostolica approbauit.

De Eremitarum Monialium instituto, hæc ha-
4 bet Benedictus Mandina Episcopus Tropiensis apud Maggium *elogio 17. Eius Cenobij institutionem Vrsulam diuinitùs accepisse, in eo præter septem laicas trigintatres mulieres abditæ, indutæque Deiparæ Virginis habitum, ne dum paupertatem, castitatem, & obedientiam voueant, sed & quartum nuncupant votum, nemini exterorum loquendi vnquam, nemini vnquam scribendi, neque ipsis congregationis Virginibus, quæ in contiguis, affinibusque ædibus commorantes, vt Eremitæ hæ expeditiùs Domino famulentur, cibaria quotidie vestes, atque alia omnia accuratè suppeditabunt.* Hæc Mandina.

De Vrsulæ præclarissimo vaticinio futuræ sanctitatis Sacrarum Eremitarum, sic scribit Franciscus Maria Maggio *elogio 18.* Ex Catharina Palmeria celeberrimè, & eximiæ virtutis Virgine. *Extremis, inquit, diebus antequam Vrsula è vita discederet, Venerunt Domini Ciuitatis Electi, & eam Protectricem Neapolis adsciuerunt; rogaruntque, quod in terris eousque gesserat, eodem in Cœlis munere fungeretur; scilicet, ne hanc Ciuitatem sua vnquam protectione, & tutela destituisset. Respondit mater, se Eremi relinquere Moniales, vt idem, quod ipsa itidem munus obirent; ergo harum canobium sine mora construeretur, & hoc esse verum remedium, vt imminentia mundo mala, Deus iratus auertat, scilicet citò Eremi Cœnobium extruatur, nam quæ mulieres inibi clauderentur, Domini iram, & indignationem placarent. Et cum complures difficultates varias obiecissent; ipsa pluries lacrymata respondit: Væ Væ huic Ciuitati, væ toti terrarum Orbi, si diù loci huius erectio protrahatur? O quot cala-*

mitates hominibus imminent? Et in alto mentis excessu hæc pluries reiterabat: O Neapolis Ciuitas te felicem? quam eo munere dignatus est Dominus, vt in te suum hoc opus ædificaret: hic locus, tibi corona erit, & ad huius exemplum similia loca in cæteris Christianorum oppidis extruentur. Ab hoc loco Christiani Orbis reformatio erit; ruina mundi huius fabrica mora est. Væ omnibus ijs, qui erunt huic cænobio impedimento. Si scirent homines, quum hæc Sancta Eremus fuerit absoluta, quæ ipsis inde bona prouenient; parentes panem adimerent liberis suis: & calcem, lapidesque humeris ferrent, vt vel suis manibus, hoc opus ædificarent. Hæc in Extasi Vrsula vaticinata est de Eremitarum Cænobio.

Igitur si ex tantæ Virginis Vaticinio Ciuitatis columen, & præsidium, hoc ædificium erit; nulla mora eius constructio curanda est, sic enim Genesis *cap.* 19. dixit Angelus ad Loth: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam Vrbem, pro qua locutus es.* Eleganter Philo *lib. de migratione Abrahæ*: *Compertum est*, inquit, *ad familias, Ciuitates, Regiones, nationes, atque etiam patentissimos terrarum tractus, ex vnius viri probitate, nonnumquam magna peruenisse commoda, magnasque felicitates, nimirum vir iustus, quasi fulcrum est, & firmamentum generis humani.*

Itaque ad bonum publicum spectat, datam fidem seruæ Dei seruare, & monasterium citò construere, vt eius precibus Ciuitas tueatur. Nec prætereundum eius corpus, quod adhuc incorruptum perseuerat, fortissimam turrim, ac Ciuitatis propugnaculum esse, verè enim de Iustorum reliquijs scripsit S. Basilius *oratione* 40. *Hi sunt, qui nostram regionem administrant, & veluti turres quadam securitatem ab hostium incursu exhibent.*

Secundò, nedum Vrsulæ, sed & Eremitarum sacrarum Virginum preces ciuitatem defendent; præclarè Procopius *apud Lippomanum in Catena Genes. cap.* 19. *Paucæ salis micæ multam conseruant à putredine carnem, pauca, & parua vincula continent magna ædificia. Si in lignis, & tegulis vis quædam, vt patet, inest, & sal habet vires haud paruendas ad conseruationem carnis, negabimus iustos posse conseruare Iniustos?* hæc Procopius. Sanè si tanta hæc mundi domus, his tegulis iustorum tecta non esset, iam tempestas Diuinæ iustitiæ domum ipsam ruinæ addiceret sempiternæ.

Tertiò, quia nouæ huius religionis splendor ab Vrsula institutæ, & ab Apostolica Sede approbatæ, non solùm Ciuitatem, sed velut fulgentissimum sydus, totam illustrabit Ecclesiam; Sacrarum Eremitarum præconia sic celebrat celeberrimus P. D. Vincentius Gilibertus *tom. secundo Cæli Dauidici fol.* 249. *In monte* (inquit) *Sancti Martini, montis Sion æmulo venerabilis Mater Vrsula, & congregationem instituit puellarum, & eremum triginta trium monialium, quæ perpetuò degentes in cellis, nec videre, nec audire alios possint, sed singulariter viuant, silentium seruent, cælle semitas considerent; orationi studeant, contemplationi vacent, & quotidie intentionem erigant, sic speculanda claritate Dei, vt gloriari possint cum Apostolo: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur: ita vt humana mutata forma in Angelicam, immò in diuinam trasmutentur figuram. O nouum? O mirum? intra Regiam Ciuitatem plenam obstrepente populo, Eremum erigere Monialium, quæ Deo viuæ, & mundo, ac sibi mortuæ; oculos habent, & non videant; pedes, & non ambulent; os & cum hominibus non loquantur: loquantur autem cum Angelis; loquantur cum Deo, cui adherentes vnus spiritus sunt.* Hæc Gilibertus; Ergo quis dubitet noua hac religione, Ecclesiam illustrari, sic Sanctus Augustinus *in psal.* 67. *concione* 4. *de religiosorum ordinibus*, ait, *Per eos Ecclesiam diffamari, & quasi quibusdam pennis excelsæ laudis attolli.*

Quartò, Considerandum, leue esse creditorum damnum, ingens publicum bonum, leue inquam, nam creditorum summa superat millionem in singulos annos; duo millia autem, quæ per sex annos pro monasterij fabrica dantur, si inter tot creditores distribuantur, parua, ac modicissima portio singulos continget, cuius modicæ portionis solutio retardabitur.

Quintò, Considerandum est, quod, quamuis
6 priuatus homo nequeat, ob aliquod bonum sibi proueniens, suorum creditorum solutiones retardare; potest tamen Ciuitas; ratio discriminis est, quia non præualet priuatum commodum debitoris damno creditoris: At bonum commune Ciuitatis debet præualere priuato damno, præsertim modico particularium creditorum. Hinc est, quod Princeps ex publica causa communis boni,
7 potest præiudicare tertio *Authentica res quæ C. communia de legatis l. si quis sepulcrum ff. de religiosis, & sumptibus funerum* Baldus *in l. quicumque C. de fide instrumentorum* Castrensis *cons.* 229. *in fine*, & *cons.* 288. *col.* 2. *vol.* 1. Alexand. *cons.* 101. *num.* 8. *vol.* 1. & *cons.* 47. *numero* 3. *vol.* 7. Crauetta *de antiquitate temporum parte prima particula prima nu-*
8 *mero* 61. Vnde potest Princeps differre solutionem ad tempus, præsertim, cum reputetur hoc modicum præiudicium, Alex. *cons.* 216. *num.* 13. *vol.* 2. Diana *parte* 7. *tract.* 8. *resol.* 23. Et ex cau-
9 sa publicę vtilitatis, non solum Princeps, sed etiam Ciuitas potest præiudicare tertio, Signorolus *consil.* 94. Alexand. *consil.* 190. *numero* 13. *vol.* 2.

Sed & hoc exemplis firmatur, nam Rex non minori ęre alieno premitur, quam Ciuitas, & tamen, nulli fit scrupulus, quod diuersis religiosis, multa millia aureorum, pro eleemosina singulis annis largiatur, & à quodam Regio Pręceptore audiui, se mendicantibus dare singulis annis lanam valoris ad quatuor millium ducatorum. Quin ipsamet Ciuitas Neapolitana, eodem onere creditorum grauata, dedit octo mille ducatos Carmelitis discalceatis, pro constructione Monasterij, idque iusta ratione, quis enim nobili viro, cuius redditus essent decem millia ducatorum, quantumcumque ęre alieno grauetur, scrupulum faceret, si in singulos annos largiretur viginti ducatos pro eleemosina? at eandem

propor-

proportionem habent viginti ducati, ad decem millia, ac duo millia ad millionem, ad quam summam circiter ascendunt Ciuitatis redditus.

Quinimmo Eminentiss. Lugo tract. *de Iust. tom.*
10 1. *disp.* 20. *num.* 133. docet: quod Nobilis homo, quamuis impotens ad soluendum creditoribus, potest tamen aliquando donare, si id necessarium reputat eius statui, ne alioquin vilis, & sordidus habeatur: Ergo si nobilis homo iustè donat, ne ab aliquo honore sibi conuenienti cadat; à fortiori ciuitas legitimè aliquam modicam portionem solutionis singulorum creditorum retardat, ne magno communi bono careat.

Præterea, non videtur minoris momenti carentia boni communis in Ciuitate, ac est in priuato
11 homine iactura rei familiaris: Sed in priuato homine iactura rei familiaris, (vt si oporteret vili prætio domum vendere) excusat à restitutione, vt post Couar. Medin. & Lessium, docet Gordonus, *in theologia morali tom.* 1. *lib.* 5. *q.* 7. *n.* 4. ergo carentia boni communis in Ciuitate excusat à dilatione modicæ solutionis singulorum creditorum.

Deinde non videtur minoris momenti carentia tanti boni spiritualis, ac communis in ciuitate,
12 quàm in priuato homine carentia boni spiritualis, ex longa dilatione ingressus in religionem; Sed in priuato homine ingressus in religionem excusat à restitutione, si non posset satisfacere, nisi longo tempore manendo in sęculo, iuxta communem opinionem, vt docent S. Thomas 2. 2. *q. vlt. art.* 6. *ad* 3. vbi Caietan. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *ar.* 1. *concl.* 7. Angelus *v. religiosus* §. 6. Syluest. *v. religio* 2. *q.* 4. S. Antonin. *par.* 2. *tit.* 11. *c.* 2. *nu.* 1. Lessius *l.* 2. *c.* 16. *dub.* 8. *& cap.* 41. *nu.* 32. Nauarr. *comm.* 1. *de regular. n.* 8. Sanchez *in sum. lib.* 4. *c.* 19. *n.* 8. Diana *par.* 3. *tr.* 2. *resol.* 41. Lugo *de Iust. disp.* 21. *n.* 67. Viguerius *in Instit. c.* 17. *n.* 7. Petrus Nauarr. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 9. Aragon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *causa* 8. Clauis Regia *l.* 10. *tract.* 5. *c.* 7. *n.* 15. Filiuc. *tr.* 32. *n.* 155. Lopez *in instruct. p.* 1. *c.* 29. Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 1. *q.* 5. Nec impeditur ex constit. 71. Sixti V. incip. *Cum omnibus*, nam vt docet Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 1. *q.* 17. *art.* 7. illa constitutio non procedit in debitore, qui sincerè omnia bona, quæ tunc habet dimittit, & relinquit creditoribus, nec quoq; impeditur ex constitution. Pij V. *anni* 1587. & Clementis VIII. *anni* 1602. Nam vt aduertunt Sanchez *l.* 4. *c.* 19. *n.* 24. & Bonacina *de restit. in genere, disp.* 1. *q. vlt. pun.* 2. §. 1. *num.* 8. illæ constitutiones habent locum in decoctoribus, non autem in his, qui absq; culpa deuenerunt ad impotentiam soluendi.

Ergo si, nequis careat bono spirituali, vt religionis ingressu, excusatur à restitutione: à fortiori carentia boni communis spiritualis excusat Ciuitatē à dilatione solutionis modicę, pręsertim portionis, in singulis creditoribus.

Ex his patet ad contraria.

Ad primum, Respondetur, habere Ciuitatē Iu-
13 risdictionem in suos creditores, tamquam in suos subditos, quare potest eis præiudicare, ob commune bonum, vt docuerunt Signorol. *cons.* 94. & Alex. *cons.* 190. *n.* 13. *lib.* 2. isti enim tenentur, tamquam membra eiusdem corporis, totius communitatis, publicum bonum curare, vnde tenentur pati dilationem alicuius modicæ solutionis, pro parte, quæ eos singulos continget.

Ad secundum, Respondetur, Viduis, pupillis, & alijs pauperibus creditoribus, non esse differendā solutionem, sed alijs diuitibus, qui habent magnū creditum, isti enim inde magnum damnum, ex modica solutione retardata, non patiuntur.

Ad tertium, Respondetur non posse nec Principe, nec Ciuitatem, absq; causa differre solutionem, posse autem ex causa publicæ vtilitatis, vt probauimus.

QVÆSTIO LIX.

An sponsalia contracta inconsulto, aut contradicente Patre licita, ac valida sint?

SVMMARIVM.

Valida, sed illicita sunt sponsalia, contracta inscio Patre, qui tamen, si sciret, esset irrationabiliter inuitus. nu. 1.

Non tenetur filius ad sponsalia, inscio patre, contracta, quando timet graue scandalum, aut familia dedecus. num. 2.

Potest tunc ea Pater dissoluere num. 3. *Potest filium indignè nubentem exheredare nu.* 4. 6. 7. 8. 9. *&* 10.

Quando Pater est rationabiliter inuitus, tunc sponsalia, eo inconsulto contracta, inualida sunt; aut saltem irritari possunt. num. 5. *&* 11.

Non tenetur filius ad sponsalia, quando timet grauem, & diuturnam Patris indignationem, quam non benè prauidit. num. 12.

Dico primò, Sponsalia à filio, aut filia contracta
1 inscio Patre, quæ tamen si sciret, esset irrationabiliter inuitus, illicitè fiunt, ac cum peccato mortali, sed valida sunt, & obligant ad promissæ fidei obseruantiam.

Prima pars est communis omnium DD. ita Nauarr. *c.* 14. *num.* 15. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disp.* 23. Pontius *de matrim. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 27. Rebell. *de Iust. par.* 2. *lib.* 2. *q.* 14. *sect.* 1. Layman *li.* 5. *tract.* 10. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 14.

Ratio est, quia grauiter peccat contra reuerentiam parentibus debitam, & est causa grauis tristitiæ, & indignationis; quod præsertim de filia, inconsultis parentibus, nubente dicendum est: Vnde S. Ambros. *lib. de Isaac cap.* 9. commendans Rebeccam, quod genitoribus reliquerit decernere, quæ ad connubium spectarent, sic scribit *Consulitur puella non de sponsalibus, illa enim iudicium spectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum, sed iam desponsata viro de profectionis consulitur die. Mulier etiam si qua citò amisso marito adulescentula in laqueum infirmitatis suæ timeat incidere, si vult nubat tantum in Domino, electionem tamen mariti parentibus deferat*. Hæc S. Ambros. qui *lib.* 1. *de Abraham cap. vlt.* multa in hanc rem affert, præsertim laudat Euripidem, qui virginem ita loquentem introducit: *Sponsalium quidem meorum Pater meus curam subibit: hoc enim non est meum*, Idē S. Ambros. *epist.* 43.

ad

ad Sysinnium, inquit: eum iustè indignatum, quod, se inscio, filius vxorem ducere voluisset.

Secunda pars est etiam communis, nempe validã esse; quando pater, si sciret, esset irrationabiliter inuitus, ita Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 14. n. 3. & 4.* Pontius *vbi supra*, Molina *tractat. 2. disp. 271.* Laym. *vbi supra vers. 3.*

Probatur, quia non peccat contra reuerentiam parenti debitam, eò quod tale matrimonium contrahit; sed quia, eo inscio, per sponsalia se obligauit: ergo peccauit quidem ineundo sponsalia, non autem peccat nunc datam fidem obseruans; ergo tenetur ad illa.

Dico secundò, contrahens sponsalia inconsulto,
2 aut contradicente Patre, non tenetur ad obseruãtiam contractus, & potest Pater ea sponsalia irritare, quando ex illis magna scandala, odia, inimicitiæ, familiæ dedecus, aut infelices exitus timentur, ita omnes, Nauar. *in man. cap. 16. n. 18.* Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 14. n. 3.* Pontius *de matrim. lib. 2. c. 1. n. 28.* Menoch. *cons. 69. n. 32.* Rebell. *2. p. lib. 2. q. 14. sect. 1.* Gutticrez *canon. qq. lib. 1. cap. 20. num. 23.* Layman *lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 1. n. 14. vers. enim vero.* Texeda *in Theologia morali tom. 2. lib. 4. trac. 1. n. 79.* Percz *de matrim. disp. 5. sect. 3. n. 2.* Diana *par. 9. tract. 7. resol. 71.* vbi tamen ait: cautè considerandum est hoc scandalum, non enim quodcumq; sufficiet; sæpè enim iactantur minæ, quæ statim celebrato matrimonio in nihilum recidunt, animi conciliantur, seddaturq; omnis tempestas. Idem est, inquit Diana, si timor probabilis sit pessimi exitus, & odij capitalis inter contrahentes.

Ratio est, quia nulla promissio, nec iurata obligat ad id, quod sine peccato fieri nequit; huiusmodi autem est matrimonium cum tanto scandalo ineundum:

Hinc, est quod Pater potest dissoluere sponsalia
3 cum indigno a sua filia contracta, Abbas *in cap. requisiuit num. 4. de sponsal.* Menoch. *cons. 69. n. 32.* Gutticrez *canon. qq. lib. 1. c. 20. n. 20.* Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 14. n. 3.* Rebell. *de Iust. p. 2. lib. 2. q. 14. sect. 1. & sect. vlt. n. 29.*

Hinc quoq; est, quod Pater filiam, aut filium
4 indignè nubentem exhæredare potest, Parisius *cons. 29. vol. 2.* Laurentius Syluanus *cons. 2. nu. 42.* Barbosa *in l. 1. p. 4. n. 40. ff. soluto matrim.* Cappella Tholosana *decis. 290.* Ancaran. *cons. 21.* Alex. *consil. 96. n. 4. & 5. vol. 1.* Bald. Nouellus *de dote par. 6. priu. 16. n. 5.* Osasch. *decis. 154. n. 3.* Molina *tract. 2. disput. 176. vers. contrariam sentent.* Rebellius *par. 2. lib. 2. q. 14. sect. 2. num. 16.*

Sed difficultas est, quid si ex matrimonio nullũ timetur graue scandalum, aut inimicitia, nullum graue familiæ dedecus, an filia nobilis, quæ cum nõ æquè nobili, aut paupere, inscio patre, contraxit sponsalia, teneatur ad ea obseruanda, si pater contradicat: Affirmant communiter, ita Molina *tract. 2. disp. 271.* Vbi ait, neminem audere affirmare oppositum, eò quod est contra Ecclesiæ praxim huiusmodi fidẽ seruare cogentis, sequitur Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 14. n. 2.* Layman *lib. 5. tract. 10. par. 1. cap. 1. n. 14.* sed his non obstantibus. Diana *par. 9. tract. 7. resol. 71.*

Dico tertiò, quandocumq; Pater contrahendo
5 mattimonio cum ignobili, aut paupere est rationabiliter inuitus, tunc eo inscio, aut contradicente contracta sponsalia nullius momenti sunt, vel saltẽ irritari possunt, neq; obligant in conscientia, etiam si nullum inde futurum sit scandalum, ita sentiunt Rebellius *de Iust. par. 2. lib. 2. q. 14. sect. 1. num. 12.* Menoch. *cons. 69. n. 43.* Guttierez *canonic. quæst. li. 1. cap. 20. num. 23.* Io. Boschus *tract. de legitimis nuptijs lib. 2. n. 17. vers. quicquid tamen dictũ fuerit*, Paschalis *de Patria potestate par. 2. c. 5. nu. 35.* Texeda *in theol. mor. tom. 2. lib. 4. tract. 1. n. 79.*

Probo, esse inualida huiusmodi sponsalia, quia, quando contradicente patre, cum imparis conditionis viro contrahitur matrimonium per verba de præsenti, tunc matrimonium est validum, sed mortaliter illicitum; mortaliter enim peccat filius, contradicente Patre, sic contrahendo, vt habetur *ex cap. aliter 3. q. 5. c. non omnis c. sanctum, cap. honorantur 32. q. 2. cap. 1. de desponsat. Impuber.* Vnde in Concilio Prouinciali Moguntino sub Sebastiano Archiepiscopo, anno 1549. quod habetur *tom. 4. par. 2. concil. Gener. fol. 257. cap. 37.* sic dicitur: *Volumus tamen liberos sedulò admoneri, vt diuini præcepti memores, velint in parentum esse potestate, nec illis inscijs, aut inuitis inire matrimonia, nec quicquam rei seriæ inchoare præsumant.* Ita Concil. & Euaristus Papa *epist. 1. ad Episcopos Africanos*, quæ habetur *tomo 1. par. 1. conciliorum fol. 52. inquit: Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem videntur habere, & à quibus custoditur, vxor petatur.* Ita Euaristus; id tamen non intelligitur de validitate matrimonij in foro conscientiæ, sed in foro externo, ita hunc locum Euaristi communiter interpretantur Scholastici, & Bellarminus *de sacram. matrim. lib. 1. c. 20.* ac Binius *ad tom. 1. concil. loco cit.* Et Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. matr. cap. 1.* ait: *Valida esse matrimonia sine consensu parentũ, ea tamen Ecclesia semper detestata est, atque prohibuit.*

Itaque mortaliter peccare filium contrahentẽ matrimonium, contradicente rationabiliter Patre, vt cum impari nubit, patet ex Trident. & docent Nauar. *c. 14. n. 15.* Sotus *in 4. dist. 28. q. 1. art. 4.* Petrus Soto *de matrim. lect. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 23. n. 8.* Layman *lib. 5. tract. 10. par. 1. cap. 1. num. 14.* Guttier. *canon. qq. lib. 1. cap. 20. n. 8.* Gaspar Thesaur. *qq. forens. li. 1. q. 70. n. 7.* Menoch. *de arbitr. ar. casu 453. & consil. 69. n. 31.* Iacob. Cancer. *variar. resolut. p. 1. cap. 24. n. 33.*

Et nobilem ignobili nubentem exhæredari à
6 Patre posse, atq; dote filiam priuari, post Bortol. Baldum, Archidiacon. Butrium, & Ancar. docuit Tiraq. *de nobil. c. 20. n. 176.*

Sic in Gallia filiam nubentem inconsulto, aut
7 contradicente patre exhæredari posse ex Constitutione Henrici Regis tradunt Paponius *lib. 22. tit. de raptu art. 7. & lib. 15. tit. de dote art. 22.* Anneus Robertus *rerum iudicatarum lib. 2. c. 9.* Anton. Guibertus *de dote q. 15.*

Sic in Catalonia exhæredantur filij inconsulto, aut inuito patre nubentes, ex constitutione facta à tribus statibus tempore Iacobi Regis, eamq; constitutionem validam esse, defendunt Celsus Hugo

con-

consil..38. numer. 4. & alij.

Sic in Lusitania ipso Iure sunt exhæredati, vt
9 *in lib. 4. ordinamenti tit. 72. circa initium, & in reformatis tit. 88. n. 1.*

Huiusmodi autem municipalia Iura, aut consue-
10 tudines propugnant Sotus *in 4. dist. 29. q. 1. art. 4. ad 4.* Molina *t. 1 tract. 2. disp. 176. §. contrariam sent.* Layman *lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 1. n. 15.* Rebell. *de Iust. p. 2. lib. 2. q. 14. sect. vlt. n. 29.* & huiusmodi statuta valida esse docent Io. Lupi *in cap. per vestras not. 3. §. 3. n. 9.* Salon de Pace *cons. 20. num. 8.* Celsus Hugo *cons. 38. n. 5.* Barbosa *in l. 1. p. 4. n. 37. & 38. ff. sol. matrim.* vbi ait: Principem posse punire pœna exheredationis filiam sine consensu patris nubentẽ, quia hoc est peccatum, & contra bonos mores, & per accidens est, quod ex hoc impediatur libertas matrimonij: idem scribunt Gaspar Thesaur. *qq. forens. lib. 1. q. 70.* Faber *lib. 5. tit. 2. C. de nuptijs definit. vltim.* & Iacobus Cancer. *variar. resol. par. 1. c. 24. nn. 6. & 33. ac 34. ac lib. 3. c. 11.* qui tamen id intelligit, si filia nupsisset indigno, aut filius ignominiosam duxisset; aut si filia, vt nuberet digno, fecisset illi sui corporis copiam. Surdus *de aliment. tit. 1. q. 6. nu. 17.* quicquid in oppositum scribat Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 24. n. 15.*

Ergo si peccant filiæ contrahentes cum imparis conditionis viro, aut aliàs inuito rationabiliter patre, sequeretur datam fidem sponsaliorum obligare ad contrahendum matrimonium cum peccato, & contra debitam patri obedientiam: sed nequit aliquis contractus iuratus, (nam Iuramentum non est vinculum iniquitatis) obligare ad aliquid cum alterius iniuria, & cum peccato præstandum; etenim in malis promissis peccatum est, non resilire à contractu, *cap. in malis* 22. q. 4. ergo prędicta sponsalia inualida sunt, neque vim habent ad matrimonium, contradicente rationabiliter patre, ineundum.

Quod sic clariùs ostendo, dupliciter potest peccare filius contra obedientiam, hac in re parenti debitam; primò, quando modus contrahendi est illi iniuriosus, quia eo inscio contrahuntur sponsalia, aut matrimonium: Verùm si ab initio filia eius consensum postulasset, non potuisset pater rationabiliter contradicere. Secundò, quando non modus ipse contrahendi, sed contractus est patri iniuriosus; quia tali contractui rationabiliter contradicit, igitur quando filia delinquit in modo cõtrahendi sponsalia; tunc illicitè, sed validè fiunt; quando autem ipse cõtractus matrimonij est iniuriosus patri; quia rationabiliter illi contradicit; tunc filia se per sponsalia obligaret ad id, quod illicitum esset; proinde talis obligatio sponsaliorũ nulla est, vel saltem valida quidem, sed quę à Patre irritari potest: Vnde rectè ait Rebellius *p. 2. lib. 2. q. 14. sect. 1. nu. 9. vers. 3. iure ciuili ex l. in potestate, ff.*
11 *de ritu nuptiar. & l. dissensus C. de repudijs concessa est parentibus facultas irritandi filiorum sponsalia, quæ facultas à Iure Canonico ablata non est, quando saltem adest iusta causa illa irritandi;* & sanè legitima irritationis causa est, quando Pater est rationabiliter inuitus, quia filia nobilis ignobili, aut diues pauperi fidem dedit; secus si dedisset æqualis nobilitatis viro; nam non tenetur sequi patris consilium, vt nobiliori nubat, neq; tenetur sequi consilium, vt æquali, aut nobiliori nubat, si iste bonis moribus præditus non sit: vt enim ait Ruffinus *in vita Sanctæ Eugeniæ Tom. 1. Vitarum SS. PP. moribus, non natalibus maritus eligendus est, ipso enim, nõ eius parẽtibus vtendum est.* Et Seneca *in lib. de remedijs fortuitorũ ad Gallionem, Inuenies,* inquit, *bonam vxorẽ, si nihil quæris, nisi bonam: dummodo ne imagines, proauosq; respexeris, nec patrimonium, cui iam ipsa nobilitas cessit.*

Neque obstat oppositum fundamentum Molinæ, nam praxis Prælatorum Ecclesiæ procedit, quando Pater est irrationabiliter inuitus: at si pater rationabiliter contradicat, vt quia imparis conditionis viro vult filia nubere, tunc tenentur Prælati huiusmodi matrimonia impedire, vt docent Rebell. *par. 2. lib. 2. q. 14. sect. 1.* Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 1. n. 28.*

Dico quartò, filia contrahens sponsalia cum
12 æqualis conditionis viro, inuito irrationabiliter patre, non tenetur ad datam fidem sponsaliorum, si probabiliter timet grauem, ac diuturnam patris indignationem, quàm non plenè aduertit futuram cum sponsalia contraxit; secùs si plenè aduertit, & præuidit; aut si timet leuem, breuemq; patris indignationem.

Probatur nam timor grauis mali superueniens ad sponsalia, aut non plenè præuisus excusat à data fide, vt docent omnes, Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 62. & 63.* Coninchius *de matrim. disp. 23. dub. 8.* Layman *li. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. n. 18. & 19.* Sed probabilis timor grauis, & diuturnæ indignationis paternæ, est grauissimum malum; secùs si indignatio sit breuis, aut leuis, Hinc docet Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 6. n. 14.* inualidum esse matrimonium contractum à filia, quando si non cõtraheret probabiliter timet diuturnam indignationem patris, & semper se habiturum parentem valdè infestum, & indignatum, obiecturumque illi passim inobedientiam, nam hic timor est cadens in constantem virum, qui ne videat patrem semper iratum, potius eliget relicta patria, domoq; paterna exul esse, quod graue malum est, secus est si illa Patris indignatio non diù permanebit, sed spes est futuræ reconciliationis; tunc valet matrimonium, nam nõ est iste timor cadens in constantem virum: ergo ita à pari dicendum in casu nostro, non teneri ad spõsalia, si timet diuturnam, grauemque patris indignationem, quam non plenè præuidit; tenetur autem quando plenè aduertit, aut sperat breui tempore futuram reconciliationem.

QVÆSTIO LX.

Tutor emit vili pretio, ex pecunia pupilli quasdam apochas, vulgò liberantias, animo donandi lucrum pupillo, an possit mutato animo in redditione rationum sibi retinere lucrum.

SVMMARIVM.

Quod emitur pupilli pecunia, pupillo acquiritur. num. 1. dummodo ratum habeat. num. 7.

Tutor

Tutor potest acceptare donationem pupillo factam. num. 2.
An donatio facta pupillo egeat acceptatione. num. 3. & 5. & 9.
Reuocabilis est donatio facta absenti, nisi alius pro ipso acceptet. num. 4.
Non valet donatio facta infanti, nisi Pater, aut Notarius pro ipso acceptet. num. 5.
Interna voluntas donandi liberè reuocari potest. num. 6.
Tutor non potest acceptare donationem, quam ipsemet facit pupillo. num. 8.

CAsus talis est. Tutor ex pecunia pupilli, eiusq; nomine, emit vili pretio quasdam apochas, ea intentione, vt ijs satisfaceret Regiæ Curiæ, cui pupillus debebat, atque adeo dandi lucrum pupillo: Verum cum ipse tutor esset Regius Officialis, cui peculiariter prohibita erat liberantiarum huiusmodi emptio, grauissimo se exposuit periculo: quæritur an possit in redditione rationum sibi applicare lucrum emptionis liberantiarum.

Pro parte negatiua affertur primò, quia cum apocha empta sit ex pupilli pecunia, eiusque nomine, & tanquam pupilli data Regiæ Curiæ, eiusq; dominium omnino acquisitum est pupillo, quod
1 enim emptum est ex pupilli pecunia, ipsi pupillo acquiritur *l. si vt proponis, C. de rei vindicat.* ergo non potest tutor sibi applicare lucrum talis emptionis.

Secundò, quia iam satisfaciendo Regiæ Curiæ cum ea apocha nomine pupilli, donauit ipsi pupillo lucrum: eaq; donatio perfecta est, nam ipsemet tutor, qui gerit vicem duplicis personæ, nempè priuatæ, ac tutoris, tanquam tutor acceptauit
2 donationem; tutor enim potest acceptare donationem pupillo factam. Sanch. *de matr. lib. 5. disp. 7. num.* 8. ergo perfecta donatio amplius reuocari non potest.

Tertiò, quia donatio facta pupillo non eget ac-
3 ceptatione, sed ab ipso iure acceptatur, *ita ex l. iubemus, C. de emancipatione liberorum*, docent Molina, *de Hispanorum primogen. lib 4. cap. 2. num. 75.* & probabile esse ait Fernandez *in exam. Theol. p. 1. cap. 16. §. 1. num. 7.*

His tamen non obstantibus, Respondetur affirmatiuè. Fundamentum est, quia, ea lucri donatio non fuit neque pupillo, neque contutoribus, neque alteri nomine pupilli acceptanti manifestata, & sic nō fuit acceptata, & perfecta donatio, atque adeo reuocabilis est, vt patet *ex l. absenti ff. de donat. & c. si tibi absenti de præbendis in 6.* Vnde omnes docent
4 posse reuocari donationem absenti, vel alteri factam ante acceptationem, nisi notarius pro ipso acceptet, vel per nuncium ad hoc specialiter destinatum, vel per epistolam ei manifestetur donatio; vnde non sufficit, quod aliquis motu proprio voluntatem donatoris ad eum, cui donatur pertulerit, ita Doctores *in d. l. absenti*, Clarus *§. donatio, q. 12. n. 2.* Gomezius *variar. resol. tom. 2. c. 4. num. 2.* Capycius *decis. 108. n. 8.* Thesaurus *decis. 70.* Lessius *de Iust. lib. 2. cap. 18. dub. 6.* Molina *disp. 264.* Diana
5 *par. 8. tract. 6. resol. 93.* qua ratione valida non est donatio facta infanti, nisi alius, vt Pater, vel Notarius pro ipso acceptet; nam infans nequit acceptare, aut consentire in donationem sibi factam, ita Io. Crotus *in l. 1. in prin. in 2. lectura, col. 5. vers. ex hoc, ff de verbor. oblig.* Mautic. *de tacit. & ambig. conuent. lib. 13. tit. 6. n. 6.* Diana *p. 8. tract. 6. resol. 131.* Ratio prædictorum est, quia donatio est cōtractus, ad essentiam autem cōtractus requiritur duorum consensus, *l. 3. ff. de pollicit.* at duorū consensus ante acceptationem donatarij non adest; ergo ante acceptationem non adest donatio, seù adhuc est imperfectus contractus, atque adeo reuocabilis est. Itaque in casu nostro, cum tutor tanto sui periculo emerit vili pretio liberantias, vt satisfaceret Regiæ Curiæ pro pupillo, poterat iustissimè petere à pupillo, tam æstimationem suæ industriæ, ad quam tanquam tutor non tenebatur, quàm extimationē periculi, cui se exponebat emēdo liberantias, quas prohibitum sibi erat emere: Huiusmodi autem æstimationem industriæ, & periculi, habuit animū donandi pupillo: cum autem suum animum, nec pupillo, neque alteri manifestauerit, donatio non fuit acceptata, quare reuocare tam potuit: tum
6 quia non tam fuit donatio, quàm interna voluntas donandi, quę liberè reuocari potest, vt docent omnes, & post alios Baunius *in theol. moral. tom. 3. lib. 2. tract. 4. q. 4.* Diana *par. 8. tract. 6. resol. 107.*

Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

Ad primum, Respondetur rem emptam à tu-
7 tore ex pecunia pupilli, non acquiri pupillo, nisi pupillus sciat, & ratificet emptionem, ita Baldus *consil. 109. num. 1. vol. 2.* at iste pupillus nunquam sciuit emptionem apocæ, neque ratificauit.

Respondetur secundò, quicquid sit, an res empta ex pecunia pupilli, acquiratur pupillo, tamen tutor poterat in casu nostro petere æstimationem suæ industriæ, & laboris; nam ad eam industriam non erat tanquam tutor obligatus, potuit quoque petere æstimationem periculi, cui se exponebat; & quamuis antea habuerit animum donandi pupillo huiusmodi ęstimationem periculi, ac industriæ; potuit tamen suam voluntatem donandi, nulli notificatam reuocare, vt patet ex dictis.

Ad secundum, Respondetur aliud esse tutorem satisfecisse Regiæ curiæ, cum ea apocha pro debito pupilli; aliud quod poterat petere à pupillo æstimationem suæ industriæ, ac periculi; donationē enim huius æstimationis, imò potius internam vo-
8 luntatem donandi reuocare potuit. Neque refert quod tutor gerat vicem duplicis personæ, nam quamuis ipse acceptare possit donationem factam pupillo ab alio, tamen non potest acceptare donationem, quā ipsemet facit pupillo; contractus enim necessariò requirit realem distinctionem duarum personarum, est enim contractus consensus duorū; quare non potest tutor donare, atq; etiam acceptare donationem à se ipso pupillo factam.

Ad tertium, Respondetur donationem factam
9 infanti nequaquam esse validam; nisi ab aliquo eius nomine acceptetur, vt docent omnes supra allati.

Respondetur secundò, verè hanc non fuisse donationem, sed tantùm internam voluntatem donandi nulli notificatam; interna autem voluntas donandi reuocari potest, vt patet.

QVÆ-

QVÆSTIO LXI.

An filia Monialis renuncians Patri præsenti,& ad Patris fauorem, suorumq; hæredum successionem paternam, maternam, fraternam, &c. mortuo Patre, & deinde omnibus masculis, succedat fratri vltimo decedenti ab intestato?

SVMMARIVM.

Renunciatio Monialis dicitur realis excludens eam in omni casu. num. 1.4.5.8.

Nequit rescindi prætextu læsionis. num. 2.

Neque prætextu minoris ætatis. num. 3.

Neque requiritur certioratio quoad clausulas talis renunciationis. num. 6.

Stante renunciatione, renuncians tollit se de medio, & habetur tanquam mortuus. num. 7.

Monachus factus Episcopus nequit repetere renunciata. num. 9.

An possit repetere bona tanquam fraterna, num. 10. 11. & 12.

Respondetur negatiuè. Primò quia renuntia-
1 tio monialis dicitur renuntiatio realis, perpetuò, & in omni casu excludens renunciantem à bonis renunciatis; quare filia monialis non admittitur ad successionem etiam si nulli extent filij, aut filiæ: Ratio est, quia ex communi vsu, hæc est intentio monialium renuntiantium, atq; eam renuntiationem acceptantium, vt bona remaneant omnino libera, & deferantur, vel ad filios, vel ad proximiores consanguineos excluso monasterio, etiã ab intestato; & ita fuit pluries decisum *In Sacro Neapolitano Consilio*, vt referunt Francus *decis*. 375. *n.2*. Capycius *decis*. 190. Merlinus *controuers. forens. tom. 1. c. 5. & 8*. Regens Rouitus *cons. 42. 43. & 44. n. 7. tom. 1.* & ita pariter decisum est in Rota Romana, vt apud Farinac. *decis*. 587. *tom. 2.* sic etiam decisum refert Gratianus *disceptat. tom. 3. cap. 568. num. 31.* & hanc esse communem opinionem testatur Sfortia *cons. vlt. n. 35. & 34*. Mastrillus *decis. 65. n. 15. tom. 1.* Couarr. *in c. quamuis pactum par. 3. §. 3. vers. 9. de pactis in 6.* Costa *de Iuris, & facti ignorant. centur. 2. dist. 50. n. 18.* Vasquius *de success. creat. §. 18. n. 108.* Martus Curellius *tract. de donat. contẽplat. matrim. tract. 1. discursu 3. par. 6. post num. 127. vers. renunciatio verò facta per ingredientem Monasterium semper censetur realis fol. 581.* Io. Baptista Gargiareus *cons. 100. n. 36. vsq; ad 72.* Caputus *ad consuetud. Neapol. par. 3. §. 8. n. 12.*

Vnde reijciendi sunt aliqui docẽtes oppositum, vt Molfes. *ad consuet. Neapolit. tom. 1. tit. de renunciat. q. 17. n. 37.* & Consiliar. Theodor. *allegat. 35. & 36.* contra quem cunctis tribus aulis fuit iudicatum in Sacro Consilio Neapolitano.

Imò renunciatio Monialis nequit rescindi, etiã
2 prætextu læsionis enormissimæ; ratio est, quia hæc est intentio renunciantium, atq; paciscentium, vt bona remaneant apud seculares propinquos, ita Decius *cons. 31.* Craneta *cons. 160. n. 1.* Gaspar Thesaurus *qq. forens. lib. 2. q. 56. n. 21.* Couarr. *in c. quamuis pactum par. 3. §. 2. nu. 5.* Vasquius *de success. tract. lib. 2. n. 116. & 130.* Vbi ait: ita seruari de consuetudine, Paschalis *de patria potestate par. 3. cap. 7. n. 25.* Mastrillus *decis. 65. nu. 12. to. 1.* Menoch. *lib. 4. præs.*
3 *83. n. 18.* qui docent, neque prætextu minoris ætatis restitui. Sed quando filia dotata restituatur ratione læsionis contra renunciationem, vide latissimè, & doctissimè Castill. Sotomayor *controu. Iuris li. 3. cap. 2.*

Secundò affertur contra Monialem istam, nam
4 hæc renunciatio fuit facta solemniter in amplissima forma, cum prægnantibus clausulis, cum clausula aquilianæ stipulationis, acceptilationis, ac pacti de non petendo, & cum clausula, quod pater dotans stipulatus est sibi, suisque hæredibus: at huiusmodi clausulæ important renũciationem realem, omnimodam, & in omni casu, etiam ab intestato, & semper excludunt filiam renunciantem, vt docẽt Alex. *cons. 29. n. 8. lib. 3.* Soccinus *cons. 34. n. 6. lib. 4.* Parisius *cons. 26. nu. 27. lib. 3.* Couar. *in cap. quamuis pactum par. 3. §. 3. vers. 7.* Regens Rouitus *cons. 42. n. 7. & cons. 44. n. 7. vol. 1.* Merlinus *controuers. tom. 1. cap. 5. n. 5.* Medices *cons. 20. n. 10.* Pisanellus *in consuet. si moriatur lit. D vers. nota quæstionem fol. 83.* Paschalis *de patria potestate, par. 3. c. 7. n. 50.*

Et quando renunciatio fit inter partes præsen-
5 tes, præsertim per Aquilianam stipulationem, & acceptilationem, renunçiando omni iuri sibi in futurum competituro, dicitur ea renunciatio realis, perpetua, & omni casu excludens, ita Romanus *cõs. 22. n. 3. vers. non obstat supradictis.* Rouitus *cõs. 42. n. 13. to. 1.* Martha *to. 2. de success. legali p. 4. q. 21. ar. 14. n. 101.* Cancer. *li. 3. c. 15. n. 1.* Afflictus *decis. 162.* Minadous *cõs. 22.* Gramaticus *dec. 57. n. 42. & dec. 101. n. 72.* Soccinus *cons. 34. nu. 5. vol. 4.* Menochius *cons. 6. n. 15. lib. 1.* Paschalis *de patria potestate par. 3. cap. 7. n. 48.*

Neque, vt prædictæ renunciationis clausulæ suũ operentur effectum, requiritur certioratio, vt ex Archidiacono, & Dominico de S. Geminiano *in c. quamuis pactum de pactis in 6.* fuisse decisum in Senatu Delphinali testatur Guido Papæ *decis. 227.*

Quando autem ex clausulis apparet renunciationem esse realem, tunc procedit illud vulgatum axioma, quod renunciantibus Iura sua, non datur vlteriùs regressus ad ea *l. quæritur 14. §. si venditor, ff. de ædilit. edicto l. fin. C. de remiss. pignor. c. si de terra de priuileg.*

Vnde stante renuntiatione reali, renuncians
7 tollit se de medio, & excludit se de numero agnatorum, & habetur tanquam mortuus, & facit locum vlterioribus in gradu per successorium edictum *l. 1. §. quibus ff. de success. edicto l. 1. C. eod. tit. vers. ex edicto l. 2. §. fin. ff. ad S. C. tertull.* Castrens. *cons. 299. in princ. vol. 1.* Salicetus *in l. Deo nobis C. de Episcopis, & Clericis* Io. Andreas de Georgio *allegat. 23. n. 2.* Paschalis *de patria potestate p. 3. c. 7. n. 48.* Molfes. *ad consuetud. Neap. tom. 1. tit. de renunciat. q. 2. nu. 13.*

Quod adeo verum est, vt quamuis ex magis cõ-
8 muni sententia Doctorum filia nuptui tradita, & sufficienter dotata renuncians contemplatione mascu-

maſculorum, mortuis maſculis viuo Patre admittatur ad ſucceſſionem Patris ab inteſtato, tamen ſi ex pręgnantibus clauſulis appareat renunciationem fuiſſe realem excluditur ab illa, etiam ab inteſtato, vt docent Soccinus *conſ.34.n.5. vol.4.* Rouitus *conſ.45. n.9. vol.1.* Minadous *conſ.22. num.4.* Merlinus *controu. tomo 1. cap.5. n.3.* Ratio eſt, quia ſtante reali omnimoda, ac perpetua renunciatione, filia tollit ſe de medio, & dat locum vlterioribus in gradu, quia ſignum eſt ideo renunciaſſe, vt oſtendat ſe contentam dote ſibi tradita.

Hinc quoq; eſt, quod ſtante renunciatione rea-
9 li, monachus factus Epiſcopus non poteſt repetere donata propinquis, ſeù renunciata in ingreſſu, ita deciſum in Neapolitano conſilio teſtatur Regens Rouitus *decij.10.* & conſuluerunt Fabius Anna *conſ.45. n.82.* & Rubeus Alexandrinus *conſ.147.* contrà Molfeſium *conſ.1. vol.1. & conſ.39. vol.2.*

Tertiò, affertur contra monialem, quia expreſsè in inſtrumento renunciauit ſucceſſioni fraternæ, ſibi quocumq; tempore ab inteſtato deuoluendæ: ergo non datur recurſus illi ad fraternam ſucceſſionem ab inteſtato.

Dices non petere hæreditatem quatenùs pa-
10 ternam, ſed vt fraternam, nam bona delata ad fratrem, fiunt fraterna. Vnde Couar. *in c. quamuis pactum par.3. §.3. nu.2.* ſic ſcribit *Reſponſio huius Capituli, intelligenda eſt, vbi filia paterna bona, vt paterna petierit, nam excluditur per pactum iuramento præſtito, firmatum, quod ſi ea bona, vt fraterna petere velit poſtquam à patre illa deuenere in fratrem, cui ipſa ſuccedere inteſtato iure poteſt, nihil filiæ nocebit paternæ hæreditatis renunciatio;* ita Couar. & Iaſon *in l.1. §. veteres n.23. ff. de acquir. poſſeſſ.* vbi ait: *eſtò in fraternis bonis, nihil pręter bona paterna inueniatur, nam ea bona iam ſunt fraterna,* & ita deciſum teſtatur Guido Papæ *deciſ.231. & 192.* & conſuluit Angelus *conſ.52.* Alex. & Aret. *in l.1. §. veteres ff. de acquir. poſſeſſ.* Caſtrenſ. & Aretinus *in l. Paulus §.1. ff. de acquir. hæred.* Detius *in l. hæreditas n.8. ff. de regul. Iuris* Bartol. *in l.2. §. illud ff. de hæred. vel act. vendit.* Romanus *conſ.168. in 1. dubio* Menochius *conſ.334.* Roland. *conſ.95. n.44. vol.1.* Afflictus, & Vrſillus *deciſ.179.* Tiraq. *de retract. conſang. §.1. gloſa 9. num.45.* Gayllus *lib.2. obſeruat.148. n.12.* Carotius *deciſ.62.* Io: Andreas de Georgio *alleg.30. num.27.* Mandellus *conſ.7. nu.16.* qui teſtatur de communi Cappella Tholoſana *deciſ.457.* Gabriel. *tit. de Iure dotium concl.1. n.60.* Benedictus *in cap. Rainutius de teſtamentis Verbo duas habens filias n.250.* Maranta *diſp.10. n.16. & 28.* Craſſus *§. hæreditas q.2. n.3. & §. ſucceſſio q.10. in fine,* Seraphinus *de Iuramento priuil.20. n.23.*

Confirmatur nam, vt inquit damnatus Author
11 (Vtinam tam pius, quàm doctus) *in addit. ad Alex. conſ.155. n.10. vol.7. Etiamſi Pater ſtipulatus fuiſſet hanc renunciationem pro ſucceſſionibus omnium fratrum, & ſororum filiæ renunciantis, ad commodum omnium filiorum ſuorum, & deſcendentium maſculorum, nihilominus requiritur conſenſus expreſſus ſingulorum dictorum filiorum, alioquin poterit etiam cum fratribus ſuperſtitibus ſuccedere fratri ſine liberis decedenti, qui fortè, quia vel abſens, vel infans, non conſenſit expreſsè dictæ renunciationi, & ita obſeruatum, & ſæpè iudicatum fuit in hoc ſupremo Senatu.* Ita ille, & idem docent Baldus *conſ.437. vol.1.* Ancaran. *conſ.39. verſ. vlterius,* Fulgoſ. *conſ.73.* Immola *conſ.1. vol.2.* Calcaneus *conſ.33. col. pen.* Grauet. *conſ.42. n.5. & cōſ.127. n.5.* Purpuratus *in l. fin. n.40. & 183. C. de pact.* Surdus *conſ.355. n.10. vol.3.* Theſaurus *qq. Forenſ. lib.1. qu.95. n.1.* Gabriel *tit. de Iure dotium concl.1. num.33.* Guido Papæ *conſ.162.* Soccinus *conſ.83. col.2. vol.3.* Bertrandus *conſ.69. in fine, & conſ.141. n.8. vol.1. & conſ.226. col.1. vol.2.* Cagnolus *in l. fin. n.101. C. de pactis* Io: Andreas de Georgio *alleg.30. nu.29.* Paſchalis *de patria poteſtate par.3. cap.7. n.20.*

Reſpondetur tunc filia ii renunciantem ſucceſ-
12 ſioni Patris, admitti ad hæreditatem fratris, quàuis in bonis fratris, nihil aliud eſſet præter bona accepta à Patris hæreditate, quando filia ſolius Patris hæreditati renunciaſſet; ſecus eſt ſi renunciat hæreditati paternæ, ac fraternæ, prout renunciauit in caſu noſtro. Neq; refert fratrem fuiſſe abſentem, & non conſenſiſſe, nam ſufficit pro fratribus, ſeu filijs, & hæredibus fuiſſe patrem ſtipulatum, nam filia renunciauit Patri ſtipulanti pro ſe, & hæredibus ſuis, renunciauit, inquam, omnem ſucceſſionem paternam, maternam, fraternam, æternam, & quamcumq; aliam, quare ius renunciationis acquiritur etiam fratribus, nam pro his Pater ſtipulauit tanquam ſuis hæredibus; hæres enim reputatur vnica perſona cum teſtatore; quare quicquid per contractum acquiritur teſtatori, acquiritur quoq; & hæredi.

Tractatus Tertius Finis.

TRA-



TRACTATVS QVARTVS DE CASTITATE, ET OPPOSITIS VITIIS.



QVÆSTIO PRIMA.

Quando in peccatis venereis actus exterior sit explicandus in confessione?

SVMMARIVM.

Actus exterior liber, & imperatus à voluntate confitendus, alioquin non explicandus. num.1.

Non est explicandum, quod fuerit, vel non fuerit penetratum vas in fornicatione, aut sodomia. num.2.

Absq; seminatione intra vas non est casus reseruatus. numer.3.

Neq; contrahitur affinitas. num.4.

Praestat, ob periculum, minùs perfectè intelligere peccata carnis, quàm multum in eorum interrogationibus inhaerere. num.5.

Si ex proposito non penetrauit vas, se accuset de inhonesto tactu. num.6.

An teneatur se accusare de nocturna pollutione? num.7.

An teneatur accusare de turpi somnio? num.8.

Quid si praeuidit? num.9.

Quid si optauit turpe somnium? num.10.

An voluntariè contrectans verenda, teneatur explicare sequutam pollutionem. num.11.

Quomodo foemina interroganda, quoad pollutionem? numer.12.

Quid in puero, vel Eunucho quoad contrectationem inhonestam? num.13.

An turpia loquens teneatur explicare sequutum inde turpem motum membrorum. num.14.

An concupiscens mulierem, si medendi causa tangat, teneatur id explicare? num.15.

Quid si cum praua intentione videat, aut alloquatur verba honesta. num.16.

Quid quando actus exterior imperatur à turpi voluntate. num.17.

1  Espondetur illum actum exteriorem esse explicandum, qui est actus liber imperatus à voluntate, secus autem est si non sit imperatus, neq; liber, sed effectus actus interni, tunc non est necessariò explicandus, exemplis doctrina haec fiet manifesta.

Prima Pars Probatur, quia quamuis actus exterior non augeat, neq; minuat malitiam peccati, sed habeat eandem numero malitiam actus interni, à quo per denominationem extrinsecam actus exterior denominatur formaliter malus, tamen ideò actus exterior explicari debet in confessione, quia actus exterior est verè, & propriè peccatum, quia est liber à libertate actuali actus interni, proindè debet explicari in confessione, in qua omnia peccata sunt aperienda, & hanc rationem esse magis communem testatur Eminentissimus Lugo *de pænit. disp.16. sect.9. num.449.* & insinuant Suarez *de pænit. disp.22. sect.3. nu.2. & in prima secunda, tract.5. disp.5. sect.8. nu.3.* Coninch *de Sacram. disp.7. nu.7.* Ergo soli actus exteriores imperati à voluntate sunt explicandi, nam soli actus imperati sunt formaliter liberi, ab actuali libertate actus interni, & soli imperati sunt verè, & propriè peccata, & ideò confitendi.

Secunda Pars Probatur, Nam actus exteriores non imperati à voluntate, non sunt liberi, ideò neque sunt verè & propriè peccata, sed effectus peccati: consequenter confitendi non sunt; vt de effectibus peccati, v.g. sequuta morte, quod explicanda non sit, docent Vasquez *p.2. disp.94. cap.3.* Suarez *de relig. tom.2. lib.3. ca. 8. num.5.* Granado *p.2. controu.6. tract.4. disp.3. nu.12.* Diana *p.1. tr.7. res.64. & p.3 tract.4. res.67.* Eminentiss. Lugo *de pænit. disp.16. sect.9.* contra alios docentes effectum sequutum, quamuis deindè liberè non sequatur, vt mortem occisi, esse explicandum in confessione; ita Soto *in 4. dist.12. qu.1 art.7. vers. hinc fit,* Sanchez *de matrim. lib.9. disp.45. nu.30.* Castropalaus *tom.1. tract.2. disp.1. pun.3. num.7.*

2 Infertur primò si quis copulam fornicariam, aut sodomi-

domiticam habuit, & fecit, quod potuit, vt penetraret vas, siue penetrauerit, siue non penetrauerit, non tenetur id explicare, hæc opinio est contra aliquos, qui docent explicandum esse an copula fuerit consumata, etenim non penetrato vase, non dicitur fornicatio, neque sodomia. Sed dicendum est, id non esse explicandum. Primò, quia penetratio vasis, non est actus liber, nam si fecit quod potuit, fortuitum est vas penetrari, aut non penetrari, sicut si fecisti, quòd poteras vulnerando, fortuitum est mortem sequi, aut non sequi: ergo sicuti non tenetur explicare mortem sequutam, ita neque penetratum vas. Secundò, quia non dicitur copula consumata, nisi effuso semine intra vas, quod patet, quia non est casus reseruatus, reseruata sodomia, vel incestu, si non seminauit, Finellius de casibus reseruatis *casu* 10. *num.*9. Grassius *de casibus reseruatis lib.*1. *cap.* 13. *numer.*37. neque absq; seminatione contrahitur affinitas, vt docent omnes, nam non dicitur copula consumata, imò neque absque seminatione infertur damnum proli, & tamen certissimum est, & patet ex praxi, non teneri sodomitam, aut fornicarium explicare se non seminasse; ergo à fortiori, neque tenetur explicare se non penetrasse vas, si fecit, quod potuit. Confirmatur, nam absque seminatione, nequit sequi generatio, vnde nequit dici copula consumata, sed absque penetratione, effuso semine supra vas, potest sequi generatio, & sic potest esse copula consumata, semen enim attrahitur à virtute attractiua matricis, vndè hac ratione docet Sanctus Thomas *quodlibet.*6. *artic.*16. posse absque miraculo virginem, salua integritate virginitatis, concipere, quod etiam docet Abulensis in *Genes. capit.* 19. & Delrius *disquis. mag. lib.*2. *quæst.*15. id ope dæmonis fieri posse scribit; ergo cùm finis primarius copulæ, nempè generatio haberi possit ex hoc, quod membrum confricetur, & seminet supra os vasis, quamuis vlterius non penetret, habetur tota malitia fornicationis.

Tertiò, quia quod non penetrauerit vas, est circumstantia minuens intra eandem speciem: ergo non necessariò explicanda, quia neque aggrauans intra eandem speciem explicanda est, iuxta probabilem opinionem. Quod autem sit circumstantia minuens intra eandem speciem, probatur, nam si fecit quod potuit, est copula fornicaria, aut sodomitica incepta, præsertim si tetigit os vasis, seù in ianuis Claustri pudoris versatus sit, quamuis vlterius ingressus non sit: sed copula incepta est eiusdem speciei cum consumata; ergo vas non esse penetratum, est circumstantia minuens intra eandem speciem.

5 Quartò, quia dicitur esse in domo, qui est in ostio domus, vndè Baldus *in l. si ita* §. *idem ait ff. de naut. caupon. & stabul.* scribit, fieri in domo, quod fit in ostio, & idem Baldus *in rub. ff. soluto Matrimon.* quem sequitur Iason *in l. cætera* §. *hoc Senatusconsultum nu.*11. *ff. de legat.*1. docet, quòd si statutum dicat, si quis insultauerit aliquem in domo, sufficit si insultauerit in ostio, quia, qui est in ostio, partim est in domo, partim extra, vt notat Glosa *in capit. cùm Ecclesiam Sanctam de pœnit. dist.*2. & sufficit tangere partem *l. vulgaris ff. de furtis*, sic existens in ostio Ecclesiæ gaudet immunitate Diana *par.*6. *tractat.*1. *resolut.*3. ergo dicitur esse in vase, quod est in ostio vasis, & dicitur in vase seminare, si in ostio seminet; ergo quamuis vlterius non intret vas, erit vera, & propria copula fornicaria.

Quintò, quia vt rectè, ait, Coninchius de *penit. disput.*7. *numer.*56. in his peccatis carnis multùm inhærendum non est, quia quandoque periculosum est; & præstat Sacerdotem minus perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm illi, vel sibi aliquid aliquod periculum scandali creare, & Caietan. *tom.*1. *opusc.*22. *circa finem, ait, Ne superfluas faciant interrogationes in hac materia, & quantum possunt celeriter hac pertranseant*; idemque monet Reginaldus *lib.*2. *numer.*35. Angelus *V. interrogationes num.*9. Diana *par.*3. *tractat.*4. *resolut.* 99. Sed quando concubina se accusat, per annum singulis diebus, semel, aut bis cognitam fuisse, quis non videt quàm turpe sit quantumque periculi afferat, tàm Sacerdoti, quàm penitenti eam interrogare quot vicibus penetrauerit vas?

6 Aduerto tamen, quòd si quis ne virginem defloraret, aut ne mulier conciperet ex proposito curauit non penetrare vas, extra quod pollutus est, tunc sufficit se accusare, quod tactu mulieris inhonesto pollutus est, nam tunc non est copula fornicaria, quamuis fortuitò os vasis tetigisset, sed nullatenus ingressus, secùs si quoquomodo ingressus, ita vt virgo cæperit sentire dolorem, tunc enim vera, & propria est fornicatio.

7 Infertur secundò, nullum debere se accusare de pollutione sequuta in somnis, sed si præuidit futuram pollutionem debet se accusare, quod habuerit turpem sermonem, aut tactum, aut cogitationem, præuidens sequuturam deindè in somnis pollutionem; esto deindè non sit sequuta, vt infrà probabo: si verò non præuidit futuram pollutionem, sufficit se accusare de turpi sermone, cogitatione, aut tactu: quomodocumque autem sit, siuè quis præuiderit, siue non præuiderit pollutionem, nunquam debet se accusare, quod eam habuerit in somnis, ita Vasquez 1. 2. *disput.*115. *cap.*3. *numer.*9. Medina 1. 2. *quæst.*71. *artic.*5. *vers. est aliud dubium*, Henriquez *lib.*5. *capit.*5. *numer.*5 Io. Sanchez *in selectis disput.*21. *numer.*13. Ratio est, quia cùm pollutio in somnis sequuta non sit actus liber imperatus, scilicet à voluntate, ideò non est propriè, & verè peccatum, sed potiùs effectus peccati; effectus autem peccati non est necessariò confitendus.

Dixi autem, quòd si turpia cogitans, aut loquens præuidit futuram in somnis pollutionem, debet se accusare, quod eam præuidit, esto quod deindè non fuerit sequuta, ita Sanchez *de Matrimon. lib.*9. *disput.*45. *numer.*23. contra Ioan. Sanchez *in select. disput.*21. *numer.*15. qui non rectè docet, non teneri se accusare quod præuiderit, quia cogitatio aut sermo turpis, non est causa efficax pollutionis. Respondetur enim quod sermo turpis, cum præuisione pollutionis habet pollutionis malitiam, nam proximo periculo pollutionis putat, aut dubitat, se tunc exponere, vndè nihil refert, quod sermo turpis, non sit causa efficax pollutionis, neque refert quod ea non sequatur; sufficit, quod turpia loquens dubitet sequuturam pollutionem, nam ita consentit se exponere illius periculo. Præterea quod vni non affert periculum proximum pollutionis, affert alteri ex experientia.

Infertur tertiò, quòd non tenetur quis explicare, quod habuerit somnia immunda ex præcedenti turpi sermone,

ne, sufficit si de turpi sermone se accuset, ita Io. Sanchez *disp.21. num.13. vers. è contra.* Ratio est quia somnium non est actus liber, & imperátus à voluntate, & sic non est propriè peccatum, sed effectus peccati. Addo quod si præuiderit futurum obscenum somnium, non tenetur se accusare, quod præuidens immundum somnium inhonestè loquutus est. Ratio discriminis inter præuidentiam pollutionis, & somnij est, quia cùm pollutio sit contra bonum prolis, tenetur quis amouere causam ipsius: at somnium non est contra bonum prolis, proinde non obligatur quis remouere causam immundi somnij, & quamuis somnium immundum disponat ad pollutionem, tamen non ita proximè disponit, vndè non est tanta, & tam grauis obligatio remouendi causam ipsius. Verùm omninò asserendum est contra Io. Sanchez *dict. disp.21. num.13.* optantem somnia turpia, & ideò comedentem calida, mortaliter peccare, & teneri se accusare, quod hoc fine comedit, aut est inhonestè loquutus. Ratio est, quia sicuti complacentia de præterito somnio obscæno est mortale peccatum, ita etiam desiderium ipsius. Deindè sicut imaginatio immunda habita in vigilia, mouet organa generationis, & disponit ad pollutionem, ita quoque ea quæ habetur in turpi somnio; Ergo tale somnium desiderare, aut propter ipsum calida comedere, vel inhonesta cogitare, idem est ac desiderare aliquid disponens ad pollutionem, quod vtique peccatum est.

11 Infertur quartò, si quis ex proposito proprijs manibus procurauit pollutionem, si hoc fateatur, sufficit, neque tenetur explicare, deinde sequutam pollutionem, & emissum semen.

Ratio est, quia illa pollutio sequuta non est peccatum, cùm non sit actus imperatus à voluntate, sed est effectus peccati, ità Sotus *in 4. dist.12. quæst. 1. art.7.* Salas *1.2. tract.7. disp.6. sect.8. num.6.* Io. Sanchez *in selectis disp. 21. num.13. vers. è contra.*

Imò etiam si non sequatur pollutio, si id sit per accidens, at tangens se habebat desiderium pollutionis, aut dubitabat eam sequuturam, non sufficit se accusare, dicendo, inhonestè me tetigi, sed debet addere cum intentione, aut cum periculo pollutionis, verùm ne diù Confessarius in his sermonibus immoretur, sufficiet si penitens dicat *ex affectu libidinoso propria verenda contrectaui*, nam ex hoc planè intelligit, eum vel optasse pollutionem, vel saltem ipsius periculum aduertisse: Id au-
12 tem omninò dicendum in fœminis, nequeunt enim sine scandalo interrogari, an fuerit sequuta pollutio, vel eam optauerit, aut periculum aduerterint? vnde sufficit si se accusent, quod inhonestè secretiores partes contrectauerint. Adde quòd fortè in fœminis non est propria, & vera pollutio, cùm semen fœminæ non sit verum semen, neque necessarium ad prolis generationem, vt docent Aristot. *lib.1. de generat. animal. c.19. & 20.* S. Thomas *3. p. quæst.32. art.4.* Pineda *lib.1. de reb. Salomonis c.11. nu.6.* ex Medicis Petrus Garzia *in 1. fen. disp.36. c.6. §. mihi autem videtur* contra communem Medicorum quorum Princeps Hyppocrates *lib. de genitura, & lib. de Dieta* affirmat habere verum semen, & concurrere ad generationem, quem sequuntur Galen. *lib. de vsu partium* Valles. *lib.1. contr. c.6.* Andreas Laurent. *historia lib.8. c.4. & 5.* & alij, sed de hoc *quæst.27.*

13 Aduerto etiam debere penitentem explicare, an quando inhonestè se contrectauit, erat puer, vel Eunuchus, tales enim non peccant peccato pollutionis, cum sint inepti ad emissionem seminis.

14 Infertur quintò, si quis turpia cogitans, aut loquens experitur turpem membrorum motum, sufficit se accusare de turpi cogitatione, aut sermone, neque eam commotionem membrorum explicare tenetur. Ratio est, quia talis motus genitalium, non est liber, neque actus imperatus à voluntate, vt docet Arist. *lib. de causis motus animalium c.8.* vbi ait: *inuoluntarios esse motus cordis, & membri pudendi*, & S. August. *de Ciuitate Dei lib.14. c.16.* ait: *motus membrorum genitalium aliquando importunus est, nullo possente, aliquando autem destituit inhiantem, & cum in animo concupiscentia feruet, friget in corpore.* Rationem affert S. Thomas *1.2. quæst.17. art.9. ad tertium*, vbi docet, *quod ad motum horum membrorum requiritur aliqua alteratio naturalis, scilicet caliditatis, aut frigiditatis, quæ quidem alteratio non subiacet imperio rationis.*

Dices ille motus sequutus ad turpem sermonem est voluntarius in causa; ergo necessario explicandus in confessione.

Respondetur. Nego consequentiam; nam effectus peccati quamuis sit voluntarius in causa, vt mors vulnerati, tamen non est explicandus. Ratio est, quia effectus peccati, non est actus liber imperatus à voluntate, & sic non est propriè peccatum.

15 Infertur sextò, si medicus tangens mulieris verenda consentiat turpi cogitationi, sufficit, se accusare de turpi cogitatione, neque requiritur, quod se accuset eam tetigisse. Ratio est quia talis tactus non est peccatum, nam imperatur à voluntate honesta medendi, non au-
16 tem imperatur à voluntate fornicaria: similiter loquens ex honesta causa cum muliere, aut eam transeuntem videns, non tenetur se accusare, quod eam alloquutus sit, vel quod eam viderit, sufficit si dicat quod concupierit.

Ratio est, quia alloquutio, & aspectus, non sunt actus imperati à praua voluntate, sed ab alia causa honesta, vel indifferenti; vnde non est necesse quod accusans se concupisse mulierem addat se eam transeuntem vidisse, vel cum ea loquutum fuisse. Similiter detinens domi suæ imaginem mulieris ex honesto fine, sufficit si accuset eam se concupisse, neque debet explicare se retinere imaginem; sic qui habet vestem sibi ab illa do-
17 natam, quam induit, quia ea indiget. Secus dicendum videtur, quando actus exteriores imperantur à praua voluntate, sic tangens mulierem hoc fine, vt morosè delectetur, non sufficit explicare delectationem, sed etiam tactum debet exprimere, sic qui inhonesto fine eam alloquitur, aut ex proposito videt ex prauo affectu, tenetur explicare se alloquutum, eamque aspexisse ex inhonesto fine, aut si eodem fine detinet imaginem debet explicare tempus, ac quot vicibus ideò aspexit imaginem, vt morosè delectaretur, idemque dicendum de veste.

Ratio est, quia quando actus exterior imperatur à turpi voluntate, tunc exterior ille actus est verè, & propriè peccatum, vnde in confessione explicandum.

Sed rectius ita mihi distinguendum videtur, vel actus exterior consideratus secundum externas circumstantias est deordinatus, & habet obiectiuam malitiam turpitudinis, & tunc est omninò explican-

dus, quia verè, & propriè est peccatum: vel actus exterior consideratus secundùm externas circumstantias est honestus, quamuis à prauo fine, & à turpi voluntate imperetur, vt si quis aspiciat transeuntem mulierem, vel honesta atque vtilia, & necessaria verba eam alloquatur, tunc non videtur ille actus exterior aspectus, aut allocutionis explicandus. Ratio est, quia illi actus exterior, vt exterior consideratus, est honestus, nullamque habet malitiam obiectiuam turpitudinis; ergo non est peccatum externum, sed internum tantùm prauæ voluntatis.

QVÆSTIO II.

An loquens turpia, aut prauo suo exemplo præuidens, sed non intendens proximi ruinam, debeat in confessione explicare speciem peccati, v. g. adulterij, ad quam proximum scandalizatum induxit?

SVMMARIVM.

Negat Cardinalis Lugo. num.1.

Tripliciter proximus inducitur ad ruinam nempè directè, & formaliter: directè, sed nō formaliter, & indirectè. n.2.

Non corrigens proximum non tenetur explicare speciem peccati, in qua non correctus perseuerat. num.3.

Prauo exemplo inducens ad furtum non tenetur restituere. num.4.

Affirmatiua sententia est communis. num.5.

Quare inducens prauo exemplo ad furtum non teneatur ad restitutionem, tenetur verò si consilio inducat? nu.6.

1 NEgat Eminentissimus Lugo *de pænit. disp.16. sec.4. §.3.* Suppono ex eodem Lugo *dicta sect.4. nu.157.*
2 quod tripliciter potest proximus ad peccatum induci. Primò directè, & formaliter, quando intendo ruinam spiritualem, quatenus est eius spirituale damnum, & hoc rarissimum, quia proprium est dæmonis. Secundò, directè non formaliter, quando scilicet, volo ipsum violare castitatem, non quia malum eius est, sed quia inde lucrum, v. g. aliquod spero. Tertiò, indirectè, quando scilicet præuideo, sed non intendo ruinam spiritualem ipsius, quia ex mea actione, aut verbis occasionem accipiet peccandi. Primum, & secundum vocatur communiter speciale scandalum contra charitatem, & explicari debet species peccati, ad quam proximus est inductus. Tertium aliqui vocant peccatum speciale scandali contra charitatem, ita Valentia *tom.3. disp.3. qu.18. punc.2.* Suarez *de Char. disp.10. sect.2.* alij verò dicunt non committi speciale peccatum scandali, sed eo genere peccati delinqui, in quod tunc proximus labitur, ita S. Thom. *2.2. quæst.43. art.3.* Vasq. *1.2. disp.102. c.4.* Beccan. *2.2. c.27. quæst.2.* Sanchez *lib.1 Sum. c.6. nu.3.* de hoc quæritur an sit aperienda in confessione species peccati, ad quam indirectè proximus inductus fuit. Solus Lugo id negat, nullus enim antè ipsum, vel pòst, prout videre licuit, id negauit, nam quem citat Nauar. *c.6. num.19.* nihil dicit de scandalo indirecto, vt benè aduertit Sanchez *d. cap.6. nu.8.* eius tamen opinio non videtur improbabilis, tum propter viri doctrina Eminentissimi authoritatem, tum propter rationes quibus mouetur.

Probat primò Lugo, quia probabiliter multi docent, non peccare hunc indirectè inducentem alium, nisi contra charitatem, non autem contra iustitiam, aut aliam virtutem, contra quam proximus scandalizatus peccat, ita Suarez *de Charit. disp.10. sect.2. nu.9.* Coninch *de Charit. disp.32. nu.46. & disp.28. nu.12.* Salas *1.2. tr.13. dis.5. sect.15. nu.128. 134. & 136.* Layman *l.2. trac.3. cap.12. num.6. vers.3.* Ergo non debet explicari species peccati ad quam indirectè proximus inducitur. Consequentia patet, quia ex probabiliori sententia solæ circumstantiæ mutantes speciem sunt explicandæ, sed quod turpiloquio indirectè induxerim ad adulterium, furtum, &c. non est circumstantia mutans speciem, quia eadem specie peccati scandali pecco, si inducam indirectè ad peccatum, siue ad peccatum adulterij, siue periurij, siue furti, &c.

3 Secundò, ideò omittens correctionem fraternam non tenetur explicare speciem peccati, in qua proximus, quē corrigere omisit, perseuerat, quia omittens correctionem peccat tantùm contra charitatem proximi; sed etiam contra solam charitatem peccat indirectè inducens ad peccatum, & scandalizans, vt docent multi probabiliter; ergo non tenetur explicare speciem peccati, ad quod induxit scandalizatum.

4 Tertiò quia si prauo suo exemplo aliquis indirectè inducat ad furtum, si peccaret contra iustitiam, difficilè explicatur, quomodo non teneatur ad restitutionem, prout non teneri docent communiter, ita Suarez *de Char. disp.10. sect.2. num.10.* Coninch. *de Char. disp.32. num.46. & disp.28. num.11. & 12.* Sanchez *d. cap.6. nu.5.* Layman *lib.2. tract.3. cap.12. num.6. vers.3.*

Quartò, quia quamuis virtus iustitiæ obliget me directè, vt eam virtutem amplectar, ac etiam indirectè me obliget, ne eam in alijs impediam, non tamen me obligat ad procurandum positiuè, vt alij eam amplectantur, seu non me obligat, vt impediam aliorum iniustitias. Quare non pecco contra iustitiam, si præuidens, præter intentionem meam alium ex mea intemperantia inducendum esse ad furandum, id non impediam, quia iustitia obligat quidem me, ne procurem alios furari, non tamen me obligat, vt eorum furta impediam, & ad hunc finem abstineam ab intemperantia.

Quintò, quia Apostolus *1. Corinth.8. & ad Rom.12.* Manducantem coram alijs sacrificata Idolis non reprehendit vt idolatram sed, vt scandalosum, & peccantem contra charitatē proximi, pro quo Christus mortuus est.

5 His tamen non obstantibus. Respondetur affirmatiuè, nempè turpiloquio, aut malo exemplo inducentem alium ad peccatum, debere explicare speciem peccati, ad quam induxit, v. g. Adulterij, & sic loquentem turpia debere explicare qualitatem personarum, coram quibus loquutus est, ita Vasquez, *1. 2. quæst.73. disput. 102. c.3. num.5. & cap.7. num.23.* Suarez *de Charit. disp.10. sect.2. num.10.* Sanchez *lib.1. Summa cap.6. nu.8.* Azorius *tom.2. lib.12. c.16. quæst.2. & 4.* Layman *lib.2. tract.3. c.12. nu.6.* Coninchius *de Charit. disp.32. nu.56.* Bonacina *de Sacram. disp.5. qu.5. sect.2. punc.2. §.3. diff.3. nu.21.* Filliuccius *tom.2. tr.28. nu.226.* Syluius *2.2. q.43. ar.3. concl.2.* Diana *p.3. trac.4. ref.114. & p.6. tr.6. ref.33.*

Probatur primò, ex doctrina Valentiæ *tom.3. disp.3. quæst.18. pun.2. §. Hæc posterior*, vbi docet, quod in omni materia morali, in qua peccatum specificatur à nocumento alteri illato, voluntas indirecta, seu virtualis æqui-

æquiualet directæ, formali, & expressæ; sic verè committit peccatum detractionis, qui dicit aliquid, ex quo sequitur nocumentum famæ proximi, si præuideat, quamuis non intendat; sic verè committit peccatum sacrilegij, qui fornicatur in Ecclesia, quamuis non intendat, imò displiceat iniuria, & irreuerentia loci sacri, ita Valentia; Ergo verè peccat in specie adulterij, qui suo turpiloquio præuidet, quamuis non intendat proximum induci in adulterium, quia virtualiter, & indirectè vult adulterium proximi.

Secundò, Probatur à priori, quia loquens turpia, verè, & propriè influit, & causat cogitationem adulterij, quamuis non intendat; ergo turpiloquium contrahit malitiam adulterij. Consequentia patet, quia causa influens continet in se malitiam effectus, cum quo facit moraliter vnum. Antecedens probatur, nempè turpiloquium esse propriè causam influentem in cogitationem adulterij, quia obiectum propositum est verè, & propriè causans cogitationem, quæ ab ipso obiecto specificatur; Sed turpia loquens proponit obiectum prauæ cogitationis; Ergo verè, & propriè causat, & influit in illam cogitationem adulterij.

Tertiò eadem specie peccati peccat is, qui desiderat fornicationem, ac is, qui se exponit periculo fornicationis; ergo eadem specie peccat is, qui desiderat proximum ex suo turpiloquio fornicari, ac is, qui suo turpiloquio exponit proximum periculo fornicationis.

Quartò, quælibet virtus non solùm me obligat, vt eam in me ipso procurem, sed etiam me obligat, vt non impediam proximum ab eius virtutis exercitio, seù obseruantia, sed turpia loquens, & præuidens, quamuis non intendens proximum adulteraturum, impedit in proximo exercitium virtutis castitatis, & fidei matrimonialis; ergo turpia loquens peccat contra castitatem, & fidem matrimonij, & sic peccat eadem specie adulterij, qua scandalizatus adulter.

Quintò, magnum est discrimen inter omissionem correctionis, & scandalum indirectum, nam omissio correctionis est pura omissio, & sic non est propriè causa influens in adulterium, quare omittens correctionem peccat contra solam charitatem, non autem peccat contra fidem Matrimonij, aut castitatem, quia virtus castitatis non me obligat, vt per correctionem procurem illam in alio, sed sola charitas ad id me obligat: At scandalum actiuum indirectum, non est pura omissio, sed est positiua commissio, & sic est propriè causa influens in adulterium, quare scandalizans non solum peccat contra charitatem, sed etiam contra castitatem, & fidem Matrimonij, quia quamuis istæ virtutes castitatis, & fidei Matrimonij me non obligent ad eas procurandas in alijs, me tamen obligant, vt non causem opposita vitia in alijs, aut quod non impediam earum virtutum exercitium in alijs; impedio autem per turpiloquium, & verè causo opposita vitia per turpiloquium.

Ad primum itaque argumentum Eminentissimi Lugo duplex est responsio. Prima est, quod in sententia eorum, qui docent inducentem indirectè proximum ad peccatum, non peccare ea specie peccati, qua proximus peccat, rectè infertur, vt optimè arguit Lugo, non teneri aperire in confessione speciem peccati, ad quam indirectè proximum scandalizans induxit, quia tunc scandalizans eandem speciem peccati contrahit, siue indirectè inducat in adulterium, siuè in sacrilegium, siuè in furtum, siuè in periurium, nam probabilior sententia est circumstantias non mutantes species non esse aperiendas in confessione, quare cùm probabiliter defendatur, quod scandalum indirectum non est in eadem specie peccati, qua scandalizatus peccat, probabile quoque est non esse in confessione aperiendam speciem peccati ad quam proximum turpiloquio induxisti.

Respondetur secundò, si attentè legantur Doctores, quos affert Lugo, isti non negant scandalizantem indirectè peccare eadem specie peccati, qua peccat scandalizatus, sed dicunt quod per se, & directè, ac immediatè peccant contra solam charitatem, ita Sanchez *d.l.1. c.6. num.5.* Coninch *de Char. disp.32. num.46.* & Suarez verò *de Char. disput.10. sect.2. num.10.* expressè docet contrahere duplicem malitiam, quare non negant, quod scandalizans mediatè, indirectè, per accidens, & secundariò peccet peccato iniustitiæ, aut adulterij, qua specie peccat scandalizatus; imò Sanchez ex hac ratione ait, quod quamuis peccet peccato iniustitiæ indirectè inducens ad furandum, tamen non tenetur ad restitutionem, quia tale scandalum est in specie iniustitiæ indirectè, & reductiuè secus est si consuleret furtum, quia tunc directè peccaret contra iustitiam. Quarè quomodocumque sit, cùm contrahat indirectè scandalizans duplicem malitiam scandali, & adulterij, cùm istæ sint circumstantiæ mutantes speciem, sunt omninò in confessione aperiendæ.

Ad secundum, & tertium argumentum patet ex dictis.

Ad quartum argumentum Respondetur, quod scandalizans indirectè, non dicitur non procurare castitatem proximi, neq; dicitur non impedire fornicationem proximi, quinimmò dicitur quodammodo procurare fornicationem, imò verè, & propriè impedit castitatem, dum indirectè inducit in fornicationem, & est causa fornicationis.

Ad quintum Respondetur, Apostolum non reprehendere scandalizantem tamquam Idolatram, quia illa species malitiæ Idolatriæ non primariò, & per se contrahitur, quare solum scandalum, & charitatem inculcat, cum per se, & primariò scandalizans peccet contra solam charitatem.

QVÆSTIO III.

An Mulier sollicitans Iuuenem ad fornicationem, ea sequuta, teneatur in confessione explicare circumstantiam scandali, seu sollicitationem?

SVMMARIVM.

Affirmatiua sententia est communis. num.1.
Negant alij probabilius. num.2.

1 AFfirmant communiter ita Sanchez *lib.1. Sum.c.6. numer.14. & Io.* Sanchez *in Selectis, disp.1. numer.24.* qui notant, quod quando homo mulierem sollicitat, non est explicanda scandali circumstantia, quia à communiter accidentibus, ea intelligitur, secus si fœmina sollicitet iuuenem. Lorca 2.2. *qu.43. disp.56. numer.6.*

numer.6. vbi oppositam sententiam dicit temerariam, Villalobos *in Sum. tom.2. tract.3. diffic.8. num.3.* Beccanus 2.2.*cap.27.quæst.2.nu.5.* Valentia 2. 2.*disp.3. qu.18. punct.2. ad finem in solutione ad 3.* Lopez *in instruct.p.1. cap.73.* Azor *lib.12.cap.16.quæst. 5.* Coninch. *de char. disp.32. dub.5. num.35.* Diana *par.3. tract.4. resol.114.*

Fundamentum huius sententiæ est, quia illa inductio ad peccatum fornicationis cōtinet peculiarem malitiam scandali, quæ est diuersa à specie, seu malitia fornicationis; ergo est circumstantia mutans speciem, & sic necessariò fatenda.

2 Negant verò probabilius Vasquez 1. 2. *qu.91. dub.4. num.7.* Eminentissimus Lugo *de pœnit.disp.16. num.142.* Meratius *tom.3. de pœnit. disp.27. sect.4.num.8.* vbi post Vasquez docet, non esse confitendam circumstantiam inductionis, seu scandali, quando peccatum tale est, vt nonnisi à duobus committi possit, vt fornicatio, adulterium, &c. secus verò si peccatum per se non requirat à duobus committi, vt homicidium; quarè satis non est dicere cooperatus sum alteri occidenti inimicum, sed oportet fateri se induxisse illum ad occisionem.

Probat Lugo, quia illa eadem malitia habetur, quamuis non ita grauis, quando quis non sollicitat, adhuc enim participat in suo peccato, & est causa cooperans ad suam ruinam; Ergo hæc malitia sollicitationis ad fornicationem solum aggrauat intra eandem speciem, & sic non est necessariò, sicut nec aliæ circumstantiæ aggrauantes, explicanda in confessione.

Probo secundò, quia media, quæ per se sunt ordinata, & proportionata ad finem ab ipso fine participant malitiam, & constituunt vnum peccatum, cum ipso fine, neq; ea media sunt seorsim in confessione explicanda, sic iter ad concubinam, oscula, & amplexus, ac verba turpia non sunt explicanda, sed sufficit confiteri fornicationem, quia non constituunt diuersum peccatum à fornicatione, & tantum eam aggrauant; Ergo etiam sollicitatio ad fornicationem cum ista vnum peccatum constituit, neq; seorsim explicanda est.

Probo tertiò, nam qui se exponit proximo periculo peccandi, & deinde peccat, non tenetur illud periculum explicare; ergo qui per sollicitationem ad fornicationem exposuit proximum periculo peccandi, sequuta fornicatione, satis est hanc fateri, neque illa sollicitatio explicanda est.

Obijc. nam idem Lugo *de pœnit.disp.16.num.140.* docet diuersæ speciei esse frangere fidem Matrimonij, vt cùm coniugatus cognoscit solutam, ac cooperat alteri frangenti fidem matrimonij, vt cùm solutus cognoscit coniugatam: ergo diuersa species malitiæ est, fornicari contra Castitatem, ac cooperari fornicationi alterius, sollicitando ad fornicandum; ergo sollicitatio addit diuersam speciem malitiæ supra fornicationem.

Respondetur, diuersa species malitiæ est fornicari, ac cooperari fornicationi, sollicitando ad fornicandum distinguo; si quis sollicitat ad fornicandum cum diuersa persona concedo, nam diuersa species est esse lenonem, ac esse fornicatorem: Si quis sollicitat ad fornicandum cum seipso; Nego; quia tunc sollicitatio mea, v. g. est medium ad meam fornicationem, medium autem constituit vnum peccatum cum fine & participat eandem malitiam finis.

QVÆSTIO IV.

An qui turpia verba, tactus, & oscula, etiam secretiorum partium, cum muliere habuit, aut his sollicitauit ad copulam, sufficienter confiteatur, dicens, actus inhonestos cum muliere habui, & eam ad copulam sollicitaui?

SVMMARIVM.

Negatiua sententia est communis. num.1.
Affirmatiua sententia est probabilior. num.2.
Diuersa iniuriosa verba eodem iræ impetu proferens, vnum peccatum committit. num.3.
Quicumq; tactus de se est indifferens. num.4.
Quomodo teneatur confiteri, qui affectu libidinoso, cum muliere loquitur? num.5.
Quid si prauo animo tetigit? num.6.
Quomodo sufficienter explicentur aliqui tactus inhonesti? num.7.

1 NEgant communiter Doctores, sed sigillatim ea turpia media, quantum honestè fieri potest explicanda; v. g. dicendo, se ea intentione loquutum fuisse verba turpia, aliam toties fuisse osculatum, circa tales partes, eamq; tetigisse, ita Coninchius, qui de communi testatur *de Sacram. disput.7. dub.7. nu.56.*

Probat, quia hi actus sunt per se distincta peccata mortalia, nec aliter explicari possunt.

2 Affirmandum autem probabilius puto sufficienter aliquem ista confiteri, dicendo: *inhonestos actus cum muliere habui, & eam ad copulam sollicitaui.*

Probo omnes isti actus inhonesti sunt eiusdem speciei, & constituunt vnum numero peccatum mortale, in ordine ad confessionem; ergo sufficienter ita explican-
3 tur, sicuti iuxta probabilem sententiam, eodem sermone diuersa iniuriosa verba in proximum dicens, vt si latronem, sodomitam, falsarium, blasphemum appellet, vnum numero peccatum committit, omnia enim ea verba habent eandem malitiam contra iustitiam, lædendo honorem proximi, & magis, ac minus non variant speciem; vnde talis sufficienter confitetur, dicendo semel iniuriosa verba in proximum protuli, ita Fagundez *præcep.2. lib.3. cap.5. num.3.* Azor. *tom.1.lib.4.cap.4.qu.5.* Filliuc. *tract.21.num.322.* Rebellius *de Iust. par.1. lib.2. quæst.17. sect.2. num.3.* Io. Sanchez *in Selectis, disp.5. num.10.* Diana *p.1. tract.7. resol.28.* Ergo à pari, cùm verba turpia, tactus, & oscula, quarumcumq; partium, eandem habeant specie malitiam contra Castitatem, quia ordinantur ad copulam, aut ad pollutionem, & ad eandem disponunt, quamuis magis, & minus ad eam disponant, proinde si fiant eodem impetu luxuriæ, constituunt vnum specie peccatum mortale: vnde sufficienter, quis confitetur dicens: *tactus inhonestos cum muliere habui, & eam ad copulam sollicitaui.*

Probatur secundò, quia verba, tactus, & oscula, non sunt de se, & intrinsecè mala S. Thom.2. 2. *quæst.154. art.4.* quem omnes sequuntur, imò tactus, quibus vir pudenda fœminæ attrectat, indifferentes esse, docent Nauar. *in c.si cui de pœnit. dist.3 num.13.* Sanchez *de Matrim lib.9. disp.46. num.2.* totam autem malitiam participant

cipant

cipant ab actu interno libidinoso, à quo per denominationem extrinsecam fiunt formaliter mali; ergo participant eandem specie malitiam, quia ordinantur ad vnam fornicationem.

Confirmatur, & explicatur magis, præcedens argumentum, nam verba, tactus, & oscula, ex se sunt indifferentia, & non sunt obiectiuè mala, & totam malitiam habent à fine extrinseco ad quem ab actu interno libidinoso ordinantur, vt docet Suarez *par.2 tract.3. disput.2. sect.3. num.22.* Ergo non habent diuersam specie malitiam, nam vel diuersa species malitiæ, esset malitia obiectiua, & intrinseca, & hoc non, quia tales actus exteriores, ex obiecto, non sunt mali, sed indifferentes, vel diuersa species malitiæ esset à fine extrinseco, & neq; hoc, quia à voluntate libidinosa ordinantur ad eundem finem copulæ fornicariæ; Ergo, verba, tactus, & oscula turpia, cùm sint eiusdem speciei, sufficienter explicantur dicendo: *actus inhonestos cum muliere habui.*

5 Infertur primò, ex dictis, si quis ex affectu libidinoso cum muliere, loquatur, siue verba ex se sint indifferentia, siue turpia, rectè confitetur dicens *libidinoso affectu, alloquutus sum mulierem*, si tamen dedit ei occasionem ruinæ debet id explicare, dicens: *eisq; verbis scandalum*
6 *illi præbui*: similiter, si eodem prauo animo tangat mulieris manus, faciem, mammillas, aut verenda, rectè confitebitur, *inhonesto animo tetigi mulierem*, debet tamen, secundum aliquos, explicare circumstantiam scandali, quam verè exprimit, si dicat inhonestè tetigi; idemque de osculis dicendum, quæ quamuis essent partium verendarum, sufficiet dicere: *osculatus sum mulierem.* Insuper verba tactus, & oscula, quæcumq; sint, vnico verbo explicare poterit, dicens: *semel inhonestè egi, aut conuersatus sum cum muliere.*

Ratio est, quia quæcumq; dispositiones prædictæ ad copulam, habent eandem specie malitiam contra Castitatem, & omnia illa verba, tactus, & oscula constant vnum peccatum præparationis, seu dispositionis ad fornicationem.

7 Infertur secundò, si quis incubans super mulierem, veluti copulam fornicariam exercens, sed cum animo non penetrandi vas, intra eius crura se polluat, vel non se polluat, sed solùm constituit se in proximo periculo pollutionis, sufficienter se explicat sic, *tactu mulieris solutæ pollutus sum*, vel *fui illius tactu inhonesto in proximo periculo pollutionis*, nisi morosè delectatus esset de cogitatione copulæ fornicariæ, debet tunc addere, *& morosè delectatus sum de copula fornicaria cogitatione.* Similiter si quis alterius adolescentis manibus polluatur, aut veluti copulam sodomiticam exercens cum adolescente, absque animo penetrandi præposterum vas, sufficienter confitebitur, dicens *adolescentis tactu pollutus sum*, neq; debet vlterius explicare, nisi in hoc vltimo casu, morosè delectatus esset de cogitatione copulæ sodomiticæ, tunc debet etiam exprimere, *& habui in eo actu delectationem morosam de cogitata copula sodomitica.* Quod maximè aduertant Confessarij, quando coniugati se accusant à parte posteriori intra naturale vas cognouisse vxorem, etenim hoc si absque causa fiat, est peccatum veniale; si cum causa nullum peccatum; at prorsùs grauissimum peccatum delectationis morosæ copulæ sodomiticæ, plerumque adest in eo actu.

QVÆSTIO V.

An venerea delectatio sit eiusdem speciei cum opere, & quid de actibus exterioribus, vt tactibus, osculis ab illa procedentibus?

S V M M A R I V M.

Prima Conclusio delectatio morosa habet malitiam contra Castitatem tantùm. num.1.
Secunda Conclusio delectatio morosa eius, qui Castitatem absolutè vouit, habet malitiam sacrilegij. num.2.
Coniuges pari consensu vouentes Castitatem sacrilegium admittunt, si morosè delectantur. num.3.
Secus si sine consensu alterius voueat castitatem, contra Dianam. num.4.
Tertia Conclusio coniugatus, qui morosè delectatur de copula cum soluta, peccat contra castitatem tantùm. nu.5.
Coniugatus, qui morosè delectatur ex tactu obsceno, peccat contra Iustitiam, peccato adulterij. num.6.
Quinta Conclusio Coniugatus, qui morosè delectatur ex osculo exteriùs honesto, peccat contra castitatem tantùm. num.7.
Opinio ista est singularis contra omnes, sed probabilis. nu.8.
Quando dicatur hæresis externa? num.9.

1 Dico primò, declaratio morosa, qua solutus delectatur de cogitatione copulæ cum coniugata, aut cum consanguinea, rapta, voto Castitatis adstricta, &c. prçter malitiam contra castitatem, non habet aliam speciem malitiæ cũ ipso opere, ita probabilius docent Vasq. 1.2. *disp.*112. *cap.*2. Sayr. *in Claui regia lib.9. cap.7. nu.*10. Reginald. *lib.* 12. *num.*13. Tannerus 1. 2. *disp.*4. *quæst.*8. *dub.*8. *numer.* 149. Salas 1. 2. *tom.*2. *disput.*6. *num.*56. Azorius *tomo* 1. *lib.*4. *cap.*6. *quæst.*3. *Sà v. luxuria num.*13. Castropalaus *tract.*2. *disp.*2. *pun.*10. §.4. Diana *par.*1. *tract.*7. *res.*48. Coninchius *de Sacram. disp.* 34. *num.*108.

Quamuis contraria opinio sit magis communis, quã docuerunt Caietan. 2.2. *quæst.*154. *art.*4. Nauar. *cap.*16. *num.*9. Sanchez *in sum. lib.*1. *cap.*2. *nu.*11. Lorca 1. 2. *tom.*2. *disp.*28. *de peccatis mem.*3. Lessius *lib.*4. *cap.*3. *dub.*15. *num.*123. *in fine*, Rodriquez *in sum. tom.*3. *cap.* 101. *num.*3. Bonacina *de matrim. quæst.*4. *pun.*8. *nu.*18.

Probatur nostra sententia, quia hoc est discrimen inter voluntatem efficacem, qua quis efficaciter vult opus & voluntatem inefficacem, qua simpliciter delectatur de operis cogitatione: Nam obiectum voluntatis efficacis est opus ipsum, cum omnibus suis circumstantijs, quia voluntas efficax per se tendit ad ponendum opus à parte rei, cum illis circumstantijs; sicut cum causa Physica producit effectum, producit quoque omnia eius accidentia: ergo voluntas efficax adçquatè participat totam malitiam operis: ergo si opus est adulterium, incestus, &c. etiam ipsa voluntas efficax habet in se malitiam adulterij, incestus, &c. Obiectum autem delectationis morosæ, non est opus externum, vt ponendum à parte rei cum proximi iniuria; sed est ipsa cogitatio operis, seù opus, quatenus cogitatum delectat; ergo cùm cogitatio ipsa non sit iniuriosa coniugi, v. g. aut consanguineæ, non habet ea declaratio malitiam adulterij, aut incestus.

Confir-

Confirmatur, nam potest quis delectari de re mortali, absque vllo peccato, v. g. delectatur quis de cogitatione raptus, non quatenus iniuriosus parentibus, neque quatenus delectabilis sensui, sed quatenus ingeniosus, subtilis, ac nouus modus rapiendi est, tunc vtique non peccat: Ergo etiam cum quis delectatur de copula cogitata cum coniugata, non quatenus iniuriosa est coniugi, sed quatenns sensui delectabilis est, tunc vtique peccat contra Castitatem, non contra Iustitiam.

2 Dico secundò, Voto Castitatis adstrictus delectans se morosè, peccat peccato sacrilegij, si absolutè castitatem vouit, ita omnes, & patet manifestè, nam vouit non solùm opere externo, sed neque vllo actu interno contra Castitatem peccare, sibique per votum omnem veneream delectationem interdixit: secus si quis voueret non simpliciter, & absolutè castitatem, sed tantùm non agere contra illam opere exteriori, tunc enim delectatione morosa non peccaret contra votum. Ita Gaspar Hurtadus *de subiecto peccat. disp.4. diffic.10.* & Diana *p.5. tract.13. resol.99.*

3 Infertur primò, ex dictis peccare contra votum coniuges, qui pari consensu castitatem vouerunt, si morosè delectentur, Pontius *de Matrim. lib.10. cap.16. num.12.* ratio est, quia tale castitatis votum absolutè, & simpliciter omnem veneream delectationem coniugatis interdicit, perinde, ac si soluti essent.

4 Infertur secundò, contra Dianam, & alios penes ipsum *par.3. tract.6. resol.73.* non peccare contra votum coniugem, qui sine consensu alterius castitatem vouit. Primò, quia iste implicitè vouit non petere; ergo non vouit absolutè, & simpliciter, sed tantùm ab opere externo petiti concubitus se abstinere promisit; At qui vouit opere externo non peccare, cum morosè delectatur non agit contra votum, vt dixi. Secundò, quia huic copula coniugalis non est simpliciter interdicta, sed tantùm petita: ergo si opus simpliciter illi non est illicitum neque illicita erit eius delectatio, præsertim cùm delectetur non de petitione, quæ illi prohibetur, sed de copula. Tertiò, quia alioquin talis vouens esset in grauissimo periculo suæ salutis, etenim difficillimum est, post redditum coniugale debitum, de illo non delectari.

5 Dico tertiò, Coniugatus, qui morosè delectatur de copula cogitata cum soluta, peccat contra castitatem tantùm, non autem contra iustitiam peccato adulterij, ita Gaspar Hurtadus *de subiecto peccat. disp.4. diffic.10.* Castropalaus *tomo 1. tract.2. disp.2. pun.10. §.4. num.4.* & probabiliter putat Diana *par.5. tract.13. resolut.99.* contra Sanchez *de Matr. lib.9. disp.46. num. 19.* & Vasq. *1.2. disp.112. cap.2.* in fine, qui tamen non putat id esset certum.

Probatur, quia sicut non peccat contra obedientiam Subditus, qui quò ad actus internos non paret Superiori, vndè internus hæreticus non est excommunicatus; ratio est, quia cùm non possit de internis actibus, quos non videt Superior iudicare, ideò quoad illos ei non subijcitur: ita coniux non peccat contra iustitiam, seu contra legem contractus coniugalis, per delectationes merè iuternas, nam quilibet contractus instituitur inter partes, quoad actus externos.

6 Dico quartò, si Coniugatus habeat tactus, & oscula, aut alios exteriores actus, qui exteriùs quoque apparent esse inhonesti, & ex obsceno animo procedere, peccat peccato adulterij contra iustitiam, quamuis interiùs morosè tantùm delectetur, ita omnes; Abluens. *in Matth. c.5. quæst.197.* Caiet. *2. 2. quæst.154. art.4. §. ad euidentiam.* Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.46. num.18.* & alij.

Probatur primò authorit. S. Io. Chrysostomi *in Matth. homil.17.* in illa verba. *Qui viderit mulierem*, vbi ità scribit, *sicut temerè irasci, ita etiam temerè videre, si id ad libidinem facias, si enim vis videre, atque ex visu capere voluptatem, aspice propriam Coniugem; & illius vsque amore perfruere, hoc enim nulla lex prohibet omninò, si verò alterius venustatem penitus intuebere, etiam tuam iniuria afficis, à qua in aliam oculos auertis, & ista etiam, quam coutueris, nefariè illam tangens, si enim non illam attrectasti manu, sed oculis tantum, ast voluntate palpasti., propterea hoc proculdubio adulterium reputatur.* Ità Chrysost.

Probatur secundò, ratione, quia fides matrimonij prohibet omnem actum exteriorem venereum, cum aliena: ergo iste actus exterior venereus præter malitiam contra castitatem delectationis morosè, habet malitiam adulterij.

7 Dico quintò, si Coniugatus ex interna delectatione morosa de copula cogitata cum aliena, hanc aspiciat, tangat, osculetur, ita tamen, vt ex more patriæ, aut aliundè exteriùs appareant honesti aspectus, tactus, & oscula, tunc non peccat, nisi contra castitatem, non au-
8 tem peccato adulterij contra iustitiam. Hæc opinio videtur contra omnes Doctores, qui indistinctè docent, in tactibus, & osculis, necessariò fatendas esse circumstantias agentis, & patientis, sicut in copula ipsa, vt docet post alios Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.46. nu.18.* quorum fundamentum est, quia quamuis tangens, aut osculans non intendat copulam, tamen tactus, & oscula libidinosa suaptè natura ad copulam referuntur; ergo sunt eiusdem malitiæ moralis, cuius est actus consumatus copulæ.

Contrariũ tamen videtur probabilius ex sequentibus.

Primò, quia contractus matrimonialis non obligat coniugem coniugi seruare fidem, nisi quoad actus externos tantùm, nullus enim contractus, nisi quoad externos actus instituitur; sicut etiam subditus non nisi quoad actus externos superiori subijcitur: Sed aspectus, tactus, & oscula honesta, seù quæ exteriùs honesta apparent, non sunt actus externi contra fidem matrimonij; ergo per eos non peccat coniux contra iustitiam, seù contra fidem matrimonij. Id explicatur clariùs exemplo hæresis, ex qua, si sit merè interna, non incurritur excommunicatio, vt docent communiter Filliucc. *tract.22. cap.6. num.182.* Diana *par.1. tract.5. resol.1. par.4. tract.4. resol.240.* Carena *tract. de Sancto Officio,*
9 *par.2. tit.2. §.7. nu.45.* vt autem incurratur excommunicatio debet hæresis interna sufficienti signo externo manifestari, quare si quis ioco, aut aliter aliquid diceret, quo haberet animum manifestandi suam hæresim, sed nemo prudens eo signo suspicaretur de illo hæreticum animum, non iste non esset dicendus hæreticus externus, neque incurreret excommunicationem, ita Granado *2. 2. Controu.1. tract.15. disp.13. num.14.* Diana *par.4. tract.4. resol.240.* Ergo si nemo prudens per honesta oscula ex more Patriæ, aut per honesta verba aspectus, & tactus, libidinosum animum suspicari posset, vtique iste non peccat per actus externos, neque contra iustitiam, seù datam fidem coniugalem.

Pro-

Probatur secundò, quia quamuis quando, coniugatus efficaciter vult copulam, tunc vtiq; peccat contra datam fidem matrimonij, quia efficaciter vult actum externum adulterij; at secus est quando delectatur tantùm morosè de cogitatione copulæ, & ex ea delectatione tangit, osculatur (apparenter tamen honestè) nam iste actus exterior tactus non potest habere maiorem malitiam, quàm habeat actus internus delectationis morosæ, quia actus exterior est formaliter malus, per malitiam actus interni, à quo denominatur extrinsecè malus: Sed actus internus delectationis morosæ, non habet malitiam adulterij, vt suprà probaui, ergo neque actus externus habet malitiam adulterij.

Probatur tertiò, quia tactus, & oscula exteriùs honesta, neque ex natura sua, seù ex intentione operis, neque ex intentione operantis ordinantur ad copulam adulterinam; ergo non habent malitiam adulterij. Probatur antecedens; nam si tactus honestus exteriùs ex natura sua ordinaretur ad adulterium, vtique neq; cum recta intentione liceret, neque ad adulterium ordinatur ex intentione morosè delectantis se, & ideò tangentis, quia delectans se morosè abhorret à copula, ergo nullo modo talis tactus ad adulterium ordinatur.

QVÆSTIO VI.

An coniux libidinosè se tangens absente altero coniuge, absque pollutionis periculo peccet mortaliter?

SVMMARIVM.

Affirmant communiter. num. 1.
Negant alij probabilius. num. 2.
Coniugati licitè delectantur de copula præterita, aut futura. num. 3.
Licita est coniugatis delectatio de alteratione, aut turpi motu sequuto ex cogitatione copulæ, etiam si adsit distillatio. num. 4.
Licitum est coniugibus inhonestè se tangere, quamuis deliberati sint abstinere à copula. num. 5.
Licitum est viro se retrahere, & non consumare copulam. num. 6.
Tactus genitalium per se est indifferens. num. 7.

1 Affirmant communiter Doctores ita Vasquez 1. 2. *disp.* 113. *cap.* 2. *in fine.* Salas *p.* 2 *tom.* 2. *tract.* 13. *disp* 6. *sect.* 20. *num.* 129. Armilla *V. impudicitia num.* 3. Io. Sanchez *disp.* 21. *num.* 26. Layman *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 12. Montesinus *p.* 2. *qu.* 74. *art.* 8. *quæst.* 5. *in fine* Trullench *in decalog. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 12. Io. de la Cruz *in direct. par.* 1. *præcep.* 6. *art.* 9. *dub.* 12. Diana *par.* 2. *tract.* 17. *resol.* 37. *par.* 3. *tract.* 4. *res.* 215. *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 137.

Probant primò, quia intrinsecè malum est, vt quis vtatur proprio corpore ad explendum secum libidiné.

Probatur secundò, quia non licet coniugi, nisi actus coniugalis: at tactus in absentia non est actus coniugalis; cùm non fiat cum coniuge, neque ordinetur ad coniugalem copulam; ergo est illicitus.

2 Negant probabilius id esse peccatum mortale Thomas Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 44. *num.* 16. Præpositus 3. *par. quæst.* 6. *dub.* 26. *num.* 188. Hurtadus *de matrim. disp.* 10. *difficul.* 10. *num.* 47. Petrus Ochagauia *de Sacram. tract.* 5. *quæst.* 12.

3 Probatur primò, licita est in absentia coniugis delectatio morosa de copula coniugali præterita, aut futura cogitata, vt præsenti (si tamen absit pollutionis periculum) vt contra Nauarrum *cap.* 16. *num.* 10. & Bordonum *in resolut. Regularium tom.* 2. *resol.* 74. *quæst.* 2. *num.* 6. docent magis communiter Doctores, & expressè docent Paludan. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 7. Gerson *alphab.* 38. *lit. D.* S. Anton. 2. *par. tit.* 5. *cap.* 1. §. 5. Caiet. 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. *& in Summa verbo delectatio* §. *secundum ea.* Armilla *num.* 4. Vasquez 1. 2. *disp.* 113. *cap.* 2. Sanchez de *Matrim. lib.* 9. *disp.* 44. *num.* 3. Hurtadus *de Matrim. disp.* 10. *difficul.* 10. *num.* 47. Sayrus in Claui regia *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 21. Castropalaus. *tom.* 1. *tract.* 2. *pun.* 10. §. 2. *num.* 17. Io. Præpositus 3. *par. quæst.* 6. *de bonis Matrim. dub.* 26. *num.* 192. Ochagauia *tract.* 5. *de Matrim. quæst.* 12. Perez *de Matrimonio disp.* 54. *sect.* 1. *num.* 7. Bossius *tract. de scrupulis* §. 7. *num.* 152. Dicastillus *de Iustitia lib.* 1. *disp.* 3. *dub.* 15. *num.* 220. Diana *par.* 9. *tractat.* 8. *resol.* 4. Pater Lanfranchus *Opusc. Moralium tom.* 2. *Opusc.* 19. *cap.* 8.

4 Ergo remoto pollutionis periculo, licitum est voluntariè delectari de alteratione, ac turpi commotione genitalium, causata ab imaginatione, ac delectatione morosa copulæ coniugalis absentis coniugis, etiam si sequatur cum aliqua distillatione, ita Vasquez, Sanchez, & Hurtadus vbi suprà, Layman *lib.* 1. *tract.* 3. *capit.* 6. *numer.* 14. Medina 1. 2. *quæst.* 74. *artic.* 8. *dub.* 1. Zumel *ibid. disp.* 4. *dub.* 3. Curiel. *dub.* 3. §. 2. *diffic.* 3. Zanardus *in director. par.* 1. *tract. de Matrim. cap.* 41. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 200.

Ergo si licitum est ex imaginatione venerea causare motum, & alterationem genitalium, absente coniuge, eoque motu voluntariè delectari, cur non erit licitum tactu eundem motum causare? Probo consequentiam; nam non minus imaginatio copulæ est Phisica causa motus genitalium, vt patet experientia, ratione sympathiæ, quæ est inter potentiam imaginatiuam, & generatiuam; quàm tactus est causa eiusdem motus: ergo si licet in absentia coniugis causare illum motum per imaginationem, cur non etiam per tactum?

Respondet Vasquez discrimen est, quia priori illo modo alteratio sequitur naturaliter ex cogitatione, & delectatione licita, aut non mortali cum coniuge; sed prouocare naturam tactibus, nec est actus coniugalis, cùm non fiat cum coniuge, sed ea absente; nec ex actu coniugali adhuc cogitato ortum habeat, nec ad finem coniugij ordinatur, vt supponimus, quare reduci non potest ad coniugium aliquo modo, vt à mortali excusetur.

Contrà, nam non ideò potest delectari coniugatus de motu genitalium, quia oritur à causa licita, nempè ab imaginatione coniugalis copulæ, vt perperam docuit Vasquez, alioquin potest solutus delectari de eodem motu, qui oriretur à causa licita honesti osculi, iuxta morem Patriæ; alioquin posset quoque coniugatus delectari de pollutione extra vas, quæ oriretur à causa licita imaginationis copulæ coniugalis; ergo ideò licitè coniugatus de eo motu delectatur in absentia coniugis, quia talis motus semper est licitus ex se in statu coniugali. Ratio à priori est, quia ex statu coniugali honestantur præparatoria copulæ, prout est motus, præparatoria autem copulæ licita sunt, quamuis copula non sequatur,

vt

vt docent omnes, nam ad honestatem præparationis sufficit, quod per se, & ex natura sua disponat ad copulam, quamuis ista per accidens non sequatur, vt mox dicam; ergo si motus membrorum per se licitus est in statu coniugali; etiam in absentia coniugis, sequitur quod non solùm per cogitationem, sed etiam per tactum procurari potest.

Probatur secundò, nam ad hoc, vt tactus, motusque membrorum ordinetur ad copulam, idem omninò est coniugem esse absentem, ac esse deliberatum non extendendi copulam: sed licitum est coniugi se tangere,
5 quamuis deliberatus sit non vltra progredi, quia in statu matrimoniali tales delectationes ex tactibus non sunt in graue damnum prolis, vt docent Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.46. nu.43.* Salas 1.2.*tom.2.quæst.74.tract.13. disp.6. sect.18. num.123.* Villalobos *in Sum. tom.1. tract. 13. diffic.42. num.1.* Pontius *de Matrim. lib.10. cap.11. numer.9.* Diana *par.3. tract.4. resol.* 226. immò coniuges se tangentes absque intentione futuræ copulæ, neque venialiter peccant, si hoc faciant ad carnis tentationes sedandas, Io. Præpositus 3.*par. quæst.6. de bonis Matrim. dub.26. num.*188. Diana *par.9. tract.8. resol.44.* Ergo etiam licitum est coniugi se tangere, in absentia coniugis; quid enim refert, vt tactus ordinetur ad copulam, coniugem esse absentem, vel præsentem, si omninò deliberauit non copulari?

6 Confirmatur, nam licitum est viro inchoare, & non absoluere copulam ante seminationem, dummodò absit periculum pollutionis extra vas, ita Paludan. *in 4. dist. 31. quæst.3. art.2.* S. Antonin. 3.*par. tit.1. cap.20. §.6.* Caietan. 2. 2. *quæst.154. art.1. §. ad 2. verò casum*, Angelus *V. debitum coniugale num.7.* Armilla *numer.9.* Sà *num.17.* Pontius *de Matrim. lib.10. cap.11. num.9.* Sanchez *lib.9. disp.19. num.3.* Layman *lib.3. sect.4. num.9.* Io. de la Cruz *in direct. par.2. de Matrim. quæst.3. dub.6. concl.3.* Diana *par.3. tract.4. resol.204. & 227.* Ergo licitum est sistere in ipsa præparatione, & non consumare copulam; ergo impertinens est coniugem esse præsentem, vel absentem.

Probatur tertiò, quia ideò solutus illicitè morosè delectatur, aut se tangit, quia huiusmodi delectatio, & tactus per se ex natura sua disponunt ad copulam, quæ illicita illi est in eo statu, quamuis hæc non sequatur; ergo ideò coniugatus licitè morosè delectatur, ac se tangit etiam absente coniuge, quia huiusmodi tactus per se, & ex natura sua disponit ad copulam, quæ licita illi est cum sua coniuge, quamuis hæc per accidens non sequatur, quia est impossibilis.

7 Probatur quartò, quia tactus genitalium ex se est indifferens, neque ex obiecto malus, vt docet S. Thom. 2. 2. *quæst.154. art.4.* Nauar. *in c. si cui de pœnit. dist.1. nu. 13.* Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.46. num.2.* immò ipsa confricatio honestari potest, ex fine honesto sedandi pruritum, vt latè probat Io. Sanchez *in Select. disp.21. num.29. & seq.* Thomas Sanchez *lib.9. disp.45. num.9.* Layman *lib.3. sect.4. num. 13.* Ergo tota malitia tactus deriuatur à fine, seu ab interno actu voluntatis à quo tactus imperatur: sed coniugato, etiam absente coniuge, licitum est voluntariè delectari de cogitatione copulæ, licitum quoque est voluntariè delectari de motu, & alteratione membrorum, vt concedunt Vasq. & alij supra adducti: Ergo tactus, qui imperatur à fine, seu à voluntate se delectandi de sequutura alteratione licitus est.

Ex his patet responsio ad contraria.

Ad primum respondetur tunc illicitum esse vti proprio corpore ad explendum secum libidinem, quando secum coniux venereum actum consumat, per pollutionem extra vas, quando autem non sequitur pollutio, tūc non dicitur secum explere libidinem, sed tantùm præparari per tactus ad copulam coniugalem, ad quam per se ex natura sua disponunt, quamuis per accidens deindè, vel propter absentiam, vel propter determinationem non congrediendi, ea non sequatur.

Ad secundum Respondetur, quòd tactus in absentia coniugis, dicitur actus coniugalis: ratio est, quia per se tactus disponit ad aliquam copulam vagè: determinatur autem ad talem copulam coniugalem, vel ab expressa voluntate se tangentis, vel à voluntate interpretatiua, & à statu coniugali, alioquin peccaret se tangens in præsentia suæ coniugis, nisi actu ad coniugem eam delectationem explicitè referret, quod est nimis durum, ac scrupulosum. Infertur ex dictis, quod non peccat mortaliter coniugatus, qui ex voluptate carnali se tangit, absque pollutionis periculo, siue præsente, siue absente coniuge; etiam si cùm se tangit nullatenus cogitet, neque referat eos tactus ad coniugem, seù ad copulam coniugalem. Ratio est, quia cùm tactus ille sit indifferens, seù aptus referri ad copulam coniugalem, vel fornicariam, determinatur à statu coniugali, vt ex se referatur ad coniugalem copulam, ita Io. Præpositus 3. *p. q.6. de bonis matrimon. dub.26. nu.188.* Perez *de matrim. disp.53. sect.2. nu.6.* quamuis oppositum doceant Dicastillus *de Iustitia lib.1. disp.3. dub.15. numer.218.* Diana *p.9. tract.8. resol.44.*

QVÆSTIO VII.

Quæ requirantur ad concubinatum, vt nequeat absolui, cùm reseruatur?

SVMMARIVM.

Quatuor requiruntur. num.1.
Primò, quòd multorum libidini non pateat. num.2.
Secundò, requiritur pluritas copularum, seù consuetudo. num.3.
Quid si sodomiticè abutatur, aut pollutiones habeat extra vas. num.4.
Tertiò, requiritur destinatio animi. num.5.
Quartò, requiritur liber accessus ad mulierem, sine graui timore, aut periculo. Est opinio singularis sed probabilis. num.6.
Nihil refert concubinam in propria domo, aut alibi retineri. num.7.
Non est concubinatus, si quis retineat puerum ad copulam sodomiticam. num.8.
Concubinatus est etiam cum coniugata. num.9.
Hodie Sacerdos concubinarius non est suspensus. num.10.
An clericus concubinar. ante sententiam teneatur restituere tertiam partem fructuum. num.11.

1 RESpondetur quatuor conditiones requiri ad concubinatum.

2 Primò requiritur, quod mulier non pateat multorum libidini, alioquin, quamuis vni, præ cæteris adhereat, non

non concubina, sed meretrix erit. *cap. vidua 34. dist.* vndè tunc non erit casus reseruatus Graffius *de casibus reseruatis lib.1. cap.18. num.17.*

3 Secundò, requiritur pluritas copularum, vnde non diceretur concubina, si semel, aut iterùm eam cognouit.

Ratio est, nam iura requirunt consuetudinem peccandi *l. ex ea parte §. mulier*, ibi, *Concubina consuetudinem de verbor. obligat.* idemque colligitur ex Trident. *sess.24. de refor. Matrim. cap.8.* ibi, *seque ab earum consuetudine non seiunxerint*; Quarè saltem tres, aut quatuor copulæ requiruntur. Glosa *in cap. mos 1. dist.* Diaz *in praxi Canon. cap.80.* Graffius *de casibus reseruat. lib.1. cap.18. num.18.* qui ex Baldo rectè probat, eas copulas debere esse diuersis diebus, nam eodem die habitæ, aut eadem nocte, pro vnica computantur, quia quæ de proximo fiunt eodem contextu facta reputantur.

4 Sufficere autem ad concubinatum plures copulas sodomiticas, aut pollutiones extra vas, docet Carolus Baucius *de casibus reseruatis casu 7. fol.93.* nam atrociores casus eiusdem generis includit reseruatio. Sed oppositum censeo probabilius, nam concubinarius est, qui abutitur muliere modo vxorio, vt ait Syluest. *verbo concubinarius num.1.* vxor aut non habetur ad vsum sodomiticum, aut exteriorem pollutionem.

Tertiò, requiritur destinatio animi, vt scilicet cognoscat mulierem pluries cum animo perseuerandi, vndè reseruatum non incurrit, si decem vicibus cognouit ex fragilitate, sed sine animo perseuerandi, aut è contra si habuit eam animi destinationem, non tamen cognouit, nisi semel, aut bis. Graffius *de casibus reseruatis lib.1. cap.18. num.19.* Ratio est, nam concubinatus animi destinatione constituitur *l. pen. ff. de concubinis*, vbi glosa, quod patet ex dictis, nam concubinatus debet habere consuetudinem, quæ dicit quandam perpetuitatem ex animi destinatione; tum quia (vt mox dicam) concubina est illa, quæ tamquam vxor retinetur; ergo sicuti in vxore adest animus perseuerandi in cohabitatione, ita etiam in concubina.

6 Quartò requiritur facilitas, & liber accessus ad mulierem, sine timore, & periculo, ita egregiè, & singulariter Bouadilla *in Politica par.1. lib.2. cap.17. num.56.* & miror nullum Theologorum id aduertisse. Ratio est euidens, quia concubina & illa, quæ tamquam vxor retinetur, vndè in iure ciuili concubinæ iniustæ vxores dicebantur, *l. si vxor ff. ad legem Iuliam de adulter.* prout declarat Hoctomanus *in commentarijs verb. Iuris in verbo vxor.* Cuiacius *lib. obseruationum Iuris cap.16.* Tiraq. *de legibus connubialibus glosa 6. num.141.* & docent omnes *in l. Massursus ff. de verb. significat.* & concubinam esse eam, quæ tamquam vxor retinetur, docet Baldus *in authentica licet concubinam C. de concubinis*, Syluest. *V. concubinarius num.1.* Diaz *d. cap.80.* At ad vxorem accessus est facilis, liber, securus, ac frequens. Quarè quando quis ad coniugatam, aut suæ matris pedissequam, aut aliam fœminam cum difficultate, timore, & periculo, ac rarò habet accessum, tunc non puto esse dicendum concubinatum, & non esse casum reseruatum.

7 Nihil autem refert, quòd concubina in propria domo vel extra retineatur, vt patet ex Trident. *sess.24. de refor. Matrim. cap.8.* quicquid sit de iure ciuili, aut antiquo iure canonico *l.1. C. de concubinis l. cum quis C. de naturalibus liberis cap. nemo, & cap. Meretrices 32. quæst.4.* quibus iuribus ad concubinatum requiritur mulierem domi propriæ, tamquam vxorem retineri, nam Tridentinum expresè statuit concubinatum dici retenta muliere, etiam extra domum, dummodò cum ea assidua adsit consuetudo, ita Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiastici par.3. cap.4. nu.27.* Riccius *in praxi decis.361.* Belletus *disquisit. cleric. par.1 tit. de discipl. clericali §.15. num.56.* Grastius *lib.1. de casibus reseruatis c.18. nu.16.*

8 Notandum primò, non dici concubinatum si quis retineat puerum ad copulam sodomiticam, Ricciullus de statu reprobo *lib.3. cap.1. num.12.*

9 Notandum secundò, concubinam dici, etiam si sit coniugata, vt patet ex Trid. *sess.24. de reform. Matrim. cap.8.* Bouadilla *in politica par.1. lib.2. cap.17. num.53.* Sayrus *in Claui regia lib.8. cap.2. num.14.*

10 Notandum tertiò, quicquid sit de iure antiquo, tamen hodie certum est, Sacerdotem concubinarium notorium non esse ipso facto suspensum, ac celebrantem irregularitatem non incurrere, vt ex Trident. *& alijs Iuribus* probat Suarez *de censuris disp.31. sect.4. num.10.* nam Tridentinum *sess.25. de refor. cap.14.* præcipit post secundam monitionem suspendi, & antiquos canones non esse vsu receptos, neque hodie obligare in conscientia, docent idem Suarez, Victoria, Adrianus, Sotus, Medina, Valentia, Henriquez, Toletus, & alij, quos sequitur Sayrus *de censuris lib.7. cap.12. num.20.* & Filliuc. *tom.1. tract.17. num.124.*

11 Notandum quartò, quòd quamuis Trident. *sess.25. de reform. cap.14.* imponat Clericis concubinarijs ipso facto pœnam priuationis tertiæ partis fructuum, postquam moniti fuerint, tamen hoc decretum hodie non obligat in conscientia ante sententiam condemnatoriam, quia non est vsu receptum, ita Garzias *de beneficijs par.11. cap.10. num.190.*

QVÆSTIO VIII.

An patiens in peccato Sodomiæ, debeat in confessione explicare se fuisse patientem?

S V M M A R I V M.

Affirmat Card. Lugo. num.1.
Negant alij probabilius. num.2.

1 AFfirmat Eminentissimus Lugo *de pænit. disp.16. num.243.* Probat, quia ex parte agentis interuenerit pollutio propria, quæ non interuenit ex parte patientis: sed diuersum specie peccatum est voluntariè pollui, ac cooperari pollutioni alterius; ergo.

2 Negant esse explicandum, quia sodomia actiua, & passiua specie non differunt, Alphonsus de Leone *de officio, & potestate confessarij, par.1. recoll.9. num.216. & 218.* Diana *par.3. tract.4. resol.159. & par.7. tract.10. resol.8. & par.5. tract.14. resol.56. & par.6. tract.6. res.36.* vbi citat Zambellum, Lupum, & Ghilimum, Io. Machadus *de perfecto Confessario tom.1 lib.2. par.3. tract.19. docum.8. nu.4.* Io. Caramuel *in regul. S. Benedicti disp.66. num.983.* Mazuchellus *de casibus reseruatis disp.2. c.22. diff.1. num.21.*

Probatur primò, quia agens, & patiens in peccato sodomiæ concurrunt ad idem scelus, & ad eandem pollutionem, & copulam per modum vnius causæ: ergo eadem

eadem species malitiæ ab vtroque contrahitur: sic candem speciem adulterij contrahit solutus, ac coniugata, vel coniugatus, ac soluta, quia ambo per modum vnius causæ positiuè concurrunt ad frangendam matrimonij legem; sicut agens, & patiens sodomita ambo per modum vnius causæ concurrunt ad frangendam legem copulę naturalis; sic eadem species homicidij est in tenente occisum, ne fugiat, ac in vulnerante.

Probatur secundò, quia pollutio non addit nouam speciem malitiæ supra copulam sodomiticam, aut fornicariam; sed est pars copulæ; ergo sicuti agens non tenetur explicare se pollutum, vel non pollutum; plerumque enim sodomita, aut fornicator non seminat, quod vtique explicandum esset, si pollutio adderet malitiam specie diuersam supra copulam; ita neque patiens tenetur explicare se fuisse patientem. Consequentia patet catenùs enim, ex Lugo, tenetur explicare se patientem, quia explicandum sibi est, se non pollutum: sed agens non tenetur explicare se non pollutum, quando non seminauit: ergo neque patiens (dicendo se patientem) debet explicare, se non pollutum.

Confirmatur nam pollutio in agente est pars copulæ, neque enim est quid diuersum à copula, sed ab illa distinguitur, vt pars à toto; ergo in copula, fuisse, vel non fuisse pollutionem sequutam, est circumstantia aggrauans, vel minuens intra eandem speciem: Sed circumstantiæ minuentes, vel aggrauantes intra eandem speciem non sunt explicandæ; ergo neque explicandum est se passum, vel non passum pollutionem in ea copula, & sic se fuisse patientem, vel agentem.

Quod autem pollutio sit pars copulæ, patet, quia copula non dicitur consumata nisi sequuta seminatione, seu pollutione intra vas: ergo est pars complens, & perficiens copulam.

QVÆSTIO IX.

An dicatur consumatum crimen nefandum, & puniatur morte, si vas penetretur, & extra semen fundatur?

S V M M A R I V M.

Pœna Bullæ Pij V. non incurruntur, si absit seminis effusio. num.1.
Ex generali consuetudine conatus non punitur pœna ordinaria. num.2.
Discrimen inter copulam naturalem, & contra naturam. num.3.
Fœminæ, se vitreo instrumento corrumpentes, combustæ sunt. num.4.
Agens, & patiens morte puniuntur. num.5.
Patiens non incurrit reseruationem casus. num.6.
Ex defectu ætatis minoratur pœna. num.7.
Quæ sit pœna regularis de hoc crimine conuicti? num.8.
Cognoscens præposterè fœminam combustus fuit. num.9.
Quæ sit pœna cognoscenti mulierem mortuam? num.10.

RESpondetur affirmatiuè Affl. *in 3. par. Const. Neap. rub.42. num.15.* Gaspar Thesaurus *qq. forensium lib.3. quæst.17. num.2.* vt refert ità decisum à Senatu Pedemontano, Farinac. *de delictis carnis quæst.148. nu.65.* Petrus Caballus *resol. Criminal casu 16. num.11.* Ioseph Sesse *decisionum Aragoniæ decis.475. num.5. tom.5.* Diana *par.4. tract.7. resol.20.* Clarus *§. sodomia in fine*, Grassius *de casibus reseruatis lib.1. cap.11. num.25.* vbi ait: esse casum reseruatum, etiam si extra vas semen fuderit.

Contrarium tamen, docet Sousa *in aphorism. lib.1. cap.59. num.8.* vbi ait: id non intelligi, pro vno actu, sed pro actibus huiusmodi repetitis, quia quod deficit ad complementum actus sodomitici, suppletur ex repetitione actum, in fraudem legis, ita Sousa.

1 Fauet opinioni Sousæ, Diana *par.2. tract.17. resol.63.* vbi ait, pœnas Bullæ Pij V. à Clerico non incurri, si penetrauit vas, sed intus semen non fudit, nec tunc esse casum reseruatum.

Sanchez quoque *lib.10. de Matrim. disp.4. num.13.* ait, non esse separandum thorum ob adulterium, si penetretur vas, intra tamen semen non effundatur, neque tunc ait, dici consumatam copulam sodomiticam.

Fauet tex. *in cap. fin. de sponsalibus*, quo probatur copulam minimè consumatam dici, nisi intra naturale vas, semen effundatur, nec ex pollutione aliter facta, affinitas contrahitur *cap. extraordinaria 35. quæst.2.*

Sic non erit casus reseruatus incestus, si penetretur vas, intus tamen semen non funditur, ità Doctores omnes teste Finellio *de casibus reseruatis casu 10. num.9.*

Fauet quoque opinioni Sousæ, quia in crimine sodomiæ, nisi sit perfectum & consumatum, non imponitur pœna ordinaria, vt docent omnes ex tex. *in l.1. §. fin. ff. de extraord. Criminibus*, ibi: *Perfecto flagitio, punitur capite, imperfecto in insulam deportatur.* Menochius *casu 286. num.7. & casu 360. num.59.* & infrà dicam.

2 Tùm quia etiam in grauissimis delictis ex generali totius mundi consuetudine, per quam omnia iura correcta sunt, hodie non punitur conatus pœna ordinaria, effectu non sequuto, Speculat. in *tit. de accusat. §.1.* Bartol. *in l.1. §. Dinus, ff. de sicarijs*, Grammaticus *decis.2. nu.8. & 14.*

His tamen non obstantibus, dico, quod iste pęnam mortis non euadet, præsertim ob communem Doctorum opinionem.

Probatur primò, ex tex. *in l. cum vir C. de adulterijs* vbi ex contextu patet ipsam copulam sodomiticam gladio puniri, ibi, *Cum vir nubit in fœminam, viris porrecturam, quid cupiatur vbi sexus perdidit locum? porrecturam*, ait, Contius esse legendum, non *proirecturam*. Quibus verbis ostenditur copulam ipsam sodomiticam puniri, nam vt notat Contius, *in glossa marginali*, porrigere est fœminarum.

3 Probatur secundò, nam longè diuersa est ratio de copula naturali, ac sodomitica; copula enim naturalis verè non est consumata, neque est consumatum delictum, nisi effuso semine intra vas. Ratio est, quia talis seminis effusio per se habet sortire effectum prolis, & propter sanguinum commixtionem, per se habet efficere duo in carne vna; quarè verè semen, contra vas effusum, pertinenter se habet ad consumandam copulam, vnde etiam si vas non penetretur, dummodò semen intret vas fœminæ, perfecta est copula, vt ait Sanchez *de Matrim. lib. 10. disp.4. num.13.* Diuersa ratio est de copula sodomitica, sufficit enim vas penetrari, vt dicatur copula consumata, & impertinens, est seminis effusio. Ratio est, quia cùm illud semen per se frustratoriè effundatur, non est in consideratione ad copulam consumandam: quod

patet

patet à simili, nam eadem species peccati bestialitatis est si quis vas naturale equæ, aut equi vas penetret, nec est in bestialitate differentia aut sodomitica circumstantia. Finellius *de casibus reseruatis casu* 8. *num.*5. ratio est, quia semper est frustratoria effusio seminis: tùm quia ideò communiter Doctores docent, dici completam copulam naturalem, etiam si fœmina non seminaret, quia talis seminatio non est in consideratione, quia non est necessaria ad prolem concipiendam.

4 Probatur tertiò, nam fęminæ, quæ inuicem vitreo instrumento, se corruperunt, combustæ sunt, & tamen ibi, non est vlla effusio seminis intra vas, ita decisum refert Gomez *in l.*80. *Tauri num.*24. Peguera. *decis.*72. Boer. *decis.*116. *in fine*, Menoch. *casu* 286.*num.*37.*&* 38. Farinac. *de delictis carnis qu.*148.*num.*40.*&* 41. Ratio est, quia hoc est vitium sodomiticum, pro vt, ait, S.Thomas 2.2.*qu.*154. *art.*11. Ergo ad pęnam ordinariam, sola copula sodomitica consideratur: quarè si sine vllo instrumento istæ; mulieres peccarent punirentur tantùm extraordinariè arbitrio Iudicis. Vt notat Menoch. & Farinac. vbi suprà.

Aduertè, quod si vas pueri reperiatur fractum, & sanguinolentum, hoc sufficit, vt ad mortem damnetur, ita decisum per Senatum Pedemontanum refert Gaspar Thesaurus, *qq. forens. lib.*3. *q.*17.*n.*2.

5 Aduerte secundò, quòd tam agentes, quam patientes puniuntur pęna mortis, vt patet ex *tex. in d.l. cum vir*
6 *nubit in fœminam C. de adulterijs*, & docent omnes, quamuis in casu reseruato sodomiæ, patientem non comprehendi, Graff. *de casibus reseruatis l.*1. *cap.*11.*nu.*26. Diana *par.*2. *tract.*17. *resol.*64. eò quia talis propriè non est sodomita, sed dicitur mollis, vt notat glossa 1.*Cor.*6.*&* 5. Thomas 1.2.*quæst.*138. *art.*1.*ad* 1. & Caietan. in *sum.*5. *mollities in fine*.

7 Aduerte tertiò, quòd propter defectum ætatis minoratur pęna, sic minores 20. annis Senatus Pedemontanus, non damnat ad mortem Gaspar Thesaurus *in addit.* ad genitorem *decis.*161. sic Menoch. *casu* 286.*num.*29. ait: minores ætate non puniri pęna ordinaria, Riccius *collectan.*1877. In Regno Neapol. minoribus 18. annis non imponitur pęna ordinaria, vt testatur Afflictus in constit *legum asperitatem num.*10.*&* 11. & Regens Sanfelicius *decis.*57. ait, Neapoli adolescentem sexdecim annorum, per sex menses tale vitium in se passum, condemnatum fuisse, quod stylis lardeis percuteretur, & detineretur carceratus per decennium.

8 Aduerte quartò, quòd cum Bulla Pij V. in multis locis non sit vsu recepta, vt notat Diana *par.*2. *tract.*17. *resol.*61. ideò regularis conuictus de hoc crimine consumato, est perpetuo, & obscuro carceri tradendus, Diaz *cap.*88. *num.*2. Menoch. *de arbitr. casu* 286. *num.*9. Riccius *in praxi fori Ecclesiastici par.*1. *decis.*352. Farinac. *de delictis carnis quæst.*148. *nu.*25. Decianus *lib.*6. *cap.*23. *num.*15. Insuper regulari debent imponi, aliæ salutares pęnitentiæ, nempè vt tribus hebdomadæ diebus ieiunet in pane, & aqua, vt notat Spatarius de modo corrigendi regulares, *tract.*10. *par.*3. *cap.*16. *num.*9. qui etiam ait in capitulo coram fratribus, grauiter nudũ flagellandum, leuiusculis flammis hinc inde circumspectum, & quodammodo comburi.

9 Aduerte quintò, cognoscentem præposterè fœminam, cùm ista fuisse combustum per Senatum Mediol. Clarus §. *sodomia vers. vidi quandoque*, Farinac. *qu.*148. *num.*35. Gomez *in l.*80. *Tauri nu.*83. ait: fuisse combustum cognoscentem præposterè vxorem. Farinac. *vbi suprà num.*37. Riccius *collect.*184.*&* 1187. Menoch *casu* 286. *num.*34.

10 Cognoscens autem mulierem mortuam, si vilis morte puniendus; si nobilis, deportandus. Boerius *decis.*316. *nu.*13. Sed Ego dicerem semper morte puniendum, cùm sit copula contra naturam: immò talem copulam habere malitiam bestialitatis, docuit Pellizzarius *in manuali regularium, tom.*1. *tract.*4. *cap.*3. *sect.*4. *num.*70. quamuis oppositum doceant alij, dicentes habere tantùm malitiam pollutionis; sicuti cùm quis copulam exerceret cùm pictura, vel statua, ita Diana *par.*9. *tract.*9. *resol.*1.

QVÆSTIO X.

An immediata, & omninò proxima attentatio criminis nefandi morte puniatur?

SVMMARIVM.

*Quis sit conatus immediatè proximus ad delictum consumatum? num.*1.
Prima sententia, quòd puniatur pœna ordinaria. num. 2.
Secunda sententia verior, quòd puniatur extraordinariè. num. 3.
*Hodie ex consuetudine conatus non punitur pœna ordinaria. num.*4.
*Casus, in quibus conatus non fuit morte punitus, num.*5.
Propinans venenum. num. 6.
*Falsificans Regis litteras. num.*7.
Vendens venenum. num. 8.
Stuprans non viri potentem. num. 9.
Dans poculum pro abortu. num. 10.
*Apponens scalam, vt rapiat puellam. num.*11.
*Falsus testis. num.*12.

1 ADuertendum, tunc actum dici immediatè proximum, quando alius non est magis proximus ad consumatum delictum, vt optimè declarant Baldus *cons.*356. *vol.*1. & Menoch. *de arbitr. casu.*360.*nu.*118. qui docent, quòd cum statuto Placentiæ caueatur, quod nisus committere adulterium decolletur, si quis mulierem eo animo in terram proiecit, & eius clamore territus aufugit, non est morte sed arbitrio Iudicis puniendus. quia talis actus non fuit proximus, & immediatus, tunc enim esset immediatus, quando voluisset aperire claustra, & non potuisset, eo quod mulier arcta esset; Itaque in casu nostro, tunc erit conatus proximus, quando membrum propè vas posuit; sed non intrauit, sed fecit, quod potuit, vt intraret, & extra emisit semen. His positis.

2 Prima est opinio, hunc morte puniendum, quia in atrocissimis, quando deuentum est ad actum omninò proximum, punitur affectus non sequuto effectu; & ita docent de immediatè attentato crimine nefando. Menoch. *de arbitr. casu* 360. *numer.* 60. vbi ait, quòd requiritur aliquis actus extrinsecus, quamuis non omninò proximus, vt puniatur pœna extraordinaria; ordinaria autem cum actus est multum proximus, vt quia conatum omnem adhibuit, & ad rem peruenit, sed peragere non potuit.

Rodriquez *in Summa, par.1. c.209.* ait: in Regnis Hispaniarum comburi eos, qui hoc delictum committere conantur, quamuis impediti copulam non consumant. Barbatia *cons.64. nu.10. lib.1.* Gayllus *de pace publica, lib.1. c.14. n.26.* Quaranta *in Sum. bullar. verbo sodomia limit.3.*

Sic qui immediatè, & proximè attentauit bestialitatem cum bruto, sed non intrauit vas, sed propè semen effudit, fuit combustus, Boerius *decis.316. num.5.*

Sic factum Consilium Neapolitanum ad mortem damnauit vi stuprantem puellam non viri potentem. Francus *decis.534.* quamuis stuprum non fuisset consumatum.

Sic idem Neapolitanum Consilium ad mortē damnauit fabricantem falsam monetam, quamuis non consumasset delictum, non impressa adhuc forma, seu imagine. Grammaticus *decis.74.* Menoch. *casu 316. nu.24.*

Sic propinans venenum, non sequuta morte, pœna ordinaria est puniendus, & hanc esse communem opinionem, tradit Menoch. *de arbitr. casu 360. num.47.*

3 Secunda opinio, eaque verior est, attentantem proximè, & immediatè sodomiam, extraordinariè puniendum, hanc receptissimam in praxi, & communem opinionem esse tradit Farinacius *de delictis carnis qu.148. num.59. & 64.* Afflict. *in constitut. Neap. par.3. rub.42. num.15.* Clarus *in §. sodomia, in fine,* Gomez *in l.8. Tauri num.34.* Peguera *decis.75. & 72.* Riccius *in praxi par.1. decis.367.* Viuius *decis.157. num.9. vol.1.* Diana, qui plurimos citat, *par.2. tract.7. resol.20.* refert, quod Inquisitores in Regnis Hispaniarum, & Lusitaniæ, vbi cognoscunt de hoc crimine, si delictum non fuit consumatum, non relaxant reum curiæ seculari, sed ad triremes damnant. Probatur hæc opinio ex textu apertissimo *in l.1. §. fin. ff. de extraord. crimin.* ibi, *Qui puero stuprum persuaserit, quidue impudicitiæ gratia fecerit, pretiumue, quo id persuaderet dederit, perfecto flagitio, punitur capite; imperfecto in Insulam deportatur:* ergo tunc solùm capite puniendus, quando perfectum, seu consumatum est flagitium.

Probatur secundò, nam quicquid sit de iure communi, tamen hodie ex generali consuetudine totius mundi, omnia iura punientia conatum, etiam effectu non sequu-
4 to, correcta sunt; vndè etiam in atrocissimis non punitur pœna ordinaria, crimen, nisi consumatum sit, & sic non punitur affectus, non sequuto effectu, de hac consuetudine omnium Nationum Doctores passim testantur. Speculator *in tit. de accusat. §.1.* Bald. *in l. is qui cum telo C. ad l. Corneliam de sicarijs.* Gramm. *decis.2. num.8. & 14. decis.74. num.10. voto 19. num.4. voto 20. num.8.* Clarus *in §. fin. quæst.92. num.2.* plures citat Farinac. *de delictis, & pœnis quæst.17. num.49.* Menoch. *casu 360. num.92.* Baldus *cons.356. vol.1.* Osaschus *decis.19. nu.2.* Boerius *decis.316.* Tiraq. *de pœnis temp. causa 38.*

5 Probatur tertiò inductione, nam cætera quamuis atrocissima crimina, morte non puniuntur, nisi consu-
6 mata. Hinc mulier, quæ dedit pomum veneno infectum domino suo, ad edendum; quod cùm ille amarum gustasset, proiecit, condemnata fuit ad seruiendum infirmis, in hospitali, eius vita durante. Gramm. *decis.2.* idem docent si medicamentis fuit impeditum venenum, ne afferret mortem, esse extraordinariè propinantem puniendum Fabius Monteleo *in praxi arbitraria par.4. nu.687.* Marsilius *in l. eiusdem ff. de sicar.* Afflict. *in constit. Regni, Malanoxia colum.2. sub rubr. de malis, & noxijs medicam.* Angel. *in l.1, §. fit iniuria de varijs, & extraord. crim.*

7 Falsificans literas Regis, si falsitas non fuit consumata, quia non impressum sigillum ab officiali detegente falsitatem, punitur extraordinariè, Afflictus *decis.21.*

8 Vendens venenum, animo occidendi, si mors non sequatur, punitur extraordinariè, Menoch. *casu 359. nu.4.*

9 Stuprans vi virginem, non viri potentem, quia non fuit consumatum stuprum per decennium fuit damnatus ad triremes, Thesaurus *decis.148.*

10 Dans poculum, pro abortu, si abortus non est sequutus, relegandus est, Barbatius *cons.23. vol.2.*

11 Schalam fenestræ apponens, vt puellam raperet, est extraordinariè puniendus, Mantua *cons.31. num.2. lib.2.*

12 Falsus testis, qui conatus est aliquem ad mortē damnari, si detecta falsitate innocens liberatus est, debet extraordinariè puniri. Osaschus *decis.19.* qui ait, illi fuisse ex decisione Senatus Taurinensis, manum amputatam, & publicata bona, & Senatus Mediolanensis huiusmodi testem ad perpetuas triremes damnauit, Menoch. *de arbitr. casu 360. num.95.*

QVÆSTIO XI.

Qua pœna extraordinaria sit puniendus attentans sodomiam?

SVMMARIVM.

Prima conclusio quando attentatio est immediata ad triremes per decennium damnatur. num.1.
Causa minorandi pœnam. num.2.
Secunda conclusio quando conatus est proximus, sed non immediatus mitius punitur. num.3.
Tertia conclusio quando verbo attentauit, relegandus. n.4.
Quarta conclusio mitius punitur, si non perfecit, quia pœnituit. num.5.
Quinta conclusio ex circumstantijs pœna est mitior, vel grauior. num.6.

1 Dico primò, si attentatio fuit proxima, & immediata, vt quia posuit membrum iuxta vas, sed non intrauit, debet per decennium damnari ad triremes, ita Peguera *decis.75.* refert decisum, & eodem sensu intelligerem alios Doctores, simpliciter asserentes damnandum ad triremes; nempè quod si attentatio sit proxima, & immediata, debeat saltem per decennium condemnari, Petrus Caballus *lib.1. resol. crim. cap.16. nu.11.* Genuensis *in praxi Archiepiscopali cap.80. num.1.* Diana *par.4. tract.7. resol.20.*

Dices, alij referunt, mitius reos fuisse punitos: sic Clarus *in §. sodomia nu.8.* ait: Senatum Mediolanensem iudicasse quendam Iosephum Cauarium, fustigandum, quia cum puero extra vas se corrupit. Idem Peguera *decis.72. num.5.* ait: per Senatum Cataloniæ fustigatum quendam, qui plures actus venereos fecit cum pueris inter crura, manibus abutendo, & semen emittendo. Aloysius Riccius *in praxi Archiepiscopali, par.1. decis.367.* ait: Parochum per biennium exulare iussum, & pro eo tempore suspensum à cura, & deinceps ad arbitrium Eminentissimi, quia tentauit actum sodomiticum cum pueris, non tamen intra vas semen emittebat, quia non poterat, sed inter crura.

2 Respon-

2 Respondetur, quod triplici ex causa in prædictis casibus fortè fuerunt mitius puniti. Primò, quia forsan de delicto non erant conuicti, aut confessi, sed ex vehementibus indicijs, aut plusquam semiplenè probatum, quo casu mitior pęna debetur, quàm si fuissent conuicti, aut confessi, vt patet ex his, quæ docent Farinac. *de reo confesso quæst.86. num.27. de pœnis temper. quæst.87. num.* 113. 114. *&* 117. *& de delictis carnis quæst.136. nu.24. &* 165. Menoch. *lib.5. quæst.41. num.11. &* 15. Ceuallos *comm. opin. quæst.537.* Sanfelicius *decis.48. num.3.*

Secunda causa, qua fuerunt fortè mitius puniti, quia non animo consumandi sodomiam, seu illam attentandi; sed tantùm extraordinariam pollutionem exercendi cum pueris, vt puto contigisse in casu Clari, & Peguerę *d. decis.72. num.5.* Nam talis pollutio, quamuis sit grauissimum peccatum contra naturam, vt ex Sancto Thoma 2.2. *quæst.*154. *art.*10. tamen vt notat Reginaldus *tom.2. lib.22. num.49.* non est in rigore sodomia, neque dicitur sodomia attentata, si absfuit animus, & connatus ad vas penetrandum; ergo non debuit puniri, tam grauiter, sicuti si attentasset sodomiam, sed tantùm, vt pollutio, & huiusmodi mastupratores, exilio, aut alia pęna extraordinaria puniendos, docet Iodochus *in pract. crimin. cap.98. num.6.* Menochius *casu 286. in fine*, Farinac. *de delictis carnis quæst.148. num.* 38. *&* 39.

Tertia causa, qua fortè fuit ille Parochus mitiùs punitus, quia conatus non erat proximus, & immediatus, si quidem quamuis haberet animum sodomiam committendi; tamen non poterat, vt ibi refert Riccius; fortè enim resistebant sodomiæ pueri; nec soluebant fęmoralia, & ipse à parte anteriori emittebat semen, quare non erat immediatus conatus ad sodomiam.

Sed quicquid sit de his casibus, nolo enim diuinare, certè, talem immediatum conatum non crederem posse minori pęna, quàm decennij ad triremes puniri, patet autem ex *l. 1. §. fin. ff. de extraordinar. crimin.* vbi qui puero persuasit stuprum, non perfecto flagitio, deportandus est: at deportatio erat grauissima pęna, deportati enim bona omnia publicabantur, vt ait Cęlius Rodiginus *lib.27. antiq. lection. cap.15. in fine*, & erat perpetua, vt idem tradit *lib.10. cap.5.* atque in certo determinato loco, Budeus *in pandectis, tit. de pœnis.* Vndè non immeritò hodie deportationi, perpetuas triremes subrogandas, docuit Bossius *tit. de extraord. crimin. num.3.* quamuis Farinac. *de delictis, & pœnis, quæst. 19. num.15.* Clarus *in §. fin. quæst.67. vers. deportatio*, & Menoch. *de arbitr. casu 330. num.5.* dicant esse subrogatam pęnam, Iudici arbitrariam. At cùm deportatio grauissima fuerit pęna, vnde mors ciuilis dicebatur, puto grauissimam pęnam corporalem, illi subrogandam, & sic si non perpetuæ triremes, saltem decem annorum, aut septem.

Præterea oppositæ opinionis, Doctores adeò graue delictum putant immediatum, & proximum conatum ad sodomiam, vt morte puniendum censeant; quare ergo Iudex leuem pęnam exilij, aut aliam similem arbitrabitur?

3 Dico secundò, quando conatus fuit proximus ad sodomiam, sed non immediatus, vt si soluit pueri fæmoralia, ac se disponebat ad copulam, sed ex superuenienti impedimento, vltra non processit, tunc debet pęna extraordinaria puniri; sed longè mitiori, ac in præcedenti casu immediati conatus. Parisius *cons.163. num.2. lib.4.* qui loquitur de soluente fęmoralia, at non exprimit pęnam. Et de adultero solo cum sola, clauso hostio, dissolutis caligis inuento, quem extraordinariè puniendum & probatum præsumptiuè adulterium, docuit Menoch. *lib.5. præsum.41. num.11. &* 15. Farinac. *de delictis carnis, quæst. 136. num.24. &* 165. Hunc ergo per biennium ad triremes damnarem, quod si esset nobilis, per triennium relegarem, & vlterius pecuniaria pęna mulctarem. Præterea si puerum postrasset, seu aptasset ad copulam, tunc dicitur actus multum propinquus, & punitur sicut pro actu consumato, ita Bald. *in l. si quis non dicam rapere in 6. opp. C. de Episcop. & Cleric.* sed rectius idem Baldus docet oppositum *cons.356. vol.1.* Menoch. *casu 360. num.118.* non enim dicitur actus immediatus, nisi cępisset copulam, seu conetur copulam perficere, nequiuit tamen intrare vas.

4 Dico tertiò, si verbo tantùm, & sic remotè sollicitasset puerum ad sodomiam, aut etiam dedisset munera, ac etiam osculatus esset, tunc per annum, aut biennium relegarem, tales enim extraordinariè puniendos docent ex *l.1. §. fin. ff. de extraord. crimin.* Menoch. *dicto casu 360. num.60. & casu 286. numer.27.* & de sollicitante alienam coniugem Menoch. *d. casu 360. num.49.* Grammaticus ad Afflictum *decis.21.* in fine: talis autem conatus verbalis debet mitius puniri Bald. *in l. si quis non dicam rapere 6. opp. C. de Episc. & Cleric.* Possent etiam huiusmodi verbales conatus pecunia damnari, sic de mandante assassinium fuisse decisum refert Grammaticus *decis.2. num.25. & voto* 8.

5 Dico quartò, qui conatus est sodomiam committere, si non perfecit, quia pęnituit, & potuisset si voluisset, debet mitius puniri. Quaranta *in Summa bullar. Verbo sodomia limit.3.* Couar. *in Clem. si furiosus, par.2. in initio, nu.6. de homicidio*: sic etiam puniendus est, sed mitius, qui pecuniam pro assassinio accepit, deinde pęnituit, & Iudici detexit Menoch. *casu 360. num.47.*

Nec obstat textus in *l. qui falsam, ff. de falsis*, vbi non punitur is, qui falsam monetam fabricauit, & pęnitens, imaginem Principis non impressit, & sic non consummauit delictum.

Respondetur ex Baldo in *l. si quis non dicam rapere in 4. opp. C. de Episc. & Cleric.* quem sequitur Menoch. *casu 360. num.13.* hoc intelligitur, quando ex principio delicti, nemo læditur, ac secus quando initium delicti est alteri nociuum, vt est attentare raptum Monialis, aut persuadere puero stuprum.

6 Dico quintò, ex alijs personarum circumstantijs aggrauanda, aut minuenda est pœna; Nam vt ait Farinac. *de delictis, & pœnis, quæst.19. num.15.* iuxta facti, & personarum delinquentium qualitates, debet Iudex arbitrari pœnam, quare sodomiam attentans coniugatus; aut cum coniugato adolescente, debet grauius puniri, nam infertur iniuria coniugi, propter sodomiam enim potest peti separatio thori, Menoch. *de arbitr. casu 286. numer.22.* sic si puer sit nobilis, & qui conatur sodomiæ crimen, sit vilis persona, puto aggrauandam pœnam, ex his quæ in simili de stupro, notat Farinac. *de delictis carnis, quæst.147. num.70.* Infertur enim iniuria nobili familiæ pueri: sic etiam in regulari aggrauanda est pęna, sed de hoc dicam quæst. sequenti.

QVÆSTIO XII.

An Regularis sodomiam attentans, longè grauius, quàm Secularis puniatur?

SVMMARIVM.

Regularis grauius delinquit in peccatis carnis ob sacrilegium. num.1.

Regularis grauius peccat ob scandali, & religionis infamiam. num.2.

In Regulari debet esse grauior pœna ob regularem obseruantiam, & disciplinam tuendam. num.3.

Ob militarem disciplinam exigua furta militum morte puniuntur. num.4.

Ob tuendam militarem disciplinam delicta minus plenè probata puniuntur. num.5.

Licitè Carthusianus ob tuendam regularem obseruantiam, cum mortis periculo, à carnibus abstinet. num.6.

Ob eandem causam carnis delicta, absque prauia correctione, denunciari possunt Regulari Prælato. num.7.

Cum apud regulares non sit vsus tormentorum, ideò aggratur pœna extraordinaria. num.8.

Est Iudici arbitrarium, vel inferre torturam, vel aggrauare pœnam. num.9.

Qua pœna regularis sodomita plectendus? num.10.

Respondetur affirmatiuè. Probatur, quia cùm in pœnis arbitrarijs non sit certa forma assignabilis, vt ait Baldus *conf.356. in fine, vol.1.* & Gayllus *de pace publica lib.1. cap.14. num.30.* ex circumstantijs aggrauanda, aut minuenda est pœna, *cap. mensuram de penit. dist.1.* Ripa *in cap. inter cæteras num.59. de rescriptis,* Menoch. *de arbitr. lib.1. quæst.85. num.3.* sed quatuor sunt causæ, seu circumstantiæ, ob quas longè grauius regularis, quàm secularis puniendus est, ob attentatam sodomiam.

1 Prima causa est, quia regularis in peccatis, quæ committit contra votum, ob circumstantiam sacrilegij, grauius puniendus est, quàm Secularis. Farinac. *de pœnis temperand. quæst.98. num.121.* est enim duplex crimen sodomiæ, & sacrilegij. Ofaschus *decis.103. num.5.* Vnde fornicatio, quæ alioquin non puniretur, in eo punitur, iuxta ea quæ notat Menoch. *de arbitr. casu 289. num.7.* Ergo cùm sit duplex crimen, duplicata pœna dignus est, nam iuxta mensuram delicti, erit & plagarum modus.

2 Secunda causa est scandalum, & religionis infamia, etenim vt ait S. August. *epist.137. cap.2. ad plebem Hyppon. Cum de aliquibus qui Sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus credatur,* & S. Thomas *opusc.19. cap.20.* sic ait: *Extendunt crimina religiosorum, vt scilicet quod ab vno, vel duobus geritur toti religioni imponere præsumant.* Ergo ex his criminibus, infamatur religio.

Neque enim Seculares, religiosis infensis, considerant quod S. Hieronymus *lib.3. contra Ruffinum,* scripsit; *Luscraui (inquit) monasteria Nitria, & inter choros Sanctorum, aspides latere perspexi.* Nimirum vt eruditè Tertull. *lib. de præscript.* ait; *etiam de oliuæ nucleo mitis, & optimæ, & necessaria, asper oleaster oritur; & de papauere fici gratissima, & suauissima ventosa, & vana caprificus exurgit.* Sic Varro; *Neque in bona segete, nullum est spicum nequam, neque in mala non est aliquid bonum; Ergo cum necesse sit, vt veniant scandala, va homini illi, per quem scandalum veniunt.* Væ, væ, væ ter nequissimo, triplicis culpæ reo, nefandi, sacrilegi, scandali, triplex pœna detur.

Seueritas ergo supplicij, sacro ordini decorem tribuat, quem abstulit culpa, meritò Imperator Iustinianus, *Nouella 113.* sic statuit. *Illud quoque modis omnibus obseruari volumus, vt si quis Reuerendissimorum Monachorum in Caupona videatur, illicò is tradatur Ciuitatum defensoribus, aut hic indicio Excellentia tuæ castigetur conuictus, certiorque de ea re, reddatur Antistes, vt eum, qui hac deliquit, & turpem vitam, cum Angelico hoc statu permutauit, expellat Monasterio.* Hæc Iustinianus iustum supplicium, iniustè à Laico præscriptum. Idemque Iustinianus *in l. Presbyteri C. de Episcop. & Cleric.* ait: *Multò magis, pœna, digni sunt, quibus cum plurimum honoris per nostram iussionem delatum est, si in occulto inueniantur crimina.*

Fateor tunc, aggrauandam pœnam propter scandalum, ac religionis dedecus, quando delictum fuit publicum, aut in plurimorum notitiam deuenit; vt docet Farinac. *de pœnis temper. quæst.98. num.121.* sed esto non deuenerit; si per se aptum erat publicari adhuc aliquantulum debet augeri pœna.

3 Tertia causa aggrauandi pœnam, est ob tuendam regularem obseruantiam, & disciplinam, verè enim ait S. Bonauentura *opusc. de sex alis Seraphim, cap.3. In hoc differunt laudabiles religiones, & iam dilapsa non quod nullus in illis peccans reperiatur, sed quod nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè precludatur,* ita S. Bonauent. tunc autem studiosè peccandi aditus præcluditur, quando seuerè delicta puniuntur: vndè apud veteres Monachos, kuia delicta grauiter emendata, refert Cassianus *lib.4. de Instit. renunciat. cap.16.* etenim, vt ait, Demosthenes *In seueritate iudicij sita est legum authoritas,* & Card. Damianus *Epist.11. Eneruato* (inquit) *rigore iustitiæ, status euertitur disciplinæ, & dum vltoris seueritatis, censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur; Inordinata sanè pietas, nutrit impietatem, & timida manus Medici, vulnus auget ægroti.*

4 Præterea si propter disciplinam militarem tuendam, instè Dux exercitus, exigua furta militum, morte punit. Layman *lib.1. tract. 4. cap.14. num.3.* cur ergo, & pro-
5 pter regularem disciplinam seuerè crimina punienda non sunt? sic Caietanus *2. 2. quæst.70. artic.2.* & Sotus *lib.5. de Iustit. quæst.7. art.2. ad primum,* docent ob fauorem regularis obseruantiæ, posse puniri delicta etiam si non plenè probentur; sed per testes singulares; sic ne regularis obseruantia, paulatim dilabatur, li-
6 citè Carthusianus exponit se periculo mortis, abstinendo à carnibus in grauissima infirmitate, quod alioquin non liceret. Sanchez *consil. 5. cap. primo dub.34. numer.6.* Diana alios citans, *part.5. tractat. 3. resolut.*
7 *136.* sic ob religionis decorem, & disciplinam cùm in damnum publicum ordinis, tendant omnia carnis delicta, possunt ista absque prauia correctione, denunciari Prælato; ita ex Sancto Thoma, Peregrinus *in constitut. Clericorum regul. par.3. cap.9. vers. nemo litera 2. concl.* Caspensis *in Cursu theol. tom.2. tract.27. disp.6. sect.4. num.39.* Vide Dianam *par.7. tract.3. resol.62.* Denique apud obseruantes religiones, moris est seuerè huiusmodi

di delicta puniri; quarè talis vsus, omninò seruandus est iuxta ea, quæ notat Farinacc. *de delict. & pœnis quæst. 17. numer. 18. & 54.* Gramat. *cons. crimin.* 48. *numer.* 1.

8 Quarta causa est, quia apud regulares non est vsus tormenta adhibendi, quare aggrauanda est pœna, fortè enim si torqueretur reus, confiteretur à se consumatum delictum, & pœna ordinaria puniretur, ita Sanchez *consil. lib.6. cap.5. dub.12. num.4.* ex Caiet. 2.2. *quæst. 70. artic.2.* & Soto *lib.5. de Iust. quæst.7. art.2.* tùm quia
9 est in arbitrio Iudicis, vel inferre torturam, vel ea omissa aggrauare pœnam, Menoch. *de præsumpt. lib.1. quæst. 92. num.3.* Carena *tract. de S. Officio par.3. tit.8. num.17.* Scaccia *de Iudicijs lib.2. cap.9. num.527.*

10 Itaque saluo doctiorum iudicio, Ego regularem conuictum, aut confessum se consumasse sodomiam, in locis vbi Bulla Pij V. recepta non est, qua tradendus est Curiæ seculari, aut si bis, aut ter tantùm deliquisset, non enim tradendus, nisi exercens, quasi ex vsu continuato. Nauar. *cap.27. num.249.* Riccius *in praxi par.1. decis. 352, num.3.* Genuensis *in praxi cap.80. num.1.* Diana *par.2. tract.17. resol.65.* Barbosa *de Episcopis, allegat.44. num.25.* quamuis etiam pro prima vice tradendum dicat Lopez, ad Diaz *cap.86. lit. C.* & Farinac. *de delictis carnis quæst.148. num.30.* Hunc inquam regularem consumantem sodomiam, ad perpetuos, & obscuros carceres, cum triplici ieiunio in pane, & acqua per hebdomadam condemnarem, pro vt seruari in praxi refert Spatharius de modo corrigendi Regular. *tract.10. par.3. cap.16. num.9.* Si verò regularis omninò proximè sodomiam attentasset, vt si imposuisset membrum iuxta vas, quod tamen non intrauit, sed extra semen emisit propè vas, aut inter crura, tunc per decennium ad obscuros carceres, cum triplici ieiunio prædicto, condemnarem, patet hoc *ex decis.75.* Pegueræ, vbi ait: *Secularem, qui ita deliquit, per decennium ad triremes damnatum.*

Si autem deuenit ad attentionem minus proximam, vt quia soluit pueri femoralia, & deinde impeditus cessauit, tunc per triennium cum vnico ieiunio in pane, & aqua per hebdomadam ad carceres condemnarem, & si pluries ita deliquisset, alias regulares penitentias adderem.

Si verbo tantùm, & sic remotè attentasset; aut dedisset munera, tunc per annum ad carceres condemnarem: si deuenisset ad osculum, adderem vnicum ieiunium per hebdomadam in pane, & aqua, aliasque regulares penitentias.

Præterea sicut apud Seculares grauius puniuntur ignobiles, & mitius nobiles, quando penæ sunt arbitrariæ, Farinacc. *de pœnis temp. quæst.98.* Tiraqu. *de nobil. cap.20.* Sic apud regulares, puto grauius puniendos Laicos, seu conuersos; vndè istis iuxta proportionem delicti vltra carcerem; adderem postquam fuerint à carcere liberati, per aliquot annos, vestis decurtationem vsque ad genua.

QVÆSTIO XIII.

An variare situm in copula coniugali sit peccatum?

Prima sententia docet esse mortale. num.1.
Secunda esse veniale. num.2. Tertia nullum esse peccatum quamcumque situs variationem, etsi sit præposterus situs. num.7.
Matrix habet virtutem attractiuam seminis. num.3.
Ex iusta causa variare situm, nullum est peccatum. num.4.
Modica seminis effusio, ex variatione situs, non est mortale. num.5.
Mortale est, si experientia constet totum ferè semen effundi, variato situ. num.6.
Concubitus præposterus, in debito vase, est naturalissimus, quia eo bruta vtuntur. num.8.
Quicumque situs est naturalis, generationi accomodatus. num.9.
Quando intendere voluptatem in copula coniugali, aut in cibo, sit veniale peccatum? num.10.

1 PRima sententia docet, variationem situs, præsertim cùm præposterus est concubitus, aut cùm mulier accumbit, sic etiam si sedendo, stando, aut à latere, esse mortale peccatum, quamuis seruetur debitum vas, neque extra illud semen fundatur, ita Abulensis *in cap.5. Matth. quæst.227. 228. & 230.* Paludanus *in 4. dist.31. quæst.3. artic.2. num.15.* Alensis *part.2. quæst.171. membr.3.* Astensis *in Summ. par.2. lib.8. tit. 9. art.2. quæst.1.* & Alij apud Sanchez *de Matrimon. lib.9. disp.16. num.2.*

Probant primò, quia talis concubitus non est naturalis.

Secundò, quia est abusus Sacramenti matrimonij, constat autem peruersionem vsus, & ritus, etiam in accidentalibus sacramenti, esse lethale sacrilegium.

Quartò quòad præposterum vsum, cum hunc natura bestijs præscripserit, fit illis homo simillimus.

Quintò, quia quando vir succumbit, talis modus repugnat receptioni, ac retentioni seminis, proindè est contra naturam.

2 Secunda sententia docet quamcumque variationem situs, seruato debito vase, ac non effuso extra illud semine, esse veniale peccatum, ita Albertus Magnus, D. Antoninus, Gerson, Caietan. & alij innumeri, quos sequitur Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.16. num.3.* Pontius *de Matrim. lib.10. capit.11. num.3.* Diana *par.1. tractat.7. resolut.35.*

3 Probant primò, quòd non sit lethale peccatum, quia semen non recipitur in femineam matricem per infusionem, aut descensum sed per attractionem, nam matrix habet vim attractiuam seminis, etiam distantis, quare à fortiori attrahet semen contiguum; sicut eadem virtus attractiua adest in stomacho respectu cibi, sic de matrice attrahente semen testatur Aristot. *2. de generatione animalium cap.4.* & S. Thomas *quodlibeto 6. artic.18.* ergo quocumque situ fiat copula, numquam impeditur generatio, consequenter nequit esse mortale peccatum variatio situs.

Secundò, quia esto non sit ita certa generatio, variato situ, tamen non tenentur coniuges procurare omni-

X 3 modam

modam prolis certitudinem; sed satis est eius conceptionem non impedire, vt rectè docent Sanchez *disput.16. nu.3.* & Pontius *num.3.*

Tertiò, quia hic abusus, & ordinis peruersio, est in solis accidentalibus, cùm vas legitimum seruantur; sicut dum coniuges gratias voluptatis captandæ copulantur: ergo non excedit culpam venialem.

Probant autem esse veniale peccatum. Primò, quia id ostendit ardentem voluptatis appetitum, quem indicant eiusmodi mutationes, qui immoderatus voluptatis ardor, saltem veniali culpa non vacat.

Secundò, quia quamuis matrix attrahat, & retineat semen, tamen contingit quandoque, variato situ, effundi extra vas: ergo ob eiusmodi negligentiam, variatio situs erit culpa venialis saltem.

Notant tamen ex iusta causa variationem situs, nul-
4 lum esse peccatum, vt si aliter coniugalis concubitus haberi nequeat, vel propter pinguedinem viri, vel ne fetus suffocetur, ita D. Thomas *in 4. dist.3 1. in fine in expositione litteræ*, Abulens. *in Matth. cap.5. quæst.227. & 228.* Paludanus *in 4. dist.3 1. quæst.3. nu.15.* Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.16. num.7.* Pontius *de Matrim. lib.10. cap.11. num.3.* Diana *par.1. tract.7. resol.35.*

5 Notant secundò, modicam feminis effusionem, contingentem ex variatione situs, non esse peccatum mortale, quia vt docent Medici non retinetur in matrice totum semen, ita Sanchez *lib.9. disp.16. num.5.* Pontius *lib.10. cap.11. num.3.* Diana *par.2. tract.15. resol.64. & par.3. tract.4. resol.204.*

6 Notant tertiò, si experientia constet, vel ex morbo, vel aliundè, variato situ, semper euenire totius ferè seminis effusionem, tunc erit mortale peccatum, Lopez *in 1. par instruct. cap.28. §. igitur loquendo & cap.87. in fine.* Pontius *de Matrim. lib.10. cap.11. num.3.* contra Sanchez *lib.9. disp.16. num.5.* Ratio est, quia tunc experientia in talibus circumstantijs ostendit eam variationem situs esse contra generationem, & contra bonum prolis, & aduersari fini matrimonij; quarè non potest excusari à mortali culpa.

7 Tertiam sententiam Doctorum virorum examini subijciendam duxi, non enim audeo sapientissimorum Scriptorum torrenti aduersari; at proferam rationes, quibus ostenditur nullam omninò esse culpam, neque venialem in quacumque variatione situs, neque in situ præpostero, & de hoc præsertim loquar, quia in eo maior apparet difficultas.

Probo itaque nullam esse culpam. Nam vel modus præposterus, aut quicumque alius illicitus est, quia innaturalis, vel quia non est generationi satis accomodatus, vel quia signum est animi nimis libidinosi, & solam voluptatem in coniugali vsu spectantis, vel quia est contra vsum, & consuetudinem timoratorum coniugum, sed nihil horum obstat; ergo ex nullo capite adest venialis culpa in variatione situs cuiuscumque, etiam posteriori.

8 Primò itaque talis situs præposterus non est innaturalis, nam modus, quo bruta vtuntur, hoc ipso quod irrationalia eo vtuntur, quippè quæ naturali instinctu mouentur, est modus maximè naturalis, vt rectè obseruant insignes Medici Mercurialis, & Massarius, qui docent concubitum præposterum in vase naturali cum vxore esse naturalissimum, quia eo bruta vtuntur.

Secundò non potest dici, quod non est generationi satis accomodatus situs præposterus, imò vt docent Mercurialis, & Massarius, certior est generatio præpostero concubitu, nam certius semen recipitur in vterum, & hac ratione scribunt in brutis rarò esse aliquod sterile animal, quia certiori modo concubendi vtuntur.

9 Quoad cęteros situs, eos etiam esse accomodatos generationi, ostendit ratio adducta ab ipsis aduersarijs, nam semper quocumque situ, matrix semen attrahit; neque refert per accidens aliquando contingere effusionem; tùm quia si modica pars effundatur, non officit generationi, vt suprà notaui; tùm quia nulla culpa est, neque venialis, non procurare omnimodam certitudinem conceptionis prolis, quia in humanis operationibus satis est operari probabiliter, probabile autem est, quocumque situ attrahi, & retineri à matrice semen, & sequi generationem; qui autem probabiliter operatur, neque venialiter peccat.

Tertiò non poterit dici variationem situs, etiam præposteri, esse saltem culpam venialem, quia ostendit nimium libidinis ardorem, & animum solam voluptatem in vsu coniugali spectantem. Nam hoc gratis dicitur, plerumque enim id fit, vel ob maiorem commoditatem, vel ob voluptatem non inordinatam, atque adeò non
10 peccaminosam, vt mox ostendam. Tripliciter enim in vsu coniugali, aut in cibo potest intendi voluptas. Primò potest intendi voluptas per se, & primariò absque vllo ordine ad prolem, aut ad vitæ conseruationem, & tunc est peccatum veniale, quia est actus inordinatus; sed hoc non arguit, semper variationem situs esse peccatum veniale, nam etiam in ordinario situ, & consueto modo concubendi, potest quis intendere per se solam voluptatem, & tunc venialiter peccat: ergo variatio situs non affert per se culpam venialem, sed per accidens, si illi adiungatur intentio primaria solius voluptatis. Secundò potest intendi voluptas cum ordine ad prolem, vel cum ordine ad cauendam fornicationem, & tunc ea voluptas cohonestatur à tali ordine, & vacat omni culpa, sicut quærere cibum conuenienter accomodatum, aut vxorem pulchram, nullum est peccatum; si hæc ordinentur ad finem honestum generationis, aut conseruationis vitæ. Ratio est manifesta, nam operari secundum naturæ ordinem nullum est peccatum, natura autem his actibus voluptatem addidit, vt ea animal prouocaretur ad conseruationem indiuidui, per cibum, & speciei per generationem; ergo ex ea variatione situs quærere voluptatem cum ordine ad prolem, vel ad vitandam fornicationem, nullum est peccatum. Tertiò potest intendi voluptas cibi, aut copulæ aliquo modo satis extraordinario, & exquisito, quod per omnes est culpa venialis: Sed in variatione situs in vsu coniugali, quæcumque variatio illa fit, non potest hoc dici, nam non est is modus satis exquisitus, aut nimis extraordinarius voluptatem quærendi, cùm frequentissimè, in coniugali consortio, vel ob commoditatem, vel aliundè contingat variare situm.

Vltimò non potest dici id esse veniale peccatum, quia est contra vsum, & consuetudinem timoratorum. Nam nulla consuetudo quæ obliget ad peccatum potest induci per actus occultissimos, quales sunt vsus coniugalis, consuetudo enim vt vires habeat obligandi, debet induci à consensu populi per actus publicos, qui in omnium notitiam perueniant.

Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

Ad primum primæ sententiæ, negatur talem concubitum

bitum non esse naturalem, tùm quia naturalissimus est concubitus, cùm eo bruta vtantur, quæ naturali instinctu ducuntur; tùm quia is est concubitus naturalis, ex quo sequitur generatio: sed ex quacumque variatione situs sequitur generatio, attrahente semen matrice; ergo ex quacumq; variatione situs habetur copula naturalis.

Ad secundum Respondetur, primò negando non esse certam conceptionem, vt patet in brutis. Respondetur secundò, sufficere probabiliter sequi posse generationē.

Ad tertium respondetur, nego esse abusum Sacramenti matrimonij; tùm quia actus coniugalis non est Sacramentum; tùm quia ea est copula naturalis, vt probaui, proindè non est abusus.

Ad quartum ex hoc quod modus concubendi præposterus sit similis bestijs, non ostenditur esse culpam, si absit alius inordinatus finis.

Ad quintum, negatur repugnare receptioni seminis, cùm matrix per vim attractiuam recipiat semen, illudque retineat.

Ad primum argumentum, secundæ sententiæ dicentis esse veniale peccatum, patet ex dictis, nam si ea voluptas ordinetur ad prolem, vel ad vitandam fornicationem, cohonestatur, omnique vacat culpa.

Ad secundum respondetur, vt absit veniale peccatum, satis esse, quòd in quacumque variatione situs probabiliter matrix attrahat, & retineat semen, vndè probabiliter sequi potest generatio, qui autem probabiliter operatur neque venialiter peccat.

Nota tamen coniugem refricantem in superficie vasis præposteri, nisi id accidat fortuitò, præter intentionem, mortaliter peccare; etiam si habeat voluntatem consumandi in vase naturali. Ratio est, quia illa est inchoata sodomia, ita docent Castropalaus *tom.5. disp.3. punc.4. §.2. nu.6.* Diana *par.9. tract.8. resol.31. quæst.5.*

QVÆSTIO XIV.

An adsint certa signa, ad explorandam, per obstetrices, virginitatem?

SVMMARIVM.

Negant Medici, asserentes, temerarium esse certò affirmare corruptionem. num.1.

Dilaniata membrana, quæ Hymen dicitur, non est signum corruptæ virginitatis. num.2. & 3.

Dilatata ceruicis vteri latera, non sunt certum signum deperditæ integritatis. num.4.

Cruorem non fluxisse in primo congressu viri, neque est certum signum deflorationis. num.6. Neque lac in mamillis. num.6. neque alia signa. num.7.

Affirmant Iurisperiti ex aspectu, & contactu probari virginem esse corruptam. num.8.

Non potest virginitas physica certitudine ostendi. num.9. Sed tantùm certitudine morali. num.10. Corruptio verò neque certitudine physica, neque morali. num.11. Sed tantùm coniecturis suspicari potest. num.12.

Rarò ad inspectionis argumenta deueniendum. num.13.

1 NEgant Medici, inter quos Hieronymus Capiuaccius *lib.4. cap.11. de vteri affectibus*, Hieronymus Mercurialis *in consultationibus*, Claudinus *in responsis Medicis*, Arnaldus de Villanoua *lib.3. Breuiarij capit.6.* Franciscus Vallesius *de Sacra Philosophia cap.25.* Fragosus *in sua Chirurgia vniuersali tract.2. tit. de cognoscenda virginitate*, Alsarius Crucius *in quæsitis Medicis centur. 4. qu. de puella Spoletana deflorata fol. mihi 316.* vbi ait: *Nullam adhibendam fidem obstetricibus, quæ defloratam virginitatem testantur, nam signa, quæ virginitatem, seu præsentem, seu abolitam præseferunt, adeò incerta, dubia, ac fallacia sunt, vt si quis ex ijs solis aliquid certum asserere contendat, crassæ ignorantiæ, vel temeritatis notam subiturus sit.* Hæc illa meritò S. Ambrosius *lib.6. epist. prima ad Syagrium adition. Romanæ* inquit: *Ipsi Archiatræ dicunt, non satis liquidò comprehendi inspectionis fidem, & ipsis medicinæ vetustis Doctoribus id sententiæ fuit.* Idem senserunt ex Iurisperitis, Butrius, Ancaranus, & Abbas, quos sequitur Menochius *de præsumptionibus lib.6. præs. 89. in fine*, Tiraquellus *de legibus connubialibus lege quarta, num.21.* idem indicant Sacri canones *in can. nec aliqua 27. quæst.1. & in cap. causam Matrimonij, de probationibus*, ibi, *sæpè manus fallitur, & oculus obstetricum.* Id autem faciliter ostenditur discurrendo per quatuor signa, quæ abolitam virginitatem arguunt.

2 Primum, ac princeps signum, quod vulgò creditur virginitatis deperditæ, est dilaniata membrana, quæ *Hymen* dicitur, quam in medio ceruicis vteri, plerique credunt in virginibus reperiri, in medio à superiori parte perforatam, vt fluentibus menstruis pateat aditus. Sed vt hæc melius percipiantur, operepretium duxi, afferre descriptionem vteri ex Ioanne de Colle *in Elucidario Anatomico cap.56.* vbi sic ait: *Vterus diuiditur in tres partes, in fundum vteri, in quo concipitur semen, & formatur fœtus, & habet partem dexteram, & sinistram, lineà tantùm diuisam, in dextera solent generari mares, vt inquit Hippocrates, in sinistra fœminæ.* Hic obiter nota ex Letino Lemnio *de occultis naturæ miracul. lib.1. cap.9.* vt mulier masculum concipiat, oportet eam mox completa copula, clementer, ac placidè in dexterum latus deuolui, capiteque decliui, ac subsidente corpore in somnum resolui. *Secunda pars vteri appellatur os interius, & est satis angustum, & per hoc foramen ingreditur semen, quo concepto, ita exquisitè clauditur, vt specillum non admittat, ex Hippocrate 5. Aphoris.51. Tertia pars vteri dicitur collum, seu ceruix, extenditur vsque ad vuluam, & est canalis oblongus, vaginæ instar, penis receptaculum, in medio huius ceruicis, ex quorundam sententia, reperitur membrana quædam, quæ Hymen dicitur, & in deflorandis rumpitur, & sanguis egreditur: ex aliorum verò sententia non reperitur hæc membrana; sed latera ceruicis simul conglutinata cohærent; at in primo concubitu, magna ex parte diuelluntur.* Ita Ioannes à Colle.

3 Quod autem *Hymen* ferè nunquam vteri ceruici adnascatur, docent expertissimi Anatomici, imò aliqui testantur, se nunquam eam vidisse, quamuis omnis ætatis virgines secuerint, ita Andreas Laurentius, Fernelius, & alij, quos refert Alsarius Crucius loco citato. Vndè Galenus, teste Vesalio, eius nunquam meminit, & Franciscus Vallesius *de Sacra Philosophia cap.25.* ait: *Nullam esse partem in ore vteri, quæ virginitatis custodia sit, & in corruptione pereat*, Fragosus *in sua chirurgia vniuersali tractat.2. capit. de modo cognoscendi virginitat.* ait: *Hanc membranam vix vnam ex millibus habere*, Realdus Columbus *lib.12. cap.16.* sic inquit: *Sub Nymphis in nonnullis virginibus, non omnibus, alia membrana cernitur, Hy-*

men

men à veteribus appellata, quæ cum adest (rarò autem adest) obstat quòminus penis in vterum immittatur, nam crassa est valdè, supra vesicam versus foramine donatur, per quod menses fluant. Idem Columbus *lib.15. ca. de his, quę rarò in anatome reperiuntur*, sic ait; *Nunc de membrana Hymene, quid obseruauerim dicam, licèt vulgus putet nullam esse virginem, quæ Hymena non habeat, ter duntaxat illam inueni, bis in duabus paruulis puellis, semel in natu maiore.* Aetius *lib. vltimo capit.69.* agens de affectu mulierum, qui dicitur clausura, ait, *Tripliciter mulieres effici clausas. Primò si labia pudendi cohæreant. Secundò, si patentibus labijs, in medio sinu muliebri membrana quædam innascatur, quæ transitum, ac meatum impediat. Tertiò, si patentibus labijs, & sinu, os vteri prorsus claudatur.* Vndè sentit Aetius eam membranam rarò, ac ferè nunquam nasci.

Ratio autem, cur aliquando, sed rarissimè innascatur, est, quia per accidens ex vitio conformationis, ex abundatiori materia, aliquando membrana prædicta gignitur: aliquando verò non membrana, sed quidam villi, & fibræ innascuntur, & inuicem ita cohærent, connectuntur, & conglutinantur, vt videantur vnam continuam membranam conficere; reuerà tamen nulla est continuatio, sed tantùm ita contigui, & cohærentes sunt villi, vt membranam repræsentent, quod benè obseruauit Alsarius Crucius *in quæs. de puella Spoletana deflorata*. Quod autem Hymen nunquam per se, & ordinariè innascatur, patet, quia natura nihil agit frustra, hymenis autem nullus finis potest assignari; ridiculum verò est ideò produci, vt à puluere vterum tueatur, nam cum in vtero conceptus est fœtus, quando oportebat vterum à puluere tueri, scissa fuit per copulam membrana; præterea os vteri interius, concepto fœtu, ita exquisitè clauditur, vt ne quidem specillum admittat: Quomodo ergo vterum, ac fœtum à puluere tuetur membrana?

Ex dictis itaqne patet temerè obstetrices pronunciare deperditam virginitatem non inuento Hymene: Vix enim vni ex millibus Hymen innascitur.

4 Secundum signum virginalis pudoris est, quia in virginibus ceruicis vteri latera constricta, conglutinata, ac cohærentia sunt; at in venerem expertis laxata, & dilatata, & hoc esse virginitatis, aut corruptionis signaculum, docent Galenus *lib. de viuorum anat. cap. de vtero*, Andreas Laurentius, Fernelius, quos sequitur Alsarius Crucius *loco citato*, Franciscus Vallesius *de Sacra Philosophia capit.25.* Abulensis *in Deuteron. cap.22. quæst.4.* Hoc autem signum adhuc incertum est.

Primò, quia potest talis mulier naturaliter os extimum vteri, latum, amplumque habere, ac ceruicis vteri latera vasta, & dilatata, adeò vt ex viri consortio id factum credatur.

Secundò, quia ex vterini furoris rabie, solent mulieres, vel ad curandum morbum, vel ad sedandum acerbissimum dolorem, intromissis digitis, vteri latera dilacerare, ac dilatare, est enim dolor iste vehemens, & acris, adeò vt sit ferè moraliter impossibile à refricatione abstinere, vt tradunt Aetius *tom.4. serm.4. cap.68, 74. & 82.* Petrus Paulus Pereda *in methodo curandi cap. de vteri suffocatione fol.117.* Mercado *de affectionibus mulierum lib.2. cap.10.* Rodericus à Fonseca *in consultation. tom.2. consul.68. lit. D.* Castro *de morbis mulierum lib. 2. cap.11.* Marquardus *in pract. lib.2. cap.8.* Platerus *in practica tom.2. verbo genera capit.17.*

Tertiò, aliquando ex tentigine, ac libidine solent se impunis tactibus solæ corrumpere, & dilatare latera; quod in simili casu indicauit S. Augustinus *de Ciuitate Dei lib.1. cap.18.* vbi ait; *Posse integritatem lædi, si obstetrix, manu velut explorans, inscitia, aut casu, dum inspicit, perdidit*, ita Augustinus. Vndè patet, quàm faciliter tactu eiusdem virginis, virginitas deperdatur, absque vllo viri consortio: Hinc discant fatuæ, & impuræ virgines, se portare thesaurum in vasis fictilibus.

Quartò, ex copioso admodum, & acrium menstruorum defluxu, discindi vteri latera, tradit Alsarius Crucius vbi suprà.

Quintò, notissimæ sunt mulierum frandes, quæ corruptæ, vt virginitatem mentiantur, adstringentibus medicamentis, ita constringunt vteri latera, vt vix sint aptæ ad copulam prout scribunt Abulensis *in Deuteronom. c. 22. qu.4.* Abbas, & alij *in cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiatis*. Imò ea medicamenta adeò sunt certa, & familiaria apud Turcas, vt cum essem Costantinopoli audiuerim (proh dolor!) christianas virgines constupratas, tanquam integras à Mangonibus publicè vendi, ius autem est cuicumque emere volenti, singulas corporis partes denudatas diligentissimè inspicere, & contrectare, nec posse fraudem deprehendere; quod & apud Ethnicos moris fuit, teste Seneca *lib.1. controuer.2.* dum ait: *Nuda in litore stetit ad fastidium emptoris, omnes partes corporis, & inspecta, & contrectata sunt;* quod & Suetonius *in Augusto cap.69.* scribit: *Virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Thoranio Mangone vendente.*

5 Tertium signum virginitatis est cruor fluens ex primo congressu virili, vt traditur *Deuteronomij cap.22.* vbi Abulensis *quæst.4.* Ratio autem cur sanguis fluat, est, quia dilacerantur aliquæ venulæ, quæ sunt in extima parte laterum vteri, cùm ipsa latera, quæ prius erant constricta ex copula dilatantur, prout tradit Galenus *lib. de viuorum anat. cap. de vtero*, & Vallesius *de sacra philosophia cap.25.* ac Alsarius Crucius *quæst. de puella Spoletana deflor.* & hæc est ratio, cur sanguis fluat, non quia laceratur membrana, seu Hymen, sicuti vulgus putat.

Sed hoc signum incertum quoque est, nam corruptæ mille fraudibus simulant sanguinem; è contra quæ reuerà virgines sunt aliquando nullum sanguinem fudunt, vel quia naturalem ipsis os extimum vteri amplum est, viri verò penis parua; vel quia venulæ illæ in lateribus vteri sunt paruulæ, raræ, ac introrsus positæ; vel modicus cruor effusus, in ipsum vterum recidit.

6 Quartum signum deperditæ virginitatis est, lac in mammillis. Sed hoc neque est perpetuum; nam ex menstruorum defectu, contigit, virgines lac habere, teste Hippocrate *lib.5. aphoris.39.* imò etiam in viris aliquando tanta lactis copia fuit, vt sugi posset, ait Aristoteles *lib.5. Historiæ Animal. cap.20.* quod se Venetijs vidisse testatur Cardanus *de subtilitate, lib.12.*

Prætereo alia corruptæ virginis signa allata à Io. Baptista Porta *lib.2. magiæ naturalis, c.22. & alijs*, vt illud Agathis lapidis, & Succini albi, quorum tenuissimus puluis, ieiunè cum vino haustus, mox in corrupta mouet vrinam, quam cohibet in virgine: Sed hæc indicia minus certa sunt; & faciliter à sciente eludi possunt; ac in forensibus iudicijs nunquam vsu recepta.

Explicatis negatiuæ sententiæ fundamentis, nullum

inquam

inquam esse deperditæ, aut integre virginitatis signum, iam affermatiua opinio proponenda est.

Affirmant aliqui, præsertim iurisperiti, ex aspectu, tactuque matronarum, virginitatem, aut deflorationem probari ita sæpè decisum in Rota Romana vt apud Farinacium *tom.2. consiliorum, decis.226. & tomo primo, decis.26.* & ipsemet Farinacius *in decis. Rotę, decis.264. num.11. & 12.* Franciscus Marcus *decis.667. & decis. 678. par. 1.* Mascardus *de probationibus, vol.3. conclus. 1313. num.13. & concl.1416. num.16.* Fuluius Pacianus *de probationibus, lib.2. c.2. num.32.* Guazzinus *de defensione reorum tom.1. par.4. cap.7. num.7.* qui docent in graui causa, cum obstetricum diligentia, & scientia non sufficit, peritos medicos adhibendos ad inspectionem, idemque tradunt Farinacius *de delictis carnis, quæst. 147. num.141.* Clarus *in §. fin. quæst.4. num.4.* Bertazzolus *cons.452. numer.20. vol.2.* Abulensis *in Deuteronomium, cap.22. quæst.3. & 4. & in librum Iudicum, cap.21. quæst.26. & Numerorum, cap.31. quæst.5. ac in Matthæum tom.7. cap.25. quæst.86. ad quartum.*

Probatur primò, hæc opinio, nam Deuteronomij, *cap.22.* præcipitur *si duxerit vir vxorem, & quæsierit occasionem dimittendi eam, dicens non inueni eam virginem, tollent eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, & expandent vestimentum coram Senioribus Ciuitatis, & apprehendent Senes vrbis illius virum, & uerberabant illum.* Vbi expositores dicunt signa virginitatis esse cruorem effusum, quo virginis vestimenta seu indusium maculata sunt.

Secundò, quia *in cap. proposuisti de probat.* dissoluitur matrimonium ob frigiditatem viri, ex inspectione septem matronarum, deponentium puella esse adhuc virginem.

Antequam meam opinionem in hac controuersia proferam; Aduerto in triplici tempore posse deperditam virginitatem deprahendi. Primò ante copulam, ex inspectione matronarum. Secundò in ipsa copula. Tertio post copulam.

Quoad primum tempus, inspectione cognoscitur defloratio, si ceruicis vteri laxata, ac dilatata latera comperiantur. Sed solent hæc adstringentibus medicamentis restringi, quæ afferunt Bayrus *tract. de medendis humani corporis morbis, lib.5. cap. ultimo*, ac Ioannes Baptista Porta *lib.2. magia naturalis, cap.15.* in hæc verba: *Natura ostium sic restringes. Omphacites Gallas tritato tenuissimè, quibus garyophyllorum pulueris parum admisceatur, vino ebulliant, quo pannum madeat, & loco applicetur. Vel sic meretricium, & popularium restringes, & coarctabis. Gallis, gummi, alumine, bolo, draconis sanguine, acacia, plantagine, hippocistide, balaustis, lentisco, symphyco maiori, minorique, cupressi nucibus, vuarum acinis, glandium costis; uel cauo illo, quo glans prorumpit, & dehiscens nucleum ostendit, mastiche, & lemnia terra. Si hæc omnia rubro uino, uel aceto decocta sint, & sæpe madeat vulua, coarctatur, & supprimitur ualdè. Vel hæc in puluerem redacta, intrò per arundinem trajciantur; uel ijs suffimenta substituantur.* Hæc Io. Baptista Porta. At non omittam aduertere, quod quamuis plerumque, atque sæpissimè, hæc, & similia medicamenta virginitatem etiam in meretricibus repræsentent, ac mentiantur; væ tamen ijs, quæ his mendacijs, & fraudibus fidentes, integritatis florem prostituunt, iusto namque Dei iudicio, vt plurimum fraus ab expertis obstetricibus deprehenditur, nequit enim ars perfectè imitari naturam, vt ait Aristot. *sect.10. probl.64.*

Quoad secundum tempus, in ipsa copula, Abulensis *in Deuteronom. cap.22. quæst.4. vers. sunt autem*, ait, non posse virum in congressu, in illo libidinis impetu, distinguere virginem à corrupta. At aliquando accidit deprehendisse; vnde mulieres parant fraudem apponendo impedimentum, & serico filo crudo consuunt secretiores partes.

Quoad tertium tempus post copulam. Abulensis *loco citato quæst.4.* ait, adstringentibus medicamentis, coarctari quidem partes, sed sanguinem nõ fluere; cruor enim non flui, nisi ex separatione continui. Præterea, inquit, expertos distinguere, & deprehendere sanguinem fluentem ex deflorata virgine, ab alio sanguine menstruo, vel diuerso cruore. Sed vtrique parata multiplex fraus: Vnde Io. Baptista Porta *lib.2. magia naturalis cap.15.* sic scribit: *Si defloratam mulierem integra virginitati restituere vis, tali pilullas constitues pacto; Alumen combustum, masticbe, adiecto calchantis, & auri pigmenti momento, in tenuissimum redigantur puluisculum, vt ferè tactum effugiat; pluuiali aqua pilulas, vbi egegeris, digitis comprimito, & tenuè reficcari curato, ac naturalium ostio, hymenei loco accomodetur; vbi priùs fuerit rupta, senis quibusque horis immutando, pluuiali, vel cisternina semper aqua fouendo, per naturalem id diem, & hinc inde vesiculas inducunt, quæ contacta Sanguinis inducunt profluuium, vt ferè dignosci nequeat.* Hæc Io. Baptista Porta: aliud afferr remedium Arnaldus de Villanoua *lib.3. Breuiarij cap.6.* vbi ait: Mulieres aliquando in ore vuluę adaptasse vesicam cuiusdam piscis, quæ cùm tenuis sit, & recens, faciliter in congressu viri disrumpitur, & sanguis erumpit, & maculat indusium. Præterea alia suppetunt remedia facillima, quibus neque ab expertissimis, cognosci possit sanguis fluens à deflorata, ab isto cruore. Ipsa die nuptiarum occidantur duo pulli columbarum, & pulli vesica eodem sanguine repleatur, & sub indusio abscondatur, quæ tempore copulæ supra vuluam, aut sindonem, & indusium compressa, recenti sanguine maculabit, & simulabit optimè signa virginitatis: vel fasciculus pennularum eorundem pullorum compressus, sanguinem fluxisse ostendet.

His positis, quid in hac quæstione de signis defloratæ, aut integræ virginitatis Ego sentiam, per sequentes conclusiones aperiam.

9 Dico primò, non potest virginitas physica certitudine demonstrari.

Probatur, quia naturaliter nullum certum signum reperitur virginitatis, nam Hymen non omnibus, imò ferè nullis innascitur. Constrictio ceruicis vteri (in qua consistit virginitas, ex Galeno, Vallesio, & alijs, locis citatis) plurimis adstringentibus medicamentis comparari potest. Fluens sanguis, mille fraudibus, ementitur.

10 Dico secundò, potest virginitas morali certitudine probari per inspectionem, aut fluentem sanguinem.

Probatur ex fundamentis supra adductis pro affirmatiua sententia, nam Deuteron. *cap.22.* sanguis effusus est virginitatis signum. Præterea ex *cap. proposuisti de probationibus* oris vteri constrictio virginem probat.

Dices ista signa posse mille fraudibus ementiri,

Respondeo, quòd fraus in dubio non præsumitur *l. merito ff. pro socio*, & cùm fraus sit aliquid facti; factum non præsumitur, nisi probetur *l. in bello, §. facta ff.*

de

de captiuis, & post liminio reuersis. Præterea formido ista, ne fortè fraude sit ficta integritas, non tollit moralem certitudinem, quamvis tollat certitudinem physicam, nam certitudo moralis stat cum formidine oppositi, vt docet Io. Gerson *par.2. operum tract. de præparat. ad Missam considerat.3.* & Alexander Pesantius *1.2.quæst. 92.art.5.disp.2.in fine*.

11 Dico tertiò ex inspectione, & alijs signis, non potest neque certitudine physica, neque certitudine morali constare de deflotatione, sed tantùm haberi potest indicium, & suspitio.

Probatur discurrendo per quatuor signa, supra allata. Nam quòd nō inueniatur Hymen, nullum est signum, & omninò temerè eo non inuento affirmatur, imò temerè suspicatur defloratio. Dilatatio ceruicis vteri, nullam præbet certitudinem, sed tantùm indicium, cùm multifariam in verè virgine dilatetur. Quod sanguis non fluxit, potest multipliciter contingere, vt supra explicatui, lac in mammillis est indicium, non plena probatio corruptionis, nam aliquando retentis menstruis, lacte abundant adhuc virgines.

Hinc patet rectè dixisse Abulensem *in Deuteron. cap. 22. quæst.4. vers. sunt autem*. Non posse esse ita certa signa deflorationis, sicut sunt virginitatis.

Adde quod in delictis stupri debent probationes esse, luce meridiana clariores, *l.sciant cuncti C.de probationib.*

12 Dico quartò ex vno, vel pluribus signis prædictis, habetur indicium, ac suspicio deflorationis. Probatur, quia in dubijs inspicitur, id quod plerumque fieri solet *l. in obscuris ff. de regulis iuris*, & suspicio nascitur ex his, quæ frequentius eueniunt. Sed hæc signa frequentius in corruptis habentur; ergo rationabilis est suspicio, & indicium ex ijs, fœminam esse defloratam.

Confirmatur ex tex. *in l.1. ff. de ventre inspiciendo* ibi *prægnantem videri* non autem debent deponere esse prægnantem, nam conceptionis signa incerta sunt, vt ex Medicis probat Sanctorellus *de natura sanitatis lib.5.cap.19*.

Quare obstetrices non debent deponere puellam esse defloratam, sed se suspicari, aut verisimile esse, quod fuerit deflorata, vt optimè docet Sanchez *de Matrimonio lib.7.disp.113.num.15*. Mascardus *de probation.conclus. 1274. nu.48. & 49.* Pacianus *de probat.lib.1.c.57.nu.17*.

13 Dico quintò rarissimè ad inspectionem puellæ per obstetrices deueniendum est, & non nisi in subsidium, cùm alia non suppetunt argumenta ad probandam virginitatem. Ratio est, quia inspectio maximè pugnat cum virginum modestia, & verecundia, quod eleganter ostendit Sanctus Ambrosius *lib.6. epist.1. ad Syagrum Veronensem Episcopum*, quem acriter reprehendit, quia virginem per obstetrices inspici mandauerat, & eruditè Pontius *de Matrimon. lib.7.cap.63*. nec vltra duas ad id muneris delegandæ sunt, vt patet ex his, quæ doctè affert Pater Pasqualigus *decis.221.222. & 223.* vbi probat vnam quoque sufficere, si sit satis perita.

QVÆSTIO XV.

Multiplex carnalium affectionum, atque titillationum species, ex medicorum placitis explicatur.

S V M M A R I V M.

Motuum carnis sex species. num.1.
Penis erectio. num.2.
Causa materialis erectionis sunt spiritus, & flatus. num.3.
Causa efficiens imaginatio, aut multiplicatum, vel mordicans sperma. num.4.
Motus pudendorum Inuoluntarij. num.5.
Satyrisis. num.6.
Priapismus. num.7.
Priapi simulacrum. num.8.
Priapi sacra. num.9.
Orpheus præpostere libidinis detestandæ Auctor, inter Deos relatus; orphicis sacris initiati. num.10.
Pollutio nocturna. num.11.
Causa nocturna pollutionis. num.12.
Distillatio. num.13.
Gonorrhæa. num.14.
Eadem ferè causa omnium titillationum. num.15.

MEdicum è Theologo me euasisse ne quisquam miretur, morborum enim affinitas, etiam scientiarum munera confundere cogit.

1 Sed ferè huiusmodi motuum, atque affectionum species communiter à Medicis assignantur, nempè penis erectio, quam naturalem vocant, Satyarisis, Priapismus, Pollutio nocturna, Distillatio, & Gonorrhæa.

2 Penis erectio est eiusdem incrementum, & durities.

3 Causa materialis huius erectionis est ex spiritibus, & flatibus in spongiosam penis substantiam concurrentibus, vt docuerunt Arist. *sect.30. probl.1.* Galenus *lib.6. de locis affectis cap.5. & lib.15. de vsu partium c.2.* Auicenna *lib.3.fen.20. tract.1.cap.2.* Hinc est, quod ab aeris, seu flatulento impulsu contingit aliquando in laqueo suspensis penis erectio, vt docet Sanctorellus *in tractat. de medicando defuncto cap.21.*

4 Causa efficiens, à qua mouentur spiritus, ac flatus, & ad penem trahuntur triplex est, nempè imaginatio venerea, atque multiplicatum, vel mordicans sperma, ita Auicenna *lib.3.fen.20. tract.1.cap.2.* his verbis: *Erectio accidit ex ventositate forti, quam defert spiritus desideratiuus, cum quo incedit sanguis plurimus, & spiritus grossus: Et cum congregatur, & multiplicatur sperma in membris, inquirit separationem ex ipsis, & quandoque fit erectio propter mordicationem materiæ stantis in glandulis.* Hæc Auicenna; ex quo patet triplicem esse causam efficientem erectionem, nempè imaginationem veneream, copiam spermatis, atque mordacitatem eiusdem.

Quando ergo absque vlla imaginatione venerea sentitur erectio, tunc causa est copia spermatis, aut qualitas mordicans eiusdem, vndè tunc oportet ieiunijs, & carnis maceratione prauos motus comprimere: quando verò incipit erectio ex praua imaginatione, tunc oportet occupatione, ac pijs meditationibus, & studijs causam auertere.

5 Hinc patet inuoluntarios esse horum membrorum motus, vnde Aristot. *lib. de causis motus animalium c.8.* ait: *inuoluntarios esse motus cordis, & membri pudendi*, & Sanctus August. *lib.14. de ciuit.Dei cap.16.* ait: *Motus membrorum genitalium aliquando importunus est, nullo poscente; aliquando autem destituit inhiantem, & cum in animo concupiscentia ferueat, friget in corpore.* Rationem affert S. Thom. *1.2. quæst.17. art.9. ad tertium*, quia ad motum horum membrorum requiritur aliqua alteratio naturalis, scilicet caliditatis, & frigiditatis, quæ quidem alteratio non subiacet imperio rationis. Itaque *tunc motus*

motus iste importunus est, nullo poscente (*vt ait S. August.*) quando multiplicatum sperma, ex copia sanguinis, inquirit separationem. Tunc verò *destituit inhiantem*, quando, *quamuis in animo concupiscentia ferueat, tamen friget in corpore*, quia deficiunt spiritus vitales, aut animales; deficiunt autem, vel quia non gignuntur ex cordis cerebriq; intemperie varia, vel quia geniti aliò auocantur, vel ex aliquo morbo ad penem permeare non valent, vt docet Sanctorellus *tract. de natura sanitatis lib.20. cap.21.*

Aduerto autem eum qui erectionis motum non comprimit ne que ei resistit, sed negatiuè se habet, ac patitur, dummodò non consentiat, neque adsit proximum periculum consensus, venialiter peccare, vt ostendam *infra q.17. num.15.* sed vide quæ ibi dicam.

6 Satyrisis nomen deductum est à Satyris Dijs syluestribus in libidinem pronis, & tunc contingit quando cum erectione coniuncta fuerit palpitatio, cum pruritu, ita Paul. *lib.3. c.36.* Leonius *tract. de arte medendi sect.3. lib.6. c.4.* qui scribit, quod satyarisim perpetuò venereus appetitus comitatur, & Sanctorellus *tract. de sanitatis natura lib.20. cap.22.* tradidit satyarisim esse efferatam quandam libidinem, quali satyri laborare solent. Quare satyarisim patiens est in proximo periculo pollutionis: vndè mortaliter peccat si tam graui tentationi positiuè, ac validè non resistat, surgendo à lecto, orando, aut aliter, vt dicam *infra quæst.17. num.11.*

7 Priapismus ex Aetio *lib.11. cap.31.* Est penis auctio in longum, & spissum, citra rei venereæ appetentiam, ex caliditate aquificitia, & dolore locorum consistens, priapismo enim laborantibus dolores contingunt, ita etiam Galenus *lib.6. de locis affectis cap.6.* & Auicenna *lib.3. fen.20. tract.1. cap.37.*

8 Dicitur à Priapo, qui propter ingentem virilis membri magnitudinem inter Deos receptus est, cuius spurcissimum simulacrum grande pudendum porrectum ha-
9 bebat, post fœda eius sacrificia, turpissimus Sacerdos in gradu altaris consistens, sua verenda toti Populo nuda demonstrabat, ad fœdissimos, incestosque complexus inuitans, ita Abulensis *in Exodum cap.20. quæst.2. & lib.3. Regum c.15. qu.11. & 12. & in Genesim cap.17.* Natalis Comes Mythologiæ *lib.15. cap.15.* Tanta erat illorum temporum cæcitas, tantùm rationalis naturæ nubilum, adeo immundissimi, & nequissimi spiritus ad libi-
10 dinem mortalibus illudebant; nam & Orpheus Thraciæ Princeps detestandæ præposteræ libidinis auctor, Diuinitatis opinionem est assecutus, & erant qui Orphicis initiarentur sacris, vt ex Ouidio, Herodoto, ac Tullio, probat Celius Rhodiginus *lib.8. cap.30.*

11 Pollutio nocturna dicitur eò, quod frequentiùs noctu dormientibus accidat, nam & vigilantibus euenire nil prohibet, sic de quodam rustico, refert ex Leonellio Sanctorellus *tract. de natura sanitatis lib.23. cap.6.*

12 Causæ autem nocturnæ pollutionis ex Galeno *lib.6. de locis affectis cap. vlt. & de causis symptomatum lib. vlt. cap.4.* sunt laxata facultas retentrix, aut irritata expulsoria, ex copia, vel mordacitate seminis, aut ex venerea imaginatione, vel ex repletione cibi, aut potus, vel ex dormitione supra dorsum, qua incalescunt renes, & liquatur semen, & effluit.

13 Distillatio est non veri seminis, sed serosi cuiusdam humoris effusio, cum leui, aut sine vlla prorsus pudendi erectione, distillationem vocant Medici saliualem humiditatem, ita Auicenna *lib.3. fen.20. tract.1. cap.30. ex* Theologis, S. Thom. *opusc.64. cap. de fluxu libidinis*, & Io. Gerson *par.2. operum tract. de pollutione diurna notab. primo fol. mihi 483.* quorum verba infra *dabimus, quæst.24.*

14 Gonorrhæa Græcè, Latinè dicitur seminis profluuium. Ex Aetio *lib.11. cap.33.* Gonorrhæa, est seminis excretio, præter voluntatem, ac pudendi tentiginem, seu pruritum. Vel vt alij definiunt est continua seminis excretio, cole haud quaquam extenso. Gonorrhæam, aut priapismum patientibus, nullus debet inesse scrupulus, inuoluntariè enim, & sine voluptate venerea accidunt, neque verum semen in his emittitur.

15 In cunctis carnis titillationibus, ac motibus communes ferè sunt causæ, nempè imaginatio venerea, copia, aut mordacitas spermatis, & prout istæ causæ diuersæ sunt intentionis, aut quantitatis, causant diuersos effectus, ac diuersos specie motus.

QVÆSTIO XVI.

An sit probabilis opinio, dari paruitatem materiæ in deliberata delectatione venerea, quæ in carne sentitur, cum commotione spirituum subseruientium generationi, circa partes libidinosas, seclusò periculo pollutionis, vel consensus.

SVMMARIVM.

Prima sententia affirmat. num.1.
Secunda sententia negat, & est communis. num.2.
Opposita opinionis censura. num.3.
Damnata à Clemente VIII. num 4.
De fide est, non posse Papam errare, cùm toti Ecclesiæ leges quoad mores proponit. num.5.
Quæ decreta Pontificis, aut Conciliorum indigeant publicatione? num.6.
Opposita opinio erronea, & in fide suspecta. num.7.
Opposita opinio est contra sensum omnium fidelium. num.8.
Opposita opinio scandalosa. num.9.
Opposita opinio periculosa. num.10.
Delectatio venerea est inchoata pollutio. num.11.
Quæ precepta admittant paruitatem materiæ. num.12.
Opinio admittens paruitatem materiæ expungenda. nu.13.
Contra, eam publicè docentes, procedere possunt Inquisitores. num.14.

1 Affirmat Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.46. num.9. & 17.* afferens Armillam, Nauarrum, & Sotum, idemque tradunt alij apud Dianam mox citandum.

Probant primò, quia non est maior ratio, cur in cæteris præceptis, & non etiam continentiæ detur paruitas materiæ.

Secundò, quia periculum consensus in copulam ex tali modica delectatione venerea est remotum; ergo non est grauis culpa.

Tertiò, quia etiam remotè non proximè disponit parua hæc delectatio ad pollutionem.

Quartò, quia alioquin nulla esset differentia inter leuem tactum ex quo insurgit illa exigua delectatio, ac inter tactus graues, amplexus, & oscula, quæ per omnes sub graui culpa prohibentur.

2 Negat

Rodriquez *in Summa, par.1. c.209.* ait: in Regnis Hispaniarum comburi eos, qui hoc delictum committere conantur, quamuis impediti copulam non consumant. Barbatia *cons.64. nu.10. lib.1.* Gayllus *de pace publica, lib.1. c.14. n.26.* Quaranta *in Sum. bullar. verbo sodomia limit.3.*

Sic qui immediatè, & proximè attentauit bestialitatem cum bruto, sed non intrauit vas, sed propè semen effudit, fuit combustus, Boerius *decis.316. num.5.*

Sic factum Consilium Neapolitanum ad mortem damnauit vi stuprantem puellam non viri potentem. Francus *decis.534.* quamuis stuprum non fuisset consumatum.

Sic idem Neapolitanum Consilium ad mortẽ damnauit fabricantem falsam monetam, quamuis non consumasset delictum, non impressa adhuc forma, seu imagine. Grammaticus *decis.74.* Menoch. *casu 316. nu.24.*

Sic propinans venenum, non sequuta morte, pœna ordinaria est puniendus, & hanc esse communem opinionem, tradit Menoch. *de arbitr. casu 360. num.47.*

3 Secunda opinio, eaque verior est, attentantem proximè, & immediatè sodomiam, extraordinariè puniendum, hanc receptissimam in praxi, & communem opinionem esse tradit Farinacius *de delictis carnis qu.148. num.59. & 64.* Afflict. *in constitut. Neap. par.3. rub.42. num.15.* Clarus *in §. sodomia, in fine,* Gomez *in l.8. Tauri num.34.* Peguera *decis.75. & 72.* Riccius *in praxi par.1. decis.367.* Viuius *decis.157. num.9. vol.1.* Diana, qui plurimos citat, *par.2. tract.7. resol.20.* refert, quod Inquisitores in Regnis Hispaniarum, & Lusitaniæ, vbi cognoscunt de hoc crimine, si delictum non fuit consumatum, non relaxant reum curiæ seculari, sed ad triremes damnant. Probatur hæc opinio ex textu apertissimo *in l.1. §. fin. ff. de extraord. crimin.* ibi, *Qui puero stuprum persuaserit, quidue impudicitiæ gratia fecerit, pretiumuè, quo id persuaderet dederit, perfecto flagitio, punitur capite; imperfecto in Insulam deportatur*: ergo tunc solùm capite puniendus, quando perfectum, seu consumatum est flagitium.

Probatur secundò, nam quicquid sit de iure communi, tamen hodie ex generali consuetudine totius mundi, omnia iura punientia conatum, etiam effectu non sequu-
4 to, correcta sunt; vndè etiam in atrocissimis non punitur pœna ordinaria, crimen, nisi consumatum sit, & sic non punitur affectus, non sequutò effectu, de hac consuetudine omnium Nationum Doctores passim testantur. Speculator *in tit. de accusat. §.1.* Bald. *in l. is qui cum telo C. ad l. Corneliam de sicarijs.* Gramm. *decis.2. num.8. & 14. decis.74. num.10. voto 19. num.4. voto 20. num.8.* Clarus *in §. fin. quæst.92. num.2.* plures citat Farinac. *de delictis, & pœnis quæst.17. num.49.* Menoch. *casu 360. num.92.* Baldus *cons.356. vol.1.* Ofaschus *decis.19. nu.2.* Boerius *decis.316.* Tiraq. *de pœnis temp. causa 38.*

5 Probatur tertiò inductione, nam cætera quamuis atrocissima crimina, morte non puniuntur, nisi consu-
6 mata. Hinc mulier, quæ dedit pomum veneno infectum domino suo, ad edendum; quod cùm ille amarum gustasset, proiecit, condemnata fuit ad seruiendum infirmis, in hospitali, eius vita durante. Gramm. *decis.2.* idem docent si medicamentis fuit impeditum venenum, ne afferret mortem, esse extraordinariè propinantem puniendum Fabius Monteleo *in praxi arbitraria par.4. nu.687.* Marsilius *in l. eius dem ff. de sicar.* Afflict. *in constit. Regni,* Malanoxia *colum.2. sub rubr. de malis, & noxijs medicam.* Angel. *in l.1. §. fit iniuria de varijs, & extraord. crim.*

7 Falsificans literas Regis, si falsitas non fuit consumata, quia non impressum sigillum ab officiali detegente falsitatem, punitur extraordinariè, Afflictus *decis.21.*

8 Vendens venenum, animo occidendi, si mors non sequatur, punitur extraordinariè, Menoch. *casu 359. nu.4.*

9 Stuprans vi virginem, non viri potentem, quia non fuit consumatum stuprum per decennium fuit damnatus ad triremes, Thesaurus *decis.148.*

10 Dans poculum, pro abortu, si abortus non est sequutus, relegandus est, Barbatius *cons.23. vol.2.*

11 Schalam fenestræ apponens, vt puellam raperet, est extraordinariè puniendus, Mantua *cons.31. num.2. lib.2.*

12 Falsus testis, qui conatus est aliquem ad mortẽ damnari, si detecta falsitate innocens liberatus est, debet extraordinariè puniri. Ofaschus *decis.19.* qui ait, illi fuisse ex decisione Senatus Taurinensis, manum amputatam, & publicata bona, & Senatus Mediolanensis huiusmodi testem ad perpetuas triremes damnauit, Menoch. *de arbitr. casu 360. num.95.*

QVÆSTIO XI.

Qua pœna extraordinaria sit puniendus attentans sodomiam?

SVMMARIVM.

Prima conclusio quando attentatio est immediata ad triremes per decennium damnatur. num.1.

Causæ minorandi pœnam. num.2.

Secunda conclusio quando conatus est proximus, sed non immediatus mitius punitur. num.3.

Tertia conclusio quando verbo attentauit, relegandus. n.4.

Quarta conclusio mitius punitur, si non perfecit, quia pœnituit. num.5.

Quinta conclusio ex circumstantijs pœna est mitior, vel grauior. num.6.

1 Dico primò, si attentatio fuit proxima, & immediata, vt quia posuit membrum iuxta vas, sed non intrauit, debet per decennium damnari ad triremes, ita Peguera *decis.75.* refert decisum, & eodem sensu intelligerem alios Doctores, simpliciter asserentes damnandum ad triremes; nempè quod si attentatio sit proxima, & immediata, debeat saltem per decennium condemnari. Petrus Caballus *lib.1. resol. crim. cap.16. nu.11.* Genuensis *in praxi Archiepiscopali cap.80. num.1.* Diana *par.4. tract.7. resol.20.*

Dices, alij referunt, mitius reos fuisse punitos: sic Clarus *in §. sodomia nu.8.* ait: Senatum Mediolanensem iudicasse quendam Iosephum Cauarium, fustigandum, quia cum puero extra vas se corrupit. Idem Peguera *decis.72. num.5.* ait: per Senatum Cataloniæ fustigatum quendam, qui plures actus venereos fecit cum pueris inter crura, manibus abutendo, & semen emittendo. Aloysius Riccius *in praxi Archiepiscopali, par.1. decis.367.* ait: Parochum per biennium exulare iussum, & pro eo tempore suspensum à cura, & deinceps ad arbitrium Eminentissimi, quia tentauit actum sodomiticum cum pueris, non tamen intra vas semen emittebat, quia non poterat, sed inter crura.

2 Respon-

2 Respondetur, quod triplici ex causa in prædictis casibus fortè fuerunt mitius puniti. Primò, quia forsan de delicto non erant conuicti, aut confessi, sed ex vehementibus indicijs, aut plusquam semiplenè probatum, quo casu mitior pęna debetur, quàm si fuissent conuicti, aut confessi, vt patet ex his, quæ docent Farinac. *de reo confesso quæst.86. num.27. de pænis temper. quæst.87. num.* 113. 114. *&* 117. *& de delictis carnis quæst.136. nu.24. &* 165. Menoch. *lib.5. quæst.41. num.11. &* 15. Ceuallos *comm. opin. quæst.*337. Sanfelicius *decis.*48. *num.*3.

Secunda causa, qua fuerunt fortè mitius puniti, quia non animo consumandi sodomiam, seu illam attentandi; sed tantùm extraordinariam pollutionem exercendi cum pueris, vt puto contigisse in casu Clari, & Pegueræ *d. decis.72. num.5.* Nam talis pollutio, quamuis sit grauissimum peccatum contra naturam, vt ex Sancto Thoma 2.2. *quæst.*154. *art.*10. tamen vt notat Reginaldus *tom.2. lib.22. num.49.* non est in rigore sodomia, neque dicitur sodomia attentata, si abfuit animus, & connatus ad vas penetrandum; ergo non debuit puniri, tam grauiter, sicuti si attentasset sodomiam, sed tantùm, vt pollutio, & huiusmodi masturpatores, exilio, aut alia pęna extraordinaria puniendos, docet Iodochus *in pract. crimin. cap.98. num.6.* Menochius *casu 286. in fine*, Farinac. *de delictis carnis quæst.148. num. 38. & 39.*

Tertia causa, qua fortè fuit ille Parochus mitiùs punitus, quia conatus non erat proximus, & immediatus, si quidem quamuis haberet animum sodomiam committendi; tamen non poterat, vt ibi refert Riccius; fortè enim resistebant sodomiæ pueri; nec soluebant fęmoralia, & ipse à parte anteriori emittebat semen, quare non erat immediatus conatus ad sodomiam.

Sed quicquid sit de his casibus, nolo enim diuinare, certè, talem immediatum conatum non crederem posse minori pęna, quàm decennij ad triremes puniri, patet autem ex *l. 1. §. fin. ff. de extraordinar. crimin.* vbi qui puero persuasit stuprum, non perfecto flagitio, deportandus est: at deportatio erat grauissima pęna, deportati enim bona omnia publicabantur, vt ait Cęlius Rodiginus *lib.27. antiq. lectian. cap.15. in fine*, & erat perpetua, vt idem tradit *lib.10. cap.5.* atque in certo determinato loco, Budeus *in pandectis, tit. de pænis.* Vndè non immeritò hodie deportationi, perpetuas triremes subrogandas, docuit Bossius *tit. de extraord. crimin. num.3.* quamuis Farinac. *de delictis, & pænis, quæst. 19. num.15.* Clarus *in §. fin. quæst.67. vers. deportatio*, & Menoch. *de arbitr. casu 330. num.5.* dicant esse subrogatam pęnam, Iudici arbitrariam. At cùm deportatio grauissima fuerit pęna, vnde mors ciuilis dicebatur, puto grauissimam pęnam corporalem illi subrogandam, & sic si non perpetuæ triremes, saltem decem annorum, aut septem.

Præterea oppositæ opinionis, Doctores adeò graue delictum putant immediatum, & proximum conatum ad sodomiam, vt morte puniendum censeant; quare ergo Iudex leuem pęnam exilij, aut aliam similem arbitrabitur?

3 Dico secundò, quando conatus fuit proximus ad sodomiam, sed non immediatus, vt si soluit pueri fæmoralia, ac se disponebat ad copulam, sed ex superuenienti impedimento, vltra non processit, tunc debet pęna extraordinaria puniri; sed longè mitiori, ac in præcedenti casu immediati conatus. Parisius *cons.163. num.2. lib.4.* qui loquitur de soluente fęmoralia, at non exprimit pęnam. Et de adultero solo cum sola, clauso hostio, dissolutis caligis inuento, quem extraordinariè puniendum & probatum præsumptiuè adulterium, docuit Menoch. *lib.5. præsum.41. num.11. & 15.* Farinac. *de delictis carnis, quæst. 136. num.24. & 165.* Hunc ergo per biennium ad triremes damnarem, quod si esset nobilis, per triennium relegarem, & vlterius pecuniaria pęna mulctarem. Præterea si puerum postrasset, seu aptasset ad copulam, tunc dicitur actus multum propinquus, & punitur sicut pro actu consumato, ita Bald. *in l. si quis non dicam rapere in 6. opp. C. de Episcop. & Cleric.* sed rectius idem Baldus docet oppositum *cons.356. vol.1.* Menoch. *casu 360. num.118.* non enim dicitur actus immediatus, nisi cępisset copulam, seu conetur copulam perficere, nequiuit tamen intrare vas.

4 Dico tertiò, si verbo tantùm, & sic remotè sollicitasset puerum ad sodomiam, aut etiam dedisset munera, ac etiam osculatus esset, tunc per annum, aut biennium relegarem, tales enim extraordinariè puniendos docent ex *l.1. §. fin. ff. de extraord. crimin.* Menoch. *dicto casu 360. num.60. & casu 286. numer.27.* & de sollicitante alienam coniugem Menoch. *d. casu 360. num.49.* Grammaticus ad Afflictum *decis.21.* in fine: talis autem conatus verbalis debet mitius puniri Bald. *in l. si quis non dicam rapere 6. opp. C. de Episc. & Cleric.* Possent etiam huiusmodi verbales conatus pecunia damnari, sic de mandante assassinium fuisse decisum refert Grammaticus *decis.2. num.25. & voto* 8.

5 Dico quartò, qui conatus est sodomiam committere, si non perfecit, quia pęnituit, & potuisset si voluisset, debet mitius puniri. Quaranta *in Summa bullar. Verbo sodomia limit.3.* Couar. *in Clem. si furiosus, par.2. in initio, nn.6. de homicidio*: sic etiam puniendus est, sed mitius, qui pecuniam pro assassinio accepit, deinde pęnituit, & Iudici detexit Menoch. *casu 360. num.47.*

Nec obstat textus in *l. qui falsam, ff. de falsis*, vbi non punitur is, qui falsam monetam fabricauit, & pęnitens, imaginem Principis non impressit, & sic non consummauit delictum.

Respondetur ex Baldo in *l. si quis non dicam rapere in 4. opp. C. de Episc. & Cleric.* quem sequitur Menoch. *casu 360. num.13.* hoc intelligitur, quando ex principio delicti, nemo læditur, ac secus quando initium delicti est alteri nociuum, vt est attentare raptum Monialis, aut persuadere puero stuprum.

6 Dico quintò, ex alijs personarum circumstantijs aggrauanda, aut minuenda est pœna; Nam vt ait Farinac. *de delictis, & pænis, quæst.19. num.15.* iuxta facti, & personarum delinquentium qualitates, debet Iudex arbitrari pœnam, quare sodomiam attentans coniugatus; aut cum coniugato adolescente, debet grauius puniri, nam infertur iniuria coniugi, propter sodomiam enim potest peti separatio thori, Menoch. *de arbitr. casu 286. numer.22.* sic si puer sit nobilis, & qui conatur sodomiæ crimen, sit vilis persona, puto aggrauandam pœnam, ex his quæ in simili de stupro, notat Farinac. *de delictis carnis, quæst.147. num.70.* Infertur enim iniuria nobili familiæ pueri: sic etiam in regulari aggrauanda est pęna, sed de hoc dicam quæst. sequenti.

QVÆSTIO XII.

An Regularis sodomiam attentans, longè grauius, quàm Secularis puniatur?

SVMMARIVM.

Regularis grauius delinquit in peccatis carnis ob sacrilegium. num.1.

Regularis grauius peccat ob scandali, & religionis infamiam. num.2.

In Regulari debet esse grauior pœna ob regularem obseruantiam, & disciplinam tuendam. num.3.

Ob militarem disciplinam exigua furta militum morte puniuntur. num.4.

Ob tuendam militarem disciplinam delicta minus plenè probata puniuntur, num.5.

Licitè Carthusianus ob tuendam regularem obseruantiam, cum mortis periculo, à carnibus abstinet. num.6.

Ob eandem causam carnis delicta, absque præuia correctione, denunciari possunt Regulari Prælato. num.7.

Cum apud regulares non sit vsus tormentorum, ideò aggrauatur pœna extraordinaria, num.8.

Est Iudici arbitrarium, vel inferre torturam, vel aggrauare pœnam. num.9.

Qua pœna regularis sodomita plectendus? num.10.

RESpondetur affirmatiuè. Probatur, quia cùm in pęnis arbitrarijs non sit certa forma assignabilis, vt ait Baldus *cons.356. in fine, vol.1.* & Gayllus *de pace publica lib.1. cap.14. num.30.* ex circumstantijs aggrauanda, aut minuenda est pęna, *cap. mensuram de penit. dist.1.* Ripa *in cap. inter cæteras num.59. de rescriptis,* Menoch. *de arbitr. lib.1. quæst.85. num.3.* sed quatuor sunt causæ, seu circumstantiæ, ob quas longè grauius regularis, quàm secularis puniendus est, ob attentatam sodomiam.

1 Prima causa est, quia regularis in peccatis, quæ committit contra votum, ob circumstantiam sacrilegij, grauius puniendus est, quàm Secularis. Farinac. *de pœnis temperand. quæst.98. num.121.* est enim duplex crimen sodomiæ, & sacrilegij. Osaschus *decis.103. num.5.* Vnde fornicatio, quæ alioquin non puniretur, in eo punitur, iuxta ea quæ notat Menoch. *de arbitr. casu 289. num.7.* Ergo cùm sit duplex crimen, duplicata pęna dignus est, nam iuxta mensuram delicti, erit & plagarum modus.

2 Secunda causa est scandalum, & religionis infamia, etenim vt ait S. August. *epist.137. cap.2. ad plebem Hyppon. Cum de aliquibus qui Sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus credatur,* & S. Thomas *opusc.19. cap.20.* sic ait: *Extendunt crimina religiosorum, vt scilicet quod ab vno, vel duobus geritur toti religioni imponere præsumant.* Ergo ex his criminibus, infamatur religio.

Neque enim Seculares, religiosis infensis, considerant quod S. Hieronymus *lib.3. contra Ruffinum,* scripsit; *Lustraui* (inquit) *monasteria Nitriæ, & inter choros Sanctorum, aspides latere perspexi.* Nimirum vt eruditè Tertull. *lib. de præscript.* ait; *etiam de oliuæ nucleo mitis, & opima, & necessaria, asper oleaster oritur; & de papauere fici gratissima, & suauissima ventosa, & vana caprificus exurgit.* Sic Varro; *Neque in bona segete, nullum est spicum nequam, neque in mala non est aliquid bonum*; *Ergo cum necesse sit, vt veniant scandala, væ homini illi, per quem scandalum veniunt.* Væ, væ, væ ter nequissimo, triplicis culpæ reo, nefandi, sacrilegij, scandali, triplex pœna detur.

Seueritas ergo supplicij, sacro ordini decorem tribuat, quem abstulit culpa, meritò Imperator Iustinianus, *Nouella 113.* sic statuit. *Illud quoque modis omnibus obseruari volumus, vt si quis Reuerendissimorum Monachorum in Caupona videatur, illicò is tradatur Ciuitatum defensoribus, aut hic iudicio Excellentiæ tuæ castigetur conuictus, certiorque de ea re, reddatur Antistes, vt eum, qui hæc deliquit, & turpem vitam, cum Angelico hoc statu permutauit, expellat Monasterio.* Hæc Iustinianus: iustum supplicium, iniustè à Laico præscriptum. Idemque Iustinianus *in l. Presbyteri C. de Episcop. & Cleric.* ait: *Multò magis, pęna, digni sunt, quibus cum plurimum honoris per nostram iussionem delatum est, si in occulto inueniantur crimina.*

Fateor tunc, aggrauandam pęnam propter scandalum, ac religionis dedecus, quando delictum fuit publicum, aut in plurimorum notitiam deuenit; vt docet Farinac. *de pęnis temper. quęst.98. num.121.* sed esto non deuenerit; si per se aptum erat publicari adhuc aliquantulum debet augeri pęna.

3 Tertia causa aggrauandi pęnam, est ob tuendam regularem obseruantiam, & disciplinam, verè enim ait S. Bonauentura *opusc. de sex alis Seraphim, cap.3. In hoc differunt laudabiles religiones, & iam dilapsæ non quod nullus in illis peccans reperiatur, sed quod nullus impunè, peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè pręcludatur,* ita S. Bonauent. tunc autem studiosè peccandi aditus præcluditur, quando seuerè delicta puniuntur: vndè apud veteres Monachos, leuia delicta grauiter emendata, refert Cassianus *lib.4. de Instit. renunciat. cap.16.* etenim, vt ait, Demosthenes *In seueritate iudicij sita est legum authoritas,* & Card. Damianus *Epist.11. Eneruato* (inquit) *rigore iustitię, status euertitur disciplinæ, & dum vltoris seueritatis, censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur; Inordinata sanè pietas, nutrit impietatem, & timida manus Medici, vulnus auget ægroti.*

4 Prætereà si propter disciplinam militarem tuendam,
iustè Dux exercitus, exigua furta militum, morte punit.
Layman *lib.1. tract. 4. cap.14. num.3.* cur ergo, & pro-
5 pter regularem disciplinam seuerè crimina punienda
non sunt? sic Caietanus *2. 2. quęst.70. artic.2.* & Sotus
lib.5. de Iustit. quęst.7. art.2. ad primum, docent ob fa-
uorem regularis obseruantiæ, posse puniri delicta,
etiam si non plenè probentur; sed per testes singulares;
sic ne regularis obseruantia, paulatim dilabatur, li-
6 citè Carthusianus exponit se periculo mortis, absti-
nendo à carnibus in grauissima infirmitate, quod alio-
quin non liceret. Sanchez *consil. 5. cap. primo dub.34.
numer.6.* Diana alios citans, *part.5. tractat. 3. resolut.*
7 136. sic ob religionis decorem, & disciplinam cùm in
damnum publicum ordinis, tendant omnia carnis deli-
cta, possunt ista absque præuia correctione, denunciari
Prælato; ita ex Sancto Thoma, Peregrinus *in constitut.
Clericorum regul. par.3. cap.9. vers. nemo litera 2. concl.*
Caspensis *in Cursu theol. tom.2. tract.27. disp.6. sect.4.
num.39.* Vide Dianam *par.7. tract.3. resol.62.* Denique
apud obseruantes religiones, moris est seuerè huiusmo-

di delicta puniri; quarè talis vsus, omninò seruandus est iuxta ea, quæ notat Farinacc. *de delict. & pœnis quæst.* 17. *numer.* 18. & 54. Gramat. *cons. crimin.* 48. *numer.* 1.

8 Quarta causa est, quia apud regulares non est vsus tormenta adhibendi, quare aggrauanda est pœna, fortè enim si torqueretur reus, confiteretur à se consumatum delictum, & pœna ordinaria puniretur, ita Sanchez *consil. lib.* 6. *cap.* 5. *dub.* 12. *num.* 4. ex Caiet. 2.2. *quæst.* 70. *artic.* 2. & Soto *lib.* 5. *de Iust. quæst.* 7. *art.* 2. tùm quia
9 est in arbitrio Iudicis, vel inferre torturam, vel ea omissa aggrauare pœnam, Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 92. *num.* 3. Carena *tract. de S. Officio par.* 3. *tit.* 8. *num.* 17. Scaccia *de Iudicijs lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 527.

10 Itaque saluo doctiorum iudicio, Ego regularem conuictum, aut confessum se consumasse sodomiam, in locis vbi Bulla Pij V. recepta non est, qua tradendus est Curiæ seculari, aut si bis, aut ter tantùm deliquisset, non enim tradendus, nisi exercens, quasi ex vsu continuato. Nauar. *cap.* 27. *num.* 249. Riccius *in praxi par.* 1. *decis.* 352. *num.* 3. Genuensis *in praxi cap.* 80. *num.* 1. Diana *par.* 2. *tract.* 17. *resol.* 65. Barbosa *de Episcopis, allegat.* 44. *num.* 25. quamuis etiam pro prima vice tradendum dicat Lopez, ad Diaz *cap.* 86. *lit. C.* & Farinac. *de delictis carnis quæst.* 148. *num.* 30. Hunc inquam regularem consumantem sodomiam, ad perpetuos, & obscuros carceres, cum triplici ieiunio in pane, & acqua per hebdomadam condemnarem, pro vt seruari in praxi refert Spatharius de modo corrigendi Regular. *tract.* 10. *par.* 3. *cap.* 16. *num.* 9. Si verò regularis omninò proximè sodomiam attentasset, vt si imposuisset membrum iuxta vas, quod tamen non intrauit, sed extra semen emisit propè vas, aut inter crura, tunc per decennium ad obscuros carceres, cum triplici ieiunio prædicto, condemnarem, patet hoc *ex decis.* 75. Pegueræ, vbi ait: *Secularem, qui ita deliquit, per decennium ad triremes damnatum.*

Si autem deuenit ad attentionem minus proximam, vt quia soluit pueri femoralia, & deinde impeditus cessauit, tunc per triennium cum vnico ieiunio in pane, & aqua per hebdomadam ad carceres condemnarem, & si pluries ita deliquisset, alias regulares pęnitentias adderem.

Si verbo tantùm, & sic remotè attentasset; aut dedisset munera, tunc per annum ad carceres condemnarem: si deuenisset ad osculum, adderem vnicum ieiunium per hebdomadam in pane, & aqua, aliasque regulares pęnitentias.

Prætereà sicut apud Seculares grauius puniuntur ignobiles, & mitius nobiles, quando pęnæ sunt arbitrariæ, Farinacc. *de pœnis temp. quæst.* 98. Tiraqu. *de nobil. cap.* 20. Sic apud regulares, puto grauius puniendos Laicos, seu conuersos; vndè istis iuxta proportionem delicti vltra carcerem; adderem postquam fuerint à carcere liberati, per aliquot annos, vestis decurtationem vsque ad genua.

QVÆSTIO XIII.

An variare situm in copula coniugali sit peccatum?

Prima sententia docet esse mortale. num. 1.
Secunda esse veniale. num. 2. *Tertia nullum esse peccatum quamcumque situs variationem, etsi sit præposterus situs. num.* 7.
Matrix habet virtutem attractiuam seminis. num. 3.
Ex iusta causa variare situm, nullum est peccatum. num. 4.
Modica seminis effusio, ex variatione situs, non est mortale. num. 5.
Mortale est, si experientia constet totum ferè semen effundi, variato situ. num. 6.
Concubitus præposterus, in debito vase, est naturalissimus, quia eo bruta vtuntur. num. 8.
Quicumque situs est naturalis, generationi accomodatus. num. 9.
Quando intendere voluptatem in copula coniugali, aut in cibo, sit veniale peccatum? num. 10.

1 PRima sententia docet, variationem situs, præsertim cùm præposterus est concubitus, aut cùm mulier accumbit, sic etiam si sedendo, stando, aut à latere, esse mortale peccatum, quamuis seruetur debitum vas, neque extra illud semen fundatur, ita Abulensis *in cap.* 5. *Matth. quæst.* 227. 228. & 230. Paludanus *in* 4. *dist.* 31. *quæst.* 3. *artic.* 2. *num.* 15. Alensis *part.* 2. *quæst.* 171. *membr.* 3. Astensis *in Summ. par.* 2. *lib.* 8. *tit.* 9. *art.* 2. *quæst.* 1. & Alij apud Sanchez *de Matrimon. lib.* 9. *disp.* 16. *num.* 2.

Probant primò, quia talis concubitus non est naturalis.

Secundò, quia est abusus Sacramenti matrimonij, constat autem peruersionem vsus, & ritus, etiam in accidentalibus sacramenti, esse lethale sacrilegium.

Quartò quòad præposterum vsum, cum hunc natura bestijs præscripserit, fit illis homo simillimus.

Quintò, quia quando vir succumbit, talis modus repugnat receptioni, ac retentioni seminis, proindè est contra naturam.

2 Secunda sententia docet quamcumque variationem situs, seruato debito vase, ac non effuso extra illud semine, esse veniale peccatum, ita Albertus Magnus, D. Antoninus, Gerson, Caietan. & alij innumeri, quos sequitur Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 16. *num.* 3. Pontius *de Matrim. lib.* 10. *capit.* 11. *num.* 3. Diana *par.* 1. *tractat.* 7. *resolut.* 35.

3 Probant primò, quòd non sit lethale peccatum, quia semen non recipitur in fęmineam matricem per infusionem, aut descensum sed per attractionem, nam matrix habet vim attractiuam seminis, etiam distantis, quare à fortiori attrahet semen contiguum; sicut eadem virtus attractiua adest in stomacho respectu cibi, sic de matrice attrahente semen testatur Aristot. 2. *de generatione animalium cap.* 4. & S. Thomas *quodlibeto* 6. *artic.* 18. ergo quocumque situ fiat copula, numquam impeditur generatio, consequenter nequit esse mortale peccatum variatio situs.

Secundò, quia esto non sit ita certa generatio, variato situ, tamen non tenentur coniuges procurare omni-

modam prolis certitudinem; sed satis est eius conceptionem non impedire, vt rectè docent Sanchez *disput.16. nu.3.* & Pontius *num.3.*

Tertiò, quia hic abusus, & ordinis peruersio, est in solis accidentalibus, cùm vas legitimum seruatur; sicut dum coniuges gratias voluptatis captandæ copulantur: ergo non excedit culpam venialem.

Probant autem esse veniale peccatum. Primò, quia id ostendit ardentem voluptatis appetitum, quem indicant eiusmodi mutationes, qui immoderatus voluptatis ardor, saltem veniali culpa non vacat.

Secundò, quia quamuis matrix attrahat, & retincat semen, tamen contingit quandoque, variato situ, effundi extra vas: ergo ob eiusmodi negligentiam, variatio situs erit culpa venialis saltem.

Notant tamen ex iusta causa variationem situs, nul-
4 lum esse peccatum, vt si aliter coniugalis concubitus haberi nequeat, vel propter pinguedinem viri, vel ne fętus suffocetur, ita D. Thomas *in 4. dist.31. in fine in expositione litteræ,* Abulens. *in Matth. cap.5. quæst.227. & 228.* Paludanus *in 4. dist.31. quæst.3. nu.15.* Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.16. num.7.* Pontius *de Matrim. lib.10. cap.11. num.3.* Diana *par.1. tract.7. resol.35.*

5 Notant secundò, modicam seminis effusionem, contingentem ex variatione situs, non esse peccatum mortale, quia vt docent Medici, non retinetur in matrice totum semen, ita Sanchez *lib.9. disp.16. num.5.* Pontius *lib.10. cap.11. num.3.* Diana *par.2. tract.15. resol.64. & par.3. tract.4. resol.204.*

6 Notant tertiò, si experientia constet, vel ex morbo, vel aliundè, variato situ, semper euenire totius ferè seminis effusionem, tunc erit mortale peccatum, Lopez *in 1. par. instruct. cap.28. §. igitur loquendo & cap.87. in fine.* Pontius *de Matrim. lib.10. cap.11. num.3.* contra Sanchez *lib.9. disp.16. num.5.* Ratio est, quia tunc experientia in talibus circumstantijs ostendit eam variationem situs esse contra generationem, & contra bonum prolis, & aduersari fini matrimonij; quarè non poterit excusari à mortali culpa.

7 Tertiam sententiam Doctorum virorum examini subijciendam duxi, non enim audeo sapientissimorum Scriptorum torrenti aduersari; at proferam rationes, quibus ostenditur nullam omninò esse culpam, neque venialem in quacumque variatione situs, neque in situ præpostero, & de hoc præsertim loquar, quia in eo maior apparet difficultas.

Probo itaque nullam esse culpam. Nam vel modus præposterus, aut quicumque alius illicitus est, quia innaturalis, vel quia non est generationi satis accomodatus, vel quia signum est animi nimis libidinosi, & solam voluptatem in coniugali vsu spectantis, vel quia est contra vsum, & consuetudinem timoratorum coniugum, sed nihil horum obstat; ergo ex nullo capite adest venialis culpa in variatione situs cuiuscumque, etiam posteriori.

8 Primò itaque talis situs præposterus non est innaturalis, nam modus, quo bruta vtuntur, hoc ipso quod irrationalia eo vtuntur, quippè quæ naturali instinctu mouentur, est modus maximè naturalis, vt rectè obseruant insignes Medici Mercurialis, & Massarius, qui docent concubitum prępposterum in vase naturali cum vxore esse naturalissimum, quia eo bruta vtuntur.

Secundò non potest dici, quod non est generationi satis accomodatus situs præposterus, imò vt docent Mercurialis, & Massarius, certior est generatio præpostero concubitu, nam certius semen recipitur in vterum, & hac ratione scribunt: in brutis raró esse aliquod sterile animal, quia certiori modo concubendi vtuntur.

9 Quoad cęteros situs, eos etiam esse accomodatos generationi, ostendit ratio adducta ab ipsis aduersarijs, nam semper quocumque situ, matrix semen attrahit; neque refert per accidens aliquando contingere effusionem; tùm quia si modica pars effundatur, non officit generationi, vt suprà notaui; tùm quia nulla culpa est, neque venialis, non procurare omnimodam certitudinem conceptionis prolis, quia in humanis operationibus satis est operari probabiliter, probabile autem est, quocumque situ attrahi, & retineri à matrice semen, & sequi generationem; qui autem probabiliter operatur, neque venialiter peccat.

Tertiò non poterit dici variationem situs, etiam præposteri, esse saltem culpam venialem, quia ostendit nimium libidinis ardorem, & animum solam voluptatem in vsu coniugali spectantem. Nam hoc gratis dicitur, plerumque enim id fit, vel ob maiorem commoditatem, vel ob voluptatem non inordinatam, atque adeò non
10 peccaminosam, vt mox ostendam. Tripliciter enim in vsu coniugali, aut in cibo potest intendi voluptas. Primò potest intendi voluptas per se, & primariò absque vllo ordine ad prolem, aut ad vitæ conseruationem, & tunc est peccatum veniale, quia est actus inordinatus; sed hoc non arguit, semper variationem situs esse peccatum veniale, nam etiam in ordinario situ, & consueto modo concubendi, potest quis intendere per se solam voluptatem, & tunc venialiter peccat: ergo variatio situs non affert per se culpam venialem, sed per accidens, si illi adiungatur intentio primaria solius voluptatis. Secundò potest intendi voluptas cum ordine ad prolem, vel cum ordine ad cauendam fornicationem, & tunc ea voluptas cohonestatur à tali ordine, & vacat omni culpa, sicut quærere cibum conuenienter accomodatum, aut vxorem pulchram, nullum est peccatum; si hæc ordinentur ad finem honestum generationis, aut conseruationis vitæ. Ratio est manifesta, nam operari secundum naturæ ordinem nullum est peccatum, natura autem his actibus voluptatem addidit, vt ea animal prouocaretur ad conseruationem indiuidui, per cibum, & speciei per generationem; ergo ex ea variatione situs quærere voluptatem cum ordine ad prolem, vel ad vitandam fornicationem, nullum est peccatum. Tertiò potest intendi voluptas cibi, aut copulæ aliquo modo satis extraordinario, & exquisito, quod per omnes est culpa venialis: Sed in variatione situs in vsu coniugali, quæcumque variatio illa sit, non potest hoc dici, nam non est is modus satis exquisitus, aut nimis extraordinarius voluptatem quærendi, cùm frequentissimè, in coniugali consortio, vel ob commoditatem, vel aliundè, contingat variare situm.

Vltimò non potest dici id esse veniale peccatum, quia est contra vsum, & consuetudinem timoratorum. Nam nulla consuetudo quæ obliget ad peccatum potest induci per actus occultissimos, quales sunt vsus coniugalis, consuetudo enim vt vires habeat obligandi, debet induci à consensu populi per actus publicos, qui in omnium notitiam perueniant.

Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

Ad primum primæ sententiæ, negatur talem concu-

bitum

bitum non esse naturalem, tùm quia naturalissimus est concubitus, cùm eo bruta vtantur, quæ naturali instinctu ducuntur; tùm quia is est concubitus naturalis, ex quo sequitur generatio: sed ex quacumque variatione situs sequitur generatio, attrahente semen matrice; ergo ex quacumq; variatione situs habetur copula naturalis.

Ad secundum Respondetur, primò negando non esse certam conceptionem, vt patet in brutis. Respondetur secundò, sufficere probabiliter sequi posse generationē.

Ad tertium respondetur, nego esse abusum Sacramenti matrimonij; tùm quia actus coniugalis non est Sacramentum; tùm quia ea est copula naturalis, vt probaui, proindè non est abusus.

Ad quartum ex hoc quod modus concubendi præposterus sit similis bestijs, non ostenditur esse culpam, si absit alius inordinatus finis.

Ad quintum, negatur repugnare receptioni seminis, cùm matrix per vim attractiuam recipiat semen, illudque retineat.

Ad primum argumentum, secundæ sententiæ dicentis esse veniale peccatum, patet ex dictis, nam si ea voluptas ordinetur ad prolem, vel ad vitandam fornicationem, cohonestatur, omnique vacat culpa.

Ad secundum respondetur, vt absit veniale peccatum, satis esse, quòd in quacumque variatione situs probabiliter matrix attrahat, & retineat semen, vndè probabiliter sequi potest generatio, qui autem probabiliter operatur neque venialiter peccat.

Nota tamen coniugem refricantem in superficie vasis præposteri, nisi id accidat fortuitò, præter intentionem, mortaliter peccare; etiam si habeat voluntatem consumandi in vase naturali. Ratio est, quia illa est inchoata sodomia, ita docent Castropalaus *tom. 5. disp. 3. punc. 4. §. 2. nu. 6.* Diana *par. 9. tract. 8. resol. 31. quæst. 5.*

QVÆSTIO XIV.

An adsint certa signa, ad explorandam, per obstetrices, virginitatem?

SVMMARIVM.

Negant Medici, asserentes, temerarium esse certò affirmare corruptionem. num. 1.

Dilaniata membrana, quæ Hymen dicitur, non est signum corruptæ virginitatis. num. 2. & 3.

Dilatata ceruicis vteri latera, non sunt certum signum deperditæ integritatis. num. 4.

Cruorem non fluxisse in primo congressu viri, neque est certum signum deflorationis. num. 6. Neque lac in mamillis. num. 6. neque alia signa. num. 7.

Affirmant Iurisperiti ex aspectu, & contactu probari virginem esse corruptam. num. 8.

Non potest virginitas physica certitudine ostendi. num. 9. Sed tantùm certitudine morali. num. 10. Corruptio verò neque certitudine physica, neque morali. num. 11. Sed tantùm coniecturis suspicari potest. num. 12.

Rarò ad inspectionis argumenta deueniendum. num. 13.

1 NEgant Medici, inter quos Hieronymus Capiuaccius *lib. 4. cap. 11. de vteri affectibus*, Hieronymus Mercurialis *in consultationibus*, Claudinus *in responsis Medicis*, Arnaldus de Villanoua *lib. 3. Breuiarij capit. 6.* Franciscus Vallesius *de Sacra Philosophia cap. 25.* Fragosus *in sua Chirurgia vniuersali tract. 2. tit. de cognoscenda virginitate*, Alsarius Crucius *in quæsitis Medicis centur. 4. qu. de puella Spoletana deflorata fol. mihi 316.* vbi ait: *Nullam adhibendam fidem obstetricibus, quæ defloratam virginitatem testantur, nam signa, quæ virginitatem, seu præsentem, seu abolitam præsferunt, adeò incerta, dubia, ac fallacia sunt, vt si quis ex ijs solis aliquid certum asserere contendat, crassæ ignorantiæ, vel temeritatis notam subiturus sit.* Hæc illa meritò S. Ambrosius *lib. 6. epist. prima ad Syagrium adition. Romanæ* inquit: *Ipsi Archiatræ dicunt, non satis liquidò comprehendi inspectionis fidem, & ipsis medicinæ vetustis Doctoribus id sententiæ fuit.* Idem senserunt ex Iurisperitis, Butrius, Ancaranus, & Abbas, quos sequitur Menochius *de præsumptionibus lib. 6. præs. 89. in fine*, Tiraquellus *de legibus connubialibus lege quarta, num. 21.* idem indicant Sacri canones *in can. nec aliqua 27. quæst. 1. & in cap. causam Matrimonij, de probationibus*, ibi, *sæpè manus fallitur, & oculus obstetricum.* Id autem faciliter ostenditur discurrendo per quatuor signa, quæ abolitam virginitatem arguunt.

2 Primum, ac princeps signum, quod vulgò creditur virginitatis deperditæ, est dilaniata membrana, quæ *Hymen* dicitur, quam in medio ceruicis vteri, plerique credunt in virginibus reperiri, in medio à superiori parte perforatam, vt fluentibus menstruis pateat aditus. Sed vt hæc melius percipiantur, operepretium duxi, afferre descriptionem vteri ex Ioanne de Colle *in Elucidario Anatomico cap. 56.* vbi sic ait: *Vterus diuiditur in tres partes, in fundum vteri, in quo concipitur semen, & formatur fœtus, & habet partem dexteram, & sinistram, linea tantùm diuisam, in dextera solent generari mares, vt inquit Hippocrates, in sinistra fœmina.* Hic obiter nota ex Leuino Lemnio *de occultis naturæ miracul. lib. 1. cap. 9.* vt mulier masculum concipiat, oportet eam mox completa copula, clementer, ac placidè in dexterum latus deuolui, capiteque decliui, ac subsidente corpore in somnum resolui. *Secunda pars vteri appellatur os interius, & est satis angustum, & per hoc foramen ingreditur semen, quo concepto, ita exquisitè clauditur, vt specillum non admittat, ex Hippocrate 5. Aphoris. 51. Tertia pars vteri dicitur collum, seu ceruix, extenditur vsque ad vuluam, & est canalis oblongus, vaginæ instar, penis receptaculum, in medio huius ceruicis, ex quorundam sententia, reperitur membrana quædam, quæ Hymen dicitur, & in deflorandis rumpitur, & sanguis egreditur: ex aliorum verò sententia non reperitur hæc membrana; sed latera ceruicis simul conglutinata cohærent; at in primo concubitu, magna ex parte diuelluntur.* Ita Ioannes à Colle.

3 Quod autem *Hymen* ferè nunquam vteri ceruici adnascatur, docent expertissimi Anatomici, imò aliqui testantur, se nunquam eam vidisse, quamuis omnis ætatis virgines secuerint, ita Andreas Laurentius, Fernelius, & alij, quos refert Alsarius Crucius loco citato. Vndè Galenus, teste Vesalio, eius nunquam meminit, & Franciscus Vallesius *de Sacra Philosophia cap. 25.* ait: *Nullam esse partem in ore vteri, quæ virginitatis custodia sit, & in corruptione pereat*, Fragosus *in sua chirurgia vniuersali tractat. 2. capit. de modo cognoscendi virginitat.* ait: *Hanc membranam vix vnam ex millibus habere*, Realdus Columbus *lib. 12. cap. 16.* sic inquit: *Sub Nymphis in nonnullis virginibus, non omnibus, alia membrana cernitur, Hymen*

men à veteribus appellata, quæ cum adest (rarò autem adest) obstat quominus penis in vterum immittatur, nam crassa est valdè, supra vesicam versus foramine donatur, per quod menses fluant. Idem Columbus *lib.15. ca.de his, quę rarò in anatome reperiuntur*, sic ait; *Nunc de membrana Hymene, quid obseruauerim dicam, licèt vulgus putet nullam esse virginem, quæ Hymena non habeat, ter duntaxat illam inueni, bis in duabus paruulis puellis, semel in natu maiore.* Aetius *lib. vltimo capit.69.* agens de affectu mulierum, qui dicitur clausura, ait, *Tripliciter mulieres effici clausas. Primò si labia pudendi cohæreant. Secundò, si patentibus labijs, in medio sinu muliebri membrana quædam innascatur, quæ transitum, ac meatum impediat. Tertiò, si patentibus labijs, & sinu, os vteri prorsus claudatur.* Vndè sentit Aetius eam membranam rarò, ac ferè nunquam nasci.

Ratio autem, cur aliquando, sed rarissimè innascatur, est, quia per accidens ex vitio conformationis, ex abundatiori materia, aliquando membrana prædicta gignitur: aliquando verò non membrana, sed quidam villi, & fibræ innascuntur, & inuicem ita cohærent, connectuntur, & conglutinantur, vt videantur vnam continuam membranam conficere; reuerà tamen nulla est continuatio, sed tantùm ita contigui, & cohærentes sunt villi, vt membranam repræsentent, quod benè obseruauit Alsarius Crucius *in quæs. de puella Spoletana deflorata.* Quod autem Hymen nunquam per se, & ordinariè innascatur, patet, quia natura nihil agit frustra, hymenis autem nullus finis potest assignari; ridiculum verò est ideò produci, vt à puluere vterum tueatur, nam cum in vtero conceptus est fœtus, quando oportebat vterum à puluere tueri, scissa fuit per copulam membrana; præterea os vteri interius, concepto fœtu, ita exquisitè clauditur, vt ne quidem specillum admittat: Quomodo ergo vterum, ac fœtum à puluere tuetur membrana?

Ex dictis itaque patet temerè obstetrices pronunciare deperditam virginitatem non inuento Hymene: Vix enim vni ex millibus Hymen innascitur.

4 Secundum signum virginalis pudoris est, quia in virginibus ceruicis vteri latera constricta, conglutinata, ac cohærentia sunt; at in venerem expertis laxata, & dilatata, & hoc esse virginitatis, aut corruptionis signaculum, docent Galenus *lib. de viuorum anat. cap. de vtero*, Andreas Laurentius, Fernelius, quos sequitur Alsarius Crucius *loco citato*, Franciscus Vallesius *de Sacra Philosophia capit.25.* Abulensis *in Deuteron. cap.22. quæst.4.* Hoc autem signum adhuc incertum est.

Primò, quia potest talis mulier naturaliter os extimum vteri, latum, amplumque habere, ac ceruicis vteri latera vasta, & dilatata, adeò vt ex viri consortio id factum credatur.

Secundò, quia ex vterini furoris rabie, solent mulieres, vel ad curandum morbum, vel ad sedandum acerbissimum dolorem, intromissis digitis, vteri latera dilacerare, ac dilatare, est enim dolor iste vehemens, & acris, adeò vt sit ferè moraliter impossibile à refricatione abstinere, vt tradunt Aetius *tom.4. serm.4. cap.68. 74. & 82.* Petrus Paulus Pereda *in methodo curandi cap. de vteri suffocatione fol.117.* Mercado *de affectionibus mulierum lib.2. cap.10.* Rodericus à Fonseca *in consultation. tom.2. consul.68. lit. D.* Castro *de morbis mulierum lib. 2. cap.11.* Marquardus *in pract. lib.2. cap.8.* Platerus *in practica tom.2. verbo genera capit.17.*

Tertiò, aliquando ex tentigine, ac libidine solent se impunis tactibus solæ corrumpere, & dilatare latera; quod in simili casu indicauit S. Augustinus *de Ciuitate Dei lib.1. cap.18.* vbi ait; *Posse integritatem lædi, si obstetrix, manu velut explorans, inscitia, aut casu, dum inspicit, perdidit*, ita Augustinus. Vndè patet, quàm faciliter tactu eiusdem virginis, virginitas deperdatur, absque vllo viri consortio: Hinc discant fatuæ, & impuræ virgines, se portare thesaurum in vasis fictilibus.

Quartò, ex copioso admodum, & acrium menstruorum defluxu, discindi vteri latera, tradit Alsarius Crucius vbi suprà.

Quintò, notissimæ sunt mulierum fraudes, quæ corruptæ, vt virginitatem mentiantur, adstringentibus medicamentis, ita constringunt vteri latera, vt vix sint aptæ ad copulam prout scribunt Abulensis *in Deuteronom. c. 22. qu.4.* Abbas, & alij *in cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiatis.* Imò ea medicamenta adeò sunt certa, & familiaria apud Turcas, vt cum essem Costantinopoli audiuerim (proh dolor!) christianas virgines constupratas, tanquam integras à Mangonibus publicè vendi, ius autem est cuicumque emere volenti, singulas corporis partes denudatas diligentissimè inspicere, & contrectare, nec posse fraudem deprehendere; quod & apud Ethnicos moris fuit, teste Seneca *lib.1. controuer.2.* dum ait: *Nuda in litore stetit ad fastidium emptoris, omnes partes corporis, & inspecta, & contrectata sunt;* quod & Suetonius *in Augusto cap.69.* scribit: *Virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Thoranio Mangone vendente.*

5 Tertium signum virginitatis est cruor fluens ex primo congressu virili, vt traditur *Deuteronomij cap.22.* vbi Abulensis *quæst.4.* Ratio autem cur sanguis fluat, est, quia dilacerantur aliquæ venulæ, quæ sunt in extima parte laterum vteri, cùm ipsa latera, quæ prius erant constricta ex copula dilatantur, prout tradit Galenus *lib. de viuorum anat. cap. de vtero*, & Vallesius *de sacra philosophia cap.25.* ac Alsarius Crucius *quæst. de puella Spoletana deflor.* & hæc est ratio, cur sanguis fluat, non quia laceratur membrana, seu Hymen, sicuti vulgus putat.

Sed hoc signum incertum quoque est, nam corruptæ mille fraudibus simulant sanguinem; è contra quæ reuerà virgines sunt aliquando nullum sanguinem fudunt, vel quia naturalem ipsis os extimum vteri amplum est, viri verò penis parua; vel quia venulæ illæ in lateribus vteri sunt paruulæ, raræ, ac introrsus positæ; vel modicus cruor effusus, in ipsum vterum recidit.

6 Quartum signum deperditæ virginitatis est, lac in mammillis. Sed hoc neque est perpetuum; nam ex menstruorum defectu, contigit, virgines lac habere, teste Hippocrate *lib.5. aphoris.39.* imò etiam in viris aliquando tanta lactis copia fuit, vt sugi posset, ait Aristoteles *lib.5. Historiæ Animal. cap.20.* quod se Venetijs vidisse testatur Cardanus *de subtilitate, lib.12.*

Prætereo alia corruptæ virginis signa allata à Io. Baptista Porta *lib.2. magiæ naturalis, c.22. & alijs*, vt illud Agathis lapidis, & Succini albi, quorum tenuissimus puluis, ieiunè cum vino haustus, mox in corrupta mouet vrinam, quam cohibet in virgine: Sed hæc indicia minus certa sunt; & faciliter à sciente eludi possunt; ac in forensibus iudicijs nunquam vsu recepta.

Explicatis negatiuæ sententiæ fundamentis, nullum inquam

inquam esse deperditæ, aut integre virginitatis signum, iam affermatiua opinio proponenda est.

Affirmant aliqui, præsertim iurisperiti, ex aspectu, tactuque matronarum, virginitatem, aut deflorationem probari ita sæpè decisum in Rota Romana vt apud Farinacium *tom.2. consiliorum, decis.226. & tomo primo, decis.26.* & ipsemet Farinacius *in decis. Rotę, decis.264. num.11. & 12.* Franciscus Marcus *decis.667. & decis. 678. par. 1.* Mascardus *de probationibus, vol.3. conclus. 1313. num.13. & concl.1416. num.16.* Fuluius Pacianus *de probationibus, lib.2. c.2. num.32.* Guazzinus *de defensione reorum tom.1. par.4. cap.7. num.7.* qui docent in graui causa, cum obstetricum diligentia, & scientia non sufficit, peritos medicos adhibendos ad inspectionem, idemque tradunt Farinacius *de delictis carnis, quæst. 147. num.141.* Clarus *in §. fin. quæst.4. num.4.* Bertazzolus *cons.452. numer.20. vol.2.* Abulensis *in Deuteronomium, cap.22. quæst.3. & 4. & in librum Iudicum, cap.21. quæst.26. & Numerorum, cap.31. quæst.5. ac in Matthæum tom.7. cap.25. quæst.86. ad quartum.*

Probatur primò, hæc opinio, nam Deuteronomij, *cap.22.* præcipitur *si duxerit vir vxorem, & quæsierit occasionem dimittendi eam, dicens non inueni eam virginem, tollent eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, & expandent vestimentum coram Senioribus Ciuitatis, & apprehendent Senes vrbis illius virum, & uerberabant illum.* Vbi expositores dicunt signa virginitatis esse cruorem effusum, quo virginis vestimenta seu indusium maculata sunt.

Secundò, quia *in cap. proposuisti de probat.* dissoluitur matrimonium ob frigiditatem viri, ex inspectione septem matronarum, deponentium puella esse adhuc virginem.

Antequam meam opinionem in hac controuersia proferam; Aduerto in triplici tempore posse deperditam virginitatem deprahendi. Primò ante copulam, ex inspectione matronarum. Secundò in ipsa copula. Tertio post copulam.

Quoad primum tempus, inspectione cognoscitur defloratio, si ceruicis vteri laxata, ac dilatata latera comperiantur. Sed solent hæc adstringentibus medicamentis restringi, quæ afferunt Bayrus *tract. de medendis humani corporis morbis, lib.5. cap. ultimo,* ac Ioannes Baptista Porta *lib.2. magiæ naturalis, cap.15.* in hæc verba: *Naturæ ostium sic restringes. Omphacites Gallas tritato tenuissimè, quibus garyophyllorum pulueris parum admisceatur, vino ebulliant, quo pannum madeat, & loco applicetur. Vel sic meretricium, & popularium restringes, & coarctabis. Gallis, gummi, alumine, bolo, draconis sanguine, acacia, plantagine, hyppocistide, balaustis, lentisco, symphyco maiori, minorique, cupressi nucibus, vuarum acinis, glandium costis; uel cauo illo, quo glans prorumpit, & dehiscens nucleum ostendit, mastiche, & lemnia terra. Si hæc omnia rubro nino, uel aceto decocta sint, & sæpe madeat vulua, coarctatur, & supprimitur ualdè. Vel hæc in puluerem redacta, intrò per arundinem trajciantur; uel ijs suffimenta substituantur.* Hæc Io. Baptista Porta. At non omittam aduertere, quod quamuis plerumque, atque sæpissimè, hæc, & similia medicamenta virginitatem etiam in meretricibus repræsentent, ac mentiantur; væ tamen ijs, quæ his mendacijs, & fraudibus fidentes, integritatis florem prostituunt, iusto namque Dei iudicio, vt plurimum fraus ab expertis obstetricibus deprehenditur, nequit enim ars perfectè imitari naturam, vt ait Aristot. *sect.10. probl.64.*

Quoad secundum tempus, in ipsa copula, Abulensis *in Deuteronom. cap.22. quæst.4. uers. sunt autem,* ait, non posse virum in congressu, in illo libidinis impetu, distinguere virginem à corrupta. At aliquando accidit deprehendisse; vnde mulieres parant fraudem apponendo impedimentum, & serico filo crudo consuunt secretiores partes.

Quoad tertium tempus post copulam. Abulensis *loco citato quæst.4.* ait, adstringentibus medicamentis, coarctari quidem partes, sed sanguinem nõ fluere; cruor enim non flui, nisi ex separatione continui. Præterea, inquit, expertos distinguere, & deprehendere sanguinem fluentem ex deflorata virgine, ab alio sanguine menstruo, vel diuerso cruore. Sed vtrique parata multiplex fraus: Vnde Io. Baptista Porta *lib.2. magiæ naturalis cap.15.* sic scribit: *Si defloratam mulierem integræ virginitati restituere vis, talis pilullas constitues pacto; Alumen combustum, mastiche, adiecto calchantis, & auri pigmenti momento, in tenuissimum redigantur puluisculum, vt ferè tactum effugiat; pluuiali aqua pilulas, vbi cogeris, digitis comprimito, & tenuè reficcari curato, ac naturalium ostio, hymenei loco accomodetur; vbi priùs fuerit rupta, senis quibusque horis immutando, pluuiali, vel cisternina semper aqua fouendo, per naturalem id diem, & hinc inde vesiculas inducunt, quæ contacta Sanguinis inducunt profluuium, vt ferè dignosci nequeat.* Hæc Io. Baptista Porta: aliud affert remedium Arnaldus de Villanoua *lib.3. Breuiarij cap.6.* vbi ait: Mulieres aliquando in ore uuluę adaptasse vesicam cuiusdam piscis, quæ cùm tenuis sit, & recens, faciliter in congressu viri disrumpitur, & sanguis erumpit, & maculat indusium. Præterea alia suppetunt remedia facillima, quibus neque ab expertissimis, cognosci possit sanguis fluens à deflorata, ab isto cruore. Ipsa die nuptiarum occidantur duo pulli columbarum, & pulli vesica eodem sanguine repleatur, & sub indusio abscondatur, quæ tempore copulæ supra vuluam, aut sindonem, & indusium compressa, recenti sanguine maculabit, & simulabit optimè signa virginitatis: vel fasciculus pennularum eorundem pullorum compressus, sanguinem fluxisse ostendet.

His positis, quid in hac quæstione de signis defloratæ, aut integræ virginitatis Ego sentiam, per sequentes conclusiones aperiam.

9 Dico primò, non potest virginitas physica certitudine demonstrari.

Probatur, quia naturaliter nullum certum signum reperitur virginitatis, nam Hymen non omnibus, imò ferè nullis innascitur. Constrictio ceruicis vteri (in qua consistit virginitas, ex Galeno, Vallesio, & alijs, locis citatis) plurimis adstringentibus medicamentis comparari potest. Fluens sanguis, mille fraudibus, ementitur.

10 Dico secundò, potest virginitas morali certitudine probari per inspectionem, aut fluentem sanguinem.

Probatur ex fundamentis supra adductis pro affirmatiua sententia, nam Deuteron. *cap.22.* sanguis effusus est virginitatis signum. Præterea ex *cap. proposuisti de probationibus* oris vteri constrictio virginem probat.

Dices ista signa posse mille fraudibus ementiri,

Respondeo, quòd fraus in dubio non præsumitur *l. merito ff. pro socio,* & cùm fraus sit aliquid facti; factum non præsumitur, nisi probetur *l. in bello, §. facta ff.*

de

de captiuis, & post liminio reuersis. Præterea formido ista, ne fortè fraude sit ficta integritas, non tollit moralem certitudinem, quamvis tollat certitudinem physicam, nam certitudo motalis stat cum formidine oppositi, vt docet Io. Gerson *par. 2. operum tract. de præparat. ad Missam considerat. 3.* & Alexander Pesantius *1. 2. quæst. 92. art. 5. disp. 2. in fine*.

11 Dico tertiò ex inspectione, & alijs signis, non potest neque certitudine physica, neque certitudine morali constare de deflotatione, sed tantùm haberi potest indicium, & suspitio.

Probatur discurrendo per quatuor signa, supra allata. Nam quòd nō inueniatur Hymen, nullum est signum, & omninò temerè eo non inuento affirmatur, imò temerè suspicatur defloratio. Dilatatio ceruicis vteri, nullam præbet certitudinem, sed tantùm indicium, cùm multifariam in verè virgine dilatetur. Quod sanguis non fluxit, potest multipliciter contingere, vt supra explicaui, lac in mammillis est indicium, non plena probatio corruptionis, nam aliquando retentis menstruis, lacte abundant adhuc virgines.

Hinc patet rectè dixisse Abulensem *in Deuteron. cap. 22. quæst. 4. vers. sunt autem*. Non posse esse ita certa signa deflorationis, sicut sunt virginitatis.

Adde quod in delictis stupri debent probationes esse, luce meridiana clariores, *l. sciant cuncti C. de probationib.*

12 Dico quartò ex vno, vel pluribus signis prædictis, habetur indicium, ac suspicio deflorationis. Probatur, quia in dubijs inspicitur, id quod plerumque fieri solet *l. in obscuris ff. de regulis iuris*, & suspicio nascitur ex his, quæ frequentius eueniunt. Sed hæc signa frequentius in corruptis habentur; ergo rationabilis est suspicio, & indicium ex ijs, fœminam esse defloratam.

Confirmatur ex tex. *in l. 1. ff. de ventre inspiciendo* ibi *prægnantem videri* non autem debent deponere esse prægnantem, nam conceptionis signa incerta sunt, vt ex Medicis probat Sanctorellus *de natura sanitatis lib. 5. cap. 19.*

Quare obstetrices non debent deponere puellam esse defloratam, sed se suspicari, aut verisimile esse, quod fuerit deflorata, vt optimè docet Sanchez *de Matrimonio lib. 7. disp. 113. num. 15.* Mascardus *de probation. conclus. 1274. nu. 48. & 49.* Pacianus *de probat. lib. 1. c. 57. nu. 17.*

13 Dico quintò rarissimè ad inspectionem puellæ per obstetrices deueniendum esse, & non nisi in subsidium, cùm alia non suppetunt argumenta ad probandam virginitatem. Ratio est, quia inspectio maximè pugnat cum virginum modestia, & verecundia, quod eleganter ostendit Sanctus Ambrosius *lib. 6. epist. 1. ad Syagrum Veronensem Episcopum*, quem acriter reprehendit, quia virginem per obstetrices inspici mandauerat, & eruditè Pontius *de Matrimon. lib. 7. cap. 63.* nec vltra duas ad id muneris deleganda sunt, vt patet ex his, quæ doctè affert Pater Pasqualigus *decis. 221. 222. & 223.* vbi probat vnam quoque sufficere, si sit satis perita.

QVÆSTIO XV.

Multiplex carnalium affectionum, atque titillationum species, ex medicorum placitis explicatur.

SVMMARIVM.

Motuum carnis sex species. num. 1.
Penis erectio. num. 2.
Causa materialis erectionis sunt spiritus, & flatus. num. 3.
Causa efficiens imaginatio, aut multiplicatum, vel mordicans sperma. num. 4.
Motus pudendorum Inuoluntarij. num. 5.
Satyrisis. num. 6.
Priapismus. num. 7.
Priapi simulacrum. num. 8.
Priapi sacra. num. 9.
Orpheus præpostere libidinis detestandæ Auctor, inter Deos relatus; orphicis sacris initiati. num. 10.
Pollutio nocturna. num. 11.
Causæ nocturnæ pollutionis. num. 12.
Distillatio. num. 13.
Gonorrhæa. num. 14.
Eadem ferè causa omnium titillationum. num. 15.

Medicum è Theologo me euasisse ne quisquam miretur, morborum enim affinitas, etiam scientiarum munera confundere cogit.

1 Sed ferè huiusmodi motuum, atque affectionum species communiter à Medicis assignantur, nempè penis erectio, quam naturalem vocant, Satyrisis, Priapismus, Pollutio nocturna, Distillatio, & Gonorrhæa.

2 Penis erectio est eiusdem incrementum, & durities.

3 Causa materialis huius erectionis est ex spiritibus, & flatibus in spongiosam penis substantiam concurrentibus, vt docuerunt Arist. *sect. 30. probl. 1.* Galenus *lib. 6. de locis affectis cap. 5. & lib. 15. de vsu partium c. 2.* Auicenna *lib. 3. fen. 20. tract. 1. cap. 2.* Hinc est, quod ab aeris, seu flatulento impulsu contingit aliquando in laqueo suspensis penis erectio, vt docet Sanctorellus *in tractat. de medicando defuncto cap. 21.*

4 Causa efficiens, à qua mouentur spiritus, ac flatus, & ad penem trahuntur triplex est, nempè imaginatio venerea, atque multiplicatum, vel mordicans sperma, ita Auicenna *lib. 3. fen. 20. tract. 1. cap. 2.* his verbis: *Erectio accidit ex ventositate forti, quam defert spiritus desideratiuus, cum quo incedit sanguis plurimus, & spiritus grossus: Et cum congregatur, & multiplicatur sperma in membris, inquirit separationem ex ipsis, & quandoque fit erectio propter mordicationem materiæ flantis in glandulis.* Hæc Auicenna; ex quo patet triplicem esse causam efficientem erectionem, nempè imaginationem veneream, copiam spermatis, atque mordacitatem eiusdem.

Quando ergo absque vlla imaginatione venerea sentitur erectio, tunc causa est copia spermatis, aut qualitas mordicans eiusdem, vndè tunc oportet ieiunijs, & carnis maceratione prauos motus comprimere: quando verò incipit erectio ex praua imaginatione, tunc oportet occupatione, ac pijs meditationibus, & studijs causam auertere.

5 Hinc patet inuoluntarios esse horum membrorum motus, vnde Aristot. *lib. de causis motus animalium c. 8.* ait: *inuoluntarios esse motus cordis, & membri pudendi*, & Sanctus August. *lib. 14. de ciuit. Dei cap. 16.* ait: *Motus membrorum genitalium aliquando importunus est, nullo poscente; aliquando autem destituit inhiantem, & cum in animo concupiscentia ferueat, friget in corpore.* Rationem affert S. Thom. *1. 2. quæst. 17. art. 9. ad tertium*, quia ad motum horum membrorum requiritur aliqua alteratio naturalis, scilicet caliditatis, & frigiditatis, quæ quidem alteratio non subiacet imperio rationis. Itaque *tunc motus*

motus iste importunus est, nullo poscente (vt ait S. August.) quando multiplicatum sperma, ex copia sanguinis, inquirit separationem. Tunc verò *destituit inhiantem*, quando, *quamuis in animo concupiscentia ferueat, tamen friget in corpore*, quia deficiunt spiritus vitales, aut animales; deficiunt autem, vel quia non gignuntur ex cordis cerebriq; intemperie varia, vel quia geniti aliò auocantur, vel ex aliquo morbo ad penem permeare non valent, vt docet Sanctorellus *tract. de natura sanitatis lib.20. cap.21.*

Aduerto autem eum qui erectionis motum non comprimit ne que ei resistit, sed negatiuè se habet, ac patitur, dummodò non consentiat, neque adsit proximum periculum consensus, venialiter peccare, vt ostendam *infra q.17. num.15.* sed vide quæ ibi dicam.

6 Satyarisis nomen deductum est à Satyris Dijs syluestribus in libidinem pronis, & tunc contingit quando cum erectione coniuncta fuerit palpitatio, cum pruritu, ita Paul. *lib.3. c.36.* Leonius *tract. de arte medendi sect.3. lib.6. c.4.* qui scribit, quod satyarisim perpetuò venereus appetitus comitatur, & Sanctorellus *tract. de sanitatis natura lib.20. cap.22.* tradidit satyarisim esse efferatam quandam libidinem, quali satyri laborare solent. Quare satyarisim patiens est in proximo periculo pollutionis: vndè mortaliter peccat si tam graui tentationi positiuè, ac validè non resistat, surgendo à lecto, orando, aut aliter, vt dicam *infra quæst. 17. num. 11.*

Priapismus ex Aetio *lib.11. cap.31.* Est penis auctio in longum, & spissum, citra rei venereæ appetentiam, ex caliditate aquisititia, & dolore locorum consistens, priapismo enim laborantibus dolores contingunt, ita etiam Galenus *lib.6. de locis affectis cap.6.* & Auicenna *lib.3. fen.20. tract.1. cap.37.*

8 Dicitur à Priapo, qui propter ingentem virilis membri magnitudinem inter Deos receptus est, cuius spurcissimum simulacrum grande pudendum porrectum ha-
9 bebat, post fęda eius sacrificia, turpissimus Sacerdos in
gradu altaris consistens, sua verenda toti Populo nuda
demonstrabat, ad fędissimos, incestosque complexus
inuitans, ita Abulensis *in Exodum cap.20. quæst.2. &*
lib.3. Regum c.15. qu.11. & 12. & in Genesim cap.17. Na-
talis Comes Mythologiæ *lib.15. cap.15.* Tanta erat illo-
rum temporum cęcitas, tantùm rationalis naturæ nubi-
lum, adeò immundissimi, & nequissimi spiritus ad libi-
10 dinem mortalibus illudebant; nam & Orpheus Thraciæ
Princeps detestandæ præposteræ libidinis auctor, Diui-
nitatis opinionem est assecutus, & erant qui Orphicis
initiarentur sacris, vt ex Ouidio, Herodoto, ac Tullio,
probat Cęlius Rhodiginus *lib.8. cap.30.*

11 Pollutio nocturna dicitur eò, quod frequentiùs noctu dormientibus accidat, nam & vigilantibus euenire nil prohibet, sic de quodam rustico, refert ex Leonellio Sanctorellus *tract. de natura sanitatis lib.23. cap.6.*

12 Causæ autem nocturnæ pollutionis ex Galeno *lib.6. de locis affectis cap. vlt. & de causis symptomatum lib. vlt. cap.4.* sunt laxata facultas retentrix, aut irritata expulsoria, ex copia, vel mordacitate seminis, aut ex venerea imaginatione, vel ex repletione cibi, aut potus, vel ex dormitione supra dorsum, qua incalescunt renes, & liquatur semen, & effluit.

13 Distillatio est non veri seminis, sed serosi cuiusdam humoris effusio, cum leui, aut sine vlla prorsus pudendi erectione, distillationem vocant Medici salualem humiditatem, ita Auicenna *lib.3. fen.20. tract.1. cap.30.* ex Theologis, S. Thom. *opusc.64. cap. de fluxu libidinis*, & Io. Gerson *par.2. operum tract. de pollutione diurna notab. primo fol. mihi 483.* quorum verba infra *dabimus, quæst.24.*

14 Gonorrhæa Græcè, Latinè dicitur seminis profluuium. Ex Aetio *lib.11. cap.33.* Gonorrhæa, est seminis excretio, præter voluntatem, ac pudendi tentiginem, seu pruritum. Vel vt alij definiunt est continua seminis excretio, cole haud quaquam extenso. Gonorrhæam, aut priapismum patientibus, nullus debet inesse scrupulus, inuoluntariè enim, & sine voluptate venerea accidunt, neque verum semen in his emittitur.

15 In cunctis carnis titillationibus, ac motibus communes ferè sunt causæ, nempè imaginatio venerea, copia, aut mordacitas spermatis, & prout istæ causæ diuersæ sunt intentionis, aut quantitatis, causant diuersos effectus, ac diuersos specie motus.

QVÆSTIO XVI.

An sit probabilis opinio, dari paruitatem materiæ in deliberata delectatione venerea, quæ in carne sentitur, cum commotione spirituum subseruientium generationi, circa partes libidinosas, secluso periculo pollutionis, vel consensus.

SVMMARIVM.

Prima sententia affirmat. num.1.
Secunda sententia negat, & est communis. num.2.
Opposita opinionis censura. num.3.
Damnata à Clemente VIII. num 4.
De fide est, non posse Papam errare, cùm toti Ecclesiæ leges quòad mores proponit. num.5.
Quæ decreta Pontificis, aut Conciliorum indigeant publicatione? num.6.
Opposita opinio erronea, & in fide suspecta. num.7.
Opposita opinio est contra sensum omnium fidelium. num.8.
Opposita opinio scandalosa. num.9.
Opposita opinio periculosa. num.10.
Delectatio venerea est inchoata pollutio. num.11.
Quæ præcepta admittant paruitatem materiæ. num.12.
Opinio admittens paruitatem materiæ expungenda. nu.13.
Contra, eam publicè docentes, procedere possunt Inquisitores. num.14.

1 AFfirmat Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.46. num.9. & 17.* afferens Armillam, Nauarrum, & Sotum, idemque tradunt alij apud Dianam mox citandum.

Probant primò, quia non est maior ratio, cur in cæteris præceptis, & non etiam continentiæ detur paruitas materiæ.

Secundò, quia periculum consensus in copulam ex tali modica delectatione venerea est remotum: ergo non est grauis culpa.

Tertiò, quia etiam remotè non proximè disponit parua hæc delectatio ad pollutionem.

Quartò, quia alioquin nulla esset differentia inter leuem tactum ex quo insurgit illa exigua delectatio, ac inter tactus graues, amplexus, & oscula, quæ per omnes sub graui culpa prohibentur.

2 Negat

2 Negat communis Doctorum ſententia, vndè ſe retractat. Sanchez *in Summa lib.5. cap.6. num.12*, Rebellius *par.2. lib.3. quæſt.19. ſect.3.* Caſtropalaus *tom.1. tract.2. diſp.2. pun.10. num.4.* vbi ait oppoſitam opinionem nullam habere probabilitatem. Pontius *de Matrim. lib.10. cap.16. §.2. num.8.* Tannerus *par.2. diſp.4. quæſt.8. dub.6. num.109.* Baldellus *tom.1. lib.3. diſp.14. numer.4.* Texeda *in controuerſ. Theol. Moral. tom.1. lib.2. tract.3. contrmisc.1. num.11.* Gordonus *tom.1. lib.1. quæſt.11. cap.3. num.23.* Diana *par.3. tract.5. reſol.1. & par.4. tract.4. reſol.136. & tract.5. reſol.5. & par.5. tract.5. reſol.5. & par.7. tract.11. reſol.28.* qui alios afferunt, ac Claudius Aquauiua Præpoſitus Generalis Societate Ieſu cuius decretum afferunt Tannerus vbi ſuprà, & Diana *par.5. tract.5. reſol.5.* qui die 12. Aprilis 1612. ſub excommunicatione, ac alijs grauiſſimis pœnis prohibuit ſuæ Religionis Patribus; ne quis oppoſitam opinionem publicè, aut priuatim probabilem, aut tollerabilem aſſereret.

3 Dico igitur hodie oppoſitam opinionem eſſe tam per principia intrinſeca, quàm extrinſeca omninò improbabilem, falſam, erroneam, temerariam, periculoſam, ac ſcandaloſam, & fortè grauiori cenſura dignam.

4 Primò igitur eſt hodie falſa, & temeraria, nam in officio ſanctæ Inquiſitionis damnata eſt, ex motu proprio Clementis VIII. vt referunt Baldellus, & Texeda, vbi ſuprà, & Diana *p.5. tract.5. reſol.5.* quare non minus iſta eſt temeraria, quàm altera opinio de abſolutione per literas, ſimili decreto Clementis VIII. damnata. De fide

5 autem eſt, Papam toti Eccleſiæ, quoad mores leges proponentem errare non poſſe, vt docent S. Antoninus *3. parte tit.12. cap.8. §.2.* Io. de Neapoli *quodlib.11.* Cano *de locis Theologicis lib.5. cap.5.* Molina *de Iuſtitia tom.2. diſp.325.* Suarez *de fide diſp.5. ſect.8. num.7.* Turrianus *2.2. diſp.16. dub.2.* Caſtropalaus *tom.1. tract.4. diſp.1. pun.5. §.3.* quod patet, nam alioquin tota Eccleſia induci poſſet in errorem; Eccleſia autem nequit errare; quia eſt *Columna, & firmamentum veritatis 1. Timot.2. & Io.14.* habet promiſſam infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, *qui docebit eam omnem veritatem*; vnde Doctores aſſerunt de fide eſſe, quod non potuit Leo X. errare declarando licitum eſſe contractum Montis Pietatis. Molina *diſp.325.* Turrianus *2.2. diſp.16. dub.2.* Bellarminus *de Romano Pontifice lib.4. cap.10.* ſic de fide eſt, & oppoſitum eſt hæreticum, non poſſe Eccleſiam errare in qualificatione propoſitionũ, Coninch *de fide diſp.18. dub.8. num.135.* quinimmò neque poteſt Summ. Pontifex errare, cùm iudicat aliquam propoſitionem eſſe probabilem, aut improbabilem, Turrianus *in ſelectis diſp. par.1. diſp.30. dub.3. verſ. peculiaris difficultas*; ergo de fide eſt non potuiſſe Clementem VIII. errare declarando temerarias, ac falſas eſſe opiniones admittentes abſolutionem per literas, aut paruitatem materiæ in rebus venereis.

Vanum eſt autem dubitare an illud decretum prodierit à Pontifice, tamquam ab vniuerſalis Eccleſiæ Iudice, & è Petri Cathedra.

Neque refert non conſtare authenticè de eo decreto, ſatis enim eſt viros religione, & doctrina inſignes de eo teſtari.

6 Neque obſtat decretum illud non eſſe publicatum, nam leges poſitiuæ indigent publicatione, Decreta verò Conciliorum, ac Pontificum declarantia aliquam veritatem fidei, aut morum, non indigent publicatione, vt de decretis Tridentini communiter docent omnes.

7 Secundò oppoſita ſententia eſt erronea, ac in fide ſuſpecta, quia eſt contra ſcripturas, ac interpretationem Patrum, Nam *ad Epheſios cap.5.* ait Apoſtolus: *Fornicatio, aut omnis immunditia nec nominetur in vobis.* Vbi S. Hieronymus ſic ait: *Niſi Philoſophorum quidam Cynicus extitiſſet, qui docebat omnem titillationem carnis, & fluxum ſeminis, ex qualicumque attritu, tactuque venientem in tempore non vitandam, & nonnulli ſapientes ſeculi in hanc turpem, & erubeſcendam hæreſim conſenſiſſent, numquam Sanctus Apoſtolus ſcribens ad Epheſios omnem immunditiam copulaſſet*; ita S. Hieronymus, qui titillationem carnis non vitandam eſſe, *tamquam hæreſim damnat.* ea autem carnis titillatio reperitur in quacumque delectatione venerea, quando commouentur ſpiritus deſeruientes generationi circa partes libidinoſas, vt in titulo noſtræ quæſtionis. Sic quoque Lyranus ait. *Ideò Apoſtolum omnem immunditiam damnare, vt includeret omnia ad vitium luxuriæ pertinentia*, & gloſa interlinearis ibidem inquit, *incontinentiæ nomine comprehendi quicquid ad libidinem pertinet, quocumque modo fiat.* Idemque Lyranus *ad Galatas cap.5.* ait: *Luxuriæ nomen generale eſſe ad omnia, quæ pertinent ad hoc vitium, & ſic omnia, quæ non ſunt annumerata, per hoc includuntur.* Ergo includitur ea carnis titillatio, & quæcumque venerea delectatio excludit à Regno Cælorum; ſic quoque S. Cyprianus *Epiſt.62. ad Pomponium, certè ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio, & oſculatio, & concumbentium duorum turpis, & fœda dormitio, quantum dedecoris, & Criminis confitetur?* Vide quàm grauiter damnet complexus, & oſcula Cyprianus, quæ tamen aliqui authores oppoſitæ opinionis ex materiæ paruitate excuſant.

8 Tertiò oppoſita ſententia eſt temeraria, quia eſt contra ſenſum omnium fidelium, atque adeò totius Catholicæ Eccleſiæ, nullus enim fidelis Catholicus eſt, qui quaſcumque venereas delectationes deliberatas, tamquam mortalia crimina, non abhorreat, & ſi in eas lapſus ſit, tamquam lethalis culpæ reum ſe non accuſet; quare oppoſita ſententia docens deliberatam delectationem veneream, aliquando ex paruitate materiæ non eſſe mortale peccatum, omnium fidelium, & ſic vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ iudicio damnatur: Vndè non abre puto, hic referre celebrem illam ſententiam S. Auguſt. *Epiſt.118. ad Ianuarium cap.5. Ad hæc inquit, ita reſpondeo, ſi diuinæ ſcripturæ præſcribit authoritas, non ſit dubitandum quin ita facere debeamus, vt legimus; ſimiliter etiam ſi quid horum tota per orbem frequentet Eccleſia; Nam & hinc, quia ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Hæc S. Auguſtinus. Cum itaque tota per orbem Eccleſia quaſcumque venereas deliberatas delectationes, ſeu titillationes, tamquam grauiſſima crimina deteſtetur, *inſolentiſſimæ inſania eſt diſputare an à mortali excuſentur?*

Neque prætereundum puto, Nauarrum, Sotum, Gabrielem, & Iauellum, quos pro ſe afferebat Sanchez, in ea ſententia non fuiſſe, vt dilucidè Rebellius oſtendit, quid autem dicendum de quibuſdam Neotericis, infra inſinuabo.

Quartò, oppoſita opinio ſcandaloſa eſt; ſiquidem ea eſt propoſitio ſcandaloſa, quæ in materia doctrinæ præbet occaſionem errandi ita Suarez *de fide diſp.19. ſect.2. num.19.*

num. 19. Ricciullus *de iure personarum extra Ecclesiæ gremium existentium lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 14. Huiusmodi autem esse opinionem, admittentem paruitatem materiæ in venereis; egregiè demonstrat Claudius Aquauiua Præpositus Generalis Societatis Iesu in suo Decreto, nam eam damnat *propter moralem impossibilitatem distinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem à graui*; nam reuera quicumque tactus ex obiecto est indifferens, vt docet S. Thomas communiter receptus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. Ergo idem inuariatus omninò tactus, potest esse mortalis, aut venialis; si ex eo sequatur delectatio venerea in organis generationis leuis, aut grauis, sed practicè impossibile est distinguere quando delectatio consurgens sit leuis, vel grauis; Ergo hæc opinio præbet occasionem errandi, & labendi in mortale.

10 Quintò, opposita opinio est periculosa, quia moraliter numquam potest ad praxim, sine mortali culpa deduci, vt post Antonium Saurum, & Transmieram docet Diana *par.* 7. *tract.* 11. *resol.* 28. quod etiam in suo Decreto insinuauit Claudius Aquauiua eam damnans *propter periculum, in quod inducit*. Sanè Nauarrus communiter receptus *in Manuali cap.* 3. *num.* 14. scribit eam esse occasionem proximam peccati mortalis, qua sine eo rarissimè vtimur: At rarissimè quis deliberatè delectatur, quin expressè consentiat in copulam, aut alium actum libidinosum: Ergo hæc opinio inducit incuidens periculum peccati.

Sextò deliberata delectatio morosa de fornicatione, aut pollutione, vtique est mortalis. S. Thomas 1. 2. *quæst.* 11. *artic.* 1. *ad* 3. *& artic.* 4. *&* 2. 2. *quæst.* 154. *in corp.* Sed delectari de præparatorijs ad fornicationem, aut pollutionem, est confusè, & implicitè apprehendere, atque delectari, de ipsa fornicatione, quod patet; ideò enim natura, (quæ nihil agit frustra) instituit eam delectationem veneream, in instrumentis generationis, cum turpiter commouentur, vt præparet, & excitet ad copulam ob bonum generationis: ideò Bruta, quæ sunt naturæ specula, ante copulam, ad eam se lusibus, tactibus, & osculis præparant, atque excitant. Ideò fornicarij plerumque nulla distincta, & explicita præuia cogitatione copulæ, ex sola delectatione venerea osculis, amplexibus, & tactibus se præparant, & excitant ad copulam; ergo deliberata delectatio venerea est confusa apprehensio, & delectatio copulæ, & pollutionis.

11 Septimò, hanc delectationem veneream, quantumuis leuem, esse inchoatam pollutionem ostenditur ex Galeno *lib.* 14. *de vsu partium cap.* 9. *&* 10. dicente *delectationem veneream fieri ex motu humoris serosi, qui est substantia, & materia seminis, cum per venas, & arterias spermaticas, per modum hederæ protensas à renibus, ad vasa pudenda descendere incipit, & per commotionem spirituum genitiuorum incalescit tamquam per causam efficientem instrumentariam*: Sed hoc totum spectat ad inchoationem pollutionis, & ad mollitiem à Regno Dei excludentem, 1. *Corinth.* 6. quare (vt rectè arguit Rebellius) ea venerea delectatio suaptè natura, & ex fine operis ordinatur ad pollutionem, imò est inchoata pollutio; totus autem motus pollutionis, secundum singulas sui partes est mortalis, nulla enim inchoatio actus mortiferi, etiam, in alijs rebus venialis est, sed mortifera, cuiusmodi est inchoatio occisionis, rapinæ, furti notabilis, &c.

Ex his patet Responsio ad contraria argumenta.

12 Ad primum Respondetur cetera præcepta, quæ admittunt minimum, seu paruam materiam, ea esse ad obiectum diuisibile; v. g. furtum admittit minimum, quia potest quis velle furari vnum tantùm obulum, & non vltrà: ea autem peccata minimum non admittunt, quę habent obiectum graue, & indiuisibile, vt sunt peccata directè contra virtutes Theologicas, quia horum obiectum est Deus, vndè minimum non admittunt, vt sunt infidelitas, hæresis, blasphemia, periuriũ, desperatio, &c. Sed obiectum cuiuscumq; deliberatæ delectationis venereæ est mollities, seu inchoata pollutio, quæ est obiectum graue excludens à Regno Dei, & indiuisibile, quia secundum singulas sui partes motus successiuus pollutionis est contra bonum generationis; ergo præceptum continentiæ, seu delectatio venerea minimum non admittit. Ad cętera argumenta patet ex dictis.

Itaque opinionem asserentem dari paruitatem materiæ in rebus venereis, tamquam temerariam, erroneam, periculosam, scandalosam, ac in fide suspectam, à quorumdam neotericorum libris expungendam censerem. Imò in publicè eam docentes posse procedere fidei Inquisitores puto, nam Paulus III. *in sua constit. incip. in Apostolici culminis specula, quæ habetur post Directorium Inquisitorum* facultatem dedit Inquisitoribus procedendi contra quoscumq; asserentes propositiones periculosas, scandalosas, errores continentes, & alias catholicæ fidei minus consonas, christianæq; pietati, ac bonis moribus minimè conformes. Huiusmodi autem propositionum assertores non sunt cogendi ad obiurationem, sed ad reuocandum publicè illas, & ad errorem suum detestandum *iuxta extrauag. Vas electionis de hæreticis*, & aduertit Carena *tract. de Sancto Officio par.* 2. *tit.* 16. *nu.* 22.

QVÆSTIO XVII.

An plenè aduertens delectationem veneream, & positiuè neque consentiens neque resistens, sed negatiuè, & permissiuè se habens, peccet mortaliter?

S V M M A R I V M.

Prima sententia, quod peccat mortaliter. num. 1.
Secunda sententia, quod peccet venialiter. num. 2.
Tertia sentẽtia excusans tũc à mortali, si adsit displicẽtia. n. 3
Quarta sententia quod neque venialiter peccat. num. 4.
Prima conclusio deliberatus consensus est mortalis. num. 5.
Secunda conclusio peccat mortaliter si aduertat proximum periculum consensus. num. 6.
Modus reprimendi. num. 7.
Tertia conclusio in duplici casu instat periculum consensus, Primò quando magna est delectatio, qua expertus est, se sæpè prostratum. Secundò quando earationis iudicium valdè turbat. num. 8.
Quarta conclusio mortaliter peccat, si aduertat instare periculum pollutionis, quamuis credat se non consensurum, tenetur tunc positiuè resistere. num. 9.
Peccat tunc mortaliter si tepidè resistat. num. 10.
Quinta conclusio instat pollutionis periculum quando est vehemens commotio verendorum. num. 11.
Mortaliter peccat si tunc non surgit è lecto. num. 12.
Tunc tenetur orare, & diuinum auxilium implorare. nu. 13.
Reijcitur Io. Sanchez, qui docet, quod non orans in eo periculo dupliciter peccat. num. 14.
Sexta conclusio quamuis nullum instet periculum, tamen

venialiter peccat non reprimens turpem motum. nu.15.

Septima conclusio in praxi raró excusatur à mortali is, qui venereis delectationibus non resistit, vel saltem non habet formalem displicentiam. num.16.

Eo casu tutum est confiteri, tamquam de peccato dubio. num.17.

Non resistens venereis delectationibus plerumque mortaliter peccat, non quia non restitit, sed quia formalissimè consensit, quamvis consensum non aduertit. num.18.

Satis periculosum, sine praeuia confessione, tunc communicare. num.19.

Perfectus consensus aliquando, sine diuina reuelatione, certitudinaliter cognosci, impossibile est. num.20.

Erubescentes confiteri hac, putantes non esse mortale, sæpè sacrilegè communicant. num.21.

1 PRima sententia affirmat, quamuis certò credat se non consensurum, pro qua affertur S. Thom. 1. 2. *quæst.74. art.8.* vbi sentit peccatum morosæ delectationis esse, cùm voluntas illicitas passiones, vel imperat, vel non reprimit, & ita expressè docent Sanctus Bonauentura *in 2. dist.24. par.2. art.2. quæst.2. num.75.* vbi ait tunc interpretatiuè cõsentire S. Antoninus 1.2. *tit.5. §. in fine*, Alex. de Ales. *par.2. qu.118. mem.11.* Vasquez 1. 2. *disp.108. cap.2.* Valentia 1. 2. *disp.6. quæst.4. pun.3. vers. nihilominus*, Azorius *tom.1. lib.4. cap.6. quæst.5.* Beccanus 1. 2. *tract.2. cap.5. quæst.5. num.4.* Zumel 1. 2. *quæst.74. artic.8. disputat.2.* Curiel ibidem *artic.8. dub.2. §. 2. fol.493.* Pesantius *artic.10. disput.5.* Petrus Sotus *tract. de discrim. peccat. lect. 9.* Sayrus *in clavi Regia lib.8. cap.7. num.3. in fine.* Bonacina *de Matrim. quæst.4. pun.7.* Riccardus *in 2. distinct.24. artic.4. quæst.4.* Lessius *lib.4. cap.3. num.117.*

Probant primò, quia vel non tenetur voluntas reprimere talem motum, vel tenetur; si primum, ergo posset in magna delectatione venerea perseuerare, sine vllo peccato: Si secundum; ergo peccat mortaliter, nam materia est grauis, & adest plena aduertentia.

Secundò, quia turpis motus (etiam præciso omni consensus periculo) est de se inordinatus in re graui, nam sua natura disponit ad pollutionem; ergo tenetur sub mortali voluntas, non solùm non consentire, sed omninò talem motum prohibere.

Tertiò, intendens talem motum vtique mortaliter peccat; ergo etiam interpretatiuè volens; qui autem cum possit, & teneatur, non reprimit, interpretatiuè vult.

Quartò, quia opposita opinio falsò supponit voluntatem negatiuè se habere, cum appetitus delectatur, imò per consensionem quamdam semper voluntas, cum eo delectatur, & delectatio sensus in ipsam deriuatur; sicut cognitio sensus deriuatur in intellectum, neque enim opus est actu reflexo, se velle delectari.

2 Secunda sententia asserit venialiter peccare, nisi aduertat proximum periculum consensus, aut pollutionis, ita pro hac quoque sententia affertur S. Thomas *de veritate, quæst.15. art.4. ad 10. & 1. 2. quæst.74. artic.8.* ad secundum vbi asserit esse veniale, si non accedat deliberatè plenè consensus, eamque probabilem esse docet S. Bonauentura, vbi suprà, Caiet. *in sum. verbo delectatio vers. magna tamen.* Adrian. *in 4. quæst.5. de Euchar. §. 2.* Sanchez *in sum. lib.1. cap.2. num.13.* vbi ait esse communem, *& de Matrim. lib.9. disp.45. num.25.* Tabiena *V. cogitatio quæst.6.* Angelus *num.2.* Armilla ibidem. Syluest. *V. delectatio quæst.6. vers. quartum*, Nauar. *in Man. cap.11. num.12. & in cap. cogitationis de pœnit. dist. 1. numer.12.* Philiarcus *de officio Sacerdotis par.2. lib.4. caput.18.* Medina 1. 2. *quæst.74. articul.6.* Herrera *in 2. sent. disp.33. quæst.7. concl.2.* Reginald. *lib.15. num.65: & lib.22. cap.2. num.10. condit.3.* Lorca 1. 2. *tomo 2. disp.28. num.62.* Molfesius *in Summa tomo 1: tractat.8. num.43. & 45.* Corduba *lib.1. quæst.23. dub.10. ad 7.* Diana *par.2. tract.17. resol.33.*

Probatur primò, quia, vt ait S. Thomas duplex est obligatio voluntatis in regimine suarum passionum, altera ne imperet illicitas, altera vt reprimat: sed illa est primaria & per se, ista verò secundaria, & per accidens; ergo ista obligatio reprimendi, vtpotè secundaria non est grauis, sicuti illa primaria: ergo leuis materia est ab ea obligatione deficere.

Secundò, quia tota obligatio voluntatis ordinatur ad prohibendum consensum: sed supponimus hic non adesse periculum consensus: ergo remanet leuis obligatio reprimendi turpem motum.

Quod autem venialiter peccet; patet, nam non ita perfectè voluntas regit appetitum, dum eius prauos motus non comprimit. Tum quia quamuis probabiliter credat, se non consensurum, tamen dum non reprimit, non vacat omni periculo consensus, huic autem periculo se exponere sine necessitate veniale est.

3 Tertia sententia asserit tunc excusari à mortali, quando saltem habet aliquam displicentiam, quamuis neque reprimat omninò delectationem, neque causam ipsius remoueat, dummodò certus sit, se non consensurum, ita DD. quos refert S. Bonauentura, & eidem opinioni adhæret, Sanchez *in Sum. lib.1. c.2. num.13.*

4 Quarta sententia asserit, neque venialiter peccare si non reprimat, ita Io. Sanchez *disp.21. num.3.* Probat quia totum præceptum resistendi ordinatur ad prohibendum consensum: ergo dum non consentit perfectius implet præceptum resistendi.

Mihi per se absolutè loquendo probabilior videtur secunda sententia, eam tamen in praxi tutam rarissimè puto, vt autem distinctè procedamus:

5 Dico primò deliberatè consentiens in turpem motum, aut titillationem mortaliter peccat. Ita omnes S. Thom. 1. 2. *quæst.74. art.8.* vbi Caietan. S. Bonauent. *in 2. dist.24. par.2. art.2. quæst.2.* Vasquez 1. 2. *disp.109. cap.3.* & indicat S. Hieronymus *in Ecclesiastic. cap.9.* dicens: *Tentationum diabolicarum initia flagitia sunt.* Ratio est, quia eodem præcepto non mœchaberis prohibentur finis, ac media; sed ista omnia per se ex sui natura sunt media ordinata ad pollutionem, aut fornicationem; ergo.

6 Dico secundò, plenè aduertens proximum periculum consensus ex vehementi tentatione, seu delectatione, mortaliter peccat, si non resistat positiuè, atque conetur reprimere prauos motus, Io. Gerson *p.2. operum tract. de delectatione, §. vt negligens, in compend. Theologia, fol.207.* & in hanc sententiam omnes conuenire docet Vasquez 1. 2. *disput.108. cap.1.* Modus autem reprimendi tradetur *infrà latè, quæst.28.* nunc obiter vtilissimum modum esse, inquit Vasquez *vbi suprà, capit.2.* simul atque sentitur appetitus titillatio, *animum alio diuertere absque vllo gestu, & motu corporis exteriori.* Vel vt ait Gerson *part.2. operum tractat. de pollution. diurna propositione 8, fol.492.* fieri diuersio-

nem

nem, vel impressione signi Crucis in pectore, aut in fronte,
quod aliqui reputant efficacissimum; vel per aliquam læ-
sionem corporis in lingua, vel alibi, vel per vitationem
otij, & supra modum per implorationem diuini auxi-
lij, sine quo continens, nemo planè esse potest, præ-
sentissimum autem remedium puto inuocare castita-
tis Patronam, dicendo salutationem Angelicam.

8 Dico tertiò in duplici casu instat proximum peri-
culum consensus. Primus est, quando grauis, seu ma-
gna est delectatio, & aliundè est homo parùm timora-
tæ conscientiæ, qui expertus est simili tentatione sæpè
se prostratum, deliberatè consensisse, quod patet ex
traditis per Nauar. *in Man. cap.3. numer.14.* Caietan.
V. Periculum, & docet Sanchez *de Matrim. lib.9. disput.
45. num.6.* Secundus est, quando quis sentit se ita ten-
tatione turbatum, atque obnubilari rationis iudicium,
vt non possit alia præter venerea cogitare, neque aliò
cogitationem diuertere, ita Io. Sanchez *in selecť. disput.
21. num.22.*

9 Dico quartò aduertens proximum periculum instan-
tis pollutionis, & effusionis seminis ex vehementi car-
nis motu, quamuis credat se nullatenus consensurum
in delectationem veneream, vel in pollutionem, ta-
men mortaliter peccat si positiuè motum illud non re-
primat, ita Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.45. num.25.
& in Summa lib.1. cap.2. numer.14.* vbi ait lethale esse,
tunc non resistere, sed negatiuè se habere, neque suf-
ficiet formalis displicentia sed requiritur positiua resi-
10 stentia. Syluest. *V. delectatio quæst.1. dicto 4.* vbi ait;
mortale esse tunc tepidè resistere; quia tenetur volun-
tas feruentiùs se habere, & Io. Sanchez *disp.21. num.19.
& 20.* Dixi de periculo pollutionis, nam de distilla-
tionis periculo puto veniale esse, vt infra ostendam
quæst.24.

Probatur, quia eodem præceptò, quo quis tenetur
pollutionem vitare tenetur auferre causas per se in-
fluentes in illam, nisi aliqua necessaria causa excuset:
sed turpes motus, & delectatio venerea per se causant
efficaciter pollutionem: ergo sub mortali tenetur tunc
quis positiuè resistere his prauis motibus, ac delecta-
tionibus, instante pollutionis periculo.

11 Dico quintò tunc instat pollutionis periculum, quan-
do vehemens est commotio verendorum, vt contingit
in Satyarisi, quæ est erectio cum palpitatione penis,
huic enim proxima est seminis effusio; sic etiam quan-
do adest magna delectatio cogitationis venereæ, cum
grauissima commotione verendorum, adeò vt vix se
possit continere à corporis motu, & agitatione, quo
corporali motu, irritata expultrice potentia, mox se-
12 quutura est pollutio; his casibus sub mortali tenetur re-
sistere, vndè rectè ait Io. Sanchez *in selecť. disput.21.*
13 *num.19. & 20.* quod tenetur surgere è lecto, alioquin
mortaliter peccat, alij docent quod tenetur orare, &
diuinum auxilium implorare. Ita S. Thomas 2.2. *quæst.
83. artic.3.* & ibidem Aragonius §. *sed quando*, Suarez
de relig. tom.2. lib.1. capit.29. numer.7. Nauar. *in Man.
capit.13. num.18. Et in Enchirid. de orat. capit.3. num.
14.* Syluest. *V. oratio in fine*, Rodriquez *in Sum. par.2.
cap.22.*

14 Non rectè tamen docet Io. Sanchez *disp.21. num.20.*
tunc non orantem dupliciter peccare contra virtutem
religionis, & contra castitatem: nam quamuis optimum
remedium sit tunc orare, potest tamen, & aliter resiste-
re, & quidem frigore nudis pedibus calcando pauimen-
tum, illicò illecebræ flammas extinguet, vt docuit Ari-
stot. 4. *probl. quæst.5.* & Auicenna *lib.3. fen.20. tract.1.
capit.28.*

15 Dico sextò, sentiens turpem motum cum delectatio-
ne, quamuis omninò certus sit nullum subesse pericu-
lum, neque consensus, neque pollutionis, tamen nisi ali-
qua causa excusetur (de qua infra) venialiter peccat, eo-
prauos motus non comprimens, ita omnes contra Ios
Sanchez *disput.21. num.3.* Ratio est, nam talis motus
cum delectatione venerea, est de se inordinatus, & tur-
pis, & ex natura sua allicit ad consensum, & disponit
ad pollutionem, saltem remotè; ergo tenetur volun-
tas eos positiuè comprimere: tùm quia id omnium fi-
delium sensus ostendit, qui passim se accusant de negli-
gentia in resistendo, sed si motus esset sine vlla prorsus
delectatione, tunc puto nullatenus de ipso curandum,
vt rectè docet Io. Sanchez *vbi suprà, numer.18.* & infrà
probabo.

16 Dico septimò in praxi raro excusatur à peccato mor-
tali is, qui venereis delectationibus, ac titillationibus
positiuè non resistit, & comprimere negligit, vel saltem
formalem displicentiam de illis non habet. Vndè con-
sultissimum, imò sæpè necessarium est, de his tamquam
de dubio peccato se accusare ante sacram communio-
17 nem. Ratio est, quia non resistens prauis motibus &
delectationibus, frequenter verè, & formaliter, nedum
interpretatiuè consentit, non cognoscit autem se con-
sensisse, quia actu reflexo non aduertit consensum, vn-
18 de tunc mortaliter peccat, non ex eo quia non resistit,
sed quia verè & formalissimè consentit, vndè rectè do-
cuerunt grauissimi Doctores, vt Io. Gerson, Cancella-
rius Parisiensis, Gregorius de Valentia, Thomas San-
chez, Sayrus, & Alphonsus Rodriquez rem esse satis
periculosam, neque tutum esse communicare sine
confessione, referam in re tanti momenti verba Do-
ctorum.

Io. Gerson *par.2. operum tract. de pollutione diurna*
20 *propos.9. fol.492.* sic scribit: *Difficile, vel impossibile est
absque diuina reuelatione cognoscere certitudinaliter radi-
cem, & causam pollutionis diurnæ, si proueniat ex consensu
vero, vel interpretatiuo, pleno, vel imperfecto, aut sine vllo
consensu, vnde expedit de talibus confiteri, talis autem con-
fessio sit pura, & deuota, in qua manifestet se homo, & oc-
culta cordis sui Sacerdoti prudenti, & deuoto.*

Gregorius de Valentia 1.2. *disp.6. quæst.4. punct.3.
vers.2. probatur*, ait: *Quod ex opposita opinione magnus
patet aditus libidini, & occasio præterea daretur pijs ho-
minibus ruina, qui cùm possint vtcumque sibi fidere, neque
tantopere vereri periculum positiuè, & directi consensus,
sæpè laberentur in huiusmodi consensum, si incautè, & absq;
metu mortalis noxæ eam delectationem in animo retinerēt.*

Gregorius Sayrus *in Claui Regia lib.8. c.7. num.3.* ijs-
dem penè verbis eadem docet.

Thomas Sanchez *lib.1. Summæ cap.2. num.13.* sic ait:
*Priorem opinionem (nempè non resistentem mortaliter
peccare) existimo practicè ferè semper esse veram, quan-
do post plenam deliberationem nullus actus contrarius est
in voluntate, quo conetur voluntas resistere, ac appetitus
delectationem reprimere, sed nomine actus contrarij forma-
lem illius displicentiam intelligo; qua displicentia quantum
ad reprimendum appetitum sit actus inefficax, sed quantū ad
cohibendū liberū voluntatis consensum sit efficax. Ducor quia*

aliàs voluntas ferè semper exponeretur proximo consensus periculo, ac contrarium credere præsumptioni tribueretur, ac proinde (Deo in superbiæ pœnam id permittente) certior lapsus sperari poterit; Non enim vsque adeò homo voluntati prædominatur, vt absque omni periculo circa obiectum rectè cognitum, & vehementer alliciens omnem actum suspendere valeat. Atque vix dignosci potest voluntatem omni actu carere, quandiu appetitus delectatione afficitur.

Alphonsus Rodriquez *exercit. spirit. par. 3. tractat. 4. cap. 4. docet* sæpissimè doctissimos viros latere, an sub-
21 sit peccatum mortale; vndè S. Bonauentura *in speculo disciplinæ* acriter reprehendit eos, qui ex verecundia putantes non esse mortale, omittunt hæc confiteri & sæpè sacrilegè communicant.

Restat autem, vt ad contraria argumenta respondeamus.

Ad primum respondetur turpem motum, aut delectationem veneream, tunc esse grauem materiam, quando secum affert proximum periculum consensus, aut pollutionis, alioquin erit materia leuis.

Ad secundum modo respondetur, non disponere ad pollutionem, nisi remotè, quando non aduertitur proximum periculum consensus, aut pollutionis.

Ad tertium respondetur, tunc dicitur aliquid interpetratiuè volitum, quando quis potest, & tenetur impedire; nunc autem sentiens turpem motum, non tenetur sub graui culpa resistere, quando non adest proximum periculum consensus; ergo non dicitur interpetratiuè velle, simpliciter loquendo, quamuis secundum quid dicatur aliquo modo velle interpetratiuè, quia sub culpa veniali tenetur repellere.

Ad quartum respondetur, hoc argumentum probare, quod rarò in praxi non adsit directus consensus, quãuis non percipiatur, eò quòd cum momentaneus sit, intellectus non reflectit, id autem vltrò concedo. Nego tamen nunquam abesse directum, & formalem consensũ, potest enim appetitus delectari, vt voluntas nullatenus consentire, quamuis positiuè non resistat eius delectationi, quando hæc modica, & breuis est, vt patet quotidiana experientia.

QVÆSTIO XVIII.

Quando positiuè non resistens venereæ delectationi, dubitare teneatur, an formaliter, & directè consenserit, & tamquam dubium mortale teneatur confiteri?

SVMMARIVM.

Prima conclusio Quatuor in hac quæstione sunt consideranda. Primò qualitas personæ. Secundò qualitas delectationis. Tertiò eiusdem causa. Quartò, an sit aliqua eius displicentia. num. 1.

Secunda conclusio si leuis sit delectatio, & timorata conscientia, probabile est, non subesse mortale. num. 2.

Tertia conclusio si sit timoratus, magna delectatio, cuius sit displicentia, probabile est non peccasse mortaliter. num. 3.

Quarta conclusio si sit vir timoratus, magna delectatio, nulla causa non remouendi, & nulla adsit displicentia, dubium est, an subsit mortale peccatum. num. 4.

Quinta conclusio si timoratus, magna delectatio, nulla resistentia, rationabilis tamen causa non remouendi, probabile est non consensisse. num. 5.

Non peccat, si ideò nõ curat, ne tentatio validiùs infestet. n. 6.

Non peccat, si non resistit, quia expertus est se ipsis cessare. num. 7.

Non peccat, si non resistit nè scrupulis crucietur. num. 8.

Sexta conclusio si leuis sit tentatio, quamuis non resistat, probabile est non subesse mortale. num. 9.

Septima conclusio, si displiceat, quamuis sit non timorata conscientia, probabile est non consensisse. num. 10.

Octaua conclusio, si non sit vir timoratus, magna delectatio, nulla resistentia, quamuis ex rationabili motiuo non remoueat causam, dubium est mortale. num. 11.

An sit obligatio confitendi peccatum, quod quis probabiliter credit, se non commisisse? num. 12.

An sit obligatio vt conteratur de eo ante communionem? num. 13.

An in mortis articulo teneatur conteri? num. 14.

1 Dico primò, quatuor prudenter consideranda sunt, scilicet primò qualitas personæ an sit timoratæ conscientiæ, qui mori mallet, quàm mortali delectatione fœdari; vel non timoratæ, qui sæpè ruit in manifesta peccata mortalia? iuxta ea, quæ in simili tradit Sanchez in *Summa lib. 1. c. 1. nu. 20.* Sayr. *in Claui Regia, lib. 8. cap. 7. n. 6. in fine.* Secunda qualitas delectationis venereæ consideranda est, an fuerit breuis, & in transitu, atq; modica, vel diuturna notabili tempore durans, atq; vehemens? tertiò consideranda est causa, an rationabilis, vt auditio confessionum, studium; vel irrationabilis, vt turpiloquiũ, curiosus aspectus curiosa lectio? quartò considerandum est, an aliquam eius delectationis displicentiam habuerit, vel nullam omninò displicentiam?

2 Dico secundò quando leuis, ac leuis fuit delectatio, & est persona timoratæ conscientiæ, probabile est abesse consensum, vndè sine confessione poterit communicare, consultum tamen erit confiteri.

3 Dico tertiò, quando est vir timoratæ conscientiæ, magna tamen, & diuturna fuit tentatio, & nulla subest ratio non remouendi causam delectationis; tunc si habuit displicentiã delectationis, probabile est non consensisse.

Ratio est, quia illa displicentia est quædam resistentia, quæ quamuis sit inefficax ad tollendam delectationem, efficax tamen est ad cohibendum consensum, ita Sanchez *in Summa, lib. 1. c. 2. num. 13.*

4 Dico quartò, quando est vir timoratæ conscientiæ, grauis & diuturna delectatio, & nulla subest ratio causam delectationis non amouendi, vt curiosus aspectus, aut lectio, & nullam habet delectationis displicentiam, eo casu puto dubium esse an consenserit, vndè nequit sine confessione communicare. Ratio est, quia facilitas voluntas ruit in consensum, quando longo tempore nullatenus resistit, & liberè non remouet causam, quam faciliter tollere potest, ac perseuerat in magna sensu delectatione, tunc enim appetitus sensitiuus per sympathiam inclinat voluntate ad consensum, quem tamen non agnoscit, quia subtilis est, ac actu reflexo, in illum non tendit.

5 Dico quintò, quando est vir timoratæ conscientiæ grauis, & diuturna delectatio, cum nulla resistentia, aut displicentia ipsius, causam tamen delectationis non remouet ex rationabili motiuo, vt est auditio confessionum, necessarium studium, &c. tunc probabile est abesse consensum, neque tenetur, sed consultum est confiteri. Ratio est, quia timoratus vir non faciliter ruit in consen-

sum,

sum, cùm rationabiliter detinetur in opere causante delectationem, quamuis negligens sit in restituendo.

Hinc patet probabile esse, abesse consensum, & à graui peccato excusari virum timoratum, qui experientia didicit delectationes, & turpes motus validiùs eum infestare, cùm resistere nititur, imò tunc neque venialiter peccat non resistendo, ita Io. Gerson *part. 2. operum tract. de pollutione diurna proposit.* 8. vbi ait: *Cogitationes carnales, & fluxus inde sequentes, absque*
6 *consensu voluntario, vincuntur plerumque salubrius, tutius, & efficacius, si ratio se habeat circa illa per modum non curantis, vel diuertentis voluntatem, ad alia, quàm si sollicitetur, tristetur, turbetur, & conetur tales expellere; auget enim cogitatio vehemens, & imaginatio conatum, ac proinde nutrit cogitationem huiusmodi, multiplicat, & efficaciorem reddit ad fluxum consequendum. Quod si dissimulauerit, neque curauerit plusquam de alterius humoris naturalis fluxu, conquiescet. Exemplum est de timentibus, qui trabem in alto positam numquam sine casu transirent.* Hæc Io. Gerson.

7 Sic si diu restitisti, frustrà tamen, quia adhuc durant, experientia tamen didicisti eos prauos motus seipsis cessare, neque venialiter peccas, si non curas, ita S.Th. 2.2. *quæst.* 35. *art.1. ad 4. & in prima ad Corinthios, cap.6. q.6.* Curiel 1. 2. *quæst.74. art.8. dub.2.* §.3. *ibidem*, Pesantius *art.10. disput.5.* Azorius *tomo* 1. *lib.4. cap.6. quæst.5.* Io. Sanchez *in selectis disp.21. num.11.*

8 Qui etiam scrupulosus est, & scrupulis cruciatur, cùm resistere nititur, & causam amouere; si resistere non curat, excusandus est, & probabile est non consensisse. Ratio est, quia iustissima causa non resistendi, aut causas delectationum non amouendi, est euitare scrupulorum cruciatum.

9 Dico sextò, si sit vir non timoratæ conscientiæ, leuis tamen, & breuissima delectatio; tunc quamuis nullatenus restiterit, probabile est non consensisse, consultissimum tamen erit confiteri.

10 Dico septimò, si sit vir non timoratæ conscientiæ, grauis tamen, & diuturna tentatio, sed eius habeat displicentiam tunc probabile est, non consensisse, quia hæc est aliqua resistentia vt suprà dixi.

11 Dico octauò si sit vir, non timoratæ conscientiæ, magna etiam, & longo tempore durans delectatio, nullamque eius habeat displicentiam, quamuis ex rationabili motiuo, aut ex necessitate non remoueat causam delectationis, tunc dubium est an verè consenserit, vndè non poterit sine confessione communicare. Ratio est, quia huiusmodi homines velut sulphureus puluis mox tacti libidinis igne flammescunt, vnde rationabile dubium est, an consenserint iuxta ea, quæ in simili docet post Medinam, & Sayrum, Sanchez *lib.1. Sum. c.1. nu.20.*

12 Aduerto autem eis, qui probabiliter putat se deliberatè non consensisse, & sic probabiliter credit se non peccasse mortaliter, non tenetur ante communionem confiteri, ita Suarez *de pænit. disp.22. sect.9. num.5. & 6.* Henriquez *lib.5. cap.4. in fine*, Sanchez *in Summa lib.1. cap.10. num.76.* Sylueus *in addit. ad 3. par. quæst.6. art.4. ad 3.* Mercerus 3. *par. quæst.9. art.4. num.7.* contra Ioannem Salas 1. 2. *quæst.21. tract.8. disp. vnica sect.5. num.60.* Ratio est, quia tutus est in conscientia is, qui sequitur opinionem probabilem: ergo cum habeat probabilem opinionem se non peccasse mortaliter, non te-
13 netur præcepto confessionis. Imò eadem ratione puto

non esse obligatum ad contritionem eius peccati ante communionem. Ratio est, quia cum probabiliter credat se esse in gratia, nullam infert iniuriam Sacramento.

14 Sed si post illud peccatum, non est confessus alia peccata, aut non habuit alterius peccati contritionem, & incidit in periculum, seu articulum mortis, tenetur sub mortali elicere actum contritionis saltem talis peccati, ne se conijciat in periculum æternæ damnationis, ita Henriquez *lib.5. cap.4. in fine*, Sanchez *lib.1. cap.10. nu.77.* qui cum eodem Henriquez *lib.8. c.45. nu.3. lit.P.* ait expedire tunc confiteri, si dubitat in eo mortis articulo, se actum contritionis elicere posse. Ratio est, quia non debet se exponere periculo æternæ salutis.

QVÆSTIO XIX.

Quæ sit delectatio venerea, quæ verò sensibilis, & quando in ista illa lateat?

SVMMARIVM.

Prima conclusio delectatio ventrea sola est, quæ percipitur ex copula, vel ex per se ordinatis ad copulam. num.1.

Delectatio sensibilis est, quæ percipitur ex aspectu, vel tactu, vt obiecti proportionati cum organo visus, vel tactus, absque vlla delectatione, aut cogitatione copulæ, aut obscæni actus. num.2.

Tactus, & oscula secundùm se sunt indifferentia. num.3.

Secunda conclusio, delectatio venerea semper est mortalis. sensibilis est venialis, nisi ratione periculi fieret mortalis. num.4.

Tertia conclusio in praxi difficiliter distinguitur sensibilis à venerea delectatione. num.5.

Quarta conclusio si tactus non sit ex honesta amicitia, & finis ipsius sit sola delectatio, eaque magna, & deliberata, tunc talis delectatio est formaliter venerea, ac mortalis. num.6.

Oscula instituta sunt à natura, vt sint interni amoris signa. num.7.

Discrimen inter osculum pudicum, & impudicum. num.8

Impudici osculi nota. num.9.

Venerea delectatio est, si in confuso copula, aut obscænus actus apprehendatur. num.10.

Delectatio sensibilis faciliter transit in venerea. num.11.

Vasallus tangens mammillas dominæ priuatur feudo. numer.12.

Leuis delectatio sensibilis in viro timorato probabiliter non est venerea. num.13.

Si ioco ex sola delectatione sensibili timoratus tangat mulieris manum, pedem, probabile est, non esse delectationem veneream. num.14.

Quid si tangens, quamuis timorata conscientia, tamen interna graui tentatione vrgetur? num.15.

Dicendum tunc peccare mortaliter. num.16.

Leuis tactus ob solam delectationem sensibilem, in homine perdita vita, dubium est mortale, seu an subsit venerea delectatio. num.17.

Sexta conclusio si honestum tactum comitetur sensibilis delectatio, quæ æquè principaliter non sit intenta, non est mortale, imo fortè nec veniale peccatum. num.18.

Septima conclusio si honestum tactum comitetur delectatio sensi-

ſenſibilis, quæ magna ſit, & principaliter intenta, ea delectatio eſt venerea, ac mortalis. num.19.

Octaua concluſio leuis delectatio ex tactu, vel aſpectu pudendorum eſt venerea, ac mortalis. num.20.

1 DIco primò delectatio venerea ſola eſt, quæ percipitur ex copula, vel ex per ſe ordinatis ad copulam, vt commotione, aut turpi tactu pudendorum, vel ex imaginatione, aut confuſa imaginatione iſtorum.

2 Delectatio verò ſenſibilis eſt, quæ percipitur ex aſpectu, vel tactu obiecti proportionati, cum organo viſus, aut tactus, vt rei pulchræ, blandæ, mollis, &c. abſque vlla prorſus, delectatione, aut cogitatione copulæ, aut obſceni actus; huiuſmodi eſt, quæ accipitur, ex honeſto, & beneuolo oſculo, aut tactu non libidinoſo, vt cum parentes filios, fratres, ſorores oſculantur, ita docent Martinus de Magiſtris *quæſt.25. de temperantia, ſeu 3. de luxuria,* Gabriel *in Cunonem, lect.74. lit. E,* Tabiena *v. Cogitatio, quæſt.8. num.9.* vbi ait, quòd delectatio venerea eſt, quæ ſentitur in carne, cum commotione ſpirituum ſeruientium generationi. Comitolus *reſponſ.lib.4. quæſt.20. numer.5. & 6.* Syluius 2. 2. *quæſt. 154. art.4. concl.4.* Filliuc. *tract.30. cap.9. num.188.* Diana *par.4. tract.4. reſol.136.*

Contra Caietanum *tomo 1. opuſc. 14. quæſt.3.* vbi ſic ſcribit: *Viſus mulieris pulchræ, ſecundùm ſe ipſum delectabilis, non eſt libidinoſus, niſi ex parte videntis ad malum finem ordinetur: tactus autem per oſcula, & amplexus, vt eſt ſecundum tactum talem delectabilis, eſt libidinoſus; ſicut & concubitus; quoniam delectatio ſenſibilis ſecundum quendam tactum, ſcilicet oſculorum, amplexuum, & huiuſmodi, eſt ſecundum ſe à natura ordinata ad venerea, hinc fit, vt illa ob ſolam delectationem exercita, ſint libidinoſa; viſus autem minimè.* Ita Caiet. & 2. 2. *quæſt.154. art.4. & in Summa v. impudicitia.* Leſſium *lib.4. c.3. num.59.* Sanchez *de matrim.lib.9. diſp.46. num.7.* vbi innumeros citat, & vocat hanc delectationem veneream, & ſenſibilem. Villalobos *tom.2. tract.40. difſic.9. numer.4.* ſed iſtæ ſententiæ ad concordiam redigendæ ſunt, vt infrà patebit.

Probatur primò, noſtra concluſio authoritate Galeni *lib.14. de vſu partium, cap.9. & 10.* vbi ait: *quod delectatio venerea, eſt, quæ in carne conſurgit, ex motu humoris ſeroſi, qualis eſt ſubſtantia ſeminis, incaleſcentis per commotionem ſpirituum generationi deſeruientium.* Ergo venerea delectatio ſola eſt, quæ accipitur ex copula, aut turpi commotione inſtrumentorum generationis, aut ſeminis effuſione, vel iſtorum imaginatione.

Secundò, Probatur ex S. Auguſtino *lib.14. de Ciuitate Dei, cap.16.* vbi ſic ait: *Cum ſint multarum rerum libidines, tamen cum libido dicitur, nec cuius rei libido ſit, additur, non ferè ſolet animo occurrere, niſi illa, qua obſcœnæ partes corporis excitantur.* Sic ille.

3 Tertiò oſtenditur authoritate grauiſſimorum Doctorum, qui docent tactus, oſcula, & amplexus, ſecundum ſe eſſe indifferentia, ita S. Thomas in *quæſt. de malo de luxuria, art.2. ad 18.* vbi ſic ait: *Tactus, amplexus &c. in quantum ordinantur ad actum fornicationis, vel ad ſolam delectationem fornicationis, eſſe peccata mortalia, ſecundum autem ſpeciem ſuam non eſſe: & 2.2.qu.154. art.2.* dicit: *Secundùm ſpeciem ſuam, & rationem, oſcula, amplexus, & tactus non nominare peccatum mortale, ſed tantum eſſe talia ex ſua cauſa propter intentionem ſcilicet corruptam, ideòque cum ſiunt propter delectationem peccati mortalis eſſe mortalia, & ſic ſolùm eſſe libidinoſa.* Hæc S. Thomas; cuius ſententiam iiſdem ferè verbis ſequuntur S. Antoninus, Piſanella, Roſella, Gabriel, Angelus, Tabiena, Io. Nider, & Syluester, quorum verba refert Filliuccius *vbi ſuprà num.183.* idemque docent Nauar. *in c. ſi cui de pœnit. diſt.1. num.13.* Sanchez *de Matrim. lib.9. diſp.46. num. 2.* Villalobos *tom. 2. tract.40. difſic. 9. num. 2.* Ergo ſi oſcula, & tactus, ſunt indifferentia, & ſunt mortalia ex extrinſeca intentione operantis propter delectationem copulæ cogitatæ, ſequitur, quod ſola delectatio venerea eſt illa, quæ percipitur, vel ex copula, vel ex turpi commotione pudendorum, vel iſtorum cogitatione.

Ad hanc rationem reſpondet Sanchez *d. diſp. 46. nu. 20.* dicens: *Non ſunt illi tactus mortales ob delectationem naturalem ipſorum, quatenus indifferentes ſunt; Hæc enim eſt ea, quæ ſentitur ex contactu rei organo ſenſus proportionata: ſed ſunt mortales, quia tangens acceptat delectationem ſenſibilem, & veneream, conſurgentem, quæ ſuapte natura ad copulam tendit.* Contra, quia Sanchez in tactu duplicem delectationem agnoſcit; alteram naturalem, quam explicauit *num.5.* eſſe ob ſolam proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus, aut viſus, ſicut tactus rei blandæ & viſus rei pulchræ organa viſus, & tactus naturaliter delectant: alteram delectationem conſurgentem ſenſibilem, & veneream, quam ſuprà *nu.5.* explicauit ex Tabiena, eſſe eam, *quæ in carne ſentitur ex commotione ſpirituum ſubſeruientium generationi circa partes libidinoſas.*

Sed hæc reſponſio eſt impertinens ad quæſitum, nam iſta poſterior delectatio, ex commotione ſpirituum ſubſeruientium generationi, eſt omninò venerea, & mortalis, neque vllus de hoc dubitat, eaque eſt omninò extrinſeca ad tactum; igitur de priori delectatione, quam Sanchez vocat *Naturalem*, alij vero vocant *Senſibilem*, eſt quæſtio, an illa dicenda ſit venerea, mortalis, cum quis, propter ſolam voluptatem oſculatur mulierem.

4 Dico Secundò quando delectatio eſt venerea, certum eſt eſſe peccatum mortale, veniale verò eſt ſi non ſit venerea, ſed ſenſibilis, niſi ratione periculi, ita omnes ſuprà citati. Ratio eſt, quia delectatio eſt eiuſdem moris cum obiecto, vt ex Ariſt.10. *Ethicorum ca.4. & 5.* ſed obiectum delectationis ſenſibilis non eſt mortale: Ergo.

5 Dico Tertiò difficillimum eſt præſertim in praxi diſtinguere delectationem ſenſibilem à venerea, & ſæpè ſenſualis tranſit in veneream; quarè in praxi rariſſimè excuſatur à peccato mortali, is qui deliberatè acceptat delectationem ſenſibilem, niſi leuis eſſet, ita Filliucius *tom.2. tract.30. cap.9. num.179.* Leſſius *l.4. cap.3. num. 59.* Salas 1. 2. *qu.70. tract.13. diſp.6. ſect.20. num.143.*

6 Dico Quartò ſi tactus, amplexus, aut oſculum non procedit ex honeſta amicitia, vel beneuolentia, ſed eius finis eſt ſola delectatio ſenſibilis, quæ ſit magna, aut cum notabili temporis mora, & deliberatè accepta, tunc talis delectatio eſt formaliter venerea, atque mortale peccatum. Quatuor itaque requiruntur vt delectatio tactus, aut oſculi ſit venerea, quamuis nulla adſit cogitatio copulæ, aut actus obſceni. Primò, quòd non procedat ex honeſta amicitia. Secundò, quòd finis ſit ſola delectatio ſenſibilis. Tertiò, quòd ſit ea delectatio notabilis, ac magna. Quartò, quòd deliberatè acceptetur. His concurrentibus dico eſſe delectationem formaliter

vene-

veneream, idque tamquam certissimum in praxi docent communiter Doctores, & oppositum censent falsum, & improbabile, ita Caietan. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 4. *& tomo* 1. *opusc.* 14. *quæst.* 3. *& in Summa v. Impudicitia, ibidem.* Armilla *num.* 1. Nauar. *in Summa, cap.* 16. *num.* 11. Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *num.* 59. qui ait oppositam sententiam practicè non esse probabilem, Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 46. *num.* 7. qui scribit id esse certissimum. Layman *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 14. Medina 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 8. *dub.* 5. Philiarchus *de officio Sacerdotis par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. *dub.* 3. Alcozer *in Summa cap.* 20. Filliucc. *tract.* 30. *num.* 179. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 40. *diffic.* 9. *num.* 4.

Contra Martinum de Magistris, Gabrielem, Humbertum, & alios apud Sanchez *vbi suprà num.* 6.

7 Probatur primò, quia aliqui tactus, amplexus, & oscula instituta sunt à natura, vt sint interni amoris signa sic S. Ambrosius *lib.* 6. *Examerον cap.* 9. oris osculum *pietatis, & charitatis pignus* appellat, *& lib. de Isaac cap.* 3. *qui se osculantur non sunt labiorum libatione contenti, sed spiritum suum sibi inuicem videntur infundere*: hæc. Ambros. per oscula verò animam quasi in aliena corpora transfundi docuerunt, Plato apud Gellium *lib.* 19. *c.* 11. & Macrobium *lib.* 2. *Saturnal cap.* 2. S. Io. Chrysost. *hom.* 30. *in* 2. *ad Corint. ob id enim, inquit, nobis datum est osculum, vt charitatis igniculus, & fomes sit.* Verè, & scienter Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1. *Glaphyr. par.* 169. scripsit *Osculum est Symbolum perspicuum, euidensque nota beneuolentiæ, & charitatis.* Apud Ægyptios Sacerdotes columbæ charitatis, & amoris hieroglyphicum fuit, eò quod mutuis sese osculis columbæ suauiarentur.

8 Porrò hoc discrimen est inter oscula, quæ ex amore pudico, vel impudico prodeunt, illa enim fiunt in beneuolentiæ, & internæ charitatis demonstratione, neq; vllam voluptatem, aut sensibilem delectationem ijs suauijs se osculantes intendunt, quod præclarè innuit S. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *pædagog. cap.* 11. sic scribens: *Dilectio non in osculo censetur, sed in beneuolentia, Regno dignè gustato, ore modesto, & clauso beneuolentiam animi ostendamus. Est autem aliud quoque osculum, incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis, quod etiam phalangia, si ore tantum tangant, graues dolores hominibus afferat.* Ita Clemens. Expende *ore modesto, & clauso* dari *sancta, & impolluta oscula*, non ergo ijs voluptas captanda.

9 E contra verò impudica oscula in beneuolentię significatione non fiunt, sed turpi voluptatis cœno suauantium ora fœdantur, accipe illecebrosi basij notas. Ouidius *Epist.* 2. *oscula per longas iungere pressa moras*, Iuuenalis *Satyra* 6. *ac mollia semper oscula delectent.* Apuleius *lib.* 3. *Hiantibus osculis, & fragrantibus papillis.* Statius *lib.* 3. *Syllicorum fertisque dedisti oscula anhela meis.* Seneca apud Pierium *lib.* 22. *columbatim labra inferens labris.* Ægyptij enim columbarum se se osculantium simulachro venereas illecebras significabant, columbæ enim non prius ad veneris copulam, quam ad oscula deueniunt eruditè Donatus in illud Terentianum, *ò Thais mea, meum suauium*, ait, *tria esse osculandi genera, osculum scilicet, basium, & suauium; oscula officiorum sunt, basia pudicorum affectuum, suauia libidinum, vel amorum.* Attende impura suauia per *longas moras pressa mollia, anhela, labris labra inferentia.* Itaque sic breuiter arguo. Oscula instituta sunt, vt sint amoris signa; sed voluptuosa, seu in quibus sola voluptas quæritur, non prodeunt ex amore pudico: ergo impudico.

Probatur secundò, quia quando sola delectatio spectatur in osculo, eaque vehemens est, tunc naturaliter commouet spiritus generationi subseruientes, vndè procedit pudendorum turpis commotio: ergo ex se talis delectatio ad pollutionem ordinatur; ergo est formaliter venerea.

10 Probatur tertiò, quia de ratione delectationis venereæ non est, quod copula, aut obscænus actus explicitè apprehendatur, seu imaginationi occurrat, sed sufficit in confuso, & implicitè apprehendi, vt docet Rebell. *par.* 2. *lib.* 3. *quæst.* 19. *sect.* 3. *in princ.* sed quando in tactu, aut osculo sola voluptas quæritur, eaque magna, ac notabilis est, tunc in confuso apprehenditur actus obscenus, atque copula, nam huiusmodi tactibus, & osculis fornicarij delectantur, tamquā de circumstantijs copulę.

11 Probatur quartò, nam esto delectatio sensibilis venerea non esset, tamen propter naturæ corruptionem mox transit in veneream; ergo ratione periculi lethalis est. Libet hæc Philosophorum, ac Patruum testimonijs comprobare Arist. *lib.* 2. *de animal cap.* 9. docet homini tactus sensum esse exquisititissimum, eoque cetera animantia superare, quare si admissarium videmus equum in iumenti aspectu adhinnientem, verùm si tangat æstu libidinis furere, iam si tactus voluptas hominem afflauerit, multo magis concitabit animum ardoremque incendet Socrates *apud Xenophontem lib.* 1. *de dictis Socratis, & Stobeum serm.* 17. aiebat: *à pulchris abstinendum vehementer, neque enim facilè est, vt qui tales attingit modestus sit, & continens.* Plutarch. *de amor. formosos, ait, intueri incundissimum esse: tangere autem non sine periculo licere.* S. Gregor. Nazianzenus *orat.* 6. vocat tactum, *velut rabie laborantem.* Clymacus *gradu* 15. *Ex solo*, inquit, *tactu corpus inquinatur, nihil quippe sensu isto grauius, nihil periculosius.* S. Basilius *lib. de Virg.* rem tali similitudine illustrat: *sicuti tacto igne, subitò bulla, & vlcera nascuntur, sic bulla in corde, & inflammationes è contactu generantur.*

12 Probatur quintò, quia venereum esse mammillarum tactum nemo dubitat; vnde vaxallus tangens dominæ mammillas feudo priuatur *cap.* 1. *§.* 1. *quibus modis feudum amittitur*: sed id non aliundè, quia eo tactu sola voluptas quæritur: ergo cum sola delectatio spectatur in osculo, ea venerea est.

Obijcies primò quia ex Galeno *lib.* 14. *de vsu partium cap.* 9. *&* 10. *Venerea delectatio sola est, quæ ex motu substantiæ seminis percipitur*: sed huiusmodi non est illa osculi; ergo hæc non est venerea.

Respondetur, venereum dici per analogiam attributionis, principale autem analogatum est voluptas motus seminis; cætera autem, quæ motum seminis, eamque voluptatem causantur, dicũtur minus principalia analogata: & huiusmodi est sensibilis delectatio osculi, si magna sit, & primariò intenta, apta enim est commouere spiritus subseruientes generationi, & motum seminis causare; ergo delectatio est formaliter venerea.

Obijcies secundò quia ex S. Thom. Caietano, Armilla, Lessio, Sanchez, & Petro Ledesma, atque alijs apud Salas 1. 2. *quæst.* 74. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 20. *num.* 139. tunc tactus est mortalis, quando fit propter delectationem ordinatam ad copulam: Sed osculans, nihil cogitans de copula, non ordinat delectationem ad copulam: ergo non est mortalis.

Respon-

Respondetur delectationem osculi magnam, & primariò intentam, ex natura sua ordinari ad copulam, quippè quæ apta est commouere spiritus generationi subseruientes, tum quia in confuso ordinatur ad copulam, dum propter illam solam, quis tangit, eam enim, & non aliam fornicarij intendunt, cum tangunt, & osculantur propter solam voluptatem.

Obijc. tertiò delectatio non est mortalis, nisi tale sit obiectum: sed perceptio suauis temperamenti, & proportionati tangibilis, non est obiectum mortale: Ergo neque mortalis est delectatio ex illa accepta.

Respondetur dist. minorem; perceptio suauis temperamenti, & proportionati tangibilis non est obiectum mortale, quando non est apta commouere spiritus generationi seruientes concedo: & huiusmodi sunt tactus, & oscula ex honesta amicitia, delectatio, gustus, visus, auditus, &c. Non est obiectum mortale perceptio suauis temperamenti, quando talis est, vt sit per se apta commouere spiritus generationi subseruientes, quamuis per accidens aliquando non commoueantur, Nego.

13 Dico quintò si tactus non procedat ex honesta amicitia, sed propter solam delectationem sensibilem, sed adeò leuem, vt vix ea delectatio percipiatur, quia obiter mulieris manum quis tangit, tunc probabile est in viro timoratæ conscientiæ eam delectationem non esse veneream, sed tantùm veniale peccatum. Ratio est, quia leuis delectatio sensibilis non est apta commouere spiritus generationi subseruientes: ergo ea delectatio, non est intrinsecè venerea, neque est venerea extrinsecè propter turpem intentionem tangentis, ordinantis eam delectationem saltem in confuso ad copulam; nam suppono virum timoratæ conscientiæ omninò abhorrere à venereis, & à copula, & ita de hac leui sensibili delectatione docent Lessius *lib.4.c.3. nu.59.* Nauar. *cap.14.nu.42.* Villalobos *tom.2. tract.40. diffic.9. num.8.*

14 Sic si in partibus honestis tangat leuiter ex ioco, vt manum fœminæ, pedem, brachium premat, digitum intorqueat, propter solam sensibilem delectationem communiter excusari à peccato mortali, & esse huiusmodi tactus tantùm veniales, quia non ex libidine, sed ex leuitate quamdam, & ioco procedunt, docent Caietan. *2. 2. quæst.154. art.4. ante vltimum dubium, & Summa V. Chorea in fine,* ibidem Armilla *num.2.* Tabiena *V. Osculum,* Nauar. *cap.14. nu.42. vers.19.* Salas *1.2. quæst.74. tract.13. disput.6. sect.20. num.146.*

15 Sed quid si vir timens Deum, tamen ab humani generis hoste erga mulierem libidinum facibus validè tentatus, prolabitur in leuem tactum, an iudicandus sit lethalis culpæ reus?

Quod à mortali crimine sit exensandus suadetur.

Primò authoritate S. Gregorij Papæ *dialogorum lib.3. cap.7.* vbi scribit, de Andrea Fundanæ ciuitatis Episcopo quod *cum vitam multis virtutibus plenam duceret, malignus spiritus cæpit, cuiusdam sanctimonialis, quæ secum habitabat, speciem oculis mentis eius imprimere, vt illectus nefandam cogitaret, & eò vsque prolapsus est, vt in terga eiusdem sanctimonialis blandiens alapam daret?* Episcopum tamen non videtur S. Gregorius mortalis culpæ damnare, sic enim subdit. *Ecce enim paradisi Cedrum concussam audiuimus, & non euulsam, quatenus infirmis nobis de eius concussione nascatur timor, & de eius stabilitate fiducia.* Ergo si prolapsus in mortale fuisset, non concussa tantùm, sed euulsa cedrus, neque staret.

Secundò, quia ille leuis tactus, aptus non est commouere spiritus generationi seruientes: ergo non est intrinsecè venereus, neque extrinsecè ex deprauata intentione, suppono enim esse virum timoratum, qui millies mori mallet quam fœdari, & ab omni obscœna voluptate, actuque abhorret.

Quod autem à mortali culpa non excusetur.

16 Primò, ostenditur ex contextu eiusd. Sancti Gregorij Papæ *dialog. lib.3. cap.7.* ibidem enim refert Iudæum, sic Andream Corripientem *quod in illā Dei famulā praui amoris oculos iniecisset;* & mox subdit, *eiusdem ruinæ Iudæum consuluisse;* ergo Gregorius mortalem culpam agnoscit, neque refert fuisse concussam, non euulsam cedrum, id enim asserit quia mox surrexit ad pœnitentiam. Idem sensit S. Theodorus Studita, vir sanctitatis fama. Clarissimus *serm.4. catec.* vbi de sensuum moderatione loquens ita monuit. *Attrectauit quis volens mulierem, & incensus libidine, scelus contraxit.* Sapienter S. Hieronymus *in vita S. Hilarij* asseruit: *Tactus, & iocos esse moritura virginitatis principia.*

Secundò, quia leuis tactus ab interna voluntate imperatur: ergo dum voluntas libidinum procella fluctuat, signum est ex impudica intentione leuem illum tactum procedere. Quis enim luctantibus ventis, furente pelago, è naufraga naui cernens merces iactari, propter tempestatem à nauta iactari dubitet? Ergo cum mens illecebrarum, libidinumque procellis, ac tentationibus æstuat, si in externos voluptuosus tactus labitur, ex venerea intentione, à voluntate tactus illos imperari quis dubitat? ergo leuis ille tactus venereus est, saltem extrinsecè à venerea intentione.

Tertiò, eundem tactum esse intrinsecè venereū ostendo, nam quamuis leuis tactus aptus non sit commouere spiritus generationi subseruientes, tamen si libidinosæ voluntatis igne succenditur, vehementissimè commouet; quod fœdæ distillationes, ac titillationes, quæ in ijs tactibus passim experiuntur, demonstrant. Sic frustra in arcem ferrea pila manibus iactatur; at ex æneo tormento, sulphureis impulsa ignibus, prosiliens volat, fortissimaque mœnia diruit.

Quartò, nihil iuuat tangentem expressè abhorrere à copula, omnique obscœno actu, eumque explicitè nolle, nam sicuti (vt Iuristæ docent) protestatio contraria facto nihil operatur; ita nec in ea carnis tentatione deliberatè captans ex tactibus sensibilem voluptatem, excusatur; quia tunc deliberatè delectatur de *illis*, tamquam de circumstantijs copulæ & ita in confuso tactus ad copulam ordinat, quod sufficit ad mortale peccatū.

Quintò, virum esse timentem Deum non proficit, vidimus enim stellas de cœlo cadentes, vt enim cùm S. Hieronymo loquar *in reg. Monachorum. Ne in præterita castitate confidas, nec Sampsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.* Quis non formidet testimonium S. August. *lib. de singularitate Clericorum. Experto (*inquit*) crede, expertus loquor coram Deo non mentior. Cedros libani, Duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quā Ambrosii, vel Hierony. impudica turpitudine.*

Ex his itaque probabilissimum, ac ferè certum censeo, vrgente graui carnis tentatione, & sæuientibus impudicis flammis, & amore erga aliquam mulierem, etiam si vir sit timoratissimæ conscientiæ, si deliberatè

eam

tam leuiter tangat, propter solam voluptatem, mortaliter peccare, vel saltem dubium omninò, & incertum esse, an talis tactus ex venerea intentione procedat, quare communicare, aut celebrare non poterit ante confessionem, eoque casu verissimum puto, quod in simili docet Io. Gerson *p. 2. operum tract. de pollutione diurna propos. 9. fol. 492.* vbi ait: *Difficile, vel impossibile esse cognoscere absque diuina reuelatione, certitudinaliter, an subsit consensus verus vel interpretatiuus plenus, vel imperfectus, aut nullus omninò.*

17 Dixi in conclusione si sit vir timoratæ conscientiæ, quamuis enim Doctores citati indistinctè loquantur, ego tamen de homine perditæ vitæ, atque libidinum cæno obruto, censeo quantumlibet leuissimè tangentem ob solam sensibilem voluptatem difficillimè excusari à peccato mortali, eumque obligari ad se accusandum, tamquam de dubio peccato mortali: Probo, quia quamuis leuis declaratio sensibilis ex tactu, non sit aptæ commouere spiritus generationi seruientes, & proinde ea delectatio, non sit intrinsecè venerea, tamen est venerea extrinsecè, homo enim lasciuus, & venereis deditus, in qualibet sensibili voluptate, mox in confuso apprehendit copulam, & de tactu tamquam copulæ circumstantia delectatur; itaque veluti sulphureus puluis quacumque libidinis scintilla flammescit.

Dices; ex his, innumeris scrupulis patet aditus.

Respondeo, satiùs esse scrupulo cruciari, quam sine scrupulo damnari.

18 Dico sextò tangens, aut osculans ex honesta amicitia, aut ex more patriæ mulierem, vel iuuenem, si sensibiliter delectetur, eam tamen delectationem non intendat æquè principaliter, tunc ea delectatio non est venerea, imò nullatenus peccat, vel saltem venialiter tantùm. Syluest. *V. delectatio num. 7.* Rosella *V. cogitatio morosa num. 4.* Lessius *lib. 4. cap. 3. num. 56.* Comitolus *lib. 4. quæst. 20. num. 4.* Rebellus *par. 2. lib. 3. quæst. 19. sect. 3. vers. similiter,* Filliuccius *tract. 30. num.* 178. Salas 1. 2. *quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 20. numer.* 131. qui docent excusari à mortali, quamuis sentiatur turpis pudendorum commotio, dummodò deliberatè in eam non consentiatur.

Ratione autem periculi ab aliquorum osculis cauendum esse monet S. Basilius *lib. de vera virginitate,* his verbis: *formosorum oscula cauere oportet, non secus, quam animalium venenatorum morsus, diffunditur enim virus ex osculo per omne corpus.*

19 Dico septimò tangens, aut osculans ex honesta amicitia, aut ex more Patriæ mulierem, vel iuuenem, si sensibiliter delectetur, eaque delectatio magna sit, & notabilis, non parua, & leuis, illamque voluptatem sensibilem, vel primario, vel æquè principaliter intendat ex tactu, & osculo: tunc talis declaratio est venerea, & peccatum mortale.

Probatur primò, authoritate Athenagoræ *orat. ad Christianos apud Iustinum Martyrem,* vbi agens de osculo ex honesta amicitia, sic ait: *Tam accuratè temperare osculum, seu potius adorationem salutationis oportet, vt si quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna nos vita proscribat Verbum.*

Probatur secundò ratione; nam magna delectatio sensibilis æquè principaliter, vel primariò intenta, per se apta est commouere spiritus subseruientes generationi; quod si id non contingat, erit per accidens, quod experientia patet, nam ita osculantibus, vel tangentibus ferè semper contingit distillatio, vel turpis pudendorum commotio; ergo talis delectatio tunc est venerea, atq; mortale peccatum.

20 Dico octauò, quamtumuis leuis, & parua sit delectatio sensibilis deliberatè accepta ex tactu, aut aspectu partium pudendorum, est venerea, & mortale peccatum, ita omnes, Lessius *lib. 4. cap. 3. numer. 61.* Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 46. num. 30.* Salas 1. 2. *quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 20. num. 143.*

Probo esse veneream formaliter, & intrinsecè, quia ea pudendorum sensibilis delectatio, proximè disponit ad motum substantiæ seminis, & sic ad pollutionem; esse quoque extrinsecè veneream ex intentione tangentis, aut aspicientis, patet quia deliberatè acceptans delectationem sensibilem, tactus, aut aspectus pudendorum, in confuso cogitat pollutionem, aut turpem motum, nam ideò delectatur, quia cogitat similem actionem, tamquam à sua persona exercendam.

Probo esse mortale peccatum, quia delectatio venerea deliberata, non admittit materiæ paruitatem, vt ostendi *quæst. 16.*

QVÆSTIO XX.

Corollaria ex præcedenti doctrina, de delectatione sensibili, aut venerea.

SVMMARIVM.

Aspectus pudendorum quandoque non est mortalis. num. 1.
Delectatio, ex aspectu pudendorum, semper mortalis. nu. 2.
Aspectus curiosus mulieris venialis. num. 3.
Osculari Infantes, vel veniale, vel nullum peccatum. nu. 4.
Osculari potiùs filiam, quàm filium, pulchriorem, quam deformem non est mortale. num. 5.
Mulier eodem lecto dormiens cum viro non excusatur à mortali. num. 6.

1 Infertur primò, quòd quamuis excusetur à mortali peccato visus pudendorum, inter personas eiusdem sexus, ex curiositate, vel ioco, imò excusetur à mortali, etiam inter personas diuersi sexus, vt si nudam aspiciat mulierem, tam breui tempore, vt non detur occasio magnæ commotionis in corporis, vt docent Sanchez *de matrimon. lib. 9. disp. 46. num. 23.* Layman *lib. 3. sect. 4. numer. 14.* quorum tamen opinio displicet diuersi sexus

2 personis. Nihilominus numquam excusatur à peccato mortali, quando ex visione pudendorum, aut concubitu animalium, vel ex aspectu turpiter commotarum partium, deliberatè accipitur sensibilis delectatio, hæc enim venerea est, delectatur enim, quia similem in se amat, ita Doctores omnes adducti.

3 Infertur secundò, quòd videns curiosè mulierem propter solam sensibilem delectationem, probabiliter excusatur à peccato mortali, neque ea delectatio venerea est, ita communiter Doctores Caietanus *tom. 1. opusc. 14. quæst. 3.* Sanchez *de matrimon. lib. 9. disp. 46. nu. 22.* Layman *lib. 3. sect. 4. num. 14.* Villalobos *tomo 2. tract. 40. diffic. 9. num. 11.*

4 Infertur tertiò, non esse peccatum mortale, & sæpè nec veniale osculari magna cum suauitate, & affectu, molles

molles infantium carnes, quia id non ex praua intentione, nec cum periculo fieri solet, sed sine periculo, ex honesto amore, tenero, & suaui, ac naturali infantis pulchri, aliàs innumeri parentes, & nutrices damnarentur, Nauar. *cap.16.num.11.* Sanchez *lib.9.disput.46.num.23.* Salas 1. 2. *quæst.74. tract.13. disp.6. sect.20.nu.147.*

5 Infertur quartò, non esse mortale, quod patet osculetur potiùs filiam, quàm filium, & pulchriorem, quàm deformem, sic frater sororem, quia naturaliter maior est amicitia, etiam honesta erga alterum sexum, aut personam pulchriorem, Salas *vbi suprà*.

6 Infertur quintò, non excusari à mortali mulierem in eodem lecto cum viro dormientem, etiam si absit alia turpis intentio, ita Lessius *lib.4. cap.3, num.61.* id enim aptum est turpem carnis cõmotionem causare, proinde grauissimè repræhensum à S. Cypriano *epist.62. ad Pomponium*. *Ipsa*, inquit, *coniacentium duorum, turpis, & fœda dormitio, quantum dedecoris, & criminis confitetur?* Sanctus Carolus Borromæus Mediolanensis Antistes in libello, cui titulus, *Monita ad Populum anno* 1577. seuerè prohibet, ne in eodem lecto fratres, ac sorores iaceant, neque cum parentibus coniugatus nedum in communi thoro, imò neq; in eodem cubiculo dormiant.

QVÆSTIO XXI.

Aliud corollarium de Gallorum osculis.

SVMMARIVM.

Humanissimi Galli honori ducunt suam vxorem osculari. num.1.
Suauia venenata, si voluptuosa. num.2.
Antiquus gentium mos obuios quosque osculandi. num.3.
Nero vllum osculo impertiuit, nec resalutauit. num.4.
Basiorum mos apud hebreos. num.5.
Sacra oscula olim ante Eucharistiam, & orationem. num.6.
Olim fideles se se obuiantes osculabantur. num.7.
Viri viros, fœminæ fœminas ante Eucharistiam osculabantur. num.8.
Apud Romanos licebat obuias mulieres osculari. num.9.
Quantum in osculo sit periculi. num.10.
Egregij earum nationum mores, quibus nec mulierum aspectus viris patet. num.11.
Apud Iudæos, apud Romanos, Arabes, Thraces, ac Turcas. num.12.
Turcæ cynedorum gregibus infames. num.13.
De antiquis Græcis. num.14.
Græcæ virgines hodie velatæ, matres familias aperto ore. num.15.
Contrario vsu, ac Laconum. num.16.
Exordientis Ecclesiæ osculorum vsu sublatus. num.17.
Gallorum candor singularis, & pudicitiæ decus. num.18.

1 NOti *sunt* (inquit Pierius *lib.22. Hieroglyph.*) *humanissimi Gallorum omninm mores, qui passim oscula tanto studio colunt, vt honori sibi ducant, quod aduenien hospes vxorem, sorores, filias, etiamnum virgines osculo adhibito salutauerit, & in amplexum acceperit, & in gremium sibi assidere iusserit*; ita Pierius. At suauia hæc si ex voluptuosa mente prodeant, insuauia, virulenta, lethalia, quis dubitet? sic Theocritus. *Labra veneno tota tument, atque ipsa malum sunt labra venenum.* Quantum in hisce basijs periculi lateat, aperit Athenagoras *oratione pro Christianis apud Iustinum Martyrem*, vbi sic scribit: *Accuratè temperare osculum, seu potius adorationem salutationis oportet, vt si quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vos vita proscribat Verbum*; sed rem altiùs exordiar.

3 Antiquissimus fuit gentium mos obuiantes sese osculari viri viros, fœminæ fœminas, hæc eius amicitiæ tessera, pignus amoris, teste Xenophonte *lib.1. Pedia Cyri*, Herodoto *in Clio*, Suetonio *in Tiberio cap.34. Qui frustrà per molestam consuetudinem lege prohibuit, vetita enim magis inualuit.* Idem Suetonius *in Nerone, cap.37.* feram illam beluam sugillans, ait: *Certè neque adueniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem*, Martialis *lib.7. epigram.94. ad Linum.*

Bruma est, & riget horridus December:
Audes tu tamen osculo niuali
Omnes obuios, hinc, & hinc tenere,
Et totam line basiare Romam.

Et lib.11. Epigram.99. ad Bassum

Effugere non est Basse basiatores
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt.
Et hinc, & illinc, vsquequaque, quacumque

5 Basiorum mos viguit, & apud Iudæos, vt innumeris bibliorum testimonijs, probat Maldonatus *in Matt. cap.26. vers.48. & in Lucam cap.7. vers.45.* ac Serarius *in Ruth. cap.1. quæstiune.21.*

6 Sub Catholicæ Ecclesiæ exordijs sacra fuere oscula, ante Eucharistiam, ante orationem, dicente Apostolo: *Salutate inuicem in osculo Sancto Roman.16. 1.Corint.16. 2.Cor.13. Tessal. cap.5.* testes sunt locupletissimi Clemens Romanus *lib.2. Apostol. const. cap.57.* Ignatius Martyr *epist.7. ad Tarsenses, & epist.12. ad Antiochenos* Dionys. Areopagita *de Hierarchia Ecclesiastica titul. Mysterium communionis*. Tertull. *lib. de oratione cap.12.* Origenes *in cap.16. ad Romanos.* August. *serm.83. de diuers.* Vide Baronium *ad annum* 45. Gabrielem Albaspinum *de veteribus Ecclesiæ ritibus lib.1. cap.17.*

7 At nedùm in sacris mysterijs sancta oscula, sed sese inuicem obuiantes fideles in castos amplexus, atque oscula ruere solitos, colligitur ex Optato Mileuitano *lib.4. in initio*, vbi reprehendit quosdam hæreticos; *Quod etiam in perfunctoria salutatione oscula solita denegarent*; & S. Io. Chrysost. *hom.30. in 2. ad Corint.* in illa verba: *Salutate inuicem in osculo Sancto*, ait, *ex peregrinatione aliqua redeuntes mutuò nos osculamur, animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus*, & ex Susannæ actis ostendit Baronius *tomo 2. ad annum* 294. *num.10.*

8 At nascentis Ecclesiæ oscula sancta, pura, & impolluta fuere, sancita enim lex erat in Clemente Romano *lib.2. Const. cap.57. vt viri viros, & fœminæ fœminas, cùm ad Eucharistiam accedunt osculentur*. Eadem præscripta lex Monachis *in Canone Monachi.104. de consecrat. dist. 4. Monachi sibi Compatres, Commatresuè non faciant, nec osculentur fœminas.*

Apud Gentes tamen mox fuit, vt obuias quasque mulieres osculo exciperent, Plinius *lib.14. Non licebat*, inquit, *vinum fœminis Romæ bibere, Cato idcircò propinquos fœminis osculum dare scripsit, vt scirent an temetum olerent: hoc tunc vino nomen erat: vnde & temulentiæ appellata*; ita Plinius. Et Plutarchus *in Problemat. & de claris mulierib. cap.1. Romani*, inquit, *cognatas mulieres,*

oris

oris osculo, salutare consueuerunt. Pierius lib. 22. Hiero-
9 glyph. de columba fol. 158. sic scribit: Apud Romanos
olim licebat obuias quasque mulieres excipere osculo. Apud
Lacedamonios oscula non concessa modo, sed instituti ludi
propositaque præmia ijs, qui seniores lepidius suauiarent:
Nisæorum id inuentum, & à Megarensibus etiam obser-
uatum. Nam & illa Romanorum exosculationes, vt fæ-
mineo generi honos haberetur. Hæc Pierius. Sed Anglo-
rum mulieres non cognatos modo vt Romanæ, sed
quoscumque generatim osculo tantùm salutant; sic scri-
bit Polydorus Virgilius de Inuentoribus rerum lib. 4. c. 13.
10. Sed quantum pudori hisce suauijs patetur periculi, au-
di Tertullianum lib. de velandis virginibus, vbi sic virgi-
nem suadet: Dum digitis demonstrantium titillatur, dum
inter amplexus, & oscula incalescit, frons obduratur, pu-
dor teritur. Sed enim vera, & pura virginitas confugit ad
velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, quo
bonum suum protegat aduersus ictus osculorum. Hæc Ter-
tull. verè Ambros. de fuga seculi cap. 1. Os libauit, & cri-
men retulit, idem lib. 2. in Lucam. Trepidare, inquit, vir-
ginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri
11 affatus vereri. Quàm egregij illarum nationum mores,
quibus nec mulierum aspectus viris patet.
12 De Iudæis Tertull. lib. de corona militis cap. 4. Apud
Iudaos, inquit, tam solemne est fœminis eorum vela-
men capitis, vt inde noscantur.

De Romanis Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. Sulpitius
Gallus vxorem dimisit, quod eam capite aperto foris ver-
satam cognouerat. Tacitus lib. 14. de Poppea Sabina. Ra-
ri in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satia-
ret aspectum. De Arabibus Tertull. de velandis virginib.
cap. 17. Iudicabunt nos Arabia fœmina ethnica, quæ non
caput tantùm, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno
oculo liberato, contenta sint, dimidia frui luce, quàm to-
tam faciem prostituere. De Thracibus, ac cunctis Ma-
chometanæ superstitionis cultoribus, ipse sum oculatus
testis, nam quinquennio Bizantij commoratus, nec vel
vnam ex facie noui, solis oculis patentibus, & faciem,
& manus contegunt, quinimmò extra domesticos lares,
aurum, sericumvè eis interdictum, intra parietes, vt soli
13 viro placeant, auro, gemmisque fulgent: sanè quàm fœ-
minarum modestia commendabiles, tam cynedorum
14 gregibus infames. De antiquis Græcis Apuleius de asi-
no aureo, lib. 11. mulieres candido splendentes amicimine.
15 Ipse verò Græcorum matres familias aperto ore, virgi-
nes verò, & innuptas, turcico more, velatas conspe-
xi; meliore, quidem vsu, quàm lacenis mulieribus fue-
16 rit, de quibus Plutarchus in Apoph. Laconum in Carillo.
Virgines, inquit, aperta facie, viris uncta mulieres velatas
prodire solitas.

17 . Sed ad consuetudinem exordientis Ecclesiæ redea-
mus, non diu tenuit ille in templis basiorum vsum, su-
beunte per osculum flagitio, quo animi polluebantur,
hinc Patrum graues querelæ, hinc ea consuetudo meri-
tò abolita, lege S. Augustinum in Psalm. 30. Quis est, in-
quit, qui non irascatur, videns fratres insidiantes fratribus,
fidem non reseruantes osculo, quod insigunt Sacramentis
Dei, & lib. de amicitia, cap. 6. tom. 4. Ipsum osculum tanta
turpitudine fœdant, vt sic osculari nihil aliud sit quàm adul-
terari. Vndè teste Tertull. de orat. cap. vlt. Præsides Re-
ligionis Hierarchæ ne impiorum hominum nequitia, macu-
la rebus Sanctis aspergeretur, sensim eum ritum sustulerunt.
Sed audiamus Eminentissimum Baronium ad annum 45,
sic scribentem: Nec verò quis putet hæc ita promiscuè tunc
agi solita esse, vt viri fœminas, & fœmina viros sic indi-
stinctè se mutuò, impartito osculo salutarent. Nam (vt suo
loco dicemus) in Ecclesia seorsum viros à mulieribus agere
consueuisse, certissimum est. At quoniam ea nihilominus
adhibita cautela, adhuc inter se inuicem osculantes, siue vi-
ros, siue fœminas fraus aliqua, arte diaboli, aliquando irre-
psisse videretur; in nõnullis Ecclesijs sacram osculandi tabel-
lam, mutauit vsus, & quidem laudabilis. Non enim recen-
ter in mutuis illis osculis per se sanctis aliquando se immi-
scuit turpitudo. Hæc ille.

Iam verò ad Gallorum basia reuertamur, de his Lu-
douicus Cresollius Mystagogi lib. 4. c. 6. sect. 2. in fine, sic
scribit: Iam de mulierum osculis vniuersa propè nationes,
velut in publico orbis terræ Senatu, dixere sententiam, &
promiscua improbarunt (deinde post pauca sic subdit)
18 Galli verò, apud quos semper candor singularis, & pudici-
tia decus, in flore suo, & pretio fuerunt, osculorum illas in-
sidias minus sibi timendas putant, cum salutationis causa
fiunt. Nam etiamnum viget ea consuetudo, vt viri nobiles,
cum se inuisunt, aut peregrè veniunt omnes, qui domi sunt
nuptas, innuptas basio consalutant. Ita Cresollius. Quid
19 Ego sentiam verbo dicam: Gaudeo in Adam solos Gal-
los non peccasse.

De vario osculorum genere lege si libet Lipsium lib. 2. electorum, c. 6. Alex. lib. 2. genial. c. 19. Gellium lib. 1. c. 23. Petrum Gregor. Syntagm. Iuris lib. 8. c. 8. & lib. 36. c. 12. Bullingerum de Imperatore Romano lib. 2. cap. 15. Ludouicum Cresollium Mystagogi, lib. 4. c. 6. sect. 2. Muretum lib. 10. variar. cap. 1. Pyteum 1. aduersar. cap. 7. Marcellum Donatum in Scholijs ad latinos Historicos, ad c. 34. Suetonium in Tiberio. Pererium in c. 29. Genes. disp. 1. Iustinianum in 2. Corint. cap. 13. Ludouicum Dorleans ad lib. 11. Taciti. Pinedam in Iob cap. 31. vers. 27. Salazar in prouerb. cap. 5. vers. 4. Sanctium, Sotomaior, & Sherlogum in cap. primum Cantic. vers. primò.

QVÆSTIO XXII.

Quando mulier possit permittère se tangi, aut osculari?

SVMMARIVM.

Prima conclusio, potest si ex genere sit honesta. num. 1.
Secunda conclusio tenetur euitare, si certa sit de praua intentione, si potest, absque scandalo. num. 2.
Tertia conclusio non tenetur, si dubitat de praua intentione. num. 3.
Quarta conclusio tenetur euitare oscula inhonesta. num. 4.
An tactus pudendorum excusetur aliquando à mortali. n. 5.

1 Dico primò, si tactus, & oscula ex suo genere honesta sint, vt ex amicitia, aut patriæ more, ea permittere non est peccatum mortale, quamuis in vtroque adsit sensibilis delectatio, imò quandoque nullum omninò peccatum. Syluest. V. delectatio, num. 7. Rosella, V. cogitatio morosa, Comitolus lib. 4. quæst. 20. num. 4.
2 Dico secundò, si tactus, & oscula, ex suo genere honesta sint, sed mulier certa sit de venerea intentione tangentis, tunc non tenetur coram alijs, & cum scandalo, aut graui incommodo se retrahere, est enim scanda-
lum

lum datum non acceptum, ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 154. *art.4. in fine.* Lessius *lib.4. cap.3. num.64.* Si verò possit sine scandalo ea euitare, tunc peccat contra charitatem non se retrahens, tenetur enim cauere peccatum proximi cùm commodè potest, non autem tunc peccaret contra castitatem, nam tactus, & oscula illa ex se honesta sunt Syluest. Rosella, Lessius, & Comitolus vbi suprà. Filliuccius *tract.30. cap.9. numer.197.* Villalobos *tom.2. tract.40. diffic.9. num.9.* Ledesma *in Summa parte 2. tract.27. cap.9. post 3. conclus.*

3 Dico tertiò, si oscula ex se honesta sint, & mulier dubitat de recta, vel turpi intentione osculantis, potest ea admittere, non enim debet proximum de libidine iudicare, ita Syluest. *V. delectatio num.5.* Comitolus *lib.4. quæst.21. num. 2.* Filliucc. *tract.30. cap.9. num.192.*

4 Dico quartò, si tactus, aut oscula per se spectatis circumstantijs inhonesta sint, tenetur sub mortali respuere, atque si aliter nequeat tenetur clamare, & omnimodè resistere, nisi instaret grauissimum malum, nisi ea patiatur, vt mortis, infamiæ, amissionis bonorum. Lessius *lib.4. cap.3. nu.64.* Caietan. 2.2. *quæst.154. art.4. in fine.*

5 Huiusmodi censetur tactus pudendorum, præsertim inter personas diuersi sexus, qui nequeunt à mortali excusari. Ita S. Antoninus *par.2. tit.5. cap.1. §.9.* his verbis: *Permittere se tangi in membris genitalibus, nisi sint coniuges, vel nisi subsit causa infirmitatis, & huiusmodi; credo non posse excusari à mortali, cum istud non fiat communiter, nisi ex amore libidinoso, & credere quod hoc fiat pura intentione; est fatuitas.* Ita S. Antoninus, Syluest. *V. delectatio num.7.* Nauar. *cap.16. nu.13.* Caietanus 2.2. *quæst.154. art.4. in fine.* Villalobos *tom.2. tract.30. diffic. 9. num.9.*

Verùm inter personas eiusdem sexus leuissimus tactus, & in transitu, excusari posset à mortali, si fiat ex ioco, aut curiositate, Sanchez *de matrim. lib.9. disp.46. num.22.* Comitolus *lib.4. quæst.20, num.1.*

QVÆSTIO XXIII.

An venerea delectatio ex osculis lethalis sit in sponsis de futuro.

SVMMARIVM.

Prima sententia negatiua. num.1.
Secunda sententia affirmat esse mortale. num.2.
Venerei tactus inter sponsos non excusantur à mortali. nu.3.
In sponsis mortalis est delectatio de futura copula. num.4.

1 NEgant communiter Theologi eam asserentes venialem, ita primus assertor huius opinionis Caietanus *in Sum. Verbo sponsalia, & 2. 2. quæst. 154. art.4. in respons. ad secundum in fine,* vbi sic scribit: *Videtur, quòd sicut sponsalitium inchoatio quædam est coniugij: ita huiusmodi actus inchoatio quædam est carnalis copulæ, & quemadmodum concessum est vt inter sponsalia suspirent se inuicem, iuxta illud Augustini: Ne vilem habeat maritus oblatam, quam non suspiraunt sponsus dilatam, ita videntur concessa huiusmodi oscula inter easdem, secundum indulgentiam tamen, quia venialia conceduntur. Et nisi vt huiusmodi inchoationes permissæ venialiter in ordine ad promissas nuptias excusentur, nescio excusare sponsorum de futuro, propter delectationem, oscula, & amplexus.* Hæc Caietan. ante quem inquit, Rebellus mox citandus, *Nullus ex Patribus, vel Scholasticis Doctoribus proferetur, qui à peccato mortifero oscula, & tactus ex venerea delectatione captatos excuset.* At Caietani sententiam, & fundamentum apertè indicat Tertullianus *lib. de velandis virginibus, cap.11.* vbi sic scribit: *Si congressio viri mulierem facit, non tegantur, nisi post ipsam nuptiarum passionem: at quia etiam apud ethnicos velatæ ad virum ducuntur: si autem ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu, masculo mixta sunt, per osculum, & dexteras, per quæ primùm resignarunt pudorem spiritu.* Expende *corpore, & spiritu, masculo mixtæ sunt per osculum, & dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritu.* Expende *corpore, & spiritu, masculo mixtæ sunt per osculum, & dexteras,* his verbis venerea voluptate osculo, & dexteris, corpore, & spiritu misceri asserit. Eodem sensu Zonaras *ad Canon.93. Concilij Trullens.* tradit, *quod si osculum addidissent, qui sponsalia contrahebant adulteram habitam, quæ ante nuptias ad virum diuertisset.* Sed quicquid sit de istorum mente, certè Caietani opinionem sequuti sunt communiter, post ipsum Doctores, ita Sanchez *de matrim. lib. 5. num.38. & lib.9. disp.46. num.48.* Nauar. *c.14. num.18. & c.16. num.12.* Lessius *lib.4. cap.3. num.58. & 59.* Toletus *lib.5. c.14.* Valentia 2.2. *disp.9. quæst.3. punct.3. ad finem,* Sà *V. luxuria, num.14.* Sayrus *lib.8. cap.6. num.1. & cap.7. numer.3.* Hurtadus de Mendoza *tom.2. in 2.2. disp.173. sect.25. §.306.* Armilla, Medina, Lopez, Lucius, Petrus, & Bartholomeus Ledesma, Aretinus, Menochius, Veracruz, & Philiarcus, quos citat, & sequitur Salas 1. 2. *quæst.74. tract.13. disp.6. sect.26. num.174.* Bonacina, Reginaldus, Molfesius, Granado, Graffius, Ochagauia, Syluius, & Villalobos, quos sequitur Diana *par.4. trac.4. resol.131.* Auersa *de matrim. quæst.21. sect.8. in fine.* Ledesma *cap.3. de matrim.* Io. de la Cruz *in 6. præcept. Decal. art.1. num.4.*

2 Contrarium tamen videtur probabilius, nempè non excusari à peccato mortali tactus, & oscula propter delectationem veneream in sponsis de futuro, ita docuerunt Rebellus *par.2. lib.3. quæst.19. sect.2.* Gaspar Hurtadus *de matrim. disp.10. diffic.10. num.48.* Comitolus *respons. lib.4. quæst.20. num.4.* Fernandez *in exam. Theol. par.4. cap.2. §.4. num.4. & p. 3. c.21. §.1. num.11.* Rodriquez *in Sum. tom.3. cap.102. num.1.* Pedraza *in Sum. præcepto 6. §. 5.* Paludan. *in 4. dist.31. quæst.3. num.17.* *Supplementum, quæst.3. art. vnico. dub.2.* Sotus *in 4. dist. 34. quæst.1. art.2. ad finem versus ex quo fit.* Angles *quæst.8. de matrim. quæ est de impedimentis, art. 5. dub.9. concl.1.* Coradus *in Summa, quæst.143.* Io. Franc. Suarez *in Enchiridio casuum conscientiæ lib.7. verbo luxuria, §. osculum.*

Probatur primò ex generali regula, qua quæcumque venerea delectatio excludit à Regno Dei, testante Apostolo *ad Ephes.5. Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei:* vbi ex Lyrano; *Omnem immunditiam Apostolus damnat, vt includeret omnia ad vitium luxuriæ pertinentia:* Sed inchoatio matrimonij per sponsalia de futuro non est sufficiens fundamentum excludendi ab hac regula sponsos, quoad veneream delectationem osculorum, sponsi enim de futuro verè soluti sunt; Ergo.

3 Secundò, quia si inchoatio matrimonij cohonestat oscula venerea, ergo etiam cohonestat venereos tactus pudendorum

pudendorum, quod negant omnes, præsertim Caietanus, Sanchez, Lopez, Graffius, Bartholomæus, & Petrus Ledesma, Sayrus, & Nauarrus, quos citat, & sequitur Salas, *par.2.q.74.tr.13. dis.6. sect.26. nu.176.* Neq; refert turpes tactus magis proximè disponere ad copulam, nā per aduersarios inchoatio Matrimonij, cohonestat inchoationem copulæ: at inchoatio copulæ, ne dū ex venereis osculis, sed etiam ex tactibus turpibus habetur: Ergo, &c.

4 Tertiò, quia in sponsis delectatio ex cogitata copula futura, lethalis est, quia ea cogitatio commouet spiritus generationi subseruientes, vndè est quædam copulæ inchoatio, ita Corduba, Vasquez, & alij, quos sequitur Sāch. *l.9.dis.47.n.4.* Sed etiam venereum osculum cōmouet spiritus generationi subseruientes, & est quædā copulæ inchoatio: ergo vtraq; venerea delectatio mortalis est.

Quartò, quia vt rectè docet Rebellus, ratio peccati non ex fine tantùm operantis, sed ex fine ipsius operis pensatur, vt qui percutiendo alterum, non intenderet occidere, sed tantùm spoliare, duplicem deformitatem nihilominus committeret, rapinæ vnam alteram, quæ ex sua natura ad homicidium pertineret, ad quod percussio suaptè natura refertur: sed venereum osculum per se ordinatur ad copulam, veluti ex fine operis; ergo illicitum est sponsis, sicuti illicita est copula.

Quintò, quia inchoatio contractus (vt rectè ait Hurtadus, ac Rebellus) non sufficit ad excusandum vsum rei, de qua est contractus, quamuis solùm inchoatum, & imperfectum: quia quousq; contractus est perfectus, non traditur dominium rei, qui autem nondum est dominus rei, nullatenus potest adhuc imperfectè ea vti, vtpotè adhuc aliena, quamuis sibi promissa: ergo inchoatio matrimonij per sponsalia non sufficit ad excusandum eius vsum per venerea oscula.

Sextò sponsalia sunt remota dispositio ad licitam copulam, nam proxima dispositio ad licitam copulam est matrimonium: Sed venerea delectatio, qua commouentur spiritus, & descendit substantia seminis, (vt ait Galenus *lib.14. de vsu partium, c.9. & 10.*) est proxima dispositio ad copulam: ergo solùm matrimonium, non autem sponsalia apta sunt veneream delectationē cohonestare.

QVÆSTIO XXIV.

Quanta sit obligatio prohibendi distillationem?

SVMMARIVM.

Prima conclusio quid sit distillatio. num.1.
Secunda conclusio procuratio, aut complacentia de distillatione est mortale peccatum. num.2.
In coniugibus non est mortale. num.3.
Tertia conclusio mortale est, non remouere causam per se influentem in distillationem. num.4.
Quarta conclusio veniale est non remouere causam per accidens influentem in distillationem, seu quæ non est mortalis in genere luxuriæ, si absit delectatio venerea. nu.5.
Curiosa turpium lectio, etiam cum graui libidinis motu, est tantùm veniale peccatum. num.6.
Quinta conclusio de distillatione, quæ accidit sine voluptate, etiam si sit cum aliquo turpi motu, non est magis, quàm de sudore curandum. num.7.

1 Dico primò, distillatio est non veri seminis, sed serosi cuiusdam humoris effusio, cum leui quadam pudenda commotione, vel sine ea, distillationem vocant Medici saliualem humiditatem, ita Auicenna *lib.3. fen. 20. tractat.1. cap. 30.* his verbis. *Quando membra spermatis mouentur ad operationem suam motu debili, tunc ea emittunt humiditatem saliualem, nam si motu forti mouerentur, tunc descenderet sperma*, ita Auicenna & Galenus, *lib.14. de vsu partium cap.9.* & Antonius Ponce Sanctacruz *in Hippocratica Philosophia tex.81.* vbi docet: *non omnem irritationem veneream ex semine, sed ex humore quodam seroso, acri, & mordaci præcipuè, excitari.* Ex Theologis S. Thomas *opusc.64. cap. de fluxu libidinis*, inde probat distillationem longè differre à pollutione, quia distillatio sæpè contingit in vigilia sine carnis commotione, & sine venerea delectatione, quod in pollutione non accidit: Disertè de eadem agit Io. Gerson *p.2. operum tract. de pollutione diurna in 1. notab. fol. mihi 483.* vbi sic scribit: *A corpore humano defluit multiplex humor per membra generationi deputata. Vnus est verè seminalis, alius verè vrinalis, alius quodammodo medius, qui potest appellari saliualis, vel sputalis, alius additur humor (præsertim in mulieribus) qui nominatur menstrualis, & huic similis quandoque masculo accidit ex infirmitate. Porrò facilè, & satis cognoscere patientibus secundum, & vltimum fluxum, quando scilicet ille est verè seminalis, vel menstrualis. Habet enim suam distinctionem in colore, & liquiditate, & talibus, exeunt præterea, vt communiter sine multa delectatione in membris genitalibus, præsertim nisi coniugantur alia causa delectationis. Cæterùm humor propriè seminalis, & humor ille medius non ita faciliter secernuntur, propter similitudinem in albedine, & viscositate, seu tenacitate, & quadam spissitudine. Habent nihilominus distinctas proprietates, & diuersos ortus, & meatus, vnde defluunt.* Et infrà: *Humor ille medius fit ex quadam superfluitate alimenti, ne dum in quantitate, sed etiam in qualitate, quia scilicet ineptus est nutritioni, ineptus similiter generationi, velut in saliua videmus, & alijs superfluitatibus defluentibus à cerebro, tam per os, quàm per nares, istis parum, & rarius, & alijs abundantius, & crebrius. Immiscet autem se talis humor medius aliquando cum vrinatione, aliquando per se defluit sine cogitatione, & sensu; quandoque verò fit cum delectatione, & pruritu quodam, plusquam in vrina, quæ tamen vrina quandoque cum inordinatione quadam exit. Puto etiam nihilominus, quod vix, aut nunquam causat iste fluxus humoris medij talem motum delectationis, & concussionis, quasi totius corporis, specialiter in pudendis; nec ita perstringit, aut obnubilat in suo exitu iudicium rationis, sicuti euenit in humore verè seminali, quoniam, & ille humor seminalis magis digestus est, & ad causationem libidinosæ delectationis, nisi per frigidationem, aut aliundè corruptus sit, proportionaliter inuenitur. Habet insuper humor iste medius, quod ex leuioribus causis, ac maiori facilitate mouetur ad exitum, quàm seminalis præsertim in mulieribus, adeò quod ex leuissimo motu corporis de loco ad locum, vel inclinatione, absque aliqua cogitatione, & absq; sensu proueniat. Ex effectu verò percipitur, per sordidationē quamdam viscosam in carne sua, vel in pannis. Euenit autē facilius, & non sine aliquo sensu concomitante, vel prauo, dum personam dilectam, siue pulchram, siue turpem, siue iuuenem, siue senem, siue secularem, siue religiosam, & quandoque deuotam aspiciunt, aut tangunt, aut ei arrident, aut cōfabulantur, aut iocantur, aut etiam vbi nihil de opere carnali volunt, aut putant, nedum dicam peragere, sed nec cogitare.* Hæc Gerson.

2 Dico secundò procurans, aut sibi deliberatè complacens de distillatione quomodocumque ista accidat, mortaliter peccat, ita Io. Gerson *in dicto tract. de pollutione diurna proposit.5.* Reginaldus *lib.22. cap.3. sect.9. num.40.* Rebellius *par.2. lib.3. quæst.19. sect.3. ver. idem quoque*. Ratio est, quia talis procuratio, aut deliberata complacentia distillationis coniunctam habet notabilem commotionem spirituum vitalium generationis, & seminis effusioni deseruientium; vnde fit, & censetur quædam inchoata pollutio, & ad eius consummatio-
3 nem ordinatur. In coniugibus autem id excusatur à mortali, quibus quamuis mortale sit præbere causam sine necessitate, aut vtilitate pollutioni præuisæ per tactus, & oscula, non tamen mortale est causam præbere distillationi, sicuti nec alijs delectationibus, & commotionibus carnis, nec eam directè procurare, aut de ea complacere. Ratio est, quia in distillatione non funditur verum semen, coniugibus verò nihil est mortale peccatum, nisi sola veri seminis effusio extra vas, ita Sanchez *de matrim. lib.9. disp.45. num. vlt.* Reginaldus *lib.22. cap.3. num.45.* Layman *lib.3. sect.4. num.19.*

4 Dico tertiò quando quis non remouet causam per se efficaciter influentem in distillationem, nempè veneream delectationem, seu quod est mortale in genere luxuriæ, mortaliter peccat, ita Reginaldus *lib.22. cap.3. sect.9. num.45.* vbi docet, quod quoties peccatum mortale est pollutioni præuisæ causam dare, non remouendo hanc notabiliter influentem in illam, toties quoque mortale est causam dare præuisæ notabili distillationi. Ratio est, quia talis, tum distillatio, tum commotio notabiliter turpis est, & quædam pollutio inchoata, & ad eius consumationem de se ordinata; loquor autem de solutis, nam de coniugatis secus dicendum est, vt suprà ostendi.

5 Dico quartò quàdo distillatio contingit simul cum delectatione venerea, aut alia delectatione sensuali, venialiter peccat, qui non remouet causam, quæ non est mortalis in genere luxuriæ, quam tamen commodè euitare potest, id autem non ratione distillationis, sed adiunctæ delectationis, quæ venerea est, vel si sensualis sit, faciliter transit in veneream. Ita sentiunt probabiliter multi: erit tamen graue peccatum veniale, cum magno periculo peccati mortalis, vt docet S.Thom. *in opusc.64. cap. de fluxu libidinis*, vbi sic scribit: *Quibusdam hoc prouenire agnoui propter solam præsentiam, & allocutionem alicuius personæ, in cuius conspectu habuit complacentiam sensualem, & vanam, seu ad quam inordinato amore afficitur, aut per tactum impudicum leuem, aut imaginando aliquos actus impudicos fortiter, & morosè: In his enim casibus, & alijs similibus multi inueniuntur habere calefactiones, & commotiones carnis libidinosas dictumque humorem emittere velint, nolint: sed eas causas, & similes, quæ sunt euitabiles debet quilibet fugere, & euitare pro posse, maximè, qui sentit de hoc se passionatum, seu ad hoc naturaliter inclinatum, siue ex vitio mentis, siue ex debilitate naturę, & qui occasiones huiusmodi non euitauerit pro posse, vel iuxta posse, relinquẽdo amicitiam, & familiaritatẽ personarũ, ad quas inordinatè afficitur, fugiendo etiã allocutiones, & aspectũ personarum; licet non credant ipsum per dictã effusionem peccare mortaliter, nisi fortè aliter concupisceret, aut impudicè tangeret personam, quæ est causa istius effectus; tamen credo eum grauiter peccare, & magno peccati mortalis periculo, & ideò consilium do tibi, quod absque dilatione morosè, ipse tibi violentiam facias in hac parte, fugiendo personas huiusmodi, atque cum eis omnem opportunitatem loci, & temporis euites. Hic itaque prædictus fluxus, qui à quibusdam vocatur libido, si potest euitari ipsius occasio, & si studiosè non euitetur, est omninò confitendus cum suis occasionibus, & negligentia habita circa ipsas. Si verò contingit ex causa, quæ vitari non potest, sicut quando audiuntur verba impudica ex casu, vel loquitur cum persona, vel sedet iuxta eam de cuius præsentia habet complacentiam vanam, & ab ea separari non valet. In his, & similibus credo sufficere, quod tam de occasione habita, & impotentia vitandi, quàm de fluxu illius libidinis dolor est simpliciter habendus: quia tamen dubitare de talibus, quæ spectant ad conscientiæ puritatem, est quandoque valdè proficuum, poteris hoc confiteri propter quietudinem mentis, & pacem.* Hucusque S. Thomas.

Aduerte autem diligenter verba S. Doctoris nam in casu, quo non euitatur occasio, familiaritas, allocutio & aspectus talis personæ, quamuis euitari possit, tunc si non concupiscat, neque impudicè tangat, per dictam effusionem non peccat mortaliter; ait enim Angelicus Doctor: *Credo eum grauiter peccare, & magno peccati mortalis periculo*, itaque sentit esse graue intra latitudinem peccati venialis, quamuis magnum sit periculum peccati mortalis.

Præterea, quòd non peccet mortaliter, si causa eius
6 distillationis, non sit mortalis in genere luxuriæ. Probo, quia eadem ratio est de distillatione, ac de erectione, seu grauis libidinis motu: sed scholasticus, qui vacat curiosæ lectioni rerum turpium, aut anatomiæ, quam lectionem, sine vllo incommodo intermittere potest, si sentiat se pollui, aut grauem libidinis motum, non tenetur, nisi sub veniali peccato, eam lectionem pro eo tempore intermittere; Ita Sanchez *de matrim. lib.9. disp.45. num.19. & 22.* Lessius *lib.4. cap.3. num.118.* Pesantius *1.2. quæst.74. art.10. disp.5. in fine*: ergo à pari iuuenis, qui ex familiaritate, aut allocutione, vel aspectu mulieris (quam tamen, nec turpiter concupiscit, neque impudicè tangit) sentit in se carnis commotionem, & distillationem, tenetur sub veniali tantùm eam causam remouere.

7 Dico quintò, quando distillatio accidit, sine vlla protsus delectatione venerea, aut sensuali, quamuis esset leuis erectio penis, tamen de ea curandum non est, non magis, ac de sudore, ita Caietan. *to.1. opusc.22. art.2. §. aduerte tamen.* Sanchez *de matrim. lib.9. disp.45. nu.2.* Layman *lib.3. sect.4. num.18.* Reginaldus *lib.22. cap.3. num.43.* Ratio est, quia talis humoris fluxus non est pollutio, quod expresse docet S. Thomas *opusc.64. cap. de fluxu libidinis*, dicens: *Sciendum est quod illius humoris effusio, non est pollutio; quia vt dicunt Medici sine libidinosa delectatione, & carnis motione, nullus potest pollui vigilando*, ita S.Thomas.

Præterea talis motus non ordinatur tunc ad pollutionẽ, nempè quando contingit absq; volupeate venerea: ergo talis motus non est contra castitatem; quod enim contra castitatem est, vel est pollutio, vel ad pollutionem ordinatum: ergo si talis effusio non est contra castitatem, non est magis de ea, ac de sudore curandum.

QVÆ-

17 Hinc benè docet Vasquez 1.2. *disp*. 108. *cap*. 3. vt quis relinquat aliquid opus bonum, vt confessionem, & studium, omni culpa etiam veniali vacat, si sentiat in se turpes motus, alioquin vix possemus bonis operibus erga fratres nos exercere sine veniali. Potest etiam coniux ob morbi periculum se retrahere ab actu coniugali, quamuis ob naturæ incitationem putetur sequutura pollutio Præpositus 1. 2. *quæst*. 74. *art*. 10. *dub*. 1.

Imò Diana, *par*. 6. *tract*. 6. *resol*. 37. excusat coniuges à peccato, si in signum amoris coniugalis, se amplectantur; quamuis prævideatur sequutura pollutio,
18 quia affectus coniugalis est sufficiens causa talem actum exercendi; id tamen ego non admitterem, nisi aliqualis necessitas, vel vtilitas adsit huiusmodi amplexus, qualis esset vt foueatur amor inter coniuges, aut ne videatur austerus, ita Sanchez *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *num*. 38.

19 Sic ab omni peccato excusatur Chirurgus incidens in pollutionem, ex tactu verendorum mulieris, etiam si sit alius, qui mederi posset, Lessius, *lib*. 4. *cap*. 3. *nu*. 48. Vasquez 1. 2. *disp*. 115. *num*. 9. Io. de la Cruz *in directorio præcepto* 6. *dub*. 9.

20 Qui nequit sine incommodo pedester incedere, potest equitare, quamuis prævideat pollutionem, neque tunc venialiter peccat Sanchez *de Matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *num*.
21 8. Diana *par*. 3. *tract*. 5. *res*. 22. Neque ob instantem pollutionem, cum inurbanitatis nota, tenetur quis abstinere à choreis, aut mulieris honestis osculis, ex patriæ more, Sanchez, Bonacina, & Diana *vbi suprà*. Filliuccius, *to*. 2. *tract*. 30. *c*. 8. *nu*. 150. Villalob. *to*. 2. *tract*. 40. *diff*. 16. *nu*. 5.

22 Sic ad sedandum pruritum potest refricare verenda, absque tamen periculo consensus, Sanchez, Filliucc. Reginaldus, Bonac. & alij, quos sequitur Io. Sanchez *disp*. 21. *num*. 30. qui tamen non rectè ait, id licere cum periculo consensus, etenim non videtur hæc tam grauis causa, ex qua tam euidenti periculo, quis se exponat.

23 Scholasticus tenetur sub veniali, nisi rationabilis causa excuset, intermittere curiosum studium artis medicæ, vel anatomiæ, pro eo tempore, quo experitur se pollui, aut grauem libidinis motum Sanch. *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *nu*. 19. & 22. Lessius *lib*. 4. *c*. 3. *nu*. 118. Pesantius 1. 2. *quæst*. 74. *art*. 10. *disp*. 5. *in fine*, quicquid dicat Io. Sanchez *disp*. 21. *num*. 10. Ratio est, quia suppono posse illud studium commodè differri: ergo tenetur impedire, & resistere turpi motui, aut pollutioni.

24 Tenetur quoq; quis sub veniali talem modum iacen-
25 di, v. g. supinum, euitare, sic tales cibos calidos, ex quibus expertus est sæpè nocturnam pollutionem, si id sine incommodo potest, ita Sotus *in* 4. *dist*. 12. *qu*. 1. *art*. 7. *circa medium*. Vasquez 1. 2. *disp*. 115. *c*. 3. *num*. 9. Sanchez *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *nu*. 16. Sayrus *in Claui Regia lib*. 8. *c*. 5. *ante nu*. 13. Toletus *lib*. 5. *c*. 13. *nu*. 6. Curiel 1. 2. *qu*. 74. *art*. 8. *dub*. 2. §. 3. Vndè perperam docuit Io. Sanchez *in selectis disp*. 21. *num*. 12. nullum esse peccatum ita iacere, aut talia comedere, quamuis sine vllo incommodo posset abstinere; *Nam*, inquit, *Nec Medici assignare possunt illum vel alium cubandi modum esse per se causam influentem in pollutionem, si enim per se influeret, numquam taliter dormienti deficeret pollutio*. Respondetur enim, quòd ex supina diuturna dormitione calefiunt renes, vnde liquatur semen, & fluit, ita docet Galenus *lib*. 6. *de locis affectis c*. *vltimo*, & *de causis symptomatũ lib*. *vltimo c*. 4. & Auicenna *lib*. 3. *fen*. 20. *tra*. 1. *c*. 2. meritò dixit Horatius.

Nocturnam vestem maculat, ventremque supinum.

Ratio autem cur aliquando non sequatur pollutio, est ob accidentale aliquod impedimentum, vt ex defectu spirituum vitalium, qui non gignuntur ex infirmitate, vel aliò auocati sunt, vel ob interclusam viam nequeunt permeare ad instrumenta generationis, vt docuit Sanctorellus *de natura sanitatis lib*. 20. *c*. 21.

26 Iustissima quoq; causa est, ne scrupulis crucietur, aliquas nocturnæ pollutionis causas non vitare; ita Gerson *par*. 2. *operum tract*. *de præparat*. *ad Missam consid*. 6. *fol*. *mihi* 473. vbi ait: *Patietur fortassè aliquis hæsitationes varias, dum ad comedendum, aut dormiendum accesserit, diceto; sic pollueris, si hoc, & hoc non omiseris, si tibi non præcauebis; contemnat talia necesse est, qui discrimen magis imminere circumspicit, si non parem cum alijs viuendi formam insequitur. Scrupulosis ergo contra scrupulos agendum est, & fixo operis pede certandum.* (& infra) *mille surgunt apud aliquos tales scrupuli, more canum oblatrantes, quos compescere melius, quàm per contemptum nequimus. Tantummodo sit contemptus iste timoratus, & non absque præuio alterius consilio, alioquin, timor immoderatus facit casum, aut præcipitat inconsulta præsumptio*. Ita Gerson.

27 Ex leuissimo incommodo excusarem ego eos, quibus facilis est nocturna pollutio, vnde vt testatur Io. Gerson, *par*. 2. *operum de præpar*. *ad Missam considerat*. 6. *fol*. 473. *Non omnium vna est complexionis harmonia, cognoui hominem septuagenarium secularem, & valdè crapulosum, qui numquam se pollutum fuisse dormiendo testabatur, & hoc in alijs mirabatur; alium vidi religiosum, & sobrium, qui per decennium, & amplius ferè quotidiana hac passione vexatur*. Hæc Cancellarius.

28 Ex his quoque sequitur posse medicinam adhiberi ad remouendos humores corruptos, etiam si per accidens sequatur pollutio. Sanchez *de matrimonio lib*. 9. *disp*. 45. *nu*. 10. Turrianus *in selectis dis*. 102. *Censura Theolog*. *dub*. 74. Diana *par*. 4. *tract*. 4. *res*. 159. Filliuccius, *to*. 2. *tract*. 30. *num*. 149. Imò puto posse sumi medicinam, quæ non tendat ad eijciendum semen per pudenda (hoc enim esset procurare per se pollutionem) sed corrumpat, & resoluat semen in sanguinem, aut sudorem, Sanchez *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 17. *nu*. 16. Præpositus 1. 2. *qu*. 74. *art*. 10. *dub*. 1. contra Dianam *par*. 6. *tract*. 6. *resol*. 37. Ratio est, quia resolutio seminis non est pollutio: sola autem pollutio est contra bonum generationis, ideò enim natura illam inhibuit, ne eius delectatione contenti homines, nõ curarent de copula, & sic de generatione: Et hæc est ratio cur tanta, & tam stricta sit prohibitio pollutionis.

Vt autem quis teneatur saltem sub veniali remouere causam nocturnæ pollutionis, debet habere moralẽ certitudinem eam sequuturam, alioquin si dubitet non te-
29 netur; vt quia quamuis sæpè illam expertus sit sequutam, sæpè quoque comperit non euenisse, ita ex Toleto, & Syluestro docet Filliuccius *vbi suprà*, *num*. 56.

30 Dico octauò, quando aliquid de se licitum est, neq; est causa, seu non inducit periculum pollutionis, sed tantùm distillationis, aut erectionis penis sine vlla prorsus imaginatione, aut delectatione venerea, nullum omninò peccatum est eam causam non tollere, quamuis nullum incommodum esset eam remouere. Ita de distillatione, quando hæc accidit sine voluptate venerea, docent communiter Doctores dicentes, tunc non magis de ipsa curandum, quàm de sudore, ita Caietan. *to*. 1. *opusc*. 22. *art*. 2. §. *aduerte tamen*. Sanch. *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *n*. 2. Laym. *lib*. 3. *sect*. 4. *num*. 18. Regin. *lib*. 22. *cap*. 3. *num*. 43.

aliàs voluntas ferè semper exponeretur proximo consensus periculo, ac contrarium credere præsumptioni tribueretur, ac proinde (Deo in superbiæ pœnam id permittente) certior lapsus sperari poterit; Non enim vsque adeò homo voluntati prædominatur, vt absque omni periculo circa obiectum rectè cognitum, & vehementer alliciens omnem actum suspendere valeat. Atque vix dignosci potest voluntatem omni actu carere, quandiù appetitus delectatione afficitur.

Alphonsus Rodriquez *exercit. spirit. par. 3. tract. 4. cap. 4.* docet sæpissimè doctissimos viros latere, an sub-
21 sit peccatum mortale; vndè S. Bonauentura *in speculo disciplinæ* acriter reprehendit eos, qui ex verecundia putantes non esse mortale, omittunt hæc confiteri & sæpè sacrilegè communicant.

Restat autem, vt ad contraria argumenta respondeamus.

Ad primum respondetur turpem motum, aut delectationem veneream, tunc esse grauem materiam, quando secum affert proximum periculum consensus, aut pollutionis, alioquin erit materia leuis.

Ad secundum modo respondetur, non disponere ad pollutionem, nisi remotè, quando non aduertitur proximum periculum consensus, aut pollutionis.

Ad tertium respondetur, tunc dicitur aliquid interpetratiuè volitum, quando quis potest, & tenetur impedire; nunc autem sentiens turpem motum, non tenetur sub graui culpa resistere, quando non adest proximum periculum consensus; ergo non dicitur interpetratiuè velle, simpliciter loquendo, quamuis secundum quid dicatur aliquo modo velle interpetratiuè, quia sub culpa veniali tenetur repellere.

Ad quartum respondetur, hoc argumentum probare, quod rarò in praxi non adsit directus consensus, quàmuis non percipiatur, eò quòd cum momentaneus sit, intellectus non reflectit, id autem vltrò concedo. Nego tamen nunquam abesse directum, & formalem consensũ, potest enim appetitus delectari, vt voluntas nullatenus consentire, quamuis positiuè non resistat eius delectationi, quando hæc modica, & breuis est, vt patet quotidiana experientia.

QVÆSTIO XVIII.

Quando positiuè non resistens venereæ delectationi, dubitare teneatur, an formaliter, & directè consenserit, & tamquam dubium mortale teneatur confiteri?

SVMMARIVM.

Prima conclusio Quatuor in hac quæstione sunt consideranda. Primò qualitas personæ. Secundò qualitas delectationis. Tertiò eiusdem causa. Quartò, an sit aliqua eius displicentia. num. 1.

Secunda conclusio si leuis sit delectatio, & timorata conscientia, probabile est, non subesse mortale. num. 2.

Tertia conclusio si sit timoratus, magna delectatio, eius sit displicentia, probabile est non peccasse mortaliter. num. 3.

Quarta conclusio si sit vir timoratus, magna delectatio, nulla causa non remouendi, & nulla adsit displicentia, dubium est, an subsit mortale peccatum. num. 4.

Quinta conclusio si timoratus, magna delectatio, nulla resistentia, rationabilis tamen causa non remouendi, probabile est non consensisse. num. 5.

Non peccat si ideò nõ curat, ne tentatio validiùs infestet. n. 6.

Non peccat, si non resistit, quia expertus est se ipsis cessare. num. 7.

Non peccat, si non resistit nè scrupulis crucietur. num. 8.

Sexta conclusio si leuis sit tentatio, quamuis non resistat, probabile est non subesse mortale. num. 9.

Septima conclusio, si displiceat, quamuis sit non timorata conscientia, probabile est non consensisse. num. 10.

Octaua conclusio, si non sit vir timoratus, magna delectatio, nulla resistentia, quamuis ex rationabili motiuo non remoueat causam, dubium est mortale. num. 11.

An sit obligatio confitendi peccatum, quod quis probabiliter credit, se non commisisse? num. 12.

An sit obligatio vt conteratur de eo ante communionem? num. 13.

An in mortis articulo teneatur conteri? num. 14.

1 Dico primò, quatuor prudenter consideranda sunt, scilicet primò qualitas personæ an sit timoratæ conscientiæ, qui mori mallet, quàm mortali delectatione fœdari; vel non timoratæ, qui sæpè ruit in manifesta peccata mortalia? iuxta ea, quæ in simili tradit Sanchez in *Summa lib. 1. c. 1. nu. 20.* Sayr. *in Claui Regia, lib. 8. cap. 7. n. 6. in fine.* Secunda qualitas delectationis venereæ consideranda est, an fuerit breuis, & in transitu, atq; modica, vel diuturna notabili tempore durans, atq; vehemens? tertiò consideranda est causa, an rationabilis, vt auditio confessionum, studium; vel irrationabilis, vt turpiloquiũ, curiosus aspectus curiosa lectio? quartò considerandum est, an aliquam eius delectationis displicentiam habuerit, vel nullam omninò displicentiam?

2 Dico secundò quando leuis, ac leuis fuit delectatio, & est persona timoratæ conscientiæ, probabile est abesse consensum, vndè sine confessione poterit communicare, consultum tamen erit confiteri.

3 Dico tertiò, quando est vir timoratæ conscientiæ, magna tamen, & diuturna fuit tentatio, & nulla subest ratio non remouendi causam delectationis; tunc si habuit displicentiã delectationis, probabile est non consensisse.

Ratio est, quia illa displicentia est quædam resistentia, quæ quamuis sit inefficax ad tollendam delectationem, efficax tamen est ad cohibendum consensum, ita Sanchez *in Summa, lib. 1. c. 2. num. 13.*

4 Dico quartò, quando est vir timoratæ conscientiæ, grauis & diuturna delectatio, & nulla subest ratio causam delectationis non amouendi, vt curiosus aspectus, aut lectio, & nullam habet delectationis displicentiam, eo casu puto dubium esse an consenserit, vndè nequit sine confessione communicare. Ratio est, quia facilitas voluntas ruit in consensum, quando longo tempore nullatenus resistit, & libere non remouet causam, quam faciliter tollere potest, ac perseuerat in magna sensu delectatione, tunc enim appetitus sensitiuus per sympathiam inclinat voluntate ad consensum, quem tamen non agnoscit, quia subtilis est, ac actu reflexo, in illum non tendit.

5 Dico quintò, quando est vir timoratæ conscientię grauis, & diuturna delectatio, cum nulla resistentia, aut displicentia ipsius, causam tamen delectationis non remoueat ex rationabili motiuo, vt est auditio confessionum, necessarium studium, &c. tunc probabile est abesse consensum, neque tenetur, sed consultum est confiteri. Ratio est, quia timoratus vir non faciliter ruit in consensum,

ſum, cùm rationabiliter detinetur in opere cauſante delectationem, quamuis negligens ſit in reſtituendo.

Hinc patet probabile eſſe, abeſſe conſenſum, & à graui peccato excuſari virum timoratum, qui experientia didicit delectationes, & turpes motus validiùs eum infeſtare, cùm reſiſtere nititur, imò tunc neque venialiter peccat non reſiſtendo, ita Io. Gerſon *part.2. operum tract. de pollutione diurna propoſit.* 8. vbi ait: *Cogitationes carnales, & fluxus inde ſequentes, abſque*
6 *conſenſu voluntario, vincuntur plerumque ſalubrius, tutius, & efficacius, ſi ratio ſe habet circa illa per modum non curantis, vel diuertentis voluntatem, ad alia, quàm ſi ſollicitetur, triſtetur, turbetur, & conetur tales expellere; auget enim cogitatio vehemens, & imaginatio conatum, ac proindè nutrit cogitationem huiuſmodi, multiplicat, & efficaciorem reddit ad fluxum conſequendum. Quod ſi diſſimulauerit, neque curauerit pluſquam de alterius humoris naturalis fluxu, conquieſcet. Exemplum eſt de timentibus, qui trabem in alto poſitam nunquam ſine caſu tranſirent.* Hæc Io. Gerſon.

7 Sic ſi diu reſtitiſti, fruſtrà tamen, quia adhuc durant, experientia tamen didiciſti eos prauos motus ſeipſis ceſſare, neque venialiter peccas, ſi non curas, ita S.Th. 2.2. *quæſt.35. art.1. ad 4. & in prima ad Corinthios, cap.6. q.6.* Curiel 1. 2. *quæſt.74. art.8. dub.2. §.3. ibidem*, Peſantius *art.10. diſput.5.* Azorius *tomo 1. lib.4. cap.6. quæſt.5.* Io. Sanchez *in ſelectis diſp.21. num.11.*

8 Qui etiam ſcrupuloſus eſt, & ſcrupulis cruciatur, cùm reſiſtere nititur, & cauſam amouere; ſi reſiſtere non curat, excuſandus eſt, & probabile eſt non conſenſiſſe. Ratio eſt, quia iuſtiſſima cauſa non reſiſtendi, aut cauſas delectationum non amouendi, eſt euitare ſcrupulorum cruciatum.

9 Dico ſextò, ſi ſit vir non timoratæ conſcientiæ, leuis tamen, & breuiſſima delectatio; tunc quamuis nullatenus reſtiterit, probabile eſt non conſenſiſſe, conſultiſſimum tamen erit confiteri.

10 Dico ſeptimò, ſi ſit vir non timoratæ conſcientiæ, grauis tamen, & diuturna tentatio, ſed eius habeat diſplicentiam tunc probabile eſt, non conſenſiſſe, quia hæc eſt aliqua reſiſtentia vt ſuprà dixi.

11 Dico octauò ſi ſit vir, non timoratæ conſcientiæ, magna etiam, & longo tempore durans delectatio, nullamque eius habeat diſplicentiam, quamuis ex rationabili motiuo, aut ex neceſſitate non remoueat cauſam delectationis, tunc dubium eſt an verè conſenſerit, vndè non poterit ſine confeſſione communicare. Ratio eſt, quia huiuſmodi homines velut ſulphureus puluis mox tactu libidinis igne flammeſcunt, vnde rationabile dubium eſt, an conſenſerint iuxta ea, quæ in ſimili docet poſt Medinam, & Sayrum, Sanchez *lib.1. Sum.c.1. nu.20.*

12 Aduerto autem is, qui probabiliter putat ſe deliberatè non conſenſiſſe, & ſic probabiliter credit ſe non peccaſſe mortaliter, non tenetur ante communionem confiteri, ita Suarez *de pœnit. diſp.22. ſect.9. num.5. & 6.* Henriquez *lib.5. cap.4. in fine*, Sanchez *in Summa lib.1. cap.10. num.76.* Sylueſ *in addit. ad 3. par. quæſt.6. art.4. ad 3.* Mercerus *3. par. quæſt.9. art.4. num.7.* contra Ioannem Salas 1. 2. *quæſt.21. tract.8. diſp. vnica ſect.5. num.60.* Ratio eſt, quia tutus eſt in conſcientia is, qui ſequitur opinionem probabilem: ergo cum habeat probabilem opinionem ſe non peccaſſe mortaliter, non te-
13 netur præcepto confeſſionis. Imò eadem ratione puto non eſſe obligatum ad contritionem eius peccati ante communionem. Ratio eſt, quia cum probabiliter credat ſe eſſe in gratia, nullam infert iniuriam Sacramento.

14 Sed ſi poſt illud peccatum, non eſt confeſſus alia peccata, aut non habuit alterius peccati contritionem, & incidit in periculum, ſeu articulum mortis, tenetur ſub mortali elicere actum contritionis ſaltem talis peccati, ne ſe conijciat in periculum æternæ damnationis, ita Henriquez *lib.5. cap.4. in fine*, Sanchez *lib.1. cap.10. nu.77.* qui cum eodem Henriquez *lib.8. c.45. nu.3. lit.P*, ait expedire tunc confiteri, ſi dubitat in eo mortis articulo, ſe actum contritionis elicere poſſe. Ratio eſt, quia non debet ſe exponere periculo æternæ ſalutis.

QVÆSTIO XIX.

Quæ ſit delectatio venerea, quæ verò ſenſibilis, & quando in iſta illa lateat?

SVMMARIVM.

Prima concluſio delectatio venerea ſola eſt, quæ percipitur ex copula, vel ex per ſe ordinatis ad copulam. num.1.

Delectatio ſenſibilis eſt, quæ percipitur ex aſpectu, vel tactu, vt obiecti proportionati cum organo viſus, vel tactus, abſque villa delectatione, aut cogitatione copulæ, aut obſcœni actus. num.2.

Tactus, & oſcula ſecundùm ſe ſunt indifferentia. num.3.

Secunda concluſio, delectatio venerea ſemper eſt mortalis. ſenſibilis eſt venialis, niſi ratione periculi fieret mortalis. num.4.

Tertia concluſio in praxi difficiliter diſtinguitur ſenſibilis à venerea delectatione. num.5.

Quarta concluſio ſi tactus non ſit ex honeſta amicitia, & finis ipſius ſit ſola delectatio, eaque magna, & deliberata, tunc talis delectatio eſt formaliter venerea, ac mortalis. num.6.

Oſcula inſtituta ſunt à natura, vt ſint interni amoris ſigna. num.7.

Diſcrimen inter oſculum pudicum, & impudicum. num.8

Impudici oſculi nota. num.9.

Venerea delectatio eſt, ſi in confuſo copula, aut obſcœnus actus apprehendatur. num.10.

Delectatio ſenſibilis faciliter tranſit in venerea. num.11.

Vaxallus tangens mammillas dominæ priuatur feudo. numer.12.

Leuis delectatio ſenſibilis in viro timorato probabiliter non eſt venerea. num.13.

Si ioco ex ſola delectatione ſenſibili timoratus tangat mulieris manum, pedem, probabile eſt, non eſſe delectationem veneream. num.14.

Quid ſi tangens, quamuis timorata conſcientia, tamen interna graui tentatione vrgetur? num.15.

Dicendum tunc peccare mortaliter. num.16.

Leuis tactus ob ſolam delectationem ſenſibilem, in homine perdita vita, dubium eſt mortale, ſeu an ſubſit venerea delectatio. num.17.

Sexta concluſio ſi honeſtum tactum comitetur ſenſibilis delectatio, quæ æquè principaliter non ſit intenta, non eſt mortale, imo fortè nec veniale peccatum. num.18.

Septima concluſio ſi honeſtum tactum comitetur delectatio

sensibilis, quæ magna sit, & principaliter intenta, ea delectatio est venerea, ac mortalis. num.19.

Octaua conclusio leuis delectatio ex tactu, vel aspectu pudendorum est venerea, ac mortalis. num.20.

1 DIco primò delectatio venerea sola est, quæ percipitur ex copula, vel ex per se ordinatis ad copulam, vt commotione, aut turpi tactu pudendorum, vel ex imaginatione, aut confusa imaginatione istorum.

2 Delectatio verò sensibilis est, quæ percipitur ex aspectu, vel tactu obiecti proportionati, cum organo visus, aut tactus, vt rei pulchræ, blandæ, mollis, &c. absque vlla prorsus, delectatione, aut cogitatione copulæ, aut obsceni actus; huiusmodi est, quæ accipitur, ex honesto, & beneuolo osculo, aut tactu non libidinoso, vt cum parentes filios, fratres, sorores osculantur, ita docent Martinus de Magistris *quæst.25. de temperantia, seu 3. de luxuria*, Gabriel *in Canonem, lect.74. lit. E*, Tabiena *v. Cogitatio, quæst.8. num.9.* vbi ait, quòd delectatio venerea est, quæ sentitur in carne, cum commotione spirituum seruientium generationi. Comitolus *respons.lib.4. quæst.20. numer.5. & 6.* Syluius 2. 2. *quæst. 154. art.4. concl.4.* Filliuc. *tract.30. cap.9. num.188.* Diana *par.4. tract.4. resol.136.*

Contra Caietanum *tomo 1. opusc. 14. quæst.3.* vbi sic scribit: *Visus mulieris pulchra, secundùm se ipsum delectabilis, non est libidinosus, nisi ex parte videntis ad malum finem ordinetur: tactus autem per oscula, & amplexus, vt est secundum tactum talem delectabilis, est libidinosus; sicut & concubitus; quoniam delectatio sensibilis secundum quendam tactum, scilicet osculorum, amplexuum, & huiusmodi, est secundum se à natura ordinata ad venerea, hinc fit, vt illa ob solam delectationem exercita, sint libidinosa; visus autem minimè.* Ita Caiet. *& 2. 2. quæst.154. art.4. & in Summa v. impudicitia.* Lessius *lib.4. c.3. num.59.* Sanchez *de matrim.lib.9. disp.46. num.7.* vbi innumeros citat, & vocat hanc delectationem veneream, & sensibilem. Villalobos *tom.2. tract.40. diffic.9. numer.4.* sed istæ sententiæ ad concordiam redigendæ sunt, vt infrà patebit.

Probatur primò, nostra conclusio authoritate Galeni *lib.14. de vsu partium, cap.9. & 10.* vbi ait: *quod delectatio venerea, est, quæ in carne consurgit, ex motu humoris serosi, qualis est substantia seminis, incalescentis per commotionem spirituum generationi deseruientium.* Ergo venerea delectatio sola est, quæ accipitur ex copula, aut turpi commotione instrumentorum generationis, aut seminis effusione, vel istorum imaginatione.

Secundò, Probatur ex S. Augustino *lib.14. de Ciuitate Dei, cap.16.* vbi sic ait: *Cum sint multarum rerum libidines, tamen cum libido dicitur, nec cuius rei libido sit, additur, non ferè solet animo occurrere, nisi illa, qua obscæna partes corporis excitantur.* Sic ille.

3 Tertiò ostenditur authoritate grauissimorum Doctorum, qui docent tactus, oscula, & amplexus, secundum se esse indifferentia, ita S. Thomas in *quæst. de malo de luxuria, art.2. ad 18.* vbi sic ait: *Tactus, amplexus &c. in quantum ordinantur ad actum fornicationis, vel ad solam delectationem fornicationis, esse peccata mortalia, secundum autem speciem suam non esse: & 2. 2. qu.154. art.2.* dicit: *Secundùm speciem suam, & rationem, oscula, amplexus, & tactus non nominare peccatum mortale, sed tantum esse talia ex sua causa propter intentionem scilicet corruptam, ideòque cum sint propter delectationem peccati mortalis esse mortalia, & sic solùm esse libidinosa.* Hæc S. Thomas; cuius sententiam iisdem ferè verbis sequuntur S. Antoninus, Pisanella, Rosella, Gabriel, Angelus, Tabiena, Io. Nider, & Syluester, quorum verba refert Filliuccius *vbi suprà num.183.* idemque docent Nauar. *in c. si cui de pœnit. dist.1. num.13.* Sanchez *de Matrim. lib.9. disp.46. num. 2.* Villalobos *tom. 2. tract.40. diffic. 9. num. 2.* Ergo si oscula, & tactus, sunt indifferentia, & fiunt mortalia ex extrinseca intentione operantis propter delectationem copulæ cogitatæ, sequitur, quod sola delectatio venerea est illa, quæ percipitur, vel ex copula, vel ex turpi commotione pudendorum, vel istorum cogitatione.

Ad hanc rationem respondet Sanchez *d. disp. 46 nu. 20.* dicens: *Non sunt illi tactus mortales ob delectationem naturalem ipsorum, quatenus indifferentes sunt; Hæc enim est ea, quæ sentitur ex contactu rei organo sensus proportionata: sed sunt mortales, quia tangens acceptat delectationem sensibilem, & veneream, consurgentem, quæ suapte natura ad copulam tendit.* Contra, quia Sanchez in tactu duplicem delectationem agnoscit; alteram naturalem, quam explicauit *num.5.* esse ob solam proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus, aut visus, sicut tactus rei blandæ & visus rei pulchræ organa visus, & tactus naturaliter delectant: alteram delectationem consurgentem sensibilem, & veneream, quam suprà *nu.5.* explicauit ex Tabiena, esse eam, *quæ in carne sentitur ex commotione spirituum subseruientium generationi circa partes libidinosas.*

Sed hæc responsio est impertinens ad quæsitum, nam ista posterior delectatio, ex commotione spirituum subseruientium generationi, est omninò venerea, & mortalis, neque vllus de hoc dubitat, eaque est omninò extrinseca ad tactum; igitur de priori delectatione, quam Sanchez vocat *Naturalem*, alij vero vocant *Sensibilem*, est quæstio, an illa dicenda sit venerea, mortalis, cum quis, propter solam voluptatem osculatur mulierem.

4 Dico Secundò quando delectatio est venerea, certum est esse peccatum mortale, veniale verò est si non sit venerea, sed sensibilis, nisi ratione periculi, ita omnes suprà citati. Ratio est, quia delectatio est eiusdem moris cum obiecto, vt ex Arist. 10. *Ethicorum ca.4. & 5.* sed obiectum delectationis sensibilis non est mortale: Ergo.

5 Dico Tertiò difficillimum est præsertim in praxi distinguere delectationem sensibilem à venerea, & sæpè sensualis transit in veneream; quarè in praxi rarissimè excusatur à peccato mortali, is qui deliberatè acceptat delectationem sensibilem, nisi leuis esset, ita Filliucius *tom.2. tract.30. cap.9. num.179.* Lessius *l.4. cap.3. num. 59.* Salas 1. 2. *qu.70. tract.13. disp.6. sect.20. num.143.*

6 Dico Quartò si tactus, amplexus, aut osculum non procedit ex honesta amicitia, vel beneuolentia, sed eius finis est sola delectatio sensibilis, quæ sit magna, aut cum notabili temporis mora, & deliberatè accepta, tunc talis delectatio est formaliter venerea, atque mortale peccatum. Quatuor itaque requiruntur vt delectatio tactus, aut osculi sit venerea, quamuis nulla adsit cogitatio copulæ, aut actus obscæni. Primò, quòd non procedat ex honesta amicitia. Secundò, quòd finis sit sola delectatio sensibilis. Tertiò, quòd sit ea delectatio notabilis, ac magna. Quartò, quòd deliberatè acceptetur. His concurrentibus dico esse delectationem formaliter

vene-

veneream, idque tanquam certissimum in praxi docent communiter Doctores, & oppositam censent falsum, & improbabile, ita Caietan. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 4. *& tomo* 1. *opusc.* 14. *quæst.* 3. *& in Summa v. Impudicitia, ibidem.* Armilla *num.* 1. Nauar. *in Summa, cap.* 16. *num.* 11. Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *num.* 59. qui ait oppositam sententiam practicè non esse probabilem, Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 46. *num.* 7. qui scribit id esse certissimum. Layman *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 14. Medina 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 8. *dub.* 5. Philiarchus *de officio Sacerdotis par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. *dub.* 3. Alcozer *in Summa cap.* 20. Filliucc. *tract.* 30. *num.* 179. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 40. *diffic.* 9. *num.* 4.

Contra Martinum de Magistris, Gabrielem, Humbertum, & alios apud Sanchez *vbi suprà num.* 6.

7 Probatur primò, quia aliqui tactus, amplexus, & oscula instituta sunt à natura, vt sint interni amoris signa sic S. Ambrosius *lib.* 6. *Exameron cap.* 9. oris osculum *pietatis, & charitatis pignus* appellat, *& lib. de Isaac cap.* 3. *qui se osculantur non sunt labiorum libatione contenti, sed spiritum suum sibi inuicem videntur infundere*: hæc Ambros. per oscula verò animam quasi in aliena corpora transfundi docuerunt, Plato apud Gellium *lib.* 19. *c.* 11. & Macrobium *lib.* 2. *Saturnal cap.* 2. S. Io. Chrysost. *hom.* 30. *in* 2. *ad Corint. ob id enim,* inquit, *nobis datum est osculum, vt charitatis igniculus, & fomes sit.* Verè, & scienter Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1. *Glaphyr. par.* 169. scripsit *Osculum est Symbolum perspicuum, eximiumque nota beneuolentiæ, & charitatis.* Apud Ægyptios Sacerdotes, columba charitatis, & amoris hieroglyphicum fuit, eò quod mutuis sese osculis columbæ suauiarentur.

8 Porrò hoc discrimen est inter oscula, quæ ex amore pudico, vel impudico prodeunt, illa enim sistunt in beneuolentiæ, & internæ charitatis demonstratione, neq; vllam voluptatem, aut sensibilem delectationem ijs suauijs se osculantes intendunt, quod præclarè innuit S. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *pædagog. cap.* 11. sic scribens: *Dilectio non in osculo censetur, sed in beneuolentia, Regno dignè gustato, ore modesto, & clauso beneuolentiam animi ostendamus. Est autem aliud quoque osculum, incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis, quod etiam phalangia, si ore tantum tangant, graues dolores hominibus afferat.* Ita Clemens. Expende *ore modesto, & clauso* dari *sancta, & impolluta oscula*, non ergo ijs voluptas captanda.

9 E contra verò impudica oscula in beneuolentię significatione non sistunt, sed turpi voluptatis cęno suauiantium ora fædantur, accipe illecebrosi basij notas. Ouidius *Epist.* 2. *oscula per longas iungere pressa moras.* Iuuenalis *Satyra* 6. *ac mollia semper oscula delectent.* Apuleius *lib.* 3. *Hiantibus osculis, & fragrantibus papillis.* Statius *lib.* 3. *Syllicorum feroisque dedisti oscula anhela meis.* Seneca *apud* Pierium *lib.* 22. *columbatim labra inserens labris.* Ægyptij enim columbarum se se osculantium simulachro venereas illecebras significabant, columbæ enim non prius ad veneris copulam, quam ad oscula deueniunt eruditè Donatus in illud Terentianum, *ò Thais mea, meum suauium,* ait, *tria esse osculandi genera, osculum scilicet, basium, & suauium; oscula officiorum sunt, basia pudicorum affectuum, suaua libidinum, vel amorum.* Attende impura suauia per *longas moras pressa mollia, anhela, labris labra inserentia.* Itaque sic breuiter arguo. Oscula instituta sunt, vt sint amoris signa; sed voluptuosa, seu in quibus sola voluptas quæritur, non prodeunt ex amore pudico: ergo impudico.

Probatur secundò, quia quando sola delectatio spectatur in osculo, eaque vehemens est, tunc naturaliter commouet spiritus generationi subseruientes, vndè procedit pudendorum turpis commotio: ergo ex se talis delectatio ad pollutionem ordinatur; ergo est formaliter venerea.

10 Probatur tertiò, quia de ratione delectationis venereæ non est, quod copula, aut obscænus actus explicitè apprehendatur, seu imaginationi occurrat, sed sufficit in confuso, & implicitè apprehendi, vt docet Rebell. *par.* 2. *lib.* 3. *quæst.* 19. *sect.* 3. *in princ.* sed quando in tactu, aut osculo sola voluptas quæritur, eaque magna, ac notabilis est, tunc in confuso apprehenditur actus obscenus, atque copula, nam huiusmodi tactibus, & osculis fornicarij delectantur, tamquã de circumstantijs copulę.

11 Probatur quartò, nam esto delectatio sensibilis venerea non esset, tamen propter naturæ corruptionem mox transit in veneream; ergo ratione periculi lethalis est. Libet hæc Philosophorum, ac Patruum testimonijs comprobare Arist. *lib.* 2. *de animal cap.* 9. docet homini tactus sensum esse exquisitissimum, eoque cetera animantia superare, quare si admissarium videmus equum in iumenti aspectu adhinnientem, verùm si tangat æstu libidinis furere, iam si tactus voluptas hominem afflauerit, multo magis concitabit animum ardoremque incendet Socrates *apud Xenophontem lib.* 1. *de dictis Socratis, & Stobeum serm.* 17. aiebat: *à pulchris abstinendum vehementer, neque enim facilè est, vt qui tales attingit modestus sit, & continens.* Plutarch. *de amor. formosos,* ait, *intueri iucundissimum esse: tangere autem non sine periculo licere.* S. Gregor. Nazianzenus *orat.* 6. vocat tactum, *velut rabie laborantem.* Clymacus *gradu* 15. *Ex solo,* inquit, *tactu corpus inquinatur, nihil quippe sensu isto grauius, nihil periculosius.* S. Basilius *lib. de Virg.* rem tali similitudine illustrat: *sicuti tacto igne, subitò bulla, & vlcera nascuntur, sic bullæ in corde, & inflammationes è contactu generantur.*

12 Probatur quintò, quia venereum esse mammillarum tactum nemo dubitat; vnde vaxallus tangens dominæ mammillas feudo priuatur *cap.* 1. §. 1. *quibus modis feudum amittitur*: sed id non aliundè, quia eo tactu sola voluptas quæritur: ergo cum sola delectatio spectatur in osculo, ea venerea est.

Obijcies primò quia ex Galeno *lib.* 14. *de vsu partium cap.* 9. *&* 10. *Venerea delectatio sola est, quæ ex motu substantiæ seminis percipitur*: sed huiusmodi non est illa osculi; ergo hæc non est venerea.

Respondetur, venereum dici per analogiam attributionis, principale autem analogatum est voluptas motus seminis; cætera autem, quæ motum seminis, eamque voluptatem causantur, dicũtur minus principalia analogata: & huiusmodi est sensibilis delectatio osculi, si magna sit, & primariò intenta, apta enim est commouere spiritus subseruientes generationi, & motum seminis causare; ergo delectatio est formaliter venerea.

Obijcies secundò quia ex S. Thom. Caietano, Armilla, Lessio, Sanchez, & Petro Ledesma, atque alijs apud Salas 1. 2. *quæst.* 74. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 20. *num.* 139. tunc tactus est mortalis, quando fit propter delectationem ordinatam ad copulam: Sed osculans, nihil cogitans de copula, non ordinat delectationem ad copulam: ergo non est mortalis.

Respon-

Respondetur delectationem osculi magnam, & primariò intentam, ex natura sua ordinari ad copulam, quippè quæ apta est commouere spiritus generationi subseruientes, tum quia in confuso ordinatur ad copulam, dum propter illam solam, quis tangit, eam enim, & non aliam fornicarij intendunt, cum tangunt, & osculantur propter solam voluptatem.

Obijc. tertiò delectatio non est mortalis, nisi tale sit obiectum: sed perceptio suauis temperamenti, & proportionati tangibilis, non est obiectum mortale: Ergo neque mortalis est delectatio ex illa accepta.

Respondetur dist. minorem; perceptio suauis temperamenti, & proportionati tangibilis non est obiectum mortale, quando non est apta commouere spiritus generationi seruientes concedo: & huiusmodi sunt tactus, & oscula ex honesta amicitia, delectatio, gustus, visus, auditus, &c. Non est obiectum mortale perceptio suauis temperamenti, quando talis est, vt sit per se apta commouere spiritus generationi subseruientes, quamuis per accidens aliquando non commoueantur, Nego.

13 Dico quintò si tactus non procedat ex honesta amicitia, sed propter solam delectationem sensibilem, sed adeò leuem, vt vix ea delectatio percipiatur, quia obiter mulieris manum quis tangit, tunc probabile est in viro timoratæ conscientiæ eam delectationem non esse veneream, sed tantùm veniale peccatum. Ratio est, quia leuis delectatio sensibilis non est apta commouere spiritus generationi subseruientes: ergo ea delectatio, non est intrinsecè venerea, neque est venerea extrinsecè propter turpem intentionem tangentis, ordinantis eam delectationem saltem in confuso ad copulam; nam suppono virum timoratæ conscientiæ omninò abhorrere à venereis, & à copula, & ita de hac leui sensibili delectatione docent Lessius *lib.4.c.3. nu.59.* Nauar. *cap.14.nu.42.* Villalobos *tom.2.tract.40. diffic.9. num.8.*

14 Sic si in partibus honestis tangat leuiter ex ioco, vt manum fœminæ, pedem, brachium premat, digitum intorqueat, propter solam sensibilem delectationem communiter excusari à peccato mortali, & esse huiusmodi tactus tantùm veniales, quia non ex libidine, sed ex leuitate quamdam, & ioco procedunt, docent Caietan. *2. 2. quæst.154. art.4. ante vltimum dubium, & Summa V. Chorea in fine,* ibidem Armilla *num.2.* Tabiena *V. Osculum,* Nauar. *cap.14. nu.42. vers.19.* Salas *1.2. quæst.74. tract.13. disput.6. sect.20. num.146.*

15 Sed quid si vir timens Deum, tamen ab humani generis hoste erga mulierem libidinum facibus validè tentatus, prolabitur in leuem tactum, an iudicandus sit lethalis culpæ reus?

Quod à mortali crimine sit excusandus suadetur.

Primò authoritate S.Gregorij Papæ *dialogorum lib.3. cap.7.* vbi scribit, de Andrea Fundanæ ciuitatis Episcopo quod *cum vitam multis virtutibus plenam duceret, malignus spiritus cæpit, cuiusdam sanctimonialis, quæ secum habitabat, speciem oculis mentis eius imprimere, vt illectus nefandam cogitaret, & eò vsque prolapsus est, vt in terga eiusdem sanctimonialis blandiens alapam daret?* Episcopum tamen non videtur S. Gregorius mortalis culpæ damnare, sic enim subdit. *Ecce enim paradisi Cedrum concussam audiuimus, & non euulsam, quatenus infirmis nobis de eius concussione nascatur timor, & de eius stabilitate fiducia.* Ergo si prolapsus in mortale fuisset, non concussa tantùm, sed euulsa cedrus, neque staret.

Secundò, quia ille leuis tactus, aptus non est commouere spiritus generationi seruientes: ergo non est intrinsecè venereus, neque extrinsecè ex deprauata intentione, suppono enim esse virum timoratum, qui millies mori mallet quam fędari, & ab omni obscęna voluptate, actuque abhorret.

Quod autem à mortali culpa non excusetur.

16 Primò, ostenditur ex contextu eiusd. Sancti Gregorij Papæ *dialog. lib.3. cap.7.* ibidem enim refert Iudæum, sic Andream Corripientem *quod in illã Dei famulã praui amoris oculos iniecisset;* & mox subdit, *eiusdem ruinæ Indęum consuluisse;* ergo Gregorius mortalem culpam agnoscit, neque refert fuisse concussam, non euulsam cedrum, id enim asserit quia mox surrexit ad pęnitentiam. Idem sensit S. Theodorus Studita, vir sanctitatis fama. Clarissimus *serm.4. catec.* vbi de sensuum moderatione loquens ita monuit. *Attrectauit quis volens mulierem, & incensus libidine, scelus contraxit.* Sapienter S.Hieronymus *in vita S. Hilarij* asseruit: *Tactus, & iocos esse moritura virginitatis principia.*

Secundò, quia leuis tactus ab interna voluntate imperatur: ergo dum voluntas libidinum procella fluctuat, signum est ex impudica intentione leuem illum tactum procedere. Quis enim luctantibus ventis, furente pelago, è naufraga naui cernens merces iactari, propter tempestatem à nauta iactari dubitet? Ergo cum mens illecebrarum, libidinumque procellis, ac tentationibus æstuat, si in externos voluptuosus tactus labitur, ex venerea intentione, à voluntate tactus illos imperari quis dubitat? ergo leuis ille tactus venereus est, saltem extrinsecè à venerea intentione.

Tertiò, eundem tactum esse intrinsecè venereũ ostendo, nam quamuis leuis tactus aptus non sit commouere spiritus generationi subseruientes, tamen si libidinosæ voluntatis igne succenditur, vehementissimè commouet; quod fœdæ distillationes, ac titillationes, quæ in ijs tactibus passim experiuntur, demonstrant. Sic frustra in arcem ferrea pila manibus iactatur; at ex æneo tormento, sulphureis impulsa ignibus, prosiliens volat, fortissimaque męnia diruit.

Quartò, nihil iuuat tangentem expressè abhorrere à copula, omnique obscęno actu, eumque explicitè nolle, nam sicuti (vt Iuristæ docent) protestatio contraria facto nihil operatur; ita nec in ea carnis tentatione deliberatè captans ex tactibus sensibilem voluptatem, excusatur; quia tunc deliberatè delectatur de illis, tamquam de circumstantijs copulæ & ita in confuso tactus ad copulam ordinat, quod sufficit ad mortale peccatũ.

Quintò, virum esse timentem Deum non proficit, vidimus enim stellas de cœlo cadentes, vt enim cùm S. Hieronymo loquar *in reg. Monachorum. Ne in præterita castitate confidas, nec Sampsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.* Quis non formidet testimonium S.August. *lib. de singularitate Clericorum. Experto* (inquit) *crede, expertus loquor coram Deo non mentior. Cedros libani, Duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quã Ambrosii, vel Hierony. impudica turpitudine.*

Ex his itaque probabilissimum, ac ferè certum censeo, vrgente graui carnis tentatione, & sæuientibus impudicis flammis, & amore erga aliquam mulierem, etiam si vir sit timoratissimæ conscientiæ, si deliberatè

eam leuiter tangat, propter solam voluptatem, mortaliter peccare, vel saltem dubium omninò, & incertum esse, an talis tactus ex venerea intentione procedat, quare communicare, aut celebrare non poterit ante confessionem, eoque casu verissimum puto, quod in simili docet Io. Gerson *p. 2. operum tract. de pollutione diurna propos. 9. fol. 492.* vbi ait: *Difficile, vel impossibile esse cognoscere absque diuina reuelatione, certitudinaliter, an subsit consensus verus vel interpetratiuus plenus, vel imperfectus, aut nullus omninò.*

17 Dixi in conclusione si sit vir timoratæ conscientiæ, quamuis enim Doctores citati indistinctè loquantur, ego tamen de homine perditæ vitæ, atque libidinum cęno obruto, censeo quantumlibet leuissimè tangentem ob solam sensibilem voluptatem difficillimè excusari à peccato mortali, eumque obligari ad se accusandum, tamquam de dubio peccato mortali: Probo, quia quamuis leuis declaratio sensibilis ex tactu, non sit aptæ commouere spiritus generationi seruientes, & proinde ea delectatio, non sit intrinsecè venerea, tamen est venerea extrinsecè, homo enim lasciuus, & venereis deditus, in qualibet sensibili voluptate, mox in confuso apprehendit copulam, & de tactu tamquam copulæ circumstantia delectatur; itaque veluti sulphureus puluis quacumque libidinis scintilla flammescit.

Dices; ex his, innumeris scrupulis patet aditus.

Respondeo, satiùs esse scrupulo cruciari, quam sine scrupulo damnari.

18 Dico sextò tangens, aut osculans ex honesta amicitia, aut ex more patriæ mulierem, vel iuuenem, si sensibiliter delectetur, eam tamen delectationem non intendat æquè principaliter, tunc ea delectatio non est venerea, imò nullatenus peccat, vel saltem venialiter tantùm. Syluest. *V. delectatio num. 7.* Rosella *V. cogitatio morosa num. 4.* Lessius *lib. 4. cap. 3. num. 56.* Comitolus *lib. 4. quæst. 20. num. 4.* Rebellus *par. 2. lib. 3. quæst. 19. sect. 3. vers. similiter,* Filliuccius *tract. 30. num. 178.* Salas *1. 2. quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 20. numer. 131.* qui docent excusari à mortali, quamuis sentiatur turpis pudendorum commotio, dummodò deliberatè in eam non consentiatur.

Ratione autem periculi ab aliquorum osculis cauendum esse monet S. Basilius *lib. de vera virginitate,* his verbis: *formosorum oscula cauere oportet, non secus, quam animalium venenatorum morsus, diffunditur enim virus ex osculo per omne corpus.*

19 Dico septimò tangens, aut osculans ex honesta amicitia, aut ex more Patriæ mulierem, vel iuuenem, si sensibiliter delectetur, eaque delectatio magna sit, & notabilis, non parua, & leuis, illamque voluptatem sensibilem, vel primario, vel æquè principaliter intendat ex tactu, & osculo: tunc talis declaratio est venerea, & peccatum mortale.

Probatur primò, authoritate Athenagoræ *orat. ad Christianos apud Iustinum Martyrem,* vbi agens de osculo ex honesta amicitia, sic ait: *Tam accuratè temperare osculum, seu potius adorationem salutationis oportet, vt si quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vos vita proscribat Verbum.*

Probatur secundò ratione; nam magna delectatio sensibilis æquè principaliter, vel primariò intenta, per se apta est commouere spiritus subseruientes generationi; quod si id non contingat, erit per accidens, quod experientia patet, nam ita osculantibus, vel tangentibus ferè semper contingit distillatio, vel turpis pudendorum commotio; ergo talis delectatio tunc est venerea, atq; mortale peccatum.

20 Dico octauò, quamtumuis leuis, & parua sit delectatio sensibilis deliberatè accepta ex tactu, aut aspectu partium pudendorum, est venerea, & mortale peccatum, ita omnes, Lessius *lib. 4. cap. 3. numer. 61.* Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 46. num. 30.* Salas *1. 2. quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 20. num. 143.*

Probo esse veneream formaliter, & intrinsecè, quia ea pudendorum sensibilis delectatio, proximè disponit ad motum substantiæ seminis, & sic ad pollutionem; esse quoque extrinsecè veneream ex intentione tangentis, aut aspicientis, patet quia deliberatè acceptans delectationem sensibilem, tactus, aut aspectus pudendorum, in confuso cogitat pollutionem, aut turpem motum, nam ideò delectatur, quia cogitat similem actionem, tamquam à sua persona exercendam.

Probo esse mortale peccatum, quia delectatio venerea deliberata, non admittit materiæ paruitatem, vt ostendi *quæst. 16.*

QVÆSTIO XX.

Corollaria ex præcedenti doctrina, de delectatione sensibili, aut venerea.

S V M M A R I V M.

Aspectus pudendorum quandoque non est mortalis. num. 1.
Delectatio, ex aspectu pudendorum, semper mortalis. nu. 2.
Aspectus curiosus mulieris venialis. num. 3.
Osculari Infantes, vel veniale, vel nullum peccatum. nu. 4.
Osculari potiùs filiam, quàm filium, pulchriorem, quam deformem non est mortale. num. 5.
Mulier eodem lecto dormiens cum viro non excusatur à mortali. num. 6.

1 INfertur primò, quòd quamuis excusetur à mortali peccato visus pudendorum, inter personas eiusdem sexus, ex curiositate, vel ioco, imò excusetur à mortali, etiam inter personas diuersi sexus, vt si nudam aspiciat mulierem, tam breui tempore, vt non detur occasio magnæ commotionis in corporis, vt docent Sanchez *de matrimon. lib. 9. disp. 46. num. 23.* Layman *lib. 3. sect. 4. numer. 14.* quorum tamen opinio displicet diuersi sexus
2 personis. Nihilominus numquam excusatur à peccato mortali, quando ex visione pudendorum, aut concubitu animalium, vel ex aspectu turpiter commotarum partium, deliberatè accipitur sensibilis delectatio, hæc enim venerea est, delectatur enim, quia similem in se amat, ita Doctores omnes adducti.

3 Infertur secundò, quòd videns curiosè mulierem propter solam sensibilem delectationem, probabiliter excusatur à peccato mortali, neque ea delectatio venerea est, ita communiter Doctores Caietanus *tom. 1. opusc. 14. quæst. 3.* Sanchez *de matrimon. lib. 9. disp. 46. nu. 22.* Layman *lib. 3. sect. 4. num. 14.* Villalobos *tomo 2. tract. 40. diffic. 9. num. 11.*

4 Infertur tertiò, non esse peccatum mortale, & sæpè nec veniale osculari magna cum suauitate, & affectu,

molles

molles infantium carnes, quia id non ex praua intentione, nec cum periculo fieri solet, sed sine periculo, ex honesto amore, tenero, & suaui, ac naturali infantis pulchri, aliàs innumeri parentes, & nutrices damnarentur, Nauar. *cap.16.num.11.* Sanchez *lib.9.disput.46.num.23.* Salas 1. 2. *quæst.74.tract.13. disp.6. sect.20.nu.147.*

5 Infertur quartò, non esse mortale, quod pater osculetur potiùs filiam, quàm filium, & pulchriorem, quàm deformem, sic frater sororem, quia naturaliter maior est amicitia, etiam honesta erga alterum sexum, aut personam pulchriorem, Salas *vbi suprà*.

6 Infertur quintò, non excusari à mortali mulierem in eodem lecto cum viro dormientem, etiam si absit alia turpis intentio, ita Lessius *lib.4. cap.3. num.61.* id enim aptum est turpem carnis cõmotionem causare, proinde grauissimè repræhensum à S. Cypriano *epist.62. ad Pomponium*. *Ipsa*, inquit, *coniacentium duorum, turpis, & fœda dormitio, quantum dedecoris, & criminis confitetur?* Sanctus Carolus Borromæus Mediolanensis Antistes in libello, cui titulus, *Monita ad Populum anno* 1577. seuerè prohibet, ne in eodem lecto fratres, ac sorores iaceant, neque cum parentibus coniugatus nedum in communi thoro, imò neq; in eodem cubiculo dormiant.

QVÆSTIO XXI.

Aliud corollarium de Gallorum osculis.

SVMMARIVM.

Humanissimi Galli honori ducunt suam vxorem osculari. num.1.
Suauia venenata, si voluptuosa. num.2.
Antiquus gentium mos obuios quosque osculandi. num.3.
Nero vllum osculo impertiuit, nec resalutauit. num.4.
Basiorum mos apud hebreos. num.5.
Sacra oscula olim ante Eucharistiam, & orationem. num.6.
Olim fideles se se obuiantes osculabantur. num.7.
Viri viros, fœminæ fœminas ante Eucharistiam osculabantur. num.8.
Apud Romanos licebat obuias mulieres osculari. num.9.
Quantum in osculo sit periculi. num.10.
Egregij earum nationum mores, quibus nec mulierum aspectus viris patet. num.11.
Apud Iudæos, apud Romanos, Arabes, Thraces, ac Turcas. num.12.
Turcæ cynedorum gregibus infames. num.13.
De antiquis Græcis. num.14.
Græcæ virgines hodie velatæ, matres familias aperto ore. num.15.
Contrario vsu, ac Laconum. num.16.
Exordientis Ecclesiæ osculorum vsu sublatus. num.17.
Gallorum candor singularis, & pudicitiæ decus. num.18.

1 NOti *sunt* (inquit Pierius *lib.22. Hieroglyph.*) *humanissimi Gallorum omnium mores, qui passim oscula tanto studio colunt, vt honori sibi ducant, quod adueniens hospes vxorem, sorores, filias, etiamnum virgines osculo adhibito salutauerit, & in amplexum acceperit, & in gremium sibi assidere iusserit*; ita Pierius. At suauia hæc si ex voluptuosa mente prodeant, in suauia, virulenta, lethalia, quis dubitet? sic Theocritus. *Labra veneno tota tument, atque ipsa malum sunt labra venenum*. Quantum in hisce basijs periculi lateat, aperit Athenagoras *oratione pro Christianis apud Iustinum Martyrem*, vbi sic scribit: *Accuratè temperare osculum, seu potius adorationem salutationis oportet, vt si quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vos vita proscribat Verbum*; sed rem altiùs exordiar.

3 Antiquissimus fuit gentium mos obuiantes sese osculari viri viros, fœminæ fœminas, hæc eius amicitiæ tessera, pignus amoris, teste Xenophonte *lib.1. Pediæ Cyri*. Herodoto *in Clio*, Suetonio *in Tiberio cap.34. Qui frustrà per molestam consuetudinem lege prohibuit, vetita enim magis inualuit*. Idem Suetonius *in Nerone, cap.37.* feram illam beluam sugillans, ait: *Certè neque adueniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem*, Martialis *lib.7. epigram.94. ad Linum.*

Bruma est, & riget horridus December:
Andes tu tamen osculo niuali
Omnes obuios, hinc, & hinc tenere,
Et totam line basiare Romam.

Et lib.11. Epigram.99. ad Bassum

Effugere non est Basse basiatores
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt.
Et hinc, & illinc, vsquequaque, quacumque

5 Basiorum mos viguit, & apud Iudæos, vt innumeris bibliorum testimonijs, probat Maldonatus *in Matt. cap.26. vers.48. & in Lucam cap.7. vers.45.* ac Serarius *in Ruth. cap.1. quæstiunc.21.*

6 Sub Catholicæ Ecclesiæ exordijs sacra fuere oscula, ante Eucharistiam, ante orationem, dicente Apostolo: *Salutate inuicem in osculo Sancto Roman.16. 1.Corint.16. 2.Cor.13. Tessal. cap.5.* testes sunt locupletissimi Clemens Romanus *lib.2. Apostol. const. cap.57.* Ignatius Martyr *epist.7. ad Tarsenses, & epist.12. ad Antiochenos* Dionys. Areopagita *de Hierarchia Ecclesiastica titul. Mysterium communionis*. Tertull. *lib. de oratione cap.12.* Origenes *in cap.16. ad Romanos*. August. *serm.83. de diuers.* Vide Baronium *ad annum* 45. Gabrielem Albaspinum *de veteribus Ecclesiæ ritibus lib.1. cap.17.*

7 At nedùm in sacris mysterijs sancta oscula, sed sese inuicem obuiantes fideles in castos amplexus, atque oscula ruere solitos, colligitur ex Optato Mileuitano *lib.4. in initio*, vbi reprehendit quosdam hæreticos; *Quod etiam in perfunctoria salutatione oscula solita denegarent*; & S. Io. Chrysost. *hom.30. in 2. ad Corint.* in illa verba: *Salutate inuicem in osculo Sancto*, ait, *ex peregrinatione aliqua redeuntes mutuò nos osculamur, animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus*, & ex Susannæ actis ostendit Baronius *tomo 2. ad annum* 294. *num.10.*

8 At nascentis Ecclesiæ oscula sancta, pura, & impolluta fuere, sancita enim lex erat in Clemente Romano *lib.2. Const. cap.57. vt viri viros, & fœminæ fœminas, cùm ad Eucharistiam accedant osculentur*. Eadem præscripta lex Monachis *in Canone Monachi.104. de consecrat. dist. 4. Monachi sibi Compatres, Commatresuè non faciant, nec osculentur fœminas.*

Apud Gentes tamen mox fuit, vt obuias quasque mulieres osculo exciperent, Plinius *lib.14. Non licebat*, inquit, *vinum fœminis Romæ bibere, Cato idcircò propinquos fœminis osculum dare scripsit, vt scirent an temetum olerent: hoc tunc vino nomen erat: vnde & temulentia appellata*; ita Plinius. Et Plutarchus *in Problemat. & de claris mulierib. cap.1. Romani*, inquit, *cognatas mulieres*

oris

oris osculo, salutare consueuerunt. Pierius *lib.22. Hiero-*
9 *glyph. de columba fol.158.* sic scribit: *Apud Romanos*
olim licebat obuias quasque mulieres excipere osculo. Apud
Lacedamonios oscula non concessa modo, sed instituti ludi
propositaque pramia ijs, qui seniores Lepidius suauiarent:
Nisaorum id inuentum, & à Megarensibus etiam obser-
uatum. Nam & illa Romanorum exosculationes, vt fæ-
mineo generi honos haberetur. Hæc Pierius. Sed Anglo-
rum mulieres non cognatos modo vt Romanæ, sed
quoscumque generatim osculo tantùm salutant; sic scri-
bit Polydorus Virgilius *de Inuentoribus rerum lib.4.c.13.*
10. Sed quantum pudori hisce suauijs pateretur periculi, au-
di Tertullianum *lib. de velandis virginibus*, vbi sic virgi-
nem suadet: *Dum digitis demonstrantium titillatur, dum*
inter amplexus, & oscula incalescit, frons obduratur, pu-
dor teritur. Sed enim vera, & pura virginitas confugit ad
velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, quo
bonum suum protegat aduersus ictus osculorum. Hæc Ter-
tull. verè Ambros. *de fuga seculi cap.1. Os libauit, & cri-*
men retulit, idem *lib.2. in Lucam. Trepidare*, inquit, *vir-*
ginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri
11 *affatus vereri.* Quàm egregij illarum nationum mores,
quibus nec mulierum aspectus viris patet.
12 De Iudæis Tertull. *lib. de corona militis cap.4. Apud*
Iudaos, inquit, *tam solemne est fæminis eorum vela-*
men capitis, vt inde noscantur.
De Romanis Valerius Maximus *lib.6. cap.3. Sulpitius*
Gallus vxorem dimisit, quod eam capite aperto foris ver-
satam cognouerat. Tacitus *lib.14. de Poppea Sabina. Ra-*
ri in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satia-
ret aspectum. De Arabibus Tertull. *de velandis virginib.*
cap.17. Iudicabunt nos Arabia fæmina ethnica, qua non
caput tantùm, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno
oculo liberato, contenta sint, dimidia frui luce, quàm to-
tam faciem prostituere. De Thracibus, ac cunctis Ma-
chometanæ superstitionis cultoribus, ipse sum oculatus
testis, nam quinquennio Bizantij commoratus, nec vel
vnam ex facie noui, solis oculis patentibus, & faciem,
& manus contegunt, quinimmò extra domesticos lares,
aurum, sericumvè eis interdictum, intra parietes, vt soli
13 viro placeant, auro, gemmisque fulgent: sanè quàm fœ-
minarum modestia commendabiles, tam cynedorum
14 gregibus infames. De antiquis Græcis Apuleius *de asi-*
no aureo, lib.11. mulieres candido splendentes amicimine.
15 Ipse verò Græcorum matres familias aperto ore, virgi-
nes verò, & innuptas, turcico more, velatas conspe-
xi; meliore, quidem vsu, quàm lacenis mulieribus fue-
16 rit, de quibus Plutarchus *in Apoph. Laconum in Carillo.*
Virgines, inquit, *aperta facie, viris iuncta mulieres velatas*
prodire solitas.
17 Sed ad consuetudinem exordientis Ecclesiæ redea-
mus, non diu tenuit ille in templis basiorum vsum, su-
beunte per osculum flagitio, quo animi polluebantur,
hinc Patrum graues querelæ, hinc ea consuetudo meri-
tò abolita, lege S. Augustinum *in Psalm.30. Quis est*, in-
quit, *qui non irascatur, videns fratres insidiantes fratribus,*
fidem non reseruantes osculo, quod insignunt Sacramentis
Dei, & lib. de amicitia, cap.6. tom.4. Ipsum osculum tanta
turpitudine fœdant, vt sic osculari nihil aliud sit quàm adul-
terari. Vndè teste Tertull. *de orat. cap. vlt. Prasides Re-*
ligionis Hierarcha ne impiorum hominum nequitia, macu-
la rebus Sanctis aspergeretur, sensim eum ritum sustulerunt.
Sed audiamus Eminentissimum Baronium *ad annum 45.*
sic scribentem: *Nec verò quis putet hac ita promiscuè tunc*
agi solita esse, vt viri fæminas, & fæmina viros sic indi-
stinctè se mutuò, impartito osculo salutarent. Nam (vt suo
loco dicemus) in Ecclesia seorsum viros à mulieribus agere
consueuisse, certissimum est. At quoniam ea nihilominus
adhibita cautela, adhuc inter se inuicem osculantes, siue vi-
ros, siue fæminas fraus aliqua, arte diaboli, aliquando irre-
psisse videretur; in nõnullis Ecclesijs sacram osculandi tabel-
lam, mutauit vsus, & quidem laudabilis. Non enim recen-
ter in mutuis illis osculis per se sanctis aliquando se immi-
scuit turpitudo. Hæc ille.
Iam verò ad Gallorum basia reuertamur, de his Lu-
douicus Cresollius Mystagogi *lib.4. c.6. sect.2. in fine*, sic
scribit: *Iam de mulierum osculis vniuersa propè nationes,*
velut in publico orbis terra Senatu, dixere sententiam, &
promiscua improbarunt (deinde post pauca sic subdit)
18 *Galli verò, apud quos semper candor singularis, & pudici-*
tia decus, in flore suo, & pratio fuerunt, osculorum illas in-
sidias minus sibi timendas putant, cum salutationis causa
fiunt. Nam etiamnum viget ea consuetudo, vt viri nobiles,
cum se inuisunt, aut peregrè veniunt omnes, qui domi sunt
nuptas, innuptas basio consalutant. Ita Cresollius. Quid
19 Ego sentiam verbo dicam: Gaudeo in Adam solos Gal-
los non peccasse.

De vario osculorum genere lege si libet Lipsium *lib.2. electorum, c.6.* Alex. *lib.2. genial. c.19.* Gellium *lib.1. c.23.* Petrum Gregor. *Syntagm. Iuris lib.8. c.8. & lib.36. c.12.* Bullingerum de Imperatore Romano *lib.2. cap.15.* Ludouicum Cresollium *Mystagogi, lib.4. c.6. sect.2.* Muretum *lib.10. variar. cap.1.* Pyteum *1. aduersar. cap.7.* Marcellum Donatum *in Scholijs ad latinos Historicos, ad c.34. Suetonium in Tiberio.* Pererium *in c.29. Genes. disp.1.* Iustinianum *in 2. Corint. cap.13.* Ludouicum Dorleans *ad lib.11. Taciti.* Pinedam *in Iob cap.31. vers.27.* Salazar *in prouerb. cap.5. vers.4.* Sanctium, Sotomaior, & Sherlogum *in cap. primum Cantic. vers. primò.*

QVÆSTIO XXII.

Quando mulier possit permittere se tangi, aut osculari?

SVMMARIVM.

Prima conclusio, potest si ex genere sit honesta. num.1.
Secunda conclusio tenetur euitare, si certa sit de praua intentione, si potest, absque scandalo. num.2.
Tertia conclusio non tenetur, si dubitat de praua intentione. num.3.
Quarta conclusio tenetur euitare oscula inhonesta. num.4.
An tactus pudendorum excusetur aliquando à mortali. n.5.

1 Dico primò, si tactus, & oscula ex suo genere honesta sint, vt ex amicitia, aut patriæ more, ea permittere non est peccatum mortale, quamuis in vtroque adsit sensibilis delectatio, imò quandoque nullum omninò peccatum. Syluest. *V. delectatio, num.7.* Rosella, *V. cogitatio morosa*, Comitolus *lib.4. quæst.20. num.4.*
2 Dico secundò, si tactus, & oscula, ex suo genere honesta sint, sed mulier certa sit de venerea intentione tangentis, tunc non tenetur coram alijs, & cum scandalo, aut graui incommodo se retrahere, est enim scanda-

lum

lum datum non acceptum, ita Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.*4. *in fine.* Leſſius *lib.*4. *cap.* 3. *num.*64. Si verò poſſit ſine ſcandalo ea euitare, tunc peccat contra charitatem non ſe retrahens, tenetur enim cauere peccatum proximi cùm commodè poteſt, non autem tunc peccaret contra caſtitatem, nam tactus, & oſcula illa ex ſe honeſta ſunt Sylueſt. Roſella, Leſſius, & Comitolus vbi ſuprà. Filliuccius *tract.*30. *cap.*9. *numer.*197. Villalobos *tom.*2. *tract.*40. *diffic.*9. *num.*9. Ledeſma *in Summa parte* 2. *tract.*27. *cap.*9. *poſt* 3. *concluſ.*

3 Dico tertiò, ſi oſcula ex ſe honeſta ſint, & mulier dubitat de recta, vel turpi intentione oſculantis, poteſt ea admittere, non enim debet proximum de libidine indicare, ita Syluest. *V. delectatio num.*5. Comitolus *lib.*4. *quæſt.*21. *num.* 2. Filliucc. *tract.*30. *cap.*9. *num.*192.

4 Dico quartò, ſi tactus, aut oſcula per ſe ſpectatis circumſtantijs inhoneſta ſint, tenetur ſub mortali reſpuere, atque ſi aliter nequeat tenetur clamare, & omnimodè reſiſtere, niſi inſtaret grauiſſimum malum, niſi ea patiatur, vt mortis, infamiæ, amiſſionis bonorum. Leſſius *lib.*4. *cap.*3. *nu.*64. Caietan. 2.2. *quæſt.*154. *art.*4. *in fine.*

5 Huiuſmodi cenſetur tactus pudendorum, præſertim inter perſonas diuerſi ſexus, qui nequeunt à mortali excuſari. Ita S. Antoninus *par.*2. *tit.*5. *cap.*1. §. 9. his verbis: *Permittere ſe tangi in membris genitalibus, niſi ſint coniuges, vel niſi ſubſit cauſa infirmitatis, & huiuſmodi; credo non poſſe excuſari à mortali, cum iſtud non fiat communiter, niſi ex amore libidinoſo, & credere quod hoc fiat pura intentione; eſt fatuitas.* Ita S. Antoninus, Syluest. *V. delectatio num.*7. Nauar. *cap.*16. *nu.*13. Caietanus 2.2. *quæſt.*154. *art.*4. *in fine.* Villalobos *tom.*2. *tract.*30. *diffic.* 9. *num.*9.

Verùm inter perſonas eiuſdem ſexus leuiſſimus tactus, & in tranſitu, excuſari poſſet à mortali, ſi fiat ex ioco, aut curioſitate, Sanchez *de matrim. lib.*9. *diſp.*46. *num.*22. Comitolus *lib.*4. *quæſt.*20, *num.*1.

QVÆSTIO XXIII.

An venerea delectatio ex oſculis lethalis ſit in ſponſis de futuro.

SVMMARIVM.

*Prima ſententia negatiua. num.*1.
*Secunda ſententia affirmat eſſe mortale. num.*2.
*Venerei tactus inter ſponſos non excuſantur à mortali. nu.*3.
*In ſponſis mortalis eſt delectatio de futura copula. num.*4.

1 NEgant communiter Theologi eam aſſerentes venialem, ita primus aſſertor huius opinionis Caietanus *in Sum. Verbo ſponſalia,* & 2. 2. *quæſt.* 154. *art.*4. *in reſponſ. ad ſecundum in fine,* vbi ſic ſcribit: *Videtur, quòd ſicut ſponſalitium inchoatio quædam eſt coniugij: ita huiuſmodi actus inchoatio quædam eſt carnalis copulæ, & quemadmodum conceſſum eſt vt inter ſponſalia ſuſpirent ſe inuicem, iuxta illud Auguſtini: Ne vilem habeat maritus oblatam, quam non ſuſpirauit ſponſus dilatam, ita videntur conceſſa huiuſmodi oſcula inter eoſdem, ſecundum indulgentiam tamen, quia venialia conceduntur. Et niſi vt huiuſmodi inchoationes permiſſæ venialiter in ordine ad promiſſas nuptias excuſentur, neſcio excuſare ſponſorum de futuro, propter delectationem, oſcula, & amplexus.* Hæc Caietan. ante quem inquit, Rebellus mox citandus, *Nullus ex Patribus, vel Scholaſticis Doctoribus proferetur, qui à peccato mortifero oſcula, & tactus ex venerea delectatione captatos excuſet.* At Caietani ſententiam, & fundamentum apertè indicat Tertullianus *lib. de velandis virginibus, cap.*11. vbi ſic ſcribit: *Si congreſſio viri mulierem facit, non tegantur, niſi poſt ipſam nuptiarum paſſionem: at quia etiam apud ethnicos velatæ ad virum ducuntur: ſi autem ad deſponſationem velantur, quia & corpore & ſpiritu, maſculo mixtæ ſunt, per oſculum, & dexteras, per quæ primùm reſignarunt pudorem ſpiritu.* Expende *corpore, & ſpiritu, maſculo mixtę ſunt per oſculum, & dexteras, per quæ primum reſignarunt pudorem ſpiritu.* Expende *corpore, & ſpiritu, maſculo mixtę ſunt per oſculum, & dexteras,* his verbis venerea voluptate oſculo, & dexteris, corpore, & ſpiritu miſceri aſſerit. Eodem ſenſu Zonaras *ad Canon.*93. *Concilij Trullenſ.* tradit, *quod ſi oſculum addidiſſent, qui ſponſalia contrahebant adulteram habitam, quæ ante nuptias ad virum diuertiſſet.* Sed quicquid ſit de iſtorum mente, certè Caietani opinionem ſequuti ſunt communiter, poſt ipſum Doctores, ita Sanchez *de matrim. lib.* 5. *num.*38. & *lib.*9. *diſp.*46. *num.*48. Nauar. *c.*14. *num.*18. & *c.*16. *num.*12. Leſſius *lib.*4. *cap.*3. *num.*58. & 59. Toletus *lib.*5. *c.*14. Valentia 2.2. *diſp.*9. *quæſt.*3. *punct.*3. *ad finem,* Sà *V. luxuria, num.*14. Sayrus *lib.*8. *cap.*6. *num.*1. & *cap.*7. *numer.*32. Hurtadus de Mendoza *tom.*2. *in* 2.2. *diſp.*173. *ſect.*25. §.306. Armilla, Medina, Lopez, Lucius, Petrus, & Bartholomęus Ledeſma, Aretinus, Menochius, Veracruz, & Philiarcus, quos citat, & ſequitur Salas 1. 2. *quæſt.*74. *tract.*13. *diſp.*6. *ſect.*26. *num.*174. Bonacina, Reginaldus, Molfeſius, Granado, Graffius, Ochagauia, Syluius, & Villalobos, quos ſequitur Diana *par.*4. *trac.*4. *reſol.*131. Auerſa *de matrim. quæſt.*21. *ſect.*8. *in fine.* Ledeſma *cap.*3. *de matrim.* Io. de la Cruz *in* 6. *præcept. Decal. art.*1. *num.*4.

2 Contrarium tamen videtur probabilius, nempè non excuſari à peccato mortali tactus, & oſcula propter delectationem veneream in ſponſis de futuro, ita docuerunt Rebellus *par.*2. *lib.*3. *quæſt.*19. *ſect.*2. Gaſpar Hurtadus *de matrim. diſp.*10. *diffic.*10. *num.*48. Comitolus *reſponſ. lib.*4. *quæſt.*20. *num.*4. Fernandez *in exam. Theol. par.*4. *cap.*2. §.4. *num.*4. & *p.* 3. *c.*21. §.1. *num.*11. Rodriquez *in Sum. tom.*3. *cap.*102. *num.*1. Pedraza *in Sum. præcepto* 6. §. 5. *Paludan. in* 4. *diſt.*31. *quæſt.*3. *num.*17. *Supplementum, quæſt.*3. *art. vnien, dub.*2. Sotus *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt.*1. *art.*2. *ad finem verſ. ex quo fit.* Angles *quæſt.*8. *de matrim. quę eſt de impedimentis, art.* 5. *dub.*9. *concl.*1. Coradus *in Summa, quæſt.*143. Io. Franc. Suarez *in Enchiridio caſuum conſcientię lib.*7. *verbo luxuria,* §. *oſculum.*

Probatur primò ex generali regula, quia quæcumque venerea delectatio excludit à Regno Dei, teſtante Apoſtolo *ad Ephes.*5. *Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei*: vbi ex Lyrano; *Omnem immunditiam Apoſtolus damnat, vt includeret omnia ad vitium luxurię pertinentia*: Sed inchoatio matrimonij per ſponſalia de futuro non eſt ſufficiens fundamentum excludendi ab hac regula ſponſos, quoad veneream delectationem oſculorum, ſponſi enim de futuro verè ſoluti ſunt; Ergo.

3 Secundò, quia ſi inchoatio matrimonij cohoneſtat oſcula venerea, ergo etiam cohoneſtat venereos tactus

puden-

pudendorum, quod negant omnes, præsertim Caietanus, Sanchez, Lopez, Graffius, Bartholomæus, & Petrus Ledesma, Sayrus, & Nauarrus, quos citat, & sequitur Salas, *par.2.q.74.tr.13.dis.6.sect.26.nu.176.* Neq; refert turpes tactus magis proximè disponere ad copulam, nã per aduersarios inchoatio Matrimonij, cohonestat inchoationem copulæ: at inchoatio copulæ, ne dũ ex venereis osculis, sed etiam ex tactibus turpibus habetur: Ergo, &c.

4 Tertiò, quia in sponsis delectatio ex cogitata copula futura, lethalis est, quia ea cogitatio commouet spiritus generationi subseruientes, vndè est quædam copulæ inchoatio, ita Corduba, Vasquez, & alij, quos sequitur Sãch. *l.9.dis.47.n.4.* Sed etiam venereum osculum cõmouet spiritus generationi subseruientes, & est quædã copulæ inchoatio: ergo vtraq; venerea delectatio mortalis est.

Quartò, quia vt rectè docet Rebellus, ratio peccati non ex fine tantùm operantis, sed ex fine ipsius operis pensatur, vt qui percutiendo alterum, non intenderet occidere, sed tantùm spoliare, duplicem deformitatem nihilominus committeret, rapinæ vnam alteram, quæ ex sua natura ad homicidium pertineret, ad quod percussio suaptè natura refertur: sed venereum osculum per se ordinatur ad copulam, veluti ex fine operis; ergo illicitum est sponsis, sicuti illicita est copula.

Quintò, quia inchoatio contractus (vt rectè ait Hurtadus, ac Rebellus) non sufficit ad excusandum vsum rei, de qua est contractus, quamuis solùm inchoatum, & imperfectum: quia quousq; contractus est perfectus, non traditur dominium rei, qui autem nondum est dominus rei, nullatenus potest adhuc imperfectè ea vti, vtpotè adhuc aliena, quamuis sibi promissa: ergo inchoatio matrimonij per sponsalia non sufficit ad excusandum eius vsum per venerea oscula.

Sextò sponsalia sunt remota dispositio ad licitam copulam, nam proxima dispositio ad licitam copulam est matrimonium: Sed venerea delectatio, qua commouentur spiritus, & descendit substantia seminis, (vt ait Galenus *lib.14.de vsu partium, c.9.& 10.*) est proxima dispositio ad copulam: ergo solùm matrimonium, non autem sponsalia apta sunt veneream delectationẽ cohonestare.

QVÆSTIO XXIV.

Quanta sit obligatio prohibendi distillationem?

SVMMARIVM.

Prima conclusio quid sit distillatio. num.1.

Secunda conclusio procuratio, aut complacentia de distillatione est mortale peccatum. num.2.

In coniugibus non est mortale. num.3.

Tertia conclusio mortale est, non remouere causam per se influentem in distillationem. num.4.

Quarta conclusio veniale est non remouere causam per accidens influentem in distillationem, seu quæ non est mortalis in genere luxuriæ, si absit delectatio venerea. nu.5.

Curiosa turpium lectio, etiam cum graui libidinis motu, est tantùm veniale peccatum. num.6.

Quinta conclusio de distillatione, quæ accidit sine voluptate, etiam si sit cum aliquo turpi motu, non est magis, quàm de sudore curandum. num.7.

1 DIco primò, distillatio est non veri seminis, sed serosi cuiusdam humoris effusio, cum leui quadam pudendi commotione, vel sine ea, distillationem vocant Medici saliualem humiditatem, ita Auicenna *lib.3. fen. 20. tractat.1. cap. 30.* his verbis. *Quando membra spermatis mouentur ad operationem suam motu debili, tunc ea emittunt humiditatem saliualem, nam si motu forti mouerentur, tunc descenderet sperma*, ita Auicenna & Galenus, *lib.14. de vsu partium cap.9.* & Antonius Ponce Sanctacruz *in Hippocratica Philosophia tex.81.* vbi docet: *non omnem irritationem veneream ex semine, sed ex humore quodam seroso, acri, & mordaci præcipuè, excitari.* Ex Theologis S. Thomas *opusc.64. cap. de fluxu libidinis*, inde probat distillationem longè differre à pollutione, quia distillatio sæpè contingit in vigilia sine carnis commotione, & sine venerea delectatione, quod in pollutione non accidit: Disertè de eadem agit Io. Gerson *p.2. operum tract. de pollutione diurna in 1.notab. fol.mihi 483.* vbi sic scribit: *A corpore humano defluit multiplex humor per membra generationi deputata. Vnus est verè seminalis, alius verè vrinalis, alius quodammodo medius, qui potest appellari saliualis, vel sputalis, alius additur humor (præsertim in mulieribus) qui nominatur menstrualis, & huic similis quandoque masculo accidit ex infirmitate. Porrò facilè, & satis cognoscere patientibus secundum, & vltimum fluxum, quando scilicet ille est verè seminalis, vel menstrualis. Habet enim suam distinctionem in colore, & liquiditate, & talibus, exeunt præterea, vt communiter sine multa delectatione in membris genitalibus, præsertim nisi coniungantur alia causa delectationis. Caterùm humor propriè seminalis, & humor ille medius non ita faciliter secernuntur, propter similitudinem in albedine, & viscositate, seu tenacitate, & quadam spissitudine. Habent nihilominus distinctas proprietates, & diuersos ortus, & meatus, vnde defluunt.* Et infrà: *Humor ille medius fit ex quadam superfluitate alimenti, ne dum in quantitate, sed etiam in qualitate, quia scilicet ineptus est nutritioni, ineptus similiter generationi, velut in saliua videmus, & alijs superfluitatibus defluentibus à cerebro, tam per os, quàm per nares, istis parum, & rarius, & alijs abundantius, & crebrius. Immiscet autem se talis humor medius aliquando cum vrinatione, aliquando per se defluit sine cogitatione, & sensu; quandoque verò fit cum delectatione, & pruritu quodam, plusquam in vrina, quæ tamen vrina quandoque cum inordinatione quadam exit. Puto etiam nihilominus, quod vix, aut nunquam causat iste fluxus humoris medij talem motum delectationis, & concussionis, quasi totius corporis, specialiter in pudendis; nec ita perstringit, aut obnubilat in suo exitu indicium rationis, sicuti euenit in humore verè seminali, quoniam, & ille humor seminalis magis digestus est, & ad causationem libidinosæ delectationis, nisi per frigidationem, aut aliundè corruptus sit, proportionaliter inuenitur. Habet insuper humor iste medius, quod ex leuioribus causis, ac maiori facilitate mouetur ad exitum, quàm seminalis præsertim in mulieribus, adeò quod ex leuissimo motu corporis de loco ad locum, vel inclinatione, absque aliqua cogitatione, & absq; sensu proueniat. Ex effectu verò percipitur, per sordidationẽ quamdam viscosam in carne sua, vel in pannis. Euenit autẽ facilius, & non sine aliquo sensu concomitante, vel prauo, dum personam dilectam, siue pulchram, siue turpem, siue iuuenem, siue senem, siue secularem, siue religiosam, & quandoque deuotam aspiciunt, aut tangunt, aut ei arrident, aut cõfabulantur, aut iocantur, aut etiam vbi nihil de opere carnali volunt, aut putant, nedum dicam peragere, sed nec cogitare.* Hæc Gerson.

17 Hinc benè docet Vasquez 1.2. *disp*. 108. *cap*. 3. vt quis relinquat aliquid opus bonum, vt confessionem, & studium, omni culpa etiam veniali vacat, si sentiat in se turpes motus, alioquin vix possemus bonis operibus erga fratres nos exercere sine veniali. Potest etiam coniux ob morbi periculum se retrahere ab actu coniugali, quamuis ob naturæ incitationem putetur sequutura pollutio Præpositus 1. 2. *quæst*. 74. *art*. 10. *dub*. 1.

Imò Diana, *par*. 6. *tract*. 6. *resol*. 37. excusat coniuges à peccato, si in signum amoris coniugalis, se amplectantur; quamuis præuideatur sequutura pollutio,
18 quia affectus coniugalis est sufficiens causa talem actum exercendi; id tamen ego non admitterem, nisi aliqualis necessitas, vel vtilitas adsit huiusmodi amplexus, qualis esset vt foueatur amor inter coniuges, aut ne videatur austerus, ita Sanchez *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *num*. 38.

19 Sic ab omni peccato excusatur Chirurgus incidens in pollutionem, ex tactu verendorum mulieris, etiam si sit alius, qui mederi posset, Lessius, *lib*. 4. *cap*. 3. *nu*. 48. Vasquez 1. 2. *disp*. 115. *num*. 9. Io. de la Cruz *in directorio præcepto* 6. *dub*. 9.

20 Qui nequit sine incommodo pedester incedere, potest equitare, quamuis præuideat pollutionem, neque tunc venialiter peccat Sanchez *de Matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *num*.
21 8. Diana *par*. 3. *tract*. 5. *res*. 22. Neque ob instantem pollutionem, cum inurbanitatis nota, tenetur quis abstinere à choreis, aut mulieris honestis osculis, ex patriæ more, Sanchez, Bonacina, & Diana *vbi suprà*. Filliuccius, *to*. 2. *tract*. 30. *c*. 8. *nu*. 150. Villalob. *to*. 2. *tract*. 40. *diff*. 16. *nu*. 5.

22 Sic ad sedandum pruritum potest refricare verenda, absque tamen periculo consensus, Sanchez, Filliucc. Reginaldus, Bonac. & alij, quos sequitur Io. Sanchez *disp*. 21. *num*. 30. qui tamen non rectè ait, id licere cum periculo consensus, etenim non videtur hæc tam grauis causa, ex qua tam euidenti periculo, quis se exponat.

23 Scholasticus tenetur sub veniali, nisi rationabilis causa excuset, intermittere curiosum studium artis medicæ, vel anatomiæ, pro eo tempore, quo experitur se pollui, aut grauem libidinis motum Sanch. *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *nu*. 19. *&* 22. Lessius *lib*. 4. *c*. 3. *nu*. 118. Pesantius 1. 2. *quæst*. 74. *art*. 10. *disp*. 5. *in fine*, quicquid dicat Io. Sanchez *disp*. 21. *num*. 10. Ratio est, quia suppono posse illud studium commodè differri: ergo tenetur impedire, & resistere turpi motui, aut pollutioni.

24 Tenetur quoq; quis sub veniali talem modum iacen-
25 di, v. g. supinum, euitare, sic tales cibos calidos, ex quibus expertus est sæpè nocturnam pollutionem, si id sine incommodo potest, ita Sotus *in* 4. *dist*. 12. *qu*. 1. *art*. 7. *circa medium*. Vasquez 1. 2. *disp*. 115. *c*. 3. *num*. 9. Sanchez *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *nu*. 16. Sayrus *in Claui Regia lib*. 8. *c*. 5. *ante nu*. 13. Toletus *lib*. 5. *c*. 13. *nu*. 6. Curiel 1. 2. *qu*. 74. *art*. 8. *dub*. 2. §. 3. Vndè perperam docuit Io. Sanchez *in selectis disp*. 21. *num*. 12. nullum esse peccatum ita iacere, aut talia comedere, quamuis sine vllo incommodo posset abstinere; *Nam*, inquit, *Nec Medici assignare possunt illum vel alium cubandi modum esse per se causam influentem in pollutionem, si enim per se influeret, numquam taliter dormienti deficeret pollutio*. Respondetur enim, quòd ex supina diuturna dormitione calefiunt renes, vnde liquatur semen, & fluit, ita docet Galenus *lib*. 6. *de locis affectis c. vltimo*, *& de causis symptomatũ lib. vltimo c*. 4. & Auicenna *lib*. 3. *fen*. 20. *tra*. 1. *c*. 2. meritò dixit Horatius.

Nocturnam vestem maculat, ventremque supinum.

Ratio autem cur aliquando non sequatur pollutio, est ob accidentale aliquod impedimentum, vt ex defectu spirituum vitalium, qui non gignuntur ex infirmitate, vel aliò auocati sunt, vel ob interclusam viam nequeunt permeare ad instrumenta generationis, vt docuit Sanctorellus *de natura sanitatis lib*. 20. *c*. 21.

26 Iustissima quoq; causa est, ne scrupulis crucietur, aliquas nocturnæ pollutionis causas non vitare; ita Gerson *par*. 2. *operum tract*. *de præparat*. *ad Missam consid*. 6. *fol*. *mihi* 473. vbi ait: *Patietur fortassè aliquis hæsitationes varias, dum ad comedendum, aut dormiendum accesseris, diceta; sic pollueris, si hoc, & hoc non omiseris, si tibi non præcauebis; contemnat talia necesse est, qui discrimen magis imminere circumspicit, si non parem cum alijs viuendi formam insequitur. Scrupulosis ergo contra scrupulos agendum est, & fixo operis pede certandum.* (& infra) *mille surgunt apud aliquos tales scrupuli, more canum oblatrantes, quos compescere melius, quàm per contemptum nequimus. Tantummodo sit contemptus iste timoratus, & non absque prauio alterius consilio, alioquin, timor immoderatus facit casum, aut præcipitat inconsulta præsumptio*. Ita Gerson.

27 Ex leuissimo incommodo excusarem ego eos, quibus facilis est nocturna pollutio, vnde vt testatur Io. Gerson, *par*. 2. *operum de præpar*. *ad Missam considerat*. 6. *fol*. 473. *Non omnium vna est complexionis harmonia, cognoui hominem septuagenarium secularem, & valdè crapulosum, qui numquam se pollutum fuisse dormiendo testabatur, & hoc in alijs mirabatur; alium vidi religiosum, & sobrium, qui per decennium, & amplius ferè quotidiana hac passione vexatur*. Hæc Cancellarius.

28 Ex his quoque sequitur posse medicinam adhiberi ad remouendos humores corruptos, etiam si per accidens sequatur pollutio. Sanchez *de matrimonio lib*. 9. *disp*. 45. *nu*. 10. Turrianus *in selectis dis*. 102. *Censura Theolog*. *dub*. 74. Diana *par*. 4. *tract*. 4. *res*. 159. Filliuccius, *to*. 2. *tract*. 30. *num*. 149. Imò puto posse sumi medicinam, quæ non tendat ad eijciendum semen per pudenda (hoc enim esset procurare per se pollutionem) sed corrumpat, & resoluat semen in sanguinem, aut sudorem, Sanchez *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 17. *nu*. 16. Præpositus 1. 2. *qu*. 74. *art*. 10. *dub*. 1. contra Dianam *par*. 6. *tract*. 6. *resol*. 37. Ratio est, quia resolutio seminis non est pollutio: sola autem pollutio est contra bonum generationis, ideò enim natura illam inhibuit, ne eius delectatione contenti homines, nõ curarent de copula, & sic de generatione: Et hæc est ratio cur tanta, & tam stricta sit prohibitio pollutionis.

Vt autem quis teneatur saltem sub veniali remouere causam nocturnæ pollutionis, debet habere moralẽ certitudinem eam sequuturam, alioquin si dubitet non te-
29 netur; vt quia quamuis sæpè illam expertus sit sequutam, sæpè quoque comperit non euenisse, ita ex Toleto, & Syluestro docet Filliuccius *vbi suprà*, *num*. 56.

30 Dico octauò, quando aliquid de se licitum est, neq; est causa, seu non inducit periculum pollutionis, sed tantùm distillationis, aut erectionis penis sine vlla prorsus imaginatione, aut delectatione venerea, nullum omninò peccatum est eam causam non tollere, quamuis nullum incommodum esset eam remouere. Ita de distillatione, quando hæc accidit sine voluptate venerea, docent communiter Doctores dicentes, tunc non magis de ipsa curandum, quàm de sudore, ita Caietan. *to*. 1. *opusc*. 22. *art*. 2. §. *aduerte tamen*. Sanch. *de matrim*. *lib*. 9. *disp*. 45. *n*. 2. Laym. *lib*. 3. *sect*. 4. *num*. 18. Regin. *lib*. 22. *cap*. 3. *num*. 43.

De erectione, quæ contingit ſine voluptate, & ſine vlla imaginatione venerea, de ea non curandum, docet Io. Sanchez *diſp.*31. *num.*18. qui rectè ſcribit: hanc ere-
31 ctionem ſine vlla voluptate plerumque euenire ex vrinæ retentione, quod non ſolùm experientia, ſed etiam Philoſophi, ac Medici docent, ita Ariſt.4.*probl.*33. Leonius *tract. de arte medendi ſect.*3. *lib.*6, *cap.*3. Sanctorellus *tractat. de natura ſanitatis lib.*30. *cap.*20. & plerumque motus ille videtur venereus, & non eſt, quod patet, quia eiecta retenta vrina ſedatur, nam flatus, qui ex vrina retenta, magna copia, genitus erat, & titillabat, cum vrina vna foras extruditur. Præterea ſæpè erectionem contingere naturaliter, ſine vlla venerea delectatione. Probatur, nam erectio fit ex flatibus, & ſpiritibus in ſpongioſam penis ſubſtantiam concurrentibus, vt tradunt Ariſt. *ſect.* 30. *probl.* 1. Galenus *lib.6. de locis affectis cap.5. & lib.15. de vſu partium cap.*2. Auicenna *lib.*3. *fen.*20. *tract.*1. *cap.*2. Denique fit quandoque erectio, non ſolùm ſine venerea delectatione, imò cum partium verendarum dolore, vt contingit priapiſmo laborantibus, vt ſcribunt Aetius *lib.*11. *cap.*31. Galenus *lib.6. de locis affectis cap.6*. Auicenna *lib.*3. *fen.*20. *tract.*1. *cap.* 37. Dominicus Leonius *tract. de arte medendi ſect.*3. *lib.6. cap.*4. Ergo tunc non magis de illa, ac de laterum dolore, debet quis eſſe ſollicitus.

Itaque quando diſtillatio, aut erectio ſine voluptate, & ſine venerea delectatione contingit, nihil omninò de ea curandum eſt, & nullatenus peccat contra caſtitatem, ſi eam patiens non remoueat cauſam, Probo quia voluntas non obligatur, niſi ad reſiſtendum motibus inordinatis contra virtutem caſtitatis, ſed quando nulla eſt delectatio, neque cogitatio venerea, neque vllum pollutionis periculum, tunc motus illi erectionis, & diſtillationis non ſunt contra virtutem caſtitatis, vt patet ex doctrina S.Thomæ 2.2. *quæſt.*151. *art.*3. docentis: *Quod caſtitas velut proprium obiectum reſpicit voluptates venereas*: Ergo quando non adeſt voluptas venerea, non peccat contra caſtitatem, non curans motus erectionis, aut diſtillationis.

Aduerto autem, quòd ſi quis cum diſtillatione, aut erectione, ſentiat ſenſualem voluptatem, vt vocant ex pulchritudine obiecti viſi, aut tacti; tunc tenetur eam cauſam remouere; Nam ea delectatio plerumque venerea eſt, quamuis credatur ſolùm ſenſibilis, vel proximum affert periculum ruendi in delectationem veneream.

QVÆSTIO XXVI.

An liceat confricatione putridum ſemen eijcere?

SVMMARIVM.

*Sententia affirmans eſt improbabilis, & cenſura digna. num.*1.

*Maius damnum ex parte prolifici ſeminis effuſi, quàm bonum ex putridi excretione. num.*2.

*Confricatio eſt ex ſe mollities, quia per ſe eſt ad prolifici ſeminis excretionem. num.*3.

*Epicurus venereas voluptates improbat. num.*4.

*Morbum virginum, mente virgines, non nouerunt. num.*5.

*Medicamentum ad vitioſum ſuccum extrahendum. num.*6.

*Cur pollutio, neque ad vitandam mortem liceat? num.*7.

*Excommunicatur Medicus huiuſmodi remedia ægroto ſuadens. num.*8.

AFfirmant Sanchez *lib.9. de Matrim. cap.*17. *num.*19. & alij apud Dianam *par.*2. *tract.*16. *reſol.*54. & *par.*3. *tractat.*5. *reſol.*85. Fas eſſe confricare verenda ad expellendum ſemen corruptum, quamuis præter inten-
1 tionem ſequatur prolifici ſeminis effuſio; hæc ſententia improbabilis eſt, & cenſura digna, quam omnes reijciunt, præſertim ipſemet Sanchez, ſe retractans *lib.5. Summæ cap.6. num.*18. Rebellius *par.2. lib.3. quæſt.*19. *ſect.3. in fine* Salas 1. 2. *tomo* 2. *quæſt.*74. *tract.*13. *diſp.* 6, *ſect.*15. *num.*90. Texeda *in Theologia morali tom.*2, *lib.4. tract.1. controuerſ.*12. *num.*52. Diana *par.9. tract.* 8, *reſol.*31. *quæſt.*4. & nouiſſimè impugnat doctiſſimus Antonius Pōce Sāctacruz Catholici Regis Philippi IV. à cubiculo, & Protomedicus *de Hippocratica Philoſophia, tex.*81. *verſ. neque iſte*.

Primò, quia cum prauo humore aliquis optimus dilabi ſolet, vel commixtus, vel ſucceſſione ad id, quod vacuatur, vel nimia irritatione: At maius damnum, &
2 contra naturæ ordinem eſt, aliquid prolifici ſeminis externi; quàm bonum, quod poteſt conſequi ex putridi excretione; bonum enim ſpeciei (cui veri ſeminis excretio opponitur) præcellit bono indiuidui.

3 Secundò, quia fœdiſſima illa maſturbatoris confricatio per ſe à natura inſtituitur ad prolifici ſeminis excretionem; ergo quamuis per accidens eijciatur aliquid ſeminis corrupti, non tollitur malitia mollicici, ſicuti ſi pharmacum per ſe tendat ad abortum, quamuis cauſet matris ſanitatem, eſt intrinſecè malum.

Tertiò, licet ſemen corruptum petat ſui euacuationem, non tamen exiſtimes pudenda eſſe debitam regionem, & connaturalem expulſioni illorum humorum; ſicuti contenti humores in capite, à iecore, vel à toto corpore tranſmiſſi, vel à ventriculo eleuati, non eo pacto euacuandi, vt partem nobilem, & rectricem facultatem moleſtandam ducas, ſed melius erit mittentes partes proſpicere, vt in origine propria, & in ipſa cauſa extinguatur effectus producēdus; poſtea verò id quod factum eſt facilè diſſipes, nullo damno animæ potentijs illato; ita ad morbos ex retento, vel corrupto ſemine propellendos alia ſunt media, nam vel natura reſoluit, vel in ſomnis expellit, vel ars inedia conſumit, exercitio attenuat, balneis exhalat, alexipharmacis malitiam obtundit, purgatiunculis primam cauſæ originem exhaurit, partes intemperatas contrarijs prohibet, & reducit.

Quartò, quia vt viri doctiſſimi cenſuerunt, concubitus cum muliere non eſt neceſſarium medium ad reparandam, vel tuendam ſanitatem, & quod mirum eſt, Epi-
4 curus, qui ſummam felicitatem in voluptate collocarat, hanc tamen reſpuit in libro de principalibus ſententijs. *Nulli*, inquit, *profuit veneris vſus, rectè autem cum eo agitur, ſi non læſerit*, & Aetius *lib.6. cap.*23. *Veneris vſus*, inquit, *neque ſanitati, neque rationis functioni conuenit*; Plutarcus *lib. de præcept. ſanit.* ex Hippocrate ait: *Ad ſanitatem conferre, non ſatiari cibis, ad labores impigrum eſſe, & abſtinere à venere*. Ariſtot. *lib.1. de generat. animalium c.*18. ait: *Ex veneris vſu ſemper debilitatem oriri*; Ergo cùm ſeminis emiſſio per ſeminaria vaſa, non fit neceſſarium medium ad ſanitatem, nefas eſt maſturbatione vti ob valetudinem; neque excuſat putridam qua-

litatem

QVÆSTIO XXV.

Quando nocturna, aut diurna pollutio, vel delectatio sit voluntaria in causa? seu quando actio habeat malitiam præuisæ pollutionis, indè sequutæ, necessariò confitendam.

SVMMARIVM.

Prima conclusio tria requirũtur ad voluntariũ in causa.n.1.
Secunda cõclusio quãdo teneatur quis impedire effectũ? n.2.
Tertia conclusio vt consensus periculo, quis se exponat, magna necessitas requiritur. num.3.
Audiens Confessiones. num.4.
Chirurgus. num.5.
Equitans. num.6.
Quarta conclusio si absit periculum consensus, quæ causa sufficiat? num.7.
Quinta conclusio quãdo pollutio sit volũtaria in causa? n.8.
Verba amatoria. num.9.
Falsa est opinio Io. Sanchez, quod venerea oscula non habeant malitiam nocturnæ pollutionis præuisæ. num.10.
Quare pollutio rarò in vigilia, sæpè in somnis accidat? n.11.
An quis possit permittere cęptam in somnis pollutionẽ.n.12.
An peccet desiderans nocturnã pollutionẽ ob sanitatẽ. n.13.
Sexta conclusio quando causa pollutionis de se est veniale peccatum, est quoque veniale eam causam non remouere. num.14.
Visus, aut lectio curiosa quale peccatum? num.15.
Septima conclusio quando actio de se est indifferens, si influat in pollutionem, an peccet eam non remouens? num.16.
Quando excusatur à peccato, etiã si inde sequatur pollutio? Auditio Confessionum, studium. num.17.
Amplexus coniugalis. num.18.
Chirurgia exercitium. num.19.
Equitio. num.20.
Chorea, oscula. num.21.
Sedans pruritum. num.22.
Curiosum studium artis medicæ, aut anatomiæ. num.23.
Supina dormitio. num.24.
Esus calidorum. num.25.
Ne crucietur scrupulis. num.26.
Qui faciliter polluuntur. num.27.
Medicina ad remouendos humores corruptos. num.28.
Quid dubitat sequuturam pollutionem non tenetur remouere causam. num.29.
Octaua conclusio non peccat non remouens causam distillationis, aut erectionis, si ista sine delectatione venerea accidant. num.30.
Erectio quandoque accidit ex retentione vrinæ. num.31.

1 DIco primò, vt aliquid dicatur voluntarium in causa, seu indirectè, & interpretatiuè volitum, tria requiruntur, nempè quod sit præcognitum, quod possit impediri, & quod teneatur quis impedire, S. Thomas 1.2.*quæst.6.art.3.* vbi Caietanus, Medina, Lorca, Vasquez, & ibidem Valentia *disp.5.nu.1.*

2 Dico secundò, vt teneatur quis impedire effectum aliquem remouendo causam, prudenter cõsideranda, & inuicem conferenda est ex vna parte necessitas, aut vtilitas causæ, & an sit causa per se influens, vel per accidens in effectum; & ex altera parte consideranda est grauitas effectus v. g. consensus, cuius periculo quis exponitur, aut futuræ pollutionis; non enim cum maiori detrimento, periculo, aut scandalo teneor impedire, vt docet Io.Gers. *p. 2. operum tract. de pollutione diurna propositione* 10. Quarè maior necessitas requiritur, vt quis se exponat periculo consensus, ac si se exponat periculo pollutionis, & maior causa requiritur ad pollutionem diurnam mox instantem permittendam, quàm ad nocturnam, Io. Sanchez *in selectis, disp.21. num.9.*

3 Dico tertiò, vt quis se exponat graui periculo consensus, magna requiritur necessitas, non enim peccat, quis ex necessitate, & vrgenti causa periculo peccandi se exponit, S.Thomas 2.2.*q.10. art.9.* Caietan. *in Summ. V.periculum.* Nauarrus *cap.3.nu.15.* Sanchez *de matrim. lib.9. disp.45. nu.6. & in Sum.lib.1. c.8.nu.3.* Pontius *de matrim. lib.5. cap.35.*

4 Sic potest se exponere periculo consentiẽdi Parochus, qui ex officio audit fęminarum confessiones, expertus sæpè consentire se in pollutiones, Io. Sanchez *disp.21. nu.9.* secùs si quis audiat confessiones ex deuotione, quarum auditionem omittere potest sine scandalo, tenetur omittere, si sępè expertus est se cõsẽtire, Tol.*l.5.c.13.n.9*

5 Chirurgus deficiente alio cum periculo consensus, quem sæpè expertus est, potest medendi causa tangere verenda fęminæ, & hæc cum illo periculo se tangi permittere potest, Sanch. *de matrim.lib.9. disp.45. nu.6.* Io. Sanchéz *vbi suprà*, qui etiam docet, posse equitare, cum periculo cõsensus in pollutionem eum, qui pedester ambulare non potest, aut id suum honorem conducit.

7 Dico quartò, etiam si nullum adsit consensus periculum, maior causa requiritur ad permittẽdam delectationem veneream, quæ in mente versatur, ac ad permittendam carnis commotionem in solo corpore: maior quoq; causa ad diurnam pollutionem, quàm ad distillationem, aut carnis titillationem, vel penis erectionem; & maior ad ista, quàm ad nocturnam pollutionem permittendã.

8 Dico quintò, omissis varijs Doctorum sententijs, verior, ac receptior opinio est tunc tantum pollutionẽ diurnam, aut nocturnam esse volontariũ in causa, & contrahi mortalem malitiam molliciei, quãdo causa est per se influens, & mortale peccatum in genere luxuriæ: vndè tria requiruntur, nempè Primò, quòd sit mortale peccatum, quarè ex indeliberata delectatione venerea, non contrahitur peccatũ prçuisę pollutionis nocturnæ, vt si sequatur ex curioso aspectu fęminę, ex curiosa turpiũ lectione. Ratio est, quia ista sunt venialia peccata in genere luxuriæ, veniale autem peccatũ nequit causare mortale. Secũdò, requiritur vt peccatũ mortale in genere luxuriæ, sit verè causa influens in pollutionem, posset enim non esse causa pollutionis, v.g. si quis comedat calida eo fine, vt sit potens ad fornicandũ, non tamen immoretur in cogitatione fornicationis, tunc finis fornicationis nõ est causa pollutionis nocturnæ, sed causa est tantùm esus calidorum, vndè tunc non erit peccatum mortale molliciei præuisæ, ita Caiet.2.2.*q.154.ar.5.ante §.in responsione ad* 5.Dian. *p.2.tr.15.res.31.* Tertiò requiritur vt causa sit in genere luxuriæ, si enim esset peccatum mortale in alio genere, vt contra virtutẽ temperantiæ, prout est ebrietas, tunc non erit mortale peccatum molliciei ex præuisa pollutione, quãuis peccet venialiter contra castitatem. Ratio est, nã quod non est mortale in genere luxuriæ, nõ dicitur causa per se efficaciter influens in pollutionem, sed tantùm causa per accidens. Hæc est communior sententia, quam docent Suares 3.*part.q.8.art.7.* Vasqu.1.2.*disp.115.n.9.*

Sanchez *de matrim. lib.9. disp. 45. num.16.* Nauar.*c.16. num.8.* Layman *lib.3. sect.4. num.4.* Henriquez *lib.11. cap.16. num.6.* Reginaldus *lib.22. cap.3.sect.9. num.43.* Bonacina *de matrim. quæst.4. punct.10. num.9.* Salas *t.2. to.2.q.74.tract. 13.disp.6. sect.18.* Granado *t.2. contr.6. tract.4.disp.6. num.12. & 18.* Diana *p.p. tract.7.res.65. & par.2. tract.15. resol 31.* Villalobos *in Summa tom.2. tract.40. diffic.16.* Filliuccius *tract.30.cap.8. num.152.*

9 Hinc patet excusari à mortali dicentem verba amatoria, sed honesta mulieri, vt, cor meum, anima mea, &c. quam cupit ducere in vxorem; quia ista verba de se non sunt mortalia, etiam si expertus sit se pollui, dummodò absit periculum consensus, ita Diana *p.2.tract.15.res.31. & p.3.tr.5.res.22.* imò etiam puto excusari à veniali, si ea verba necessaria sint ad finē matrimonij contrahendi.

10 Ex his reijcitur tamquam falsa opinio Io. Sanchez *in selectis, disp.21.nu.15. & disp.23. nu.29.* vbi docet cogitationes, verba, tactus, & oscula venerea, quamuis sint lethalia crimina, ac causæ per se ordinatæ ad pollutionē, tamen non habere malitiam mollitiei ex præuisa pollutione nocturna; mouetur ea ratione, quia efficaciter in pollutionem non influunt, nam si quando cogitatio turpis est præsens, non influit in pollutionem, quomodo credi potest influxurā quando est absens, vtpotè in somnis? Sed hæc opinio meritò ab omnibus reijcitur, venerea enim vigilantis delectatio causa efficacissima est turpis somnij, & inde sequutæ pollutionis, per accidens autem quandoque non sequitur, fiunt enim dormienti somnia secundùm præcedentium imaginationum diuersitatem, vt docet Galenus, *lib. de diuinat. per somnia*, & Hyppocr. *lib. de ægrotantium somnijs*, Vnde Cicero, *lib. de diuinatione: Somnia, cogitationum, & negotiorum diurnorum reliquias appellauit*, & Arist. *sect.30. problem. vlt.* inquit, *qui instructi virtutibus sunt, meliora somnia vident, qui deterius animo, vel corpore affecti sunt, deteriora concipiunt.* Zeno (vt refert Laertius *lib.6*) non imperitè affirmabat: *è suis quemque in somnijs posse deprehendere, quantum in Philosophia profecisset, si in eis nihil nefariæ rei faceret, vel appeteret.* Claud. *in 6. Honorij Augusti Consulatum*, sic inquit, *Omnia, quæ sensu voluuntur vota diurno pectore sopito, reddit amica quies.*

11 Quarè autem ex venerea cogitatione raro diurna, sæpissime nocturna pollutio accidat, scribit Dominicus Leonus *trac. de arte medendi, sect.3. lib.6.c.6.* quia, ait, imaginatio diurna subditur imperio rationis, neque ita vehemens est, cum ad plura distrahatur: at somniantis imaginatio rationis imperio non subiacet, vndè ad libitum imperat facultati seminis expultrici, vt expellat. Tum quia cùm semen sit superfluum tertiæ coctionis, huius superfluitates magis apparent in dormiente, quia facultas digerens intensius circa eas laborat, & ideò extra mittuntur, vt ostendit sudor, & nocturna pollutio.

12 Dubitari solet, an cœptam in somnis pollutionem, & seminis fluxum permittere quis possit absque peccato? Respondetur affirmatiuè, ita communiter, Io. Gerson *p.2. operum trac. de præp. ad Missam, consid.5 fol. mihi 473.* vbi sic scribit: *Non consulunt Sancti, quod debeat violenter fluxus ille, dum euigilando sentitur iam effluens coerceri, quia vel esset frustra conatus ille, vel natura supra modum grauatur.* Ita Gerson, & idem docet Sanchez *de matrim. lib.9. disp.45. nu.17.* Reginaldus *lib.22.c.3.nu.46.* Emanuel Sa *verbo luxuria, nu.10.* Io. de la Cruz *in directorio, p.1. præcep.6. art.8. dub.10. concl.2.* Fillinc. *t.2 trac.30.c.8. nu.147.* Diana *p.3. tract.5. resol.21.* Idem tamen Gerson *p.2. operum trac. de pollutione diurna propos.12.* sic ait: *Pollutio nocturna, vel diurna dum sentitur effluere, non debet violenter cohiberi, si probabiliter æstimetur, quod huiusmodi violentia frustra esset, nihilominus pro exercitatione virtutis & pro euasione periculi videtur expediens, vt homo conetur prohibere, quantum sentit, & experitur commodè fieri posse. Quoniam & si hæc retentio nocere debeat corpori, proderit animæ. Natura deniq; postmodum vno modo, vel alio talem humorem à se eijcit; patet in mulieribus puerperis, quibus siccantur mammæ, dum non elicitur lac, alioquin semper fluere paratum est.* Ita Gerson.

13 Similiter solet quæri, an peccet qui desiderat, vel complacet sibi de nocturna pollutione propter sanitatem, aut sedatam tentationem? Respondit idem Cancellarius Parisiensis *p.2. operum tract. de pollutione diurna propos.11. Quod si pollutio nocturna: aut quæ sine consensu prouenit, placeat, non quia delectatio est, sed quia alleuiationem corporis operatur, hæc non iudicatur esse peccatum. Videat tamen homo ne huiusmodi complacentia se seducat, prætendens vnū, & agens alterum. Salubrius est itaque cogitationes, & iudicia circa rem hanc diuertere, quā habere.* Ita ille.

14 Dico sextò, quando causa pollutionis nocturnæ, vel diurnæ est de se peccatum veniale, siue in genere luxuriæ, siue in quocumq; alio genere, vt contra temperantiam, &c. tunc eam causam non remouere, etiāsi præuideatur instans pollutio diurna, aut nocturna, quæ etiam sequatur, non est peccatum mortale, sed tantùm veniale contra castitatem, ita Doctores omnes *supra citati*, præsertim Sanchez *lib.9. de matrim. disp.42. num.29. & 22.* Vasquez *1.2. disp.108. cap.3. & disp.115. num.9.* Lessius *lib.4. c.3. num.118.* Bonacina *de matrim. qu.4. punc.19. num.9.* Pesantius *1.2. qu.74. art.10. disp.5. in fine.*

Ratio est, quia causa nequit excedere effectum: ergo nequit veniale esse, causa mortalis peccati, vt rectè docet Vasquez; tum quia quando peccatum de se est veniale, non est efficax causa pollutionis: nam vel est veniale in genere luxuriæ, & sic leuiter influit in pollutionem, vel est veniale in alio genere, & sic influit per accidens.

15 Hinc rectè docet Vasquez *1.2. disp.108. cap.3.* sic scribens: *Quoties animus non trahitur intentione turpis delectationis, sed sola delectatione visus, aut lectionis curiositate non esse talem delectationem mortale peccatum, patet quia alioquin difficillimum esset in humano victu à mortali peccato abstinere, præsertim ex aspectu: si ergo quis trahatur delectatione sola visus, sed ex alia parte statim, ac sentit delectationem turpem inde ortam illam reprimere velit, non peccabit mortaliter, ita docuit Corduba, nec de hac re, hactenus fuit controuersia.* Hæc Vasquez.

16 Dico Septimò quando, causa pollutionis diurnæ, atq; nocturnæ de se est aliquod, indifferens, & licitum, vt esus cibi calidi, dormitio supina, equitatio, &c. si nullum omninò sit incommodum eam causam remouere, tunc illam non remouere erit tantùm veniale peccatum; etiam si præuisa pollutio diurna, aut nocturna sequatur, ita Sanchez, Suarez, Vasquez, & alij *in præcedenti conclus. citati.* Ratio est, quia tunc est causa per accidens. Si verò sic aliquale incommodum remouere eam causam, tūc nullum omninò erit peccatū, ab ea causa non abstinere; ad permittendam autem nocturnam pollutionem leuior causa sufficit, & qualecumque incommodum excusat à peccato, loquor autem quando abest periculum consensus, ita Doctores omnes *suprà adducti*, & Diana *p.6. tr.6. res.37.*

Quod potest dici semen id, quod est ex parte fœmina, quod est principium passiuum, & in 2. distinc. 18. quæst. 1. artic. 2. ad 4. ait: *Sub rationibus seminalibus comprehenduntur, tam virtutes actiuæ, quàm passiuæ, quæ perfici possunt per agentia naturalia, sicut in generatione animalis, semen extenso modo dicitur non solùm sperma, sed etiam menstruum.* Ita S. Thomas eiusdem sententiæ videtur Albertus magnus, *lib. 9. de animal. cap. 3. & lib. 15. cap. 11. & 6.* vbi ait: *Quod à mulieribus exit quoddam humidum album, quod tamen non habet spermatis virtutem, aut rationem, & à quibusdam exit, à quibusdam non exit; frequentiùs quidem exit à mulieribus albis, rarò à nigris, & à fuscis mares parientibus.* Peripateticorum sententiam sequuntur quoque Zimarra, & Gentilis *1. par. doctr. 6. cap. 2. dub. 16.*

3 Probatur primò, Peripateticorum sententia ratione, nam in fœmina menstruum proportionaliter respondet virili semini: ergo in fœmina, præter menstruum sanguinem, non datur verè, & propriè aliud semen, correspondens virili semini, alioquin frustra darentur duo proportionalia: sicut enim natura non deficit in necessarijs, ita in superfluis non abundat. Quod autem in fœmina menstruum proportionale sit virilis seminis, patet diuersis indicijs, nam proportionaliter incipiunt, & desinunt, in pubertate, & senectute, semen in viro, & menstruum in fœmina; vox proportionaliter tunc mutatur; tunc in vtroque pili generantur; & membro humoris vtriusque receptiua, tunc distenduntur.

Respondet Caietan. *2. 2. quæst. 154. artic. 12. versic. conferendo autem: non esse duo proportionalia, nam semen muliebre, & menstruus sanguis sunt vnius rationis, & pro vno computantur; differunt enim tantùm secundum magis, & minus concoctum, & ideò cum dicitur quod menstruum est proportionale, non excluditur, sed includitur ille humor, qui dicitur semen.*

Contra, quia quamuis menstruus sanguis secundùm aliqua proportionetur virili semini, verè tamen, & propriè semen non est, cum seminis proprietates non habeat: ergo etiam ille humor qui dicitur semen muliebre, verè & propriè non est semen, sed tantùm solo nomine, & æquiuocè vocatur semen. Probo consequentiam; nam ex Caietan. sunt eiusdem rationis semen muliebre, & menstruum: sed hoc verè, & propriè non est semen: ergo neque illud.

4 Probatur secundò, quia quod verè est semen, nequit sine venerea voluptate excerni: at mulieres sæpè sine venerea delectatione concipiunt, vt refert Aristot. *lib. 2. de generation. animalib. cap. 4.* ergo verùm semen non emittunt.

Respondet Caietan. *hoc rarò euenire, quando autem accidit est ex aliqua indispositione naturæ.* Respondent alij ex Alberto *lib. 15. de animal. cap. 11.* id non esse, quia non emittunt semen, sed quia ante copulam ille humor albus descenderat, & seruatur in matrice, donec superueniat ei sperma, & tunc concipit. Alij ex Galeno *lib. primo de causis symptomat. cap. 6.* Hyppocr. *lib. de natura puerorum, docent:* tenuem esse delectationem veneream mulierum ex isto semine, seu humore, & non sicut in viro, quia in viro est maior perfectio sensus tactus, procedens ex exactiori temperamento: tum quia virile semen, quia calidius, maiorem pruritum excitat; tum virile defertur, per vasa angustiora, anfractiora, & oblonga, cum maiori mora; muliebre verò semen per vasa ampla, & dilatata, ac breui mora, vndè cum tenuis sit delectatio, quandoque non sentitur.

Sed contrà, quia ex Galeno *lib. 14. de vsu partium, cap. 2. & lib. 2. de semine, cap. 4.* fœmineum semen habet pro obiecto afferre veneream voluptatem; ergo impossibile est illud sine voluptate excerni; ergo signum est non excerni, si nulla adsit voluptas in conceptione. Imò scribit Fernelius de Tiresia Thebano, qui vtrasque partes expertus, retulit fœminam in delectatione venerea vincere mares, & mulierem plus viro voluptatis concipere, quia elicit virile semen, simúlque cum eo commiscet, vt docuit Leuinus Lemnius *de occultis naturæ, miraculis, lib. 1. cap. 6.* gratis autem dicitur à Caietano ex infirmitate non experiri veneream delectationem; nec enim tam vecordes erant sapientissimi naturalis historiæ Scriptores, quod ad infirmitatem non aduertissent: gratis quoque dicitur ex Alberto, non experiri voluptatem, quia antea semen fœmineum receptum erat in matrice, nam antea sensissent delectationem, imò ex ijsdem medicis debet esse penè simultanea seminatio, vt sequatur generatio.

5 Probatur tertiò Aristot. *lib. 1. de gener. animalium, cap. 20. & lib. 2. cap. 4. Nam non omnibus fœminis id semen excernitur, sed sanguineis tantùm: ijsque non omnibus*, & Albertus Magnus *lib. 9. de animal. capit. 3. & lib. 15. cap. 6.* vbi ait: *Exit à quibusdam mulieribus; à quibusdam non exit, frequentius quidem exit à mulieribus albis, & ab his, quæ frequentius pariunt fœminas; rarò quidem exit à nigris, & à fuscis mares parientibus.* Ita Albertus.

Respondet Caietanus, quod quibusdam mulieribus conuenit seminare sensibiliter ab extra, & quibusdam solùm ad intrà, & fortè nescire hunc duplicem modum seminandi, causa est putandi, quod non omnes seminent.

Contrà, mirandum sanè nigras, & fuscas mulieres rarò seminare ab extra, & ideò non aduertere seminare se ad intra; imò mirabilius Aristoteli cæterisque Scriptoribus occultum, quod solus Caietanus aduertit.

6 Probatur quartò, ex Auicenna *lib. 16. de animal. cap. 3.* vbi ait, quòd causa spermatis est contraria causæ menstrui, ideò enim fœmina habet menstrua, quia propter frigiditatem, nequit sanguinem decoquere: ergo nequit esse ipsius semen sicuti viri.

Respondent, nequit esse, sicut viris perfectè decoctum; at est minus decoctum, & imperfectum: docet enim Galenus *lib. 4. de vsu partium, cap. 3.* fœmineum semen esse frigidum, & humidum propter caloris penuriam; maris verò esse summè decoctum, & ideò actiuum principium generationis, idem docet Sanct. Thom. *3. par. quæst. 31. artic. 5. ad tertium, & in 3. dist. 3. qu. 5. art. 1.* & Albertus *lib. 15. de anim. cap. 10.*

Contra ergo defectu decoctionis deficit à ratione seminis, cum non sit causa efficiens generationis, quod conuenit semini.

7 Probatur quintò, nam fœminæ venereis vsu non marcescunt, neque elanguent, vt viri, imò vegetiores fiunt: ergo non est illis verum semen.

Respondent aliqui negando antecedens ex Aristot. *lib. 10. de histor. animal. cap. 8.* vbi ait: quod mulieribus per somnum pollutis accidit solutio, & imbecillitas, tam-

Respondetur delectationem osculi magnam, & primariò intentam, ex natura sua ordinari ad copulam, quippè quæ apta est commouere spiritus generationi subseruientes, tum quia in confuso ordinatur ad copulam, dum propter illam solam, quis tangit, eam enim, & non aliam fornicarij intendunt, cum tangunt, & osculantur propter solam voluptatem.

Obijc. tertiò delectatio non est mortalis, nisi tale sit obiectum: sed perceptio suauis temperamenti, & proportionati tangibilis, non est obiectum mortale: Ergo neque mortalis est delectatio ex illa accepta.

Respondetur dist. minorem; perceptio suauis temperamenti, & proportionati tangibilis non est obiectum mortale, quando non est apta commouere spiritus generationi seruientes concedo: & huiusmodi sunt tactus, & oscula ex honesta amicitia, delectatio, gustus, visus, auditus, &c. Non est obiectum mortale perceptio suauis temperamenti, quando talis est, vt sit per se apta commouere spiritus generationi subseruientes, quamuis per accidens aliquando non commoueantur, Nego.

13 Dico quintò si tactus non procedat ex honesta amicitia, sed propter solam delectationem sensibilem, sed adeò leuem, vt vix ea delectatio percipiatur, quia obiter mulieris manum quis tangit, tunc probabile est in viro timoratæ conscientiæ eam delectationem non esse veneream, sed tantùm veniale peccatum. Ratio est, quia leuis delectatio sensibilis non est apta commouere spiritus generationi subseruientes: ergo ea delectatio, non est intrinsecè venerea, neque est venerea extrinsecè propter turpem intentionem tangentis, ordinantis eam delectationem saltem in confuso ad copulam; nam suppono virum timoratæ conscientiæ omninò abhorrere à venereis, & à copula, & ita de hac leui sensibili delectatione docent Lessius *lib.4.c.3. nu.59.* Nauar. *cap.14.nu.42.* Villalobos *tom.2.tract.40. diffic.9. num.8.*

14 Sic si in partibus honestis tangat leuiter ex ioco, vt manum fœminæ, pedem, brachium premat, digitum intorqueat, propter solam sensibilem delectationem communiter excusari à peccato mortali, & esse huiusmodi tactus tantùm veniales, quia non ex libidine, sed ex leuitate quamdam, & ioco procedunt, docent Caietan. *2.2.quæst.154.art.4. ante vltimum dubium, & Summa V. Chorea in fine,* ibidem Armilla *num.2.* Tabiena *V. Osculum,* Nauar. *cap.14. nu.42. vers.19.* Salas *t.2. quæst.74. tract.13. disput.6. sect.20. num.146.*

15 Sed quid si vir timens Deum, tamen ab humani generis hoste erga mulierem libidinum facibus validè tentatus, prolabitur in leuem tactum, an iudicandus sit lethalis culpæ reus?

Quod à mortali crimine sit excusandus suadetur.

Primò authoritate S.Gregorij Papæ *dialogorum lib.3. cap.7.* vbi scribit, de Andrea Fundanæ ciuitatis Episcopo quod *cum vitam multis virtutibus plenam duceret, malignus spiritus capit, cuiusdam sanctimonialis, quæ secum habitabat, speciem oculis mentis eius imprimere, vt illectus nefandam cogitaret, & eò vsque prolapsus est, vt in terga eiusdem sanctimonialis blandiens alapam daret?* Episcopum tamen non videtur S. Gregorius mortalis culpæ damnare, sic enim subdit. *Ecce enim paradisi Cedrum concussam audiuimus, & non euulsam, quatenus infirmis nobis de eius concussione nascatur timor, & de eius stabilitate fiducia.* Ergo si prolapsus in mortale fuisset, non concussa tantùm, sed euulsa cedrus, neque staret.

Secundò, quia ille leuis tactus, aptus non est commouere spiritus generationi seruientes: ergo non est intrinsecè venereus, neque extrinsecè ex deprauata intentione, suppono enim esse virum timoratum, qui millies mori mallet quam fœdari, & ab omni obscœna voluptate, actuque abhorret.

Quod autem à mortali culpa non excusetur.

16 Primò, ostenditur ex contextu eiusd. Sancti Gregorij Papæ *dialog.lib.3. cap.7.* ibidem enim refert Iudæum, sic Andream Corripientem *quod in illā Dei famulā praui amoris oculos iniecisset;* & mox subdit, *eiusdem ruinæ Iudæum consuluisse;* ergo Gregorius mortalem culpam agnoscit, neque refert fuisse concussam, non euulsam cedrum, id enim asserit quia mox surrexit ad pœnitentiam. Idem sensit S. Theodorus Studita, vir sanctitatis fama. Clarissimus *serm.4.catec.* vbi de sensuum moderatione loquens ita monuit. *Attrectauit quis nolens mulierem, & incensus libidine, scelus contraxit.* Sapienter S.Hieronymus *in vita S. Hilarij* asseruit: *Tactus, & iocos esse moritura virginitatis principia.*

Secundò, quia leuis tactus ab interna voluntate imperatur: ergo dum voluntas libidinum procella fluctuat, signum est ex impudica intentione leuem illum tactum procedere. Quis enim luctantibus ventis, furente pelago, è naufraga naui cernens merces iactari, propter tempestatem à nauta iactari dubitet? Ergo cum mens illecebrarum, libidinumque procellis, ac tentationibus æstuat, si in externos voluptuosus tactus labitur, ex venerea intentione, à voluntate tactus illos imperari quis dubitat? ergo leuis ille tactus venereus est, saltem extrinsecè à venerea intentione.

Tertiò, eundem tactum esse intrinsecè venereū ostendo, nam quamuis leuis tactus aptus non sit commouere spiritus generationi subseruientes, tamen si libidinosæ voluntatis igne succenditur, vehementissimè commouet; quod fœdæ distillationes, ac titillationes, quæ in ijs tactibus passim experiuntur, demonstrant. Sic frustra in arcem ferrea pila manibus iactatur; at ex æneo tormento, sulphureis impulsa ignibus, prosiliens volat, fortissimaque mœnia diruit.

Quartò, nihil iuuat tangentem expressè abhorrere à copula, omnique obscœno actu, eumque explicitè nolle, nam sicuti (vt Iuristæ docent) protestatio contraria facto nihil operatur; ita nec in ea carnis tentatione deliberatè captans ex tactibus sensibilem voluptatem, excusatur; quia tunc deliberatè delectatur de illis, tamquam de circumstantijs copulæ & ita in confuso tactus ad copulam ordinat, quod sufficit ad mortale peccatū.

Quintò, virum esse timentem Deum non proficit, vidimus enim stellas de cœlo cadentes, vt enim cùm S. Hieronymo loquar *in reg. Monachorum. Ne in præterita castitate confidas, nec Sampsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.* Quis non formidet testimonium S.August. *lib. de singularitate Clericorum. Experto (inquit) crede, expertus loquor coram Deo non mentior. Cedros libani, Duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quā Ambrosij, vel Hierony. impudica turpitudine.*

Ex his itaque probabilissimum, ac ferè certum censeo, vrgente graui carnis tentatione, & sæuientibus impudicis flammis, & amore erga aliquam mulierem, etiam si vir sit timoratissimæ conscientiæ, si deliberatè

eam

eam leuiter tangat, propter solam voluptatem, mortaliter peccare, vel saltem dubium omninò, & incertum esse, an talis tactus ex venerea intentione procedat, quare communicare, aut celebrare non poterit ante confessionem, eoque casu verissimum puto, quod in simili docet Io. Gerson *p. 2. operum tract. de pollutione diurna propos. 9. fol. 492.* vbi ait: *Difficile, vel impossibile esse cognoscere absque diuina reuelatione, certitudinaliter, an subsit consensus verus vel interpretatiuus plenus, vel imperfectus, aut nullus omninò.*

17 Dixi in conclusione si sit vir timoratæ conscientiæ, quamuis enim Doctores citati indistinctè loquantur, ego tamen de homine perditæ vitæ, atque libidinum cœno obruto, censeo quantumlibet leuissimè tangentem ob solam sensibilem voluptatem difficillimè excusari à peccato mortali, eumque obligari ad se accusandum, tamquam de dubio peccato mortali: Probo, quia quamuis leuis declaratio sensibilis ex tactu, non sit aptæ commouere spiritus generationi seruientes, & proinde ea delectatio, non sit intrinsecè venerea, tamen est venerea extrinsecè, homo enim lasciuus, & venereis deditus, in qualibet sensibili voluptate, mox in confuso apprehendit copulam, & de tactu tamquam copulæ circumstantia delectatur; itaque veluti sulphureus puluis quacumque libidinis scintilla flammescit.

; Dices; ex his, innumeris scrupulis patet aditus.

Respondeo, satiùs esse scrupulo cruciari, quam sine scrupulo damnari.

18 Dico sextò tangens, aut osculans ex honesta amicitia, aut ex more patriæ mulierem, vel iuuenem, si sensisibiliter delectetur, eam tamen delectationem non intendat æquè principaliter, tunc ea delectatio non est venerea, imò nullatenus peccat, vel saltem venialiter tantùm. Syluest. *V. delectatio num. 7.* Rosella *V. cogitatio morosa num. 4.* Lessius *lib. 4. cap. 3. num. 56.* Comitolus *lib. 4. quæst. 20. num. 4.* Rebellus *par. 2. lib. 3. quæst. 19. sect. 3. vers. similiter*, Fillinccius *tract. 30. num. 178.* Salas *1. 2. quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 20. numer. 131.* qui docent excusari à mortali, quamuis sentiatur turpis pudendorum commotio, dummodò deliberatè in eam non consentiatur.

Ratione autem periculi ab aliquorum osculis cauendum esse monet S. Basilius *lib. de vera virginitate*, his verbis: *formosorum oscula cauere oportet, non secus, quam animalium venenatorum morsus, diffunditur enim virus ex osculo per omne corpus.*

19 Dico septimò tangens, aut osculans ex honesta amicitia, aut ex more Patriæ mulierem, vel iuuenem, si sensibiliter delectetur, eaque delectatio magna sit, & notabilis, non parua, & leuis, illamque voluptatem sensibilem, vel primariò, vel æquè principaliter intendat ex tactu, & osculo: tunc talis declaratio est venerea, & peccatum mortale.

Probatur primò, authoritate Athenagoræ *orat. ad Christianos apud Iustinum Martyrem*, vbi agens de osculo ex honesta amicitia, sic ait: *Tam accuratè temperare osculum, seu potius adorationem salutationis oportet, vt si quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vos vita proscribat Verbum.*

Probatur secundò ratione; nam magna delectatio sensibilis æquè principaliter, vel primariò intenta, per se apta est commouere spiritus subseruientes generationi; quod si id non contingat, erit per accidens, quod experientia patet, nam ita osculantibus, vel tangentibus ferè semper contingit distillatio, vel turpis pudendorum commotio; ergo talis delectatio tunc est venerea, atq; mortale peccatum.

20 Dico octauò, quamtumuis leuis, & parua sit delectatio sensibilis deliberatè accepta ex tactu, aut aspectu partium pudendorum, est venerea, & mortale peccatum, ita omnes, Lessius *lib. 4. cap. 3. numer. 61.* Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 46. num. 30.* Salas *1. 2. quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 20. num. 143.*

Probo esse veneream formaliter, & intrinsecè, quia ea pudendorum sensibilis delectatio, proximè disponit ad motum substantiæ seminis, & sic ad pollutionem; esse quoque extrinsecè veneream ex intentione tangentis, aut aspicientis, patet quia deliberatè acceptans delectationem sensibilem, tactus, aut aspectus pudendorum, in confuso cogitat pollutionem, aut turpem motum, nam ideò delectatur, quia cogitat similem actionem, tamquam à sua persona exercendam.

Probo esse mortale peccatum, quia delectatio venerea deliberata, non admittit materiæ paruitatem, vt ostendi *quæst. 16.*

QVÆSTIO XX.

Corollaria ex præcedenti doctrina, de delectatione sensibili, aut venerea.

SVMMARIVM.

Aspectus pudendorum quandoque non est mortalis. num. 1.
Delectatio, ex aspectu pudendorum, semper mortalis. nu. 2.
Aspectus curiosus mulieris venialis. num. 3.
Osculari Infantes, vel veniale, vel nullum peccatum. nu. 4.
Osculari potiùs filiam, quàm filium, pulchriorem, quam deformem non est mortale. num. 5.
Mulier eodem lecto dormiens cum viro non excusatur à mortali. num. 6.

1 INfertur primò, quòd quamuis excusetur à mortali peccato visus pudendorum, inter personas eiusdem sexus, ex curiositate, vel ioco, imò excusetur à mortali, etiam inter personas diuersi sexus, vt si nudam aspiciat mulierem, tam breui tempore, vt non detur occasio magnæ commotionis in corporis, vt docent Sanchez *de matrimon. lib. 9. disp. 46. num. 23.* Layman *lib. 3. sect. 4. numer. 14.* quorum tamen opinio displicet diuersi sexus
2 personis. Nihilominus numquam excusatur à peccato mortali, quando ex visione pudendorum, aut concubitu animalium, vel ex aspectu turpiter commotarum partium, deliberatè accipitur sensibilis delectatio, hæc enim venerea est, delectatur enim, quia similem in se amat, ita Doctores omnes adducti.

3 Infertur secundò, quòd videns curiosè mulierem propter solam sensibilem delectationem, probabiliter excusatur à peccato mortali, neque ea delectatio venerea est, ita communiter Doctores Caietanus *tom. 1. opusc. 14. quæst. 3.* Sanchez *de matrimon. lib. 9. disp. 46. nu. 22.* Layman *lib. 3. sect. 4. num. 14.* Villalobos *tomo 2. tract. 40. diffic. 9. num. 11.*

4 Infertur tertiò, non esse peccatum mortale, & sæpè nec veniale osculari magna cum suauitate, & affectu,

molles

molles infantium carnes, quia id non ex praua intentione, nec cum periculo fieri solet, sed sine periculo, ex honesto amore, tenero, & suaui, ac naturali infantis pulchri, aliàs innumeri parentes, & nutrices damnarentur, Nauar. *cap.16.num.11.* Sanchez *lib.9.disput.46.num.23.* Salas 1. 2. *quæst.74.tract.13. disp.6. sect.20.nu.147.*

5 Infertur quartò, non esse mortale, quod pater osculetur potiùs filiam, quàm filium, & pulchriorem, quàm deformem, sic frater sororem, quia naturaliter maior est amicitia, etiam honesta erga alterum sexum, aut personam pulchriorem, Salas *vbi suprà.*

6 Infertur quintò, non excusari à mortali mulierem in eodem lecto cum viro dormientem, etiam si absit alia turpis intentio, ita Lessius *lib.4. cap.3. num. 61.* id enim aptum est turpem carnis cõmotionem causare, proinde grauissimè reprehensum à S. Cypriano *epist.62. ad Pomponium. Ipsa,* inquit, *coniacentium duorum, turpis, & fœda dormitio, quantum dedecoris, & criminis confitetur?* Sanctus Carolus Borromæus Mediolanensis Antistes in libello, cui titulus, *Monita ad Populum anno* 1577. seuerè prohibet, ne in eodem lecto fratres, ac sorores iaceant, neque cum parentibus coniugatis nedum in communi thoro, imò neq; in eodem cubiculo dormiant.

QVÆSTIO XXI.

Aliud corollarium de Gallorum osculis.

SVMMARIVM.

Humanissimi Galli honori ducunt suam vxorem osculari. num.1.
Suauia venenata, si voluptuosa. num.2.
Antiquus gentium mos obuios quosque osculandi. num.3.
Nero vllum osculo impertiuit, nec resalutauit. num. 4.
Basiorum mos apud hæbreos. num.5.
Sacra oscula olim ante Eucharistiam, & orationem. num.6.
Olim fideles se se obuiantes osculabantur. num.7.
Viri viros, fœmina fœminas ante Eucharistiam osculabantur. num.8.
Apud Romanos licebat obuias mulieres osculari. num.9.
Quantum in osculo sit periculi. num.10.
Egregij earum nationum mores, quibus nec mulierum aspectus viris patet. num.11.
Apud Iudæos, apud Romanos, Arabes, Thraces, ac Turcas. num.12.
Turcæ cynedorum gregibus infames. num.13.
De antiquis Græcis. num.14.
Græcæ virgines hodie velatæ, matres familias aperto ore. num.15.
Contrario vsu, ac Laconum. num.16.
Exordientis Ecclesiæ osculorum vsu sublatus. num.17.
Gallorum candor singularis, & pudicitiæ decus. num.18.

1 NOti *sunt* (inquit Pierius *lib.22. Hieroglyph.*) *humanissimi Gallorum omnium mores, qui passim oscula tanto studio colunt, vt honori sibi ducant, quod aduenient hospes vxorem, sorores, filias, etiamnum virgines osculo adhibito salutauerit, & in amplexum acceperit, & in gremium sibi assidere iusserit;* ita Pierius. At suauia hæc si ex voluptuosa mente prodeant, insuauia, virulenta, lethalia, quis dubitet? sic Theocritus. *Labra veneno tota tument, atque ipsa malum sunt labra venenum.* Quantum in hisce basijs periculi lateat, aperit Athenagoras *oratione pro Christianis apud Iustinum Martyrem,* vbi sic scribit: *Accuratè temperato osculum, seu potius adorationem salutationis oportet, vt si quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vos vita proscribat Verbum;* sed rem altiùs exordiar.

3 Antiquissimus fuit gentium mos obuiantes sese osculari viri viros, fœminæ fœminas, hæc eius amicitiæ tessera, pignus amoris, teste Xenophonte *lib.1. Pediæ Cyri,* Herodoto *in Clio,* Suetonio *in Tiberio cap.34. Qui frustrà per molestam consuetudinem lege prohibuit, vetita enim magis inualuit.* Idem Suetonius *in Nerone, cap.37.* feram illam beluam sugillans, ait: *Certè neque adueniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem,* Martialis *lib.7.epigram.94. ad Linum.*

Bruma est, & riget horridus December;
Audes tu tamen osculo niuali
Omnes obuios, hinc, & hinc tenere,
Et totam Line basiare Romam.

Et lib.11. Epigram.99. ad Bassum

Effugere non est Basse basiatores
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt.
Et hinc, & illinc, vsquequaque, quacumque

5 Basiorum mos viguit, & apud Iudæos, vt innumeris bibliorum testimonijs, probat Maldonatus *in Matt. cap.26. vers.48. & in Lucam cap.7. vers.45.* ac Serarius *in Ruth. cap.1. quæstiunc.21.*

6 Sub Catholicæ Ecclesiæ exordijs sacra fuere oscula, ante Eucharistiam, ante orationem, dicente Apostolo: *Salutate inuicem in osculo Sancto Roman.16. 1.Corint.16. 2.Cor.13. Tessal. cap.5.* testes sunt locupletissimi Clemens Romanus *lib.2. Apostol. const. cap.57.* Ignatius Martyr *epist.7. ad Tarsenses, & epist.12. ad Antiochenos* Dionys. Areopagita *de Hierarchia Ecclesiastica titul. Mysterium communionis.* Tertull. *lib. de oratione cap.12.* Origenes *in cap.16. ad Romanos.* August. *serm.83. de diuers.* Vide Baronium *ad annum* 45. Gabrielem Albaspinum *de veteribus Ecclesiæ ritibus lib.1. cap.17.*

7 At nedùm in sacris mysterijs sancta oscula, sed sese inuicem obuiantes fideles in castos amplexus, atque oscula ruere solitos, colligitur ex Optato Mileuitano *lib.4. in initio,* vbi reprehendit quosdam hæreticos; *Quod etiam in perfunctoria salutatione oscula solita denegarent;* & S. Io. Chrysost. *hom.30. in 2. ad Corint.* in illa verba: *Salutate inuicem in osculo Sancto,* ait, *ex peregrinatione aliqua redeuntes mutuò nos osculamur, animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus,* & ex Susannæ actis ostendit Baronius *tomo 2. ad annum* 294. *num.10.*

8 At nascentis Ecclesiæ oscula sancta, pura, & impolluta fuere, sancita enim lex erat in Clemente Romano *lib.2. Const. cap.57. vt viri viros, & fœminæ fœminas, cùm ad Eucharistiam accedunt osculentur.* Eadem præscripta lex Monachis *in Canone Monachi.104. de consecrat. dist. 4. Monachi sibi Compatres, Commatresuè non faciant, nec osculentur fœminas.*

Apud Gentes tamen mox fuit, vt obuias quasque mulieres osculo exciperent, Plinius *lib.14. Non licebat,* inquit, *vinum fœminis Romæ bibere, Cato idcircò propinquos fœminis osculum dare scripsit, vt scirent an temetum olerent: hoc tunc vino nomen erat: vnde & temulentia appellata;* ita Plinius. Et Plutarchus *in Problemat. & de claris mulierib. cap.1. Romani,* inquit, *cognatas mulieres,*

oris

oris osculo, salutare consueuerunt. Pierius *lib.22. Hiero-*
9 *glyph. de columba fol.158.* sic scribit: *Apud Romanos*
olim licebat obuias quasque mulieres excipere osculo. Apud
Lacedæmonios oscula non concessa modo, sed instituti ludi
propositaque præmia ijs, qui seniores lepidius suauiarent:
Nisæorum id inuentum, & à Megarensibus etiam obser-
uatum. Nam & illa Romanorum exosculationes, vt fœ-
mineo generi honos haberetur. Hæc Pierius. Sed Anglo-
rum mulieres non cognatos modo vt Romanæ, sed
quoscumque generatim osculo tantùm salutant; sic scri-
bit Polydorus Virgilius *de Inuentoribus rerum lib.4.c.13.*
10. Sed quantum pudori hisce suauijs pateatur periculi, au-
di Tertullianum *lib. de velandis virginibus*, vbi sic virgi-
nem suadet: *Dum digitis demonstrantium titillatur, dum*
inter amplexus, & oscula incalescit, frons obduratur, pu-
dor teritur. Sed enim vera, & pura virginitas confugit ad
velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, quo
bonum suum protegat aduersus ictus osculorum. Hæc Ter-
tull. verè Ambros. *de fuga seculi cap.1. Os libauit, & cri-*
men retulit, idem *lib.2. in Lucam. Trepidare*, inquit, *vir-*
ginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri
11 *affatus vereri*. Quàm egregij illarum nationum mores,
quibus nec mulierum aspectus viris patet.
12 De Iudæis Tertull. *lib. de corona militis cap.4. Apud*
Iudæos, inquit, *tam solemne est fœminis eorum vela-*
men capitis, vt inde noscantur.

De Romanis Valerius Maximus *lib.6. cap.3. Sulpitius*
Gallus vxorem dimisit, quod eam capite aperto foris ver-
satam cognouerat. Tacitus *lib.14. de Poppea Sabina. Ra-*
ri in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satia-
ret aspectum. De Arabibus Tertull. *de velandis virginib.*
cap.17. Indicabunt nos Arabia fœminæ ethnicæ, quæ non
caput tantùm, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno
oculo liberato, contentæ sint, dimidia frui luce, quàm to-
tam faciam prostituere. De Thracibus, ac cunctis Ma-
chometanæ superstitionis cultoribus, ipse sum oculatus
testis, nam quinquennio Bizantij commoratus, nec vel
vnam ex facie noui, solis oculis patentibus, & faciem,
& manus contegunt, quinimmò extra domesticos lares,
aurum, sericumvè eis interdictum, intra parietes, vt soli
13 viro placeant, auro, gemmisque fulgent: sanè quàm fœ-
minarum modestia commendabiles, tam cynedorum
14 gregibus infames. De antiquis Græcis Apuleius *de asi-*
no aureo, lib.12. mulieres candidu splendentes amicimine.
15 Ipse verò Græcorum matres familias aperto ore, virgi-
nes verò, & innuptas, turcico more, velatas conspe-
xi; meliore, quidem vsu, quàm lacenis mulieribus fue-
16 rit, de quibus Plutarchus *in Apoph. Laconum in Carillo.*
Virgines, inquit, *aperta facie, viris tunctæ mulieres velatas*
prodire solitas.
17 Sed ad consuetudinem exordientis Ecclesiæ redea-
mus, non diu tenuit ille in templis basiorum vsum, su-
beunte per osculum flagitio, quo animi polluebantur,
hinc Patrum graues querelæ, hinc ea consuetudo meri-
tò abolita, lege S. Augustinum *in Psalm.30. Quis est*, in-
quit, *qui non irascatur, videns fratres insidiantes fratribus,*
fidem non reseruantes osculo, quod insigunt Sacramentis
Dei, & lib. de amicitia, cap.6. tom.4. Ipsum osculum tanta
turpitudine fœdant, vt sic osculari nihil aliud sit quàm adul-
terari. Vndè teste Tertull. *de orat. cap. vlt. Præsides Re-*
ligionis Hierarchæ ne impiorum hominum nequitia, macu-
la rebus Sanctis aspergeretur, sensim eum ritum sustulerunt.
Sed audiamus Eminentissimum Baronium *ad annum 45.*
sic scribentem: *Nec verò quis putet hæc ita promiscuè tunc*
agi solita esse, vt viri fœminas, & fœmina viros sic indi-
stinctè se mutuò, impartito osculo salutarent. Nam (vt suo
loco dicemus) in Ecclesia seorsum viros à mulieribus agere
consueuisse, certissimum est. At quoniam ea nihilominus
adhibita cautela, adhuc inter se inuicem osculantes, siue vi-
ros, siue fœminas fraus aliqua, arte diaboli, aliquando irre-
psisse videretur; in nonnullis Ecclesiis sacram osculandi tabel-
lam, mutauit vsus, & quidem laudabilis. Non enim recen-
ter in mutuis illis osculis per se sanctis aliquando se immi-
scuit turpitudo. Hæc ille.

Iam verò ad Gallorum basia reuertamur, de his Lu-
douicus Cresollius Mystagogi *lib.4. c.6. sect.2. in fine*, sic
scribit: *Iam de mulierum osculis vniuersa propè nationes,*
velut in publico orbis terræ Senatu, dixere sententiam, &
promiscua improbarunt (deinde post pauca sic subdit)
18 *Galli verò, apud quos semper candor singularis, & pudici-*
tiæ decus, in flore suo, & pratio fuerunt, osculorum illas in-
sidias minus sibi timendas putant, cum salutationis causa
fiunt. Nam etiamnum viget ea consuetudo, vt viri nobiles,
cum se inuisunt, aut peregrè veniunt omnes, qui domi sunt
nuptas, innuptas basio consalutant. Ita Cresollius. Quid
19 Ego sentiam verbo dicam: Gaudeo in Adam solos Gal-
los non peccasse.

De vario osculorum genere lege si libet Lipsium *lib.2.*
electorum, c.6. Alex. *lib.2. genial. c.19.* Gellium *lib.1. c.23.*
Petrum Gregor. *Syntagm. Iuris lib.8. c.8. & lib.36. c.12.*
Bullingerum de Imperatore Romano *lib.2. cap.15.* Lu-
douicum Cresollium *Mystagogi, lib.4. c.6. sect.2.* Mure-
tum *lib.10. variar. cap.1.* Pyteum *1. aduersar. cap.7.* Mar-
cellum Donatum *in Scholijs ad latinos Historicos, ad c.34.*
Suetonium in Tiberio. Pererium *in c.29. Genes. disp.1.* Iu-
stinianum *in 2. Corint. cap.13.* Ludouicum Dorleans *ad*
lib.11. Taciti. Pinedam *in Iob cap.31. vers.27.* Salazar
in prouerb. cap.5. vers.4. Sanctium, Sotomaior, & Sher-
logum *in cap. primum Cantic. vers. primò*.

QVÆSTIO XXII.

Quando mulier possit permittere se tangi, aut osculari?

SVMMARIVM.

Prima conclusio, potest si ex genere sit honesta. num.1.
Secunda conclusio tenetur euitare, si certa sit de praua intentione, si potest, absque scandalo. num.2.
Tertia conclusio non tenetur, si dubitat de praua intentione. num.3.
Quarta conclusio tenetur euitare oscula inhonesta. num.4.
An tactus pudendorum excusetur aliquando à mortali. n.5.

1 Dico primò, si tactus, & oscula ex suo genere ho-
nesta sint, vt ex amicitia, aut patriæ more, ea per-
mittere non est peccatum mortale, quamuis in vtroque
adsit sensibilis delectatio, imò quandoque nullum om-
ninò peccatum. Syluest. *V. delectatio, num.7.* Rosella,
V. cogitatio morosa, Comitolus *lib.4. quæst.20. num.4.*
2 Dico secundò, si tactus, & oscula, ex suo genere ho-
nesta sint, sed mulier certa sit de venerea intentione
tangentis, tunc non tenetur coram alijs, & cum scanda-
lo, aut graui incommodo se retrahere, est enim scanda-
lum

lum datum non acceptum, ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 154. *art.4. in fine.* Lessius *lib.4. cap.3. num.64.* Si verò possit sine scandalo ea euitare, tunc peccat contra charitatem non se retrahens, tenetur enim cauere peccatum proximi cùm commodè potest, non autem tunc peccaret contra castitatem, nam tactus, & oscula illa ex se honesta sunt Syluest. Rosella, Lessius, & Comitolus vbi suprà. Filliuccius *tract.30. cap.9. numer.197.* Villalobos *tom.2. tract.40. diffic.9. num.9.* Ledesma *in Summa parte 2. tract.27. cap.9. post 3. conclus.*

3 Dico tertiò, si oscula ex se honesta sint, & mulier dubitat de recta, vel turpi intentione osculantis, potest ea admittere, non enim debet proximum de libidine indicare, ita Syluest. *V. delectatio num.5.* Comitolus *lib.4. quæst.21. num. 2.* Filliucc. *tract.30. cap.9. num.192.*

4 Dico quartò, si tactus, aut oscula per se spectatis circumstantijs inhonesta sint, tenetur sub mortali respuere, atque si aliter nequeat tenetur clamare, & omnimodè resistere, nisi instaret grauissimum malum, nisi ea patiatur, vt mortis, infamiæ, amissionis bonorum. Lessius *lib.4. cap.3. nu.64.* Caietan. 2.2. *quæst.154. art.4. in fine.*

5 Huiusmodi censetur tactus pudendorum, præsertim inter personas diuersi sexus, qui nequeunt à mortali excusari. Ita S. Antoninus *par.2. tit.5. cap.1. §.9.* his verbis: *Permittere se tangi in membris genitalibus, nisi sint coniuges, vel nisi subsit causa infirmitatis, & huiusmodi; credo non posse excusari à mortali, cum istud non fiat communiter, nisi ex amore libidinoso, & credere quod hoc fiat pura intentione; est fatuitas.* Ita S. Antoninus, Syluest. *V. delectatio num.7.* Nauar. *cap.16. nu.13.* Caietanus 2.2. *quæst.154. art.4. in fine.* Villalobos *tom.2. tract.30. diffic. 9. num.9.*

Verùm inter personas eiusdem sexus leuissimus tactus, & in transitu, excusari posset à mortali, si fiat ex ioco, aut curiositate, Sanchez *de matrim. lib.9. disp.46. num.22.* Comitolus *lib.4. quæst.20. num.1.*

QVÆSTIO XXIII.

An venerea delectatio ex osculis lethalis sit in sponsis de futuro.

SVMMARIVM.

Prima sententia negatiua. num.1.
Secunda sententia affirmat esse mortale. num.2.
Venerei tactus inter sponsos non excusantur à mortali. nu.3.
In sponsis mortalis est delectatio de futura copula. num.4.

1 NEgant communiter Theologi eam asserentes venialem, ita primus assertor huius opinionis Caietanus *in Sum. Verbo sponsalia, & 2. 2. quæst. 154. art.4. in respons. ad secundum in fine,* vbi sic scribit: *Videtur, quòd sicut sponsalitium inchoatio quædam est coniugij: ita huiusmodi actus inchoatio quædam est carnalis copulæ, & quemadmodum concessum est vt inter sponsalia suspirent se inuicem, iuxta illud Augustini: Ne vilem habeat maritus oblatam, quam non suspirauit sponsus dilatam, ita videntur concessa huiusmodi oscula inter eosdem, secundum indulgentiam tamen, quia venialia conceduntur. Et nisi vt huiusmodi inchoationes permissa venialiter in ordine ad promissas nuptias excusentur, nescio excusare sponsorum de futuro, propter delectationem, oscula, & amplexus.* Hæc Caietan. ante quem inquit, Rebellus mox citandus, *Nullus ex Patribus, vel Scholasticis Doctoribus proferetur, qui à peccato mortifero oscula, & tactus ex venerea delectatione captatos excuset.* At Caietani sententiam, & fundamentum apertè indicat Tertullianus *lib. de velandis virginibus, cap.11.* vbi sic scribit: *Si congressio viri mulierem facit, non tegantur, nisi post ipsam nuptiarum passionem: at quia etiam apud ethnicos velatæ ad virum ducuntur: si autem ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu, masculo mixtæ sunt, per osculum, & dexteras, per quæ primùm resignarunt pudorem spiritu.* Expende *corpore, & spiritu, masculo mixtę sunt per osculum, & dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritu.* Expende *corpore, & spiritu, masculo mixtę sunt per osculam, & dexteras,* his verbis venerea voluptate osculo, & dexteris, corpore, & spiritu misceri asserit. Eodem sensu Zonaras *ad Canon.93. Concilij Trullens.* tradit, *quod si osculum addidissent, qui sponsalia contrahebant adulteram habitam, quæ ante nuptias ad virum diuertisset.* Sed quicquid sit de istorum mente, certè Caietani opinionem sequuti sunt communiter, post ipsum Doctores, ita Sanchez *de matrim. lib. 5. num.38. & lib.9. disp.46. num.48.* Nauar. *c.14. num.18. & c.16. num.12.* Lessius *lib.4. cap.3. num.58. & 59.* Toletus *lib.5. c.14.* Valentia 2.2. *disp.9. quæst.3. punct.3. ad finem,* Sà *V. luxuria, num.14.* Sayrus *lib.8. cap.6. num.1. & cap.7. numer.32.* Hurtadus de Mendoza *tom.2. in 2.2. disp.173. sect.25. §.306.* Armilla, Medina, Lopez, Lucius, Petrus, & Bartholomęus Ledesma, Aretinus, Menochius, Veracruz, & Philiarcus, quos citat, & sequitur Salas 1. 2. *quæst.74. tract.13. disp.6. sect.26. num.174.* Bonacina, Reginaldus, Molfesius, Granado, Graffius, Ochagauia, Syluius, & Villalobos, quos sequitur Diana *par.4. trac.4. resol.131.* Auersa *de matrim. quæst.21. sect.8. in fine.* Ledesma *cap.3. de matrim.* Io. de la Cruz *in 6. præcept. Decal. art.1. num.4.*

2 Contrarium tamen videtur probabilius, nempè non excusari à peccato mortali tactus, & oscula propter delectationem veneream in sponsis de futuro, ita docuerunt Rebellus *par.2. lib.3. quæst.19. sect.2.* Gaspar Hurtadus *de matrim. disp.10. diffic.10. num.48.* Comitolus *respons. lib.4. quæst.20. num.4.* Fernandez *in exam. Theol. par.4. cap.2. §.4. num.4. & p. 3. c.21. §.1. num.11.* Rodriquez *in Sum. tom.3. cap.102. num.1.* Pedraza *in Sum. præcepto 6. §. 5.* *Paludan. in 4. dist.31. quæst.3. num.17. Supplementum, quæst.3. art. vnico, dub.2.* Sotus *in 4. dist. 34. quæst.1. art.2. ad finem vers. ex quo fit.* Angles *quæst.8. de matrim. quę est de impedimentis, art. 5. dub.9. concl.1.* Coradus *in Summa, quæst.143.* Io. Franc. Suarez *in Enchiridio casuum conscientię lib.7. verbo luxuria, §. osculum.*

Probatur primò ex generali regula, qua quæcumque venerea delectatio excludit à Regno Dei, testante Apostolo *ad Ephes.5. Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei:* vbi ex Lyrano; *Omnem immunditiam Apostolus damnat, vt includeret omnia ad vitium luxurię pertinentia:* Sed inchoatio matrimonij per sponsalia de futuro non est sufficiens fundamentum excludendi ab hac regula sponsos, quoad veneream delectationem osculorum, sponsi enim de futuro verè soluti sunt; Ergo.

3 Secundò, quia si inchoatio matrimonij cohonestat oscula venerea, ergo etiam cohonestat venereos tactus

puden-

pudendorum, quod negant omnes, præsertim Caietanus, Sanchez, Lopez, Grassius, Bartholomæus, & Petrus Ledesma, Sayrus, & Nauarrus, quos citat, & sequitur Salas, *par.2.q.74.tr.13. dis.6. sect.26. nu.176.* Neq; refert turpes tactus magis proximè disponere ad copulam, nã per aduersarios inchoatio Matrimonij, cohonestat inchoationem copulæ: at inchoatio copulæ, ne dũ ex venereis osculis, sed etiam ex tactibus turpibus habetur: Ergo, &c.

4 Tertiò, quia in sponsis delectatio ex cogitata copula futura, lethalis est, quia ea cogitatio commouet spiritus generationi subseruientes, vndè est quædam copulæ inchoatio, ita Corduba, Vasquez, & alij, quos sequitur Sãch. *l.9.dis.47.n.4.* Sed etiam venereum osculum cõmouet spiritus generationi subseruientes, & est quædã copulæ inchoatio: ergo vtraq; venerea delectatio mortalis est.

Quartò, quia vt rectè docet Rebellus, ratio peccati non ex fine tantùm operantis, sed ex fine ipsius operis pensatur, vt qui percutiendo alterum, non intenderet occidere, sed tantùm spoliare, duplicem deformitatem nihilominus committeret, rapinæ vnam alteram, quæ ex sua natura ad homicidium pertineret, ad quod percussio suaptè natura refertur: sed venereum osculum per se ordinatur ad copulam, veluti ex fine operis; ergo illicitum est sponsis, sicuti illicita est copula.

Quintò, quia inchoatio contractus (vt rectè ait Hurtadus, ac Rebellus) non sufficit ad excusandum vsum rei, de qua est contractus, quamuis solùm inchoatum, & imperfectum: quia quousq; contractus est perfectus, non traditur dominium rei, qui autem nondum est dominus rei, nullatenus potest adhuc imperfectè ea vti, vtpotè adhuc aliena, quamuis sibi promissa: ergo inchoatio matrimonij per sponsalia non sufficit ad excusandum eius vsum per venerea oscula.

Sextò sponsalia sunt remota dispositio ad licitam copulam, nam proxima dispositio ad licitam copulam est matrimonium: Sed venerea delectatio, qua commouentur spiritus, & descendit substantia seminis, (vt ait Galenus *lib.14.de vsu partium, c.9.& 10.*) est proxima dispositio ad copulam: ergo solùm matrimonium, non autem sponsalia apta sunt veneream delectationẽ cohonestare.

QVÆSTIO XXIV.

Quanta sit obligatio prohibendi distillationem?

SVMMARIVM.

Prima conclusio quid sit distillatio. num.1.

Secunda conclusio procuratio, aut complacentia de distillatione est mortale peccatum. num.2.

In coniugibus non est mortale. num.3.

Tertia conclusio mortale est, non remouere causam per se influentem in distillationem. num.4.

Quarta conclusio veniale est non remouere causam per accidens influentem in distillationem, seu quæ non est mortalis in genere luxuriæ, si absit delectatio venerea. nu.5.

Curiosa turpium lectio, etiam cum graui libidinis motu, est tantùm veniale peccatum. num.6.

Quinta conclusio de distillatione, quæ accidit sine voluptate, etiam si sit cum aliquo turpi motu, non est magis, quàm de sudore curandum. num.7.

1 Dico primò, distillatio est non veri seminis, sed serosi cuiusdam humoris effusio, cum leui quadam pudendi commotione, vel sine ea, distillationem vocant Medici saliualem humiditatem, ita Auicenna *lib.3. fen.20. tractat.1. cap.30.* his verbis. *Quando membra spermatis mouentur ad operationem suam motu debili, tunc ea emittunt humiditatem salinalem, nam si motu forti mouerentur, tunc descenderet sperma*, ita Auicenna & Galenus, *lib.14. de vsu partium cap.9.* & Antonius Ponce Sanctacruz *in Hippocratica Philosophia tex.81.* vbi docet: *non omnem irritationem veneream ex semine, sed ex humore quodam seroso, acri, & mordaci præcipuè, excitari.* Ex Theologis S. Thomas *opusc.64. cap. de fluxu libidinis*, inde probat distillationem longè differre à pollutione, quia distillatio sæpè contingit in vigilia sine carnis commotione, & sine venerea delectatione, quod in pollutione non accidit: Disertè de eadem agit Io. Gerson *p.2. operum tract. de pollutione diurna in 1. notab. fol. mihi 483.* vbi sic scribit: *A corpore humano defluit multiplex humor per membra generationi deputata. Vnus est verè seminalis, alius verè vrinalis, alius quodammodo medius, qui potest appellari salinalis, vel sputalis, alius additur humor (præsertim in mulieribus) qui nominatur menstrualis, & huic similis quandoque masculo accidit ex infirmitate. Porrò facilè, & satis cognoscere patientibus secundum, & vltimum fluxum, quando scilicet ille est verè seminalis, vel menstrualis. Habet enim suam distinctionem in colore, & liquiditate, & talibus, exeunt præterea, vt communiter sine multa delectatione in membris genitalibus, præsertim nisi coniungantur aliæ causæ delectationis. Cæterùm humor propriè seminalis, & humor ille medius non ita faciliter secernuntur, propter similitudinem in albedine, & viscositate, seu tenacitate, & quadam spissitudine. Habent nihilominus distinctas proprietates, & diuersos ortus, & meatus, vnde defluunt.* Et infrà: *Humor ille medius fit ex quadam superfluitate alimenti, ne dum in quantitate, sed etiam in qualitate, quia scilicet ineptus est nutritioni, ineptus similiter generationi, velut in saliua videmus, & alijs superfluitatibus defluentibus à cerebro, tam per os, quàm per nares, istis parum, & rarius, & alijs abundantius, & crebrius. Immiscet autem se talis humor medius aliquando cum vrinatione, aliquando per se defluit sine cogitatione, & sensu; quandoque verò fit cum delectatione, & pruritu quodam, plusquam in vrina, quæ tamen vrina quandoque cum inordinatione quadam exit. Puto etiam nihilominus, quod vix, aut nunquam causat iste fluxus humoris medij talem motum delectationis, & concussionis, quasi totius corporis, specialiter in pudendis; nec ita perstringit, aut obnubilat in suo exitu iudicium rationis, sicuti euenit in humore verè seminali, quoniam, & ille humor seminalis magis digestus est, & ad causationem libidinosæ delectationis, nisi per frigidationem, aut aliundè corruptus sit, proportionaliter inuenitur. Habet insuper humor iste medius, quod ex leuioribus causis, ac maiori facilitate mouetur ad exitum, quàm seminalis præsertim in mulieribus, adeò quod ex leuissimo motu corporis de loco ad locum, vel inclinatione, absque aliqua cogitatione, & absq; sensu proueniat. Ex effectu verò percipitur, per sordidationẽ quamdam viscosam in carne sua, vel in pannis. Euenit autẽ facilius, & non sine aliquo sensu concomitante, vel prauo, dum personam dilectam, siue pulchram, siue turpem, siue iuuenem, siue senem, siue secularem, siue religiosam, & quandoque deuotam aspiciunt, aut tangunt, aut ei arrident, aut cõfabulantur, aut iocantur, aut etiam vbi nihil de opere carnali volunt, aut putant, nedum dicam peragere, sed nec cogitare.* Hæc Gerson.

17 Hinc benè docet Vasquez 1.2. *disp*.108.*cap*.3.vt quis
relinquat aliquid opus bonum, vt confessionem, & stu-
dium, omni culpa etiam veniali vacat, si sentiat in se
turpes motus, alioquin vix possemus bonis operibus
erga fratres nos exercere sine veniali. Potest etiam con-
iux ob morbi periculum se retrahere ab actu coniuga-
li, quamuis ob naturæ incitationem putetur sequutu-
ra pollutio Præpositus 1. 2. *quæst*.74. *art*.10. *dub*.1.

Imò Diana, *par*.6. *tract*. 6. *resol*.37. excusat coniu-
ges à peccato, si in signum amoris coniugalis, se am-
plectantur; quamuis præuideatur sequutura pollutio,
18 quia affectus coniugalis est sufficiens causa talem actum
exercendi; id tamen ego non admitterem, nisi aliqualis
necessitas, vel vtilitas adsit huiusmodi amplexus, qualis
esset vt foueatur amor inter coniuges, aut ne videatur
austerus, ita Sanchez *de matrim*. *lib*. 9. *disp*.45. *num*.38.
19 Sic ab omni peccato excusatur Chirurgus incidens in
pollutionem, ex tactu verendorum mulieris, etiam si sit
alius, qui mederi posset, Lessius, *lib*.4. *cap*.3. *nu*.48. Vas-
quez 1. 2. *disp*.115. *num*.9. Io. de la Cruz *in directorio
præcepto* 6. *dub*.9.
20 Qui nequit sine incommodo pedester incedere, potest
equitare, quamuis præuideat pollutionem, neque tunc
venialiter peccat Sanchez *de Matrim*. *lib*.9. *disp*.45. *num*.
21 8. Diana *par*.3. *tract*.5. *res*.22. Neque ob instantem pol-
lutionem, cum inurbanitatis nota, tenetur quis abstinere
à choreis, aut mulieris honestis osculis, ex patriæ more,
Sanchez, Bonacina, & Diana *vbi suprà*. Filliuccius, *to*.2.
tract.30. *c*.8. *nu*. 150. Villalob. *to*.2 *tract*.40. *diff*.16. *nu*.5.
22 Sic ad sedandum pruritum potest refricare verenda,
absque tamen periculo consensus, Sanchez, Filliucc. Re-
ginaldus, Bonac. & alij, quos sequitur Io. Sanchez *disp*.21.
num.30. qui tamen non rectè ait, id licere cum periculo
consensus, etenim non videtur hæc tam grauis causa, ex
qua tam euidenti periculo, quis se exponat.
23 Scholasticus tenetur sub veniali, nisi rationabilis cau-
sa excuset, intermittere curiosum studium artis medicæ,
vel anatomiæ, pro eo tempore, quo experitur se pollui,
aut grauem libidinis motum Sanch. *de matrim*. *lib*.9. *disp*.
45. *nu*.19. *&* 22. Lessius *lib*.4. *c*.3. *nu*.118. Pesantius 1. 2.
quæst.74. *art*.10. *disp*.5. *in fine*, quicquid dicat Io. Sanchez
disp.21. *num*.10. Ratio est, quia suppono posse illud stu-
dium commodè differri: ergo tenetur impedire, & resi-
stere turpi motui, aut pollutioni.
24 Tenetur quoq; quis sub veniali talem modum iacen-
25 di, v. g. supinum, euitare, sic tales cibos calidos, ex qui-
bus expertus est sæpè nocturnam pollutionem, si id sine
incommodo potest, ita Sotus *in* 4. *dist*.12. *qu*.1. *art*.7. *cir-
ca medium*. Vasquez 1.2. *disp*.115. *c*.3. *num*.9. Sanchez *de
matrim*. *lib*.9. *disp*.45. *nu*.16. Sayrus *in Claui Regia lib*.8.
c.5. *ante nu*.13. Toletus *lib*.5. *c*.13. *nu*.6. Curiel 1.2. *qu*.74.
art.8. *dub*.2. §. 3. Vndè perperam docuit Io. Sanchez *in
selectis disp*.21. *num*.12. nullum esse peccatum ita iacere,
aut talia comedere, quamuis sine vllo incommodo pos-
set abstinere; *Nam*, inquit, *Nec Medici assignare possunt il-
lum vel alium cubandi modum esse per se causam influen-
tem in pollutionem, si enim per se influeret, numquam tali-
ter dormienti deficeret pollutio*. Respondetur enim, quòd
ex supina diuturna dormitione calefiunt renes, vnde li-
quatur semen, & fluit, ita docet Galenus *lib*.6. *de locis af-
fectis c. vltimo*, *&* *de causis symptomatũ lib. vltimo c*.4. &
Auicenna *lib*.3. *fen*.20. *tra*.1. *c*.2. meritò dixit Horatius.

Nocturnam vestem maculat, ventremque supinum.

Ratio autem cur aliquando non sequatur pollutio, est
ob accidentale aliquod impedimentum, vt ex defectu
spirituum vitalium, qui non gignuntur ex infirmitate,
vel aliò auocati sunt, vel ob interclusam viam nequeunt
permeare ad instrumenta generationis, vt docuit San-
ctorellus *de natura sanitatis lib*.20. *c*.21.
26 Iustissima quoq; causa est, ne scrupulis crucietur, ali-
quas nocturnæ pollutionis causas non vitare; ita Gerson
par. 2. *operum tract*. *de præparat*. *ad Missam consid*. 6. *fol*.
mihi 473. vbi ait: *Patietur fortassè aliquis hæsitationes va-
rias, dum ad comedendum, aut dormiendum accesserit, di-
cetq; sic pollueris, si hoc, & hoc non omiseris, si tibi non
præcaueris; contemnat talia necesse est, qui discrimen ma-
gis imminere circumspicit, si non parem cum alijs viuendi
formam insequitur. Scrupulosis ergo contra scrupulos agen-
dum est, & fixo operis pede certandum*. (& infra) *mille sur-
gunt apud aliquos tales scrupuli, more canum oblatrantes,
quos compescere melius, quàm per contemptum nequimus.
Tantummodo sit contemptus iste timoratus, & non absque
prauio alterius consilio, alioquin, timor immoderatus facit
casum, aut præcipitat inconsulta præsumptio*. Ita Gerson.
27 Ex leuissimo incommodo excusarem ego eos, quibus
facilis est nocturna pollutio, vnde vt testatur Io. Gerson,
par.2. *operum de præpar*. *ad Missam considerat*.6. *fol*.473.
*Non omnium vna est complexionis harmonia, cognoui ho-
minem septuagenarium secularem, & valdè crapulosum,
qui numquam se pollutum fuisse dormiendo testabatur, &
hoc in alijs mirabatur; alium vidi religiosum, & sobrium,
qui per decennium, & amplius ferè quotidiana hac passione
vexatur*. Hæc Cancellarius.
28 Ex his quoque sequitur posse medicinam adhiberi ad
remouendos humores corruptos, etiam si per accidens
sequatur pollutio. Sanchez *de matrimonio lib*.9. *disp*.45.
nu.10. Turrianus *in selectis dis*.102. *Censura Theolog*. *dub*.
74. Diana *par*.4. *tract*.4. *res*.159. Filliuccius, *to*.2. *tract*.
30. *num*.149. Imò puto posse sumi medicinam, quæ non
tendat ad eijciendum semen per pudenda (hoc enim es-
set procurare per se pollutionem) sed corrumpat, & re-
soluat semen in sanguinem, aut sudorem, Sanchez *de ma-
trim*. *lib*.9. *disp*.17. *nu*.16. Præpositus 1.2. *qu*.74. *art*.10.
dub.1. contra Dianam *par*.6. *tract*.6. *resol*.37. Ratio est,
quia resolutio seminis non est pollutio: sola autem pollu-
tio est contra bonum generationis, ideò enim natura il-
lam inhibuit, ne eius delectatione contenti homines, nõ
curarent de copula, & sic de generatione: Et hæc est ra-
tio cur tanta, & tam stricta sit prohibitio pollutionis.

Vt autem quis teneatur saltem sub veniali remouere
causam nocturnæ pollutionis, debet habere moralẽ cer-
titudinem eam sequuturam, alioquin si dubitet non te-
29 netur; vt quia quamuis sæpè illam expertus sit sequu-
tam, sæpè quoque comperit non euenisse, ita ex Toleto,
& Syluestro docet Filliuccius *vbi suprà*, *num*.56.
30 Dico octauò, quando aliquid de se licitum est, neq; est
causa, seu non inducit periculum pollutionis, sed tantùm
distillationis, aut erectionis penis sine vlla prorsus ima-
ginatione, aut delectatione venerea, nullum omninò
peccatum est eam causam non tollere, quamuis nullum
incommodum esset eam remouere. Ita de distillatio-
ne, quando hæc accidit sine voluptate venerea, docent
communiter Doctores dicentes, tunc non magis de ip-
sa curandum, quàm de sudore, ita Caietan. *to*.1. *opusc*.22.
art.2. §. *aduerte tamen*. Sanch. *de matrim*. *lib*.9. *disp*.45. *n*.2.
Laym. *lib*.3. *sect*.4. *num*.18. Regin. *lib*.22. *cap*.3. *num*.43.

QVÆSTIO XXV.

Quando nocturna, aut diurna pollutio, vel delectatio sit voluntaria in causa? seu quando actio habeat malitiam præuisæ pollutionis, indè sequutæ, necessariò confitendam.

SVMMARIVM.

Prima conclusio tria requirũtur ad voluntariũ in causa. n.1.
Secunda cõclusio quãdo teneatur quis impedire effectũ? n.2.
Tertia conclusio vt consensus periculo, quis se exponat, magna necessitas requiritur. num.3.
Audiens Confessiones. num.4.
Chirurgus. num.5.
Equitans. num.6.
Quarta conclusio si absit periculum consensus, quæ causa sufficiat? num.7.
Quinta conclusio quãdo pollutio sit volũtaria in causa? n.8.
Verba amatoria. num.9.
Falsa est opinio Io. Sanchez, quod venerea oscula non habeant malitiam nocturnæ pollutionis præuisæ. num.10.
Quare pollutio rarò in vigilia, sæpè in somnis accidat? n.11.
An quis possit permittere cœptam in somnis pollutionẽ. n.12.
An peccet desiderans nocturnã pollutionẽ ob sanitatẽ. n.13.
Sexta conclusio quando causa pollutionis de se est veniale peccatum, est quoque veniale eam causam non remouere. num.14.
Visus, aut lectio curiosa quale peccatum? num.15.
Septima conclusio quando actio de se est indifferens, si influat in pollutionem, an peccet eam non remouens? num.16.
Quando excusatur à peccato, etiã si inde sequatur pollutio? Auditio Confessionum, studium. num.17.
Amplexus coniugalis. num.18.
Chirurgiæ exercitium. num.19.
Equitio. num.20.
Chorea, oscula. num.21.
Sedans pruritum. num.22.
Curiosum studium artis medicæ, aut anatomiæ. num.23.
Supina dormitio. num.24.
Esus calidorum. num.25.
Ne crucietur scrupulis. num.26.
Qui faciliter polluuntur. num.27.
Medicina ad remouendos humores corruptos. num.28.
Quid dubitat sequuturam pollutionem non tenetur remouere causam. num.29.
Octaua conclusio non peccat non remouens causam distillationis, aut erectionis, si ista sine delectatione venerea accidant. num.30.
Erectio quandoque accidit ex retentione vrinæ. num.31.

1 DIco primò, vt aliquid dicatur voluntarium in causa, seu indirectè, & interpretatiuè volitum, tria requiruntur, nempè quod sit præcognitum, quod possit impediri, & quod teneatur quis impedire, S. Thomas 1.2. *quæst.6. art.3.* vbi Caietanus, Medina, Lorca, Vasquez, & ibidem Valentia *disp.5. nu.1.*

2 Dico secundò, vt teneatur quis impedire effectum aliquem remouendo causam, prudenter cõsideranda, & inuicem conferenda est ex vna parte necessitas, aut vtilitas causæ, & an sit causa per se influens, vel per accidens in effectum; & ex altera parte consideranda est grauitas effectus v. g. consensus, cuius periculo quis exponitur, aut futuræ pollutionis; non enim cum maiori detrimento, periculo, aut scandalo teneor impedire, vt docet Io. Gers. *p. 2. operum tract. de pollutione diurna propositione* 10. Quarè maior necessitas requiritur, vt quis se exponat periculo consensus, ac si se exponat periculo pollutionis, & maior causa requiritur ad pollutionem diurnam mox instantem permittendam, quàm ad nocturnam, Io. Sanchez *in selectis, disp.21. num.9.*

3 Dico tertiò, vt quis se exponat graui periculo consensus, magna requiritur necessitas, non enim peccat, quis ex necessitate, & vrgenti causa periculo peccandi se exponit, S. Thomas 2.2. *q.10. art.9.* Caietan. *in Summ. V. periculum.* Nauarrus *cap.3. nu.15.* Sanchez *de matrim. lib.9. disp.45. nu.6. & in Sum. lib.1. c.8. nu.3.* Pontius *de matrim. lib.5. cap.35.*

4 Sic potest se exponere periculo consentiẽdi Parochus, qui ex officio audit fœminarum confessiones, expertus sæpè consentire se in pollutiones, Io. Sanchez *disp.21. nu.9.* secùs si quis audiat confessiones ex deuotione, quarum auditionem omittere potest sine scandalo, tenetur omittere, si sæpè expertus est se cõsẽtire, Tol. *l.5. c.13. n.9*

5 Chirurgus deficiente alio cum periculo consensus, quem sæpè expertus est, potest medendi causa tangere verenda fœminæ, & hæc cum illo periculo se tangi permittere potest, Sanch. *de matrim. lib.9. disp.45. nu.6.* Io. Sanchéz *vbi suprà*, qui etiam docet, posse equitare, cum periculo cõsensus in pollutionem eum, qui pedester ambulare non potest, aut id suum honorem conducit.

7 Dico quartò, etiam si nullum adsit consensus periculum, maior causa requiritur ad permittẽdam delectationem veneream, quæ in mente versatur, ac ad permittendam carnis commotionem in solo corpore: maior quoq; causa ad diurnam pollutionem, quàm ad distillationem, aut carnis titillationem, vel penis erectionem; & maior ad ista, quàm ad nocturnam pollutionem permittendã.

8 Dico quintò, omissis varijs Doctorum sententijs, verior, ac receptior opinio est tunc tantum pollutionẽ diurnam, aut nocturnam esse volontariã in causa, & contrahi mortalem malitiam molliciei, quãdo causa est per se influens, & mortale peccatum in genere luxuriæ: vndè tria requiruntur, nempè Primò, quòd sit mortale peccatum, quarè ex indeliberata delectatione venerea, non contrahitur peccatũ præuisæ pollutionis nocturnæ, vt si sequatur ex curioso aspectu fœminæ, ex curiosa turpiũ lectione. Ratio est, quia ista sunt venialia peccata in genere luxuriæ, veniale autem peccatũ nequit causare mortale. Secũdò, requiritur vt peccatũ mortale in genere luxuriæ, sit verè causa influens in pollutionem, posset enim non esse causa pollutionis, v.g. si quis comedat calida eo fine, vt sit potens ad fornicandũ, non tamen immoretur in cogitatione fornicationis, tunc finis fornicationis nõ est causa pollutionis nocturnæ, sed causa est tantùm esus calidorum, vndè tunc non erit peccatum mortale molliciei præuisæ, ita Caiet. 2.2. *q.154. ar.5. ante §. in responsione ad* 5. Dian. *p.2. tr.15. res.31.* Tertiò requiritur vt causa sit in genere luxuriæ, si enim esset peccatum mortale in alio genere, vt contra virtutẽ temperantiæ, prout est ebrietas, tunc non erit mortale peccatum molliciei ex præuisa pollutione, quãuis peccet venialiter contra castitatem. Ratio est, nã quod non est mortale in genere luxuriæ, nõ dicitur causa per se efficaciter influens in pollutionem, sed tantùm causa per accidens. Hæc est communior sententia, quam docent Suares 3. *part. q.8. art.7.* Vasqu. 1.2. *disp.115. n.9.*

Quod potest dici semen id, quod est ex parte fœminæ, quod est principium passiuum, & in 2. distinc.18. quæst.1. artic.2. ad 4. ait: *Sub rationibus seminalibus comprehenduntur, tam virtutes actiuæ, quàm passiuæ, quæ perfici possunt per agentia naturalia, sicut in generatione animalis, semen extenso modo dicitur non solùm sperma, sed etiam menstruum.* Ita S. Thomas eiusdem sententiæ videtur Albertus magnus, *lib.9. de animal. cap 3. & lib. 15. cap.11. & 6.* vbi ait: *Quod à mulieribus exit quoddam humidum album, quod tamen non habet spermatis virtutem, aut rationem, & à quibusdam exit, à quibusdam non exit; frequentiùs quidem exit à mulieribus albis, raro à nigris, & à fuscis mares parientibus.* Peripateticorum sententiam sequuntur quoque Zimarra, & Gentilis 1. *par. doctr.6. cap.2. dub.16.*

3 Probatur primò, Peripateticorum sententia ratione, nam in fœmina menstruum proportionaliter respondet virili semini: ergo in fœmina, præter menstruum sanguinem, non datur verè, & propriè aliud semen, correspondens virili semini, alioquin frustra darentur duo proportionalia: sicut enim natura non deficit in necessarijs, ita in superfluis non abundat. Quod autem in fęmina menstruum proportionale sit virilis seminis, patet diuersis indicijs, nam proportionaliter incipiunt, & desinunt, in pubertate, & senectute, semen in viro, & menstruum in fęmina; vox proportionaliter tunc mutatur; tunc in vtroque pili generantur; & membro humoris vtriusque receptiua, tunc distenduntur.

Respondet Caietan. 2. 2. *quæst.154. artic.12. versic. conferendo autem: non esse duo proportionalia, nam semen muliebre, & menstruus sanguis sunt vnius rationis, & pro vno computantur; differunt enim tantum secundum magis, & minus concoctum, & ideò cum dicitur quod menstruum est proportionale, non excluditur, sed includitur ille humor, qui dicitur semen.*

Contra, quia quamuis menstruus sanguis secundùm aliqua proportionetur virili semini, verè tamen, & propriè semen non est, cum seminis proprietates non habeat: ergo etiam ille humor qui dicitur semen muliebre, verè & propriè non est semen, sed tantùm solo nomine, & æquiuocè vocatur semen. Probo consequentiam; nam ex Caietan. sunt eiusdem rationis semen muliebre, & menstruum: sed hoc verè, & propriè non est semen: ergo neque illud.

4 Probatur secundò, quia quod verè est semen, nequit sine venerea voluptate excerni: at mulieres sæpè sine venerea delectatione concipiunt, vt refert Aristot. *lib.2. de generation. animal.lib. cap.4.* ergo verùm semen non emittunt.

Respondet Caietan. *hoc rarò euenire, quando autem accidit est ex aliqua indispositione naturæ.* Respondent alij ex Alberto *lib.15. de animal. cap.11.* id non esse, quia non emittunt semen, sed quia ante copulam ille humor albus descenderat, & seruatur in matrice, donec superueniat ei sperma, & tunc concipit. Alij ex Galeno *lib. primo de causis symptomat. cap.6.* Hyppocr. *lib. de natura puerorum, docent*: tenuem esse delectationem veneream mulierum ex isto semine, seu humore, & non sicut in viro, quia in viro est maior perfectio sensus tactus, procedens ex exactiori temperamento: tum quia virile semen, quia calidius, maiorem pruritum excitat: tum virile defertur, per vasa angustiora, anfractiora, & oblonga, cum maiori mora; muliebre verò semen per vasa ampla, & dilatata, ac breui mora, vndè cum tenuis sit delectatio, quandoque non sentitur.

Sed contrà, quia ex Galeno *lib.14. de vsu partium, cap.2. & lib.2. de semine, cap.4.* fœmineum semen habet pro obiecto afferre veneream voluptatem; ergo impossibile est illud sine voluptate excerni; ergo signum est non excerni, si nulla adsit voluptas in conceptione. Imò scribit Fernelius de Tiresia Thebano, qui vtrasque partes expertus, retulit fęminam in delectatione venerea vincere mares, & mulierem plus viro voluptatis concipere, quia elicit virile semen, suumque cum eo commiscet, vt docuit Leuinus Lemnius *de occultis naturæ, miraculis, lib.1. cap.6.* gratis autem dicitur à Caietano ex infirmitate non experiri veneream delectationem; nec enim tam vecordes erant sapientissimi naturalis historiæ Scriptores, quod ad infirmitatem non aduertissent: gratis quoque dicitur ex Alberto, non experiri voluptatem, quia anteà semen fęmineum receptum erat in matrice, nam antea sensissent delectationem, imò ex ijsdem medicis debet esse penè simultanea seminatio, vt sequatur generatio.

5 Probatur tertiò Aristot. *lib. 1. de gener. animalium, cap.20. & lib.2. cap.4. Nam non omnibus fœminis id semen excernitur, sed sanguineis tantùm: ijsque non omnibus*, & Albertus Magnus *lib.9. de animal. capit.3. & lib.15. cap.6.* vbi ait: *Exit à quibusdam mulieribus; à quibusdam non exit, frequentius quidem exit à mulieribus albis, & ab his, quæ frequentius pariunt fœminas; raro quidem exit à nigris, & à fuscis mares parientibus.* Ita Albertus.

Respondet Caietanus, quod quibusdam mulieribus conuenit seminare sensibiliter ab extra, & quibusdam solùm ad intrà, & fortè nescire hunc duplicem modum seminandi, causa est putandi, quod non omnes seminent.

Contrà, mirandum sanè nigras, & fuscas mulieres rarò seminare ab extra, & ideò non aduertere seminare se ad intra; imò mirabilius Aristoteli cæterisque Scriptoribus occultum, quod solus Caietanus aduertit.

6 Probatur quartò, ex Auicenna *lib.16. de animal. cap.3.* vbi ait, quòd causa spermatis est contraria causæ menstrui, ideò enim fęmina habet menstrua, quia propter frigiditatem, nequit sanguinem decoquere: ergo nequit esse ipsius semen sicuti viri.

Respondent, nequit esse, sicut viris perfectè decoctum; at est minus decoctum, & imperfectum: docet enim Galenus *lib.4. de vsu partium, cap.3.* fęmineum semen esse frigidum, & humidum propter caloris penuriam; maris verò esse summè decoctum, & ideò actiuum principium generationis, idem docet Sanct. Thom. *3. par. quæst.31. artic.5. ad tertium, & in 3. dist.3. qu.5. art.1.* & Albertus *lib.15. de anim. cap.10.*

Contra ergo defectu decoctionis deficit à ratione seminis, cum non sit causa efficiens generationis, quod conuenit semini.

7 Probatur quintò, nam fęminæ venereis vsu non macrescunt, neque elanguent, vt viri, imò vegetiores fiunt: ergo non est illis verum semen.

Respondent aliqui negando antecedens ex Aristot. *lib. 10. de histor. animal. cap.8.* vbi ait: quod mulieribus per somnum pollutis accidit solutio, & imbecillitas, tam-

tamquam si cum viro concubuissent. Alij vt Petrus Hurtadus *de generat. disp.2. sect.5.§. 60.* ideò tradunt macrescere viros, quia cùm sint calidiores, & magis actuosi, semen conficiunt celeriùs, illudque eiaculantur quoties congrediuntur; non item fœminas: tum quia fœminæ cùm sint humidiores, faciliùs possunt reparare damna, quàm mares natura sua licciores.

Contrà, causam quare mares ex copula macrescant, ac defatigentur, tradit Auicenna *fen.20. lib.3. tract.1. cap.11.* vbi docet: *Copulam veneream euacuare de substantia spiritus rem plurimam*, & idem Auicenna *lib.4. de animal. cap.3.* ait: *Debilitari corpus magis, quàm si quadragies exiret sanguis tantus, quia sperma est res habilitata ad transeundum in membra, quare testes magis exhausti priuentur alimento, trahuntque à partibus non solùm sanguinem quomodocumque, sed ita vt priuentur partes commodo alimento, exigua enim quantitas seminis ex multo sanguine conficitur, quemadmodum amylum ex farina.* Idemque docet Aristot. *sect.4. problem. quæst.22.* & Sanct. Thom. *in 2. distinc.30. quæst.2.* Ex his patet quanta spirituum copia, quanta caliditas, quàm perfecta concoctio, sit virilis seminis; adeò vt quadraginta sanguinis partes, vnam seminis conficiant; ergo cum muliebre semen frigidum, & humidum sit, ipsum semen meritò caret spirituum copia: caret concoctione, & parua sanguinis pars ad illud conficiendum sufficiet; adeò vt parua sit sanguinis alteratio, & ideò fœminæ venereo vsu non macrescunt, neque debilitantur, cum corporis partes suo commodo alimento non priuentur, sicut priuantur viri; ergo humor iste fœmineus verum, & proprium semen non est. Ad authoritatem Aristot. *de historia animalium*. Respondetur librum illum Aristotelis non esse. Ad id quod Petrus Hurtadus: Viros semen eiaculare quoties congrediuntur, non item fœminas, hoc ipsum contra Hurtadum retorquetur, nam ista semina diuersas omninò habent proprietates, quare, diuersas formas substantiales; virili enim proprium est mox eiaculari ob suam caliditatem; fœmineo verò ob suam frigiditatem, non item; quia hoc languidum, & emortuum est, & meritò, solo nomine, semen.

9 Probatur sextò, nam fœminæ similes sunt pueris, & spadonibus voce, & impubertate, neque sicut illi caluescunt: sed ideò hæc istis accidunt, quia semen prolificum non conficiunt, sed aqueum quendam humorem: ergo nec fœminis est verum, ac proprium semen, sed tantum aqueus humor.

Respondet Petrus Hurtadus *de generatione disput.2. sect.5. §. 58.* negando consequentiam; quia illa similitudo non oritur ex defectu seminis.

Contrà, gratis est contra manifestam experientiam id asserit Hurtadus, nam adolescens pubescere incipit, cùm semen ipsi prolificum aduenit; è contrà, seminarijs vasis compressis, aut amputatis in puero, perseuerat fœminea vox, & impubertas: ergo huius rei causa non alia, quàm semen.

Probatur septimò, & hæc est potissima huius sententiæ ratio, quia ex Arist. *de generat. anim. lib.1. cap.20.* Fœmina non habet concursum actiuum in prolem, sic enim scribit Philosophus; *Sed genituram à fœmina non conferri ad generationem, tamen aliquid conferri, idque esse menstruorum constitutionem, ex supradictis constat*; idemque docet S. Thom. *3. par. quæst.32. art.4.* Ergo fœmineus ille humor non est verè, & propriè semen, hoc enim à natura institutum est, vt ad generationem actiuè concurrat.

Respondent Medici negando antecedens cum Hyppocrate, ac Galeno; sed quia longiorem hæc quæstio requirit discussionem, eam in sequentem sectionem reijcimus.

Restat, vt aduersariorum argumentis respondeamus, qui contendunt fœmineum illum humorem esse verè, & propriè semen.

Obijciunt primò eiusdem Aristot. authoritatem qui *lib.10. de historia animalium cap.7.* ait: *Non sequi generationem, si non sint concordes in generatione, simulque non emittant; his nulli nascuntur filij*: ergo verum est fœminis semen, *& cap.8.* ait: *Quare manifestum est, quod ab vtrisque seminis fit emissio, si modò totum fœcundum futurum est.*

Respondeo librum decimum de historia animalium, non esse Aristot. quare meritò doctissimus Theodorus Gaza eum non transtulit, vt in sua refert præfatione.

10 Obijciunt secundò, quia fœminæ non secus, ac viri habent eadem vasa, semen deferentia, coquentia, & seruantia, vt ex anatome patet: ergo non frustra, sed ad generationem hæc instrumenta fuere à natura instituta. Præterea humor ille, qui in hisce vasis reseruatur albus, spumosus, ex sanguine confectus est; ergo ad generationem, non secus, ac virile semen confert.

Respondet Auerroes *lib.2. colliget cap.10.* & in paraphrasi *lib.1. de generat. animal. cap.20.* quod: *Esto vasa seminaria, non essent in fœminis ad deferendum, & de coquendum semen, frustra tamen non essent, sed notæ essent illarum partium*, quæ sunt in viris, vt patet in viri mammillis, ac talpæ oculis, nec tamen illæ ad lac conficiendum, nec isti ad videndum sunt.

Sed contra quicquid sit de oculis talparum, ac mammillis virorum; certè nec istæ ad lac, nec illi ad videndum iuuant, non sic vasa seminaria fœminarum, nam ista semen continent, decoquent, & dum adsunt pronocantur ad copulam, dum deficiunt, vt in fœminis suum, cum castrantur, nec copulantur, nec concubitum desiderant, nec sustinent.

11 Respondeo igitur duplicem esse in fœminis testium, ac seminis vsum; primarius enim, & præcipuus, ac per se, est delectare, ac prouocare ad venerea, sic sensit Galenus *lib.2. de semine, cap.4.* vbi hanc voluptatem veneream posuit esse vsum testium ac seminis fœminarum, & tradidit etiam idem Galenus *lib.14. de vsu partium cap.2.* his verbis: *Omnibus animalibus natura concipiendi instrumenta tribuit, ipsisque instrumentis eximiam quandam vim voluptatis effectricem*, itaque per se fœmineum semen, & pro primario obiecto habet afferre voluptatem veneream, eaque incitare ad copulam. Secundarius autem fœminei seminis vsus, isque per accidens est, quod quia maiorem habet concoctionem, ac sanguis menstruus, ideò affert materiam magis præparatam ad conceptum, & deseruit ad ipsam generationem, conferens materiam, id autem esse per accidens infra latissimè ostendam: patet ergo fœmineum illum humorem non esse verè, ac propriè semen.

Obijciunt tertiò, nam fœminæ ardent viros, ac polluuntur, & non secus ac viri, manuum contactu semen excernunt, & cum illud traijciunt in vterum, etiam absque virili congressu, magna perfruuntur volupta-

te, &

litatem propelli, nam id per accidens est, cum masturbatio per se tendat ad prolificum semen excernendum, quod etiam reuera excernitur. Vndè dispar ratio, in secando membro cuius dominium non habemus ob conseruationem totius corporis; illa enim abscissio licita est, quando aliud remedium non restat: at pro medicando semine corrupto, plura suppetunt remedia: sed esto in his circumstantijs, nullum occurreret remedium, mors potiùs subeunda est, quàm molliciei peccato fędari, etenim, vt supra ostendi, illa masturbatio mollicies est, quippè, quæ per se tendit ad veri seminis excretionem, & reuera excernit.

Quintò, sequeretur, quòd leprosis, qui semen corruptum habent, alijsque similibus, licitæ forent pollutiones, quod nemo hucusque dixit, vt ait Rebellius.

5 Sextò demonstrat experientia morbos virginum non contrahi ex veneris abstinentia; imò venereis conuersationibus, & illecebris compatari, quod testatur Sanctacruz *de hypocratica Philosophia, tex. 81. vers. legas, in fine*, vbi sic scribit: *Vnum autem aduertendum existimo, cum per multos annos circa ægrotos me exercuerim, longa obseruatione notaui, morbos virginum nullo pacto abstinentes Moniales opprimere, sed illas, quæ praua victus ratione, otio, libera confabulatione, & imaginationis dispendio, valetudinariè viuunt; abstinentes à venere, & alia ex parte mille modis ad proprios cruciatus, illam comparantes; at illæ quæ strictioribus legibus tenentur, & puritatis amore inflammantur, istorum morborum limina non nouerunt.* Hactenus pijssimus Sanctacruz. Ergo si virginum morbus, non virginitate, sed impuritate contrahitur, erit sanè puritate curandus. Probo consequentiam ex doctissimorum Medicorum doctrina, præsertim Dominici Leoni, *tract. de arte medendi, sect. 3. lib. 6. c. 10:* vbi de huius morbi causa agens, sic scribit: *Verùm quia Diuinis legibus plerumque venerit vsus, vt res nefaria interdicitur, victu attenuante, exercitio vehementi, & laborioso, præseruanda est; sit sollicita de rebus domesticis, fugiat otium, cantilenas, & sermones amatorios;* Ita ille, alijque omnes, qui inedia, labore, castisque colloquijs, ex retento semine, morbum curandum præcipiunt.

Nec reticeam doctissimum Hieronymum Mercurialem *in lib. 2. Epidem. hipp. fol. mihi 163.* dilucidè probare falsum esse, retentum semen in venenum conuerti. *Nunquam enim neq; Hippoc. neque Plato, neque Arist. de hac re quicquam dixerunt: tum quia si semen corrumpitur hoc fit in gonorrhea, tunc autem præter acedinem, & mordacitatem nihil habet mali. Præterea bruta eo firmiora, & robustiora sunt, quo magis conseruant semen. Deinde quot sunt Sacerdotes, & virgines, quibus semen retinetur, nec accidentia illa eueniunt. Tùm si semen excedit, natura per somnum ejcit: Denique assignatur causa eorum accidentium, nempè retentio mensium in mulieribus;* Itaque aut Mercurialis vitanda est medico hæc falsa opinio de semine in venenum conuerso, mentes potiùs in virginibus prouocandi.

6 Septimò putridum semen ex virgine, vterino furore laborantem, sic se extraxisse scribit Alphonsus de Sanctacruce *in opusculo de Melancholia dialogo 5. in 4. ægroto*, vbi ait: *Ex ipsomet vtero vitiosum, superantemque succum extrahere decreui, idque actum est pessarijs quibusdam ex theriaca dyatesseron, & alijs ex puluere hiera, & succo mercurialium cum melle, quibus sanies calidissima magna extrahebatur quantitas, sic vt vteri os excoriaretur. Quibus remedijs resipuit intra mensem, & ante. Quapropter non opus fuit illi auxilio Hippocratis vti, vt virum cohabitaret pro vt ille scribit lib. de morbis virginum*; idemque Alphonsus de Sanctacruce *in eodem dialogo 5. in 5. ægroto*, duas alias refert, eiusdem morbi curationes duorum nobilium, qui paucis ante diebus religiosa septa ingressi fuerant; fuit autem hæc curatio. *In primis tenui victu, & aqua potu, cænis demptis, demum clysteribus aliquibus, duobus primis diebus, post sanguinis extractionibus ex basilicis ambabus, & intra quinquaginta dies, nec metus, nec mestitia, nec suffocatio adfuit*, ait Sanctacrucius; Cum ergo præsto sint medicamenta ad morbos virginum curandos, execrandæ sunt turpissimæ masturbationum impuritates.

Obijcies licitum est per se, & directè eijcere infantem mortuum ex vtero, non enim est fœtus, sed putredo: ergo per se, & directè eijcere corruptum semen; non est enim semen, sed sanies.

Respondetur multiplex esse discrimen, nam corruptum semen alio pacto, quàm per genitalia propelli potest; non autem mortuus infans: præterea cum infante mortuo, non eijcitur viuens, secus enim esset, si esset alter ex gemellis fętibus viuens; at cùm corrupto semine, prolificum quoque eijcitur (vt testatur Sanctacrucius *de hippocratica Philosophia, tex. 91.*) Denique nulla voluptas venerea in illa mortui infantis eiectione; at maxima voluptas venerea est in spurcissima illa confricatione. Sed vt hæc postrema ratio desumpta ex voluptate venerea (quæ est in ea confricatione ad eijciendum corruptum semen, quæque conuincit nostram sententiam esse certam, & oppositam falsam) euidentiùs pateat, operepretium est explicare, cur tam strictè prohibita sit voluntaria pollutio extra vas, vt neque ad vitandam certissimam mortem, ea liceat? Communis ratio est, quia semen institutum est, non ad indiuidui bonum, sed ad speciei conseruationem, medio coniugali congressu; quare eius dominium, & administratio nullatenus concessa sunt homini, atque adeo eius effusionem extra coniugalem copulam in nullo euentu procurare poterit, bonum enim speciei præfertur bono indiuidui. Hanc communem rationem validissimis argumētis impugnat Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 17. num. 16.* præsertim, quia ad conseruandam vitam, licet testes, qui sunt seminis instrumenta, amputare; ergo & semen eijcere; illis enim truncatis, alij certè non nascentur; semine autem effuso, aliud succedet. Deinde ad speciei conseruationem magis proximè accedit fętus, quàm semen; at ex communi sententia, vt probat idem Sanchez *lib. 9. disp. 20. num. 9.* licet procurare, ob matris vitam tuendam, expulsionem fętus non animati. Præter hæc argumenta, & alia à Sanchez allata, aliud ipse afferam; nam quando concurrunt publicum damnum, ac priuatum, præfertur damnum priuatum, certum, grauissimum, & instans, 3
damno publico, incertissimo, leui, & futuro, sed cum in his circumstantijs ex medicorum consilio, nulla alia suppetunt remedia præter seminis effusionem, & instat præsens mors, quod est damnum indiuidui, certum, grauissimum, & præsens, debet præferri damno speciei, seu generationis, quod est dubium futurum, & leue, nam ob vitandam mortem eiecto hoc semine, aliud succedet.

Quare Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 17. num. 16.* doctè, & acutè, ait, illicitam esse, & à natura omni casu interdictam seminis effusionem, quæ fit (vt etiam ait Lessius

lib. 4.

te, & cum semine abundant, venereis stimulis, flammisque vrgentur, mansuescunt autem, igne extincto, forasque proiecto. Itaque sic ex Caietano arguitur: venerea delectatio per se à natura ordinatur ad generationem; sed in semine fęmineo experitur venerea delectatio; ergo per se fęmineum semen ad generationem institutum est: ergo est verè, & propriè semen.

12 Respondetur disting. consequens, semen fęmineum per se ordinatur ad generationem immediatè, quasi per se actiuè, aut per se passiuè ad generationem concurrar nego, vt infra probabo: per se ordinatur ad generationem mediatè, quia per se est ad delectationem veneream, quæ ad generationem instituta est à natura, concedo; sicuti gustus per se immediatè ordinatur ad saporem; mediatè verò ad nutritionem.

Respondetur secundò, semen fęmineum per se ordinatur ad generationem, distinguo, dispositiuè, concedo; quia per se habet afferre delectationem veneream, quæ est dispositio ad generationem: ordinatur per se ad generationem efficienter, aut materialiter nego; quia non est causa efficiens generationis, neque per se, est materia fętus.

SECTIO II.

An semen fęmineum concurrat actiuè ad generationem fętus?

S V M M A R I V M.

Affirmatiua sententia est communis Medicorum, cui multi ex Theologis, ac Patribus consentiunt. numer.13, 14. & 15.

Eadem membra sunt viro, ac mulieri, in illo tamen extra in ista intra corpus. num.16.

Negatiua sententia est Aristot. & S. Thomæ, ac aliorum. num.17. & 18.

Semen aquosum est infœcundum. num.19.

Quando fiat mixtio? num.20.

Si fœmineum semen est actiuum, sequeretur, quod fœmina sine viri consortio, generare posset. num.21.

Cur eadem seminaria vasa data viro, ac fœminæ? nu.22.

Vnde est similitudo filiorum? num.23.

Fœmineum semen vterum intrare, nec ratione, nec experimento conuincitur. num.24.

Esto quod vterum intraret, non concurrit actiuè. nu.25.

Quomodo semen viri agat in seipsum? num.26.

Cur vir, & fœmina sint eiusdem speciei, quamuis habeant diuersa accidentia, ac proprietates. num.27.

13 AFfirmant communiter Medici, quorum Princeps Hippocrate *lib. 1. de genitura, & lib. de dieta tex. 71.* Galenus *lib.14. de vsu partium c.11. & lib.2. de semine c.3. & lib.2. de facult. natural. c.3.* Auicenna *doctrina 5. fen. prima libri primi.* Frãciscus Vallesius *lib.1. controuers. cap. 6. & lib.2. cap.7.* Peramatus *lib. de semine,* Andreas Laurentius *lib.8. historia atonomica cap. 2. quæst.5. & cap.4. quæst.11.* Valleriola, *lib.1. locorum communium, cap.17.* Fernelius Physiologiæ, *lib.7. cap.6.* Ambrosius Paræus *de Anatomia, lib.23. cap.1.* Iacobus Guillemaus *de generatione fol.205.* Io. Baptista Saluaticus *in controuers. medic. cap.79.* Sancta Cruz *de Hippocrat. Philosoph. super tex. 73. de dieta* Plutarchus *de placitis Philosophorum lib.5. caput.5.* Lactantius Firmianus *de opificio Dei cap.12.* Nemesius *de natura hominis cap.25.* Thomas à Vega *in lib.6. Galeni de locis affectis & lib.1. Methodi, cap.4.* Vesalius *lib. 5. de fabrica humani corporis, cap.5.* Leuinus Lemnius *de occultis naturæ miraculis, lib.4. cap.23.* Cardanus *lib.2. contradictionum, tract.6. cap.2.*
14 Thomas *de Garbo lib.1. tract.5. cap.57. & 58.* Sanctorellus *de sanitatis natura, lib.14. cap.3. & 4.*

Ex Theologis, ac Philosophis idem tradiderunt Sco-
tus *in 3. distinc.4. quæst. vnica, ibid. S. Bonau. artic.2.*
quæst.1. Gabriel *quæst. vnica,* Maior *quæst.3.* Okamus
quæst.3. artic.3. Ferrariensis *in 4. contra gentes, cap.11.*
Inclinat Suarez *3. par. tom.2. disput.10. sect.2. §. hæ ra-*
tiones, Conimbricens. *de generat. lib.1. cap.4. quæst.27.*
artic.2. Petrus Hurtadus de Mendozza *de generatione,*
15 *disp.2. sect.6.* neque videntur Patres ab hac sententia
alieni, cum Christum ex semine Virginis conceptum
dicunt, ita enim loquitur S. Anselmus *lib. de concept.*
Virginis, cap.8. & in cap.14. Iob Rupertus, *cap.14. in*
Iob; & Beda *in cap.11. Lucæ, lib.4. c.49.*

Probat primò Galenus, nam ex Anatomia constat,
16 eandem esse formam, seu figuram membrorum sper-
maticorum mulieris, ac viri, solùm hoc est discrimen,
quod in muliere sunt intra corpus; in viro extra: ergo
si eadem est figura, & forma, eadem erit actio, alioquin
frustra essent in muliere testes creari.

Probat secundò Galenus, quia quandoque filius assimilatur patri, quandoque matri: ergo hæc similitudo fit ex causa aliqua communi ipsis: ergo vel esset sanguis, vel semen: sed non est sanguis; nam cum fœmina tantùm sanguinem ministret, semper matri esset similis filius, neque semen virile tantùm, alioquin semper filius esset similis patri: ergo est semen maris, vel fœminæ, quandoq; enim vnum, quandoque aliud præualet.

Probatur tertiò, quia semen fœmineum vterum intrat, quo recepto ita clauditur os vteri, vt nec acus cuspidem admittat: ergo vel hoc semen corrumpitur, & ita venenosum esset, ac morbos causaret; vel foras eijcitur (vt voluit Aristot. *lib.2. de generat. animal. cap.3.* vbi ait: *Hoc inquam genituræ semen dissoluitur, versumque in spiritum euanescit, cum naturam humidum aquosumque habeat*) & tunc exitum prohibet obstructum vteri os, & distenderetur vterus doloresque causaret, eiusq; exitus crepitu perciperetur: ergo dicendum illud ad generationem cum virili semine concurrere: sed non concurrit passiuè tantùm, sufficiens enim materia conceptus est sanguis menstruus: ergo actiuè, & efficienter concurrit.

Probatur quartò, quia alioquin si solum virile semen esset actiuum, hoc in seipsum ageret: per actiuam transmutationem corrumpendo seipsum: sed nihil est, quod ad sui destructionem tendat: ergo dicendum est, vtrumque semen inuicem agere, & reagere, vnde producitur mixtum, nempè fœtus, quod indicauit Hyppocrates *lib.1. de dieta, tex.71.* his verbis: *Neque solum virum hoc facere oportet, sed etiam mulierem, non enim solùm quod à viro excernitur tale est, sed etiam quod à muliere, cum ambo (idest fęmina) in idem coinciderint mutuò in se incurrunt, ignis ad ignem, & aqua similiter.*

Probatur quintò, quia in virili semine facultas generandi est actiua: ergo etiam in semine fœmineo erit actiua potentia. Consequentia probatur; quia iste seminum

facultа-

facultates, consequuntur formas substantiales, nempè animæ viri, & fœminæ eiusdem speciei: ergo sunt facultates actiuæ eiusdem speciei.

Probatur sextò, nam inductione patet, omnes facultates animæ vegetatiuæ esse actiuas; ergo etiam facultas seminis fœminei erit actiua.

Probatur septimò, quia ex Caietano 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 12. delectatio venerea per se ordinatur ad generationem: sed fœmina in seminis effusione veneream experitur voluptatem: ergo fœmineum semen ad generationem efficiendam ordinatur.

17 His tamen non obstantibus, Dico fœmineum semen non concurrere actiuè ad generationem, ità Aristoteles *libro* 1. *de generat. animal. cap.* 19. *&* 20. vbi Auerroes *& lib.* 2. *cap.* 4. Auicenna *lib.* 9. *de natura animal. cap.* 3. parum sibi constans, vbi ait: *materia mulieris, quæ dicitur sperma, non habet in se virtutem generatiuam, sed potestatem tantùm, vt in ea fiat generatio.*

Idem docet Auicenna, *lib.* 3. *fen.* 20. *trac.* 1. *cap.* 3. Albertus Magnus *de animal. lib.* 15. *tract.* 2. *cap.* 11. *& lib.* 16. *tract.* 1. *cap.* 14. idem sensit Plinius *lib.* 7. *cap.* 15. his verbis. *Quibus menstruale profluuium numquam contingit, eas mulieres constat non gignere, quando hæc est generanti homini materia, semine è maribus coaguli modo, hoc in sese glomerante.* E Medicis idem docuerunt Petrus Gar-

18 sia *in primam fen. disp.* 36. *c.* 5. *&* 6. Andreas Cæsalpinus, *quæstionum Peripateticarum, lib.* 5. *quæst.* 30. & Hugo Senensis *super libros Tecbni, Galeno lib.* 2. §. *frigidum verò, & siccum, tex.* 1. Ex Theologis, ac Philosophis idem senserunt S. Thomas 3. *part. quæst.* 31. *art.* 3. *ad* 3. Durandus *in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 1. Capreolus *dist.* 4. *quæst. vnica, artic.* 3. Paludanus *quæst.* 2. Marsilius *quæst.* 5. *artic.* 2. Alensis 5. *Metaphis. tex.* 29. Soncinas 8. *Metaphis. quæst.* 16. Heruæus *tract. de vnitate formarum, quæst.* 18. Abulensis *paradoxo primo, cap.* 48. vbi ait: *Semen fœmineum esse purè passiuum*, Pineda *de rebus Salomonis, lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 3.

19 Probatur primò, nam ex Galeno *lib.* 1. *de semine cap.* 4. semen aquosum, & incoctum est infæcundum: sed ex eodem Galeno *lib.* 14. *de vsu partium cap.* 6. fœminæ habent aqueum, & incoctum semen: ergo infæcundum, seu ineptum ad efficiendam generationem.

20 Probatur secundò, quia tunc mixtio fit quando alterum contrariorum non est simpliciter dominans; alioquin non sequitur mixtio, sed generatio, cum ex parte vnius fit victoria, vt docet *Auerroes* 2. *de generat. & corrupt. comm.* 48. Sed quando concurrunt semen fœmineum, ac virile, istud quia calidissimum, & quia ingentem continet copiam spirituum, & perfectè decoctum est, vt docent Arist. *de generat. anim. lib.* 1. *cap.* 19. *&* 20. *& sect.* 4. *probl. quæst.* 22. Auicenna, *fen.* 20. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 11. *& de animal. lib.* 4. *cap.* 3. Semen verò fœmineum non est in æquali gradu frigiditatis, ideò virile semen est simpliciter dominans. Ergo hoc tantùm est actiuum, illud autem merè passiuum.

21 Probatur tertiò, quia sequeretur solo fœmineo semine posse sequi generationem, absque virilis seminis consortio. Sequela probatur; nam non est defectus ex parte loci accomodati, neque ex parte causæ materialis; hæc enim est menstruus sanguis, neque ex parte causæ efficientis, semen enim fœmineum est eiusdem rationis cum virili, vt voluit Galenus, *lib.* 2. *de semine cap.* 2. vbi ait: *masculi, & fœmina semina vniuocè conuenire, & lib.* 14. *de vsu partium cap.* 7. Ergo posset augeri intensio, aut quantitas fœminei seminis, & supplere concursum seminis virilis.

Respondet primò Vallesius, *lib.* 2. *controuers. cap.* 10. ex Galeno *lib.* 2. *de semine cap.* 6. quod nequit id contingere, nam vel fœmina adeò abbundat calore, vt perfectè decoquere possit semen, & tunc non potest sequi generatio, defectu sanguinis menstrui; qui est causa materialis, nam vt refert Arist. 2. *de generat. anim. cap.* 5. cùm abundat calor deficiunt menstrua; sic viragines non habent purgationem menstruam, vel satis exiguam, & insufficientem ad generationem: vel non abundat calor, & tunc fœmina nequit perficere, & decoquere semen aptum ad generationem.

Contra primò ex Petro Garzia *fen.* 1. *disp.* 36. *cap.* 5. *num.* 14. quia mulieres calidæ, & viragines non adeò patiuntur menstrui sanguinis defectum; vt quamuis non possint per nouem menses fœtum nutrire, tamen nequeant fœtum concipere, quia ad concipiendum, in principio, sufficit exigua quantitas.

Contra secundò, sit mulier habens sufficientem copiam sanguinis menstrui, hæc posset congredi cum alia muliere calida habente perfectè decoctum semen, tunc conciperet sine virili semine; neque dicas non posse defecto instrumenti deferri semen in vterum, nam sufficit vis attractiua vteri; sic Amatus *centur.* 7. *curat.* 18. refert concepisse mulierem, eò quòd congressa est cum alia, quæ à suo viro paulò antè cognita fuerat: nam ab ista virile semen vterus attraxit, & concepit.

Respondet secundò Peramatus *lib. de semine*, vtrumque semen esse necessarium, sed in diuerso genere causæ, nam semen virile in genere causæ efficientis est efficacius, fœmineum verò in genere causæ materialis præualet, quamuis quodlibet semen actiuè, ac passiuè concurrat.

Contra quia quatenus muliebre semen est imperfectius in genere causæ efficientis, ita suppleri potest à virili, quatenus præualet in genere causæ materialis, ita suppletur à menstruo sanguine: ergo adhuc sine fœmineo semine sequi potest conceptio.

Respondet tertiò, alij non posse vnum semen ab altero suppleri, quia semina ista continent in se diuersas specie qualitates, & diuersæ sunt speciei: ergo vtrumque semen constat vnam causam totalem; quando autem causæ partiales, sunt diuersæ speciei, tunc nequit vna ab altera suppleri; vt patet in intellectu, & specie impressa; nequit enim hæc concursum illius supplere, neque è contrà, quod optimè explicauit Abulensis *paradoxo* 1. *cap.* 50. his verbis: *Semen fœmininum est tantæ frigiditatis, & humiditatis, quod sub eisdem qualitatibus manens, non est aptum ad hoc, quod ex eo corpus humanum generetur; semen etiam masculinum tanta caliditatis est, quod sub eadem dispositione non est conueniens ad conceptionem causandam; oportuit ergo dari, quod vnum semen alterum temperaret, & sic ex vtroq; conceptio compleretur.* Hæc Abulensis.

Contra primò, quia vt idem Abulensis mox subdit: *Semen virile est calidum in excessiuo gradu caloris, & non conuenit conceptioni, sed reducitur ad conuenientem armoniam per magnam humiditatem; & frigiditatem menstrui fœminini.* Ita Abulensis, & quamuis ibi nomine menstrui, lato vocabulo, intelligat Abulensis fœmineum semen, eadem tamen ratio est de ipso sanguine menstruo,

menstruo, hic enim per suam frigiditatem, & humiditatem, non minus ac semen fœmineum aptum est temperare virile semen: ergo semen fœmineum non est ad conceptionem necessarium; sed eius concursus à sanguine menstruo suppletur.

Contra secundò, nam si semen femineum actiuè concurrit, adhuc sequitur solo fœmineo semine generari posse, quod sic ostendo, sit virago, cuius semen calidissimum, ac perfectè decoctum sit, non minùs, quàm virile; hæc congrediatur cum femina aliquantulum frigida, & calidissimæ viraginis semen recipiatur in istius succubæ vterum; tunc hæc semina inuicem se temperant: ergo apta erunt ad generationem: ergo sine virili semine pariet femina.

Respondet quartò Sanctorellus *de sanitatis natura lib.* 14. *cap.4.* ideò defectum alterius seminis non posse suppleri, quia mulieris, & viri semina contraria sunt: ergo nequit vnum alterum supplere; sicuti defectum ignis nequit supplere aqua. Contraria autem esse probatur ex Galeno 5. *Aphor.62.* vbi docet: *Intemperatam mulierem tunc concipere cum commiscetur viro contraria in temperie affecto, vt frigida calido, aut calida frigido*; tum quia oportet hæc semina permisceri: ergo inuicem agere: ergo oportet esse contraria; tum quia nequit noua forma induci nisi semina corrumpantur, nequeunt autem aliundè, nisi quia contraria, inuicem agendo corrumpi,

Contra redit præcedens argumentum, nam frigidissima femina, calidissimæ permisceatur, erunt hæc semina inuicem contraria; inuicem agent; inuicem corrumpentur: ergo sine virili semine concipiat.

Restat vt ad contraria argumenta respondeamus.

22 Ad primum respondet Auerroes in *paraphrasi ad lib. 1. Arist. de generat. animal. cap.20.* nam inquit: *Cum concedamus seminaria vasa feminæ, ac viri, esse eadem figura, quamuis differant loco, & situ, non propterea concedimus eorum operationes esse easdem, manifestum est enim, quod actio vulua, non est actio membrana testium, neque penis operatio est actio colli matricis, res autem operationibus distinguuntur, non figura. Concedimusque testes esse eosdem figura, non tamen sequitur eandem habere actionem, adeò quod teneamur dicere, quod si semen femineum non conueniret generationi, esset frustrata natura. Fatetur enim ipsemet Galenus mammas mulieris fuisse gratia lactis, viri verò non propter lac, sed alterius iuuamenti gratia; Indicate ergo quid prohibeat, ne testes mulieris, atque maris eodem modo se habeant, vt mamma videlicet, quod non sit eadem actio maris, & feminæ: sitque eorum operatio in mare ad generandum semen promptum generationi, & in femina ad extrahendum humiditatem aptam extrahi pro delectatione ad copulam necessaria, vt in hoc species conseruetur.* Hæc Auerroes. Itaque vtriusque seminaria vasa à natura instituta sunt ad semen efficiendum; sed diuersæ virtutis; virile semen enim & delectat, & efficit generationem, fœmineum verò ratione suæ humiditatis, ac frigiditatis per se, & primariò delectare habet, & incitare ad copulam, secundariò verò, & per accidens generationis materiam subministrat; nequaquam verò agit; igitur non est frustrata natura, si virtute actiua careat fœmineum semen.

23 Ad secundum Respondetur argumentum non conuincere, alioquin si ex actiuitate vtriusque seminis procederet filiorum similitudo; cum magis actiuum sit virile, filius semper esset similis patri, non matri. Vnde autem proueniat ista similitudo, alibi dixi, vide latè disputantem Petrum Garsiam *in primam fen. disputat.37.* Franciscum Vallesium *de sacra Philosophia capit.11.* Paulum Vecchi *obseruat. medicarum in sacram script. obser.32.* Leuinum Lemnium *de occultis naturæ miraculis lib.1. capit.4.* Abulensem *in Genesis capit.30. quæst.10.* & Pererium *ibidem disput.4.* communiter autem id tribuunt vehementi imaginationi in ipso actu generandi habitæ.

24 Ad tertium multiplex patet responsio: Petrus Garsia *in primam fen.disp.36. cap.6.* ait: *Nec ratione nec experimento conuinci fœmineum semen vterum intrare.* Vnde Aristoteles *de generat. anim. lib.2. cap.4.* negat omninò vterum intrare, quia frustrà foras eijceretur, vt intraret post eiectionem. Secundò alij dicunt, sicut inconueniens non est, feces sanguinis menstrui, vsque ad purgationis tempus in vtero permanere, ita, & fœmineum semen, quippè quod non fuit institutum à natura, nisi vt sua voluptate ad venerem incitet. Tertiò ex Aristotele *lib.2. de generat. animal. capit.3.* dici potest in flatum solui, & insensibiliter exire, rectè enim scribit Petrus Hurtadus *de generat. disput.2.* §.88. non ita obstruitur vterus cemento, quin possit aperiri, cùm aperiatur ad excludendum menstruum, aliquando aqueum humorem, & ad excipiendum nouum semen, ex quo contingit superfœtatio. Natura enim quæ claudit ostia, eadem aperit cùm expe-
25 dit, licèt ea iterùm obseret. Quartò faciliùs, ac verius respondetur, semen illud fœmineum, non frustra vterum ingredi, sed conceptui præbere materiam, quamuis non per se, & necessariò, sed per accidens, nam & cum deest, sufficit ad generationis materiam ipse menstruus sanguis, quod sequenti sectione ostendam.

26 Ad quartum respondetur, quòd sicut in plantis vna pars seminis in aliam partem agit, vt docet Sanct. Thomas 3. *par. quæst.32. artic.4.* ita contingit in semine virili, cuius spirituosa pars in cæteras crassas agit; ea autem spirituosa pars non corrumpitur, sed perseuerat ille spiritus in ipso fœtu, & ita semen non corrumpit se ipsum, nam diuersæ partes seminis diuersis æquiualent subiectis.

Ad quintum respondetur diuersa esse accidentia vtriusque seminis, quare mirum non est habere diuersas facultates, seu potentias. Neque refert seminum facultates consequi formas substantiales eiusdem spe-
27 ciei, vt animæ; nam sicut diuersa organa maris, & feminæ, non auferunt, quin sint vir, & femina eiusdem speciei; ita neque diuersam esse virtutem, ac potentiam in semine femineo, ac virili, arguit specie differre. Ratio est, quia, vt docet Aristoteles *lib.10. metaph. cap.4.* vbi S.Thomas, illa contrarietas tollit vnitatem specificam, quæ est ex parte formæ, quando scilicet forma substantialis est radicale principium diuersorum accidentium, ita vt nequeat sub alijs accidentibus conseruari; illa verò contrarietas non tollit vnitatem specificam, quæ est ex parte materiæ, hæc enim est indiuiduationis principium: Sed esse masculum, & feminam non se tenet ex parte formæ,

idest animæ, quia anima apta est, esse in hoc vel illo corpore, virili, vel fęmineo, sub his vel illis accidentibus; ad quæ indifferens est; & patet in hermaphrodito, nam sub fęminæ, & viri accidentibus eadem est anima; ergo ista contrarietas se tenet ex parte materiæ, seu corporis, non animæ, seu formæ: & sic non est diuersitas specifica,

Ad sextum Respondetur esse facultatem animæ vegetatiuæ concoctionem seminis, decoquere autem agere est; at non est facultas animæ vegetatiuæ, virtus, seu ipsa facultas, quæ inest in semine.

Ad septimũ Respondetur delectationem veneream, si quando adest in fęminei seminis effusione, per se ordinari ad generationem, sed non immediatè, quasi ipsum semen generationem attingeret; ergo mediatè tantùm, prout suprà explicaui, nempè sicut organum gustus mediatè ordinatur ad nutritionem animalis. Seu (vtsuprà dixi) per se ordinatur delectatio venerea ad generationem dispositiuè, non autem efficienter,

---

SECTIO III,

An fęmineum semen per se, & non per accidens sit materia generationis?

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num.28.

Planta habent sexum fæmininum. num.29.

Negant probabilius alijs. num.30.

Siue semine fæmineo aliqua mulieres concipiunt, præsertim nigra, & fusca, mares parientes. num.31.

Materia conceptus ex Galeno est sanguis menstruus. numer.32.

Menstruum est semen incoctum, & imprępparatum. numer.33.

Præparatio menstrui potest fieri ab ipso vtero, numer.34.

Concurrente fæmineo semine facilius contingit generatio. num.35.

Cur mulieres excectis testibus euadunt steriles? numer. 36.

28 AFfirmant Aliqui, ita Auicenna *fen.20. lib.3. tract. 1. cap.3.*

Probant primò, quia pars seminis plantarum, quæ se habet passiuè (ratione cuius dixit Aristoteles, & docet
29 S. Thom.3. *par. quæst.32. art.4. in corpore*, plantas habere sexum fęmineum admixtum) est materia necessaria ad generationem plantæ: ergo idem dicendum in semine animalium.

Probatur secundò, quia mulieres, quæ detractis testibus semen non conficiunt, steriles sunt: ergo semen fęmineum est saltem passiuè per se necessarium ad generationem.

Probant tertiò semen fęmineum necessarium est passiuè ad generationem membranarum, quæ nequeunt fieri ex semine virili, vt docet Galenus *lib.2. de semine cap.4.* Præterea, quia nequit fieri, omnes vteri partes virili semine circumliniri, quippè quod recta eiaculatione per vteri ceruicem in fundum traijcitur, vnde reflecti ad latera, vsque ad eius cornua nullo pacto potest: ergo per se necessarium est ad conceptum sperma muliebre, tamquam materia conceptus.

Probatur quartò alioquin superfluum esset post nutritionem testium, conseruari in vasis seminalibus partem seminis, si pars hæc non esset necessaria ad aliquam causalitatem, ob bonum generationis; etenim iecur, & ventriculum non seruant, nisi id quod necessarium est ad sui conseruationem, & nutritionem: Ergo fęminæ semen per se requiritur ad generationem.

30 His tamen non obstantibus: Respondetur semen fęminæ non esse per se necessarium ad generationem, vt concurrat per se, tamquam materia conceptus, ita Aristot. *de generat. animalium, lib.1. cap.19. & 20.* vbi Auerroes, *& lib.2. cap.4.* vbi ait: *Nihil ad generationem conferre.* S. Thom. *3. p. quæst.35. artic.3. ad tertium*, vbi sic scribit: *Resolutio seminis fęminæ non pertinet ad necessitatem conceptus; & in 3. dist.4. quæst.2. artic.1. ad 2.* vbi ait: *Dicendum, quod secundum Philosophos semen mulieris non est de necessitate generationis*; idem docet Albertus Magnus *de animal. lib.9. cap.3. & lib.15. capit.6.* vbi ait: *Rarò semen decidere à mulieribus fuscis, & mares parientibus*; ac fœminæ semen non esse necessarium docent Hugo Senensis *super libros Tegni Galeni, lib.2. sup. ꝗ. frigidum verò, & siccum.* Feltrius *lib.8. metaphys. qu.2.* idem latè probat è Medicis Petrus Garsia *in primam fen. disp.36. cap.6.* vbi probat non per se, sed per accidens semen fęmineum esse materiam generationis, non solo sanguine menstruo sequi potest generatio.

Probatur primò, ex scriptura *Sapient. cap.7. Coagulatus sum in sanguine ex semine hominis*, quem locum ita interpretatur Pineda *de rebus Salomonis lib. primo, capit.11.* Salomon enim distinguit semen à sanguine: ergo in sua conceptione aliud præter menstruum sanguinem, & virile semen non agnoscit.

31 Probatur secundò, nam sine fęmineo semine aliquæ mulieres nigræ, ac fuscæ mares parientes concipiunt, ita docuit Aristoteles *lib.2. de generat. animalium, capit.4. & lib.1. capit. 20.* vbi Auerroes sic scribit: *Res autem apparentes, quibus Aristoteles probat sperma muliebre non habere potentiam ad generationem, sunt, quod ipse dicit, mulieres concipere absque emissione spermatis, & nullam consequuntur delectationem in hoc, vt vulgus putat, quando sic impregnantur parere masculos: Ego verò iam postulaui mulieres, quibus adhibebam fidem, vt narrarent mihi veritatem, & id mihi dixerunt, & aliqua mulieres oblectantur copula cum siccitate ipsa, præsertim nigra.* Et infrà: *Nam complexiones corporum calidorum siccorum consumunt excrementum egrediens à corpore, quare non exit ex ipsis, & si exit, illud erit paruum.* Albertus Magnus *de animalibus lib.9. capit.3. & lib.15. capit.6.* vbi ait: *Verum quidem est, quod exit quoddam humidum album, quod tamen non habet spermatis virtutem, aut rationem, sed tamen est approximatum matrici, & exit à quibusdam mulieribus, à quibusdam non exit; frequentius quidem exit à mulieribus albis, & ab his, quæ frequentius pariunt fæminas, rarò quidem exit à nigris, & à fuscis, mares parientibus.* Hæc Albertus. Ergo si sine fęmineo semine est aliquando generatio, illud per se non est necessarium ad generationem.

Pro-

32 Probatur tertiò, nam ex eodem Galeno materia conceptus est sanguis menstruus: ergo non est necessarium semen ad ministrandam conceptui materiam; sic docet Galenus *lib. 1. de semine cap. 16. & lib. 2. de natural. facultate cap. 3.* vbi virile semen cum opifice Phidia confert; sanguinem verò menstruum cum cera sic eleganter scribens. *Quis inquit, affluentem sanguinem moderatus? quis vetat quominus plus iustò confluat? quis facit, ne minus quàm satis est affluat? quem hic tertium qui animalis generationi præsit, quæremus? quique conuenientem semini sanguinem subministret? nempè semen ipsum. Id enim est artifex, Phidiæ ad proportionem respondens. Sanguis verò ceræ rationem habet: Non igitur conuenit, vt cera sibi ipsi rationem inueniat, sed Phidias; trahet porrò artifex tantùm ad se sanguinis, quanti indiget.* Ita Galenus, qui solam generationis materiam apertissimè sanguinem esse menstruum tradit, idem docuit Aristoteles *lib. 4. de generat. animal. cap. 8. & lib. 2. de ortu capit. 8.* vbi ait, quod eadem materia est, quæ alit, & ex qua natuea generationem constituit: ergo cum solo sanguine menstruo nutriatur fetus, eodem solo per se generatur, idem sensit Plinius *lib. 7. cap. 15.* vbi ait: *Quod menstruus sanguis est generanti homini materia, semine è maribus, coaguli modo, hoc in se se glomerante.*

33 Probatur quartò, quia menstrua ipsa semen sunt incoctum & impræparatum, ita Aristoteles *lib. 2. de generat. animal. cap. 3. & lib. 4. cap. 9.* Auicenna *fen. 20. lib. 3. tractat. 1. capit. 3.* vbi ait: *Sperma mulieris est genus sanguinis menstrui digestum parumper, & parùm elongantur ad virtute sanguinea propter hoc assimilarunt ipsum Philosophi menstruo*, & idem Auicenna *de animal. lib. 15. capit. 3.* vocant sperma mulieris, *cibum mundum*, quia non indiget alteratione vt recipiat formam fetus, sanguinem menstruum vocat: *cibum immundum*, quia indiget alteratione, quousque assimiletur eibo mundo, idest spermati: Albertus Magnus *de animal. lib. 15. cap. 6.* ait: *Quod semen mulieris magis sanguinis mẽstrui, quàm seminis rationem habet*: Ergo vt sanguis menstruus suppleat vicem seminis muliebris, & deficiente semine, sit proxima materia fetus, requiritur quod alteretur, de

34 coquatur, & præparetur: Sed ista alteratio, decoctio, ac præparatio sanguinis, fit ab vtero, virili semine calefacto, ita docet Aristoteles *lib. 2. Physic. cap. 2. tex. 25.* & S. Thom. *in 3 dist. 3. quæst. 5. art. 1. & 3. par. quæst. 32. artic. 4. ad secundum*, vbi ait: *Quod viros generatiua fœminæ præparat materiam, virtus autem actiua maris format materiam præparatam*, & Aristotel. *lib. 3. de historiar. animalium, cap. vltimo*, ait: *Quod de vulua effluxerit aliquamdiù in ea immoratum, id crassius prodijt; crassities autem ista non potest fieri aliter, quàm coctione*, & Caietan. *2. 2. quæst. 124. artic. 12.* ait: *Sanguinem menstruum intra vterum dealbari, ac præperari ad generationem*: ergo cum parua decoctione, & alteratione indigeat sanguis menstruus, vt accipiat qualitates seminis muliebris; ista autem decoctio, & præparatio sufficienter fiat ab vtero, virili semine calefacto, erit profectò sanguis præparatus sufficiens materia generationis, quæ ita sine muliebri semine fieri poterit.

Confirmatur, nam vt verè ait Abulens. *paradoxo 1. cap. 50. Semen mulieris requiritur ad generationem, vt per suam frigiditatem temperet calidissimum semen virile.* Sed etiam sanguis menstruus præparatus ab vtero per suam frigiditatem aptus est temperare virilis seminis calorem: ergo solus menstruus sanguis est sufficiens generationis materia.

35 Aduerte autem rectè adnotasse Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 17. num. 8.* facilius contingere generationem concurrente fœmineo semine, quod patet quia illud reperitur iam decoctum, & præparatum, vt recipiat formam à virili semine; tum quia feminea matrix voluptate effusionis proprij seminis irritata, auidiùs attrahit virile sperma, quod tradidit Auicenna *fen. 21. lib. 3. tract. 1. capit. 8. versic. error autem accidens.* Præterea concurrente fœmineo semine pulchrior, & nobilior efformabitur fetus.

Restat vt ad contraria argumenta respondeamus.

36 Ad primum disparitas est, quia in plantis præter semen, nihil est quod generationi materiam exhibeat; at præter muliebre semen est sanguis menstruus qui ab vtero præparatus, & decoctus est sufficiens generationis materia.

37 Ad secundum respondetur ex Petro Garsia *in primam, fen. disput. 36. cap. 6. in fine*: ideò defectu testium fœminas esse steriles, non quia semen fœminæ necessarium sit ad generationem, sed quia cum ex Galeno testes sint alterum principium caloris natiui, & robur tribuant cæteris partibus; vterus defectu ipsorum ineptus est ad generationem; nam minuitur illi calor, & consequenter nequit attrahere sanguinem.

Ad tertium respondetur sine conuincenti ratione, aut experimento id affirmari; vndè enim habes membranas non posse virili semine, aut ex menstruo sanguine fieri? Præterea quod non possint omnes vteri partes virili semine circumliniri, id non euincit non posse hoc præstari à sanguine menstruo, qui ab eodem vtero decoquatur, & præparetur; ita vt assimiletur semini muliebri.

Ad quartum respondetur argumentum aliud non probare, nisi etiam cum sanguine menstruo ipsum semen fœmineum (si adsit) esse per accidens materiam generationis; hoc autem non probat sine femineo semine, solo menstruo sanguine, non posse fieri generationem; & esse semen femineum simpliciter necessarium: nam vt benè ait Petrus Garsia *in primam fen. disp. 36. cap. 6.* plurima reperiuntur, in nostro corpore, quæ simpliciter, non sunt necessaria ad vitam, sed ad melius esse, vt si vnum deficeret alterum superesset, & ita se habet semen femineum, quod virili mixtum magis resistat addita quantitate, & si non attrahat vterus sufficientem sanguinem, possit muliebre semen esse, per accidens, materia fetus.

SECTIO IV.

An sit probabile femineum semen, neque per accidens, passiuè concurrere, tamquam materiam generationis, sed institutum tantùm à natura, vt delectet, titillet, & ad copulam inclinet?

S V M M A R I V M.

Affirmant Aristot. & Auerroes. num. 38.

Fœminæ aliquando sine vlla voluptate, proinde sine fœ-

mineo semine concipiunt, numer.39.

Semen fœmineum, ex Aristotil. extra vterum funditur, num.40.

Eadem est materia generationis, ac nutritionis membrorum. num.41.

38 RÉspondetur Affirmatiuè, ita enim docuit Philosophorum Princeps Aristot. eiusque insignis commentator Auerroes *lib. primo de generatione animalium capit. 19. & 20. & lib.2. capit.4.* & in hoc capite quarto id disertissimè, ac latissimè probat, dicens; generationis materiam esse partem puriorem menstrui sanguinis, quam virile semen coagulat, alium verò humorem qui à fœminis cum voluptate emittitur, nempè semen, nihil ad conceptum conferre. Libuit afferre ipsa Aristotelis verba: *Cùm semen* (inquit) *de mare accessit in feminæ vterum, partem purissimam excrementi constituit, plurimum enim in menstruis quoque humoris inutilis continetur. Humorem autem, qui à fœminis cum voluptate emittitur, nihil ad conceptum conferre dictum est ante.* Hæc Aristoteles, deinde idem Philosophus fœmineum semen comparat infęcundo semini puerorum, quod prorsus ineptum est ad generationem; sic scribens: *Sed potissimum inde videri potest, quod vt maribus, sic & fœminis accidat noctu per quietem quod pollutionem appellant. Verùm hoc nullum indicium est, nam & adolescentibus idem euenit, qui & si emissuri aliquando sunt, tamen nondum emittunt, & iis, qui vel emittunt, vel emissuri sunt infęcundum.* Hæc Aristoteles, quibus ostendit, non rectè inferri, quod ex eo, quia fœminæ nocturnam pollutionem patiantur, earum semen ad generationem conferre; nam etiam adolescentes noctu polluuntur, quorum tamen semen tunc infęcundum, & ineptum est ad generationem; perspicuè ergo docet Philosophus, neque per accidens semen fœmineum passiuè concurrere ad generationem.

39 Probat primò Aristoteles suam sententiam hac experientia, nam fœminæ aliquando sine vlla voluptate concipiunt: ergo tunc sine fęmineo semine fit conceptio; nequit enim semen sine voluptate excerni.

40 Secundò suam sententiam confirmat Philosophus, nam fęmineum semen foras non intus vterum effunditur; prohibet enim intus effundi, angustum os vteri: *Profusio autem* (inquit Aristoteles) *non intus fit, vt quidam volunt, os enim vteri angustum est, sed ante*: ergo nullo modo concurrit ad generationem. *Neque dicas* (subdit Aristoteles) *quod postquam fœminæ semen foras emiserunt, retrahant intrò, vt illud cum maris genitura misceatur: Nam ita fieri superuacaneum est, natura autem nullam rem superuacaneam facit.*

Tertiò Auerroes *lib. primo de generation. animal. ca-*
41 *pit.20.* eandem Philosophi sententiam probat hac ratione; nam eadem est materia, qua nutriuntur membra, ac illa, qua generantur; qnia nulla est differentia inter augmentum, & generationem, nisi quod augmentum est generatio in partibus, & procreatio est generatio vniuersalis: sed solus menstruus sanguis est materia ex qua nutritur, & augetur fętus: ergo solus menstruus sanguis est materia ex qua generatur: ergo semen fęmineum nullo modo, neque per accidens, concurrit tamquam materia generationis.

Quartò alia experientia idem ostendit Auerroes; constat enim abortum in principio exitus eius habere figuram sanguineam: ergo signum est ex materia menstrui sanguinis generari.

Alias rationes vide in prima Sectione, vbi ex eod. Aristotele, ostendimus fęmineum semen non esse verè, ac propriè semen.

SECTIO V.

An ex hyppotesi, quod semen fęmineum sit per se necessarium, requiratur simultanea seminatio?

SVMMARIVM.

Affirmat Galenus, num. 42. Alij distinguunt, numer.43. Alij probabilius negant. num.44.

Duabus fœminis congredientibus, altera concepit. numer.45.

Fœmina attraxit viri semen in balneo relictum, & ita concepit. num.46.

Quæ experientia defenditur. num.47.

Virgo naturaliter potest concipere. num.48.

42 AFfirmat Galenus *lib. 14. de vsu partium capit.7.* & Pseudoaristotelis *lib.10. de historia animalium, capit. 7.* Petrus Mato *lib. de semine. fol.59. §. intercedente.*

43 Alij docent non posse generari fętum, si prius vir seminauerit, secus si ante mulier fuderit suum sperma, ita Auicenna *lib.3. fen. 21. tract.1. capit.8. versic. error autem accidens*, vbi Iacobus de Patribus, & Gentilis de Fulginio. Idem docet Albertus Magnus *de animalibus, lib.15. cap. 11.* vbi scribit; *Aliquando sperma seu humor albus descendit à muliere ante copulam. & seruatur à matrice donec superueniat ei sperma, & tunc concipit.*

Probant quia, vt ait Abulensis *paradoxo primo, capit.50.* cùm calidissimum, & siccum sit semen virile, sine præuio fęmineo semine humido, ac frigido, à quo temperatur, totum exiccaret, & in exalationes solueret.

44 Negant, probabilius alij requiri simultaneam seminationem, sed sufficere si paulò antè, aut pòst, siue mulier, siue vir seminet, ita ex Hippocratis, ac Medicorum sententia Petrus Hurtadus de Mendozza *de generation. disput. 2. §. 81.* & quod facilius sequetur conceptio: si mulier ante virum sperma fuderit, docet Auicenna vbi suprà dicens: *Si fuerit antecessio mulieris emittat vir, post quam emiserit mulier, & expelletur in os matricis, ex motibus, & attractionibus spermatis, ad quod attrahendum os ipsum matricis se aperit, apertione vna post aliam, cum attractione vehementi, quod sentitur cùm sperma ipsum emittitur*; ita Auicenna.

Probatur non requiri simultaneam seminationem, quia ideò requiritur simul ea semina recipi in vtero, vt virile à fœmineo semine frigido, & humido temperetur; sed hæc ratio non vrget; nam vsquequò superueniat semen fęmineum, non potest sua caliditate, & siccitate virile semen totum exiccare, & in

& in exaltationes vertere, nam illi resistit menstruus sanguis, qui est magis frigidus, ac humidus, quam sit semen fęmineum, imò *muliebre sperma* (vt ait Auicenna *lib.3.fen.20.tract.1. cap.3.*) *Est genus sanguinis menstrui, digestum parumper, & conuersum parum, & non elongatur à sanguine elongatione spermatis viri*; ergo si semen muliebre sua frigiditate & humiditate resistit, atque temperat semen virile, pariter resistet, & temperabit menstruus sanguis, à quo muliebre sperma parum differt.

Probatur secundò, nam vt ait Petrus Mato *tract.curationum medicinalium curatione* 18. Thessalonicæ accidit, quod duabus fęminis inter se copulam exercentibus, altera coniugata, quæ proximè virile semen receperat, incubante, vterum alterius succubæ, attraxisse illud virile semen, & concepisse: ergo ex hac experientia patet non corrumpi semen mox quod est in vterum receptum, neque reddi ineptum ad agendum in fęmineum superueniens.

46 Probatur tertiò, nam Auerroes *in 2. colliget cap.10.* refert fęminæ vterum attraxisse semen in balneo ab altero viro relictum, & concepisse sine vlla delectatione; ergo tunc ista mulier non fuderat suum semen &

47 S. Thomas *quodlibeto 6. art.28.* ait: virginem concepisse, quia cum in eodem lecto cum patre accubaret, attraxit semen ab ipso in somnis emissum; ergo quamuis ea virgo ante non seminasset, sed postea tamen potuit concipere.

Respondent aliqui negantes possibilem esse casum de semine in balneo attracto, nam vel semen erat fęcundum, & descenderat in fundum balnei, & ita non potuit attrahi, vel infęcundum erat, & ita non descenderat, sed erat ineptum ad generationem, ita docet Arist. *lib.3 de historia anim. cap. vltimo. Delabitur* (inquit) *in aquam quod fęcundum est semen, atque subsidet; quod autem infęcundum est diffunditur atque exolescit.* Præterea aqua dissipasset virtutem seminis, eiusq; spiritus euanuissent.

48 Contra obseruandum est, non fuisse balneum aquæ elementaris, sed mineralis, quæ natiuo calore apta erat conseruare virtutem, ac spiritus seminis; & quia crassa, ac spissa erat, non descendebat in fundum semen; sicut in aqua elementari: obseruaui enim in balneo insulæ Ænariæ propè Neapolim brachia, ac cæteras corporis partes, non sine aliqua vi adhibita, in balneum immergi posse, ob aquæ crassitiem.

Probatur quartò, quia cum fęminæ sint frigidiores, tardius seminant, & sic rarissimè contingit simultanea seminatio: ergo rarissimè conciperent.

SECTIO VI.

seu Corollarium I.

An peccet mortaliter coniugata, quæ post copulam tactibus se excitans sola seminat.

SVMMARIVM.

Affirmat Rodriquez. num.49.
Negant alij probabilius. num.50.
Quæstiones P. Verricelli.
Parùm refert quomodo fęmineum semen in vterum recipiat. num.51.

49 Affirmant Rodriquez *in Summa.p.3. cap.88.nu.4.* Texeda *in Theol. morali, tom.2. lib.4.tract.1.controu.12.num.43.* Castropalaus *tom.5. disput.3. punc.4. §.3. num.6.* Diana *par.9. tract.7. resol.31.quæst.3.* Probant primò, quia cùm vir se retrahit, consumata est iam copula coniugalis: ergo mulierem solam tunc seminare esset peccatum molliciei. Secundò, quia quando vir prius seminat, sequens muliebris seminatio frustatoria est, vt tradit Auicenna *fen.21. lib.3. tract.1. cap.8. vers.error autem accidens.* Tertiò, quia fęmineum semen necessarium non est ad generationem. Quartò, quia coniugibus ea copula tantùm licita est, per quam fiunt vna caro: Sed per illam muliebris seminis effusionem non fiunt vna caro: ergo. Quintò, quia recepto virili semine, adeò clauditur vterus, vt nec acus cuspidem admittat: ergo semen quod postea mulier fundit, nec intrat vterum, nec prodest ad generationē.

50 Negant verò peccare mortaliter Sanchez *de matrimon. lib.9. disput.17.nu.12.* Lessius *lib.4.cap.3.dub.14. num.94.* Bonaccina *de matrimonio, quæst.4. puncto 6. nu.15.* Homobonus *in exam. Ecclesiastico par.1. tra.7. cap.28. quæst.126.* Zanard. *in directorio, par.1. de matrimon. quæst.41. §. 11.* & esse probabilem asserit Filliucc. *tract.10. par.1. num.330.* Perez *de matrimonio, disp.49. sect.8. num.4.*

Probatur, ideò peccaret hæc coniugata, quia abuteretur semine ad generationē ordinato: sed tunc non esset seminis abusus, imò illa seminatio ex probabili opinione, vel necessaria, vel valdè vtilis est ad generationē, *vt sup. ostendi sect. 2. & 5.* ergò nullum est peccatum; etenim ea seminatio cum sequatur paulò pòst copu-
51 lam est copulæ complementum, eamque perficit. Ratio est, quia impertinens est ad generationem, quomodo fęmineum semen in vterum recipiatur, aut à seminarijs vasis in vterum fluat, siue copula, siue manuum confricatione; sufficit enim recipi in vterum, paulò pòst seminationem viri, vt sequatur generatio: Sicuti quomodocumque virile semen intret vterum, semper sequitur generatio, vt patet cum generatio fit opera dæmonis incubi, & ita patet responsio ad contraria argumenta; præsertim ad primum, secundum, & tertium.

Ad quartum argumentum respondetur ex *can. lex 27. quæst.2.* & ex his, quæ dicam infra *sectio.10. & 11.* quod ex seminum commixtione fiunt coniuges vna caro: sed parùm refert quomodo misceantur semina in vtero; dummodo reuera fiat eorum commixtio intra vterum.

Ad quintum argumentum respondetur, quòd recepto virili semine, non ita obstruitur os vteri cemento, vt nequeat vterus nouo muliebri semine illectus reserari, illudque attrahere; nam & plerumque aperitur ad recipiendum aliud virile semen, ex alia copula, vt patet in superfœtatione, & docet Petrus Hurtadus *de generatione disp.2. §. 88.*

SECTIO VII,

seu Corollarium II.

An peccet coniugata, quæ paulò antè copulam sola seminat?

SVMMARIVM.

Affirmant omnes. num.52. Cotrarium tamen omninò est dicendum. num.53. Talis enim seminatio, ex Auicenna, tribuit mulierem ex sequenti copula faciliùs concipere. num.54.

52 Affirmant omnes, qui putant esse peccatum mollicies.

53 Contrarium tamen dicendum est, nullum esse peccatum, paulò antè copulam coniugatam solum seminare, hæc opinio à nullo adhuc tradita est, sed manifestè conuincitur ex dictis: quia semen mulieris, vel necessarium, vel vtile est ad generationem, vt dixi *suprà, sect. 2. & 3.* neque mulier cum sola seminat tunc seminat extra vas debitum, prout vir; sed recipit semen intra proprium vterum, & sic intra debitum vas. Neque ad generationem necessaria est simultanea viri ac mulieris seminatio, imo paulò antè copulam mulierem seminare, tribuit ex sequenti copula facilius concipere, ac maiori vi attrahere virile semen, vt docuit Auicenna *fen 21. lib.3. tract.5. cap.8. §.error autem accidens*, & Albertus Magnus *de animalibus lib. 15. cap.11. vt probaui sect.5.* Ergo talis seminatio solitaria, antecedens copulam, non est peccatum: quia non est contra bonum generationis, imò vtilis est ad generationem, quare dicenda est potius inceptio copulæ coniugalis, & sic omninò licita.

SECTIO VIII.

seu Corollarium III.

An peccet mortaliter coniugata, quæ absente viro, se tactibus excitans, sola seminat?

SVMMARIVM.

Coniux libidinosè se tangens, absente altero coniuge absque pollutionis periculo, non peccat mortaliter. numer.55.

Fœmina coniugata peccat mortaliter, si sola seminet, ita omnes. num.56.

Neque oppositum asserere audeo, sed aliquas rationes doctis viris examinandas propono. num,57.

Coniugata non abutitur semine necessario, aut vtili ad generationem, quare non peccat peccato mollicies. num.58.

Voluntaria distillatio in coniugatis non est peccatum mortale. num.59.

Seminatio solitaria fœmina non est contra bonum generationis, imò per se ordinatur ad illam. num.60.

Non peccat coniugatus se retrahens ante seminationem. num.61.

Neque peccat si non expectat fœmina seminationem. num.62.

Tactus venerei liciti sunt inter coniuges, etiam absque intentione copulæ. num.63.

Inter coniuges quicumque actus, qui fiunt, seruato debito vase, excusantur à mortali. num.64.

Quare simplex fornicatio sit peccatum mortale? numer.65.

In moralibus opiniones singulares periculosa: ideò in ordine Prædicatorum grauissimis pœnis prohibita. numer.66.

Casu tamen non tamquam probabiles assero, sed doctis viris ipsarum fundamenta examinanda subijcio. numer.67.

Plurima opiniones, quæ olim temeraria censebantur, hodie sunt probabilissima, & communes. num.68.

Patris Dianæ industria, multæ opiniones euaserunt probabiles, quæ antea non erant. num.69.

55 Suppono tamquam probabilem eam opinionem, quam alibi defendi, quod coniux libidinosè se tangens, absente altero coniuge, absque pollutionis periculo, non peccat mortaliter, ita docent Sanchez *de matrimon. lib.9. disput. 44. numer.16.* Præpositus *3.p. quæst.6. dub.26. numer.*188. Hurtados *de matrimon. disput.10. diffic.10. num.47.* Petrus Ochagauia *de Sacramentis, tract.5. quæst.12.* quod si sequatur in viro, ita se tangente, pollutio, de fide est, eum mortaliter peccare, si eam præuideat. Difficultas est, an idem sit in coniugata?

56 Affirmant omnes, cum quibus & Ego, hanc peccare mortaliter, peccato mollicies, quia hoc peccatum datur etiam in fœmina, nam abutitur semine, quod ordinatur à natura ad generationem, vel tamquam necessarium, vel tamquam vtilissimum, & valdè ad illam conferens, ita Caietan. 2.2. *quæst.154. artic.12. versic. ad euidentiam, & artic. 11. in respons. ad quotum dubium, & quæst.153. artic.3. & 3. par. quæst.35. artic.3. ad tertium.* Sanchez *de matrimon. lib.9. disput. 17. numer.13.* & docent omnes, qui scribunt esse mortale absente viro, se tactibus prouocare ad venerem. Vasquez 1. 2. *disput.113. capit.2. numer.4.* Armilla *verbo impudicitia, num.3.* Mancinus 1.2. *quæst.74. artic.8. quæst.5. in fine.* Salas 1.2. *tomo 2. quæst.74. tract.13. disput.6. sect.14. numer.129.* Layman *lib.3. sect.4. de temperantia, nu.12.* Io. Sanchez *disp.21. num.26. vers. esse tamen.*

57 Contrarium Me asserere contra omnium sensum absit; vt audeam, vndè contestor Lectores, quod mundus sum à sanguine eorum, qui falsis fortè opinionibus deciperentur; liceat tantùm sequentes rationes doctis viris examinandas proponere.

Videtur igitur sic ostendi posse hanc coniugatam non peccare mortaliter, neque dare in fœminis coniugatis peccatum formalis mollicies, quamuis certum de fide sit, solutam libidinosè se tangentem mortaliter peccare, quia quæcumque delectatio & vsus membrorum generationi seruientium, solutis est mortaliter illictus ex Apostolo *ad Galath.5. & ad Ephes. 5.* vbi immunditia damnatur, *quo nomine omnes anonymæ*

libi-

libidines significantur, vt S. Hieronym. notat. Itaque mortaliter peccat soluta sola seminans, sed non formali peccato molliciei; vndè cum confitetur sufficit, quod se accusans dicat: inhonestè me tetigi. At coniugatam solam seminantem non peccare mortaliter, sed venialiter tantùm sic posset ostendi.

Primò, quia est probabilis opinio Arist. & Auerrois, ac aliorum docentium semen fœmineum, non esse verum semen, sed tantùm eius obiectum esse, delectare, & incitare ad venerem, neque aliud habere officium, sed eo officio functum eijci, vel in flatum resolui, neque necessarium, neque (præter delectationem veneream) esse vtile, aut conferre ad
58 generationem: ergo fœmina coniugata non abutitur semine necessario, aut vtili ad generationem: ergo non peccat peccato molliciei contra bonum generationis: ergo ista seminatio non differt speciei à tactu venereo, quo coniugata delectatur, & incitatur ad copulam, qui tactus venereus coniugatis non est mortalis secundum omnes, si fit præsente altero coniuge: imò neque absente coniuge tactus venereus est mortalis, iuxta probabilem opinionem, quam initio adduxi.

Confirmatur, nam per omnes datur quidam humor aqueus, qui nihil confert ad generationem, sed tantum delectat, vt docuit Galenus, *lib.* 14. *de vsu partium cap.* 1. vbi ait: *fœminam habere tenuem humorem in parastatis, qui nihil confert ad prolis generationem: qua propter functus suo munere, eijcitur ex vte-*
59 *ro*: Hanc autem aquei humoris effusionem, distillationem vocant Doctores, quam in coniugatis, quantumlibet voluntariè tactibus procuratam, docent non excedere peccatum veniale, ex eo quia nihil confert ad generationem, Vasquez 1.2. *disput.* 113. *cap.* 2. Sanchez, *de matrim. lib.* 9. *disput.* 44. *num.* 3. Hurtadus, *de matrim. disput.* 10. *difficul.* 10. *num.* 47. Layman, *lib.* 1. *tractat.* 3. *cap.* 6. *num.* 14. Medina, *par.* 2. *quæst.* 74. *artic.* 8. *dub.* 1. Zumel *ibid. disp.* 4. *dub.* 3. Curiel *dub.* 3. *§.* 2. *difficul.* 3. Zanardus in *directorio par.* 1. *tractat. de matrimon. cap.* 41. Diana *par.* 3. *tractat.* 4. *resolut.* 200.

Sed quodcumque semen fœmineum (iuxta probabilem opinionem Arist. & Auerrois) non est verum semen, sed humor aqueus, nihil conferens ad generationem, cuius munus est tantùm delectare, & incitare ad venerem: ergo coniugata voluntariè huiusmodi semen fundens non peccat, neque peccato molliciei, neque mortaliter.

Secundò id ostenditur, quia esto verissima esset opinio Galeni, quod semen fœmineum sit per se necessarium ad generationem, & quod actiuè concurrat, adhuc non datur in fœmina formalis mollicies, neque peccat contra bonum generationis: ergo coniugata sola seminans non peccat mortaliter.

Probo antecedens, ideò vir solus seminans peccat formalis molliciei peccato, & contra bonum generationis, quia ille actus effusionis seminis extra vas debitum, de se est actus contra bonum generationis; nam per se actu illo frustratur semen suo fine generationis; quia illa effusio per se non est apta ad causan-
60 dam generationem: Sed quando fœmina sola seminat, ille actus effusionis est intra vas debitum, nempè intra proprium vterum, ergo de se actus ille non est contra bonum generationis, sed per se est maximè conformis, & vtilissimus ad generationem, quia quando ante copulā fęmina sola seminat, si mox sequatur copula faciliùs contingit generatio, quia vterus calore, & voluptate fęminei seminis irritatus, & illectus, auidissimè se aperiens, sensibiliter, magna vi, trahit ad se sperma virile, vt docuit Auicenna *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 1. *capit.* 8. *versic. error autem accidens*, & Albertus Magnus *de animalibus*, *lib.* 15. *capit.* 11. ergo per se, & ex sui natura talis seminatio solius fęminæ ante copulam, non solùm non est contra bonum generationis, imò est vtilissima, & per se conformis ad generationem; quia si sequeretur postea breui interuallo copula certissimè eueniret conceptio: Sed actus, qui per se, & de sui natura, & ex suis intrinsecis est conformis, & vtilis generationi eo tempore quo fit; non euadit contrarius generationi, ex eo quod postea per accidens sequitur, quia scilicet deinde non sequitur copula; neque ex extrinseco actu voluntatis quo abhorret à copula actus ille solitariæ seminationis, qui intrinsecè est conformis generationi potest fieri, vt sit contra bonum generationis. Ratio est, quia ista sunt accidentalia, & extrinseca actui, qui intrinsecè est vtilis generationi.

61 Confirmatur, & explicatur præcedens argumentum, nam non peccat mortaliter coniugatus, qui exercet copulam, & antequam seminet se retrahit, dummodò extra vas vir non effundat, ita Paludanus *in* 4. *dist.* 31. *quæst.* 3. *artic.* 2. Caietan 2.2. *quæst.* 154. *art.* 1. *§. ad secundum verò*. Pontius *de matrimon. lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 9. Sanchez *de matrimon. lib.* 9. *disput.* 19. *numer.* 3. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 204. *&* 227. Sed ideò est licita, vel saltem non mortalis, copula absque voluntate seminandi, quia talis actus per se est vtilis ad generationem, tunc quando exercetur, per accidens autem ex sequenti interruptione fit inutilis, quod autem sequitur, non mutat naturam, & essentiam prioris actus: Ergo à pari, cum seminatio solitaria mulieris, eo tempore, quo exercetur, sit per se vtilissima generationi, per accidens est, quod ex sequenti carentia copulæ, illa seminatio euadat inutilis; quod autem sequitur non potest mutare naturam, & essentiam actus prioris solitariæ seminationis, quæ tunc ex se erat vtilis.

Altero exemplo id ostenditur, nam vir qui exercens copulam cum vxore, seminauit intra vas, non
62 peccat si recedat, non expectata seminatione fęminæ, ita Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *numer.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 17. *num.* 10. Diana *par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 37. hoc autem procedit, etiam supposita opinione Galeni, quod semen fœmineum sit necessarium. Ratio est, quia illa copula per se est actus vtilis, ad generationem, per accidens autem ex sequenti interruptione fit inutilis: sic ergo à pari, ideò non peccat mortaliter coniugata solitariè seminans, quia illa solitaria seminatio ex se est vtilis ad generationem, apta est enim vt sequuta deinde copula generetur fætus, per accidens autem est, quod ex sequenti carentia copulæ fiat inutilis: Simili ratione tactus venerei
63 liciti sunt inter coniuges; etiam sine intentione copulæ sequuturæ, vt docet Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.*

disput.46. numer.43. Pontius *de matrimon. lib.10. cap.11. num.9.* Salas *tom.2. quæst.74. tract.13. disp.6. sect.18. num.123.* Villalobos *in Summa tomo 1. tract. 13. difficult.42. num.1.* neque venialiter peccant coniuges se tangentes, ad carnales tentationes sedandas, etiam si se tangant sine intentione copulæ, Io. Præpositus 3. *par. quæst.6. de bonis matrimon. dub.26. num. 188.* Diana *par.9. tract.8. resol.44.* Ratio est, quia tales actus venerei, cùm natura sua intrinsecè disponant ad copulam, per se sunt vtiles ad generationem: per accidens autem ex intentione illa extrinseca, aut ex sequenti carentia copulæ, sunt inutiles ad generationem: ergo idem dicendum in casu nostro, seminationem solitariam fœminæ esse intrinsecè ordinatam, & vtilem ad generationem, per accidens autem ab extrinseca voluntate abstinendi à copula, aut à sequenti carentia copulæ sit ea seminatio mulieris inutilis.

64 Confirmatur vlteriùs, quia inter coniuges quicumque actus, qui fiunt seruato debito vase excusantur à peccato mortali, Sanchez, qui alios citat *lib.9. disput. 16. num.4. & disp.17. num.4.* Sed in seminatione solitaria coniugatæ seruatur debitum vas, quia semen intrat vterum, quem calefacit, & præparat ad generationem, ac tribuit illi virtutem attractiuam seminis virilis, vt docuit Auicenna *fen.21. lib.3. tract.1. capit.8. vers. error autem accidens.* Ergo talis seminatio solitaria coniugatæ excusatur à peccato mortali.

Obijcies, quamuis solitaria seminatio fœminæ intra proprium vterum Physicè, & per se ordinetur, & sit apta ad generationem; tamen illicita est, quia absente coniuge in tali circumstantia est moraliter impossibilis generatio: ergo est contra naturam, quia moraliter est frustratoria, & contra bonum generationis.

Respondetur quòd ad hoc, vt copula sit licita, vel illicita, non consideratur an moraliter sit contra bonum prolis, aut generationis, sed an ex natura sua, per se, Phisicè sit contra bonum prolis; nam esse moraliter tale, est esse tale per accidens: ergo quamuis solitaria seminatio fœminæ sit moraliter contra bonum generationis, & frustratoria, tamen dicitur frustratoria per accidens, quod non est in consideratione, vnde sufficit quod Physicè, ex natura sua, & per se apta sit ad generationem. Probo ex aurea doctrina Caietani
65 2.2. *quæst.154. art.2.* vbi ostendit fornicationem simplicem esse contra bonum prolis, quamuis mater esset ditissima, & Regina, aut pater fornicarius esset Rex, vndè moraliter esset prouisum de optima educatione, aut ex statuto Reipublicæ optimè esset prouisum pro educatione infantis, ita vt moraliter optima educatio esset infanti parata, id autem non tollit malitiam fornicationis, quin sit contra bonum prolis; nam quod moraliter sit prouisa educatio infantis, est per accidens; per se autem, ex solo indissolubili vinculo matrimonij prouidetur educatio infantis. Id quoque alijs exemplis fit manifestum, nam coniugi absente viro licent delectationes venereæ, & venerei tactus; & tamen ista tunc ordinari ad copulam moraliter est impossibile: ergo sufficit ex natura sua per se ordinari ad copulam: ergo quamuis seminatio solitaria fœminæ, moraliter sit impossibile, quod absente viro ordinetur ad generationem, sufficit quod ex natura sua, & per se ordinetur ad illam. Sic copula cum sterili coniuge moraliter est inutilis ad generationem, sufficit autem quod per se, ex natura sua, apta sit ad generationem.

Hanc opinionem omninò singularem, & quam nullus ante me tradidit, protestor me non amplecti, neq;
66 eam tamquam probabilem docere; scio enim quantum sit periculi in re morali singulares docere opiniones; meritò in Capitulo Generali Illustrissimi Ordinis Prædicatorũ *Cesaraugustæ congregato anno 1309.* vt refert Ferdinandus de Castillo *in eiusdem Ordinis historia, par.2. lib.2. lib.1. capit.10.* grauissimis pœnis interdictum fuit, ne quis in rebus fidei, ac morum singulares, ac proprias assereret opiniones; idemque statutum est in Constitut. Inclytę Societatis Iesu *par.3. capit.1. §.18. & par.4. capit.5. §.4.* Non enim tutum, omnium aduersari sententiæ; præclarè Sanct. August. *lib. de vtilitate credendi, cap.14. & contra Epistolas fundamenti, capit.4.* Ego (inquit) *nulli me video credidisse, nisi populorum, atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ.* Vnde ego non immemor moniti Sapientis, *Prouerbiorum capit.3. Ne innitaris prudentiæ suæ*, ac Prouerb. *cap.22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Hanc, cęterasque
67 omnes singulares opiniones, non ita trado, vt eas tamquam probabiles, tutas in conscientia censeam; sed argumenta, & rationes, quibus defendi possent examini Doctorum virorum subijcio; quæ si illi, ac posteriores Scriptores probauerint, alijque post me docuerint; tunc eas tamquam tutas, ac probabiles se-
68 qui posse non dubito; plurimæ enim opiniones olim omninò temerariæ, & erroneæ existimabantur, quæ paulatim probabilissimæ, ac communes euaserunt, vt scribunt Iason *in lib. sciendum, num.33. ff. de verborum obligationibus.* Purpuratus *in l. cum quid num.33. versic. & videmus ff. si certum petatur.* Neuizanus *in sylua nuptiali, lib.5. numer.4. versic. & sic contingit, & numer.9.* Marianus Iunior *consil.158. numer. 70. volum.2.* Hieronymus Gratus *cons.8. numer.4. vol.2.* Io. Imola *cons.42. num.2.* In re autem morali plurimum
69 debemus nostro Patri Antonino Dianæ, de quo Io. Caramuel Abbas Cisterciensis *in Comment. ad regulam D. Benedicti, disp.60. num.1058.* sic scribit: *Ingenium Dianæ viri doctissimi veneror, eius industria multas opiniones euasisse probabiles, quæ antea non erant inuidus sit, qui non affirmet.* Ita ille.

Omnia tamen Apostolicæ Sedi, ac Sacræ Congregationi humiliter subijcio.

SECTIO IX.

seu Corollarium IV.

An si vir seminauit, teneatur continuare copulam, donec vxor seminet?

SVMMARIVM.

Esto fœmineum semen sit necessarium, adhuc non tenetur vir continuare copulam, donec vxor seminet. num.70.

Potest tactibus se prouocare, quamuis sciat se citiùs seminaturum. num.71.

Respondetur negatiuè, sed potest se retrahere, ita Filliuccius *tract.10. par.1. cap.9. num.330.* Henriquez

lib.11.

lib.11. c.15 num.3. Sanchez *de matrimon. lib.9. disp.17. num.10.* Diana *par.5. tract.14. resol.37.* & communiter
70 omnes. Ratio est, quia probabile est fœmineum semen non esse necessarium; tum quia, sicut suprà dixi, esto necessarium esset fœmineum sperma, tamen non tenetur vir procurare, vt sequatur generatio, sufficit non impedire, vt seminando extra debitum vas, nam ille prior congressus de se aptus, & vtilis est ad generationem; per accidens autem fit inutilis, quia ex sua frigiditate mulier non seminat.

71 Infertur ex dictis posse tactibus virum irritare venerem, quamuis sciat se ideò citius fœmina seminaturum, ita Filliuc. *vbi suprà.* Henriquez *lib.11. c.15. nu.3.* Sanchez *de matrim. lib.9. disp.17. nu.10.* ratio est, nam muliebre semen non est necessarium; tum quia estò sit necessarium, tamen non requiritur simultaneus seminum concursus, vt suprà ostendi *sect.3.4. & 5.*

SECTIO X.

seu Corollarium V.

An absque fœminæ seminatione contrahatur affinitas?

SVMMARIVM.

Fractis pudoris claustris, siue seminum commixtione, affinitas non contrahitur. numer.72. Neque ex matrimonio rato, non consumato. num.73.

RESpondetur negatiuè, ita S.Thom. *in 4. dist.41. qu.1. art.1. quæstiunc.4. ad 2.* vbi sic ait: *Vir, & mulier efficiuntur vna caro per commixtionem seminum, vndè quan-*
72 *tumcumque aliquis claustra pudoris frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas;* idem docent ibidem S.Bonau. *qu.1.* Durandus *qu.1. art.1. nu.7.* qui ait ad affinitatem requiri vtriusq; seminis commixtionem. Viguerius *lib. instit. c.16. §.7. vers.9. in 6. impedimento,* & alij, quos sequitur Sanch. *de matr. lib.2. disp.21. nu.11.* Diana *par.4. tract.2. resol.42.* & fateri etiam debent ij, qui docent per solam viri seminationem non consumari matrimonium: nam Pius V. *in Constit. incip.*
73 *ad Romanum* declarauit ex matrimonio rato, non consumato, non oriri affinitatem.

Probatur quia ex sola copula consumata contrahitur affinitas, copula autem tunc est consumata, quando illa ex se apta est ad generationem: sed sine fœmineo semine, copula non est apta ad generationem, vt docent communiter Medici: ergo absque fœminæ seminatione non contrahitur affinitas.

SECTIO XI.

seu Corollarium VI.

An sine fœminæ seminatione sit consumatum matrimonium?

SVMMARIVM.

Negatiua sententia est probabilis. num.74.
In dubio an fœmina seminauerit, etiam in conscientia matrimonium censendum est consumatum. num.75.
An credatur in foro exteriori viro dicenti se non seminasse? num.76.
Quid si vterque coniux iurat se non seminasse, an eis credatur? num.77.

74 RESpondetur negatiuè, ita Innocentius in cap. Fraternitatis de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ. Lopez *par.2. instruct. cap.50.* Alphonsus Caranza *de partu humano, cap.20. quæst.1. num.6.* Io. Prapos. *in 3.p. tract.5. de insolubilitat. matrim. dub.9. nu.81.* Hurtadus *de matrimon. disput.8. difficult.9. & disput.20. diffic.1. num.4.* & probabilem fatetur Sanchez *de matrimon. lib.2. disput.21. numer.11.* & probabilem asserit Diana *par.5. tract.13. resol.54. & par.4. tract.2. res.42.* Contra S. Antoninum *par.3. tit.1. cap.21. ante §.1.* Syluestrum *V. matrimonium 8. quæst.15. dicto 2.* Henriquez *lib.11. cap.8. num.8. in glos. lit. N, & cap.15. numer.3.* Sanchez *vbi suprà, num.10.* & Basilium Pontium *de matrimon. lib.9. cap.10. num.1.* vbi ait oppositum non esse probabile. Guttierez *de matrimon. cap.54. numer.22.* Vegam in *Summa, tomo 1. cap.38. casu 4.* Turrianum *de censuris. lib.7. disp.70. dub.1.*

Probo probabile esse non consumari matrimonium. Primò *ex tex. in Canon. lex 27. quæst.2.* vbi requiritur *sanguinis idest seminis commixtio*: Sed nequit esse seminis commixtio, nisi vtrumque semen fundatur: ergo, &c.

Secundò, quia ex illa copula consumatur matrimonium, quæ est apta ad generationem, vt docet idem Syluest. sed iuxta communiorem sententiam, sine fœminæ seminatione, copula non est apta ad generationem: ergo, &c.

Tertiò, quia Pius V. definit ex matrimonio rato non consumato, non contrahi affinitatem; sed ex sententia S. Thomæ, S. Bonauent. Durandi, Viguerij; & aliorum non contrahitur affinitas sine vtriusque seminis commixtione: ergo sine vtroque semine non consumatur matrimonium.

Dices primò, ex Pontio, quot quantisque scrupulis, ac dubitationibus exponeretur ea consumatio matrimonij, si ea seminatio fœminæ attendenda esset.

75 Respondetur nullum esse omninò scrupulum, nullam prorsus dubitationem, vel enim certò sciunt coniuges fœminam non seminasse, vel dubitant. Si primum coram Deo matrimonium non est consumatum. Si secundum etiam in conscientia reputandum est consumatum, nam in conscientia non receditur à præsumptione fori externi, nisi constet euidenter de veritate opposita: forus autem externus præsumit vtramque seminationem, probata copula.

Dices secundò, ex eodem Pontio, non refert an sit necessarium semen mulieris ad generationem, vel non; tantùm enim hic attenditur ad consumationem, seminatio intra vas eius, qui præcipuas partes in generatione habet.

Respondetur gratis asseri à Pontio sufficere seminationem eius, qui præcipuas partes in generatione habet; cùm enim ex Medicorum sententia vtrumque semen sit necessarium; non dicitur perfecta copula, atque adeò nec consumata, si alterum semen ad generationem necessarium desit.

Collige ex dictis, non sufficere ad consumationem matrimonij esse vas penetratum, si non fuerit seminatio

tio viri, ita S. Thomas, S. Bonauentura, Durand. & alij supra citati, Innocentius *in cap. fraternitatis de eo qui cognouit consanguineam suæ vxoris*, Sanchez *lib. 2. disput. 21. num. 5.* Pontius *de Matrim. lib. 9. cap. 10. num. 1.* Henriquez *lib. 11. c. 8. nu. 8.* Hurtad. *disp. 8. de matr. diffi. 9.*

76 Petes, an credatur in foro exteriori viro dicenti se non seminasse?

Respondetur non credi; quia seminatio præsumitur à iure, frequentiùs enim cum copula accidit seminatio; vir autem est testis in causa propria, ita Archidiacon. Henricus, Alex. de Neuo, Syluest. Gregor. Lopez, Paludanus, & S. Antoninus, quos citat, & sequitur Sanchez *l. 2. disp. 21. num. 8.* Pontius *lib. 9. cap. 10. num. 1.* Crederetur tamen, quando is qui confitetur se non seminasse, contenderet in iudicio consumatum esse matrimonium, & sic esset testis contra se ipsum, dummodò non agatur de dissolutione vinculi matrimonialis, ita Abbas *in cap. super eo nu. 5. vers. 2. de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ*, Roman. *sing. 614.* Menoch. *de arbitr. casu 103. num. 7. & de præsum. lib. 3. præsumpt. 1. num. 11.* Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 42. num. 36.*

77 Petes secundò, an standum sit vtrique coniugi iuranti non contigisse seminationem, & proinde non esse copulam consumatam? Respondetur quòd si agatur de dissoluendo matrimonio, tunc eis non creditur, Abbas *in cap. super eo numer. 5. de eo qui cognouit consang.* Menoch. *casu 103. num. 8. & de præsum. lib. 3. præs. 1. num. 10. & 11.* Sanchez *lib. 2. disp. 45. in fine*, & in terminis Pontius *lib. 9. cap. 10. in fine.*

Si verò agatur de declarando, validum esse matrimonium, & non subesse impedimentum, atque adeò de euitanda pęna incestus; crederetur illis affirmantibus non contigisse seminationem. Exemplum est Petrus fornicatus est cum Berta, deinde cum eius sorore contrahit matrimonium, & consumat, si Petrus, & Berta ambo iurent se non seminasse, atque adeò non fuisse copulam consumatam, vnde non subest impedimentum affinitatis, tunc eis creditur, & euitant pœnam incestus. Probatur à simili, nam si scholasticus cum puella deprehendatur, ad euitandum pœnam stupri, illis creditur si dicant se contraxisse matrimonium, *gl. in l. penult. C. de fideiussor.* Marsilius *sing. 22.* infinitos citans Tiraquell. *de legibus connub. lege 5. num. 29.* Menochius *casu 103. nu. 5.* Sanchez *lib. 2. dis. 45. nu. 37.*

SECTIO XII.

seu Corollarium VII.

An sit reseruatus incestus, si fœmina non seminauit?

SVMMARIVM.

Affirmant communiter Capeauille distinguit. num. 78.
Negatiua sententia probabilior. num. 79.
Quid si dubitetur, an vterque seminauerit? nu. 80. Forus internus, & externus non discrepant, nisi quando externus falsæ præsumptioni innititur num. 81.

78 Affirmant communiter Doctores, teste Carolo Baucio *de casibus reseruatis casu 3.* docent enim non requiri vtriusque seminationem; sed aliter docent quando vir non seminauerit; tunc enim inquiunt non esse consumatam copulam, neque tunc incidi in reseruationem, ita Finellius *de casibus reseruatis casu 10. num. 9.* Baucius vbi suprà. Graffius *tract. de casibus reseruatis*

79 *lib. 1. cap. 13. num. 37.* Sed cum alia distinctione respondet Capeauille *tract. de casibus reseruatis casu 14. quæst. 2.* vbi sic ait: Si vnus seminet, alter non propter ætatem, ille qui seminat dicitur consumare incestum, & incurrit casum reseruatum, non alter, qui non seminat.

Sed contra est, quia vtraque actio mulieris, ac viri reputatur vna actio; nam ad seminationem viri concurrit, & cooperatur fęmina, & ad seminationem fœminæ concurrit, & cooperatur vir: ergo nequit dici quod copula dicatur consumata respectu viri, & non respectu fęminæ, vel è contrà: aut quod non sit consumata respectu fęminæ non seminantis; sit autem consumatam respectu viri seminantis. Itaque

80 Respondetur negatiuè, non esse consumatum, neque reseruatum incestum, si fęmina non seminauit, aut si vir non seminauit. Ratio est, quia tunc est copula consumata, & perfecta: quando concurrit vtriusque seminatio, tunc enim ex communiori Medicorum sententia apta est ad generationem, & tunc dicitur consumatum matrimonium, & contracta affinitas: ergo etiam vt dicatur consumata copula incestuosa, & sit casus reseruatus, requiritur vtriusque seminatio.

Petes quid si dubium sit, an vterque seminauerit? Videtur enim tunc casum non esse reseruatum, quia quando casus est dubius non est reseruatus, vt docent communiter Doctores, Emanuel Sà *Verbo casus num. 6.* Finellius *de casibus reseruat. cap. 3. num. 26. in fine.* Homobonus *de casibus reseruatis, par. 3. except. 8.* Auersa *de Sacram. pœnit. quæst. 17. sect. 2.* Diana *par. 8. tract. 7. resol. 72.*

Respondetur tamen tunc esse casum reseruatum.

81 Ratio est, quia in foro externo præsumitur copula consumata, & vtramque seminationem contigisse, quia hoc frequentiùs accidit; vndè oportet in conscientia euidenter constare de opposita veritate, nempè feminam non seminasse; nam forus externus, & internus non discrepant, nisi quando euidenter constat de veritate, & forus externus falsæ præsumptioni innititur; vndè etiam in conscientia, quando non constat de veritate standum est præsumptioni iuris. Menoch. *lib. 4. præsumpt. 83. num. 62.* Molina *tom. 1. disp. 196. col. 3.* Sanchez *in Summa, lib. 1. cap. 10. num. 13.*

SECTIO XIII.

seu Corollarium VIII.

An in mulieribus, pueris, frigidis, & spadonibus detur peccatum formalis molliciei, & quomodo teneantur confiteri?

SVMMARIVM.

Distillatio non est contra naturam, neque specie differt à turpi tactu. num. 82.
Frigidus, aut Eunuchus tenetur se accusare de circumstantia

tia impotentia, quin eius copula reducitur ad peccatum contra naturam. num.83.

RÉspondetur negatiuè, quamuis se tangentes turpiter peccent mortaliter, & grauissimè; vndè *sufficit si se accusent de turpi tactu, absq; eo quod aliud exprimant.*

Probatur quia, vt ait Gerson *par.2. operum tract. de pollutione diurna proposit 4. fol.490.* Nullus fluxus ex membris generationi deputatis, reputandus est de se pollutio, vel mollities, si non fuerit verè seminalis: sed in mulieribus,vt docent probabiliter Aristoteles, Auerroes, & alij, non datur fluxus verè seminalis, neque in pueris, frigidis, & spadonibus: ergo in his non datur vera & formalis mollicies: fluxus autem ille humoris

82 serosi, seu distillationis, vel quocumque vocetur nomine, cùm non sit seminis prolifici fluxus, non est peccatum contra naturam; vndè non differt specie à cęteris peccatis voluntariæ cōmotionis carnis,aut turpis tactus.

Confirmatur à pari, nam occidens fœtum non animatum, non est homicida neque irregularis; ergo voluntariè eijciens semen imperfectum, quale est mulieris, frigidi, pueri, & spadonis, non committit formalis molliciei peccatum.

83 Aduerto obiter, quod frigidus, aut Eunuchus tenetur se accusare de circumstantia impotentiæ, cùm confitetur se rem habuisse cum muliere; quia hæc copula reducitur ad peccatum contra naturam, cùm in illo adsit impotentia generandi, & sic frustratio finis, ad quem natura copulam destinauit, Sanchez *de matrim. lib.7. disp.5. num.14.* Henriquez *lib.5. cap.6. num.3. in glosa lit. M,* Lessius *lib.4. cap.3. dub.6. num.45.* Card. Lugo *de Sacram. pœnit. disp. 16. sect.6.nu.338.* qui idem docet,de horum desiderijs Diana *par.6. tract.6.res.35.*

QVÆSTIO XXVIII.

Quomodo contra carnis illecebras pugnandum?

SECTIO I.

Carnis, & spiritus pugnæ ordo, ac certaminis forma præscribitur.

SVMMARIVM.

In castitatis prælio quotidiana pugna,& rara victoria. n.1.
Cōtra carnis illecebras Hieronymi conflictus in Eremo.n.2.
Pugnandi ratio. num.3.
Apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. num.4.
Crucis casside frontem protege. num.5.
Inuoca castitatis Patronam. num.6.
Moriar millies, moriar priusquam te Redemptorem meum offendam. num.7.
Intuere è patibulo pendentem Deum. num.8.
Aspice Cælum. num.9.
Manum igni admoue, & ignem igne extingue. num.10.
Mira vis lustrabis Aqua. num.11.
Sacram Eucharistiam inuisere, & adorare iuuat. num.12.
Ad Sacrum confessionis lauacrum accurrere. num.13.
Superbia vniuersa luxuria radix. num.14.
De sua virtute diffidat. num.15.
Lutulentam bestiam irride. num.16.
Dolore voluptatem pelle. num.17.
Gelidum solum mox veneris extinguit ardorem. num.18.

FIlI, ait, Ecclesiasticus *cap.2.* *accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, carnis vtique, dicente Apostolo, *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem.* Dura ac iugis pugna, & rara victoria, teste S. Augustino *lib. de honestate mulierum, cap.2. Inter omnia (inquit) certa-*

1 *mina Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria, cui quotidiè resistitur, & semper timetur;* Quis non horreat, quæ de se

2 S.Hieronymus *epist.22.* scribit? *O quoties Ego ipse in Eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs; sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia,& squallida cutis situm Æthyopica carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur Ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunio, & mens æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant.* Hæc ille Agonoteta fortissimus.

Iam ergo quibus armis, quouè ordine irruentem ferocissimum hostem prosternas, attende.

3 Primò, itaque conflictus initio fuge, & fugabis inimicum. Contra libidinis impetum (ait S. August. *serm.250.*

4 *de tempore) Apprehende fugam si vis obtinere victoriam, nec sit tibi verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* S.Hieron. *epist.22. Dum paruus est hostis interfice.* Et in Ecclesiasticum *cap.9. Diabolus serpens est lubricus, cuius si capitis, id est primæ suggestioni, non resistitur, totus interna cordis,dum non sentitur illabitur.* S.Cyprianus *sermone de Ieiunio. Diaboli primis titillationibus obuiandum est, nec coluber foueri debet, donec in serpentem euadat.* S. Gregorius *in primum Regum lib.6. expos. cap.2. More ignis libido succenditur, & si negligenter extinguitur adiacens stipula velociter inflammatur.* Egregiè quidam doctus Neotericus. *Adest cogitatio? repelle. Allicit imaginatio? non aspice, mentis oculos quamprimum aliò auerte; Moraris & cum hoste colludis? euidenti periculo castitatem exponis. Iob non solum à conspicienda, sed etiam à cogitanda virgine cauit. Scintilla vesti illapsa, citò maculam inurit, ni eam submoueas: fœda cogitatio animum mox inficit, ni hanc quamprimùm excutias. Audis obscœna, & periculosa? bonum est obturare aures, melius est abire, & fugere; Cernis blanda, & illecebrosa? tutum est oculos claudere, sed tutius est abire, & fugere.*

5 Secundò crucis baculo hostem prosterne, sic S. Abbas Hilarion, vt in eius vita S. Hieronymus scribit: *Intellexit dæmonum ludibria, & prouolutus genibus Christi Crucem signauit in fronte, talique armatus casside, & lorica fidei circumdatus, iacens fortius præliabatur.*

6 Tertiò, virginis pede contere serpentis caput; eius sacram imaginem si poteris, deuotè intuere, & pronus adorans, castitatis patronam inuoca, sæpius repetens salutationem Angelicam,aut Antiphonam *sub tuum præsidium,* aut versiculos illos. *Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac, & castos.* Vix ista absolues, & fugato hoste gloriosè triumphabis. *Sileat (inquit S. Bernardus serm.4.de Assumptione) misericordiam tuam Virgo Beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Idem S. Bernardus *hom.2. in Missus est. Semper Mariam cogita, semper inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum,*

respice maris stellam, voca Mariam. Hac salutationis Angelicæ acutissima sagitta, iuuenis specie apparentem demonem fugauit Monialis illa, de qua Cęsarius *miraculorum lib.3. c.13.* idem Thomæ de Kempis accidit, vt in eius vita, & in speculo exemplorum *dist.10. exemp.8.*

7 Quartò, hac vnica voce cunctas tartareas phalanges prosterne, *Moriar, moriar, priusquam te Redemptorem meum offendam*, & sacram Crucifixi Imaginem intuens
8 dic cum Bernardo. *Tu Domine Deus meus pendes in patibulo, & ego voluptati operam dabo?*

9 Quintò, aspice Cœlum, & ibi regnantem intuere, & ita seuientis voluptatis carnificem non timebis, etenim teste Chrysostomo *Obiectum oculis Cælum, manus armat ad fortia*, sic ait Theodoretus, octoginta annis Simeonem Stylitam stātem in columna perseuerasse, quia *assiduè cælum spectabat*. O quam sordet tellus cum Cœlum aspicio?

10 Sextò, ignem igne extingue, extrema digitorum igni admoue, & æternos ardores experientia disce, nam vt ait Chrysostom. *hom.32. ad Rom. Non sinit in gehennam incidere, gehennæ recordatio.* Considera æterna incendia, demonum monstra, densissimas tenebras, inconsolabiles gemitus, innumera sine fine tormenta, & recogita cum Apostolo dicens: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Breuis voluptas* (inquit S. August. *serm.3. de Natiuit. Domini*) *occidit, & præterijt, vulnerauit, & transiuit, miserum fecit, & abijt; infelicem reddidit, & reliquit*. Vt autem tentationis impetum reprimas, pondera hæc tria verba; *Nunc, Statim, Nunquam. Nunc* possum mori: *Statim* descendere in infernum: *Nunquā* inde exire.

11 Septimò, lustralis aquæ vim ad Sathanæ terriculamenta fuganda experta est, & testatam in sua vita reliquit S. Teresia *cap.31.* etenim cruce deiectus inimicus, mox reuertebatur ad pugnam; at sacra aspersus aqua, tremens Ecclesiæ Christi sponsæ orationes, velut castrorum acies ordinatas, præceps ruit in orcum.

12 Octauò, Sacram Eucharistiam inuisere, & adorare iuuat, ait enim Psalmista *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*: Imò præsentissimum fędissimæ huius pestis anthidotum est virginea caro Corporis Domini, sic S. Cyrillus *lib.4. in Ioan. c.17. Sedat* (inquit) *cum in nobis manet Christus, seuientem membrorum nostrorum legem, pietatē corroborat, perturbationes animi extinguit* S. Bernardus *serm. de Cęna Domini. Illud Sacramentum sensum minuit in minimis, in grauioribus tollit omninò consensum* adstipulatur, & S. Tho. *opusc.58. c.26. ex illo* Zacharia Vaticinio *cap.9. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius? nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

13 Nonò, ad Patrem spiritualem, ac ad sacramentalem confessionem cōfugere iuuat, sic Cassianus *collat.2. c.10. Illicò enim, vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & ante quā discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus, velut è tenebroso, & subterraneo specu virtute cōfessionis protractus ad lucem, & traductus, quodammodo dehonestatus abscedit. Tandiù enim suggestiones eius dominātur in nobis, quamdiù celantur in corde.* Sapientissimus Card. Toletus *in Sum. lib.5. c.13.* de turpissimo mollicici peccato disserens, ait: *Difficillimæ esse emendationis, eoque maximam damnatorum partem infici, & vix illum efficax remedium inueniri, nisi frequentissimam confessionem, cum eodem Confessario, ter in hebdomada, si fieri possit, alioquin non sibi quisquam promittat emendationem, nisi per miraculum à Deo, aut rarissimum priuilegium.* Hæc ille.

14 Decimò, superbię virus è cordis penetralibus euomat, hæc enim radix vniuersæ luxuriæ testante Apostolo *ad Roman.1. Propter hoc* (loquitur de mundi Sapientibus in superbiam elatis) *tradidit illos Deus in desideria cordis eorū, & in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, in passiones ignominiæ*: sic *Prou. c.16. Contritionem pręcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Vndè præclarè dixit S. Isidorus *lib.2. de summo bono, c.39. Nisi præcessisset latens superbia, non sequeretur libidinis manifesta ruina*, quis non contremiscant sententiam S. Gregorij *lib.24. moral. c.13. Castitas* (inquit) *in fine vitæ perditur: quia cooperta superbia, vsq; ad finem vitæ, incorrecta retinetur.*

15 Vndecimò, de sua virtute diffidat, sic *Sapientiæ c. 8. Cognoui, quod non possum esse continens, nisi Deus det, idcircò adij Dominum, & depracatus sum illum.* Cassianus *lib.6. Institut. de spiritu fornicationis c.5. Tamdiu*, inquit, *hoc vitio animam necesse est impugnari, donec se bellum gerere supra suas vires agnoscat.*

16 Duodecimò, luculentam bestiam irridere iuuat, ita S. Dacius Mediolanensis Episcopus dæmonem domo eiecit, quam diu inhabitauerat, vt refert S. Gregorius *lib. 3. Dialogorum cap.4.*

17 Decimotertiò, cum voluptatē dolor deturbet; aliqui verberibus corpus affligunt; alij indomitam carnem vulnerant; ac sale exasperant; alij liquata cera vrunt; alij digitos in ignem extendunt; alij linguam morsibus vexant; alij pilos excerpunt: alij ceruicalis vice saxum capiti subijciunt: alij denique cilicijs asperrimis, vrticis, aut rosarum spinis lumbos succingunt.

18 Decimoquartò, incessus nudis pedibus venerem deijcit authore Arist. *4. probl. quæst.5.* & Auicenna *lib.3. fen. 20. tract.1. cap.28.* Noui timoratos viros, cum nocturna aliqua illusione euigilantes, mox consurgere, & nudis genibus in terra prouolutos, salutari Crucis signo frontem, ac lustrali aqua signantes, Angelica salutatione castitatis Patronam aduocare, qua vix absoluta, teterrimus tartareus ignis extinguitur.

Hactenus in ipso conflictu arma protulimus; restat, vt tradamus ea, quibus præparemur ad pugnam. Duo autem sunt cuiusque belli præparamenta, alijs fortiores efficimur, alijs hostiles vires eneruantur, duplex ergo huius belli præparatio, altera spiritus aduersus carnem armatur, altera caro spiritui subijcitur, vt mox ostendā.

SECTIO II.

Spiritus aduersus carnem armatur.

SVMMARIVM.

Arma castitatis sacra confessio, Eucharistiæ pabulum. nu.1.
Meditatio. num.2.
Iugis occupatio. num.3.
Fœminarum fuga. num.4.
Caue adolescentulorum consortia. num.5.
Fuge spectacula, choreas, impudicos libellos, scurrilia, Impuros socios, turpes imagines, præteritarum voluptatum memoriam dele. num.7.

1 PRimò, itaque gladio ancipiti inimicum confodias, sacra confessione, ac diuinissimæ Communionis pabulo per singulas hebdomadas iuxta S. Augustini consilium; illa enim agni sanguine dealbamur; Ita tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti diabolo terribiles,

Secun-

2 Secundò quotidiana saltem per horam meditatio numquam dimittenda est; certissimè enim (vt scribit S. Teresia *in sua vita cap.8.*) lucis portum tenebit, qui vsque ad mortem, vnam aut alteram meditationis horam per singulos dies non deseret. Peruium autem, ac suaue cuicumque erit meditationis exercitium, si quousque hora decurrat, morosè legat meditationes Patris Ludouici Granatensis, aut alterius pij scriptoris, legat decem ferè versus, deinde quiescat, si se interiùs commoueri sentiat, vltrà non progrediatur; cum se distractum aduertit, prosequatur lectionem, & iterùm eodem ordine intermittat, donec absoluatur hora. Breui enim videbit, quam suauis est Dominus, tunc *gustato spiritu, desipiet omnis caro*.

3 Tertiò detestetur otium, omnium libidinum seminarium: sic Ezechiel *capit.16. Iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, abundantia, & otium*. Theophrastus rogatus quid esset amor? scitè respondit. *Animi vacantis, & otiosi morbum*. Diogenes *Amorem otiosorum negotium* nuncupauit. Præclarè B. Laurentius Iustinianus *lib. de perfect. gratiæ capit.11. Sicut aqua*, inquit, *quæ caret decursu, & iacet in fossis, putrescit, & humano vsui aliena efficitur, repletúrque animalibus venenatis, & noxijs, ita & corpus otij tabe confectum concupiscentiarum, & voluptatum carnalium, parit, & nutrit insaniam*.

4 Quartò fœminarum aspectus, munuscula, colloquia, omnesque eiusmodi occasiones cautè deuitat. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*. Meritò S. Bernar. Gallicanæ imò vniuersæ Ecclesiæ lumen *serm.65. in Cantica*, sic scribit: *Cum fœmina semper esse, & non cognoscere fœminam nonnè plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est non potes, & quod maius est vis credam tibi?* sapienter Sanctus Hieronym. *ad Rusticum Monachum*, ita monet: *Matrem tuam ita videas, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus. Ancillulas, quæ in obsequio sunt, tibi scias esse in insidijs, & quantò vilior est earum conditio, tantò facilior est ruina*. Idem ad Nepotianum; *Solus cum sola absque arbitro, & teste numquam sedeat*. S. August. *libro de singularitate Clericorum. Grauem*, inquit, *inimicum fortita est castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso freno longius fugiendum. Nec minus fœminæ fugienda sunt, quod religiosæ videntur, quia quantò religiosiores, tantò alliciunt, & sub prætextu pietatis latet virus libidinis. Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior. Cedros Libani Duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm Ambrosij, vel Hieronymi impudica turpitudine*. Hæc Sanctissimus Hipponensis Antistes.

Accipe itaque saluberrimum Chrysost. consilium *ferm. de publ. Libidinosus es, & incontinens? propone tibi metas, & terminos, nullam mulierem spectandi, neque in foro alienum decorem circumlustrandi; leuius enim à muliebri aspectu abstinebimus, quàm visa, & concupita fœmina libidinum incitamenta propulsabimus*.

5 *Adolescentulorum quoque* (inquit Sanctus Dorotheus *serm.20.*) *colloquia, & amicitias fuge, vt amicitiam Diaboli: vnicum habeto socium, vnicum habeto amicum, Deum, & qui Deum timet, & cum eo loquaris, & conuerseris*. S. Hieronymus *ad Nepotianum. Tales*, inquit, *habeto socios, quorum contubernio non infameris, non ornentur veste, sed moribus, nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur*.

6 Sextò fuge cuncta irritamenta luxuriæ: *In spectaculis ne sedeas* (vt cum Chrysostomo loquar *homil.8. de pœnit.*) *ne accedas ad communem luxuriæ officinam, ad publicum incontinentiæ gymnasium, ad cathedram pestilentiæ, ad omnis impudicitiæ Orchestram, in pessimum plurimorumque morborum Xenodochium, in fornacem Babilonicam*.

7 Fuge choreas, de quibus optimè dictum: *Chorea est circulus, cuius centrum est Diabolus, & circumferentia omnes Angeli eius*. Has insectantur S. Io: Chrysost. *hom.49. in Matth.* S. Ambros. *lib. de virginibus*, S. August. *contra literas Pitiliani cap.9. & in Psal.32*. Vnde verè scripsit. Petrarcha *Dialogo 24. Hic ludus multorum dedecorum causa fuit, sæpè ibi Matrona diù seruatum decus perdidit*.

Impudicos libellos, ne ab eis incendaris incendas.

Turpiloquia, & obscœnos iocos execrare, ne,

Si tibi culpa Iocus, sit tibi pena focus

Ora istorum (ait Chrysost. *hom.69.* in Matth.) *comparanda non immeritò cloacis sordidissimis*.

Impuros socios auersare, rectè enim dixit Senec. *l.3. de Ira cap.3. Sumuntur à conuersantibus mores, & vt quædam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit*. Quod deflet S. August. *lib.2. confessionum cap.3. Audiebam*, inquit, *eos, cantantes flagitia sua, & tantò glorïantes magis, quantò magis turpes essent, & libebat facere non solum libidine facti, verum etiam laudis; fingebam me fecisse, quod non feceram, ne viderer abiectior, quò eram castior; & lib.2. cap.9.* ait: *Pudebat me non esse impudentem*.

Imagines nudas, & inhonestas præteriens horreas. Imò tui corporis obscœnum aspectum erubesce, sic castissimus Amon (vt refert S. Hieron.) flumen transiturus, horrebat vestem ponere, & se ipsum videre nudum, occulta vi traiecit aquas.

8 Septimò præteritarum voluptatum, illecebrarumque memoriam radicitùs euelle, semel, aut bis sacerdoti propalata crimina, non euoluas, si menti occurrant, ingemisce, & proijce in mare sanguinis Redemptoris, & mox aliò cogitationem conuerte: audi S. Hieronym. *epist. ad Amand. Sola libido*, inquit, *etiam in ipso tempore pœnitendi, præteritos stimulos patitur, & titillationem carnis, & incentiua peccati; super hac quæ corrigi cupimus cogitantes, rursum fit materia peccati*. Idipsum expertum se fatetur S. Hieroym. *epist.22. ad Eustoch.* experta est quoque S. Maria Ægyptiaca, quæ totidem annis quot veneri seruierat, scilicet decem & septem hos stimulos pœnitens est passa, vt narrat Sophronius Hierosolymorum Patriacha in eius vita.

SECTIO III.

Caro spiritui subijcitur.

SVMMARIVM.

Inedia subiuganda caro. num.1.
Vinum luxuriæ fomentum. num.2.
Lamina plumbea proterenda caro. num.3.
Flagellis. num.4.
Vigilijs. num.5.
Estu, frigore. num.6.
Improbo labore. num.7.

PArùm iuuat armari spiritum, si caro molliter, & opiparè enutrita insolescat, *Qui enim*, ait Sapiens *Prouerb. cap.29. delicatè nutrit seruum suum, sentiet eum contumacem*, Deuter.32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*

1 Primò itaque inedia proterenda est carnis petulantia; & libido; sic S. Ambr. *lib. de pœnitentia. Grandis* inquit, *ignis est, ideò non demus illi alimenta luxuriæ, pascitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammantur*

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.

S. Hieronymus *ad Furiam. Ardentes diaboli sagittæ ieiuniorum, & vigiliarum rigore restinguendæ sunt, &* epist.9. *Nostrum est*, inquit, *voluptatis ardorem maiore Christi amore estinguere, & lasciuiens iumentum frenis inediæ subiugare, vt non libidinem, sed cibos quęrat, & desideret, & sessorem spiritum Sanctum, moderato, atque composito portet incessu.* Idem Epist.22. de se testatur. *Repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam.* Sanctissimus Anachoreta Macarius (vt refert Io: Subdiaconus *libello 4. num.18.*) *Viginti annis*, aiebat, *numquam satis panis comedi, numquam satis aquę bibi, numquam satis somni admisi.* Alter quoque ex Asceticis senex, teste Ruffino *nu.62.* de se dicebat, *ex quo monachus factus sum, nec pane, nec aqua, nec somno vnquam satiatus sum.* Idemque ingenuè de se professus est Beatus Andreas Auellinus Clericus Regularis.

Iuuat cibos calidos, acres, & flatulentos, tamquam titillationum libidinumque materiam, cautè deuitare, sic enim tradiderunt Aristoteles *sect.30. probl. 1.* Galenus *lib.3. fen.20. tract. 1. cap.37.* Cornelius Celsus *lib.4. cap.21.*

Sed de his audi Bernardi sententiam *epist.prima. Piper*, inquit, *zinziber, cyminum, saluia, & mille huiusmodi species, salsamentorum, palatum quidem delectant, sed libidinem accendunt. Et tu mihi in his securitatem pones? tu cum huiusmodi tuam duces adolescentiam? prudenter sobrièque conuersanti, satis est ad omne condimentum, sal cum fame.*

Præclarè Lessius opusculo de conseruanda valetudine *num.57. & 58.* causam aperit sic scribens: *Sobrietas libidinis materiam, ac causam impulsiuam, atque excitantem subtrahit. Materia est copia spermatis: causa impellens copia spiritus animalis, quo sperma expellitur; causa excitans est venerea imaginatio. Sobrietas itaque facit, vt sperma, tum quantitate, tum calore minuatur; similiter minuit copiam, ac feruorem spirituum abstinentia à calidis, & flatulentis cibis, à vini potentis vsu, saltem quamdiu opus est, vt ad mediocritatem deueniatur. Imminuto autem, & temperato spermate, ac spiritibus, sponte cessant libidinosa imaginationes, vel si occurrunt facilè excutiuntur (nisi fortè Dei permissu à Diabolo suggerantur) quia oriuntur per quandam sympathiam ex dispositione corporis, nimirum ex copia seminis, & spirituum, sicut imaginationes aliæ, quæ humoris dominantis conditionem sequuntur.* Hæc doctissimus Lessius.

2 Vinum immoderatum, aut validum luxuriæ fomentum esse tradit Apostolus *ad Ephes. primo.* Hieron. *epist. ad Furiam. Non Æthnę igne, non Vulcania tellus, non Vesuuius, & Olympus sic æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenę & dapibus inflammatæ.* Vinum ex lege duodecim tabularum mulieribus prohibitum: *Si vinum biberit vxor, vt adulteram punito.* Cato (teste Arnobio *12. contra gentes*) *cùm esset censor institutus, vt cognatis osculum mulieres ferent, deprahendendi causa an vinum bibissent*? ex Tertulliano *secundo contra Marcionem. Vinum scortationis comes.* August. *castitatis in scypho naufragium: Loth iustus vino incestuosus.* Aristot. *lac veneris* Hieronymus cõtra Iouinianũ refert: *Ægyptios sacerdotes natura lumine vino abstinuisse.* Auicenna ait, *vinum pueris præbere, est lignis debilibus ignem addere.*

Modico autem vino vti aliquando laudabile est, ex Apostolo, neque tenue, & album castitati aduersari, tradunt Galenus *lib.6. de locis affectis cap.6. &* Auicenna *lib.3. fen.20. tract.1. cap.39.* Imò aqua dilutum iuuat facultatem retentiuam, prohibetque nocturnam inquinationem, vt testatur Abulensis *paradoxo primo cap. 45. Ex arcta enim abstinentia in pane, & aqua prouenire nocturnam pollutionem perspicuum esse, testatur experientia*, ait Gerson *tract. de præparat. ad Missam consider.6. par. 2. operum*, & Abulensis vbi supra, & Dominicus Leonius *tract. de arte medendi sect.3. lib.6. capit.4.* qui ad pollutionem euitandam laudat vinum valdè dilutum.

3 Secundò laminam plumbeam super renes gestatam vim habere, insolescentem carnem edomandi, scripserunt Galenus *lib.6. de sanitate tuenda cap.14. & lib.9. de simplicium medicamentorum facultatibus capit.70.* Auicenna *lib.3. fen.20. tract. 1. cap.27. & 33.* & Dominicus Leonius *tract. de arte medendi sect.3. li.6. c.4.* Mirabile, quod de Agonothetis refert Cassianus *instit. lib.6. cap.7.* explicans illud Apostoli: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Cum*, inquit, *se præparant ad agonum certamina, ne qua fortè per somnium nocturna delusi fallacia, vires minuant multo tempore conquisitas, laminis plumbeis renum contegunt loca, quò scilicet metalli rigore genitalibus membris applicito, obscęnos humores valeant inhibere.*

Hodie tamen tot sunt ciliciorum genera, quot pęnè militarium vestimentorum, tenerioribus adolescentulis, sat erit multare castitatis cingulum, quo subinde per interualla induti prodeant in aciem.

4 Tertiò flagellis lasciuiens corporis iumentum edoman-

mandum est. *Si enim Apostolus (ait S. Hieron. epist. ad Furiam) Macerat corpus suum, & animæ subijcit imperio, ne quod alijs præcipit, ipse non seruet, & adolescentulus feruente cibis corpore, de castitate securus est?*

Consentiunt Medici, dum scribunt contra libidinum aculeos, frictiones vehementes superiorum partium salutares esse, ita Cornelius celsus *l.4. cap.21.* & Leonius *tract. de arte medendi sect.3. lib.6. cap.4.*

5 Quartò vigilijs, humicubatione, alijsque duriusculis quiescendi modis, qui somnum, aut frangant, aut vexent, aliquando (nisi debilis complexio prohibeat) vtendum est. Hoc anthidoto contra incantationes, quibus à Cypriano Mago ad libidinem pellicebatur, vsam esse S. Iustinam refert S. Gregor. Nanziazenus *orat. de laudibus Cypriani, Ieiunio,* inquit, *& humicubationis pharmaco sese communierat.*

Porrò dormitionem supra dorsum omnino continentiæ aduersari scribunt Auicenna *lib.3. fen.20. tract.1. capit.33. & 37.* & Cornelius Celsus *lib.4. cap.21.*


6 Quintò nimius calor, aut frigus venerem exturbat, vt scribit ex Medicis Dominicus Leonius *de arte medendi sect.3. lib.6. cap.3.*

7 Sextò labor, & defatigatio, atq; immoderatum corporis exercitium huic morbo medetur, vt Leonius ibidem docet. Senex ex asceticis rogatus cur glebam ex loco ad locum deferret? lepidè respondit: *fatigantem fatigo.*





TRACTATVS QVINTVS
DE SCRVPVLORVM CAVSIS, ATQVE REMEDIIS.



QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit scrupulus? causæ, & indicia.

SVMMARIVM.

Quid sit scrupulus. num.1.
Quomodo differat à dubio, & opinione. num.2. & 3.
Cum opinione, aut dubio, imò & scientia, ac cum morali certitudine, potest existere scrupulus. num.4. & 5.
Scrupulus ex leui fundamento. num.6. imò aliquando ex validissimis rationibus causari potest. num.7.
Causa scrupulorum, natura, & dæmon. num.8. & 10.
A natura multipliciter causantur. num.9.
Deus nequaquam potest esse causa scrupulorum. num.11.
Indicia, quibus homo se scrupulosum agnoscet. num.12.

1 Scrupulus est formido, & anxietas, quam aliquis habet circa aliquid, etiam cùm opinatur esse licitum, quia veretur esse illicitum ita Valentia, *to.2. disp.2 q.14. pun.4. quæstiunc.5. Vasq. 1.2. disp.67. cap.2. num.6.*

2 Differt scrupulus à dubio, quia, qui dubitat neutri parti assentitur, qui verò habet scrupulum assentitur vni parti, sed cum formidine oppositi, quæ animum eius excruciat, timens ne oppositum potiùs sit verum, vnde trepidat operari; Itaque (vt ait Vasquez vbi supra) ista formido in omnibus, qui decernunt, & firmo assensu opinantur esse potest.

3 Differt etiam scrupulus ab opinione, quia habens opinionem, quod in aliquo peccet, non dicitur habere scrupulum, quia non formidat, sed assentitur, & credit se peccare. Itaque opinio est assensus, scrupulus est formido, ita communiter Doctores Nauar. *cap.27.n.279. Azor. tom.1.c. 20 lib.2. quæst.1. & 2.* Vasquez. *1.2. disput.67. cap.2. num.6. & 7.* Sayrus *libro 1. cap.14.n.1.* Layman *lib.1.tr.1.cap.6.n.1.* Rodriquez *qq.regular. t.3.q.66. art.1.* Salas. *1.2.tr.8.disp.vnica sect.29.n.291.*

4 Quamuis autem nequeant esse simul opinio, dubium, aut scientia; tamen cum his singulis formido quedam, & trepidatio coexistere potest, vt benè ait Rodriquez *tomo 3. quæst.66. art.1.* & quod mirum est, etiam cum morali certitudine potest scrupulus coexistere, vt tradit

5 Gerson *p.2. operum tract. de præparat. ad Missam considerat. 3.* Certitudo enim moralis opponitur opinioni, quando enim aliquid est moraliter certum non potest eius oppositum esse probabile, sed est falsum & improbabile: at potest esse formido oppositi.

6 Communiter etiam tradunt Doctores, scrupulum esse ex inani ratione, & leui fundamento nixam apprehensionem, vnde dicunt vocari scrupulum ducta metaphora à lapillo paruulo, qui in calceo latet, & pedem offendit, sic ex leuissima ratione ortus scrupulus, & animo insidens molestiam, & anxietatem parit. Azor. *tomo 1. lib.2. cap.20. quæst.1.*

At hæc communis assertio magis cruciat scrupulosum, dum enim scrupulus ex leui, & inani ratione procedit, ipse non leues, sed validas rationes arbitratur; vnde ergo scrupulum agnoscet?

7 Dico igitur ad solatium scrupulosi, aliquando etiam ex validissimis rationibus causari scrupulum, nam vt dicunt Suarez *1.2. tract.3. disp.12. sect. vltima num.1. &* Rodriq. *tom.2. summa cap.52. num.1.* aliquando scrupulus causatur ex probabilitate oppositæ opinionis. Sed aduerto, quod rationes, quæ scrupuloso occurrunt, validæ, & firmę sunt, comparatę ad iudicium speculatiuum, quibus probabiliter iudicare potest opus in se esse illicitum, & in hoc scrupulosus non decipitur; sed eędem rationes inualidæ & inanes sunt, comparatæ ad iudicium practicum; nam stante duplici opinione probabili, potest formare certum iudicium practicum, tunc se operando non peccare; & in hoc scrupulosus decipitur, quia rationes illæ quantumcunque validę, cùm non destruant probabilitatem oppositę opinionis, inanes sunt, vt deterreant ab actuali operatione, nam ijs non obstantibus, potest formare iudicium practicum se certissimè tunc non peccare.

8 Causa

8 Cauſa efficiens ſcrupulorum, vel eſt natura, vel dęmon, ita S. Antonin. *parte* 1. *tit*.3. *cap*.10. §.9. Nauar. *cap*.27. *num*.282. Nequaquam Deus, niſi permiſſiuè.

9 A' natura cauſantur multipliciter. Primò à melancholia, & tunc curatio eſt difficilis, vide, quæ latiſſimè dicam *quęſt*.4. ſecundò à ſtultitia, ſeù vt Medici vocant à melancholia confirmata, & tunc infirmitas ſcrupulorum omninò incurabilis eſt. Tertiò ab igoorantia, & puſillanimitate, & tunc facilis eſt curatio, niſi adiuncta ſit melancholia. Quartò à familiari colloquio, & conſortio ſcrupuloſorum, à doctrina ignorantium, & nimis inquirentium, quare à ſcrupuloſis recedendum eſt, inquit Salas 1. 2. *tract*.8. *diſp. vnica ſect*.29. *in fiue*, Rodriquez *in ſumma tomo* 1. *cap*.52. *num*.1. Beccanus 1.2. *tr*.1. *quęſt*.10. *cap*.4. Io: Sanchez *diſput*.41. *numer*.23. qui rectè ſubdit, nulli ſubeſſe periculo eos, qui ſapientes ſunt, & animo hilares, quantumcumque cum ſcrupuloſis conuerſentur. Quintò à ſcientia, & mentis acumine oriuntur quoque ſcrupuli (ait Salas vbi ſupra) ſed nequaquam puto verum, niſi adiuncta ſit puſillanimitas, aut melancholia. Sextò à puſillanimitate cum timorata conſcientia.

10 A' dęmone quoq; aliquando cauſantur ſcrupuli perturbando phantaſmata, tenebras offundendo, ac vanos timores incutiendo permittente Deo, vt Dei ſeruos vel tentet, vel affligat. His conſcientiæ terroribus afflictus eſt, atque tentatus Beatus Iob, vt latè oſtendit Pineda *in Iob. cap*.3. *ſect*.2. acerrimos animi terrores ipſe ſignificat *cap*.7. *Auferat à me virgam ſuam, & pauor eius non me terreat. Terrores tui militauerunt contra me*. Quare & damnari timuit *c*.10. *Noli me condemnare*. Vt enim notauit S. Io: Chryſoſtom. *homil*.13. *de aduerſa valetudine tom*.6. *Hoc maximè*, inquit, *eum perturbabat & commouebat, quod iuſtum Deum ſibi infenſum eſſe putaret*. Sic ſuarum culparum recordatione cruciabatur, perſuadens ſibi adhuc eas non deletas: *Si peccaui* (inquit *cap*.10.) *& ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea, mundum me eſſe non pateris?* vbi S. Gregor. ſcrupuloſam mentem deſcribens ait: *Sępè mens in culpę recordatione concutitur, & deprębenſa trepidat, ſeque ipſam vanis motibus impulſa perturbat*. His ſcrupulorum fluctibus ſanctus vir iactatus, penè ad deſperationem adductus eſt, cum dixit *cap*.17. *Deſperaui, nequaquam vltrà viuam*. Vnde ſe erigit, & confirmat, ac anteactæ vitæ bona conſcientia conſolatur, prout aduertit S. Gregor. *in pręfat. cap*.3. vbi Iobum in commemoratione ſuorum præclarè factorum à iactantiæ culpa excuſat, dicens. *Non in vitium iactantiæ incidit, qui contra internam deſperationis impulſionem, per externa pręconiorum ſuorum verba pugnauit*. Iiſdem vanis conſcientiæ terroribus, ac ſcrupulis tentati ſunt ab humani generis hoſte alij ſancti Viri, vt videre eſt in vitis Patrum, ſic Beata Maria Magdalena de Pazzis quinquennio in lacu leonum demorata, ideſt tentationibus, & ſcrupulis adeò afflicta eſt, vt iugiter mortali culpa ſędatam, innocentiſſima Virgo amariſſime deſleret. Vide Puccinum in eius vita à *c*.37. *vſque ad* 57.

11 A Deo autem nequaquam eſſe ſcrupulos, niſi permiſſiuè, cenſeo, non autem directè intentas ratio eſt, quia Deus, nequit eſſe cauſa erroris intellectus, neque phyſici, aut inductionis ad peccatum: at ſcrupulus eſt error intellectus, & inducit in peccatum; ergo nequit directè eſſe volitus, & intentus à Deo.

Quia autem maximè oportet ſcrupuloſum ſuam ęgritudinem agnoſcere, his eam indicijs depręhendet, vt tradunt Azorius *to*.1. *lib*.2. *c*.20. *q*.3. Suarez 1.2. *tract*.3. *diſp*.12. *ſect. vlt. n*.5. Layman *lib*.1. *tr*.1. *c*.6. *n*.1.

12 Primò ex experientia, ſi expertus eſt facilè ſe inani timore trepidare, ac inquietari in iudicando de agendis. Præterea ſi faciliter mutat iudicium ex quacumque leui coniectura, vel apparentia.

Secundò ex exemplo proborum; apertiſſimè enim conuincitur ſcrupuloſum eſſe eum, qui ſępè ſolus ipſe timet, vbi nullus alius timet, & vbi alij inoffenſo pede currunt, ipſe ſcopulos, & ruinam trepidans vix audet mouere greſſus; vnde ſcrupuloſi torquentur ex quadam nimia reflexione, circa res, & euentus, qui vix in aliorum cogitationes aſcendunt. Deniq; quia ſemper ſcrupuli ex melancholia procedunt, ideò ſcrupuloſi ſicut & melancholici, timent ex eis, quæ non timentur ſecundum conſuetudinem, prout de melancholicis tradit Auicenna *lib*.3. *fen*.1. *tract*.4. *cap*.19.

Tertiò ex authoritate Doctorum hominum, ſi aliorum conſilijs, quibus parere debent, non acquieſcant.

Quartò ex iudicio prudentis, & docti confeſſarij, qui eum ſcrupuloſum eſſe decernunt.

QVÆSTIO II.

Quibus indicijs, quis deprehendet ſe operatum eſſe cum ſcrupulo, vel cum dubio, vel cum opinione peccati?

SVMMARIVM.

Operans cum dubio peccat, non autem operans cum ſcrupulo num.1.

Si certum eſt hominem eſſe ſcrupuloſum, iudicandum eſt, eam trepidationem in operando fuiſſe ſcrupulum, non dubium num.2.

Qui ſe ſcrupuloſum nouit, debet audacter operari, credens eam formidinem, quam habet, non eſſe dubium, ſed ſcrupulum num.3.

Scrupuloſus poſt operationem non cruciętur, neque confiteatur, quia certum eſt non peccaſſe num.4.

Vir timoratiſſimæ conſcientia, ſed ſummè ſcrupuloſus, nulla debet interiora peccata confiteri num.5.

Scrupuloſus poſt conflictum cum cogitationibus obſcęnis, ſi ignorat, quomodo ſe habuerit, quieſcat, quia non peccauit, neque confiteatur num.6.

Vir parum timoratus, ſed in aliqua materia ſcrupuloſus, in ea poteſt exiſtimare ſuam formidinem eſſe ſcrupulum non dubium num.7.

An vir timoratus, ſed non ſcrupuloſus, debeat ſuam trepidationem, exiſtimare fuiſſe dubium, vel ſcrupulum? n.8. *Et quod ſi ſit prauus homo, & nullatenus ſcrupuloſus, an debeat cenſere eſſe dubium vel ſcrupulum. n*.9.

1 IVge tormentum ſcrupuloſi eſt, iſta diſtinguere, ac iudicare, ſiquidem operans cum dubio an peccet, vel cum opinione, quod tunc peccat, vtiq; peccat; operatur quippè contra conſcientiam: at operans cum ſcrupulo non peccat, quia non operatur contra conſcientiam; cum ſcrupulo enim ſtat, eum ſcire ſe non peccare, ita Suarez 1. 2. *tr*.2. *diſp*.12. *ſect. vlt*. Valentia *to*.2. *diſp*.2. *q*.14. *punct*.4. *dub*.5. Sayrus *lib*.1. *cap*.14. *num*.1. Io: Sanchez *diſp*.41. *num*.7. & 8.

Aduertendum autem in ſecundo tempore poſſe ſcrupuloſum formidare peccatum. Primò quando actualiter operatur, ſeu in ipſa operatione, cùm non ſuppetit tempus diſcutiendi, vt cùm quis iurat, credens ſe verum iurare, ſed cum verba iurandi profert, trepidat ne falſum dicat. Secundò ante operationem, cum ſuppetit tempus diſcutiendi. Præterea aliquando conſtat euidenter operantem eſſe ſcrupuloſum, aliquando dubitatur, aliquando verò prorſus non eſt ſcrupuloſus.

Denique aliquando operans, eſt vir timoratæ conſcientiæ, aliquando ſecùs, ſed paſſim prolabitur deliberatè in mortalia: his poſitis

2 Dico primò ſi certum eſt hominem eſſe ſcrupuloſum, tunc iudicandum eſt ſcrupulum non dubium fuiſſe, & proinde nequaquam confitendum, ita omnes Doctores Sanchez *in ſumma lib.*1. *cap.*10. *numer.*81. *&* 82. vbi ait: *Scrupuloſum debere iudicare ſuum iudicium ſcrupuloſum eſſe non dubium*, Eman. Sà *verbo dubium n.*4. Granado 1. 2. *tract.* 12. *diſp.*5. *numer.*8. Io: Sanchez *diſp.*41. *num.*16.

3 Infertur primò, quòd quando ſcrupuloſus, qui ſe ſcrupuloſum eſſe nouit, in operando trepidat, & formidat, debet audacter, & ſine timore operari, credens ſibi tunc non dubium, ſed ſcrupulum occurrere, vnde non debet ceſſare ab operatione, niſi iurare poſſit, certum, & indubitatum eſſe opus illud ex ſe eſſe peccatum, nam eſto aliquando contingat hunc ſcrupuloſum aliquid illicitum efficere, non eſt illi culpæ tribuendum, cum ex recta intentione ob vitanda grauiſſima inconuenientia proceſſerit, nullo modo facturus, ſi exiſtimaret ibi aliquod malum adeſſe. Gerſon. *p.*2. *operum de præparat. ad Miſſam conſiderat.*3. *&* 6. Vaſq. 1.2. *diſp.*67. *cap.*2. *n.*8. Azor. *tomo* 1. *lib.*2. *cap.*20. *queſt. vlt.* Salas 1.2. *tract.*8. *diſput. vnica ſect.*29. *concl.*3. Sanchez *lib.*1. *ſum. cap.* 10. *n.*82. Eman. Sà *v. dubium num.*5. Layman *lib.*1. *tract.*1. *c.*6. *num.*2. Caſtro Palaus *tomo* 1. *tr.*1. *diſp.*4. *punct.*2. *n.*2. Merolla *tomo* 1. *diſp.*3. *cap.*3. *num.*380.

Probatur, quia ad liberandum à præcepto ſufficit, probabile fundamentum nos tunc non obligari: ſed in ſcrupuloſo, qui ſe talem nouit, adeſt probabile fundamentum, quod dubia ipſius menti occurrentia, non ſint propriè dubia, ſed ſcrupuli; nam in ſcrupuloſo, quæcumque formido omnia grauiora repræſentat, quàm in ſe ſunt, facitque trepidare, vbi nulla eſt occaſio trepidationis, vel timoris: ergo cum probabile ſit non obligari præcepto, illi non parendo, non peccat.

Secundò, quia quando quis bona fide procedit, putans ſe ad aliquod præceptum v. g. Ieiunium non teneri, quod ſi ſciret ſe teneri, vtique nollet peccare, nec omitteret, iſte talis non peccat, Caietan. *in ſumma v. Ieiunium, verbo contemptus, & Verbo præceptum*, Corduba *lib.*3. *q.*13. *regula* 9. quam eſſe mirabilem regulam pro ſcrupuloſis, inquit Villalobos *tomo* 1. *tract.*1. *diffic.*27. *num.*3. Sed ſcrupuloſus, qui iuxta ſolitum, putat dubium occurrens, non eſſe propriè dubium, ſed ſcrupulum, bona fide procedit; ergo non peccat.

Tertiò, quia præcepta poſitiua non obligant cum grauiſſimo damno, neque ad impoſſibile; ſed ſcrupuloſo eſt grauiſſimum damnum, & impoſſibile examinare rationes ſcrupuli, aut dubij: ergo excuſatur à præcepto. Minor patet, nam ipſe non eſt capax examinandi rationes, cum leues, & friuolæ, vt grauiſſimę ipſi offerantur, & quantò intentiùs, & accuratiùs examinationi incumbit, tantò magis denſiſſimis tenebris obuoluitur, vt experientia docet: deinde non teneor ab operatione ceſſare, hoc enim grauiſſimum onus, & damnum illi affert, ſic enim redditur ad omnia ineptus, & ab humano conſortio alienus.

4 Infertur ſecundò ſi ſcrupuloſus, cum dubio, & trepidatione peccati operatus eſt, poſt operationem non debet cruciari, & accedere ad confeſſarium, quaſi peccauerit, cum videatur ſibi, ſe cum dubio peccati operatum, imò potius debet hæc contemnere, & putans ſe cum ſcrupulo, non cum dubio operatum, quieſcere, & mentem aliò conuertere, & deinde huiuſmodi dubia nullatenus confiteri debet, ſed tantùm ea peccata, quæ quando admiſit non dubitabat, ſed certiſſimè ſciebat tunc ſe peccare, ita docent omnes Azorius *tomo* 1. *libro* 2. *cap.*20. *qu. vltima*, Eman. Sà *verbo dubium num.*5. Vaſq. 1. 2. *diſp.*67. *cap.*2. *num.*8. Sanchez *lib.*1. *ſummæ cap.*10. *num.*82. Saytus *lib.*1. *cap.*14. *numer.*2. Layman *lib.*1. *tractat.*1. *cap.* 6. *num.*2. Portel *v. ſcrupulus num.*3. Quare ſi ſcrupuloſus aliam materiam præter hæc dubia non afferat ad confeſſionem, non debet eum confeſſarius abſoluere, ſed præcipere illi, vt mox ſine abſolutione accedat ad Sacram Euchariſtiam, Layman *vbi ſupra cap.*6. *num.*2. *verſ.*4. Molina *tract.*4. *diſp.*13. *in fine*, vbi ait, quòd confeſſarius interdum ſcrupuloſo præcipere debet, vt de huiuſmodi re, neque cum ipſo, neque cum alijs loquatur, ſed tanquam quid inane, & ridiculum contemnat; quod ſi deinde accedat cum huiuſmodi dubijs, ſeu ſcrupulis, vt confiteatur, vel vt conſulat confeſſarium, debet eum increpare, & ſi liceat, eum fatuum, & mentecaptum vocare, vt tali reſponſo confuſus, verecundiæ vexatio det illi intellectum; ità Rodriquez. *qq. regularium tom.*3. *q.*66. *art.*2. *verſ. vnde*, Azorius *tom.*1. *lib.*2. *cap.*20. *q. vltima* Sanchez *lib.*1. *ſummę cap.*10. *numer.*82. qui *n.*83. ex Valentia 1.2. *diſp.*2. *q.*14. *punct.*4. *q. vltima* docet, aliquando expedire, vt confeſſarius dicat ſcrupuloſo, ipſum potius peccare non contemnendo ſcrupulos, & operando contra ipſos, quia exponit ſe grauiſſimo periculo ſuæ ſalutis propter ſcrupulos. At ego raró id expedire cenſeo, nam in maiores anguſtias, & perplexitates ſcrupuloſus induceretur, præſertim ſi ſcrupuli ſint ex melancholia,

Probo iam, non teneri ſcrupuloſum huiuſmodi dubia, cum quibus operatus eſt confiteri, eſto fuiſſent propriſſimè dubia, & re vera mortaliter peccaſſet. Primò, quia quando probabiliter credere poſſum me non peccaſſe mortaliter, non teneor ad confeſſionem, vt docent omnes: ſed is, qui nouit ſe ſcrupuloſum, probabiliter credere poteſt fuiſſe ſcrupulum, non dubium, cum frequentius ex ſcrupulis vexetur; vnde communiter Doctores tradunt, debere ſcrupuloſum omnia ſua dubia, ſcrupulos reputare; ergo non tenetur ad confeſſionem. Secundò, quia quando ex integritate confeſſionis imminet graue damnum, excuſatur quis ab integra peccatorum confeſſione: prout eſt communis ſententia: ſed ſcrupuloſo ex confeſſione omnium peccatorum, etiam dubiorum, imminet grauiſſimum damnũ ex ſcrupulis, & anxietatibus: ergo excuſatur ab eorum confeſſione. Præterea non confitendo huiuſmodi dubia, ſcrupuloſus nulli periculo exponitur, nam cum confitetur cętera peccata certa, & indubitata, remanet ab omnibus indirecte abſolutus.

5 Infertur tertiò virum timoratiſſimæ conſcientiæ, ſed

ſummè

ſummè ſcrupuloſum, nulla interiora peccata debere confiteri, quamuis credat ſe certò illa admiſiſſe, adeo vt iurare poſſet; ſed tantùm exteriora peccata ipſi confitenda ſunt, ita Io: Sanchez *diſp.41.num.24.* cuius tamen doctrinam veram non puto, niſi tres adſint conditiones. Prima eſt, vt ſit vir timoratiſſimæ conſcientiæ, qui multis annis ſine vllo mortali peccato perſeuerauerit, & mallet millies mori, quàm mortaliter peccare. Secunda eſt, vt in ſummo gradu ſit ſcrupulis vexatus. Tertia eſt, vt interiora peccata, quæ certa credit ſint in ea materia, in qua ſcrupulis cruciatur. His poſitis conditionibus, vera videtur doctrina Io: Sanchez, nam præſumptio probabilis eſt ipſum cogitare, ſe in crimen conſenſiſſe, dum longè à committendo diſtabat; ergo probabile eſt non peccaſſe, & ſic non teneri ad confeſſionem.

6 Infertur quartò virum timoratæ conſcientiæ, ſed ſcrupuloſum, cum poſt conflictum cum internis cogitationibus obſcęnis, cruciatur, ignorans an conſenſerit; non debet hæc confiteri; quia certum eſt non conſenſiſſe. Ita Victoria *de Sacramentis quæſt.* 130. qui ſic ſcribit: *Eſt aliquis, qui omninò habet propoſitum cauendi à peccatis, & nullo modo vult conſentire tentationibus, expertuſque eſt, quod ſolet reſiſtere cogitationibus, & illecebris; poſtea occurrunt cogitationes, & detentus fuit in illis, & poſtquam diſceſſerunt, non recordatur, ſi aduertit, ſi conſenſit, vel qualiter ſe habuit. Dico quod de tali ſcrupulo non oportet confiteri. Et eodem modo de cogitationibus fidei, & phantaſijs, quæ occurrunt homini, etiam parato mori pro fide ſi opus eſſet.* Hactenus Victoria idem docent Azor. *tom.1. lib.2.cap.20.qu.7.* Sanchez *lib.1.Summę cap.10.num.82.* Caſtro Palaus *tom.1. tract.1. diſp. 4. num.3.* Medina *1.2.qu.74.art.8. in fine*, Saytus *in Claui Regia lib.8.cap.7.num.6.in fine*, Portel *V. ſcrupulus nu. 8.* & Suarez *1.2.tract.7.diſp.12.ſect.vlt.nu.7.* vbi ait, quòd non terreamur propter moram temporis, aut vehementiam cogitationis, nam hæc etiam ſæpè ſunt naturalia, & inuoluntaria, & interdum ex timore poſtea maiora apparent, quàm reuera fuerint; præclarè quoque Io. Gerſon *p.2.operum tract.de præpar.ad Miſſam*, ſic ſcribit: *Decipiuntur in hoc multi ex ſimplicibus diſtinguere neſcientes inter ea, quæ portio animæ ſuperior agit per conſenſum, & ea quæ portio animæ inferior patitur abſque ſuperioris aſſenſu.* Et S. Gregor. *lib. 9. moral.cap.11.* inquit: *Repentina cogitatione mentem ita percutit, vt ſemetipſam diſcernere nequeat.* At ex vſu reſiſtendi, & nulli peccato mortali deliberatè conſentiendi, probabile eſt non conſenſiſſe, vndè ſi ſcrupuloſus eſt non debet hæc dubia confiteri: Si autem non ſit ſcrupuloſus, tutiſſimum conſilium erit confiteri, vt ait Saytus *in Claui Regia lib. 8. c. 7. num. 6. verſ. alterum*, ſed non oportet tunc numerũ, aut circumſtantias aperire, ſed ſat erit dicere accuſo me de omni negligentia, atque peccato in repellendis cogitationibus. Imò ſi non eſſet nimium ſcrupuloſus Ioan. Gerſon *p.4.operum tract.contra ſcrupuloſam conſcientiam verſ.6.* conſulit, *iſta conditionaliter, & generaliter confiteri dicendo habui varias cogitationes, & motus carnalitatis, vel vanaglorię, vel vindictę, vel odij, & timeo ne tantoperè reſtiterim, & tam citò, ſicut debuiſſem, hoc ego confiteor.*

Infertur quintò virum parum timoratæ conſcientiæ, qui ſæpè deliberatè in mortalia peccata prolabitur, ſi in aliqua materia verè ſcrupuloſus agnoſcitur, poſſe in ea materia exiſtimare, ſua dubia non eſſe propriè dubia, ſed ſcrupulos, at iſtis ſaltem in initio non erit præſcribenda ea regula latior, vt iſta dubia non confiteatur; quamuis benigniùs cum illis agendum ſit, quàm cum illis, qui ſcrupuloſi non ſunt Vaſq. *1. 2. diſp.67. cap.2.* Sanchez *lib.1. cap.10. num.86.* Saytus *lib.1. cap.14. in fine*, qui aduertunt non contingere ſcrupulum in ea materia, in qua ſępè mortaliter aliquis peccat, ſed in alijs materijs, in quibus mortaliter peccare non ſolet; vnde in ea materia in qua eſt ſcrupuloſus ferè non differt à cęteris timoratæ conſcientiæ, quare contra ſcrupulum ex conſilio confeſſarij poteſt audacter operari, & in ea materia, dubia, tamquam ſcrupulos contemnere.

8 Dico ſecundò ſi vir ſit timoratiſſimæ conſcientiæ, qui mallet millies mori, quàm mortaliter peccare, & nunquam ſolet deliberatè cõſentire peccato mortali, quamuis iſte ſcrupuloſus non ſit, ſi in ipſa actione occurrit ei formido, & trepidatio, & cum ea operatur, & poſt operationem cruciatur ignorans, an operatus ſit cum dubio, vel cum ſcrupulo; hoc caſu poteſt probabiliſſimè credere ſe non peccaſſe mortaliter, neque cum dubio, ſed cum ſcrupulo operatum, neque tenetur neceſſariò confiteri; quamuis cum non ſit ſcrupuloſus, optimum conſilium ſit confiteri; tunc autem non tenetur aperire omnes circumſtantias, aut exactè numerum, quia probabile eſt, non peccaſſe mortaliter.

Probatur primò, nam ex defectu plenę aduertentiæ, ac perfectę deliberationis excuſatur à mortali, qui ob inſtantem actualem operationem, & ob breuitatem temporis, non plenè aduertit, ſe cum formali, & proprio dubio operari, eſto fuiſſet propriè dubium; proinde non plenè aduertit ſe tunc peccare mortaliter: ergo excuſatur à mortali, ex defectu deliberationis.

Secundò accedit doctrina, quam ex Medina, & Sayro tradit Sanchez *lib.1. ſummę cap.1. num.20.* quod ſi dubitetur de pleno, & deliberato conſenſu, ſi dubitans ſit vir bonis moribus imbutus, timidęque conſcientiæ, credendum eſt, eum non perfectè conſenſiſſe; quia cum iſte mortale peccatum ingenti odio proſequatur, ſi ipſum admiſiſſet, facilè diſcerneret, idemque docet Caſtropalaus *tomo 1. tract.1. diſp.4. punct.2. numer.3.* vbi ait, peccata mortalia ita de ſe manifeſta eſſe, vt primo aſpectu, præcipuè à timoratis cognoſci poſſint.

Tertiò, quia ad hoc vt voluntas honeſtè operetur, non oportet intellectum actu reflexo, ſeu in actu ſignato cognoſcere illam formidinem eſſe ſcrupulum, & de eo non curandum; ſed ſufficit, vt id cognoſcat exercitè, dum cognoſcit licitam eſſe actionem, quamuis trepidet, & formidet exequi; & ita accidit quando timorati cum ea trepidatione operantur.

9 Dico tertiò ſi ſit vir deperditæ, & prauæ conſcientiæ, & nequaquam ſcrupuloſus, qui cum formidine operatur, non diſtinguens an operetur cum dubio, vel cum ſcrupulo, tunc quatuor caſus ſunt conſiderandi.

Primus caſus eſt, quando homo prauus, ante operationem cogitauit, an ea actio licita eſſet, & iudicauit licitam eſſe ex aliquo prudenti motiuo, vt efficaci ratione, aut authoritate Doctorum, vel ſapientum conſilio, aut proborum virorum facto, & exemplo; ſi deinde cum actu operatur, occurrit nihilominus formido, & trepidatio, & operetur cum illa, quamuis tunc actu non recordetur præcedentis iudicij, & motiui; nihilominus probabile eſt, implicitè, & exercitè contempſiſſe formidinem illam, tanquàm ſcrupulum; quia ex præcedenti

iudicio

iudicio habet promptitudinem quamdam ad contemnendum scrupulum, quamuis in actu signato, & reflexo non aduertat esse scrupulum.

Secundus casus est, quando homo prauus ante operationem non cogitauit de honestate actionis, sed cum actum operatur occurrit formido ex leui motiuo, & simul occurrunt alia grauissima motiua de honestate actionis, quia recordatur alios probos viros ita solitos operari, aut recordatur authoritatis Doctorum, vel alterius efficacis rationis; tunc operando cum illa formidine, implicitè videtur contemnere eam tanquam scrupulum; vnde quamuis consultum sit confiteri de hoc dubio, tamen necesse non est, quia probabile est non peccasse.

Tertius est casus, quando homo prauus ante operationem, atq; etiam dum actu operatur non recordatur alicuius sufficientis motiui pro honestate actionis, sed tunc formidat, & trepidat ex aliquo motiuo tunc occurrenti, quod quamuis re vera leue sit, tamen tanquam leue non agnoscitur. Hoc casu dicendum eum peccasse, quia cum dubio operatus est, nam ex facilitate peccandi, non contempsisse scrupulum, cum scrupulum esse non agnouerit, sed contempsisse peccatum præsumitur, quippe, qui taliter affectus est, vt etiam si certissimè cognouisset esse peccatum, adhuc idem fecisset.

Quartus est casus, quando perditę vitæ homo non recordatur quomodo operatus sit? an agnouerit scrupulum, vel dubium esse crediderit? Hoc casu tenetur confiteri, & accusare se tamquam de dubio peccato.

Infertur ex dictis, quod is, qui contraxit habitum in peccatis turpibus, & facilè, ac deliberatè ijs consentit, & si etiam potest ad ipsum opus progreditur, neque solet resistere, vel curare de peccato, in dubio an consenserit, potiùs existimatur peccasse mortaliter, & deliberatè consensisse, Saytus *lib.8.cap.7. num.6.* Sanchez *lib.1. summa cap.1.* in fine, qui optimam affert rationem; nam cum iste paruipendat peccatum, si minimè consensisset, nullum in eo dubium suboriretur.

QVÆSTIO III.

Remedia contra scrupulos in generali.

SVMMARIVM.

Præcipuum est, simplex obedientia ad Prælatum, confessarium, aut sapientes viros num.1.

Leo X. concessit Minoribus, vt possint acquiescere scrupulosi consilio suorum Prælatorum num.2.

Commodum huius priuilegij grande num.3.

Scrupulo adhuc non deposito, contra scrupulum agendum dum est num.4.

Si ex Consilio Confessarij scrupulosus erret, non peccat, quia eius ignorantia est inculpabilis num.5.

Scrupulosus venialiter peccat consulendo alios, aut non acquiescens confessario num.6. & 7.

Remedium contra scrupulos est eos contemnere num.8.

Quando menti occurrit scrupulus, quid agendum? num.9.

Scrupulosus hoc ipso, quod formidat tutissimè operetur, non enim peccat quando dubitat, sed quando certò scit esse peccatum num.10.

Scrupulorum damna num.11.

Tenetur aliquando sub mortali contra scrupulos operari num.12.

Scrupulorum radix inuestiganda, nam ex varijs causis, varia sunt scrupulorum remedia num.13.

1 PRimum atque præcipuum est simplex obedientia, non solum ad Prælatos, & confessarios, sed etiam doctos, ac sapientes viros; sic religiosus quidam apparens amico, & ab eo interrogatus, quid remedij contra scrupulos haberet? respondit *Consule discretos, & acquiesce eis*: sic referunt S. Antoninus *in sum. par.1. tit.3. cap.10.* & Azorius *tomo 1. lib.2. cap.20. quæst.6.* id præsertim de Prælato dicendum est quamuis non adeò prudens, aut doctus credatur. Vnde Sanctissimus Inclytæ Societatis Iesu Patriarcha Ignatius, *in epistola de virtute obedientiæ*, sic præclarè scripsit. *Si superior consilio, aut prudentia minus valeat, nō quidquam idcircò de obedientia remittendum, quatenus ille superior est; quando illius personam refert, cuius sapientia falli non potest; suppletque ipse quicquid ministro defuerit, siue probitate, aliisque ornamentis careat; siquidem disertis verbis Christus Dominus cum dixisset, super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisęi; protinus addidit, omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite; secundum opera verò eorum nolite facere*. Ita S. Ignatius, cui consonat pari doctrina, & pietate celeberrimus Io: Gerson *par.2. oper. de preparat. ad Missam consider.3. in fine*. *Non enim*, inquit, *commisisti te, & salutem tuam, in manus hominis, quia prudens est, & plurimum litteratus, aut deuotus, sed quia tibi est secundum regularem institutionem præpositus, aut Prælatus. Quamobrem obedias ei, non vt homini, sed vt Deo iubenti*. Ita Gerson, qui idem tradit *par.3. de vita spirituali sect.4. coroll.8. & de consolat. theol. lib.4. pros.4.* vbi ait: *Præcipuam causam institutionis religionum esse authoritatem Regiminis, cui magis obedientia præstaretur, quam propria rationi, quæ in plurimis valdè dubia*

2 *est, debilis, & incerta*. Vnde Leo X. Minoribus concessit, vt scrupulosi starent iudicio, & acquiescerent consilio suorum Prælatorum; Compēdium Minorum *verbo declarare* §. 5. Portel *V. scrupulus, &* Villalobos *tomo 1. tract.1. diffic.27. in fine*, qui rectè afferunt id accipiendum, etiam si Prælatus esset indoctus, cum Pontifex non distinguat: quare hoc priuilegium magnum affert com-

3 modum, nam tollit à scrupuloso quodcumque vinculum iuris humani ex responso Prælati, quamuis indoctè, & imperitè respondentis; nam ob solatium, & securitatem religiosorum id concessit Pontifex hoc priuilegio; alioquin inutile esset; vnde si scrupuloso Prælatus diceret non repetas, aut ne recites horas canonicas, quamuis esset imperitum ab imperito responsum, quia re vera recitare teneretur, tamen ex dicto priuilegio excusatur scrupulosus. Hoc idem priuilegium participant omnes regulares habentes communicationem priuilegiorum.

4 Secundum remedium est, obmurmurante scrupulosa conscientia, neque deposito scrupulo, audacter operari contra scrupulum, ex consilio Prælati, confessarij, aut sapientis viri, aut ex exemplo proborum virorum, aut ex alia prudenti ratione, tunc enim operans non peccat, quamuis adhuc duret speculatiuum iudicium, opus ex se esse illicitum, illudque operans non deponat, & durante etiam ea formidine, & trepidatione, quod peccet, nam implicitè, & virtualiter deponit, dum quamuis formidet se peccare, tamen habet certum iudicium practicum,

cum, quod non peccet sequens consilium sapientis, aut aliam rationem; etenim cum certo iudicio practico, quod licitè agat, stat etiã illa formido, vt enim doctè ait Gerson 1. 2. *operum tract. de praparat. ad Missam considerat.3. Certitudo moralis compatitur secum vacillationem quandam animi, aut hæsitationem quandam, vel suspicionem, seu scrupulos*; ita Gerson, & idem docet Pesantius 1. 2. *q.92. art.5. disp.2. in fine*. Neque opus est, quod in actu signato, & reflexo aduertat se habere Iudicium practicum certum, formatum ex consilio sapientis, aut alio motiuo; sufficit enim si id implicitè & exercitè cognoscat, dum recordatur eius consilij, aut motiui, & ita docent omnes Doctores, quamuis aliqui potiùs in modo loquendi, quam in re discrepent, ita Gerson vbi supra *considerat.3. & 6.* Nauar. *in manuali prælud.9. num.9. & cap.27. num.283. & in cap. si quis autem num.64. & 65. de pœnit. dist.7.* Azor. *tomo 1. lib.2. cap.20. qu.6.* S. Antoninus *par.1. tit.3. c.10. §.10.* B. Laurentius Iustinianus *lib. de disciplina monasticæ conuersationis cap.12.* Syluest. *V. scrupulus quæst.3.* Vasq. 1. 2. *disp.67. cap.2. num.8.* Sayrus *in claui Regia lib.1. cap.14. nu.2.* Sanchez *in summa lib.1. cap.10. num.80.* Layman *lib.1. tract.1. cap.6. num.2.* latè & doctè Io: Sanchez *disp.41. numer.7.* Beccan. 1. 2. *tract.1. cap.4. num.4.* Reginaldus *tomo 1. lib.13. num.114.* Castropalaus *tomo 1. tract.1. disp.4. punct.1. num.2.* Villalobos *tomo 1. tract.1. diff.27.* Bonacina *disp. de peccatis quæst.4. punct.8. num.5.* Rodriq. *qq. regular. tom.3. quæst.66. art.2. uers. tertia medicina.*

Probatur nostra conclusio, nempè non deposito iudicio scrupuloso, posse licitè operari, nam iudicium practicum, quod liceat in his circumstantijs operari, formari potest, vel per principia intrinseca idest per rationes, vel per principia extrinseca, idest per authoritatem confessarij, sed quantumcunque quis iudicet per principia intrinseca aliquid esse illicitum, & oppositam opinionem falsam; poterit tamen adhuc durante isto iudicio, nihilominus per principia extrinseca, idest per authoritatem Doctorum iudicare esse licitum, ita Vasquez 1. 2. *disp.62. cap.3. nu.10.* Lessius *lib.2. cap.41. dub.9. num.76.* Coninchius *de Sacram. disp.34. dub.10. n.84.* Sayrus *lib.1. cap.6.* Io: Sanchez *disp.41. num.7.* Ergo non deposito, & perseuerante scrupuloso iudicio, per aliquas rationes, quæ illi occurrunt esse peccatum mortale, licitè tamen operatur, sciens doctum confessarium sibi dixisse, non esse peccatum. Ratio est, quia cùm vtraque opinio sit probabilis per diuersa principia; consequenter potest perseuerare scrupulosus in suo iudicio, quod opus sit probabiliter illicitum, considerando principia intrinseca; & nihilominus potest formare aliud iudicium practicum, quod sit licitum considerando authoritatem Doctorum, & sic principia extrinseca.

Dices non possum sequi opinionem, quam falsam credo.

Respondeo tunc id contingere, quando sum longè maioris doctrinæ, quàm confessarius, nec sum scrupulosus, cuius intellectus densissimis scrupulorum tenebris obuoluitur, eiusque iudicium deprauatum est; quare temerè iudico falsam esse eam opinionem: debeo enim iudicare me decipi, credendo illam falsam: & ita re vera implicitè iudico; dum ex motiuo authoritatis confessarij operor. Præterea etiam si doctissimus essem, dum scrupulis vexor, & sum in propria causa, alterius iudicio stare debeo, instar Medicorum, qui cùm ægrotant alios consulunt Medicos, vt rectè docet Salas 1. 2. *tract.8. disput. vnica numer.299.* & Pater Ludouicus Granatensis *tract. de orat. cap.3. par.3.*

5 Confirmatur, nam vt rectè docet Rodriquez *qq. regul. tom.3. q.66. art.2. vers. tertia medicina*, esto decipiatur confessarius, qui non sit adeò doctus, adhuc scrupulosus eius consilio operans excusatur à peccato, nam errat per inuincibilem ignorantiam; tunc.n. ignorantia est inuincibilis, quando ignorans inculpabiliter non potuit scire; at scrupulosus non potest scire, quia ipse læsa imaginatione ex scrupulis, & melancholia incapax est examinandi rationes; neque potest sine veniali peccato alios quærere, quos consulat; non enim debet dimisso confessario mediocriter docto, alios quærere, sic enim procedere posset in infinitum, quærendo alium, & alium, quod stultum est, & malè ageret, nam confirmaret in se
6 habitum scrupulosum, vnde venialiter peccare consulendo alios, docent Nauar. *cons.17. de pœnit.* Rodriquez *qq. regular. tomo 3. qu.66. art.2. vers. ex hac* Portel *V. scrupulus num.2.* ergo cum per se ipsum, nequeat scrupulosus rationes, & fundamenta suæ formidinis examinare; nequeat sine peccato, omisso mediocriter docto confessario, alios consulere; & præterea teneatur ac-
7 quiescere consilio confessarij, & non acquiescens (etiam in re quæ alioquin esset meritoria, vt ieiunare, reiterare horas canonicas, &c.) venialiter peccet, vt docent Nauarrus Rodriquez, & Portel locis citatis, nam sic scrupulis maior patet aditus, cum graui damno spirituali; consequenter acquiescens confessario, ob inuincibilem ignorantiam excusatur, & nullatenus peccat, imò ex obedientia meretur.

8 Tertium remedium scrupulorum tradit optimè Rodriquez *qq. regular. tom.3. q.66. art.2. vers. quarta medicina*, vbi sic scribit. *Debet vitare, & non curare de scrupulis, & distrahere cogitationem, & imaginationem ab illis causis, à quibus talis scrupulus oritur, aut conscientiæ inquietudo irrationabilis, quia in hoc videtur consistere naturalis causa prædictorum scrupulorum, quod mota vna phantasia, oportet consequenter multas moueri, ita quod non est in potestate compescere sequentes phantasiarum commotiones; sicuti in lapidibus ordinatè, cohærentibus, moto vno, cæteri sequuntur, & vnus post alium cadit, ipsa enim attentio ad scrupulum vitandum parit scrupulum; ideò optimum medicamentum est, vt distrahatur à talibus scrupulis, & cogitationibus. Quare periti confessarij à scrupulosis consulti non adducant ipsis multas rationes, ad eorum scrupulos tollendos; sed paucis verbis, simpliciter, & absolutè illos dimittant, dicendo eorum scrupulos nullo niti fundamento, & si dicere fas est, dicant ipsos esse fatuos, & mentecaptos, si enim procurant eos rationibus conuincere, ex ipsis rationibus ad scrupulizandum sument occasionem.* Hæc Rodriquez, idemque consulunt Caiet. *V. scrupulus*, Layman *lib.1. tract.1. cap.6. vers.5.* vbi rectè monet, expedire scrupulorum negotijs insistere, ne scrupulis vacandi tempus suppetat: & S. Teresia *in sua vita cap.31.* ait, quod *Diabolus suæ versutiæ contemptores, tamquam insuperabiles, derelinquit.* Molina *tract.4. disp.13. in fine* ait; *quod semel responso accepto à confessario, neq; iterùm cum ipso, neque cum alijs de suis scrupulis agendum est*: Io: Sanchez *disp.41. num.22.* ait: *Debere scrupulosum exorto scrupulo mox cogitationem aliò diuertere, absque vllo motu capitis, aut gestu, quidam enim caput mouentes, & os retorquentes, quasi dicant: Non consentio,*

ſentio, non contentio, plurima agunt miſeratione, & riſu digna, quibus ſcrupuli maiores radices agunt. Sed vt diſtinctè procedamus obſerua tripliciter poſſe menti oc-
9 currere ſcrupulum. Primò nulla inſtante actione, cum ſcrupuloſus ſecum reuoluit, quid illi agendum eſſet, ſi talis, vel talis caſus occurreret? & mox reijciat, dicens, cum id eueniet, agam quicquid Dominus inſpirauerit, aliquando præteritæ cogitationis recordatur, & timet ne fortè conſenſerit; & mox timores iſtos, poſt generalem contritionem expellat, vt monet Io: Gerſon *par.4. operum opuſc. contra ſcrupuloſam* conſcientiam, dicatque cum S. Auguſt. *lib.10. confeſs. cap.28. Multum timeo occulta mea quæ nouerunt oculi tui, mei autem. Non in his omnibus periculis, & laboribus vides tremorem cordis mei, & vulnera mea magis ſubinde à te ſanari, quam mihi non infligi ſentio.* Denique aliquando trepidat an ſit rectè, & integrè confeſſus? & hæc *præteritorum peccatorum memoria, etiam ſi violenter irrepſerit, protinus extrudatur,* inquit Caietanus *collat.20. cap.9.* & S. Bernardus *ſerm.3. de SS. Petro, & Paulo,* ait, *Ad Dominum iam conuerſos non nimis cruciet præteritorum conſcientia delictorum ſed tantum humiliet ſe,* vnde vt conſulit Io: Gerſon *par.4. opuſc. contra ſcrupuloſam conſcientiam, ſic Dominum alloquatur. Scio Domine me toto conatu nunquam poſſe confiteri, ſicut mea poſtulant peccata, noſti Domine cor meum, & deſiderium meum, quod mihi inſpiraſti, nihil me celare velle; ſed cum confeſſor meus ſufficienter ſe exiſtimet de vita mea informatum, hactenus; ſufficiat tibi Domine; vt enim obedirem conſilio tuo, oblitus ſum temporis elapſi, ad melius ambulandum in tuo deinceps ſeruitio.* Hæc Gerſon. Itaque ſcrupuloſus vbi debita diligentia confeſſus eſt ſua peccata, non ſit anxius circa illa, ſed ſtudeat dignos pœnitentiæ fructus facere; & ſi anxietatem deponere nequeat, coram Deo ſe humiliet dicens, modò cum Dauide: *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Modò cum Ioſephi fratribus: *meritò hæc patimur, quia peccauimus.* Modò cum latrone: *nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus.*

Secundò aliquando, inſtante iam operatione, menti occurrit formido, & trepidatio; tunc ſi ſemel ea de re, aut ſimili, confeſſarium, aut doctum virũ conſuluit, non iterum conſulat, ſed præſcriptis regulis vtatur, & ſcrupulum pellat, alioquin, numquam ſcrupulorum fontem exhauriet, ita Vaſq. 1. 2. *diſp.62. cap.2. num.8.* Suar. 1. 2. *tract.3. diſp.12. ſect. vltima num.6.* Sayrus *lib.1. c.14. num.2.* Layman. *lib.1. tract.1. cap.6. verſ.4.*

Tertiò, inſtante operatione de qua, aut ſimili, nunquam aliquem conſuluit, nec conſulendi tempus ſuppetit, ſi formidat, & trepidat, timorem excutiat, & poſt mediocrem diligentiam, ac examen rationum, fidenter operetur, non enim ſcrupuloſus ad exactiorem trutinam adſtringitur. Merolla *tomo 1. diſp.3. c.3. nu.379.* quod enim ſcrupuloſo probabile videtur, alteri eſſet moraliter certum, & quod eidem ſcrupuloſo aliqualem habet rationis apparentiam, alteri probabiliſſimum erit: Tum quia ſicut tutò ſequitur opinio, quæ inſtante operatione & ex temporis anguſtia, adhibita mediocri diligentia, videtur probabilis; quamuis re vera eſſet improbabilis, vt docet Suarez *tomo 3. diſp.40. ſect.5. num.13.* Sanchez *lib.1. ſummæ cap.9. num.25.* ita etiam à ſcrupuloſo ſequi poteſt tutiſſimè ea opinio, quę ſibi mediocri diligentia adhibita probabilis videtur, neque tenetur cum tanta ſcrupulorum moleſtiam, aut ab operatione abſtinere, aut maiorem adhibere diligentiam, quare etiam ſi erraret, non peccaret, quia ea ignorantia eſſet inuincibilis, tunc enim aliquid inuincibiliter ignoratur, quando quis abſque graui incommodo, tunc non poteſt certus fieri. Præterea cum, inſtante operatione, ſcrupulorum fluctibus iactatur, attendat an viderit timoratos ita egiſſe, & mox operetur, omni ſpreto inani timore, nam proborum exemplum, & conſuetudo poteſt eſſe alijs viuendi regula, & quod illi abſq; peccati formidine agunt, ſcrupuloſus ſequi poteſt, ita S. Antoninus *1. parte tit.3. cap. 10. §.10. regul.7. doctr.4.* Sylueſt. *V. ſcrupulus q.4.* Layman *lib.1. tract.1. c.6. verſ.8.* Rodriq. *qq. regular. to.2. q.46. art.3. reg.4.* Recordetur quoque in ijs anguſtijs ſcrupuloſus, præcepta præſertim affirmatiua, vt de Ieiunijs, horis canonicis, excommunicationibus, irregularitatibus, & ſimilibus, non ſecundùm rigorem, ſed ſecundùm epikeium eſſe intelligenda S. Antoninus, Layman, & Rodriquez vbi ſupra. Neque Eccleſia, aut Deus ſuis præceptis intendit ipſum in ſtultitiam cadere: Iuuat etiam aliqua principia extrinſeca generalia pre manibus habere, vt practicè non errare, qui bona fide procedit, animo placendi Deo. Quod probabilis opinio, omiſſa probabiliori, tutiſſima eſt, non enim in rebus moralibus omnimoda certitudo quærenda eſt. Quod dubitatio, quæ alijs rationabilis eſſet, ſcrupuloſos contemnenda eſt, vt ait Caietanus quia non tenetur ad rigoroſum examen rationum, vnde licèt ſpeculatiuè erraret, practicè tamen non errabit, neque peccatum committet: vtiliſſimum quoque erit ſcrupuloſo in ea materia, in qua vexatur noſſe opiniones omnes probabiles, ſed quantumcumque laxas, quæ quamuis non ſcrupuloſis, fortè aperiendæ non eſſent, ſcrupuloſis tamen tamquam tutiſſimæ commendandæ ſunt, ipſiſque earum opinionum authores, deſignatis locis attentè legendi, & tradendi ſunt.

10 Denique ſi iſta non iuuant ſcrupuloſum ſciat ſe poſſe, hoc ipſo, quod formidat, & ſcrupulis cruciatur, tutiſſimè, & ſine peccato operari, quamuis operetur cum dubio, an honeſtum ſit opus, nam eſt ſingulariſſimum ſcrupuloſi priuilegium, à grauiſſimis Doctoribus traditum, ſibi nunquam iudicandum, aliquid eſſe mortale peccatum, niſi certò ſciat, adeò vt iurare poſſet; ita Azorius *tomo 1. lib.2. cap.20. qu. vlt.* Vaſq. 1. 2. *diſp.67. cap.2. num.8.* Sanchez *lib.1. ſummæ cap.10. numer.28.* Eman. Sà *V. dubium num.4. & 5.* Sayrus *lib.1. cap.14. num.2.* Layman *lib.1. tract.1. cap.6. num.2.* Salas 1. 2. *tract.8. diſp. vnica ſect.29. concl.3.* Merolla *to.1. diſp.3. cap.3. num.380.* Caſtropalaus *tom.1. tr.1. diſp.4. pun.2. num.2.*

Quartum remedium contra ſcrupulos eſt conſiderare, quæ ſequuntur.

Primò quia, vt Ieremias ait *bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti illum*; non durus, & auſterus, aut calumniator; oportet ergo *ſentire de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærere illum.* Eiuſque auxilium crebris orationibus præſtolari, ſcrupuloſi enim plerumque, quia *Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

11 Secundò ſcrupulorum ingentia damna recogitet, ad deſperationem, & laxitudinem inducunt: ab oratione, meditatione, compunctione, alijſque virtutibus, pijſque exercitijs auocant à proximorum procuranda ſalute, prohibent; moroſum, difficilem, triſtem, ac ridendum

efficiunt:

efficiunt: suo exemplo alios, ne suaui Domini iugo colla summittant inani timore concutiunt: perfectionis studium, Sacramentorumque frequentiam, sibi cæterisque scrupulorum horrore pauendam reddunt: Denique scrupulosi alios tamquam minus timoratos despiciunt. Vide S. Teresiam *in libello de perfectionis progressu capit. 40. & 41.*

12 Tertiò recolant se non obediendo, ne dum Deo placere non posse, quinimo venialis peccati macula fœdari, imò aliquando lethalem culpam contrahent, si contra scrupulos non operando, incurrunt graue periculum non exequendi ea ad quæ tenentur ex præcepto, vt omittendi horas canonicas, sacram communionem, aut confessionem, aut proprium officium Valentia *tom. 2. q. 14. punct. 4. in fine* Salas *1. 2. tract. 8. disp. vnica num. 298.* Sanchez *lib. 1. summæ cap. 10. num. 83.* Montesinus *1. 2. disp. 29. quæst. 6. num. 255.* Sayrus *lib. 1. cap. 14.* Io: Sanchez *disp. 41. num. 7.* Castropalaus *to. 1. tract. 1. disp. 4. punct. 1. num. 2.*

Quintum est remedium, ac præcipuum ad scrupulorum tenebras pellendas; Patrem luminum feruenter inuocare, cum Dauide dicendo: *Deus meus illumina tenebras meas.* Denique scrupulorum fluctibus iactatus ad maris stellam aspiciat, Mariam frequentibus, ac humilibus precibus oret; sic teste Bonifacio *in historia virginali lib. 4.* deuotus rusticus iam scrupulorum tempestate perierat, & suadenti Diabolo credidit, non nisi per martyrium saluari posse; vnde igne consumi, aqua absorberi curauit. Sed candido amictu apparens Beatissima Mater, vt sacerdoti obediret edocuit, & à scrupulis, ac tentatione liberauit.

13 Hæc à scrupuloso remedia præstanda sunt; at eius spiritualem medicum morbi radicem considerare oportet, vt ait Rodriquez *tom. 2. summa cap. 53.* Quare si scrupuli procedant ex ignorantia, facilis curatio, edoceatur: si à scientia, & mentis acumine; non ratione, sed authoritate confutet: Si à falsa imaginatione; mox reijci, & contemni præcipiat: si ex probabilitate oppositæ opinionis; afferat pro sua perspicuas rationes, & authoritates: Si à pusillanimitate, Diuinæ misericordiæ thesauros aperiat. Si à melancholia; pharmaca & alia remedia consilio medicorum adhibeat. Si à vigilijs, & ieiunijs; moderetur, si à colloquio scrupulosorum; ea scrupulosus deuitet. Si à Dæmonis tentatione; contemnat, oret, ad Sacramenta frequentius accedat. Si à stultitia; nulla spes, nisi in diuino miraculo.

QVÆSTIO IV.

An scrupuli ex deprauato discursu, atque melancholia frequentiùs procedant, & quomodo tunc curandi?

SVMMARIVM.

Quid sit delirium, & quotuplex? num. 1. & 2.
Scrupulus propriè est delirium. num. 4. & 5.
Melancholia est mentis alienatio sine febre. num. 3. ex ea sunt scrupuli. num. 5.
Ex eo, quod scrupulosus in cæteris benè discurrat, non tollitur, quin scrupulizando deliret. num. 6.
Quandoque scrupuli non sunt ex deprauato discursu, neque ex melancholia. num. 7.
Qui sint ad melancholiæ morbum dispositi? num. 8.
Scrupuli, & melancholia inuicem se causant. num. 9.
Melancholia nomen æquiuocum. num. 10.
Tres sunt melancholiæ, totidem scrupulorum gradus. n. 11.
Melancholia confirmata, aut incurabilis, aut difficillimæ curationis. num. 12.
Cura melancholiæ, ac scrupulorum. num. 13.

Respondetur affirmatiuè, vtrũq; enim euidenter ostenditur, nam ijs est deprauatus discursus, quibus læsa est facultas rectrix discursiua, vnde delirium prouenit, vt
1 ait Galenus *lib. 2. de causis symptomatum cap. vltimo, Delirium, inquit, est actio deprauata facultatis rectricis,*
2 idest discursiuæ, pro vt ostendit Sanctorellus *de sanitatis natura lib. 16. cap. 15.* Porrò delirium, vel contingit cum febre acuta, & vocatur Phrenetis, vel citra febrem, sed cum furore, & est mania, vel cum merore, & metu, &
3 dicitur melancholia; quæ sic definitur à Paulo *lib. 3. capit. 14. Melancholia est mentis quædam alienatio sine febre, ex melancholico maximè humore nascens, qui mentis sedem occupauerit;* & Auicenna *lib. 3. fen. 1. tract. 4. capit. 18. Melancholia, inquit, est mutatio existimationum, & cogitationum, & imaginationum à cursu naturali ad corruptionem, & ad timorem, & malitiam, idest peruersum iudicium, propter complexionem melancholicam, facientem pauidum, seu tristantem spiritum cerebri interiùs, & facientem timidum propter tenebras ipsius, sicut tenebræ extrinsecæ solicitant, & timere faciunt,* ita Auicenna, idemque docent Galenus *2. de causis sympt. cap. 7. & lib. 3. de locis affectis cap. 7.* Hippocrates *lib. 6. aphor. 23.* Trallianus *lib. 1. cap. 22.* Aetius *lib. 6. cap. 9.* qui contra Auerroem *3. colliget cap. 5.* docent, quod ipsa nigredo, & obscuritas humoris melancholici existens in cerebro sit causa timoris, & mestitiæ.

Sed hęc omnia aptissimè scrupuloso conueniunt, scrupulosus enim deprauatum habet discursum, nam inani, & leuissimo, & quandoque nullo fundamento nititur, vnde patet esse actionem deprauatam facultatis discur-
4 siuæ, quare scrupulus verè delirium est. Præterea scrupulosus anxiatur, tristatur, & trepidat, atque timet peccatum, vbi non est, quod proprium est melancholiæ, sine causa tristari, & timere; nam in omni melancholiæ specie, etiam si morbus sit in principio, melancholicus tristatur, ac timet sine causa, vt ostendit Alphonsus de Sancta Cruce *opusc. de melancholia dialogo 3. in fine*, & expressè docet Auicenna *lib. 3. fen. 1. tr. 4. c. 19.* his verbis: *Signa principijs melancholiæ, existimatio mala, & ti-*
5 *mor sine causa*, Galenus *lib. 2. de causis sympt. cap. 7.* Ergo ex his patet scrupulosis plerumque esse deprauatum discursum, atque eos delirare, & melancholiæ morbo affectos, quod ex medicis tradidit Leuinus Lemnius *tract. de occultis naturæ miraculis lib. 4. cap. 21.*

6 Ex eo autem, quod scrupulosus in alijs benè discurrat, non tollitur, quin quò ad eam materiam, in qua scrupulis vexatur, verè deliret, & deprauatam habeat actionem discursiuam; nam plerique, qui delirant, circa quædam dumtaxat delirant, in alijs verò benè discurrunt. Quod etiam in aliquibus melancholicis contingit; cuius rei infinita suppetunt exempla, paucis ero contentus. Parisijs quidam magnus Princeps se vas vitreum existimabat, quare accedente aliquo, velociter discedebat, ne frangeretur. At prudens Medicus eum sic curauit, dixit illi. Excellentissime Princeps verè ridendi sunt,

SECTIO III.

Caro ſpiritui ſubijcitur.

SVMMARIVM.

Inedia ſubiugandæ caro. num.1.
Vinum luxuriæ fomentum. num.2.
Lamina plumbea proterenda caro. num.3.
Flagellis. num.4.
Vigilijs. num.5.
Eſtu; frigore. num.6.
Improbo labore. num.7.

PArùm iuuat armari ſpiritum, ſi caro molliter, & opiparè enutrita inſoleſcat, *Qui enim*, ait Sapiens *Prouerb. cap.29. delicatè nutrit ſeruum ſuum; ſentiet eum contumacem*, Deuter.32. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit; incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.*

1 Primò itaque inedia proterenda eſt carnis petulantia, & libido; ſic S. Ambr. *lib. de pœnitentia. Grandis* inquit, *ignis eſt, ideò non demus illi alimenta luxuria, paſcitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammantur*

Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammam.

S. Hieronymus *ad Furiam. Ardentes diaboli ſagittæ ieiuniorum, & vigiliarum rigore reſtinguendæ ſunt, & epiſt.9. Noſtrum eſt*, inquit, *voluptatis ardorem maiore Chriſti amore eſtinguere, & laſciuiens iumentum frenis inediæ ſubiugare, vt non libidinem, ſed cibos quærat, & deſideret; & ſeſſorem ſpiritum Sanctum, moderato, atque compoſito portet inceſſu.* Idem *Epiſt.22.* de ſe teſtatur. *Repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam.* Sanctiſſimus Anachoreta Macarius (vt refert Io: Subdiaconus *libello 4. num.18.*) *Viginti annis*, aiebat, *nunquam ſatis panis comedi, nunquam ſatis aquæ bibi, nunquam ſatis ſomni admiſi.* Alter quoque ex Aſceticis ſenex, teſte Ruffino *nu.62.* de ſe dicebat, *ex quo monachus factus ſum, nec pane, nec aqua, nec ſomno vnquam ſatiatus ſum.* Idemque ingenuè de ſe profeſſus eſt Beatus Andreas Auellinus Clericus Regularis.

Iuuat cibos calidos, acres, & flatulentos, tamquam titillationum libidinumque materiam, cautè deuitare, ſic enim tradiderunt Ariſtoteles *ſect.30. probl. 1.* Galenus *lib.3. ſen.26. tract. 1. cap.37.* Cornelius Celſus *lib.4. cap.21.*

Sed de his audi Bernardi ſententiam *epiſt.prima. Piper*, inquit, *zinziber, cyminum, ſaluia, & mille huiuſmodi ſpecies, ſalſamentorum, palatum quidem delectant, ſed libidinem accendunt. Et tu mihi in his ſecuritatem pones? tu eum huiuſmodi tuam duces adoleſcentiam? prudenter ſobriéque conuerſanti, ſatis eſt ad omne condimentum, ſal cum fame.*

Præclarè Leſſius opuſculo de conſeruanda valetudine *num.57. & 58.* cauſam aperit ſic ſcribens: *Sobrietas libidinis materiam, ac cauſam impulſiuam, atque excitantem ſubtrahit. Materia eſt copia ſpermatis: cauſa impellens copia ſpiritus animalis, quo ſperma expellitur; cauſa excitans eſt venerea imaginatio. Sobrietas itaque facit, vt ſperma, tum quantitate, tum calore minuatur; ſimiliter minuit copiam, ac feruorem ſpirituum abſtinentia à calidis, & flatulentis cibis, à vini potentis vſu, ſaltem quamdiu opus eſt, vt ad mediocritatem deueniatur. Imminuto autem, & temperato ſpermate, ac ſpiritibus, ſponte ceſſant libidinoſæ imaginationes, vel ſi occurrunt facilè excutiuntur (niſi fortè Dei permiſſu à Diabolo ſuggerantur) quia oriuntur per quandam ſympathiam ex diſpoſitione corporis, nimirum ex copia ſeminis, & ſpirituum, ſicut imaginationes aliæ, quæ humoris dominantis conditionem ſequuntur.* Hæc doctiſſimus Leſſius.

2 Vinum immoderatum, aut validum luxuriæ fomentum eſſe tradit Apoſtolus *ad Epheſ. primo.* Hieron. *epiſt. ad Furiam. Non Æthnæ igne, non Vulcania tellus, non Veſuuius, & Olympus ſic æſtuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ.* Vinum ex lege duodecim tabularum mulieribus prohibitum: *Si vinum biberit vxor, vt adulteram punimto.* Cato (teſte Arnobio *12. contra gentes*) *cùm eſſet cenſor inſtituit, vt cognatis oſculum mulieres ferent, deprehendendi cauſa an vinum bibiſſent?* ex Tertulliano *ſecundo contra Marcionem. Vinum ſcortationis comes.* Auguſt. *caſtitatis in ſchypho naufragium: Loth iuſtus vino inceſtuoſus.* Ariſtot. *lac veneris* Hieronymus cōtra Iouinianū refert: *Ægyptios ſacerdotes naturæ lumine vino abſtinuiſſe.* Auicenna ait, *vinum pueris præbere, eſt lignis debilibus ignem addere.*

Modico autem vino vti aliquando laudabile eſt, ex Apoſtolo, neque tenue, & album caſtitati aduerſari, tradunt Galenus *lib.6. de locis affectis cap.6. &* Auicenna *lib.3. ſen.20. tract.1. cap.39.* Imò aqua dilutum iuuat facultatem retentiuam, prohibetque nocturnam inquinationem, vt teſtatur Abulenſis *paradoxo primo cap. 45. Ex arcta enim abſtinentia in pane, & aqua prouenire nocturnam pollutionem perſpicuum eſſe, teſtatur experientia*, ait Gerſon *tract. de præparat. ad Miſſam conſider.6. par. 2. operum*, & Abulenſis vbi ſupra, & Dominicus Leonius *tract. de arte medendi ſect.3. lib.6. capit.4.* qui ad pollutionem euitandam laudat vinum valdè dilutum.

3 Secundò laminam plumbeam ſuper renes geſtatam vim habere, inſoleſcentem carnem edomandi, ſcripſerunt Galenus *lib.6. de ſanitate tuenda cap.14. & lib.9. de ſimplicium medicamentorum facultatibus capit.70.* Auicenna *lib.3. ſen.20. tract. 1. cap.27. & 33.* & Dominicus Leonius *tract. de arte medendi ſect.3. li.6. c.4.* Mirabile, quod de Agonothetis refert Caſſianus *inſtit. lib.6. cap.7.* explicans illud Apoſtoli: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Cum*, inquit, *ſe præparant ad agonum certamina, ne qua fortè per ſomnium nocturna deluſi fallacia, vires minuant multo tempore conquiſitas, laminis plumbeis renum contegunt loca, quò ſcilicet metalli rigore genitalibus membris applicito, obſcœnos humores valeant inhibere.*

Hodie tamen tot ſunt ciliciorum genera, quot penè militarium veſtimentorum, tenerioribus adoleſcentulis, ſat erit militare caſtitatis cingulum, quo ſubinde per interualla induti prodeant in aciem.

4 Tertiò flagellis laſciuiens corporis iumentum edoman-

mandum est. *Si enim Apostolus* (ait S. Hieron. *epist. ad Furiam*) *Macerat corpus suum, & animę subijcit imperio, ne quod alijs pracipit, ipse non seruet, & adolescentulus feruente cibis corpore, de castitate securus est?*

Consentiunt Medici, dum scribunt contra libidinum aculeos, frictiones vehementes superiorum partium salutares esse, ita Cornelius celsus *l.4. cap.21.* & Leonius *tract. de arte medendi sect.3. lib.6. cap.4.*

5 Quartò vigilijs, humicubatione, alijsque duriusculis quiescendi modis, qui somnum, aut frangant, aut vexent, aliquando (nisi debilis complexio prohibeat) vtendum est. Hoc anthidoto contra incantationes, quibus à Cypriano Mago ad libidinem pellicebatur, vsam esse S. Iustinam refert S. Gregor. Nanziazenus *orat. de laudibus Cypriani, Ieiunio,* inquit, *& humicubationis pharmaco sese communierat.*

Porrò dormitionem supra dorsum omnino continentiæ aduersari scribunt Auicenna *lib.3. fen.20. tract.1. capit.33. & 37.* & Cornelius Celsus *lib.4. cap.21.*

6 Quintò nimius calor, aut frigus venerem exturbat, vt scribit ex Medicis Dominicus Leonius *de arte medendi sect.3. lib.6. cap.3.*


7 Sextò labor, & defatigatio, atq; immoderatum corporis exercitium huic morbo medetur, vt Leonius ibidem docet. Senex ex asceticis rogatus cur glebam ex loco ad locum deferret, lepidè respondit: *fatigantem fatigo.*





TRACTATVS QVINTVS

DE SCRVPVLORVM CAVSIS, ATQVE REMEDIIS.



QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit scrupulus? causæ, & indicia.

SVMMARIVM.

Quid sit scrupulus. num.1.
Quomodo differat à dubio, & opinione. num.2. & 3.
Cum opinione, aut dubio, imò & scientia, ac cum morali certitudine, potest existere scrupulus. num.4. & 5.
Scrupulus ex leui fundamento. num.6. imò aliquando ex validissimis rationibus causari potest. num.7.
Causa scrupulorum, natura, & dæmon. num.8. & 10.
A natura multipliciter causantur. num.9.
Deus nequaquam potest esse causa scrupulorum. num.11.
Indicia, quibus homo se scrupulosum agnoscet. num.12.

1 SCrupulus est formido, & anxietas, quam aliquis habet circa aliquid, etiam cùm opinatur esse licitum, quia veretur esse illicitum ita Valentia, *to.2. disp.2 q.14. pun.4. quæst. iunc.5. Vasq. 1. 2. disp.67. cap.2. num.6.*

2 Differt scrupulus à dubio, quia, qui dubitat neutri parti assentitur, qui verò habet scrupulum assentitur vni parti, sed cum formidine oppositi, quæ animum eius excruciat, timens ne oppositum potiùs sit verum, vnde trepidat operari; Itaque (vt ait Vasquez vbi supra) ista formido in omnibus, qui decernunt, & firmo assensu opinantur esse potest.

3 Differt etiam scrupulus ab opinione, quia habens opinionem, quod in aliquo peccet, non dicitur habere scrupulum, quia non formidat, sed assentitur, & credit se peccare. Itaque opinio est assensus, scrupulus est formido, ita communiter Doctores Nauar. *cap.27. n.279.* Azor. *tom.1. c. 20 lib.2. quæst.1. & 2.* Vasquez. *1. 2. disput.67. cap.2. num.6. & 7.* Saytus *libro 1. cap.14. n.1.* Layman *lib.1. tr.1. cap.6. n.1.* Rodriquez *qq. regular. t.3. q.66. art.1.* Salas. *1.2. tr.8. disp. vnica sect.29. n.291.*

4 Quamuis autem nequeant esse simul opinio, dubium, aut scientia; tamen cum his singulis formido quędam, &
trepidatio coexistere potest, vt benè ait Rodriquez *to-
mo 3. quæst.66. art.1.* & quod mirum est, etiam cum mo-
5 rali certitudine potest scrupulus coexistere, vt tradit
Gerson *p.2. operum tract. de præparat. ad Missam con-
siderat. 3.* Certitudo enim moralis opponitur opinioni,
quando enim aliquid est moraliter certum non potest
eius oppositum esse probabile, sed est falsum & impro-
babile: at potest esse formido oppositi.

6 Communiter etiam tradunt Doctores, scrupulum esse ex inani ratione, & leui fundamento nixam apprehensionem, vnde dicunt vocari scrupulum ducta metaphora à lapillo paruulo, qui in calceo latet, & pedem offendit, sic ex leuissima ratione ortus scrupulus, & animo insidens molestiam, & anxietatem parit. Azor. *tomo 1. lib.2. cap.20. quæst.1.*

At hæc communis assertio magis cruciat scrupulosum, dum enim scrupulus ex leui, & inani ratione procedit, ipse non leues, sed validas rationes arbitratur; vnde ergo scrupulum agnoscet?

7 Dico igitur ad solatium scrupulosi, aliquando etiam ex validissimis rationibus causari scrupulum, nam vt dicunt Suarez *1. 2. tract.3. disp.12. sect. vltima num.1. &* Rodriq. *tom.2. summa cap.52. num.1.* aliquando scrupulus causatur ex probabilitate oppositæ opinionis. Sed aduerto, quod rationes, quæ scrupuloso occurrunt, validæ, & firmę sunt, comparatę ad iudicium speculatiuum, quibus probabiliter iudicare potest opus in se esse illicitum, & in hoc scrupulosus non decipitur; sed ęędem rationes inualidæ & inanes sunt, comparatæ ad iudicium practicum; nam stante duplici opinione probabili, potest formare certum iudicium practicum, tunc se operando non peccare; & in hoc scrupulosus decipitur, quia rationes illæ quantumcunque validę, cùm non destruant probabilitatem oppositę opinionis, inanes sunt, vt deterreant ab actuali operatione, nam ijs non obstantibus, potest formare iudicium practicum se certissimè tunc non peccare.

8 Causa

8 Cauſa efficiens ſcrupulorum, vel eſt natura, vel dęmon, ita S. Antonin. *parte 1. tit. 3. cap. 10.* §. 9. Nauar. *cap. 27. num. 282.* Nequaquam Deus, niſi permiſſiuè.

9 A' natura cauſantur multipliciter. Primò à melancholia, & tunc curatio eſt difficilis, vide, quæ latiſſimè dicam *quęſt. 4.* ſecundò à ſtultitia, ſeù vt Medici vocant à melancholia confirmata, & tunc infirmitas ſcrupulorum omninò incurabilis eſt. Tertiò ab ignorantia, & puſillanimitate, & tunc facilis eſt curatio, niſi adiuncta ſit melancholia. Quartò à familiari colloquio, & conſortio ſcrupuloſorum, à doctrina ignorantium, & nimis inquirentium, quare à ſcrupuloſis recedendum eſt, inquit Salas 1. 2. *tract. 8. diſp. vnica ſect. 29. in fine*, Rodriquez in *ſumma tomo 1. cap. 52. num. 1.* Beccanus 1. 2. *tr. 1. quęſt. 10. cap. 4.* Io: Sanchez *diſput. 41. numer. 23.* qui rectè ſubdit, nulli ſubeſſe periculo eos, qui ſapientes ſunt, & animo hilares, quantumcunque cum ſcrupuloſis conuerſentur. Quintò à ſcientia, & mentis acumine oriuntur quoque ſcrupuli (ait Salas vbi ſupra) ſed nequaquam puto verum, niſi adiuncta ſit puſillanimitas, aut melancholia. Sextò à puſillanimitate cum timorata conſcientia.

10 A' dęmone quoq; aliquando cauſantur ſcrupuli perturbando phantaſmata, tenebras offundendo, ac vanos timores incutiendo permittente Deo, vt Dei ſeruos vel tentet, vel affligat. His conſcientiæ terroribus afflictus eſt, atque tentatus Beatus Iob, vt latè oſtendit Pineda *in Iob. cap. 3. ſect. 2.* acerrimos animi terrores ipſe ſignificat *cap. 7. Auferat à me virgam ſuam, & pauor eius non me terreat. Terrores tui militauerunt contra me.* Quare & damnari timuit *c. 10. Noli me condemnare.* Vt enim notauit S. Io: Chryſoſtom. *homil. 13. de aduerſa valetudine tom. 6. Hoc maximè*, inquit, *eum perturbabat & commouebat, quod iuſtum Deum ſibi infenſum eſſe putaret.* Sic ſuarum culparum recordatione cruciabatur, perſuadens ſibi adhuc eas non deletas: *Si peccaui* (inquit *cap. 10.*) *& ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea, mundum me eſſe non pateris?* vbi S. Gregor. ſcrupuloſam mentem deſcribens ait: *Sępè mens in culpę recordatione concutitur, & depręhenſa trepidat, ſeque ipſam vanis motibus impulſa perturbat.* His ſcrupulorum fluctibus ſanctus vir iactatus, penè ad deſperationem adductus eſt, cum dixit *cap. 17. Deſperaui, nequaquam vltrà viuam.* Vnde ſe erigit, & confirmat, ac anteactæ vitæ bona conſcientia conſolatur, prout aduertit S. Gregor. *in pręfat. cap. 3.* vbi Iobum in commemoratione ſuorum præclarè factorum à iactantiæ culpa excuſat, dicens. *Non in vitium iactantiæ incidit, qui contra internam deſperationis impulſionem, per externa pręconiorum ſuorum verba pugnauit.* Iiſdem vanis conſcientiæ terroribus, ac ſcrupulis tentati ſunt ab humani generis hoſte alij ſancti Viri, vt videre eſt in vitis Patrum, ſic Beata Maria Magdalena de Pazzis quinquennio in lacu leonum demorata, ideſt tentationibus, & ſcrupulis adeò afflicta eſt, vt iugiter mortali culpa ſędatam, innocentiſſima Virgo amariſſime defleret, Vide Puccinum in eius vita à *c. 37. vſque ad 57.*

11 A Deo autem nequaquam eſſe ſcrupulos, niſi permiſſiuè, cenſeo, non autem directè intentas ratio eſt, quia Deus, nequit eſſe cauſa erroris intellectus, neque phyſici, aut inductionis ad peccatum: at ſcrupulus eſt error intellectus, & inducit in peccatum; ergo nequit directè eſſe volitus, & intentus à Deo.

Quia autem maximè oportet ſcrupuloſum ſuam ęgritudinem agnoſcere, his eam indicijs depręhendet, vt tradunt Azorius *to. 1. lib. 2. c. 20. q. 3.* Suarez 1. 2. *tract. 3. diſp. 12. ſect. vlt. n. 5.* Layman *lib. 1. tr. 1. c. 6. n. 1.*

12 Primò ex experientia, ſi expertus eſt facilè ſe inani timore trepidare, ac inquietari in iudicando de agendis. Præterea ſi faciliter mutat iudicium ex quacumque leui coniectura, vel apparentia.

Secundò ex exemplo proborum; apertiſſimè enim conuincitur ſcrupuloſum eſſe eum, qui ſępè ſolus ipſe timet, vbi nullus alius timet, & vbi alij inoffenſo pede currunt, ipſe ſcopulos, & ruinam trepidans vix audet mouere greſſus; vnde ſcrupuloſi torquentur ex quadam nimia reflexione, circa res, & euentus, qui vix in aliorum cogitationes aſcendunt. Deniq; quia ſemper ſcrupuli ex melancholia procedunt, ideò ſcrupuloſi ſicut & melancholici, timent ex eis, quæ non timentur ſecundum conſuetudinem, prout de melancholicis tradit Auicenna *lib. 3. fen. 1. tract. 4. cap. 19.*

Tertiò ex authoritate Doctorum hominum, ſi aliorum conſilijs, quibus parere debent, non acquieſcant.

Quartò ex iudicio prudentis, & docti confeſſarij, qui eum ſcrupuloſum eſſe decernunt.

QVÆSTIO II.

Quibus indicijs, quis deprehendet ſe operatum eſſe cum ſcrupulo, vel cum dubio, vel cum opinione peccati?

SVMMARIVM.

Operans cum dubio peccat, non autem operans cum ſcrupulo num. 1.

Si certum eſt hominem eſſe ſcrupuloſum, iudicandum eſt, eam trepidationem in operando fuiſſe ſcrupulum, non dubium num. 2.

Qui ſe ſcrupuloſum nouit, debet audacter operari, credens eam formidinem, quam habet, non eſſe dubium, ſed ſcrupulum num. 3.

Scrupuloſus poſt operationem non crucietur, neque confiteatur, quia certum eſt non peccaſſe num. 4.

Vir timoratiſſima conſcientia, ſed ſummè ſcrupuloſus, nulla debet interiora peccata confiteri num. 5.

Scrupuloſus poſt conflictum cum cogitationibus obſcęnis, ſi ignorat, quomodo ſe habuerit, quieſcat, quia non peccauit, neque confiteatur num. 6.

Vir parum timoratus, ſed in aliqua materia ſcrupuloſus, in ea poteſt exiſtimare ſuam formidinem eſſe ſcrupulum non dubium num. 7.

An vir timoratus, ſed non ſcrupuloſus, debeat ſuam trepidationem, exiſtimare fuiſſe dubium, vel ſcrupulum? n. 8. *Et quod ſi ſit prauus homo, & nullatenus ſcrupuloſus, an debeat cenſere eſſe dubium vel ſcrupulum. n. 9.*

1 IVge tormentum ſcrupuloſi eſt, iſta diſtinguere, ac iudicare, ſiquidem operans cum dubio an peccet, vel cum opinione, quod tunc peccat, vtiq; peccat; operatur quippè contra conſcientiam: at operans cum ſcrupulo non peccat, quia non operatur contra conſcientiam; cum ſcrupulo enim ſtat, eum ſcire ſe non peccare, ita Suarez 1. 2. *tr. 2. diſp. 12. ſect. vlt.* Valentia *to. 2. diſp. 2. q. 14. punct. 4. dub. 5.* Sayrus *lib. 1. cap. 14. num. 1*, Io: Sanchez *diſp. 41. num. 7. & 8.*

Aduertendum autem in secundo tempore posse scrupulosum formidare peccatum. Primò quando actualiter operatur, seu in ipsa operatione, cùm non suppetit tempus discutiendi, vt cùm quis iurat, credens se verum iurare, sed cum verba iurandi profert, trepidat ne falsum dicat. Secundò ante operationem, cum suppetit tempus discutiendi. Præterea aliquando constat euidenter operantem esse scrupulosum, aliquando dubitatur, aliquando verò prorsus non est scrupulosus.

Denique aliquando operans, est vir timoratæ conscientiæ, aliquando secùs, sed passim prolabitur deliberatè in mortalia: his positis

2 Dico primò si certum est hominem esse scrupulosum, tunc indicandum est scrupulum non dubium fuisse, & proinde nequaquam confitendum, ita omnes Doctores Sanchez *in summa lib.1. cap.10. numer.81. & 82.* vbi ait: *Scrupulosum debere iudicare suum iudicium scrupulosum esse non dubium*, Eman. Sà *verbo dubium n.4.* Granado 1. 2. *tract.* 12. *disp.5. numer.8.* Io: Sanchez *disp.41. num.16.*

3 Infertur primò, quòd quando scrupulosus, qui se scrupulosum esse nouit, in operando trepidat, & formidat, debet audacter, & sine timore operari, credens sibi tunc non dubium, sed scrupulum occurrere, vnde non debet cessare ab operatione, nisi iurare possit, certum, & indubitatum esse opus illud ex se esse peccatum, nam esto aliquando contingat hunc scrupulosum aliquid illicitum efficere, non est illi culpæ tribuendum, cum ex recta intentione ob vitanda grauissima inconuenientia processerit, nullo modo facturus, si existimaret ibi aliquod malum adesse. Gerson. *p.2. operum de preparat. ad Missam considerat.3. & 6.* Vasq. 1.2. *disp.67. cap.2. n.8.* Azor. *tomo* 1. *lib.2. cap.20. quest. vlt.* Salas 1.2. *tract.8. disput. vnica sect.29. concl.3.* Sanchez *lib.1. sum. cap.10. n.82.* Eman. Sà *v. dubium num.5.* Layman *lib.1. tract.1. c.6. num.2.* Castro Palaus *tomo 1. tr.1. disp.4. punct.2. n.2.* Merolla *tomo 1. disp.3. cap.3. num.380.*

Probatur, quia ad liberandum à præcepto sufficit, probabile fundamentum nos tunc non obligari: sed in scrupuloso, qui se talem nouit, adest probabile fundamentum, quod dubia ipsius menti occurrentia, non sint propriè dubia, sed scrupuli; nam in scrupuloso, quæcumque formido omnia grauiora repræsentat, quàm in se sunt, facitque trepidare, vbi nulla est occasio trepidationis, vel timoris: ergo cum probabile sit non obligari præcepto, illi non parendo, non peccat.

Secundò, quia quando quis bona fide procedit, putans se ad aliquod præceptum v. g. Ieiunium non teneri, quod si sciret se teneri, vtique nollet peccare, nec omitteret, iste talis non peccat, Caietan. *in summa v. Ieiunium, verbo contemptus, & Verbo preceptum*, Corduba *lib.3. q.13. regula 9.* quam esse mirabilem regulam pro scrupulosis, inquit Villalobos *tomo 1. tract.1. diffic.27. num.3.* Sed scrupulosus, qui iuxta solitum, putat dubium occurrens, non esse propriè dubium, sed scrupulum, bona fide procedit; ergo non peccat.

Tertiò, quia precepta positiua non obligant cum grauissimo damno, neque ad impossibile; sed scrupuloso est grauissimum damnum, & impossibile examinare rationes scrupuli, aut dubij: ergo excusatur à præcepto. Minor patet, nam ipse non est capax examinandi rationes, cum leues, & friuolæ, vt grauissimę ipsi offerantur, & quantò intentiùs, & accuratiùs examinationi incumbit, tantò magis densissimis tenebris obuoluitur, vt experientia docet: deinde non teneor ab operatione cessare, hoc enim grauissimum onus, & damnum illi affert, sic enim redditur ad omnia ineptus, & ab humano consortio alienus.

4 Infertur secundò si scrupulosus, cum dubio, & trepidatione peccati operatus est, post operationem non debet cruciari, & accedere ad confessarium, quasi peccauerit, cum videatur sibi, se cum dubio peccati operatum, imò potius debet hæc contemnere, & putans se cum scrupulo, non cum dubio operatum, quiescere, & mentem aliò conuertere, & deinde huiusmodi dubia nullatenus confiteri debet, sed tantùm ea peccata, quæ quando admisit non dubitabat, sed certissimè sciebat tunc se peccare, ita docent omnes Azorius *tomo 1. libro 2. cap.20. qu. vltima*, Eman. Sà *verbo dubium num.5.* Vasq. 1. 2. *disp.67. cap.2. num.8.* Sanchez *lib.1. summæ cap.10. num.82.* Sayrus *lib.1. cap.14. numer.2.* Layman *lib.1. tractat.1. cap. 6. num.2.* Portel *v. scrupulus num.3.* Quare si scrupulosus aliam materiam præter hæc dubia non afferat ad confessionem, non debet eum confessarius absoluere, sed pręcipere illi, vt mox sine absolutione accedat ad Sacram Eucharistiam, Layman *vbi supra cap.6. num.2. vers.4.* Molina *tract.4. disp.13. in fine*, vbi ait, quòd confessarius interdum scrupuloso præcipere debet, vt de huiusmodi re, neque cum ipso, neque cum alijs loquatur, sed tanquam quid inane, & ridiculum contemnat; quod si deinde accedat cum huiusmodi dubijs, seu scrupulis, vt confiteatur, vel vt consulat confessarium, debet eum increpare, & si liceat, eum fatuum, & mentecaptum vocare, vt tali responso confusus, verecundiæ vexatio det illi intellectum, ita Rodriquez. *qq. regularium tom.3. q.66. art.2. vers. vnde*, Azorius *tom.1. lib.2. cap.20. q. vltima* Sanchez *lib.1. summę cap.10. numer.82.* qui *n.83.* ex Valentia 1.2. *disp.2. q.14. punct.4. q. vltima* docet, aliquando expedire, vt confessarius dicat scrupuloso, ipsum potius peccare non contemnendo scrupulos, & operando contra ipsos, quia exponit se grauissimo periculo suæ salutis propter scrupulos. At ego raró id expedire censeo, nam in maiores angustias, & perplexitates scrupulosus induceretur, præsertim si scrupuli sint ex melancholia.

Probo iam, non teneri scrupulosum huiusmodi dubia, cum quibus operatus est confiteri, esto fuissent proprijssimè dubia, & re vera mortaliter peccasset. Primò, quia quando probabiliter credere possum me non peccasse mortaliter, non teneor ad confessionem, vt docent omnes: sed is, qui nouit se scrupulosum, probabiliter credere potest fuisse scrupulum, non dubium, cum frequentius ex scrupulis vexetur; vnde communiter Doctores tradunt, debere scrupulosum omnia sua dubia, scrupulos reputare; ergo non tenetur ad confessionem. Secundò, quia quando ex integritate confessionis imminet graue damnum, excusatur quis ab integra peccatorum confessione: prout est communis sententia: sed scrupuloso ex confessione omnium peccatorum, etiam dubiorum, imminet grauissimum damnũ ex scrupulis, & anxietatibus: ergo excusatur ab eorum confessione. Preterea non confitendo huiusmodi dubia, scrupulosus nulli periculo exponitur, nam cum confitetur cętera peccata certa, & indubitata, remanet ab omnibus indirectè absolutus.

5 Infertur tertiò virum timoratissimæ conscientię, sed

summè

summè scrupulosum, nulla interiora peccata debere confiteri, quamuis credat se certò illa admisisse, adeo vt iurare posset; sed tantùm exteriora peccata ipsi confitenda sunt, ita Io: Sanchez *disp.41.num.24.* cuius tamen doctrinam veram non puto, nisi tres adsint conditiones. Prima est, vt sit vir timoratissimæ conscientiæ, qui multis annis sine vllo mortali peccato perseuerauerit, & mallet millies mori, quàm mortaliter peccare. Secunda est, vt in summo gradu sit scrupulis vexatus. Tertia est, vt interiora peccata, quæ certa credit sint in ea materia, in qua scrupulis cruciatur. His positis conditionibus, vera videtur doctrina Io: Sanchez, nam præsumptio probabilis est ipsum cogitare, se in crimen consensisse, dum longè à committendo distabat; ergo probabile est non peccasse, & sic non teneri ad confessionem.

6 Infertur quartò virum timoratæ conscientiæ, sed scrupulosum, cum post conflictum cum internis cogitationibus obscœnis, cruciatur, ignorans an consenserit; non debet hæc confiteri; quia certum est non consensisse. Ita Victoria *de Sacramentis quæst.* 130. qui sic scribit: *Est aliquis, qui omninò habet propositum cauendi à peccatis, & nullo modo vult consentire tentationibus, expertusque est, quod solet resistere cogitationibus, & illecebris; postea occurrunt cogitationes, & detentus fuit in illis, & postquam discesserunt, non recordatur, si aduertit, si consentit, vel qualiter se habuit. Dico quod de tali scrupulo non oportet confiteri. Et eodem modo de cogitationibus fidei, & phantasijs, quæ occurrunt homini, etiam parato mori pro fide si opus esset.* Hactenus Victoria idem docent Azor. *tom.1. lib.2.cap.20.qu.7.* Sanchez *lib.1.Summæ cap.10.num.82.* Castro Palaus *tom.1, tract.1. disp.4. num.3.* Medina *1.2.qu.74.art.8. in fine*, Sayrus *in Claui Regia lib.8.cap.7.num.6.in fine*, Portel *V. scrupulus nu.8.* & Suarez *t.2.tract.7.disp.12.sect.vlt.nu.7.* vbi ait, quòd non terreamur propter moram temporis, aut vehementiam cogitationis, nam hæc etiam sæpè sunt naturalia, & inuoluntaria, & interdum ex timore postea maiora apparent, quàm reuera fuerint; præclarè quoque Io. Gerson *p.2.operum tract.de præpar.ad Missam*, sic scribit: *Decipiuntur in hoc multi ex simplicibus distinguere nescientes inter ea, quæ portio animæ superior agit per consensum, & ea quæ portio animæ inferior patitur absque superioris assensu.* Et S. Gregor. *lib.9.moral.cap.11.* inquit: *Repentina cogitatione mentem ita percuti, vt semetipsam discernere nequeat.* At ex vsu resistendi, & nulli peccato mortali deliberatè consentiendi, probabile est non consensisse, vndè si scrupulosus est non debet hæc dubia confiteri: Si autem non sit scrupulosus, tutissimum consilium erit confiteri, vt ait Sayrus *in Claui Regia lib.8.c.7.num.6.vers. alterum*, sed non oportet tunc numerũ, aut circumstantias aperire, sed sat erit dicere accuso me de omni negligentia, atque peccato in repellendis cogitationibus. Imò si non esset nimium scrupulosus Ioan. Gerson *p.4.operum tract.contra scrupulosam conscientiam vers.6.* consulit, *ista conditionaliter, & generaliter confiteri dicendo habui varias cogitationes, & motus carnalitatis, vel vanagloriæ, vel vindictæ, vel odij, & timeo ne tantoperè restiterim, & tam citò, sicut debuissem, hoc ego confiteor.*

Infertur quintò virum parum timoratæ conscientiæ, qui sæpè deliberatè in mortalia peccata prolabitur, si in aliqua materia verè scrupulosus agnoscitur, posse in ea materia existimare, sua dubia non esse propriè dubia, sed scrupulos, at istis saltem in initio non erit præscribenda ea regula latior, vt ista dubia non confiteatur; quamuis benigniùs cum illis agendum sit, quàm cum illis, qui scrupulosi non sunt Vasq. *1.2.disp.67.cap.2.* Sanchez *lib.1.cap.10.num.86.* Sayrus *lib.1.cap.14. in fine*, qui aduertunt non contingere scrupulum in ea materia, in qua sæpè mortaliter aliquis peccat, sed in alijs materijs, in quibus mortaliter peccare non solet; vnde in ea materia in qua est scrupulosus ferè non differt à cæteris timoratæ conscientiæ, quare contra scrupulum ex consilio confessarij potest audacter operari, & in ea materia, dubia, tamquam scrupulos contemnere.

8 Dico secundò si vir sit timoratissimæ conscientiæ, qui mallet millies mori, quàm mortaliter peccare, & nunquam solet deliberatè cõsentire peccato mortali, quamuis iste scrupulosus non sit, si in ipsa actione occurrit ei formido, & trepidatio, & cum ea operatur, & post operationem cruciatur ignorans, an operatus sit cum dubio, vel cum scrupulo; hoc casu potest probabilissimè credere se non peccasse mortaliter, neque cum dubio, sed cum scrupulo operatum, neque tenetur necessariò confiteri; quamuis cum non sit scrupulosus, optimum consilium sit confiteri; tunc autem non tenetur aperire omnes circumstantias, aut exactè numerum, quia probabile est, non peccasse mortaliter.

Probatur primò, nam ex defectu plenæ aduertentiæ, ac perfectæ deliberationis excusatur à mortali, qui ob instantem actualem operationem, & ob breuitatem temporis, non plenè aduertit, se cum formali, & proprio dubio operari, esto fuisset propriè dubium; proinde non plenè aduertit se tunc peccare mortaliter: ergo excusatur à mortali, ex defectu deliberationis.

Secundò accedit doctrina, quam ex Medina, & Sayro tradit Sanchez *lib.1.summæ cap.1.num.20.* quod si dubitetur de pleno, & deliberato consensu, si dubitans sit vir bonis moribus imbutus, timidæque conscientiæ, credendum est, cum non perfectè consensisse; quia cum iste mortale peccatum ingenti odio prosequatur, si ipsum admisisset, facilè discerneret, idemque docet Castropalaus *tomo 1.tract.1. disp.4. punct.2. numer.3.* vbi ait, peccata mortalia ita de se manifesta esse, vt primo aspectu, præcipuè à timoratis cognosci possint.

Tertiò, quia ad hoc vt voluntas honestè operetur, non oportet intellectum actu reflexo, seu in actu signato cognoscere illam formidinem esse scrupulum, & de eo non curandum; sed sufficit, vt id cognoscat exercitè, dum cognoscit licitam esse actionem, quamuis trepidet, & formidet exequi; & ita accidit quando timorati cum ea trepidatione operantur.

9 Dico tertiò si sit vir deperditæ, & prauæ conscientiæ, & nequaquam scrupulosus, qui cum formidine operatur, non distinguens an operetur cum dubio, vel cum scrupulo, tunc quatuor casus sunt considerandi.

Primus casus est, quando homo prauus, ante operationem cogitauit, an ea actio licita esset, & iudicauit licitam esse ex aliquo prudenti motiuo, vt efficaci ratione, aut authoritate Doctorum, vel sapientum consilio, aut proborum virorum facto, & exemplo; si deinde cum actu operatur, occurrit nihilominus formido, & trepidatio, & operetur cum illa, quamuis tunc actu non recordetur præcedentis iudicij, & motiui; nihilominus probabile est, implicitè, & exercitè contempsisse formidinem illam, tanquàm scrupulum; quia ex præcedenti

indicio

iudicio habet promptitudinem quamdam ad contemnendum ſcrupulum, quamuis in actu ſignato, & reflexo non aduertat eſſe ſcrupulum.

Secundus caſus eſt, quando homo prauus ante operationem non cogitauit de honeſtate actionis, ſed cum actum operatur occurrit formido ex leui motiuo, & ſimul occurrunt alia grauiſſima motiua de honeſtate actionis, quia recordatur alios probos viros ita ſolitos operari, aut recordatur authoritatis Doctorum, vel alterius efficacis rationis; tunc operando cum illa formidine, implicitè videtur contemnere eam tanquam ſcrupulum; vnde quamuis conſultum ſit confiteri de hoc dubio, tamen neceſſe non eſt, quia probabile eſt non peccaſſe.

Tertius eſt caſus, quando homo prauus ante operationem, atq; etiam dum actu operatur non recordatur alicuius ſufficientis motiui pro honeſtate actionis, ſed tunc formidat, & trepidat ex aliquo motiuo tunc occurrenti, quod quamuis re vera leue ſit, tamen tanquam leue non agnoſcitur. Hoc caſu dicendum eum peccaſſe, quia cum dubio operatus eſt, nam ex facilitate peccandi, non contempſiſſe ſcrupulum, cum ſcrupulum eſſe non agnouerit, ſed contempſiſſe peccatum præſumitur, quippè, qui taliter affectus eſt, vt etiam ſi certiſſimè cognouiſſet eſſe peccatum, adhuc idem feciſſet.

Quartus eſt caſus, quando perditę vitæ homo non recordatur quomodo operatus ſit? an agnouerit ſcrupulum, vel dubium eſſe crediderit? Hoc caſu tenetur confiteri, & accuſare ſe tamquam de dubio peccato.

Infertur ex dictis, quod is, qui contraxit habitum in peccatis turpibus, & facilè, ac deliberatè iјs conſentit, & ſi etiam poteſt ad ipſum opus progreditur, neque ſolet reſiſtere, vel curare de peccato, in dubio an conſenſerit, potiùs exiſtimatur peccaſſe mortaliter, & deliberatè conſenſiſſe, Sayrus *lib.8. cap.7. num.6.* Sanchez *lib.1. ſumma cap.1.* in fine, qui optimam affert rationem; nam cum iſte paruipendat peccatum, ſi minimè conſenſiſſet, nullum in eo dubium suboriretur.

QVÆSTIO III.

Remedia contra ſcrupulos in generali.

SVMMARIVM.

Præcipuum eſt, ſimplex obedientia ad Prælatum, confeſſarium, aut ſapientes viros num.1.

Leo X. conceſſit Minoribus, vt poſſint acquieſcere ſcrupuloſi conſilio ſuorum Prælatorum num.2.

Commodum huius priuilegij grande num.3.

Scrupulo adhuc non depoſito, contra ſcrupulum agendum eſt num.4.

Si ex Conſilio Confeſſarij ſcrupuloſus erret, non peccat, quia eius ignorantia eſt inculpabilis num.5.

Scrupuloſus venialiter peccat conſulendo alios, aut non acquieſcens confeſſario num.6. & 7.

Remedium contra ſcrupulos eſt eos contemnere num.8.

Quando menti occurrit ſcrupulus, quid agendum? num.9.

Scrupuloſus hoc ipſo, quod formidat tutiſſimè operetur, non enim peccat quando dubitat, ſed quando certò ſcit eſſe peccatum num.10.

Scrupulorum damna num.11.

Tenetur aliquando ſub mortali contra ſcrupulos operari num.12.

Scrupulorum radix inueſtiganda, nam ex varijs cauſis, varia ſunt ſcrupulorum remedia num.13.

1 PRimum atque præcipuum eſt ſimplex obedientia non ſolum ad Prælatos, & confeſſarios, ſed etiam doctos, ac ſapientes viros; ſic religioſus quidam apparens amico, & ab eo interrogatus, quid remedij contra ſcrupulos haberet? reſpondit *Conſule diſcretos, & acquieſce eis*: ſic referunt S. Antoninus *in ſum. par.1. tit.3. cap.10.* & Azorius *tomo 1. lib.2. cap.20. quæſt.6.* id præſertim de Prælato dicendum eſt quamuis non adeò prudens, aut doctus credatur. Vnde Sanctiſſimus Inclytæ Societatis Ieſu Patriarcha Ignatius, *in epiſtola de virtute obedientiæ*, ſic præclarè ſcripſit. *Si ſuperior conſilio, aut prudentia minus valeat, nō quidquam idcircò de obedientia remittendum, quatenus ille ſuperior eſt; quando illius perſonam refert, cuius ſapientia falli non poteſt; ſupplebitque ipſe quicquid miniſtro defuerit, ſiue probitate, alijſque ornamentis careat; ſiquidem diſertis verbis Chriſtus Dominus cum dixiſſet, ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; protinus addidit, omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite; ſecundum opera verò eorum nolite facere.* Ita S. Ignatius, cui conſonat pari doctrina, & pietate celeberrimus Io: Gerſon *par.2. oper. de præparat. ad Miſſam conſider.3. in fine*. *Non enim*, inquit, *commiſiſti te, & ſalutem tuam, in manus hominis, quia prudens eſt, & plurimum litteratus, aut deuotus, ſed quia tibi eſt ſecundum regularem inſtitutionem præpoſitus, aut Prælatus. Quamobrem obedias ei, non vt homini, ſed vt Deo iubenti.* Ita Gerſon, qui idem tradit *par.3. de vita ſpirituali ſect.4. coroll.8. & de conſolat. theol. lib.4. proſ.4.* vbi ait: *Præcipuam cauſam inſtitutionis religionum eſſe authoritatem Regiminis, cui magis obedientia præſtaretur, quam propria rationi, quæ in plurimis valdè dubia*
2 *eſt, debilis, & incerta.* Vnde Leo X, Minoribus conceſſit, vt ſcrupuloſi ſtarent iudicio, & acquieſcerent conſilio ſuorum Prælatorum; Compēdium Minorum *verbo declarare* §. 5. Portel *V. ſcrupulus*, & Villalobos *tomo 1. tract.1. diffic.27. in fine*, qui rectè aſſerunt id accipiendum, etiam ſi Prælatus eſſet indoctus, cum Pontifex non diſtinguat: quare hoc priuilegium magnum affert com-
3 modum, nam tollit à ſcrupuloſo quodcumque vinculum iuris humani ex reſponſo Prælati, quamuis indoctè, & imperitè reſpondentis; nam ob ſolatium, & ſecuritatem religioſorum id conceſſit Pontifex hoc priuilegio; alioquin inutile eſſet; vnde ſi ſcrupuloſo Prælatus diceret non repetas, aut ne recites horas canonicas, quamuis eſſet imperitum ab imperito reſponſum, quia re vera recitare teneretur, tamen ex dicto priuilegio excuſatur ſcrupuloſus. Hoc idem priuilegium participant omnes regulares habentes communicationem priuilegiorum.

4 Secundum remedium eſt, obmurmurante ſcrupuloſa conſcientia, neque depoſito ſcrupulo, audacter operari contra ſcrupulum, ex conſilio Prælati, confeſſarij, aut ſapientis viri, aut ex exemplo proborum virorum, aut ex alia prudenti ratione, tunc enim operans non peccat, quamuis adhuc duret ſpeculatiuum iudicium, opus ex ſe eſſe illicitum, illudque operans non deponat, & durante etiam ea formidine, & trepidatione, quod peccet, nam implicitè, & virtualiter deponit, dum quamuis formidet ſe peccare, tamen habet certum iudicium practicum,

cum, quod non peccet sequens consilium sapientis, aut aliam rationem; etenim cum certo iudicio practico, quod licitè agat, stat etiã illa formido, vt enim doctè ait Gerson 1. 2. *operum tract. de præparat. ad Missam considerat. 3. Certituda moralis compatitur secum vacillationem quandam animi, aut hæsitationem quandam, vel suspicionem, seu scrupulos*; ita Gerson, & idem docet Pesantius 1. 2. *q. 92. art. 5. disp. 2. in fine*. Neque opus est, quod in actu signato, & reflexo aduertat se habere Iudicium practicum certum, formatum ex consilio sapientis, aut alio motiuo; sufficit enim si id implicitè & exercitè cognoscat, dum recordatur eius consilij, aut motiui, & ita docent omnes Doctores, quamuis aliqui potiùs in modo loquendi, quam in re discrepent, ita Gerson vbi supra *considerat. 3. & 6.* Nauar. *in manuali præelud. 9. num. 9. & cap. 27. num. 283. & in cap. si quis autem num. 64. & 65. de pœnit. dist. 7.* Azor. *tomo* 1. *lib. 2. cap. 20. qu. 6.* S. Antoninus *par. 1. tit. 3. c. 10. §. 10.* B. Laurentius Iustinianus *lib. de disciplina monasticæ conuersationis cap. 12.* Syluest. *V. scrupulus quæst. 3.* Vasq. 1. 2. *disp. 67. cap. 2. num.* 8. Sayrus *in claui Regia lib. 1. cap. 14. nu. 2.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10. num. 80.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 6. num. 2.* latè & doctè Io: Sanchez *disp. 41. numer. 7.* Becean. 1. 2. *tract. 1. cap. 4. num. 4.* Reginaldus *tomo* 1. *lib. 13. num. 114.* Castropalaus *tomo* 1. *tract. 1. disp. 4. punct. 1. num. 2.* Villalobos *tomo* 1. *tract. 1. diff. 27.* Bonacina *disp. de peccatis quæst. 4. punct. 8. num. 5.* Rodriq. *qq. regular. tom. 3. quæst. 66. art. 2. uers. tertia medicina.*

Probatur nostra conclusio, nempè non deposito iudicio scrupuloso, posse licitè operari, nam iudicium practicum, quod liceat in his circumstantijs operari, formari potest, vel per principia intrinseca idest per rationes, vel per principia extrinseca, idest per authoritatem confessarij, sed quantumcunque quis iudicet per principia intrinseca aliquid esse illicitum, & oppositam opinionem falsam; poterit tamen adhuc durante isto iudicio, nihilominus per principia extrinseca, idest per authoritatem Doctorum iudicare esse licitum, ita Vasquez 1. 2. *disp. 62. cap. 3. nu. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 76.* Coninchius *de Sacram. disp. 34. dub. 10. n. 84.* Sayrus *lib. 1. cap. 6.* Io: Sanchez *disp. 41. num. 7.* Ergo non deposito, & perseuerante scrupuloso iudicio, per aliquas rationes, quæ illi occurrunt esse peccatum mortale, licitè tamen operatur, sciens doctum confessarium sibi dixisse, non esse peccatum. Ratio est, quia cùm vtraque opinio sit probabilis per diuersa principia; consequenter potest perseuerare scrupulosus in suo iudicio, quod opus sit probabiliter illicitum, considerando principia intrinseca; & nihilominus potest formare aliud iudicium practicum, quod sit licitum considerando authoritatem Doctorum, & sic principia extrinseca.

Dices non possum sequi opinionem, quam falsam credo.

Respondeo tunc id contingere, quando sum longè maioris doctrinæ, quàm confessarius, nec sum scrupulosus, cuius intellectus densissimis scrupulorum tenebris obuoluitur, eiusque iudicium deprauatum est; quare temerè iudico falsam esse eam opinionem: debeo enim iudicare me decipi, credendo illam falsam: & ita re vera implicitè iudico; dum ex motiuo authoritatis confessarij operor. Præterea etiam si doctissimus essem, dum scrupulis vexor, & sum in propria causa, alterius iudicio stare debeo, instar Medicorum, qui cùm ægrotant alios consulunt Medicos, vt rectè docet Salas 1. 2. *tract. 8. disput. vnica numer. 299.* & Pater Ludouicus Granatensis *tract. de orat. cap. 3. par. 3.*

5 Confirmatur, nam vt rectè docet Rodriquez *qq. regul. tom. 3. q. 66. art. 2. vers. tertia medicina*, esto decipiatur confessarius, qui non sit adeò doctus, adhuc scrupulosus eius consilio operans excusatur à peccato, nam errat per inuincibilem ignorantiam; tunc. n. ignorantia est inuincibilis, quando ignorans inculpabiliter non potuit scire; at scrupulosus non potest scire, quia ipse læsa imaginatione ex scrupulis, & melancholia incapax est examinandi rationes; neque potest sine veniali peccato alios quærere, quos consulat; non enim debet dimisso confessario mediocriter docto, alios quærere, sic enim procedere posset in infinitum, quærendo alium, & alium, quod stultum est, & malè ageret, nam confirmaret in se
6 habitum scrupulosum, vnde venialiter peccare consulendo alios, docent Nauar. *cons. 17. de pœnit.* Rodriquez *qq. regular. tomo 3. qu. 66. art. 2. vers. ex hac* Portel *V. scrupulus num. 2.* ergo cum per se ipsum, nequeat scrupulosus rationes, & fundamenta suæ formidinis examinare; nequeat sine peccato, omisso mediocriter docto confessario, alios consulere; & præterea teneatur ac-
7 quiescere consilio confessarij, & non acquiescens (etiam in re quæ alioquin esset meritoria, vt ieiunare, reiterare horas canonicas, &c.) venialiter peccet, vt docent Nauarrus Rodriquez & Portel locis citatis, nam sic scrupulis maior patet aditus, cum graui damno spirituali; consequenter acquiescens confessario, ob inuincibilem ignorantiam excusatur, & nullatenus peccat, imò ex obedientia meretur.

8 Tertium remedium scrupulorum tradit optimè Rodriquez *qq. regular. tom. 3. q. 66. art. 2. vers. quarta medicina*, vbi sic scribit. *Debet vitare, & non curare de scrupulis, & distrahere cogitationem, & imaginationem ab illis causis, à quibus talis scrupulus oritur, aut conscientia inquietudo irrationabilis, quia in hoc videtur consistere naturalis causa prædictorum scrupulorum, quod mota vna phantasia, oportet consequenter multas moueri, ita quod non est in potestate compescere sequentes phantasiarum commotiones; sicuti in lapidibus ordinatè, cohærentibus, moto vno, cæteri sequuntur, & vnus post alium cadit, ipsa enim attentio ad scrupulum vitandum parit scrupulum; ideò optimum medicamentum est, vt distrahatur à talibus scrupulis, & cogitationibus. Quare periti confessarij à scrupulosis consulti non adducant ipsis multas rationes, ad eorum scrupulos tollendas; sed paucis verbis, simpliciter, & absolutè illos dimittant, dicendo eorum scrupulos nullo niti fundamento, & si dicere fas est, dicant ipsos esse fatuos, & mentecaptos, si enim procurant eos rationibus conuincere, ex ipsis rationibus ad scrupulizandum sument occasionem.* Hæc Rodriquez, idemque consulunt Caiet. *V. scrupulus*, Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 6. vers. 5.* vbi rectè monet, expedire scrupulorum negotijs insistere, ne scrupulis vacandi tempus suppetat: & S. Teresia *in sua vita cap. 31.* ait, quod *Diabolus suæ versutia contemptores, tamquam insuperabiles, derelinquit.* Molina *tract. 4. disp. 13. in fine* ait; *quod semel responsa accepto à confessario, neq; iterùm cum ipso, neque cum alijs de suis scrupulis agendum est:* Io: Sanchez *disp. 41. num. 22.* ait: *Debere scrupulosum exorto scrupulo mox cogitationem aliò diuertere, absque vllo motu capitis, aut gestu, quidam enim caput mouentes, & os retorquentes, quasi dicant: Non consentio,*

sentio, non contentio, plurima agunt miseratione, & risu digna, quibus scrupuli maiores radices agunt. Sed vt distinctè procedamus obserua tripliciter posse menti oc-
9 currere scrupulum. Primò nulla instante actione, cum scrupulosus secum reuoluit, quid illi agendum esset, si talis, vel talis casus occurreret? & mox reijciat, dicens, cum id eueniet, agam quicquid Dominus inspirauerit; aliquando præteritæ cogitationis recordatur,& timet ne fortè consenserit; & mox timores istos, post generalem contritionem expellat, vt monet Io: Gerson *par.4. opetum opusc. contra scrupulosam* conscientiam, dicatque cum S. August. *lib.10. confess. cap.28. Multum timeo occulta mea quæ nouerunt oculi tui, mei autem. Non in his omnibus periculis, & laboribus vides tremorem cordis mei, & vulnera mea magis subinde à te sanari, quam mihi non infligi sentio.* Denique aliquando trepidat an sit rectè, & integrè confessus? & hæc *præteritorum peccatorum memoria, etiam si violenter irrepserit, protinus extrudatur,* inquit Caietanus *collat.20. cap.9.* & S. Bernardus *serm.3. de SS. Petro, & Paulo,* ait, *Ad Dominum iam conuersos non nimis cruciet præteritorum conscientia delictorum sed tantum humiliet se,* vnde vt consulit Io: Gerson *par.4. opusc. contra scrupulosam conscientiam, sic Dominum alloquatur. Scio Domine me toto conatu nunquam posse confiteri, sicut mea postulant peccata, nouisti Domine cor meum, & desiderium meum, quod mihi inspirasti, nihil me celare velle; sed eum confessor meus sufficienter se existimet de vita mea informatum, hactenus; sufficiat tibi Domine; vt enim obedirem consilio tuo, oblitus sum temporis elapsi, ad melius ambulandum in tuo deinceps seruitio.* Hæc Gerson. Itaque scrupulosus vbi debita di-
ligentia confessus est sua peccata, non sit anxius circa illa, sed studeat dignos pœnitentiæ fructus facere; & si anxietatem deponere nequeat, coram Deo se humiliet dicens, modò cum Dauide: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Modò cum Iosephi fratribus: *meritò hæc patimur, quia peccauimus.* Modò cum latrone: *nos quidem iustè, nam digna factis recipimus.* 8

Secundò aliquando, instante iam operatione, menti occurrit formido, & trepidatio; tunc si semel ea de re, aut simili, consessarium, aut doctum virũ consuluit, non iterum consulat, sed præscriptis regulis vtatur, & scrupulum pellat, alioquin, numquam scrupulorum fontem exhauriet, ita Vasq. 1. 2. *disp.62. cap.2. num.*8. Suar. 1. 2. *tract.3. disp.12. sect. vltima num.6.* Sayrus *lib.1. c.14. num.2.* Layman. *lib.1. tract.1. cap.6. vers.4.*

Tertiò instante operatione de qua, aut simili, numquam aliquem consuluit, nec consulendi tempus suppetit, si formidat, & trepidat, timorem excutiat, & post mediocrem diligentiam, ac examen rationum, fidenter operetur, non enim scrupulosus ad exactiorem trutinam adstringitur. Merolla *tomo 1. disp.3. c.3, nu.379.* quod enim scrupuloso probabile videtur, alteri esset moraliter certum, & quod eidem scrupuloso aliqualem habet rationis apparentiam, alteri probabilissimum erit: Tum quia sicut tutò sequitur opinio, quæ instante operatione & ex temporis angustia, adhibita mediocri diligentia, videtur probabilis; quamuis re vera esset improbabilis, vt docet Suarez *tomo 3. disp.40. sect.5. num.13,* Sanchez *lib.1. summa cap.9. num.25.* ita etiam à scrupuloso sequi potest tutissimè ea opinio, que sibi mediocri diligentia adhibita probabilis videtur, neque tenetur cum tanta scrupulorum molestiam, aut ab operatione abstinere, aut maiorem adhibere diligentiam, quare etiam si erraret, non peccaret, quia ea ignorantia esset inuincibilis, tunc enim aliquid inuincibiliter ignoratur, quando quis absque graui incommodo, tunc non potest certus fieri. Præterea cum, instante operatione, scrupulorum fluctibus iactatur, attendat an viderit timoratos ita egisse, & mox operetur, omni spreto inani timore, nam proborum exemplum, & consuetudo potest esse alijs viuendi regula, & quod illi absq; peccati formidine agunt, scrupulosus sequi potest, ita S. Antoninus *1. parte tit.3. cap.10. §.10. regul.7. doctr.4.* Syluest. *V. scrupulus q.4.* Layman *lib.1. tract.1. c.6. vers.8.* Rodriq. *qq. regular. to.2. q.46. art.3. reg.4.* Recordetur quoque in ijs angustijs scrupulosus, præcepta præsertim affirmatiua, vt de Ieiunijs, horis canonicis, excommunicationibus, irregularitatibus, & similibus, non secundùm rigorem, sed secundùm epikeium esse intelligenda S. Antoninus, Layman, & Rodriquez vbi supra. Neque Ecclesia, aut Deus suis præceptis intendit ipsum in stultitiam cadere: Iuuat etiam aliqua principia extrinseca generalia pre manibus habere, vt practicè non errare, qui bona fide procedit, animo placendi Deo. Quod probabilis opinio, omissa probabiliori, tutissima est, non enim in rebus moralibus omnimoda certitudo querenda est. Quod dubitatio, quæ alijs rationabilis esset, scrupulosos contemnenda est, vt ait Caietanus quia non tenetur ad rigorosum examen rationum, vnde licèt speculatiuè erraret, practicè tamen non errabit, neque peccatum committet: vtilissimum quoque erit scrupuloso in ea materia, in qua vexatur nosse opiniones omnes probabiles, sed quantumcumque laxas, quæ quamuis non scrupulosis, fortè aperiendæ non essent, scrupulosis tamen tamquam tutissimæ commendandæ sunt, ipsisque earum opinionum authores, designatis locis attentè legendi, & tradendi sunt.

10 Denique si ista non iuuant scrupulosum sciat se posse, hoc ipso, quod formidat, & scrupulis cruciatur, tutissimè, & sine peccato operari, quamuis operetur cum dubio, an honestum sit opus, nam est singularissimum scrupulosi priuilegium, à grauissimis Doctoribus traditum, sibi nunquam iudicandum, aliquid esse mortale peccatum, nisi certò sciat, adeò vt iurare posset; ita Azorius *tomo 1. lib.2. cap.20. qu. vlt.* Vasq. *1.2. disp.67. cap.2. num.*8. Sanchez *lib.1. summa cap.10. numer.28.* Eman. Sà *V. dubium num.4. & 5.* Sayrus *lib.1. cap.14. num.2.* Layman *lib.1. tract.1. cap.6. num.2.* Salas *1. 2. tract.8. disp. vnica sect.19. concl.3.* Merolla *to.1. disp.3. cap.3. num.380.* Castropalaus *tom.1. tr.1. disp.4. pun.2. num.2.*

Quartum remedium contra scrupulos est considerare, quæ sequuntur.

Primò quia, vt Ieremias ait *bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum*; non durus, & austerus, aut calumniator; oportet ergo *sentire de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærere illum.* Eiusque auxilium crebris orationibus præstolari, scrupulosi enim plerumque, quia *Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

11 Secundò scrupulorum ingentia damna recogitet, ad desperationem, & laxitudinem inducunt: ab oratione, meditatione, compunctione, alijsque virtutibus, pijsque exercitijs auocant à proximorum procuranda salute prohibent; morosum, difficilem, tristem, ac ridendum efficiunt:

efficiunt: suo exemplo alios, ne suaui Domini iugo colla summittant inani timore concutiunt: perfectionis studium, Sacramentorumque frequentiam, sibi cęterisque scrupulorum horrore pauendam reddunt: Denique scrupulosi alios tamquam minus timoratos despiciunt. Vide S. Teresiam *in libello de perfectionis progressu capit.*40. *&* 41.

12 Tertiò recolant se non obediendo, ne dum Deo placere non posse, quinimo venialis peccati macula fędari, imò aliquando lethalem culpam contrahent, si contra scrupulos non operando, incurrunt graue periculum non exequendi ea ad quæ tenentur ex pręcepto, vt omittendi horas canonicas, sacram communionem, aut confessionem, aut proprium officium Valentia *tom.*2. *q.*14. *punct.*4. *in fine* Salas 1.2. *tract.*8. *disp. vnica num.*298. Sanchez *lib.*1. *summa cap.*10. *num.*83. Montesinus 1.2. *disp.*29. *quæst.*6. *num.*255. Saytus *lib.*1. *cap.*14. Io: Sanchez *disp.*41. *num.*7. Castropalaus *to.*1. *tract.*1. *disp.*4. *punct.*1. *num.*2.

Quintum est remedium, ac præcipuum ad scrupulorum tenebras pellendas; Patrem luminum feruenter inuocare, cum Dauide dicendo: *Deus meus illumina tenebras meas*. Denique scrupulorum fluctibus iactatus ad maris stellam aspiciat, Mariam frequentibus, ac humilibus præcibus oret; sic teste Bonifacio *in historia virginali lib.*4. deuotus rusticus iam scrupulorum tempestate perierat, & suadenti Diabolo credidit, non nisi per martyrium saluari posse; vnde igne consumi, aqua absorberi curauit. Sed candido amictu apparens Beatissima Mater, vt sacerdoti obediret edocuit, & à scrupulis, ac tentatione liberauit.

13 Hæc à scrupuloso remedia præstanda sunt; at eius spiritualem medicum morbi radicem considerare oportet, vt ait Rodriquez *tom.*2. *summa cap.*53. Quare si scrupuli procedant ex ignorantia, facilis curatio, edoceatur: si à scientia, & mentis acumine; non ratione, sed authoritate confutet: Si à falsa imaginatione; mox reijci, & contemni præcipiat: si ex probabilitate oppositæ opinionis; afferat pro sua perspicuas rationes, & authoritates: Si à pusillanimitate, Diuinæ misericordiæ thesauros aperiat. Si à melancholia; pharmaca & alia remedia consilio medicorum adhibeat. Si à vigilijs, & ieiunijs; moderetur, si à colloquio scrupulosorum; ea scrupulosus deuitet. Si à Dęmonis tentatione; contemnat, oret, ad Sacramenta frequentius accedat. Si à stultitia; nulla spes, nisi in diuino miraculo.

QVÆSTIO IV.

An scrupuli ex deprauato discursu, atque melancholia frequentiùs procedant, & quomodo tunc curandi?

SVMMARIVM.

*Quid sit delirium, & quotuplex? num.*1. *&* 2.
*Scrupulus propriè est delirium. num.*4. *&* 5.
*Melancholia est mentis alienatio sine febre. num*3. *ex ea sunt scrupuli. num.*5.
*Ex eo, quod scrupulosus in cæteris benè discurrat, non tollitur, quin scrupulizando deliret. num.*6.
*Quandoque scrupuli non sunt ex deprauato discursu, neque ex melancholia. num.*7.
*Qui sint ad melancholiæ morbum dispositi? num.*8.
*Scrupuli, & melancholia inuicem se causant. num.*9.
*Melancholia nomen æquiuocum. num.*10.
*Tres sunt melancholiæ, totidem scrupulorum gradus. n.*11.
*Melancholia confirmata, aut incurabilis, aut difficillimę curationis. num.*12.
*Cura melancholię, ac scrupolorum. num.*13.

RESpondetur affirmatiuè, vtrinq; enim euidenter ostenditur, nam ijs est deprauatus discursus, quibus læsa
est facultas rectrix discursiua, vnde delirium prouenit, vt
1 ait Galenus *lib.*2. *de causis symptomatum cap. vltimo*.
Delirium, inquit, *est actio deprauata facultatis rectricis*,
2 idest discursiuæ, pro vt ostendit Sanctorellus *de sanitatis*
*natura lib.*16. *cap.*15. Porrò delirium, vel contingit cum
febre acuta, & vocatur Phrenetis, vel citra febrem, sed
cum furore, & est mania, vel cum merore, & metu, &
3 dicitur melancholia; quæ sic definitur à Paulo *lib.*3. *ca-*
*pit.*14. *Melancholia est mentis quędam alienatio sine febre,*
ex melancholico maximè humore nascens, qui mentis sedem
occupauerit; *&* Auicenna *lib.*3. *fen.*1. *tract.*4. *capit.*18.
Melancholia, inquit, *est mutatio existimationum, & cogi-*
tationum, & imaginationum à cursu naturali ad corruptio-
nem, & ad timorem, & malitiam, idest peruersum iudi-
cium, propter complexionem melancholicam, facientem
pauidum, seu tristantem spiritum cerebri interiùs, & fa-
cientem timidum propter tenebras ipsius, sicut tenebrę ex-
trinsecę solicitant, & timere faciunt, ita Auicenna, idem-
que docent Galenus 2. *de causis sympt. cap.*7. *& lib.*3. *de*
*locis affectis cap.*7. Hippocrates *lib.*6. *aphor.*23. Trallia-
nus *lib.*1. *cap.*22. Aetius *lib.*6. *cap.*9. qui contra Auer-
roem 3. *colliget cap.*5. docent, quod ipsa nigredo, &
obscuritas humoris melancholici existens in cerebro sit
causa timoris, & mestitiæ.

Sed hęc omnia aptissimè scrupuloso conueniunt, scru-
pulosus enim deprauatum habet discursum, nam inani,
& leuissimo, & quandoque nullo fundamento nititur,
vnde patet esse actionem deprauatam facultatis discur-
4 siuæ, quare scrupulus verè delirium est. Præterea scru-
pulosus anxiatur, tristatur, & trepidat, atque timet pec-
catum, vbi non est, quod proprium est melancholiæ, sine
causa tristari, & timere; nam in omni melancholiæ spe-
cie, etiam si morbus sit in principio, melancholicus tri-
statur, ac timet sine causa, vt ostendit Alphonsus de San-
cta Cruce *opusc. de melancholia dialogo* 3. *in fine*, & ex-
presè docet Auicenna *lib.*3. *fen.*1. *tr.*4. *c.*19. his ver-
bis: *Signa principij melancholiæ, existimatio mala, & ti-*
5 *mor sine causa*, Galenus *lib.*2. *de causis symptom. cap.*7.
Ergo ex his patet scrupulosis plerumque esse deprauatum discursum, atque eos delirare, & melancholiæ morbo affectos, quod ex medicis tradidit Leuinus Lemnius *tract. de occultis naturę miraculis lib.*4. *cap.*21.

6 Ex eo autem, quod scrupulosus in alijs benè discurrat, non tollitur, quin quò ad eam materiam, in qua scrupulis vexatur, verè deliret, & deprauatam habeat actionem discursiuam; nam plerique, qui delirant, circa quædam dumtaxat delirant, in alijs verò benè discurrunt. Quod etiam in aliquibus melancholicis contingit; cuius rei infinita suppetunt exempla, paucis ero contentus. Parisijs quidam magnus Princeps se vas vitreum existimabat, quare accedente aliquo, velociter discedebat, ne frangeretur. At prudens Medicus eum sic curauit, dixit illi. Excellentissime Princeps verè ridendi

sunt,

ſunt, qui te vas vitreum negant, hoc ſolis luce clarius apparet; oportet ergo te ſicut cętera vaſa vitrea in paleis cuſtodiri. Placuit conſilium, magna ergo palearum moles affertur, & in amplo cubiculo, cum linteis, præparato lecto, recubuit Princeps. Mox medicus fingens ſe aliquid quærere, candela paleam incendit, & fugiens cum alijs, fortiter oſtia cubiculi clauſit; miſer Princeps immenſis clamoribus, capite, manibus, calcibus pulſabat oſtia; reſpondebat foris Medicus: Domine caue ne frangaris: tandem aperto oſtio, ſemiuſtus, agnouit ſe non eſſe vas vitreum, & ita liberatus fuit. Alius ſe caput non habere putabat; at plumbeo pileo impoſito, caput ſe habere ſenſit. Alius vt Galenus ſcribit *tertio de locis affectis cap.7.* timebat ne Atlas grauatus tanto orbis pondere ipſum excuteret, & cum eo collideretur. Scio doctiſſimum Religioſum, qui quamuis prudenter in omnibus diſcurreret, tamen delirabat ſe eſſe præſcitum, isti quamuis in cęteris recto diſcurſu pollerent, in certa tamen re deprauata illis erat actio diſcurſiua. Inueniri autem aliquos delirantes in certa materia, & in illa rationis, liberi arbitrij, meriti, demeritique expertes eſſe, in cęteris verò ratione vti, ac liberè operari, eruditè oſtendit Sanchez *de matrim. lib.1. diſp.8. num.23.* authoritate Auicennæ *lib.3. fen.1. tract.3. cap.2.* Galeni *lib.4. de locis affectis cap.1. & 40. & de ſymptomatum differentijs cap.3.* & aliorum; plurimis experientijs, ac ratione. Hoc plerumque ſcrupuloſis accidit, qui in vna, vel altera materia ſunt ſcrupuloſi atq; delirant, non item in cęteris. Vnde autem id proueniat, vt facultas diſcurſiua, quò ad certum obiectum habeat actionem deprauatam, non autem quò ad cętera? non facilè explicatur. Sed vt benè ait Sanctorellus *de natura ſanitatis lib.16. cap.15. in fine* eadem difficultas communis eſt multis alijs functionibus animæ: obſeruamus enim quotidie facultatem expultricem ventriculi expellere quædam, alijs retentis: vim retentricem detinere quædam, dimiſſis alijs: coctrix quamuis ſit proſtrata, coquit quædam alimenta, non alia: ſic vt de artificialibus loquar, culter quædam ſecat, non alia; ergo poterit quoque vis diſcurſiua in quibuſdam benè diſcurrere, non in alijs. Ratio autem à priori eſt, quia ex melancholico humore, vitiata ſpecie certi obiecti eius imaginatio, & conſequenter cognitio vitioſa eſt, & delirans: eodem autem humore adhuc non vitiatis ſpeciebus aliorum obiectorum, horum imaginationes & cognitiones rectæ ſunt. Cur autem hæc non alia ſpecies vitiatur? ratio eſt, quia humor melancholicus obſidet tantum eam partem cerebri, in qua vitiata ſpecies impreſſa erat.

Quamquam autem, vt dixi frequentiùs ſcrupuloſi in ſuis ſcrupulis verè delirent, & eorum ſcrupuli, & męſti-
7 tia, ac timor ex melancholia procedant, aliquando tamen non eſt ita; quandoque enim ſcrupulus eſt ex probabilitate opinionis oppoſitæ, aut ex apparenti ſatis ratione, & tunc non delirant: quandoque ſcrupulus procedit ex ignorantia, & tunc non eſt melancholia; ſignum autem ſcrupulum non eſſe ex deprauato diſcurſu, neque ex melancholia eſt, quando ſcrupuloſus mox ſine difficultate obtemperat, & iterum idem ſcrupulus non redit; tunc neque delirium, neque melancholia eſt: eadem ratio eſt, quando ſcrupulus procedit ex timorata conſcientia, adiuncta ignorantia, tunc facillimè deponitur, & de his accipiendus S. Gregor. *relatus in cap.4. diſt.5. bonarum mentium eſt, ibi etiam, aliquo modo culpas ſuas agnoſcere, vbi culpa non eſt.* Quod ſi ſcrupuloſus non obtemperat, aut mox reuertitur idem ſcrupulus, & habitualiter ſit ſcrupuloſus, euidens ſignum eſt, ſcrupulum eſſe ex deprauato diſcurſu, atque ex melancholiæ morbo, quod frequentiùs accidit. Faciliter autem cognoſces ſcrupulos ex melancholia cauſari, quando aliunde notum ſit, hominem eſſe melancholiæ morbo affectum, aut ad melancholiam diſpoſitum eſſe; qui autem ſint
8 diſpoſiti, ſcribit Galenus *lib.3. de locis affectis cap.7.* & Auicenna *lib.3. fen.1. tract.4. cap.18.* nempè *homines macri, nigri, hirſuti, & in quibus vena lata apparent: qui prærubro ſunt colore, flaui, præſertim ſi multis laboribus, ſolicitudinibus, vigilijs, & tenui victu ſunt educati: Præterea Balbi, ſeù trauli, (ſic appellantur, qui litteram T. & L. malè proferunt, & vnam ſyllabam multoties repetunt, antequam dictionem proferant) Item qui velociter loquuntur, ſyllabarum tempora non commenſurantes; Item qui habent oculos multum mobiles, & paruos. Qui habent labia craſſa, de quibus Ariſt. in Phyſiognomia dicit, quod fatui ſunt, & aſinis aſſimilantur. Denique ad melancholiam magis diſpoſiti ſunt viri, quàm mulieres, ſed in mulieribus melancholia eſt deterior, & difficiliùs curatur. Qui autem ad melancholiam eſt diſpoſitus, citò ad eam perueniet, ſi adſit timor, aut triſtitia, aut vigilia, aut retinetur in ipſo conſuetudo curſus ſanguinis eius, aut vomitus melancholicus.* Sic quoque diſpoſitum ad melancholiam, ſcrupuli ad ipſam perducunt. Vnde
9 ſcrupuli, & melancholia, ſunt quodammodo inuicem cauſæ, nam ſcrupuli cauſant melancholiæ morbum, in homine diſpoſito; & viciſſim melancholia eſt cauſa ſcrupulorum, quod præclare docuit Leuinus Lemnius *tract. de occultis naturæ miraculis lib.4. capit.21.* in hæc verba: *Moleſtum eſt viro eccleſiaſtico animo medelam afferre, vbi corpus vitioſis humoribus oppletum eſt; ſiquidem ob arctiſſimam vtriuſque partis cognationem, & conſenſum, animi vitia redundant in corpus; corporis verò morbi, in animum, mentemque transferuntur.* Hæc Lemnius. Itaq; cum eadem ſit ratio ſcrupulorum, ac melancholiæ, de iſta accuratiùs ex doctrina medicorum agendum eſt, vt plurimum enim ſcrupuli ex confeſſarij conſilijs magis augentur, quàm minuantur, iſte enim plerumque orationes, ieiunia, vigilias, & alia conſulit, quæ melancholiam confirmant, & aggrauant. Vnde ſcrupuloſi potiùs Medico, quam Theologo indigent.

Iam verò de melancholia, eiuſque remedijs breuiter agamus.

10 Melancholiæ nomen æquiuocum eſt. Primò enim dicitur de melancholico ſucco, qui cum homine ſano, ſimul cum alijs humoribus in venis reperitur, & eſt veluti fex ſanguinis, & pars illius terrea, & denſa, qui ſuccus indicio, ingenio, ac ſapientiæ plurimum conducit: vnde Ariſt. *ſect.30. probl.1.* teſtatur homines, qui, vel in ſtudijs philoſophiæ, vel in adminiſtrando Republica, vel in carminibus floruerunt, melancholicos fuiſſe, non per morbum, ſed per naturam, nempè melancholico ſucco abundaſſe. Secundò dicitur melancholia de ęgritudine, in qua facultates animales læduntur, & corrumpuntur, non tamen omnes facultates, ſed ſola imaginatio, & cogitatio; memoria autem manet illæſa.

11 Tres autem ſunt melancholici iſtius morbi gradus, pro vt ſcribit Raſis *9. ad Almanſorem*, qui hæc affert ſigna.

Primi gradus, ſeù incipientis melancholiæ ſigna ſunt,

malæ

malæ cogitationes, timor, & tristitia sine causa: desiderium solitudinis; somni parui, & diuulsi, insomnia turbulenta, & peregrina, vt si dęmones, aut inimicos se persequentes somniet.

Secundus gradus est melancholia in augmento, & est, cùm patiens ad hoc peruenit, vt ore promat, quæ mente concipit, & solus loquitur, & verba fatua profert.

Tertius gradus, seu melancholia confirmata, est timor, & mœstitia sine causa, diù perseuerans: & quod mente conceperat ore profert, ac demum operando prosequitur, & inordinatè pedes, manus, oculosque mouet: timet non timenda: & odio habet amicos; imaginatur, & cogitat ea, quæ nullo modo esse possunt.

Sic in scrupulorum morbo, cùm procedit ex melancholia, tres est gradus assignare.

Primus gradus, seù incipiens infirmitas est, cum scrupulosus facilè obtemperat, sed mox reuertitur scrupulus, quo sine vllo fundamento, & sine causa non obstante Sapientum Consilio, & ad monitione, tristatur, ac timet peccatum.

Secundus gradus, seù scrupulorum infirmitas in augmento est, cum varijs scrupulis cruciatur, nullo prorsus fundamento, neque facilè obtemperat consulenti, & in ea męstitia, ac timore, plerumque lacrymis, amaritudinem ostendens, diù perseuerat.

Tertius gradus infirmitatis scrupulorum, ex cōfirmata melancholia proueniens, est, quando scrupulosus nullatenus obtemperat consilijs prudentum, & ridicula operatur, multò męrore, & amaritudine, semper pauidus, & timens, nullas audiens monitiones, aut ex eis nihil proficiens: proferam quædam exempla, quæ noui; quidam meus familiaris, ac deuotus Sacerdos, in persoluendis horis Canonicis eò deuenit, vt orationem Dominicam, nonnisi, subindè variato idiomate, recitare posset, latino, Italico, Hispano, Gręco, Armeno, Arabico, Georgiano; hic ei erat scrupulus, videbatur sibi non pronunciare verba; mihi iureiurando affirmanti, quod rectè pronunciauerat, non credebat. Cùm ad Diuinum officium recitandum accedebat, mortis agonia torquebatur, extendebat se supra lectum, cum orarijs calculis è collo pendentibus, vna manu crucifixum, altera Breuiarium tenens, crebris suspirijs, cum pauore, & tremore; at vbi ad certos versiculos pronunciandos deuenerat; pręsertim illos: *Anania, Azaria, Misael*, & *In cymbalis benè sonantibus*, tamquam obiecto præcipitio, nullis nec monitis, nec precibus, nec iniurijs, poterat progredi; & desperans, magno impetu breuiarium, & crucifixum proijciebat, ac recedens lacrymabatur: post aliquam moram regressus, redibant angustiæ. Nullus modus pronunciandi ipsi arridebat, eundem versum centies repetens, submissa voce, in gutture, canendo, vociferando, concionantis more, voce acuta, graui syllabatim litteras iungenda. Denique aliquando per sex continuas horas agonizans, vix solum matutinas preces potuit absoluere. Nulla proderant monita, consilia, risus; sed suspirans respondebat, mihi non videtur pronunciare. Alter Sacerdos in Offertorio ad illa ver-
11 ba: *Suscipe Sancte Pater*, quater, ac quinquies, inclinans caput replicabat, *Suscipe, suscipe, suscipe*, & quasi nollet Deus suscipere; ipse patenam, & hostiam proijciebat: deinde iterùm accepta patena instabat *Suscipe, suscipe*; Deo non respondente, iterùm proijciebat.
12 Hæc igitur est scrupulorum infirmitas tertij gradus, ex melancholia confirmata, quæ incurabilis est, aut difficillimæ curationis, vt docent omnes Medici, ita Auicenna *lib.3. fen.1. tract 4. cap.20.* Galenus *lib. de atrabile*, Aetius *lib.2. sect.2. capit.10.* Alphonsus de Sancta Cruce *opusc. de melancholia dialogo 3.* Dominicus Leonus *de arte medendi sect. 1. lib.2. cap.8.* vbi de cura, sic loquitur. Antequam æger in malis cogitationibus, & deprauatis imaginationibus confirmetur, succurendum est, nam quando cerebri substantia temperiem melancholicam penitùs adepta est, neque Æsculapius hominem sanaret. Primò, quia æger monitis Medicorum, neque credit, neque obtemperat. Secundò, quia siccitas est qualitas, quæ habet contrarium nimis debile, ipsam scilicet humiditatem, vnde, quando siccitas de se in cerebro firmam fecit impressionem, ab humiditate superaddita remoueri non potest; quoniam duarum qualitatum passiuarum siccitas est magis actiua, & magis potens, quam humiditas, quare potens à minus potenti expelli non potest. Plato etiam *in Timęo* affirmat morbos omnes, qui fiunt ab humore melancholico, quem terræ nomine, vocare solitus est, curatu difficillimos esse, & Arist. 7. *ethicorum ad finem*, dixit melancholicos continua indigere medicatione. Itaque cum ex melancholia scrupuli procedunt, statim inter initia strenuè contra eos pugnandum est, alioquin confirmato morbo, desperata erit salus, sicut de melancholia, tradit Galenus *libello de atrabile*. Hinc patet, quam graui periculo se scrupulosus exponat, cum spreto prudentis Sacerdotis consilio, scrupulis non repugnat.

Iam verò de scrupulorum cura, cum ex melancholiæ morbo procedunt, ex Medicorum præscripto agendum est. Cura autem melancholiæ omnia medicinæ instrumenta complectitur, diętam scilicet, pharmaciam, & chirurgiam, his enim tribus instrumentis methodus omnis medica absoluitur. De primò instrumento, nempè de dięta, hic breuiter agemus, ex Galeno *lib.3. de locis affectis c.7.* Auicenna *lib.3. fen.1. tract.4. cap.20.* Paulo *lib.3. cap.14.* Aetio *lib.2. ser.2. capit.10.* & Dominico Leono *lib.2. sect.1. c.8.* vtilissimum enim, ac necessarium est confessario ea scire; quò ad reliqua tamen medicinæ instrumenta, vt pharmaciam, ac chirurgiam, nostri instituti non est ea tractare, sed ad Medicos ęgrum remittimus.

Circa diætam igitur, melancholicus prohiberi debet
13 ab omnibus rebus, quę hunc affectum excitare possunt. Aer conueniens erit clarus, lucidus ad humidum, & calidum vergens. Adsint odores gratissimi. Aspiciat res delectabiles, prata, campos, & viridaria. Audiat melodias, & concentus musicales. Sermonibus, & colloquijs iucundis, cum honestis amicis, recreetur depositis priùs alui excrementis, exerceatur moderatè, & tempore conuenienti per loca amęna, propè flumina clara, & lenia in suo cursu, ac susurrantia, occupatione aliqua, non tamen nimia, detineatur, fugiatque otium. Cibi sint humectantes, & parum calefacientes. Caueat salsa, & omnia acria, & flatuosa, brassica, ac legumina præsertim fabas, & lentes fugiat; Casei, & lacticiniorum, vel nullus, vel paruus sit vsus. Potus sit vinum tenue, album, odoriferum, optimè dilutum, & moderatè sumptum. Fugiat vinum nigrum, crassum, & nouum, & nimis antiquum. Venus coniugatis fugienda in omni specie melancholiæ; Venus enim exiccat corpora, vt ait Galenus *6. Epid.* Vnde præ omnibus melancho-

lici ſunt ad venerem proni, & ad eam ſtimulantur, quia à continuo ſtatu titillantur, Galenus *com.3. in 6. de mor. vulg. c.12.* Auicenna *vbi ſupra c.19.* Alphonſus de Sanctacruce *opuſc. de melanch. dial.4. in princ.* longior ſomnus procurandus: à vigilijs omninò cauendum, & à crebris ieiunijs. Augent melancholiæ, & conſequenter ſcrupulorum morbum, animæ paſſiones, ira, triſtitia, timor; augent quoque nimiæ cogitationes, ſtudia, meditationes, iſtæ igitur moderatæ ſint, ac de materia hilari, & iucunda, vt de amore, & miſericordia Dei; de diuinis beneficijs: de cœli gaudijs, ac ſimilibus; caueat tunc meditationes mortis, Iudicij, inferni; de peccatis doleat quidem, non ex motiuo inferni, ſed Diuinæ bonitatis offenſæ, *Illa enim triſtitia, quæ pœnitentiam ad ſalutem ſtabilem operatur, eſt quodammodo læta*, inquit Caſſianus *lib.9. cap.11.*

Satis ex Medicis de melancholia diſſeruimus, breuiter ex ſcripturis, ac Patribus aliqua proferamus. *Triſtitiam* (inquit Sapiens *Eccl. c.30.*) *longè repelle à te, multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa*, & Prou. 25. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi. Quapropter* (ait Caſſianus *de inſtitutis renunciant. lib.9. de ſpiritu triſtitiæ c.12.*) *omnis triſtitia tamquam ſeculi, & quæ mortem inferat, æqualiter repellenda eſt, ac ſicut fornicationis ſpiritus, vel iræ, de noſtris cordibus penitus extrudenda; & c.13. Hanc ergo perniciosiſſimam paſſionem, ita de nobis expellere poterimus, vt mentem noſtram ſpirituali meditatione iugiter occupatam, futura ſpe, & contemplatione repromiſſæ beatitudinis, erigamus.* S. Auguſt. *meditation. c.37. Quid dulciùs, quam inter tenebras huius vitæ multaſque amaritudines, diuinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini ſuſpirare, illicque teneri mente, vbi vera haberi gaudia certiſſimum eſt?*

QVÆSTIO V.

An conuenientius ſit Sacerdotem quotidiè, quàm ſemel, aut bis in hebdomada venialia confiteri? ſeù an quotidiana venialium confeſſio fiat abſque ſacrilegij periculo?

SVMMARIVM.

Attritio debet deteſtari peccatum veniale ſuper omnia, alioquin ſacrilega eſt confeſſio. n.1.
Quotidiana confeſſio ſalubris, Sanctorum inſtitutis ac exemplo commendata. num.2.
Ad maiora præcauenda peccata, præſentiſſimum remedium eſt, quotidiana confeſſio. num.3.
In Sacramento pœnitentiæ datur ſpeciale auxilium ad cauenda peccata, ad ea deteſtanda, & ſatisfaciendum pro ipſis. num.4.
Poteſt haberi certitudo moralis, ſe eſſe in gratia; non autem certitudo fidei. num.5.
Eucharistia exigit extremam munditiam. num.6.
Execrabile eſt impuris cogitationibus deturpatum, quamuis plenè non deliberatis, ſine confeſſione ad Euchariſtiam accedere. num.7.
Ex pluribus venialibus confeſſis, ſufficit conteri de vno. n.8.
Quò ad veniale, ſufficit propoſitum limitatum, vt non mentiri ſine cauſa. num.9.
Quò ad venialia ſufficit propoſitum diſiunctiuè, nempè nolo tot venialia committere, toties mentiri. n.10. & n.11.
Non requiritur propoſitũ vitandi occaſiones venialiũ. n.12.
Salubre conſilium eſt quotidie conſcientiam diſcutere. n.13.
Ad confeſſionem ſufficit dolor præcedentis diei. num.14.
Non confitendum per verba conditionata; excipio impuras cogitationes. num.15. & 16. neque confitendum per verba generalia. num.17.
Expedit aliqua venialia cum ſuis circumſtantijs fateri. n.1.
Expedit quoq; adijcere aliqua præteritæ vitæ peccata aliàs confeſſa, vnde tunc etiam ſi confeſſio venialium recentium fieret ſine vllo dolore, valida eſſet, ſi illa peccata aliàs cum dolore confeſſa fuiſſent. num.19. & 20.
Generalis confeſſio ſpiritualis vitæ eſt fundamentum. n.21.
Quid agendum cum ſcrupuloſis? num.22.
Quando dolor extendatur ad venialia? num.23.

NEgatiuè reſpondendum videtur. Primò, quia quotidiana confeſſione, exponit ſe periculo ſacrilegæ confeſſionis, ex defectu efficacis propoſiti venialia vitandi, huiuſmodi propoſitum enim neceſſarium eſt, vt oſtendit Card. Lugo *de pœnit. diſp.14. sect.9. n.127.* at ex frequenti reincidentia, & quia ſæpè penè impoſſibile eſt, ea vitare, plerumque non adeſt efficax propoſitum, cum non detur circa impoſſibile efficax voluntas.

Secundò committit ſe periculo ſacrilegij, ex defectu doloris ſuper omnia, nam vt probat doctiſſimus Recupitus *in induſtrijs bene moriendi tr.1. n.18.* inualida eſt
1 confeſſio, niſi adſit attritio, qua doleat ſuper omnia, ita vt implicitè mallet bonorum, famæ, ac vitæ iacturam pati, quam peccaſſe; id ipſum attritionis nomen oſtendit, iuxta illud Domini præceptum *ſcindite corda veſtra*: At quis prudens tali dolore ſuper omnia deteſtatum mendacium iocoſum, diſtractionem, & alia eiuſmodi cenſeat? cum vix abſoluta confeſſione, millies in eadem relabitur.

Tertiò quamuis timorato viro facilè ſit dolere ſuper omnia, quo ad mortale peccatum; at iſte dolor grauium peccatorum ad venialia non extenditur, vt docent omnes: ergo pluries continget ſacrilegè ſine vllo dolore venialia confiteri.

Quartò tam frequenti, & quotidiana venialium confeſſione, & quia veluti leuia iſta ferè vileſcunt, pluries diſtractus omninò, & ſine vllo prorſus dolore confitebitur, inualidè quidem, & ſacrilegè.

Quintò ſolent iſti ex conſuetudine confiteri, ſine vllo affectu, ac conſideratione, Bouis inſtar, qui terendo frumentum it, & redit eodem ſola conſuetudine, quod innuit Oſeas *c.10. Ephraim, quaſi vitula docta diligere trituram.*

Sextò pluries accedunt ad confeſſionem, & cum nihil menti occurrat, eadem confitentur ſemper, quæ ab vltima confeſſione ſe admiſiſſe ignorant, & per generalia verba, ac conditionata; quem confitendi modum meritò reprehendit, Antonius Molina *in inſtructione Sacerdotum tr.5. cap.5. §.4.*

His tamen non obſtantibus. Reſpondeo affirmatiuè, nempè quotidianam venialium confeſſionem eſſe ſingulare medium ad perfectionem, nullumque in ea adeſſe periculum, ſed vt diſtinctè procedamus.

Dico primò quotidiana confeſſio optima, ſalubris, & commendabilis eſt.

Primò Sanctorum inſtitutis, exemplis, & authoritate, quantum ea afferat virtuti præſidium oſtenditur. *In regu-*

la

la Sancti Columbani sancitum est, *vt sepiùs quolibet die peccatorum confessio fieret*, vt apud Ionam *in vita Sanctæ Burgundofora*. In Constitutionibus Clericorum Regularium *p.1.c.8.* sic dicitur: *Sacerdotes si non singulis diebus, sæpiùs tamen in hebdomada confiteantur*, vbi Caracciolus notat B. Andreā Auellinum in ipsa decrepita ætate labeculas suas nullum finem fecisse confitendi; & cum gemitu lacrymisque quater quinquiesque in dies singulos, ad Sacerdotum genua procidisse. Sanctus August. *Psal.99. Semper confitere, quia semper habes quod confitearis*, difficile est enim in hac vita, vt sic homo mundetur, vt nihil inueniat in se quod confiteatur.

3 Secundò ad maiora præcauenda peccata, quotidiana confessio præsentissimum est remedium. *Qui enim spernis modica paulatim decidit*, inquit Sapiens *Ecclesiast.19.* vnde Chrysost. *homil.7. in Matth.* verè scripsit: *Mirabile quidem, & inauditum dicere audeo, videtur mihi non tanto studio magna esse peccata vitanda, quanto parua, & vilia, illa enim vt auersemur ipsa peccati natura efficit, hæc autem hoc ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur non potest animus ad expulsionem eorum generosè insurgere, vnde citò ex paruis, maxima fiunt neglientia nostra*, ita os aureum. Quid autem remedij est? vtique quotidiana confessio. Audi Climacum *gradu 7. Sicut, inquit, volucrum oua si foueantur in stercore, viuificantur, & infestum erumpunt, ita & cogitationes, nisi ex cordis abdito producta manifestentur, in opus prodeunt.* Sic ille sanctitate, & eruditione celeberrimus, & S. Gregorius Papa *lib.25. moral. capit.9. Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit, & Psal.41. abyssus abyssum inuocat*, idest, ait Lyranus, *culpa culpam trahit*; Ergo vt non trahat, dele confessione. Euincit id euidens ratio ex Theologicis principijs petita, Sacramenta enim præter gratiam sanctificantem, conferunt quoddam speciale auxilium ordinatum ad finem cuiusque Sacramenti, ita S. Thomas *3. p. q.62. art.2. & in 4. sent. dist.1. quæst.1. art.4. quæstiunc.5.* & ibidem S. Bonauentura *art.1. qu.6.*

4 Ricardus *art.4. qu.4.* In Sacramento autem pœnitentiæ hoc auxilium gratiæ actualis datur ad cauenda peccata in posterum, ad ea detestanda, & satisfaciendum pro ipsis, ita Suarez *de Sacram. in communi disput.7. sect.3. vers. dico 2.* & Beccanus *cap.3. quæst.8. num.4.* id autem auxilium non datur eo tempore, quo Sacramentum suscipitur, sed instante graui tentatione ad eam superandam Beccanus vbi supra *num.5.* quare fit, vt ex quotidiana confessione, ex vi Sacramenti, euadant animæ vires validissimæ ad superandas tentationes; Vndè homo viuit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs. Hinc rectè monet Antonius Molina *in instruct. Sacerdotum tract.5. cap.2. §.5. Ex frequenti confessione fieri conscientiam religiosam, & à leuioribus etiam declinare; ex rara autem laxatur adeò, vt nisi peccata mortalia sint, cætera non videantur confitenda.*

Tertiò venialium quotidiana confessio per se deuotionem, feruoremque accendit, summamque conscientiæ pacem conciliat: id innuit Concil. Trident. *sess.14. de Sacram. pœnit. cap.3. Solet, inquit, hoc Sacramentum conscientiæ pax, & serenitas, cum vehementi spiritus consolatione consequi.*

Quartò quotidiana confessio affert moralem certitudinem gratiæ. Quis non contremiscit, ac pauet illud *Ecclesiast.9. nescit homo odio, an amore dignus sit*. *Ter-*

Quæstiones P. Verricelli.

ribilis est locus iste (inquit S. Bernardus *serm.23. in Cant.*) *& totius expers quietis: totus in horrui, si quando in eum raptus sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam, quis scit, si est dignus amore an odio?* eodem tremore correpti sunt Magnus Antonius Abbas, vt scribit S. Athanasius. Sanctus Franciscus, vt refert in eius vita S. Bonauentu. ac S. Hilarius Abbas, vt S. Hieronymus commemorat *cap.9. in Iob.* Beatus Andreas Auellinus, ac B. Maria Magdalena de Pazzis, aliique notæ Sanctitatis Viri. At audeo dicere, vis non terreri? dealba te per singulos dies in sanguine Agni, tua quotidie confitere peccata, etenim moraliter est impossibile, vel vnicam confessionem ex millibus validam non esse, quod si ad vnicam dignè accedis, etiam si vnicum veniale confessus sis, mox cuncta indirectè delentur mortalia. Quarè, quamuis in Trident. Concilio definitum sit *sess.6. cap.9. Nullum scire posse certitudine fidei, cui falsum subesse nequit, se gratiam Dei esse consecutum*; at

5 potest haberi diuinæ gratiæ certitudo moralis, non quæ omnem dubitationem excludat, vt cùm dicimus, Constantinopolim esse, sed quæ aliquid parum formidinis admixtum habeat, ita probat doctissimus Alexander Pesantius *1. 2. quæst.92. art.5. disp.2. in fine.* Huiusmodi autem moralis certitudo non potest aptiùs, quàm quotidiana confessione comparari.

Quintò momētaneū, & breue quotidianæ confessionis incommodum, æternum, & immensum gloriæ pondus operatur in nobis; nam semen gloriæ gratia est, hanc tibi thesaurizas in die Domini, hæc repetitis confessionibus crescit, vndè crescit & gloria. His adde ex communiori sententia maiorem gratiam infundi, cum maiori dispositione Sacramentum suscipienti, vt ex Triden. *sess.6. cap.7.* ostendit Suarez *de pœnit. disput.5. sect.1. vers. dico tertio.* Præterea vna confessio valdè Purgatorij pœnas diminuit. Recupit. *in industr. benè moriendi tract.3. num.11.*

Sextò quotidiana confessione fit dierum collatio, qua innotescit quantus sit profectus, aut quantum in virtute perdatur: tum confunditur homo, dum aduertit se toties in idem recidisse peccatum; videt enim se quod heri confessus est, hodiè confiteri debere.

Septimò id à Sacerdote exigit tremendum illud sacrificium, & Augustissimum Sacramentum, si enim veretur accedere, nisi priùs eluat manus sordes, cur animam toties peccato fœdatam (*septies enim in die cadit iustus*) ad fontem confessionis accedens, non abstergit? illa enim iuxta Zacchar. *cap.13. est fons patens in ablutionem peccatoris*, id significauit Dominus cum antè Eucharistiæ institutionem cœpit lauare pedes discipulo-

6 rum. At inquies sunt leues labeculæ: *Sed eo facto ostendit Dominus exigere se externam munditiam*, inquit S. Dionysi. Areopag. *c.3. de Eccl. Hierarchia*, & S. Tho. *3. p. q.83. art. primo ad primum.*

Octauò id præsertim in cogitationibus impuris obseruandum est, quarum est *dura, ac ingis pugna, & rara victoria*, teste S. Aug. *lib. de honestate mulierum c.2.* nihil autem Virgineo epulo magis indignum, quàm tot fœdis sordibus deturpatum, sine veste nuptiali Sacramenti pœnitentiæ accedere ad cœleste conuiuium; quod meritò execratur S. Bonau. *in speculo disciplinæ*, & Alphonsus Rodriq. *in exercit. perfection. p.3. tr.3. c.4.*

Dico secundò multiplex discrimen est mortalis, ac venialis peccati, quò ad dolorem, & propositum vitandi.

Cc 2 Pri-

Primum diſcrimen eſt, quia mortalia abſolutè, & omnia deteſtari, ac propoſitum cuncta euitandi habere de-
8 bemus. Ex pluribus venialibus autem confeſſis ſufficit habere propoſitum, & dolorem de vno ſaltem, Suarez *de pęnit. diſp.*20. *ſect.*6. *num.*7. Henriq. *lib.*1. *caput.*26. §.7. Fagundez *in præcepto* 2. *Eccleſiæ lib.*2. *cap.*1. *n.*13. Card. Lugo *de pęnit. diſp.*9. *n.*25. *&* *diſp.*14. *n.*118. *&* 127.

9 Secundum diſcrimen eſt, quo ad mortale debet eſſe propoſitum abſolutum, quo ad veniale poteſt eſſe propoſitum limitatum: v. g. nolo deinceps mentiri ſine cauſa, prout nunc mentitus ſum, ita Lugo *de pęnit. diſp.*9. *num.*25. qui optimam affert rationem, nam cum hoc mendacium propter illam circumſtantiam, ſine cauſa, maiorem contrahat malitiam, & poſſim dolere de grauiori, quin doleam de leuiori: conſequenter poſſum ſufficienter dolere, atque proponere de mendacio prolato ſine cauſa, abſque eo quod doleam, vel proponam de omnibus mendacijs, quod tamen in peccato mortali non ſufficeret.

10 Tertium diſcrimen eſt, quia quò ad mortalia debet eſſe dolor quò ad omnia collectiuè: v. g. numquam volo peccare mortaliter: At quo ad venialia ſufficit dolor, ac propoſitum, quò ad omnia, ſed diſiunctiuè, ſcilicet doleo toties peccaſſe, nolo vlteriùs tot venialia committere, propono maiorem curam, & diligentiam adhibere, vt minuam tot mendaciorum, tot diſtractionum, tot otioſorum verborum multitudinem, ita S. Thomas 3. *p. quæſt.*87. *art.*1. *ad primum*, vbi ſic ait: *Debet tamen ſe præparare ad peccata venialia minuenda*, quod egregiè pro more explicat Eminentiſſimus Lugo *de pęnit. diſp.* 14. *num.*140. *&* *num.*133. *verſ.*1. Et hoc diſcrimen aufert omnem ſcrupulum, & ex eo corruunt omnia argumenta initio adducta.

Quartum eſt diſcrimen, quia mortalia deteſtanda ſunt ſuper omnia, collectiuè, & diſtributiuè ſcilicet mallem quodlibet malum pati, quam quodcumque peccatum mortale commiſiſſe. Venialia verò deteſtanda ſunt ſuper omnia diſiunctiuè ſcilicet mallem mortuum eſſe, quàm toties tot venialibus peccatis Deum offendiſſe, ita idem Lugo *de pęnit. diſp.*5. *ſec.*4. *&* *diſp.*14. *ſec.*9. *n.*145.

Quintum diſcrimen eſt, quia ad mortale requiritur propoſitum vitandi occaſiones peccãdi mortaliter; quod propoſitum non requiritur quò ad venialia, vnde accedentes cum iſtis abſoluuntur, etiam ſi recidiui ſint; non autem cum illis, ita Coninchus de *pęnit. diſp.*2. *dub.*14. *num.*130. Lugo *de pęnit. diſp.*14. *num.*127.

Ratio omnium diſcriminum eſt, quia peccata mortalia ſunt materia neceſſaria confeſſionis, & omnia collectiuè vitare, eſt moraliter poſſibile: At venialia non ſunt materia neceſſaria, non enim tenemur confiteri, & moraliter eſt impoſſibile omnia collectiuè vitare.

Dico Tertiò ad rectè confeſſionem inſtituendam, ad vitæ mortiſque ſecuritatem, animęque profectum, ſalubre conſilium eſt quotidie excutere conſcientiam: fuit hoc Pythagoræ præceptum, vt ſcribunt S. Hieron. *lib.*3. *Apolog. aduerſus Ruffinus c.*10. S. Thomas *de Regimine Principum lib.*4. *cap.*22. Laertius *in Pythagora*, idem verbis, & exemplo docuit Seneca *lib.*3. *de ira c.*36. *Vtor*, inquit, *hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico, cum ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta, ac dicta mea remetiar, nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo.* Idem *lib. de vita beata c.*17. *Hoc mihi ſatis eſt* (inquit) *quotidie aliquid ex vitijs meis demere, & errores meos obiurgare.* Pyrrus, item, Elienſis (vt apud Laertium *l.*6. *c.*11.) *deprahenſus aliquando ſolus, ac ſecum loquens, ſuaque à ſe vitæ rationem repoſcens, rogatuſq; quid ſolus ageret? Meditor, inquit, eſſe bonus.* Sed mittamus Ethnicos Philoſophos, quos verè Tertullianus *in apologet. aduerſus gentes c.*46. *Famæ negotiatores appellat.* Multis ſeculis Pythagora vetuſtior Dauid, cùm dies præterijſſet, *Meditabatur in corde ſuo, & ſcopebat ſpiritum ſuum*: ſic *Pſal.*76. quem S. Auguſt. exponens, ait: *Scrutabatur ſpiritum ſuum, & cum ſpiritu ſuo loquebatur, ſe ipſum interrogabat, ſe ipſum examinabat, in ſe Iudex erat.* Quantum hoc valeat ad minuenda peccata audi Chryſoſt. *in Pſal.*50. *horrendum tibi tribunal effice, animum lentiorem redde, vt poſtera die ad perpetranda peccata cunctantiùs accedat.*

Singulare autem monitum in hac diſcuſſione poſteris tradidit Magnus Antonius Abbas, vt referunt Sozomenus *lib.*1. *c.*13. *&* Nicephot. *lib.*8. *cap.*40. *Vt non modo examen fieret, ſed culpæ omnes ſcripto committerentur, verebitur enim homo tot à ſe mala perpetrata relegere.* Inſigne quoq; eſt exemplum Monachi cuiuſdam à S. Ioanne Climaco commemoratum *gradu* 4. ad cuius latus, cùm Climacus appenſum breuem libellum conſpiceret, didicit eum quotidie, *ſingulis horis cogitationes ſuas notare conſueuiſſe.* Id Sanctiſſimus Patriarcha ille Ignatius, Ieſu ſignifer, modis quibuſdam præſtitit, ſingulis horis ſe diſcutiens, vt in eius vita *lib.*5. *cap.*3. S. Bonau. *tract.*5. *c.*7. *Septies in die monuit ad conſcientiæ tribunal accedendum.* Quantum autem quamque ſingulare pręſidium ſit ad virtutem, quotidiana ſaltem conſcientiæ diſcuſſio, tradidit idem Ignatius vt in eius vita *lib.*2. *c.*2. aſſerens id ſolum cum ſacramentorum frequentia, ſatis eſſe ad virtutes omnes conſeruandas, ac propagandas. Mirum eſt, quod S. Ioan. Chryſoſt. *in Pſal.*4. ſcripſit: *Oportere omnia delicta tum minora, tum maiora quaſi in libro, ita in corde habere deſcripta, & ea tamquam paulò antè admiſſa lugere, quod ſi per menſem tantùm fiat, ſufficere, vt perfectus virtutis habitus generetur.*

At inquies, ſerò totum diem diſcutio, & nihil inuenio. Ne mireris, non enim inſtar Euangelicæ mulieris lucernam accendiſti, adhuc totam domum diligenter non euertiſti, infunde piarum meditationum oleum, & tunc (vt ait S. Tereſia in ſua vita) conſcientiam, quæ velut puriſſima aqua in chriſtallo apparebat, increati ſolis oppoſitam radio, athomis, ideſt innumeris culpis, reſperſam perſpicies; ſic virgo illa Sanctiſſima Beata Maria Magdalena de Pazzis tota penè die in ecſtaſim rapta, ſerò tamen, in ecſtaſi quoque ſuam diſcutiens conſcientiam ad decem, & octo culpas enumerauit. Vide Puccinum in eius vita *cap.*76.

Porrò modus aptus non eſt diſcurrendo per aliqua peccata cordis, oris, operis; ſed horas ſingulas percurrendo, ita clariùs culpæ innoteſcent.

Dico quartò ad quotidianam venialium confeſſionem ſalubriter, & ſine vllo prorſus ſcrupulo inſtituendam, ſequentia ſunt obſeruanda.

14 Primum monitum eſt. Serò in conſcientiæ diſcuſſione, maiorem temporis partem in contritionis actibus inſumere, cum propoſito confitendi, hinc fit, quod ſequenti die, accedens ex more ad confeſſionē, etiam ſi omninò tunc nullatenus doleas, ſufficit dolor pręcedentis diei, ita Hurtad. *de ſacram. in genere diſp.*1. *diffic.*11. Ioannes Prępoſitus 3. *p. q.*2. *de contritione dub.*1. *n.*30. Diana *par.*5. *tract.*14.

tract.14. resol.67. Ratio est, quia sicut in forensi, ita, & in sacramentali iudicio præcedere possunt absolutionis sententiam causæ discussio, & sic actus pęnitentis dolor, & confessio. Optimum quoque consilium est, singulis horis ab horologio pulsatis, conteri, dicendo, ore vel corde. Pęnitet me offendisse se Redemptorem meum; & deinde Virginem salutatione Angelica inuocare, adest enim centum dierum indulgentia.

Secundum monitum est, non confiteri per verba conditionata v. g. si mentitus sum, si iratus sum, ita Nauar. *in manuali cap.2. num.5. & in Can. quem pęnitet nu.10. de pęnit. dist.1.* Io: Sanchez *disp.1. num.11.*

16 Excipio cogitationes impuras, quas si certò scis, subitò non expulisse, debes absolutè confiteri negligentiam; si verò credis mox expulisse, benè facies, sub conditione te accusando, si aliquam negligentiam admisisti, vt consulit Alphonsus Rodriquez *in exercit. perfect. p.3. tract.3. cap.4.* Quando verò non cessasti ab actione externa vt curiosi aspectus, aduertens te interiùs sordidis cogitationibus, ac delectationibus inquietari, debes confiteri sub dubio de mortali delectatione.

17 Tertium monitum est non confiteri per verba generalia, nisi enim addas aliquod veniale in particulari, erit pharisaica confessio, & inualida v. g. accuso me de septem peccatis mortalibus, de omni eo, de quo potest Diabolus me accusare, ita Nauar. *in cap. quem pęnitet num.10. de pęnit. dist.1.* & Io: Sanchez *disp.1. num.10.*

18 Salutare autem consilium est, aliqua venialia cum suis circumstantijs fateri, ita erit maior confusio, humilitas, emendatio, atque profectus v. g. aduertenter, & sine causa mentitus sum; obmurmurante conscientia bis curiosè mulierem aspexi, immediatè antè, aut pòst sacrificium iratus sum; impatienter respondi coram multis. Ita Antonius Molina *in instruct. Sacerdotum tract.5. c.5. §.4.* Alphonus Rodriquez *de perfect. par.3. tract.7. c.10.* Io: Sanchea *disp.6. num.8.*

19 Quartum monitum, in fine confessionis recentiorum peccatorum, optimum est nonnulla peccata adijcere, quæ tempore præterito fueris confessus, non in generali, sed in particulari, v. g. accuso me de omnibus mendacijs, & periurijs, cogitationibus, & verbis inhonestis, ac iracundijs præteritę vitę, ita consulit S. August. *in cap. quem pęnitet de pęnit. dist.1.* dum ait: *Quantò pluribus confitetur in spe veniæ, turpitudinem criminis, tantò facilius consequitur gratiam remissionis*, quem sic exponit S. Thomas *in 4. dist.18. quæst.1. art.3. quæst.2. ad 4.* Caietan. *tom.1. opusc. tract.5. quæst.4.* Vasquez *de pęnit. qu.91. art.3. dub.7. in princ.* Nauar. *in summa cap.21. n.42.* Antonius Molina *in instr. Sacerd. tract.5. c.5. §.7.*

Id plurima affert commoda. Primò, quia faciliùs concipitur dolor, & propositum, & affertur certa materia. Secundò, quia probabiliter multi docent, quod si acce-
20 deret pęnitens in præsenti confessione, cum nullo prorsus dolore, sufficit illa peccata in alia confessione esse detestata, ita Io: de la Cruz *in director. conscient. par.2. de sacram. pęnit. quæst.1. dub.6. concl.2.* & Petrus Ledesma *in summa cap.4. de sacram. pęnit.* quæ refert Diana *par.3. tract.4. resol.116.* Io: Salas *in manuscriptis de sacram. pænit. quæst.84. art.10.* quem refert & sequitur Cardinalis Lugo *de pęnit. disp.14. sect.3.* ratio est, quia sufficit repetere materiam proximam Sacramenti, nempè confessionem, vt repetatur forma. Aduerto autem non esse necessarium confessarium cognoscere peccatum, quod hodie confiteris esse recens, vel antiquum confessum aliàs, aut non confessum, est enim hæc circumstantia impertinens, non augens, neque minuens peccatum, ita Sanchez *lib.1. summæ cap.10. numer.71.* Suarez *de pęnit. disp.22. sect.9.* Bonacina *de Sacram. disput.5. quæst.5. sect.2. punct.2. diff.4. num.5.* Diana *p.3. tract.4. resol.62. & part.4. tract.3. resol.65.* Lugo *de pęnit. disp.16. sect.2. num.47.*

Aduerto tamen satis reprehensibile esse sine nouo dolore eadem repetere peccata, & nihil noui confiteri, ac repetere absolutionem, videtur enim tunc quædam irrisio Sacramenti, vt docet Vasquez *de pęnit. quæst.91. art.3. dub.7. num.8.* debet ergo conari ad noua confitenda peccata, nouumque dolorem, quod si ex inaduertentia illum non habet, tunc puto validum esse sacramentum, nouamque recipere gratiam, itaque hoc consilium antiqua peccata confitendi aufert omne scrupulum, ne sine dolore accedens, sit inualida confessio.

21 Quintum monitum est, confessionem generalem summa diligentia totius vitæ instituere, & deinceps annualem confessionem generalem certo die agere, hoc vitæ spiritualis fundamentum esse censuit S. Ignatius *in libello exercit. & in constit. Societ. p.4. cap.4. §.5.* alijq; valdè commendant Molina *in instruct. Sacerd. tract.5. cap.5. §.3.* Recupitus *in industrijs bene moriendi tract.1. num.8.* expedit quoque certum stabilemque esse confessarium, eundem, qui confessionem generalem excepit; & vt totam conscientiam perspectam habeat; si quid alijs grauis momenti confessus sit (cum plerumque eidem nequeas quotidie confiteri) ordinario Sacerdoti aperias, sic habetur in declarationibus Constitutionum Inclytę Societ. *part.3. cap.1. lit. Q.* id optimè quoque iuuat ad confessionem quotidianam venialium, præsertim ob dolorem, & tollit omnes scrupulos, adiungendo in fine me accuso de omnibus peccatis, de quibus aliàs tibi confessus sum.

22 Sextum monitum est, quò ad scrupulosos, quorum, vt ait Vasquez *1. 2. disp.67. cap.2. num.8.* duplex est genus. Alij de præsentibus non sunt soliciti, de præteritis sunt omnes scrupuli, isti imposito illis silentio de præteritis, neque repetendo vnquam præterita, frequenter debent ad confessionem accedere, ita Vasquez vbi supra, & Io: Sanchez *disp.31. num.15. & disp.41. nu.14.* Alij præsentium rerum scrupulis torquentur, hi propter scrupulos precisè, non debent admitti ad confessionem, sed per se ipsos acceptis regulis, scrupulis occurrere debent, Salas *1. 2. tract.8. disp. vnica num.191.* Io: Sanch. *disp.31. num.15.* qui in *disp. 41. nu.24.* optimè ait: *Nulla interiora peccata scrupuloso habenda vt talia, nam satis probabile est, non consensisse.* Sed de his vide, quæ scripsi *quæst.2.*

23 Ex dictis patet facilis Responsio ad contraria argumenta, initio allata. Ad tertium tantùm breuiter respondeo, dolorem tam ad mortalia, quàm ad venialia extendi, quando non concipitur ex particulari motiuo, propter turpitudinem, & grauitatem peccati mortalis, sed concipitur ex vniuersali motiuo offensæ Dei summę dilecti, ita omnes præsertim Card. Lugo *de pænit. disput.5. sect.6. n.80. & 81.*

(.·.)

QVÆSTIO VI.

Opiniones aliquot probabiles, ad frequentiores timoratorum scrupulos eradicandos.

Allocutio, & conuersatio.

1 Non debentur, nisi coniunctioribus, neque vllum est peccatum, cessante scandalo, aliquem non
2 alloqui; quamuis antea fuisset amicus, & familiaris; imò in coniunctioribus eam omittere, erit tantùm veniale, nisi adesset graue scandalum, Petrus Lorca 2. 2. *qu.25. art.6. sect.3. disp.25. mem. 3. n.*18. Diana *par.2. tr.15. resol.62.*

3 Inter religiosos probatæ vitæ, qui quotidie celebrant, non est peccatum mortale, negare salutationem, aut collocutionem; non enim hoc est graue scandalum, non enim præsumitur ista ex odio procedere, Valerus *de different. vtriusque Fori verbo remissio differ.2. num.4.*

Allocutio Monialium.

4 Ex paruitate materiæ excusatur ab omni peccato, vt si duret tantùm per quadrantem horæ, vt quotidiana praxis obseruat, & patet ex his quæ dicam infra. Excusatur etiam Religiosus respondens ad propositum sibi casum conscientiæ, habet enim ea allocutio speciem sermonis; excusatur quoque loquens per interpositam personam, Peyrinus *in priuileg. Minimorum tomo 2.Const.6. Pij V. §.10. nu.36.* Diana *par.3. tract.2. resol.48. vers. nota 6. & resol.104. & tract.5. resol.69.*

5 Non peccat, qui ex iusta causa ingressus Monasterium Monialium, per quadrantem horæ, peracto negotio, ibi immoratur causa curiositatis, vt videat officinas &c. Sanchez *lib.6. moral. cap.16. num.69.* Miranda *q.2. de Monial. art.20.* Rodriquez *tom.1. qq. regular. qu.46. art.11.* Diana *p.3. tr.2. resol.51.* Pellizzarius *de Monialibus cap.10. num.244.*

6 Non peccat alloquens Monialem cum licentia, non obseruans conditiones aliquas leuioris momenti, vt si præscribatur certa hora accedendi ad Monasterium; quod assistat Moniales auscultatrices, quod Monialium confessarius intersit, & adsistat: has enim conditiones constat ex experientia, non vbique obseruari Pellizzarius *de Monialibus cap.10. num.20. vers. aduerto 3.* qui *in 4. aduert.* addit neque peccare mortaliter, si accedat in diuerso die.

Ariditas spiritus.

7 Frequens hæc timoratorum tentatio, & cruciatus, atque communis scrupulus, dum timent ne eorum culpa ea eueniat, aut à diuina gratia exciderint; isti consolandi sunt, his considerationibus traditis à Gersone *tract. de remedijs contra pusillanimes, & de consolatione Theologiæ lib.4. prof.4. ac de diuers. Diaboli tentationibus.* Primò considerare oportet spiritualem dulcedinem, neque gratiæ neque peccati signum esse, neque perfectiorem reddere. Secundò spiritualem dulcedinem sæpè vanitatis, atque peccati occasionem esse: sed ex ariditate humilitas profundiores radices aget, & securiùs ambulamus. Tertiò ariditas compellit, ex imo cordis ad Deum clamare. Quartò iuuat considerare plurimos sanctitate celebres in ea ariditate diu Domino seruisse, Deumque feruentissimè amasse: sic S. Teresia duo de viginti annis: S. Clara quadraginta: B. Clara de Monte Pulciano tredecim annis: B. Maria Magdalena de Pazzis quinquennio, imò maiori suæ vitæ tempore, sed & pactum eum Domino inijt, vt nullam ei spiritualem dulcedinem vnquam daret, & cùm semel aliquam consolationem gustasset, mox conquæsta est, inquiens: *Quare Domine initum pactum frangis?*

8 Sed ad horum solatium, operepretium duxi referre, quæ Christus Dominus S. Catharinæ Senensi reuelauit, prout ipsa scribit *in lib. de diuina Prouidentia cap.69.* Primò itaque consideret non dari à Domino consolationem spiritualemque dulcedinem, vt anima ea delectetur, sed vt dantis charitatem, suamque vtilitatem considerans, in eius amore exardescat.

Secundò frustra quæri consolationem ijs medijs, quibus aliquando gustata est, ea enim indigenti animæ diuina bonitas, iuxta suæ sanctissimæ voluntatis beneplacitum elargitur.

Tertiò non ex odio, sed ex amore, amantissimum Dominum, se abscondere, dulcedinemque spiritualem eripere.

Quartò sæpè animam suauissimo spirituali gaudio delectari, neque tamen aduertere, ita prouidente, ac se abscondente Domino; frequenter sibi conturbatam, & afflictam videri, cùm tamen peccatorum contritione, ac scelerum suorum dulci dolore perfundatur.

Quintò oportet animam esse in vtrumque paratam, ac diuinæ voluntati se committere, & consolationis, ac desolationis tempus æquanimiter accipere.

Sextò hæc omnia amantissimus Dominus operatur, vt anima se in humilitate custodiat.

Vide de tota hac materia Patrem Ludouicum Granatensem *tract. de oratione cap.4.* & eandem S. Catharinam in eod. *lib. cap.70.* vbi scribit sic sibi Christum Dominum allocutum,

9 *Quidam ne consolationem, pacem, atque internam quietem amittant, proximo non subueniunt; falsa persuasione decepti, suam spiritualem delectationem, non Deum amantes. Etenim omne, siue vocalis, siue mentalis orationis exercitium ad Dei, ac proximi charitatem ordinatur. Vnde consolationem quærentes, eam perdunt, & dum perdere putant acquirunt. Nam dum proximi charitatem despiciunt, Dei erga ipsos amor minuitur, aufertur quoque consolatio. Quod si proximis subuenirent, spiritualis dulcedo nunquam eis deficeret. Imò eum aliquando, velint, nolint, proximo succurrere eos oporteat, id cum pœna, tædio, & inquiete præstant; credentes Deum offendere, eum nequaquam offendant; quia enim delectationem intendunt, quid Deum offendat, non agnoscunt; si enim nossent, scirent Dei offensam non esse consolationibus priuari, aut in proximorum necessitatibus orationem omittere, sed hanc esse Dei offensam proximi charitatem negligere, qui ex Dei amore diligendus, atque ei seruiendum est. Hæc est ergo deceptio ex proprio spirituali amore.* Ita Christus Dominus reuelauit S. Catharinæ Senensi, prout hæc scribit *libro de diuina prouidentia cap.70.*

Attentio.

Attentio.

10 VT Oratio sit meritoria, & imperatoria non requiritur actualis attentio continua in tota oratione, hoc enim est impossibile, satis est prima illa intentio, seu voluntas, qua accessisti ad orandum, dum tamen de industria in ea diu non diuageris, aut alia facias impedientia attentionem. Triplex autem est attentio in oratione: Prima, qua attenditur *ad verba*, ne orans in eis erret: Secunda, qua attenditur *ad sensum verborum*: Tertia qua attenditur ad finem orationis, nempè *Deum*, & ad rem, pro qua oras, & hæc haberi potest etiam ab idiotis non intelligentibus verba orationis; quarè cum ista attentione simul implere potes præceptum audiendi Missam, ac recitandi Horas Canonicas, ita Caietan. Soto, Medina, Torres, Syluester, & Armilla, quos citat & sequitur Io: de Cruce *pracep.3. art.3. num.2.*

Blasphemiæ tentatio.

11 VExari solent fideles blasphemiæ, & infidelitatis tentationibus, ac scrupulis, quos præ omnibus contemnere par est; cùm enim tentantur, nedum nullatenus peccant; imò magis in fide solidantur, & in hisce tentationibus nullum omninò subest periculum, cùm longissimè absint à consensu, neque debent tentationes istas confiteri, neque si occurrant in oratione ea deserenda, credant certissimè se nullatenus consentire; nequit enim fieri, vt Deum actu honorent, orando, atque simul inhonorent blasphemando; quare contemnant, impossibile enim est illis obuiare ne veniant; sicut ventus currens impediri non potest, aliquando poteris caput inclinare dicens: *Deum meum adoro, & paratus sum pro eius fide mori*; cæterum spernat, Diabolus enim spretus tentare desistit, Granado 1. 2. *tract.12. disp.5. nu.8.* latè, & doctè Io: Sanchez *disp.41. num.28.* Rodriquez *qq. regular. tomo 3. q.66. art.3. dub.4. & tomo 2. summa cap.53.* Portel *verbo scrupulus num.7.*

12 Caueat autem disputare cum ijs, sic enim tentationis rabies magis refricatur, & accenditur S. Bonauentura *de profectu Religiosorum cap.3.* id præsertim in morte periculosum est. Vide tremendum exemplum apud Petrum Barocium Episcopum Patauinum *lib.2. de ratione benè moriendi*, quod refert Bellarminus *opusc. de arte benè moriendi lib.2. cap.9.* Inimici versutiam deludat dicens: *Credo quod credit Ecclesia: Et Ecclesia credit, quod ego credo.*

Clausura.

13 NOn incurrit excommunicationem Monialis, aut alius stans in ostio, Sanchez *lib.6. summa c.16. num.70.*

14 Nec si Monialis cum vno pede stet extra clausuram, sed cum maiore parte corporis esset intra clausuram, Texeda *controuers. to.1. lib.2. tract.1. controu.14. dub.1. num.9.*

15 Nec si per vnum, aut alterum palmum esset extra clausuram, sed breuissimo tempore; nam ob paruitatem materiæ excusatur ab excommunicatione, Merolla *to.1. disp.1. diff.7. num.502.* Grassius *par.1. decis. lib.4. c.23. num.25.* Diana *par.5. tr.5. resol.22.*

Confessio, & Confessarius.

16 SEmel cum mediocri diligentia instituta confessione omnium peccatorum, cùm menti noua peccata occurrunt, quæ non recordatur se confessum, iterùm confitenda non sunt, ita docent omnes Io: Gerson *par.4. operum tract. contra scrupulosam conscientiam*, vbi consulit, vt obliuioni detur tempus præteritum, nisi in generali ad petendum à Deo veniam per generalem contritionem, vt dicendo *ba&enùs Domine tempus meum perdidi per vitam malam, & dissolutam; tibi aliud reddere nequeo, nisi cor contritum, & humiliatum: Scio Domine nunquam me facere posse confessionem, sicut oportet, nouisti tamen cor meum, & desiderium meum, quod mibi inspirasti, nihil me celare velle, sed cum confessor meus sufficienter se de vita mea informatum existimet, sufficiat tibi Domine; vt enim obedirem consilio tuo, oblitus sum temporis elapsi, ad melius ambulandum deinceps in tuo seruitio.* Hæc Ioannes Gerson, & Caietanus *in summa verbo scrupulus*, ait: *Scrupulosi in confessionibus multiplicandis cogitent se validè esse confessos, quando eis clarè non occurrit error manifestus, & credant tales timores non ab aliquo errore, sed à morbo, & melancholia prouenire.* Ita Caietanus, eadem docent Emanuel Sà *V. dubium num.5.* Sanchez *lib.1. summa cap.10. num.85.* Qui scribunt, *Quod scrupulosus non confiteatur, nisi iurare audeat fuisse peccata mortalia, & nunquam confessa.* Nauarrus *in man. cap.21. num.42.* Reginaldus *de prudentia confessarij cap.1. numer.10. & 17.* Sayrus *in Claui Regia lib.1. cap.14.* Rodriquez *qq. regularium tom.3. q.66. art.3. dub.1. & in summa tomo 2. cap.53.* Io: Sanchez *in selectis disp.41. num.17. & 18.* Pesantius 1. 2. *q.19. art.6. disp.11. reg.a.* Granado 1. 2. *tract.12. disp.5. numer.8.* Layman *lib.1. cap.6.* Henriquez *lib.5. cap.3. numer.4.* Suarez 1. 2. *tract.3. disp.12. sect.vlt. in fine.* Pater Ludouicus Granatensis *tract. de oratione, ac deuotione c.3. par.3.* Hæc communis omnium doctrina rationibus probatur.

17

Primò, quia expressè recordari se tale, aut tale peccatum fuisse confessum, est moraliter impossibile.

Secundò, quia quamuis aliqua peccata in particulari confessus non sit, tamen plerumque reuera in aliorum peccatorum collectione sacerdoti manifestata, confessus est, v. g. quis confessus est hoc anno per singulos menses decies fornicatum, blasphemasse, peierasse; cum deinde menti occurrit fornicatio cum Antonia, ea confitenda non est, quia in illa collectione iam confessa est.

18 Tertiò, quia quamuis aliquis nullatenus esset scrupulosus, tamen post mediocrem diligentiam adhibitam in discussione conscientiæ, in ordine ad confessionem, non tenetur vlteriùs de ante acta vita cogitare; quod si aliquid occurrat non explicatum in confessione, poterit sibi persuadere, illud fuisse reuera confessum, sed nunc confessionis non recordari, Eman. Sà *V. confessio nu.42.* Sanchez *in sum. lib.1. cap.10. num.86.* Rodriquez *to.3. qq. regular. q.66. art.3. in princ.* Io: Sanchez *disput.41. num.18.* ergo à fortiori debet id sibi persuadere is, qui scrupulosus est.

19 Quartò, quia quod est dubium in conscientia scrupulosi, apud alium non scrupulosum, esset moraliter certum, ita Layman *lib.1. tr.1. cap.6. vers.6.*

20 Quintò, quia esto reuera non esset peccatum illud nulla-

nullatenus confeſſus, tamen is, qui ſcrupuloſus eſt non obligatur ad confitendum; nam ſcrupuloſus non poteſt confiteri niſi cum graui damno, & incommodo hærendi in perpetua anxietate in procuranda integritate confeſſionis: at quis excuſatur ab integritate confeſſionis ob longè minus incommodum; ergo etiam excuſandus eſt ſcrupuloſus, ita præclarè docuit Coninchius *diſp.7. de pænit. num.*68. Layman *dicto cap.6.*

21 Sextò, quia perſuadere ſibi debet penitens, præſertim ſcrupuloſus, quod ſi de conſilio confeſſarij omittat confiteri aliqua, quæ dubitat eſſe peccata, aut dubitat re ipſa confeſſum, ea reuera ipſi remittuntur Indirectè per abſolutionem ſacramentalem, etiam ſi verè eſſent peccata grauia; dummodò generaliter de illis doleat; ideòque non eſt opus, vt ea iterùm confiteatur; ea enim remiſſa ſunt indirectè, non ſecus ac per abſolutionem remittuntur peccata inculpabiliter oblita, quarè tutus eſt; ita Pellizzarius *tract. de Monialibus cap.*10. *num.*204.

22 Notandum præterea, quòd qui confeſſus eſt peccatum, tanquam dubium, ſi deinde recordetur certiſſimè illud commiſiſſe, non tenetur iterùm vt certum fateri, ita Lugo *de pęnit. diſp.*16. *nu.*77. Breſſetus *de conſcient. lib.*4. *cap.*18.*num.*197. Pellizzarius *tract. de Monialibus cap.*10. *num.*198.

23 Qui confeſſus eſt ſe decies circiter ſornicatum, comperiens deinde fuiſſe vigeſies, non tenetur iterùm confiteri, Viualdus *in candelabro aureo tit.*7. §. *ſed dixi n.*3.

24 Eodem impetu pluries blaſphemans, peierans, iniurians, non tenetur explicare, niſi tanquam vnum peccatum blaſphemiæ, aut periurij, Zanardus *par.*2. *prac.* 1. *cap.*10. Diana *par.*1. *tract.*7. *reſol.*51. *&* *par.*3. *tr.*4. *reſol.*163.

25. In vnico actu vnica eſt numero malitia moralis, quãuis ſint plura numero obiecta, vt ſi quis cogitet ſimul cum decem fornicari, aut decem homines occidere, aut coram decem turpia loquatur eos ſcandalizans, Suarez *de pænit. diſp.*22. *ſect.*5. *num.*35.

26 Quando peccatum ex natura ſua non poteſt, niſi à duobus committi, vt adulterium, ſornicatio, non eſt explicanda inductio ad peccatum, ita Vaſquez 3.*p. tom.*4. *q.*91. *art.*1. *dub.*4. & probabilem putant Meratius *to.* 3. *de pęnit. diſp.*27. *ſect.*4. *num.*8. Diana *par.*5. *tract.*13. *reſol.*5.

27 Si pęnitens credat ſe non auditum à confeſſario, quia credit dormitaſſe, aut ad alia fuiſſe diſtractum; ſi id certò non ſciat non tenetur repetere confeſſionem; quia validè fuit abſolutus; verùm ſi poſtea certò cognoſcat vnum, aut duo peccata confeſſarium non audiſſe, hæc tantùm duo tenetur iterùm confiteri, Henriquez *lib.*5. *cap.*14. *num.*5. Layman *lib.*5. *tract.*6. *cap.*9. Mercerus 3.*par. quæſt.*9. *art.*1. Diana *par.*3. *tract.*4. *reſol.*109. *&* *par.*4. *tract.*4. *reſol.*198.

28 Sed ſi de omnibus dubitare poteſt, an audierit, vt contingit in breui confeſſione, tunc debet repetere totam confeſſionem; verùm ſi dubitat aliqua peccata non audita, neſcit tamen determinare, quæ non ſunt audita, tunc nullum peccatum tenetur iterùm confiteri; ita ex Card. Lugo *de pęnit. diſp.*16. *num.*609. Pellizzarius *de Monialibus cap.*10. *num.*207.

29 Non requiritur quod confeſſarius de omnibus, quæ audit à pęnitente, indicet an ſint mortalia, grauia, vel leuia; imò neque an ſint, vel non ſint peccata, ſed de communibus; reliqua verò audiat, & intelligat, ac poſtea abſoluat, cum debita intentione. Ita Cardin. Lugo *de pęnitentia diſp.*21. *ſect.*4. *num.*71.

30 Hinc rectè poſt Cordubam docuit Sanchez *li.*1. *ſumma cap.*10. *num.*69. non eſſe iterùm confitendum peccatum, quod quis integrè confeſſus eſt, dubitans tamen vna cum confeſſario, illud eſſe mortale, etiam ſi poſtea alteruter doctior factus, aut alijs conſultis, agnoſcat illud fuiſſe mortale; nam in confeſſione facta peccatum plenè fuit detectum, nec noua circumſtantia explicanda occurrit, & alioqui non eſt neceſſarium pęnitentem, aut confeſſarium ſcire determinatè peccatum eſſe mortale; ſiquidem in omnibus id ſcire eſt impoſſibile, Pellizzarius
31 *tract. de Monialibus cap.*10. *num.*204. *verſ. quod ſi quæras*, vbi ex hac eadem ratione optimè docet quod confitens ſuum peccatum cum omnibus circumſtantijs neceſſarijs, non tenetur illud iterùm confiteri, ſi ei conſtet confeſſarium ex falſa apprehenſione fundata in natura ſcrupuloſa ipſius pęnitentis, putaſſe peccatum illud non eſſe mortale, cum verè eſſet, & id certò ſciat etiam pęnitens.

32 Qui bona fide confitetur ignoranti, quem poſtea nouit neſciſſe diſtinguere inter mortalia, & venialia, vel reſeruata, non eſt cogendus iterare confeſſionem, quia ille potuit, & voluit benè dipoſitum abſoluere, quamuis defecerit in prudentia circa medicinam, & ſatisfactionem imponendam, Syluest. *V.confeſſio* 1. §.3. Henriquez *lib.*5. *cap.* 14. *num.*5.

33 Si pęnitens nunquam in præteritis confeſſionibus numerum peccatum expreſſit, prout ruſticus, cum rudi Parocho confitetur, non eſt inquietandus ab alio ſacerdote, ſed in ſua bona fide relinquendus, Marchantius *tr.*5. *de pęnit. cap.*3. *q.*3. Diana *par.*3. *tract.*4. *reſol.*98. *&* *par.*5. *tract.*13. *reſol.*84.

34 Quando præcedens confeſſio fuit valida, ſi confeſſarius aduertit aliquem errorem ſe commiſiſſe; quia vel non interrogauit de aliqua circumſtantia mutante ſpeciem, vel numerum, vel abſoluit inter non reſeruata, aliquod peccatum reſeruatum, non tenetur monere pęnitentem de errore commiſſo. Ratio eſt, quia non tenetur ad monendum neque ex officio; cum ſtatim, data abſolutione, finitum ſit eius officium; neque ex charitate, quia cum valida ſit confeſſio, nullum prouenit damnum: ſecus autem eſt ſi confeſſio eſſet inualida, vt quia vnicum peccatum ſibi confeſſum, & reſeruatum nulliter abſoluit; vel quia remanet pęnitens cum excommunicatione reſeruata, vel aliquod aliud damnum ipſi pęnitenti, vel tertiæ perſonæ ex illo errore timetur, vt ſi non obligauit ad reſtituendum. Reginaldus *lib.*8. *cap.*3. *numer.*31. Filliucius *tomo* 1. *tract.*3. *cap.*12. *nu.*373. Diana *par.*2. *tract.*15. *reſol.*7. tenetur autem monere cum ſuo incommodo, immò etiam cum damno, ſi mortaliter peccauit in non admonendo: at ſi nullo modo peccauit, propter inaduertentiam, vel venialiter tantùm, tunc non tenetur cum graui ſuo incommodo errorem corrigere, Card. Lugo *de pęnit. diſp.*22. *ſect.*3. *per totam*, qui alios citat Pellizzarius *de Monialibus cap.* 10. *num.*199.

35 Quando confeſſio inualida reiteranda eſt cum eodem Sacerdote, tunc ſufficit pęnitentem ſe accuſare in generali de omnibus peccatis ipſi ſacerdoti confeſſis, & de ſacrilegio admiſſo in illa inualida confeſſione, & tunc ſacerdos validè, & licitè abſoluit quamuis neque in confuſo peccatorum, neque pęnitentiæ impoſitæ nullatenus recordetur, Granado 3. *p. de ſacram. contro.*7. *tract.*9. *diſp.*12.

disp.12. numer.5. Diana *part.5. tract.14. resol.51.*

36 Extra confessionem, & etiam post longum tempus potest idem Confessarius datam pœnitentiam commutare, vel minuere, Card. Lugo *de pænit. disp.25. sect.6. numer.112.*

37 Si dubitet Confessarius, an signa moribundi sint ex contritione interna, vel ex mortis angustia, absoluat sub conditione, Io: Sanchez *disp.44. num.35.* Diana *par.3. tr.3. resol.3.*

38 Ne trepidet Sacerdos absoluere à quibuscumque casibus, & censuris reseruatis à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, Io: Sanchez *disp.12. numer.5.* Diana *par.3. tr.4. res.57. & par.5. tract.3. resol.69.*

39 Confessio omnium venialium vitanda est scrupuloso, si inde inquietetur, sed tantùm grauiora dicat; alioquin maius est inde damnum, quàm emolumentum, & contingit sicut in recentis lateris lotione, plus enim luti, & sordium abluendo contrahes, Rodriquez *qq. regular. tomo 3. q.66. art.3. dub.2.*

40 Præterea qui scrupulosus, ac pusillanimis est, debet diligenter per se, vel per alios inquirere quid ex suis ordinarijs actionibus sibi cauendum sit sub mortali, qua de re moralem certitudinem habeat, & id sollicitè caueat, & emendare curet; de venialibus autem non sit multum sollicitus, neque in speciali confiteatur; nisi grauiora venialia, ita Gerson *de diuersis Diaboli tentationibus in fine*, & Rodriquez *qq. regul. tom.3. qu.66. art.3. dub.5.*

41 Quando aliter nequit peccatum explicari, nisi manifestato complice, licitè manifestatur, neque teneris cum incommodo alium quærere confessarium, Vasquez *3. p. tomo 4. q.91. art.2. dub.3. num.28.* Toletus *lib.3. cap.8. num.4.* Reginaldus *lib.6. num.156.* Coninch. *de sacram. disp.7. dub.9. num.89.* Eman. Sà *Verbo confessio nu.18.*

42 Imò probabiliter multi docent ex consilio tantùm teneri pœnitentem quærere alium confessarium, qui non cognoscat complicem, Fagundez *præc.2. lib.5. capit.1. num.3.* Diana *par.6. tract.7. resol.9.*

43 Qui se exponit periculo peccati, si deinde peccauit, non tenetur periculum explicare, nisi inter periculum, & peccatum notabilis mora intercessisset, Sanchez *in sum. lib.1. cap.8. num.4.* Diana *par.1. tract.7. resol.44.*

44 Quando numerus peccatorum cognosci non potest, sufficit explicare tempus, vt in prauis cogitationibus Diana *par.3. tr.4. resol.89.*

45 De viro timorato, qui prauis cogitationibus vexatur, quomodo debeat confiteri, sic scribit Io: Gerson *par.4. operum tract. contra scrupulosam conscientiam vers.6. Contingit, inquit, sæpissimè, quod quis sentit in se, & cognoscit tales esse cogitationes diu permanentes, sed non consentit, quia displicent, & eis resistitur desideraturque quod cessent. Et supposito, quod non possint expelli, quin citò alia redeant, non tamen voluntariè acceptantur, nec opus est illas confiteri, nisi in generali, & conditionaliter, dicendo: Habui varias cogitationes, & motus carnalitatis, vel vanagloria, vel vindictæ, vel odij, & timeo ne tantopere restiterim, & tam citò sicut debuissem: hoc ego confi-*

46 *teor.* Ita Io: Gerson. Aduerte autem quòd delectatio morosa est venialis ex defectu plenæ deliberationis, nam tunc est paruitas materiæ, dupliciter autem deficit plena aduertentia: Primò si non plenè aduertis grauitatem peccati: Secundò estò plenè aduertas grauitatem peccati, tamen non plenè deliberas consentire, sed vis dissentire, at tepidè resistis, Io: della Cruz *in directorio præcep.6. art.9. num.2.*

47 Hinc est quod quando voluntas, neque positiuè consentit, neq; positiuè dissentit, non est peccatum mortale, Caietanus *V. delectatio*, Diana *p.2. tr.17. resol.33.*

48 In confessione mentiri in ijs, quæ non sunt materia necessaria, non est peccatum mortale. Reginaldus *tomo 2. lib.24. cap.2. sect.4. num.44.*

49 Rudes fœminæ, aut rustici si inueniantur minus benè suam examinasse conscientiam, aut præteritas confessiones inualidas fuisse, vnde indigent generali confessione; non sunt dimittendæ vt se examinent, & redeant, quia de ijs præsumitur, quod licèt millies se examinent, non fore magis aptos, quàm si à confessario breuiter interrogentur, ac examinentur. Vasquez *3. p. qu.93. art.3. dub.7. n.5.* Card. Lugo *de pænit. disp.16. n.593.* Pellizzarius *de Monialibus c.10. n.197.* qui tamen aduertit de Moniali, aut alio viro prudenti, ac viuidioris ingenij, dimitti debere, vt se examinet, ac redeat.

50 Examen, ac interrogatio Confessarij debet esse prudens, ita vt moraliter, & humano modo non metaphisicè examinet, vt sacramentum non reddatur onerosum, sed sit facile remedium debili hominum conditioni accomodatū. Quare debet se accomodare penitenti, & notitiā peccatorum à singulis exquirere iuxta ipsorum capacitatem, crassiorem à crassioribus, breuiorem ab infirmioribus, & minus exactam ab eo, qui plura habet peccata, quàm qui pauciora; & ratio est, quia cùm sacramentum pœnitentiæ requirat solum diligentiam moralem, ac examen humanum, & hoc sit illud quod non gignit ex se fastidium, ac tędium sacramenti, sequitur minus distinctam notitiam requirendam esse ab illo, qui ratione incapacitatis, aut morbi aut multitudinis peccatorum, aut alia de causa difficilius potest exactiorem reddere rationem, Cardin. Lugo *de pænit. disp. 16. n.594.* Pellizzarius *tract. de Monialibus c.10. n.198.*

51 Probabile est confessarium non teneri ad faciendam aliquam interrogationem pœnitenti, quem scit debitè, & rectè examinasse suam conscientiam; quamuis dubitet an ex inaduertentia taceat aliquod peccatum, vel circumstantiam; Ratio est, quia hoc munus est pœnitentis, qui est sui accusator, & restis, & ipse Iudex non tenetur interrogare de delicto, de quo sibi non constat, ita Medina *Cod. de confessione q. de confessione dimidiata iteranda*, & probabile putant Vasquez *3. p. q.93. art.3. dub.7. n.2.* & Pellizzarius *tr. de Monialibus c.10. n.201.* quamuis probabilior, & communis sit opposita sententia, quam sequitur Suarez *disp.32. de pænit. sect.3. n.7.*

52 Si Confessarius præsumat confitentem ob infirmitatem, vel spiritus te porem non impleturum congruam pœnitentiam, debet ei iniungere, eam quam libenter admittet, etiam si esset *vnum Pater, & Aue*, aliudue modicum; addito quod alia bona quæ fecerit, aut mala, quæ pertulerit patienter, offerat Deo, in debitam peccatorum suorum satisfactionem. Ratio est, quia Confessarius est index, & medicus, & vt medicus debet attendere ad debilitatem infirmi, Henriquez *lib.5. cap.20. §.5. lit.Q.* Reginaldus *lib.7. num.37.* Pellizzarius *de Monialibus cap.10. num.208.* Possceuinus *de officio Curati cap.7. num.59.*

Con-

Conscientia erronea.

53 Tunc agens contra conscientiam erroneam peccat, quando est moraliter liber ad peccandum, & non peccandum; qualis non est qui dubitat vtri præcepto parere teneatur, & quicquid agat putat se peccare, vt deserendo moribundum, & omittendo missam, vnde tunc quicquid agat non peccat, Sanchez *in Summa lib.1. c.11. n.13. & 14.* Rodriquez *in sum. tom.2. c.51. n.6.* Io: Sanchez *disp.41. n.27.*

Correctio fraterna.

54 Non teneris ad correctionem in sequentibus casibus: Primò quando tibi certum non est crimen proximi: Secundò quando omninò præteritum est, cuius nullum periculum reincidentiæ imminet Soto *relect. de tegendo secreto mem.2. qu.2.* Bannes *2. 2. qu.33. art.2.* Io: de la Cruz *in direct. in 5. præcep. q.2. art.2. n.1. in fine*: Tertiò quando probabiliter non speratur emendatio, Caiet. *V. Correctio*: Quartò quando absque correctione tua, adhuc probabiliter speratur emendatio: Quintò quando non est locus, aut tempus opportunum corrigendi, non enim statim teneris corrigere, Suarez *de pænit. disp.5. sect.5. §.huius autem responsionis, & §.hanc autem*: Sextò quando nequis corrigere sine graui tuo incommodo, Beccanus *p.2. c.21. n.26.* Valentia *to.3. disp.3. qu.10. punct.2.* Septimò, debet esse peccatum mortale, non autem veniale. Vide latè Dianã *tr. de correctione fraterna in 7. parte resol.5. 6. 11. 18. 19. 21. 22. & 26.* Cùm autem istæ circumstantiæ rarò omnes concurrant: rarò item euenit, quod præceptum correctionis obliget, præsertim homines vulgares, ac minoris authoritatis, vt ait Valentia *to.3. disp.3. q.10. punct.2.* & confirmat Granado *2. 2. tract.12. disp.1. controu.3. num.6.* monens non facilè credendum esse, timoratos præsertim viros peccare mortaliter, ob omissionem correctionis fraternæ.

55 Quamuis aliquis teneatur ad correctionem, tamen excusatur à peccato mortali, si ex verecundia, timore, tepiditate, negligentia, aut simili causa non corrigat, venialiter tunc peccat; dummodò ita sit paratus, vt si probabiliter crederet ex sua correctione fratrem emendandum omnia postponeret charitati fraternæ; Ratio est, quia præcepta charitatis non ita strictè obligant; adeòque minora incommoda excusant, ac præcepta iustitiæ, S. Thomas *2.2. q.33. art.2. ad 3.* Io: à Cruce *in Directorio præc.5. q.2. art.2. n.4. concl.2.* Layman *l.2. tr.3. c.7. n.3.* Castro Palaus *to.1. tr.6. disp.3. pun.6. n.1. & 2.* Granado *2.2. tr.12. disp.1. controu.3. n.6.*

56 Hinc est, quod homo priuatus omittens correctionem ex negligentia, rarò peccat mortaliter, peccabit autem tantùm venialiter, Eman. Sà *V. correctio numer.2.* Diana *par.7. tr.3. resol.61.*

57 Non tenetur Dominus eijcere famulum, qui concubinam extra domum habet, neque tenetur auferre cibos, ne frangat ieiunium, Villalobos *tomo 2. tract.4. diffic.6. num.5.*

58 Peccata carnis, quia tendunt in commune damnum Religionis, possunt absque præuia correctione denunciare Prælato, tanquam Iudici, Caspensis *in cursu Theologico tom.2. tr.27. disp.6. sect.4. num.39.* Vel tanquam Patri Mendozza *in 2.2. vol.2. disp.163. sect.5. §.237.*

59 Quamuis superior Monasterij peccet mortaliter, si permittat frequenter violari regulas ordinis, etiam si istę ad veniale obligarent, imò ad nullam culpam; Ratio est, quia superior ex officio tenetur procurare bonum progressum religionis, qui ex dicta permissione non modicum damnum pateretur, Sanchez *lib.1. summa c.6. n.19.* Naldus *verbo Prælatus num.11.* qui benè aduertit mirum non esse, superiores in isto casu peccare mortaliter, cùm subditi, vel nullatenus peccent in violatione regularum, vel tantùm venialiter: Nam etiam custos vineæ si videns ingredientes vineam seorsim, vt singuli racemum vnum, aut alium asportent, & non impediat (cùm ex officio teneatur impedire) mortaliter peccat, ob damnum notabile illatum vineæ; ijs solùm venialiter peccantibus; sic etiam euenit in casu nostro, vt consideranti constabit. Tamen superior plerumque excusatur à peccato si non corrigat subditos, siue ob inaduertentiam, siue ex bona fide, siue quia non speret fructum ex admonitione, imò timet maiora mala inde euentura Pellizzarius *de Monialibus cap.6. num.32. vers. obligatio.*

Debitum coniugale.

60 Non est peccatum in aliquibus casibus denegare debitum coniugale. Primò quando blanditijs petitur absque præcisa intentione, vt reddatur, nisi aduertat, ita peti ex verecundia, reuera tamen præcisè vult reddi, quod contingit in vxore. Secundò, quando rarò denegatur, vt si petenti quater in mense, semel denegatur; nisi aduertat periculum incontinentiæ, vt pollutionis extra vas. Tertiò, si ad breue tempus differatur, vt si petatur mane, reddatur serò; nisi periculum incontinentiæ aduertat. Quartò, quando petens facilè desistit cùm rogatur Hurtadus *de matrim. disp.10. diff.11.* Ochagauia *de sacram. tr.5. de matrim. q.1. num.6.* Diana *par.5. tr.14. resol.36.*

61 Variare situm in copula, sine vlla causa est veniale, cùm causa nullum est peccatum, dummodo seruetur debitum vas. Pontius *de matrim. lib.10. c.11. n.3.* *Diana par.1. tr.7. resol.35. & par.2. tr.15. resol.64.*

62 Copulam coniugalem habere eodem die post communionem, nullum est peccatum, Sanchez *de matrim. lib.9. disp.13. nu.17.* Reginaldus *tomo 2. lib.29. c.7. q.7. num.117.* Diana *par.6. tr.6. resol.14.*

63 Quando autem possit vxor communicare, si eodem die, aut pridie eius diei, viro debitum reddidit; optimè tradit Layman *lib.5. tr.4. cap.6. nu.15.* vbi sic ait: *Primò si mulier frequenter communicare soleat, v.g. omnibus diebus dominicis, aut festis, tum confessarius respondeat, eam obligari ad reddendum; alioquin periculum esse ne mortaliter peccet; tum contra Iustitiam, si marito seriò, & constanter petenti neget,* teste Sanchez *lib.9. disp.2. num.16. iuncta disp.13. nu.9.* Suarez *3. part. to.3. disp.68. sect.2. ad finem; tum contra charitatem ratione scandali: quia exinde rixæ, & odium conciliantur, & interdum maritus ea occasione frequentem vxoris communionem auersari solet, non sine Sacramenti irreuerentia. Nihilominus tamen mulier communicare poterit, & si compulsa necessitate debitum marito reddiderit; quia impleuit opus bonum, & ex Iustitia debitum: Si tamen ob mentis euagationem indispositam se sentiat, consulendum ipsi erit, vt intermittat; nisi iusta ratione cogatur. Secundò si mulier*

lier non frequenter communicat, ſed in præcipuis feſtiuitatibus; tunc reſpondeat confeſſarius, quod maritum commonere, & rogare poſſit, vt abſtineat in honorem feſtiuitatis, aut ſacræ ſuæ communionis; niſi ex tali commonitione mariti iram, aut offenſionem incurrere debeat: tunc autem ſi admonere facilè non poſſit, vel monendo nihil proficiat, debitum reddendum eſt petenti: atque nihilominus ad Eucharistiam accedere poterit, ſi animi diſtractionem, & indiſpoſitionem inſolitam non patiatur; vel etiam ſi patiatur, tamen ſine nota aliqua ſacram communionem intermittere non poſſit. Hæc Layman, & Io: à Cruz *in directorio par.2. de Euchariſt. q.5. num.5.*

Deſiderium prauum.

64 Deſiderare mortem propinqui, non ex odio, neque quia ipſius malum, ſed ob hæreditatem, non eſt peccatum mortale, Caſtro Palaus *tom.1. tr.6. diſp.4. punct.1. nu.11.* Azorius *par.1. lib.3. cap.12. q.2.* Eman. Sà *V. charitas num.8.* Io: Sanchez *diſp.2. num.9.* Paſqualigus *deciſ.474.*

65 Licitum eſt matri deſiderare mortem filiarum, non ex odio, ſed quia ob paupertatem, vel deformitatem nequeunt nubere iuxta ipſarum ſtatum, Azorius *tom.1. libr.3. cap.12. q.2.*

66 Licitum eſt deſiderare ſibi, vel proximo mortem, à Deo tamen infligendam, ad vitandam grauem infirmitatem, mendicitatem, aut ſimile incommodum, Io: Sanchez *diſp.2. n.9.* Granado *2.2. controu.3. tract.6. diſp.2. ſect.4. num.22.* Diana *par.5. tract.14. reſol.92.*

67 Si legitimus Rex cum multorum ruina Rempublicam adminiſtrat fas eſt boni communis cauſa, ſimplici affectu optare, vt moriatur, aut eo mortuo gaudere, Layman *lib.3. ſect.4. num.17. verſ. notandum ſecundo.*

Detractio.

68 Detractorem audiens, aut non corrigens, vel non reſiſtens excuſatur in ſequentibus caſibus. Primò quando non eſt certum id, quod dicitur eſſe mortale, aut infamans. Secundò quando audiens magnum damnum proximi non aduertit. Tertiò quando non eſt certum peccatum, quod narratur eſſe occultum; poteſt enim audiens præſumere eſſe publicum, non enim audiens debet malè iudicare de proximo, quaſi hic dicat ea, quæ licitè non poteſt, vnde faceret illi iniuriam reſiſtendo, aut corrigendo, debet itaque audiens eſſe certus, quod detrahens peccat mortaliter, vt teneatur corrigere; aut reſiſtere, Bonacina *de contract. diſp.2. qu.4. punct.11. num.8.* Rebellius *par.1. lib.4. quæſt.6. num.8.* Reginaldus *lib.24. numer.95.* Faber *in 4. ſent. de reſtit. diſt.15. quæſt.3. diſp.53. cap.3. num.127.* Diana *par.2. tract.17. reſol.24. par.3. tract.5. reſol.35. par.4. tract.4. reſol.228.* Card. Lugo *de iuſtit. diſp.14. num.228.* vbi ait: quod in hoc ſæpè falluntur ſcrupuloſi, qui ſtatim ac audiunt aliquid contra proximum, putant eſſe detractionem grauem, & debere impedire. Quartò ſi neque inducat ad detrahendum, neque approbet detractionem hilari vultu, neque de ea delectetur; non autem reſiſtit, aut non corrigit ex verecundia, dummodò moleſtia ruboris, ac verecundiæ magna ſit, & aliunde damnum ex detractione proximo imminens non ſit ingens, ac grauiſſimum vt mortis, aut ſimile, Soto *lib.5. de iuſtit. q.10. art.4.* Sanchez *lib.1. conſil. cap.3. dub.7.* Card. Lugo *de iuſt. diſp.14. num.129.* Quintò non peccat ſi detrahens ſit perſona grauis, aut timet aliquod damnum reſiſtendo, aut ſe nihil proficere putet reſiſtendo, vel corrigendo, his caſibus ſufficit non induxiſſe ad detrahendum; neque detractionem approbare; neque de ea delectari, Tannerus *2.2. diſput.4. quæſt.8. dub.7. num.151.* Sextò non peccat audiens, non corrigendo, quando detrahens eſt aliàs vir prudens, vel ab alio creditur corrigendus. Septimò non peccat non corrigens, quando timet notabile damnum, vt cum detrahens eſt perſona illuſtris, & opponens ſe ei, eſt ſeruus, vel alia perſona abiecta, Reginaldus *lib.24. num.95. in fine.* Octauò quando expectat tempus magis opportunum pro correctione Granado *2.2. controu.3. tract.12. diſput.1. nu.6.7.8. & 9.* Nonò non peccat mortaliter neque audiens, neque ipſemet detrahens, ſi dicatur crimen proximi coram vno, vel duobus viris prudentibus, & taciturnis ſub ſecretò, non enim cenſetur hæc grauis læſio famæ, Caietanus *2.2. quæſt.73. art.2.* qui ex hoc excuſat parentes inuicem reuelantes crimina filiorum, Bauny *tr.4. qu.15. dub.8.* probabile eſſe docet Io: de la Cruz *in direct. p.1. præc.8. quæſt.2. art.2. num.2.* Diana *par.3. tract.5. reſol.33. par.2. tract.17. reſol.22. par.6. tract.7. reſol.9.* Cardinalis Lugo *de Iuſtitia diſput.14. numer.128.* Decimò excuſatur à peccato audiens detractorem ex neceſſitate, aut pietate Io: de la Cruz vbi ſuprà. Vndecimò venialiter tantùm peccat, qui audit detrahentem, quem poſſet impedire, ſed ex negligentia non impedit ſine vllo affectu malo, aut cooperatione ad malum, aut etiam qui malo ex detractione ſequuto non obuiat, veritatem aperiendo, ſi falſum ſit id, de quo infamatus eſt proximus. Reginaldus *lib.24. num.95. verſ.3. propoſitio.* Duodecimò non peccat, quando id quod dicitur, facile reparari poteſt ab ipſo audiente, oſtendendo eius falſitatem. Lugo de Iuſtitia *diſput.14. numer.128. verſ. deinde*, qui addit ſequentes caſus. Decimotertiò *non peccat auditor, quando incepta ſemel detractione, melius conſulitur proximo permittendo detractionem progredi, quàm illam ſtatim impediendo: remanent enim auditores cum illa notitia confuſa de grauitate rei, quæ dici cœperat, & fortaſſe concipiunt in genere aliquid grauius; quod ſi rem totam diſtinctè audiſſent, aduerterent non eſſe tam ita grauem, prout prius in confuſo conceperant*, ita Lugo loco citato. *Decimoquartò non peccat audiens detrahentem, quando non poteſt ſe illi opponere ſine graui eius offenſione, qui ægrè fert corrigi in publico, & redargui, quaſi iniuſtè famam proximi inuaderet*, ita Lugo. *Decimoquintò nec peccat auditor, quando contingit detrahentem habere iuſtam cauſam rem manifeſtandi, quia id facit, vel vt conſilium petat, vel vt te vtiliter moneat, vel vt dolorem ſuum ex iniuria illata iuſtè leniat.* Ita Lugo, qui dicta *diſput.14. numer.129.* pro ſcrupuloſis ſic ſcribit. *Decimoſextò damnum, ex quo non teneris detrahentem impedire, aut corrigere in ſcrupuloſis latiùs multo interpretandum communiter eſt: quia ipſi ex hac obligatione impediendi detractiones longè grauius detrimentum ſubeunt quam alij. Tum quia propter ſcrupulos neſciunt in praxi diſcernere caſus, in quibus habent obligationem impediendi, ab ijs, in quibus non habent, atque adeo imponunt ſibi grauiſſimum onus, nempè procurandi impedire, quoties conſcientia ſcrupuloſa vrget ad impediendum. Tum quia etiam quando reuera eſſet talis obligatio pro alijs, ipſi*

tamen

tamen cum scrupulosi existimentur, putantur facere ex scrupulo, & faciliùs despiciuntur, & coguntur maiorem alijs ruborem, & molestiam subire: quare ij rarissimè tenentur sub mortali ad consulendum famæ proximi cum tanto suo incommodo, & molestia. Hæc Card. Lugo, qui in dicta *disput.14. de iustit.numer.128.* rectè infert obligationem impediendi, sub peccato graui, detractionem, raram esse, inter æquales, rarissimam in inferiori respectu personæ superioris.

69 Curiositas audientis, aut inquirentis alterius defectum, aut optantis certificari, nisi intercedat circumstantia infamiæ proximi, est solum veniale peccatum, Io: à Cruz *præcep.8. quæst.2. art.2. in fine.*

70 Detractio ex lapsu linguæ, & sic ex defectu plenæ deliberationis, & aduertentiæ est venialis, Io: à Cruz *in direct. par.1. præc.8. quæst.2. art.2. num.1.*

71 Detractio generalibus verbis facta excusatur à mortali, dicendo aliquem esse superbum, auarum, ambitiosum, mendacem, quia ista, vel significant naturalem inclinationem, vel culpam venialem; Vnde non erit obligatio restituendi famam; nisi ratione personæ, vt de Prælato, vel graui Religioso, qui erat in opinione probatissimæ vitæ, Diana *par.3. tract.5. resol.30. not.4. & par.5. tract.5. resol.69.*

72 Quando huiusmodi est persona, quæ ex detractione non reputat se infamari, vt si de aulico dicas quod cum meretrice dormiuit, est tantùm veniale peccatum, imò aliquando nullum peccatum, Io: à Cruz *in directorio p.1. præc.8. q.2. art.2. n.1.*

73 Non est mortale aperire defectus naturales, aut aliquem esse illegitimè natum, adulterinum, aut obtusi ingenij, aut semifatuum, aut indoctum, nisi ex hoc proximus esset valdè contemnendus, Petrus Nauarra *lib.2. cap.4. numer.307.* Io: à Cruce *præcep.8. quæst.2. art.2. num.2.*

74 Non est mortale, imò aliquando nullum peccatum, ad leniendum dolorem, narrare amico acceptam iniuriam, aut graue damnum, durum est enim, & supra humanas vires hęc intra se concoquere vt ait Lessius *lib.2. cap.11. dub.12.* Petrus Nauar. *lib.2. de restit. cap.4. numer.210.* Ioan. Sanchez *disp.2. numer.10.* Syluius 2. 2. *quæst.62. art.2. quæst.15.* Imò Ioannes à Cruce *præc.8. quæst.2. art.2. dub.3. concl.1.* & Ludouicus Lopez *to.1. cap.263.* putant non esse mortale, si ob vehementem dolorem, in publicas quærimonias prorumpat, hoc enim homini naturalissimum est.

75 Peccatum, quod in vno loco publicum est, potest absque mortali vbicumque narrari, quamuis illuc fama peruentura non esset, Fagundez *præcep.2. lib.5. c.3. n.14.* Nauar. *cap.18. n.26.* Ioannes à Cruce *præc.8. q.2. art.2. num.3.*

76 Infamatus per publicam sententiam Iudicis, potest absque vllo peccato, vbicumque diffamari, ita Soto, Medina, Bannes, & Alij communiter, quos sequitur Io: à Cruce *præc.8. quæst.2. art.2. num.3.*

77 Auditum crimen, simpliciter, sine noua assecuratione, vel confirmatione, narrare, etiam si quis aduertat aliquos ex audientibus temerè credituros, non est peccatum mortale, quia damnificatio famæ in tali casu, non est tam dicentis, quàm audientis, ita Caietanus, Sotus, Tannerus, Syluester, Armilla, Eman. Sà, Gabriel, Adrianus, & Faber, quos citat, & sequitur Diana *par.3. tract.5. resol.28.*

78 Qui verum, sed occultum crimen dixit, sufficienter restituit famam, si nunquam de eodem facto loquatur, ac procuret, accepta occasione, coram ijsdem honorificè loqui de diffamato, Caiet. 2. 2. *quæst.72. art.2.* Villalobos *in summa tomo 2. tr.11. diffic.37. nu.4.* Diana plures alios referens *par.3. tract.5. resol.30.*

79 Tenetur diffamator se retractare tantùm coram ijs, apud quos detraxit, non autem coram illis, ad quos diffamatio peruenit, ex narratione audientium; tum quia hoc est penè impossibile; tum quia posterior diffamatio fortuitò quasi sequitur ex audientium malitia, ita Philippus Faber *de restit. in 4. sent. dist.15. qu.3. disp.35. cap.1. num.37.* Diana *par.3. tract.5. resol.34.*

Electio.

80 Dignus omisso digniori potest eligi. Primò, quando excessus non est notabilis. Secundò quãdo dignus est Indigena, dignior alienigena. Tertiò, quando maior pars electorum concurrit in dignum. Quartò, quando dignus est magis expertus. Quintò, quando minus est à residentia impeditus; Valerus *in differentijs vtriusque fori verbo Electio diffic.1. num.1.* Sextò si Princeps vult eligere dignum, omisso digniori, potest Consiliarius in electionem consentire, si Princeps petat ab eo consensum; sed non potest præbere consilium; consilium enim esset contra conscientiam, non autem consensus; disparitas est, quia in dando consensu sufficit, quod bonum est proponi; at in consilio, quod est melius consuli oportet, ita Ludouicus Beia *par.3. casu 38. vers. ex his omnibus.*

Eleemosyna.

81 IN communi necessitate, neque sub veniali, tenetur diues ad eleemosynam, Mendozza 2.2. *disput.159. sect.6. §.131.* Diana *par.2. tract.15. resol.32. & tr.16. resol.26. & par.5. tr.8. resol.17.*

82 Pensionarius, etiam si pensio sit Ecclesiastica, non habet peculiarem obligationem faciendi eleemosynam, quia pensio Ecclesiastica non est beneficium; tum quia illi datur tanquam clerico pauperi, pauper autem non tenetur ex acceptis eleemosynis, ad aliam eleemosynam, Vasquez *opusc. de eleemosyna dub. vlt. num.22.*

83 Episcopus in communibus necessitatibus tenetur ad quartam partem omnium redditium, vel saltem ad medietatem residui dandam in eleemosynam: sed in necessitate graui tenetur ad totum residuum, seu totum superfluum. Ex his tamen detrahenda sunt, quæ dantur Episcopo pro industria, vel labore personali, vt sunt distributiones quotidianæ, eleemosina pro Missa, concione, exequijs, ita enim reputantur quasi patrimonialia, vnde de his non tenetur ad eleemosynam.

84 Cęteri beneficiati tenentur ad sextam saltem partem fructuum beneficij, vel medietatem residui dandam in eleemosynam, ita Mendozza 2. 2. *de Charitate vol.2. disp.160. sect.15. §.105. vsque ad §.110.* Diana *par.5. tract.8. resol.27.*

(.·.)

Emptio.

Emptio.

85 Vt nequeas emere, non sufficit dubium, aut probabilitas rem esse furtiuam, sed debet esse moraliter certum, Castropalaus *tom.1. tract.1. disp.3. pun.3. num.5.* Diana *par.4. tract.3. resol.27.*

Excommunicatio.

86 NOn incurrit excommunicationem percutiens Clericum minorum ordinum, non beneficiatum, qui ex vsu non incedit in habitu, & tonsura. Ratio est, quia cum iste ex Tridentino amittat priuilegium fori, quod difficiliùs amittitur, à fortiori perdit priuilegium canonis, tum quia sequeretur, quod qui puer prima tonsura initiatus esset, etiam si numquam postea habitum desferret, gauderet priuilegio canonis, Suarez *de censuris disp. 22. sect.1. num.11.* Coninchius *de Sacramentis disp.14. dub.15. num.163.* Layman *lib.2. tractat.5. par.2. cap.5. num.4.* Bannes *2.2. quæst.12. art.4. circa finem.* Graffius *de casibus reseruatis lib.1. cap.8. num.8.*

87 Potest Sacerdos licitè orare pro excommunicato, tanquam priuata persona, etiam in Memento, vel quacunque parte Missæ; sed non potest offerre sacrificium; quia sic se habet vt persona publica, & vt minister Ecclesiæ, Suarez *de censuris disp.9. sect.5. §. nihilominus,* Filliucius *tom.1. tract.12. cap.2. num.51.*

88 Nullum est peccatum, neque veniale, tam in diuinis quàm in humanis communicare cum excommunicatis non denunciatis, qui non sunt publici percussores Clericorum, etiā si inuitentur, & prouocentur, quia in extrauaganti *ad euitanda* id concessū est, vt scrupulis conscientiarum timoratarum adhibeatur remedium, Hurtadus *de excomm. disp.2. diff.4. nu.13.* Diana *par.5. tract.9. resol.17.*

89 In dubio an aliquis sit excommunicatus, vel an sit denuntiatus, non tenemur eum vitare, Suarez *de censuris disp.15. sect.3. §. deinde.*

90 Communicatio, etiam in diuinis cum excommunicato denunciato, ob paruitatem materiæ, excusatur à peccato mortali, vt si cum ipso Missæ sacrificio assistas vsque ad Euangelium, vel si priuatim semel cum ipso recitares diuinum officium, Suarez *de censuris disp.12. sect.2. §. addit verò,* Diana *par.5. tract.5. resol.21.*

91 Communicare cum excommunicato denūciato in humanis, & ciuilibus actionibus est tantùm veniale peccatum, cessante tamen graui scandalo; incurritur tamen minor excommunicatio, Suarez *tom.5. disp.15. sect.1. nu.2.* Saytus *lib.2. cap.11. num.2.* Diana *par.5. tract.9. res.2.*

92 Non est prohibitum aperire caput excommunicato denunciato, dummodo verbis non salutetur, Turrianus *lib.2. disp.13 dub.1.* Sayrus *de censuris lib.2. cap.3. nu.7.*

93 Licitum est etiam verbis resalutare excommunicatum, quia hoc est soluere debitum Vrbanitatis, sic licitum est respondere eius epistolæ. Reginaldus *lib.31. cap. 12. numer.81.* Io. Henriquez *in compendio casuum moralium cap.20. num.20.* Diana *par.5. tract.9. resol.116.*

94 Licitum est communicare cum excommunicato ob propriam vtilitatem, vt petere ab eo debiti solutionem, aut petere consilium, eleemosynam, emere, &c. quando illa ab alijs commodè præstari non possunt, Suarez *de censuris disp.15. sect.3. §. 3. caput.* Hinc puto licitum esse communicare cum excommunicato, quando abstinendo à communione subest probabile periculum grauis inimicitiæ, aut grauis damni, nam si possum communicare propter propriam vtilitatem, à fortiori ob vitandum graue periculum: tum quia nulla lex Ecclesiastica obligat cum graui incommodo. Nisi communicatio esset adiuncta grauiori scandalo, aut esset in contemptum censuræ.

95 Si vnus ex conseruis sit excommunicatus denunciatus, alij cum ipso communicare possunt, si commodè nequeunt eum vitare: sicuti excommunicato Domino serui, & famuli possunt cum eo communicare, Villalobos *tom.1. tract.17. diffic.13. num.17.*

96 Si aliquis sit denunciatus in vno loco, in alio loco vbi occultum est, eum esse denunciatum, non teneor vitare, neque in occulto, Præpositus *3. par. quæst.2. dub.16. nu. 114.* Layman *lib.2. tract.5. par.2. cap.5. num.4.* Diana *par.5. tract.9. resol.134.*

97 Cum eo qui publicè, & nominatim denunciatus est excommunicatus communicare poteris, si testis vnus fide dignus dixerit, fuisse absolutum, vel si ipsemet excommunicatus dicat, & nulla sit causa præsumendi eum esse mendacem: vel si fama publica sit esse absolutum, vel si communiter pro absoluto habeatur: vel si multum temporis transijt ab excommunicatione, & considerata conditione personæ, & negotij verisimile non est, toto eo tempore in excommunicatione insorduisse, Nauarrus *cap.27. num.36.* Syluester *verbo excomm.5. num.26.* Suarez *de censuris disp.15. sect.2. §. aliud dubium.*

Festum.

98 LIcita sunt in die festo opera ingenua, non seruilia, etiam si fiant lucri causa, huiusmodi sunt aucupari, venari, piscari, Pasqualigus *decis.143. num.4.* pingere, aut facere recamaturas, Pasqualigus *decis.142. num.3. & decis.148.* sic designare in chartis, scribere, aut transcribere, etiam propter lucrum, Armilla *V. festum* Io. à Cruce *in direct. par.1. præcept.3.* Pasqualigus *decis.139. & 140.* Iter habere etiam pedestrem, Pasqualigus *decis. 146.* licitum est etiam tabellionibus testamenta, instrumenta, aut publicas scripturas, nisi contineant actus iudiciales prohibitos, conficere, etiam sine vlla necessitate. Pasqualigus *decis.152. num.4.*

99 Opera seruilia in diebus festis licita sunt ratione necessitatis, aut magnæ vtilitatis, huiusmodi sunt, si artifex promisit pro certo die vestes, & timet aliquod damnum, nisi stet promissis, Layman *lib.4. tract.7. cap.7. nu.2.* Diana *par.4. trac.4. resol.62.* Pasqualigus *decis.296.* qui excusat ob necessitatem se suamque familiam sustentādi; sic excusatur famulus, qui si non obediret domino magnum incurreret damnum, Pasqualigus *decis.298.*

100 Ratione pietatis, etiam excusantur opera seruilia in die festo, vt si quis ob deuotionem, & eleemosynam secretò laboraret in gratiam pij loci, vel suendo; secus si opus esset publicum, vt fabrica, Palatius *in Summa Caietani V. festum,* Villalobos *in manuali Confessarior. cap. 23. num.80.* Marchantius *resolutionum Pastoralium ad Decalogum par.1. cap.3. quæst.2.* Diana *par.4. tractat.4. resol.117. & par.5. tract.13. resol.83.*

101 Eadem ferè ratione pietatis, seu potius consuetudinis excusantur ornantes templum, quamuis præcedentibus diebus facere potuissent, Bonacina *de Legibus disp.5. qu. vnica pun.3. nu.3.* Fagundez *præc.1. lib.1. cap.4. num.4.*

Primum discrimen est, quia mortalia absolutè, & omnia detestari, ac propositum cuncta euitandi habere de-
8 bemus. Ex pluribus venialibus autem confessis sufficit habere propositum, & dolorem de vno saltem, Suarez *de pœnit. disp.*20. *sect.*6. *num.*7. Henriq. *lib.*1. *capit.*26. §.7. Fagundez *in præcepto* 2. *Ecclesiæ lib.*2. *cap.*1. *n.*13. Card. Lugo *de pœnit. disp.*9. *n.*25. *&* *disp.*14. *n.*118. *&* 127.

9 Secundum discrimen est, quo ad mortale debet esse propositum absolutum, quo ad veniale potest esse propositum limitatum: v. g. nolo deinceps mentiri sine causa, prout nunc mentitus sum, ita Lugo *de pœnit. disp.*9. *num.*25. qui optimam affert rationem, nam cum hoc mendacium propter illam circumstantiam, sine causa, maiorem contrahat malitiam, & possim dolere de grauiori, quin doleam de leuiori; consequenter possum sufficienter dolere, atque proponere de mendacio prolato sine causa, absque eo quod doleam, vel proponam de omnibus mendacijs, quod tamen in peccato mortali non sufficeret.

10 Tertium discrimen est, quia quò ad mortalia debet esse dolor quò ad omnia collectiuè: v. g. numquam volo peccare mortaliter: At quo ad venialia sufficit dolor, ac propositum, quò ad omnia, sed disiunctiuè, scilicet doleo toties peccasse, nolo vlteriùs tot venialia committere, propono maiorem curam, & diligentiam adhibere, vt minuam tot mendaciorum, tot distractionum, tot otiosorum verborum multitudinem, ita S. Thomas 3. *p. quæst.*87. *art.*1. *ad primum*, vbi sic ait: *Debet tamen se præparare ad peccata venialia minuenda*, quod egregiè pro more explicat Eminentissimus Lugo *de pœnit. disp.*14. *num.*140. *&* *num.*133. *vers.*1. Et hoc discrimen aufert omnem scrupulum, & ex eo corruunt omnia argumenta initio adducta.

Quartum est discrimen, quia mortalia detestanda sunt super omnia, collectiuè, & distributiuè scilicet mallem quodlibet malum pati, quam quodcumque peccatum mortale commisisse. Venialia verò detestanda sunt super omnia disiunctiuè scilicet mallem mortuum esse, quàm toties tot venialibus peccatis Deum offendisse, ita idem Lugo *de pœnit. disp.*5. *sec.*4. *&* *disp.*14. *sec.*9. *n.*145.

Quintum discrimen est, quia ad mortale requiritur propositum vitandi occasiones peccãdi mortaliter; quod propositum non requiritur quò ad venialia, vnde accedentes cum istis absoluuntur, etiam si recidiui sint; non autem cum illis, ita Coninchius de *pœnit. disp.*2. *dub.*14. *num.*130. Lugo *de pœnit. disp.*14. *num.*127.

Ratio omnium discriminum est, quia peccata mortalia sunt materia necessaria confessionis, & omnia collectiuè vitare, est moraliter possibile; At venialia non sunt materia necessaria, non enim tenemur confiteri, & moraliter est impossibile omnia collectiuè vitare.

Dico Tertiò ad rectè confessionem instituendam, ad vitæ mortisque securitatem, animęque profectum, salubre consilium est quotidie excutere conscientiam: fuit hoc Pythagoræ præceptum, vt scribunt S. Hieron. *lib.*3. *Apolog. aduersus Ruffinus c.*10. S. Thomas *de Regimine Principum lib.*4. *cap.*22. Laertius *in Pythagora*, idem verbis, & exemplo docuit Seneca *lib.*3. *de ira c.*36. *Vtor*, inquit, *hac potestate, & quotidie apud me causam dico, cum sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor, moris mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta, ac dicta mea remetior, nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo.* Idem *lib. de vita beata c.*17. *Hoc mihi satis est* (inquit) *quotidie aliquid ex vitijs meis demere, & errores meos obiurgare.* Pyrrus, item, Eliensis (vt apud Laertium *l.*6. *c.*11.) *deprahensus aliquando solus, ac secum loquens, suaque à se vitæ rationem reposcens, rogatusq; quid solus ageret? Meditor, inquit, esse bonus.* Sed mittamus Ethnicos Philosophos, quos verè Tertullianus *in apologet. aduersus gentes c.*46. *Famæ negotiatores appellat.* Multis seculis Pythagora vetustior Dauid, cùm dies præterijsset, *Meditabatur in corde suo, & scopebat spiritum suum*: sic *Psal.*76. quem S. August. exponens, ait: *Scrutabatur spiritum suum, & cum spiritu suo loquebatur, se ipsum interrogabat, se ipsum examinabat, in se Iudex erat.* Quantum hoc valeat ad minuenda peccata audi Chrysost. *in Psal.*50. *horrendum tibi tribunal effice, animum leuiorem redde, vt postera die ad perpetranda peccata cunctantiùs accedat.*

Singulare autem monitum in hac discussione posteris tradidit Magnus Antonius Abbas, vt referunt Sozomenus *lib.*1. *c.*13. *&* Nicephor. *lib.*8. *cap.*40. *Vt non modo examen fieret, sed culpæ omnes scripto committerentur, verebitur enim homo tot à se mala perpetrata relegere.* Insigne quoq; est exemplum Monachi cuiusdam à S. Ioanne Climaco commemoratum *gradu* 4. ad cuius latus, cùm Climacus appensum breuem libellum conspiceret, didicit eum quotidie, *singulis horis cogitationes suas notare consueuisse.* Id Sanctissimus Patriarcha ille Ignatius, Iesu signifer, modis quibusdam præstitit, singulis horis se discutiens, vt in eius vita *lib.*5. *cap.*3. S. Bonau. *tract.*5. *c.*7. *Septies in die monuit ad conscientiæ tribunal accedendum.* Quantum autem quamque singulare pręsidium sit ad virtutem, quotidiana saltem conscientiæ discussio, tradidit idem Ignatius vt in eius vita *lib.*2. *c.*2. asserens id solum cum sacramentorum frequentia, satis esse ad virtutes omnes conseruandas, ac propagandas. Mirum est, quod S. Ioan. Chrysost. *in Psal.*4. scripsit: *Oportere omnia delicta tum minora, tum maiora quasi in libro, ita in corde habere descripta, & ea tamquam paulò antè admissa lugere, quod si per mensem tantùm fiat, sufficere, vt perfectus virtutis habitus generetur.*

At inquies, serò totum diem discutio, & nihil inuenio. Ne mireris, non enim instar Euangelicæ mulieris lucernam accendisti, adhuc totam domum diligenter non euertisti, infunde piarum meditationum oleum, & tunc (vt ait S. Teresia in sua vita) conscientiam, quæ velut purissima aqua in christallo apparebat, increati solis oppositam radio, athomis, idest innumeris culpis, respersam perspicies; sic virgo illa Sanctissima Beata Maria Magdalena de Pazzis tota penè die in ecstasim rapta, serò tamen, in ecstasi quoque suam discutiens conscientiam ad decem, & octo culpas enumerauit. Vide Puccinum in eius vita *cap.*76.

Porrò modus aptus non est discurrendo per aliqua peccata cordis, oris, operis; sed horas singulas percurrendo, ita clariùs culpæ innotescent.

Dico quartò ad quotidianam venialium confessionem salubriter, & sine vllo prorsus scrupulo instituendam, sequentia sunt obseruanda.

14 Primum monitum est. Serò in conscientiæ discussione, maiorem temporis partem in contritionis actibus insumere, cum proposito confitendi, hinc fit, quod sequenti die, accedens ex more ad confessionẽ, etiam si omninò tunc nullatenus doleas, sufficit dolor pręcedentis diei, ita Hurtad. *de sacram. in genere disp.*1. *diffic.*11. Ioannes Prępositus 3. *p. q.*2. *de contritione dub.*1. *n.*30. Diana *par.*5. *tract.*14.

tract.14. resol.67. Ratio est, quia sicut in forensi, ita, & in sacramentali iudicio præcedere possunt absolutionis sententiam causæ discussio, & sic actus pęnitentis dolor, & confessio. Optimum quoque consilium est, singulis horis ab horologio pulsatis, conteri, dicendo, ore vel corde. Pęnitet me offendisse se Redemptorem meum; & deinde Virginem salutatione Angelica inuocare, adest enim centum dierum indulgentia.

Secundum monitum est, non confiteri per verba conditionata v.g. si mentitus sum, si iratus sum, ita Nauar. *in manuali cap.2. num.5. & in Can. quem pęnitet nu.10. de pęnit. dist.1.* Io: Sanchez *disp.1. num.11.*

16 Excipio cogitationes impuras, quas si certò scis, subitò non expulisse, debes absolutè confiteri negligentiam; si verò credis mox expulisse, benè facies, sub conditione te accusando, si aliquam negligentiam admisisti, vt consulit Alphonsus Rodriquez *in exercit. perfect. p.3. tract.3. cap.4.* Quando verò non cessasti ab actione externa vt curiosi aspectus, aduertens te interiùs sordidis cogitationibus, ac delectationibus inquietari, debes confiteri sub dubio de mortali delectatione.

17 Tertium monitum est non confiteri per verba generalia, nisi enim addas aliquod veniale in particulari, erit pharisaica confessio, & inualida v.g. accuso me de septem peccatis mortalibus, de omni eo, de quo potest Diabolus me accusare, ita Nauar. *in cap. quem pęnitet num.10. de pęnit. dist.1.* & Io: Sanchez *disp.1. num.10.*

18 Salutare autem consilium est, aliqua venialia cum suis circumstantijs fateri, ita erit maior confusio, humilitas, emendatio, atque profectus v.g. aduertenter, & sine causa mentitus sum; obmurmurante conscientia bis curiosè mulierem aspexi, immediatè antè, aut pòst sacrificium iratus sum; impatienter respondi coram multis. Ita Antonius Molina *in instruct. Sacerdotum tract.5. c.5. §.4.* Alphonus Rodriquez *de perfect. par.3. tract.7. c.10.* Io: Sanchez *disp.6. num.8.*

19 Quartum monitum, in fine confessionis recentiorum peccatorum, optimum est nonnulla peccata adijcere, quæ tempore præterito fueris confessus, non ingenerali, sed in particulari, v. g. accuso me de omnibus mendacijs, & periurijs, cogitationibus, & verbis inhonestis, ac iracundijs præteritę vitę, ita consulit S. August. *in cap. quem pęnitet de pęnit. dist.1.* dum ait: *Quantò pluribus confitetur in spe veniæ, turpitudinem criminus, tantò faciliùs consequitur gratiam remissionis*, quem sic exponit S. Thomas *in 4. dist.18. quæst.1. art.3. quæst.2. ad 4.* Caietan. *tom.1. opusc. tract.5. quæst.4.* Vasquez *de pęnit. qu.91. art.3. dub.7. in princ.* Nauar. *in summa cap.21. n.42.* Antonius Molina *in instr. Sacerd. tract.5. c.5. §.7.*

Id plurima affert commoda. Primò, quia faciliùs concipitur dolor, & propositum, & affertur certa materia. Secundò, quia probabiliter multi docent, quod si acce-
20 deret pęnitens in præsenti confessione, cum nullo prorsus dolore, sufficit illa peccata in alia confessione esse detestata, ita Io: de la Cruz *in director. conscient. par.2. de sacram. pęnit. quæst.1. dub.6. concl.2.* & Petrus Ledesma *in summa cap.4. de sacram. pęnit.* quæ refert Diana *par.3. tract.4. resol.116.* Io: Salas *in manuscriptis de sacram. pęnit. quæst.84. art.10.* quem refert & sequitur Cardinalis Lugo *de pęnit. disp.14. sect.3.* ratio est, quia sufficit repetere materiam proximam Sacramenti, nempè confessionem, vt repetatur forma. Aduerto autem non esse necessarium confessarium cognoscere peccatum, quod hodie confiteris esse recens, vel antiquum, confessum aliàs, aut non confessum, est enim hæc circumstantia impertinens, non augens, neque minuens peccatum, ita Sanchez *lib.1. summa cap.10. numer.71.* Suarez *de pęnit. disp.22. sect.9.* Bonacina *de Sacram. disput.5. quæst.5. sect.2. punct.2. diff.4. num.5.* Diana *p.3. tract.4. resol.62. & part.4. tract.3. resol.65.* Lugo *de pęnit. disp.16. sect.2. num.47.*

Aduerto tamen satis reprehensibile esse sine nouo dolore eadem repetere peccata, & nihil noui confiteri, ac repetere absolutionem, videtur enim tunc quædam irrisio Sacramenti, vt docet Vasquez *de pęnit. quæst.91. art.3. dub.7. num.8.* debet ergo conari ad noua confitenda peccata, nouumque dolorem, quod si ex inaduertentia illum non habet, tunc puto validum esse sacramentum, nouamque recipere gratiam, itaque hoc consilium antiqua peccata confitendi aufert omne scrupulum, ne sine dolore accedens, sit inualida confessio.

21 Quintum monitum est, confessionem generalem summa diligentia totius vitæ instituere, & deinceps annualem confessionem generalem certo die agere, hoc vitæ spiritualis fundamentum esse censuit S. Ignatius *in libello exercit. & in constit. Societ. p.4. cap.4. §.5.* alijq; valdè commendant Molina *in instruct. Sacerd. tract.5. cap.5. §.3.* Recupitus *in industrijs bene moriendi tract.1. num.8.* expedit quoque certum stabilemque esse confessarium, eundem, qui confessionem generalem excepit; & vt totam conscientiam perspectam habeat; si quid alijs grauis momenti confessus sit (cum plerumque eidem nequeas quotidie confiteri) ordinario Sacerdoti aperias, sic habetur in declarationibus Constitutionum Inclytę Societ. *part.3. cap.1. lit. Q.* id optimè quoque iuuat ad confessionem quotidianam venialium, præsertim ob dolorem, & tollit omnes scrupulos, adiungendo in fine me accuso de omnibus peccatis, de quibus aliàs tibi confessus sum.

22 Sextum monitum est, quò ad scrupulosos, quorum, vt ait Vasquez 1. 2. *disp.67. cap.2. num.8.* duplex est genus. Alij de præsentibus non sunt soliciti, de præteritis sunt omnes scrupuli, isti imposito illis silentio de præteritis, neque repetendo vnquam præterita, frequenter debent ad confessionem accedere, ita Vasquez vbi supra, & Io: Sanchez *disp.31. num.15. & disp.41. nu.14.* Alij præsentium rerum scrupulis torquentur, hi propter scrupulos precisè, non debent admitti ad confessionem, sed per se ipsos acceptis regulis, scrupulis occurrere debent, Salas 1. 2. *tract.8. disp. vnica num.291.* Io: Sanch. *disp.31. num.15.* qui in *disp. 41. nu.24.* optimè ait: *Nulla interiora peccata scrupuloso habenda vt talia, nam satis probabile est, non consensisse.* Sed de his vide, quæ scripsi *quæst.2.*

23 Ex dictis patet facilis Responsio ad contraria argumenta, initio allata. Ad tertium tantùm breuiter respondeo, dolorem tam ad mortalia, quàm ad venialia extendi, quando non concipitur ex particulari motiuo, propter turpitudinem, & grauitatem peccati mortalis, sed concipitur ex vniuersali motiuo offensæ Dei summę dilecti, ita omnes præsertim Card. Lugo *de pænit. disput.5. sect.6. n.80. & 81.*

(.•.)

QVÆSTIO VI.

Opiniones aliquot probabiles, ad frequentiores timoratorum scrupulos eradicandos.

Allocutio, & conuersatio.

1 NOn debentur, nisi coniunctioribus, neque vllum est peccatum, cessante scandalo, aliquem non
2 alloqui; quamuis antea fuisset amicus, & familiaris; imò in coniunctioribus eam omittere, erit tantùm veniale, nisi adesset graue scandalum, Petrus Lorca 2. 2. *qu.25. art.6. sect.3. disp.25. mem.3. n.18.* Diana *par.2. tr.15. resol.62.*

3 Inter religiosos probatæ vitæ, qui quotidie celebrant, non est peccatum mortale, negare salutationem, aut collocutionem; non enim hoc est graue scandalum, non enim præsumitur ista ex odio procedere, Valerus *de different. vtriusque Fori verbo remissio differ.2. num.4.*

Allocutio Monialium.

4 EX paruitate materiæ excusatur ab omni peccato, vt si duret tantùm per quadrantem horæ, vt quotidiana praxis obseruat, & patet ex his quæ dicam infra. Excusatur etiam Religiosus respondens ad propositum sibi casum conscientiæ, habet enim ea allocutio speciem sermonis; excusatur quoque loquens per interpositam personam, Peyrinus *in priuileg. Minimorum tomo 2. Const.6. Pij V. §.10. nu.36.* Diana *par.3. tract.2. resol.48. vers. nota 6. & resol.104. & tract.5. resol.69.*

5 Non peccat, qui ex iusta causa ingressus Monasterium Monialium, per quadrantem horæ, peracto negotio, ibi immoratur causa curiositatis, vt videat officinas &c. Sanchez *lib.6. moral. cap.16. num.69.* Miranda *q.2. de Monial. art.20.* Rodriquez *tom.1. qq. regular. qu.46. art.11.* Diana *p.3. tr.2. resol.51.* Pellizzarius *de Monialibus cap.10. num.244.*

6 Non peccat alloquens Monialem cum licentia, non obseruans conditiones aliquas leuioris momenti, vt si præscribatur certa hora accedendi ad Monasterium; quod assistat Moniales auscultatrices, quod Monialium confessarius intersit, & adsistat; has enim conditiones constat ex experientia, non vbique obseruari Pellizzarius *de Monialibus cap.10. num.20. vers. aduerto 3.* qui *in 4. aduert.* addit neque peccare mortaliter, si accedat in diuerso die.

Ariditas spiritus.

7 FRequens hæc timoratorum tentatio, & cruciatus, atque communis scrupulus, dum timent ne eorum culpa ea eueniat, aut à diuina gratia exciderint; isti consolandi sunt, his considerationibus traditis à Gersone *tract. de remedijs contra pusillanimes, & de consolatione Theologiæ lib.4. prof.4. ac de diuers. Diaboli tentationibus.* Primò considerare oportet spiritualem dulcedinem, neque gratiæ neque peccati signum esse, neque perfectiorem reddere. Secundò spiritualem dulcedinem sæpè vanitatis, atque peccati occasionem esse: sed ex ariditate humilitas profundiores radices aget, & securiùs ea ambulamus. Tertiò ariditas compellit, ex imo cordis ad Deum clamare. Quartò iuuat considerare plurimos sanctitate celebres in ea ariditate diu Domino seruisse, Deumque feruentissimè amasse: sic S. Teresia duo de viginti annis: S. Clara quadraginta: B. Clara de Monte Pulciano tredecim annis: B. Maria Magdalena de Pazzis quinquennio, imò maiori suæ vitæ tempore, sed & pactum cum Domino iniit, vt nullam ei spiritualem dulcedinem vnquam daret, & cùm semel aliquam consolationem gustasset, mox conquæsta est, inquiens: *Quare Domine initum pactum frangis?*

8 Sed ad horum solatium, operepretium duxi referre, quæ Christus Dominus S. Catharinæ Senensi reuelauit, prout ipsa scribit *in lib. de diuina Prouidentia cap.69.* Primò itaque consideret non dari à Domino consolationem spiritualemque dulcedinem, vt anima ea delectetur, sed vt dantis charitatem, suamque vtilitatem considerans, in eius amore exardescat.

Secundò frustra quæri consolationem ijs medijs, quibus aliquando gustata est, ea enim indigenti animæ diuina bonitas, iuxta suæ sanctissimæ voluntatis beneplacitum elargitur.

Tertiò non ex odio, sed ex amore, amantissimum Dominum, se abscondere, dulcedinemque spiritualem eripere.

Quartò sæpè animam suauissimo spirituali gaudio delectari, neque tamen aduertere, ita prouidente, ac se abscondente Domino: frequenter sibi conturbatam, & afflictam videri, cùm tamen peccatorum contritione, ac scelerum suorum dulci dolore perfundatur.

Quintò oportet animam esse in vtrumque paratam, ac diuinæ voluntati se committere, & consolationis, ac desolationis tempus æquanimiter accipere.

Sextò hæc omnia amantissimus Dominus operatur, vt anima se in humilitate custodiat.

Vide de tota hac materia Patrem Ludouicum Granatensem *tract. de oratione cap.4.* & eandem S. Catharinam in eod. *lib. cap.70.* vbi scribit sic sibi Christum Dominum allocutum,

9 *Quidam ne consolationem, pacem, atque internam quietem amittant, proximo non subueniunt; falsa persuasione decepti, suam spiritualem delectationem, non Deum amantes. Etenim omne, siue vocalis, siue mentalis orationis exercitium ad Dei, ac proximi charitatem ordinatur. Vnde consolationem quærentes, eam perdunt, & dum perdere putant acquirunt. Nam dum proximi charitatem despiciunt, Dei erga ipsos amor minuitur, aufertur quoque consolatio. Quod si proximis subuenirent, spiritualis dulcedo nunquam eis deficeret. Imò cum aliquando, velint, nolint, proximo succurrere eos oporteat, id cum pæna, tædio, & inquiete præstant; credentes Deum offendere, eum nequaquam offendant; quia enim delectationem intendunt, quid Deum offendat, non agnoscunt; si enim nossent, scirent Dei offensam non esse consolationibus priuari, aut in proximorum necessitatibus orationem omittere, sed hanc esse Dei offensam proximi charitatem negligere, qui ex Dei amore diligendus, atque ei seruiendum est; Hæc est ergo deceptio ex proprio spirituali amore.* Ita Christus Dominus reuelauit S. Catharinæ Senensi, prout hæc scribit *libro de diuina prouidentia cap.70.*

Attentio.

Attentio.

10 VT Oratio sit meritoria, & imperatoria non requiritur actualis attentio continua in tota oratione, hoc enim est impossibile, satis est prima illa intentio, seu voluntas, qua accessisti ad orandum, dum tamen de industria in ea diu non diuageris, aut alia facias impedientia attentionem. Triplex autem est attentio in oratione: Prima, qua attenditur *ad verba*, ne orans in eis erret: Secunda, qua attenditur *ad sensum verborum*: Tertia qua attenditur ad finem orationis, nempè *Deum*, & ad rem, pro qua oras, & hæc haberi potest etiam ab idiotis non intelligentibus verba orationis; quarè cum ista attentione simul implere potes præceptum audiendi Missam, ac recitandi Horas Canonicas, ita Caietan. Soto, Medina, Torres, Syluester, & Armilla, quos citat & sequitur Io: de Cruce *pracep.3. art.3. num.2.*

Blasphemiæ tentatio.

11 VExari solent fideles blasphemiæ, & infidelitatis tentationibus, ac scrupulis, quos præ omnibus contemnere par est; cùm enim tentantur, nedum nullatenus peccant; imò magis in fide solidantur, & in hisce tentationibus nullum omninò subest periculum, cùm longissimè absint à consensu, neque debent tentationes istas confiteri, neque si occurrant in oratione ea deserenda, credant certissimè se nullatenus consentire; nequit enim fieri, vt Deum actu honorent, orando, atque simul inhonorent blasphemando; quare contemnant, impossibile enim est illis obuiare ne veniant; sicut ventus currens impediri non potest, aliquando poteris caput inclinare dicens: *Deum meum adoro, & paratus sum pro eius fide mori*; cęterum spernat, Diabolus enim spretus tentare desistit, Granado 1. 2. *tract.12. disp.5. nu.8.* latè, & doctè Io: Sanchez *disp.41. num.28.* Rodriquez *qq. regular. tomo 3. q.66. art.3. dub.4. & tomo 2. summæ cap.53.* Portel *verbo scrupulus num.7.*

12 Caueat autem disputare cum ijs, sic enim tentationis rabies magis refricatur, & accenditur S. Bonauentura *de profectu Religiosorum cap.3.* id præsertim in morte periculosum est. Vide tremendum exemplum apud Petrum Barocium Episcopum Patauinum *lib.2. de ratione benè moriendi*, quod refert Bellarminus *opusc. de arte benè moriendi lib.2. cap.9.* Inimici versutiam deludat dicens: *Credo quod credit Ecclesia: Et Ecclesia credit, quod ego credo.*

Clausura.

13 NOn incurrit excommunicationem Monialis, aut alius stans in ostio, Sanchez *lib.6. summæ c.16. num.70.*

14 Nec si Monialis cum vno pede stet extra clausuram, sed cum maiore parte corporis esset intra clausuram, Texeda *controuers. to.1. lib.2. tract.1. controu.14. dub.1. num.9.*

15 Nec si per vnum, aut alterum palmum esset extra clausuram, sed breuissimo tempore; nam ob paruitatem materiæ excusatur ab excommunicatione, Merolla *to.1. disp.1. diff.7. num.502.* Grassius *par.1. decis. lib.4. c.23. num.25.* Diana *par.5. tr.5. resol.22.*

Confessio, & Confessarius.

16 SEmel cum mediocri diligentia instituta confessione omnium peccatorum, cùm menti noua peccata occurrunt, quæ non recordatur se confessum, iterùm confitenda non sunt, ita docent omnes Io: Gerson *par.4. operum tract. contra scrupulosam conscientiam*, vbi consulit, vt obliuioni detur tempus præteritum, nisi in generali ad petendum à Deo veniam per generalem contritionem, vt dicendo *hactenùs Domine tempus meum perdidi per vitam malam, & dissolutam; tibi aliud reddere nequeo, nisi cor contritum, & humiliatum: Scio Domine nunquam me facere posse confessionem, sicut oportet, nouisti tamen cor meum, & desiderium meum, quod mihi inspirasti, nihil me celare velle, sed cum confessor meus sufficienter se de vita mea informatum existimet, sufficiat tibi Domine; vt enim obedirem consilio tuo, oblitus sum temporis elapsi, ad melius ambulandum deinceps in tuo seruitio.* Hæc Ioannes Gerson, & Caietanus *in summa ver-*
17 *bo scrupulus*, ait: *Scrupulosi in confessionibus multiplicandis cogitent se validè esse confessos, quando eis clarè non occurrit error manifestus, & credant tales timores non ab aliquo errore, sed à morbo, & melancholia prouenire.* Ita Caietanus, eadem docent Emanuel Sà *V. dubium num.5.* Sanchez *lib.1. summæ cap.10. num.85.* Qui scribunt, *Quod scrupulosus non confiteatur, nisi iurare audeat fuisse peccata mortalia, & nunquam confessa.* Nauarrus *in man. cap.21. num.42.* Reginaldus *de prudentia confessarij cap.1. 1. numer.10. & 17.* Sayrus *in Claui Regia lib.1. cap.14.* Rodriquez *qq. regularium tom.3. q.66. art.3. dub.1. & in summa tomo 2. cap.53.* Io: Sanchez *in selectis disp.41. num.17. & 18.* Pesantius *1. 2. q.19. art.6. disp.11. reg.2.* Granado *1. 2. tract.12. disp.5. numer.8.* Layman *lib.1. cap.6.* Henriquez *lib.5. cap.3. numer.4.* Suarez *1. 2. tract.3. disp.12. sect. vlt. in fine.* Pater Ludouicus Granatensis *tract. de oratione, ac deuotione c.3. par.3.* Hęc communis omnium doctrina rationibus probatur.

Primò, quia expressè recordari se tale, aut tale peccatum fuisse confessum, est moraliter impossibile.

Secundò, quia quamuis aliqua peccata in particulari confessus non sit, tamen plerumque reuera in aliorum peccatorum collectione sacerdoti manifestata, confessus est, v. g. quis confessus est hoc anno per singulos menses decies fornicatum, blasphemasse, peierasse; cum deinde menti occurrit fornicatio cum Antonia, ea confitenda non est, quia in illa collectione iam confessa est.

18 Tertiò, quia quamuis aliquis nullatenus esset scrupulosus, tamen post mediocrem diligentiam adhibitam in discussione conscientiæ, in ordine ad confessionem, non tenetur vlteriùs de ante acta vita cogitare; quod si aliquid occurrat non explicatum in confessione, poterit sibi persuadere, illud fuisse reuera confessum, sed nunc confessionis non recordari, Eman. Sà *V. confessio nu.42.* Sanchez *in sum. lib.1. cap.10. num.86.* Rodriquez *to.3. qq. regular. q.66. art.3. in princ.* Io: Sanchez *disput.41. num.18.* ergo à fortiori debet id sibi persuadere is, qui scrupulosus est.

19 Quartò, quia quod est dubium in conscientia scrupulosi, apud alium non scrupulosum, esset moraliter certum, ita Layman *lib.1. tr.1. cap.6. vers.6.*

20 Quintò, quia esto reuera non esset peccatum illud nulla-

nullatenus confessus, tamen is, qui scrupulosus est non obligatur ad confitendum; nam scrupulosus non potest confiteri nisi cum graui damno, & incommodo hærendi in perpetua anxietate in procuranda integritate confessionis: at quis excusatur ab integritate confessionis ob longè minus incommodum; ergo etiam excusandus est scrupulosus, ita præclarè docuit Coninchius *disp.7. de pænit. num.68.* Layman *dicto cap.6.*

21 Sextò, quia persuadere sibi debet penitens, præsertim scrupulosus, quod si de consilio confessarij omittat confiteri aliqua, quæ dubitat esse peccata, aut dubitat re ipsa confessum, ea reuera ipsi remittuntur indirectè per absolutionem sacramentalem, etiam si verè essent peccata grauia; dummodò generaliter de illis doleat; ideòque non est opus, vt ea iterùm confiteatur; ea enim remissa sunt indirectè, non secus ac per absolutionem remittuntur peccata inculpabiliter oblita, quarè tutus est; ita Pellizzarius *tract. de Monialibus cap.10. num.204.*

22 Notandum præterea, quòd qui confessus est peccatum, tanquam dubium, si deinde recordetur certissimè illud commisisse, non tenetur iterùm vt certum fateri, ita Lugo *de pęnit. disp.16. nu.77.* Bressetus *de conscient. lib.4. cap.18.num.197.* Pellizzarius *tract. de Monialibus cap.10. num.198.*

23 Qui confessus est se decies circiter fornicatum, comperiens deinde fuisse vigesies, non tenetur iterùm confiteri, Viualdus *in candelabro aureo tit.7. §. sed dixi n.3.*

24 Eodem impetu pluries blasphemans, pelerans, iniurians, non tenetur explicare, nisi tanquam vnum peccatum blasphemiæ, aut periurij, Zanardus *par.2. præc. 1. cap.10.* Diana *par.1. tract.7. resol.51. & par.3. tr.4. resol.163.*

25 In vnico actu vnica est numero malitia moralis, quãuis sint plura numero obiecta, vt si quis cogitet simul cum decem fornicari, aut decem homines occidere, aut coram decem turpia loquatur eos scandalizans, Suarez *de pænit. disp.22. sect.5. num.35.*

26 Quando peccatum ex natura sua non potest, nisi à duobus committi, vt adulterium, fornicatio, non est explicanda inductio ad peccatum, ita Vasquez *3.p. tom.4. q.91. art.1. dub.4.* & probabilem putant Meratius *to.3. de pęnit. disp.27. sect.4. num.8.* Diana *par.5. tract.13. resol.5.*

27 Si penitens credat se non auditum à confessario, quia credit dormitasse, aut ad alia fuisse distractum; si id certò non sciat non tenetur repetere confessionem; quia validè fuit absolutus; verùm si postea certò cognoscat vnum, aut duo peccata confessarium non audisse, hæc tantùm duo tenetur iterùm confiteri, Henriquez *lib.5. cap.14. num.5.* Layman *lib.5. tract.6. cap.9.* Mercerus *3.par. quæst.9. art.1.* Diana *par.3. tract.4. resol.109. & par.4. tract.4. resol.198.*

28 Sed si de omnibus dubitare potest, an audierit, vt contingit in breui confessione, tunc debet repetere totam confessionem; verùm si dubitat aliqua peccata non audita, nescit tamen determinare, quæ non sunt audita, tunc nullum peccatum tenetur iterùm confiteri, ita ex Card. Lugo *de pęnit. disp.16. num.609.* Pellizzarius *de Monialibus cap.10. num.207.*

29 Non requiritur quod confessarius de omnibus, quæ audit à penitente, iudicet an sint mortalia, grauia, vel leuia; imò neque an sint, vel non sint peccata, sed de communibus; reliqua verò audiat, & intelligat, ac postea absoluat, cum debita intentione. Ita Cardin. Lugo *de pęnitentia disp.21. sect.4. num.71.*

30 Hinc rectè post Cordubam docuit Sanchez *li.1. summæ cap.10. num.69.* non esse iterùm confitendum peccatum, quod quis integrè confessus est, dubitans tamen vna cum confessario, illud esse mortale, etiam si postea alteruter doctior factus, aut alijs consultis, agnoscat illud fuisse mortale; nam in confessione facta peccatum plenè fuit detectum, nec noua circumstantia explicanda occurrit, & alioqui non est necessarium pęnitentem, aut confessarium scire determinatè peccatum esse mortale; siquidem in omnibus id scire est impossibile, Pellizzarius
31 *tract. de Monialibus cap.10. num.204. vers. quod si quæras*, vbi ex hac eadem ratione optimè docet quod confitens suum peccatum cum omnibus circumstantijs necessarijs, non tenetur illud iterùm confiteri, si ei constet confessarium ex falsa apprehensione fundata in natura scrupulosa ipsius pęnitentis, putasse peccatum illud non esse mortale, cum verè esset, & id certò sciat etiam pęnitens.

32 Qui bona fide confitetur ignoranti, quem postea nouit nescisse distinguere inter mortalia, & venialia, vel reseruata, non est cogendus iterare confessionem, quia ille potuit, & voluit benè dipositum absoluere, quamuis defecerit in prudentia circa medicinam, & satisfactionem imponendam, Syluest. *V. confessio 1. §.3.* Henriquez *lib.5. cap. 14. num.5.*

33 Si pęnitens nunquam in præteritis confessionibus numerum peccatum expressit, prout rusticus, cum rudi Parocho confitetur, non est inquietandus ab alio sacerdote, sed in sua bona fide relinquendus, Marchantius *tr.5. de pęnit. cap.3. q.3.* Diana *par.3. tract.4. resol.98. & par.5. tract.13. resol.84.*

34 Quando præcedens confessio fuit valida, si confessarius aduertit aliquem errorem se commisisse, quia vel non interrogauit de aliqua circumstantia mutante speciem, vel numerum, vel absoluit inter non reseruata, aliquod peccatum reseruatum, non tenetur monere pęnitentem de errore commisso. Ratio est, quia non tenetur ad monendum neque ex officio; cum statim, data absolutione, finitum sit eius officium; neque ex charitate, quia cum valida sit confessio, nullum prouenit damnum: secus autem est si confessio esset inualida, vt quia vnicum peccatum sibi confessum, & reseruatum nulliter absoluit; vel quia remanet pęnitens cum excommunicatione reseruata, vel aliquod aliud damnum ipsi pęnitenti, vel tertiæ personæ ex illo errore timetur, vt si non obligauit ad restituendum. Reginaldus *lib.8. cap.3. numer.31.* Filliucius *tomo 1. tract.3. cap.12. nu.373.* Diana *par.2. tract.15. resol.7.* tenetur autem monere cum suo incommodo, immò etiam cum damno, si mortaliter peccauit in non admonendo: at si nullo modo peccauit, propter inaduertentiam, vel venialiter tantùm, tunc non tenetur cum graui suo incommodo errorem corrigere, Card. Lugo *de pęnit. disp.22. sect.3. per totam*, qui alios citat Pellizzarius *de Monialibus cap.10. num.199.*

35 Quando confessio inualida reiteranda est cum eodem Sacerdote, tunc sufficit pęnitentem se accusare in generali de omnibus peccatis ipsi sacerdoti confessis, & de sacrilegio admisso in illa inualida confessione, & tunc sacerdos validè, & licitè absoluit quamuis neque in confuso peccatorum, neque pęnitentiæ impositæ nullatenus recordetur, Granado *3.p. de sacram. contro. 7. tract.9. disp.12.*

disp. 12. *numer.* 5. Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 51.

36 Extra confessionem, & etiam post longum tempus potest idem Confessarius datam pœnitentiam commutare, vel minuere, Card. Lugo *de pœnit. disp.* 25. *sect.* 6. *numer.* 112.

37 Si dubitet Confessarius, an signa moribundi sint ex contritione interna, vel ex mortis angustia, absoluat sub conditione, Io: Sanchez *disp.* 44. *num.* 35. Diana *par.* 3. *tr.* 3. *resol.* 3.

38 Ne trepidet Sacerdos absoluere à quibuscumque casibus, & censuris reseruatis à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, Io: Sanchez *disp.* 12. *numer.* 5. Diana *par.* 3. *tr.* 4. *res.* 57. *&* *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 69.

39 Confessio omnium venialium vitanda est scrupuloso, si inde inquietetur, sed tantùm grauiora dicat; alioquin maius est inde damnum, quàm emolumentum, & contingit sicut in recentis lateris lotione, plus enim luti, & sordium abluendo contrahes, Rodriquez *qq. regular. tomo* 3. *q.* 66. *art.* 3. *dub.* 2.

40 Præterea qui scrupulosus, ac pusillanimis est, debet diligenter per se, vel per alios inquirere quid ex suis ordinarijs actionibus sibi cauendum sit sub mortali, qua de re moralem certitudinem habeat, & id sollicitè caueat, & emendare curet; de venialibus autem non sit multum sollicitus, neque in speciali confiteatur; nisi grauiora venialia, ita Gerson *de diuersis Diaboli tentationibus in fine*, & Rodriquez *qq. regul. tom.* 3. *qu.* 66. *art.* 3. *dub.* 5.

41 Quando aliter nequit peccatum explicari, nisi manifestato complice, licitè manifestatur, neque teneris cum incommodo alium quærere confessarium, Vasquez 3. *p. tomo* 4. *q.* 91. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 28. Toletus *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 156. Coninch. *de sacram. disp.* 7. *dub.* 9. *num.* 89. Eman. Sà *Verbo confessio nu.* 18.

42 Imò probabiliter multi docent ex consilio tantùm teneri pœnitentem quærere alium confessarium, qui non cognoscat complicem, Fagundez *prac.* 2. *lib.* 5. *capit.* 1. *num.* 3. Diana *par.* 6. *tract.* 7. *resol.* 9.

43 Qui se exponit periculo peccati, si deinde peccauit, non tenetur periculum explicare, nisi inter periculum, & peccatum notabilis mora intercessisset, Sanchez *in sum. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. Diana *par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 44.

44 Quando numerus peccatorum cognosci non potest, sufficit explicare tempus, vt in prauis cogitationibus Diana *par.* 3. *tr.* 4. *resol.* 89.

45 De viro timorato, qui prauis cogitationibus vexatur, quomodo debeat confiteri, sic scribit Io: Gerson *par.* 4. *operum tract. contra scrupulosam conscientiam vers.* 6. *Contingit, inquit, sæpissimè, quod quis sentit in se, & cognoscit tales esse cogitationes diu permanentes, sed non consentit, quia displicent, & eis resistitur desideraturque quod cessent. Et supposito, quod non possint expelli, quin citò alia redeant, non tamen voluntariè acceptantur, nec opus est illas confiteri, nisi in generali, & conditionaliter, dicendo: Habui varias cogitationes, & motus carnalitatis, vel vanagloriæ, vel vindictæ, vel odij, & timeo ne tantopere restiterim, & tam citò sicut debuissem: hoc ego confiteor.* Ita Io: Gerson.

46 Aduerte autem quod delectatio morosa est venialis ex defectu plenæ deliberationis, nam tunc est paruitas materiæ, dupliciter autem deficit plena aduertentia: Primò si non plenè aduertis grauitatem peccati: Secundò estò plenè aduertas grauitatem peccati, tamen non plenè deliberas consentire, sed vix dissentire, at tepidè resistis, Io: della Cruz *in directorio præcep.* 6. *art.* 9. *num.* 2.

47 Hinc est quod quando voluntas, neque positiuè consentit, neq; positiuè dissentit, non est peccatum mortale, Caietanus *V. delectatio*, Diana *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 33.

48 In confessione mentiri in ijs, quæ non sunt materia necessaria, non est peccatum mortale. Reginaldus *tomo* 2. *lib.* 24. *cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 44.

49 Rudes fœminæ, aut rustici si inueniantur minus benè suam examinasse conscientiam, aut præteritas confessiones inualidas fuisse, vnde indigent generali confessione; non sunt dimittendæ vt se examinent, & redeant, quia de ijs præsumitur, quod licèt millies se examinent, non fore magis aptos, quàm si à confessario breuiter interrogentur, ac examinentur. Vasquez 3. *p. qu.* 93. *art.* 3. *dub.* 7. *n.* 5. Card. Lugo *de pœnit. disp.* 16. *n.* 593. Pellizzarius *de Monialibus c.* 10. *n.* 197. qui tamen aduertit de Moniali, aut alio viro prudenti, ac viuidioris ingenij, dimitti debere, vt se examinet, ac redeat.

50 Examen, ac interrogatio Confessarij debet esse prudens, ita vt moraliter, & humano modo non metaphisicè examinet, vt sacramentum non reddatur onerosum, sed sit facile remedium debili hominum conditioni accomodatū. Quare debet se accomodare pœnitenti, & notitiā peccatorum à singulis exquirere iuxta ipsorum capacitatem, crassiorem à crassioribus, breuiorem ab infirmioribus, & minus exactam ab eo, qui plura habet peccata, quàm qui pauciora; & ratio est, quia cùm sacramentum pœnitentiæ requirat solum diligentiam moralem, ac examen humanum, & hoc sit illud quod non gignit ex se fastidium, ac tedium sacramenti, sequitur minus distinctam notitiam requirendam esse ab illo, qui ratione incapacitatis, aut morbi aut multitudinis peccatorum, aut alia de causa difficilius potest exactiorem reddere rationem, Card in. Lugo *de pœnit. disp.* 16. *n.* 594. Pellizzarius *tract. de Monialibus c.* 10. *n.* 198.

51 Probabile est confessarium non teneri ad faciendam aliquam interrogationem pœnitenti, quem scit debitè, & rectè examinasse suam conscientiam; quamuis dubitet an ex inaduertentia taceat aliquod peccatum, vel circumstantiam; Ratio est, quia hoc munus est pœnitentis, qui est sui accusator, & testis, & ipse Iudex non tenetur interrogare de delicto, de quo sibi non constat, ita Medina *Cod. de confessione q. de confessione dimidiata iteranda*, & probabile putant Vasquez 3. *p. q.* 93. *art.* 3. *dub.* 7. *n.* 2. & Pellizzarius *tr. de Monialibus c.* 10. *n.* 201. quamuis probabilior, & communis sit opposita sententia, quam sequitur Suarez *disp.* 32. *de pœnit. sect.* 3. *n.* 7.

52 Si Confessarius præsumat confitentem ob infirmitatem, vel spiritus teporem non impleturum congruam pœnitentiam, debet ei iniungere, eam quam libenter admittet, etiam si esset *vnum Pater, & Aue*, aliuduè modicum; addito quod alia bona quæ fecerit, aut mala, quæ pertulerit patienter, offerat Deo, in debitam peccatorum suorum satisfactionem. Ratio est, quia Confessarius est index, & medicus, & vt medicus debet attendere ad debilitatem infirmi, Henriquez *lib.* 5. *cap.* 20. §. 5. *lit.* Q. Reginaldus *lib.* 7. *num.* 37. Pellizzarius *de Monialibus cap.* 10. *num.* 208. Possevinus *de officio Curati cap.* 7. *num.* 59.

Con-

Conscientia erronea.

53 TVnc agens contra conscientiam erroneam peccat, quando est moraliter liber ad peccandum, & non peccandum; qualis non est qui dubitat vtri præcepto parere teneatur, & quicquid agat putat se peccare, vt deserendo moribundum, & omittendo missam, vnde tunc quicquid agat non peccat, Sanchez *in Summa lib.1. c.11. n.13. & 14.* Rodriquez *in sum. tom.2. c.51. n.6.* Io: Sanchez *disp.41. n.27.*

Correctio fraterna.

54 NOn teneris ad correctionem in sequentibus casibus: Primò quando tibi certum non est crimen proximi: Secundò quando omninò præteritum est, cuius nullum periculum reincidentiæ imminet Soto relect. *de tegendo secreto mem.2. qu.2.* Bannes 2. 2. *qu.33. art.2.* Io: de la Cruz *in direct. in 5. precep. q.2. art.2. n.1. in fine*: Tertiò quando probabiliter non speratur emendatio, Caiet. *V. Correctio*: Quartò quando absque correctione tua, adhuc probabiliter speratur emendatio: Quintò quando non est locus, aut tempus opportunum corrigendi, non enim statim teneris corrigere, Suarez *de pœnit. disp.5. sect.5. §. huius autem responsionis, & §. hanc autem*: Sextò quando nequis corrigere sine graui tuo incommodo, Beccanus *p.2. c.21. n.26.* Valentia *to.3. disp.3. qu.10. punct.2.* Septimò, debet esse peccatum mortale, non autem veniale. Vide latè Dianã *tr. de correctione fraterna in 7. parte resol.5. 6. 11. 18. 19. 21. 22. & 26.*

. Cùm autem istæ circumstantiæ raró omnes concurrant: raró item euenit, quod præceptum correctionis obliget, præsertim homines vulgares, ac minoris authoritatis, vt ait Valentia *to.3. disp.3. q.10. punct.2.* & confirmat Granado 2. 2. *tract.12. disp.1. controu.3. num.6.* monens non facilè credendum esse, timoratos præsertim viros peccare mortaliter, ob omissionem correctionis fraternæ.

55 Quamuis aliquis teneatur ad correctionem, tamen excusatur à peccato mortali, si ex verecundia, timore, tepiditate, negligentia, aut simili causa non corrigat, venialiter tunc peccat; dummodò ita sit paratus, vt si probabiliter crederet ex sua correctione fratrem emendandum omnia postponeret charitati fraternæ; Ratio est, quia præcepta charitatis non ita strictè obligant; adeòque minora incommoda excusant, ac præcepta iustitiæ, S. Thomas *2.2. q.33. art.2. ad 3.* Io: à Cruce *in Directorio prac.5. q.2. art.2. n.4. concl.2.* Layman *l.2. tr.3. c.7. n.3.* Castro Palaus *to.1. tr.6. disp.3. pun.6. n.1. & 2.* Granado *2.2. tr.12. disp.1. controu.3. n.6.*

56 Hinc est, quod homo priuatus omittens correctionem ex negligentia, raró peccat mortaliter, peccabit autem tantùm venialiter, Eman. Sà *V. correctio numer.2.* Diana *par.7. tr.3. resol.61.*

57 Non tenetur Dominus eijcere famulum, qui concubinam extra domum habet, neque tenetur auferre cibos, ne frangat ieiunium, Villalobos *tomo 2. tract.4. diffic.6. num.5.*

58 Peccata carnis, quia tendunt in commune damnum Religionis, possunt absque præuia correctione denunciare Prælato, tanquam Iudici, Caspensis *in cursu Theologico tom.2. tr.27. disp.6. sect.4. num.39.* Vel tanquam Patri Mendozza *in 2.2. vol.2. disp.163. sect.5. §.237.*

59 Quamuis superior Monasterij peccet mortaliter, si permittat frequenter violari regulas ordinis, etiam si istę ad veniale obligarent, imò ad nullam culpam; Ratio est, quia superior ex officio tenetur procurare bonum progressum religionis, qui ex dicta permissione non modicum damnum pateretur, Sanchez *lib.1. summa c.6. n.19.* Naldus *verbo Prælatus num.11.* qui benè aduertit mirum non esse, superiores in isto casu peccare mortaliter, cùm subditi, vel nullatenus peccent in violatione regularum, vel tantùm venialiter: Nam etiam custos vineæ si videns ingredientes vineam seorsim, vt singuli racemum vnum, aut alium asportent, & non impediat (cùm ex officio teneatur impedire) mortaliter peccat, ob damnum notabile illatum vineę; ijs solùm venialiter peccantibus; sic etiam euenit in casu nostro, vt consideranti constabit. Tamen superior plerumque excusatur à peccato si non corrigat subditos, siue ob inaduertentiam, siue ex bona fide, siue quia non sperat fructum ex admonitione, imò timet maiora mala inde euentura Pellizzarius *de Monialibus cap.6. num.32. vers. obligatio.*

Debitum coniugale.

60 NOn est peccatum in aliquibus casibus denegare debitum coniugale. Primò quando blanditijs petitur absque præcisa intentione, vt reddatur, nisi aduertat, ita peti ex verecundia, reuera tamen præcisè vult reddi, quod contingit in vxore. Secundò, quando raró denegatur, vt si petenti quater in mense, semel denegatur; nisi aduertat periculum incontinentiæ, vt pollutionis extra vas. Tertiò, si ad breue tempus differatur, vt si petatur mane, reddatur serò; nisi periculum incontinentiæ aduertat. Quartò, quando petens facilè desistit cùm rogatur Hurtadus *de matrim. disp.10. diff.11.* Ochagauia de *sacram. tr.5. de matrim. q.1. num.6.* Diana *par.5. tr.14. resol.36.*

61 Variare situm in copula, sine vlla causa est veniale, cùm causa nullum est peccatum, dummodo seruetur debitum vas. Pontius *de matrim. lib.10. c.11. n.3.* Diana *par.1. tr.7. resol.35. & par.2. tr.15. resol.64.*

62 Copulam coniugalem habere eodem die post communionem, nullum est peccatum, Sanchez *de matrim. lib.9. disp.13. nu.17.* Reginaldus *tomo 2. lib.29. c.7. q.7. num.117.* Diana *par.6. tr.6. resol.14.*

63 Quando autem possit vxor communicare, si eodem die, aut pridie eius diei, viro debitum reddidit; optimè tradit Layman *lib.5. tr.4. cap.6. nu.15.* vbi sic ait: *Primò si mulier frequenter communicare soleat, v.g. omnibus diebus dominicis, aut festis, tum confessarius respondeat, eam obligari ad reddendum; alioquin periculum esse ne mortaliter peccet; tum contra Iustitiam, si marito seriò, & constanter petenti neget,* teste Sanchez *lib.9. disp.2. num.16. iuncta disp.13. nu.9.* Suarez *3. part. to.3. disp.68. sect.2. ad finem; tum contra charitatem ratione scandali: quia exinde rixæ, & odium conciliantur, & interdum maritus ea occasione frequentem vxoris communionem auersari solet, non sine Sacramenti irreuerentia. Nihilominus tamen mulier communicare poterit, & si compulsa necessitate debitum marito reddiderit; quia impleuit opus bonum, & ex Iustitia debitum: Si tamen ob mentis euagationem indispositam se sentiat, consulendum ipsi erit, vt intermittat; nisi iusta ratione cogatur. Secundò si mulier*

lier non frequenter communicat, ſed in præcipuis feſtiuitatibus; tunc reſpondeat confeſſarius, quod maritum commouere, & rogare poſſit, vt abſtineat in honorem feſtiuitatis, aut ſacræ ſuæ communionis; niſi ex tali commonitione mariti iram, aut offenſionem incurrere debeat: tunc autem ſi admonere facilè non poſſit, vel monendo nihil proficiat, debitum reddendum eſt petenti: atque nihilominus ad Eucharistiam accedere poterit, ſi animi diſtractionem, & indiſpoſitionem inſolitam non patiatur; vel etiam ſi patiatur, tamen ſine nota aliqua ſacram communionem intermittere non poſſit. Hæc Layman, & Io: à Cruz *in directorio par.2. de Euchariſt. q.5. num.5.*

Deſiderium prauum.

64 DEſiderare mortem propinqui, non ex odio, neque quia ipſius malum, ſed ob hæreditatem, non eſt peccatum mortale, Caſtro Palaus *tom.1. tr.6. diſp.4. punct.1. nu.11.* Azorius *par.1. lib.3. cap.12. q.2.* Eman. Sà *V. charitas num.8.* Io: Sanchez *diſp.2. num.9.* Paſqualigus *deciſ.474.*

65 Licitum eſt matri deſiderare mortem filiarum, non ex odio, ſed quia ob paupertatem, vel deformitatem nequeunt nubere iuxta ipſarum ſtatum, Azorius *tom.1. libr.3. cap.12. q.2.*

66 Licitum eſt deſiderare ſibi, vel proximo mortem, à Deo tamen infligendam, ad vitandam grauem infirmitatem, mendicitatem, aut ſimile incommodum, Io: Sanchez *diſp.2. n.9.* Granado 2.2. *controu.3. tract.6. diſp.2. ſect.4. num.22.* Diana *par.5. tract.14. reſol.92.*

67 Si legitimus Rex cum multorum ruina Rempublicam adminiſtrat fas eſt boni communis cauſa, ſimplici affectu optare, vt moriatur, aut eo mortuo gaudere, Layman *lib.3. ſect.4. num.17. verſ. notandum ſecundo.*

Detractio.

68 DEtractorem audiens, aut non corrigens, vel non reſiſtens excuſatur in ſequentibus caſibus. Primò quando non eſt certum id, quod dicitur eſſe mortale, aut infamans. Secundò quando audiens magnum damnum proximi non aduertit. Tertiò quando non eſt certum peccatum, quod narratur eſſe occultum; poteſt enim audiens præſumere eſſe publicum, non enim audiens debet malè iudicare de proximo, quaſi hic dicat ea, quæ licitè non poteſt, vnde faceret illi iniuriam reſiſtendo, aut corrigendo, debet itaque audiens eſſe certus, quod detrahens peccat mortaliter, vt teneatur corrigere; aut reſiſtere, Bonacina *de contract. diſp.2. qu.4. punct.11. num.8.* Rebellius *par.1. lib.4. quæſt.6. num.8.* Reginaldus *lib.24. numer.95.* Faber *in 4. ſent. de reſtit. diſt.15. quæſt.3. diſp.53. cap.3. num.127.* Diana *par.2. tract.17. reſol.24. par.3. tract.5. reſol.35. par.4. tract.4. reſol.228.* Card. Lugo *de iuſtit. diſp.14. num.228.* vbi ait: quod in hoc ſæpè falluntur ſcrupuloſi, qui ſtatim ac audiunt aliquid contra proximum, putant eſſe detractionem grauem, & debere impedire. Quartò ſi neque inducat ad detrahendum, neque approbet detractionem hilari vultu, neque de ea delectetur; non autem reſiſtit, aut non corrigit ex verecundia, dummodò moleſtia ruboris, ac verecundiæ magna ſit, & aliunde damnum ex detractione proximo imminens non ſit ingens, ac grauiſſimum vt mortis, aut ſimile, Soto *lib.5. de iuſtit. q.10. art.4.* Sanchez *lib.1. conſil. cap.3. dub.7.* Card. Lugo *de iuſt. diſp.14. num.129.* Quintò non peccat ſi detrahens ſit perſona grauis, aut timet aliquod damnum reſiſtendo, aut ſe nihil proficere putet reſiſtendo, vel corrigendo, his caſibus ſufficit non induxiſſe ad detrahendum; neque detractionem approbare; neque de ea delectari, Tannerus 2. 2. *diſput.4. quæſt.8. dub.7. num.151.* Sextò non peccat audiens, non corrigendo, quando detrahens eſt aliàs vir prudens, vel ab alio creditur corrigendus. Septimò non peccat non corrigens, quando timet notabile damnum, vt cum detrahens eſt perſona Illuſtris, & opponens ſe ei, eſt ſeruus, vel alia perſona abiecta, Reginaldus *lib.24. num.95. in fine.* Octauò quando expectat tempus magis opportunum pro correctione Granado 2. 2. *controu.3. tract.12. diſput.1. nu.6.7.8. & 9.* Nonò non peccat mortaliter neque audiens, neque ipſemet detrahens, ſi dicatur crimen proximi coram vno, vel duobus viris prudentibus, & taciturnis ſub ſecretò, non enim cenſetur hæc grauis læſio famæ, Caietanus 2. 2. *quæſt.73. art.2.* qui ex hoc excuſat parentes inuicem reuelantes crimina filiorum, Bauny *tr.4. qu.15. dub.8.* probabile eſſe docet Io: de la Cruz *in direct. p.1. præc.8. quæſt.2. art.2. num.2.* Diana *par.3. tract.5. reſol.33. par.2. tract.17. reſol.22. par.6. tract.7. reſol.9.* Cardinalis Lugo *de Iuſtitia diſput.14. numer.128.* Decimò excuſatur à peccato audiens detractorem ex neceſſitate, aut pietate Io: de la Cruz vbi ſuprà. Vndecimò venialiter tantùm peccat, qui audit detrahentem, quem poſſet impedire, ſed ex negligentia non impedit ſine vllo affectu malo, aut cooperatione ad malum, aut etiam qui malo ex detractione ſequuto non obuiat, veritatem aperiendo, ſi falſum ſit id, de quo infamatus eſt proximus. Reginaldus *lib.24. num.95. verſ.3. propoſitio.* Duodecimò non peccat, quando id quod dicitur, facile reparari poteſt ab ipſo audiente, oſtendendo eius falſitatem. Lugo de Iuſtitia *diſput.14. numer.128. verſ. deinde*, qui addit ſequentes caſus. Decimotertiò *non peccat auditor, quando incepta ſemel detractione, melius conſulitur proximo permittendo detractionem progredi, quàm illam ſtatim impediendo: remanent enim auditores cum illa notitia confuſa de grauitate rei, quæ dici cœperat, & fortaſſe concipiunt in genere aliquid grauius; quod ſi rem totam diſtinctè audiſſent, aduerterent non eſſe rem ita grauem, prout prius in confuſo conceperant*, ita Lugo loco citato. *Decimoquartò non peccat audiens detrahentem, quando non poteſt ſe illi opponere ſine graui eius offenſione, qui ægrè fert corrigi in publico, & redargui, quaſi iniuſtè famam proximi inuaderet*, ita Lugo. *Decimoquintò nec peccat auditor, quando contingit detrahentem habere iuſtam cauſam rem manifeſtandi, quia id facit, vel vt conſilium petat, vel vt te vtiliter moneat, vel vt dolorem ſuum ex iniuria illata iuſtè leniat.* Ita Lugo, qui dicta *diſput.14. numer.129.* pro ſcrupuloſis ſic ſcribit. *Decimoſextò damnum, ex quo non teneris detrahentem impedire, aut corrigere in ſcrupuloſis latiùs multo interpretandum communiter eſt: quia ipſi ex hac obligatione impediendi detractiones longè grauius detrimentum ſubeunt quam alij. Tum quia propter ſcrupulos neſciunt in praxi diſcernere caſus, in quibus habent obligationem impediendi, ab ijs, in quibus non habent, atque adeo imponunt ſibi grauiſſimum onus, nempè procurandi impedire, quoties conſcientia ſcrupuloſa vrget ad impediendum. Tum quia etiam quando reuera eſſet talis obligatio pro alijs, ipſi*

tamen

tamen cum ſcrupuloſi exiſtimentur, putantur facere ex ſcrupulo, & faciliùs deſpiciuntur, & coguntur maiorem alijs ruborem, & moleſtiam ſubire: quare ij rariſſimè tenentur ſub mortali ad conſulendum famæ proximi cum tanto ſuo incommodo, & moleſtia. Hæc Card. Lugo, qui in dicta *disput.14. de iuſtit.numer.128.* rectè infert obligationem impediendi, ſub peccato graui, detractionem, raram eſſe, inter æquales, rariſſimam in inferiori reſpectu perſonæ ſuperioris.

69 Curioſitas audientis, aut inquirentis alterius defectum, aut optantis certificari, niſi intercedat circumſtantia infamiæ proximi, eſt ſolum veniale peccatum, Io: à Cruz *præcep.8. quæſt.2. art.2. in fine.*

70 Detractio ex lapſu linguæ, & ſic ex defectu plenæ deliberationis, & aduertentiæ eſt venialis, Io: à Cruz *in direct. par.1. præc.8. quæſt.2. art.2. num.1.*

71 Detractio generalibus verbis facta excuſatur à mortali, dicendo aliquem eſſe ſuperbum, auarum, ambitioſum, mendacem, quia iſta, vel ſignificant naturalem inclinationem, vel culpam venialem; Vnde non erit obligatio reſtituendi famam; niſi ratione perſonæ, vt de Prælato, vel graui Religioſo, qui erat in opinione probatiſſimæ vitæ, Diana *par.3. tract.5. reſol.30. not.4. & par.5. tract.5. reſol.69.*

72 Quando huiuſmodi eſt perſona, quæ ex detractione non reputat ſe infamari, vt ſi de aulico dicas quod cum meretrice dormiuit, eſt tantùm veniale peccatum, imò aliquando nullum peccatum, Io: à Cruz *in directorio p.1. præc.8. q.2. art.2. n.1.*

73 Non eſt mortale aperire defectus naturales, aut aliquem eſſe illegitimè natum, adulterinum, aut obtuſi ingenij, aut ſemifatuum, aut indoctum, niſi ex hoc proximus eſſet valdè contemnendus, Petrus Nauarra *lib.2. cap.4. numer.307.* Io: à Cruce *præcep.8. quæſt.2. art.2. num.2.*

74 Non eſt mortale, imò aliquando nullum peccatum, ad leniendum dolorem, narrare amico acceptam iniuriam, aut graue damnum, durum eſt enim, & ſupra humanas vires hęc intra ſe concoquere vt ait Leſſius *lib.2. cap.11. dub.12.* Petrus Nauar. *lib.2. de reſtit. cap.4. numer.210.* Ioan. Sanchez *diſp.2. numer.10.* Syluius *2. 2. quæſt.62. art.2. quæſt.15.* Imò Ioannes à Cruce *præc.8. quæſt.2. art.2. dub.3. concl.1.* & Ludouicus Lopez *to.1. cap.263.* putant non eſſe mortale, ſi ob vehementem dolorem, in publicas quærimonias prorumpat, hoc enim homini naturaliſſimum eſt.

75 Peccatum, quod in vno loco publicum eſt, poteſt abſque mortali vbicumque narrari, quamuis illuc fama peruentura non eſſet, Fagundez *præcep.2. lib.5. c.3. n.14.* Nauar. *cap.18. n.26.* Ioannes à Cruce *præc.8. q.2. art.2. num.3.*

76 Infamatus per publicam ſententiam Iudicis, poteſt abſque vllo peccato, vbicumque diffamari, ita Soto, Medina, Bannes, & Alij communiter, quos ſequitur Io: à Cruce *præc.8. quæſt.2. art.2. num.3.*

77 Auditum crimen, ſimpliciter, ſine noua aſſecuratione, vel confirmatione, narrare, etiam ſi quis aduertat aliquos ex audientibus temerè credituros, non eſt peccatum mortale, quia damnificatio famæ in tali caſu, non eſt tam dicentis, quàm audientis, ita Caietanus, Sotus, Tannerus, Syluester, Armilla, Eman. Sà, Gabriel, Adrianus, & Faber, quos citat, & ſequitur Diana *par.3. tract.5. reſol.28.*

78 Qui verum, ſed occultum crimen dixit, ſufficienter reſtituit famam, ſi nunquam de eodem facto loquatur, ac procuret, accepta occaſione, coram iiſdem honorificè loqui de diffamato, Caiet. *2. 2. quæſt.72. art.2.* Villalobos *in ſumma tomo 2. tr.11. diffic.37. nu.4.* Diana plures alios referens *par.3. tract.5. reſol.30.*

79 Tenetur diffamator ſe retractare tantùm coram ijs, apud quos detraxit, non autem coram illis, ad quos diffamatio peruenit, ex narratione audientium; tum quia hoc eſt penè impoſſibile; tum quia poſterior diffamatio fortuitò quaſi ſequitur ex audientium malitia, ita Philippus Faber *de reſtit. in 4. ſent. diſt.15. qu.3. diſp.35. cap.1. num.37.* Diana *par.3. tract.5. reſol.34.*

Electio.

80 Dignus omiſſo digniori poteſt eligi. Primò, quando exceſſus non eſt notabilis. Secundò quãdo dignus eſt Indigena, dignior alienigena. Tertiò, quando maior pars electorum concurrit in dignum. Quartò, quando dignus eſt magis expertus. Quintò, quando minus eſt à reſidentia impeditus; Valerus *in differentijs vtriuſque fori verbo Electio diffic.1. num.1.* Sextò ſi Princeps vult eligere dignum, omiſſo digniori, poteſt Conſiliarius in electionem conſentire, ſi Princeps petat ab eo conſenſum; ſed non poteſt præbere conſilium; conſilium enim eſſet contra conſcientiam, non autem conſenſus; diſparitas eſt, quia in dando conſenſu ſufficit, quod bonum eſt proponi; at in conſilio, quod eſt melius conſuli oportet, ita Ludouicus Beia *par.3. caſu 38. verſ. ex his omnibus.*

Eleemoſyna.

81 In communi neceſſitate, neque ſub veniali, tenetur diues ad eleemoſynam, Mendozza *2.2. diſput.159. ſect.6. §.131.* Diana *par.2. tract.15. reſol.32. & tr.16. reſol.26. & par.5. tr.8. reſol.17.*

82 Penſionarius, etiam ſi penſio ſit Eccleſiaſtica, non habet peculiarem obligationem faciendi eleemoſynam, quia penſio Eccleſiaſtica non eſt beneficium; tum quia illi datur tanquam clerico pauperi, pauper autem non tenetur ex acceptis eleemoſynis, ad aliam eleemoſynam, Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna dub. vlt. num.22.*

83 Epiſcopus in communibus neceſſitatibus tenetur ad quartam partem omnium redditum, vel ſaltem ad medietatem reſidui dandam in eleemoſynam: ſed in neceſſitate graui tenetur ad totum reſiduum, ſeu totum ſuperfluum. Ex his tamen detrahenda ſunt, quæ dantur Epiſcopo pro induſtria, vel labore perſonali, vt ſunt diſtributiones quotidianæ, eleemoſina pro Miſſa, concione, exequijs, ita enim reputantur quaſi patrimonialia, vnde de his non tenetur ad eleemoſynam.

84 Cęteri beneficiati tenentur ad ſextam ſaltem partem fructuum beneficij, vel medietatem reſidui dandam in eleemoſynam, ita Mendozza *2. 2. de Charitate vol.2. diſp.160. ſect.15. §.105. vſque ad §.110.* Diana *par.5. tract.8. reſol.27.*

(.·.)

Emptio.

Emptio.

85 VT nequeas emere, non sufficit dubium, aut probabilitas rem esse furtiuam, sed debet esse moraliter certum, Castropalaus *tom.1. tract.1. disp.3. pun.3. num.5.* Diana *par.4. tract.3. resol.27.*

Excommunicatio.

86 NOn incurrit excommunicationem percutiens Clericum minorum ordinum, non beneficiatum, qui ex vsu non incedit in habitu, & tonsura. Ratio est, quia cum iste ex Tridentino amittat priuilegium fori, quod difficiliùs amittitur, à fortiori perdit priuilegium canonis, tum quia sequeretur, quod qui puer prima tonsura initiatus esset, etiam si numquam postea habitum defferret, gauderet priuilegio canonis, Suarez *de censuris disp. 22. sect.1. num.11.* Coninchius *de Sacramentis disp.14. dub.15. num.163.* Layman *lib.2. tractat.5. par.2. cap.5. num.4.* Bannes *2.2. quæst.12. art.1. circa finem.* Grasslius *de casibus reseruatis lib.1. cap.8. num.8.*

87 Potest Sacerdos licitè orare pro excommunicato, tanquam priuata persona, etiam in Memento, vel quacunque parte Missæ; sed non potest offerre sacrificium; quia sic se habet vt persona publica, & vt minister Ecclesiæ, Suarez *de censuris disp.9. sect.5. §. nihilominus,* Filliucius *tom.1. tract.12. cap.2. num.51.*

88 Nullum est peccatum, neque veniale, tam in diuinis quàm in humanis communicare cum excommunicatis non denunciatis, qui non sunt publici percussores Clericorum, etiã si inuitentur, & prouocentur, quia in extrauaganti *ad euitanda* id concessũ est, vt scrupulis conscientiarum timoratarum adhibeatur remedium, Hurtadus *de excomm. disp.2. diff.4. nu.13.* Diana *par.5. tract.9. res.117.*

89 In dubio an aliquis sit excommunicatus, vel an sit denuntiatus, non tenemur eum vitare, Suarez *de censuris disp.15. sect.3. §. deinde.*

90 Communicatio, etiam in diuinis cum excommunicato denunciato, ob paruitatem materiæ, excusatur à peccato mortali, vt si cum ipso Missæ sacrificio assistas vsque ad Euangelium, vel si priuatim semel cum ipso recitares diuinum officium, Suarez *de censuris disp.12. sect.2. §. addit verò,* Diana *par.5. tract.5. resol.21.*

91 Communicare cum excommunicato denũciato in humanis, & ciuilibus actionibus est tantùm veniale peccatum, cessante tamen graui scandalo; incurritur tamen minor excommunicatio, Suarez *tom.5. disp.15. sect.1. nu.2.* Sayrus *lib.2. cap.11. num.2.* Diana *par.5. tract.9. res.2.*

92 Non est prohibitum aperire caput excommunicato denunciato, dummodo verbis non salutetur, Turrianus *lib.2. disp.13 dub.1.* Sayrus *de censuris lib.2. cap.3. nu.7.*

93 Licitum est etiam verbis resalutare excommunicatum, quia hoc est soluere debitum Vrbanitatis, sic licitum est respondere eius epistolæ. Reginaldus *lib.31. cap. 12. numer.81.* Io. Henriquez *in compendio casuum moralium cap.20. num.20.* Diana *par.5. tract.9. resol.116.*

94 Licitum est communicare cum excommunicato ob propriam vtilitatem, vt petere ab eo debiti solutionem, aut petere consilium, eleemosynam, emere, &c. quando ista ab alijs commodè præstari non possunt, Suarez *de censuris disp.15. sect.3. §. 3. caput.* Hinc puto licitum esse communicare cum excommunicato, quando abstinendo à communione subest probabile periculum grauis inimicitiæ, aut grauis damni, nam si possum communicare propter propriam vtilitatem, à fortiori ob vitandum graue periculum: tum quia nulla lex Ecclesiastica obligat cum graui incommodo. Nisi communicatio esset adiuncta grauiori scandalo, aut esset in contemptum censuræ.

95 Si vnus ex conseruis sit excommunicatus denunciatus, alij cum ipso communicare possunt, si commodè nequeunt eum vitare: sicuti excommunicato Domino serui, & famuli possunt cum eo communicare, Villalobos *tom.1. tract.17. diffic.13. num.17.*

96 Si aliquis sit denunciatus in vno loco, in alio loco vbi occultum est, eum esse denunciatum, non teneor vitare, neque in occulto. Præpositus *3. par. quæst.2. dub.16. nu. 114.* Layman *lib.2. tract.5. par.2. cap.5. num.4.* Diana *par.5. tract.9. resol.134.*

97 Cum eo qui publicè, & nominatim denunciatus est excommunicatus communicare poteris, si testis vnus fide dignus dixerit, fuisse absolutum, vel si ipsemet excommunicatus dicat, & nulla sit causa præsumendi eum esse mendacem: vel si fama publica sit esse absolutum, vel si communiter pro absoluto habeatur: vel si multum temporis transijt ab excommunicatione, & considerata conditione personæ, & negotij verisimile non est, toto eo tempore in excommunicatione insorduisse, Nauarrus *cap.27. num.36.* Syluester *verbo excomm.5. num.26.* Suarez *de censuris disp.15. sect.2. §. aliud dubium.*

Festum.

98 LIcita sunt in die festo opera ingenua, non seruilia, etiam si fiant lucri causa, huiusmodi sunt aucupari, venari, piscari, Pasqualigus *decis.143. num.4.* pingere, aut facere recamaturas, Pasqualigus *decis.142. num.3. & decis.148.* sic designare in chartis, scribere, aut transcribere, etiam propter lucrum, Armilla *V. festum* Io. à Cruce *in direct. par.1. precept.3.* Pasqualigus *decis.139. & 140.* Iter habere etiam pedestrem, Pasqualigus *decis. 146.* licitum est etiam tabellioniibus testamenta, instrumenta, aut publicas scripturas, nisi contineant actus iudiciales prohibitos, conficere, etiam sine vlla necessitate. Pasqualigus *decis.152. num.4.*

99 Opera seruilia in diebus festis licita sunt ratione necessitatis, aut magnæ vtilitatis, huiusmodi sunt, si artifex promisit pro certo die vestes, & timet aliquod damnum, nisi stet promissis, Layman *lib.4. tract.7. cap.7. nu.2.* Diana *par.4. trac.4. resol.62.* Pasqualigus *decis.296.* qui excusat ob necessitatem se suamque familiam sustentãdi; sic excusatur famulus, qui si non obediret domino magnum incurreret damnum, Pasqualigus *decis.298.*

100 Ratione pietatis, etiam excusantur opera seruilia in die festo, vt si quis ob deuotionem, & eleemosynam secretò laboraret in gratiam pij loci, vt suendo; secus si opus esset publicum, vt fabrica, Palatius *in Summa Caietani V. festum,* Villalobos *in manuali Confessarior. cap. 22. num.80.* Marchantius *resolutionum Pastoralium ad Decalogum par.1. cap.3. quæst.2.* Diana *par.4. tractat.4. resol.117. & par.5. tract.13. resol.83.*

101 Eadem ferè ratione pietatis, seu potius consuetudinis excusantur ornantes templum, quamuis præcedentibus diebus facere potuissent, Bonacina *de Legibus disp.5. qu. vnica pun.3. nu.3.* Fagundez *præc.1. lib.1. cap.4. num.4.*

102 Lauare autem purificatoria, aut vasa sacra licitum est in die festo, quia per se spectat ad munus Subdiaconi, vnde non est opus seruile. Pasqualigus *decis.*288.

103 Ratione quoque pietatis excusantur puellæ, quæ ad vitandum otium, atque peccata, & ne se conspiciendas in fenestris exhibeant suendo, aut alijs operibus seruilibus occupantur in festo, Emanuel Sà *V. festum num.6.* Homobonus *vol.1. par.2. respons.*35. Syluester *V. dominicu quæst.5. concl.4.* Io. à Cruce *præc.3. artic.1. in fine* Diana *part.4. tractat.4. resolut.62. & part.3. tractat.5. resolut.*8.

104 Ratione consuetudinis in plurimis locis excusantur barbitonsores, Sayrus *in claui Regia lib.7. cap.2.num.* 11. Fernandez *in exam. Theol. par.1. capit.7. §. 1. numer.6.* Pasqualigus *decis.*289. *num.9.* qui eos etiam excusat ratione damni, quod alioquin subirent.

105 Ratione paruitatis materiæ excusatur à mortali, vnde petens à barbitonsore suam operam in die festo, etiam in loco, vbi non esset consuetudo, peccat venialiter, Pasqualigus *decis.*289. *num.*10.

106 Sic ratione paruitatis materiæ excusatur laborans per duas horas in die festo, ita Filliuccius *tom.2. tract.27. cap.11.num.*205. Ioan. Henriquez *in compend. casuum moralium cap.7.num.4.* Granado 2.2. *contron.6. tract.2, disput.2. sect.6.num.*54. Diana *par.2. tract.15. resol.36. & par.3.tract.5. resol.8. & par.5. tract.5.resol.6.* Pasqualigus *decis.*300.

107 Ratione dispensationis excusatur, si quis in dubio an sit sufficiens necessitas, aut causa petat dispensationem; nam quando necessitas, vel causa est certa, & euidens, requiritur licentia.

108 Hanc autem licentiam Parochus solet concedere, Ioannes à Cruce *in directorio præc. 3. art.1. num.4.* Lopez *par.1. Instruct. Confess.cap.*52.

Horæ Canonicæ.

109 EXcusatur etiam à mortali omittens tres lectiones cum responsorijs, est enim parua materia, Sanchez *in Sum.tom.1. lib.1. cap.*18. *num.*8.

110 Quis syllabas ob celeritatem notabiliter, & voluntariè abscindit, ratione paruitatis materiæ excusatur à mortali; dummodo verborum sensum notabiliter non corrumpat, Azorius *par.1. lib.10. capit.4. quæst.11.* Filliuccius *tract.23. cap.7.num.*242. Diana *par.2. tract.12. resolut.*32.

111 Vbi notat raro notabiliter corrumpi verborum sensum, Pellizzarius *de Monialibus cap.6. num.17. vers. moneo* 5. Sanchez *consiliorum lib.7. cap.2. dub.17. vbi numer.3.* Notat non oportere Clericos nimis esse scrupulosos casu, quo putant se non integrè pronunciasse, vel aliqualiter syncopasse, vel verba aliqua solo gutture dixisse, nisi defectus sit valdè notabilis.

112 Qui verò ob imperitiam, vel balbutiem syllabas detruncat, nullatenus peccat, Villalobos *tom.1. tract.24. difficul.10. num.7.*

113 Satisfacit recitans cum eo, cuius verba ob pronunciandi celeritatem, non benè percipit, Diana *part.2. tract.12. resol.*32.

114 Recitans cum socio sufficit audire antiphonas, ac lectiones, Villalobos *tom.1. tract. 24. dub.11. num.4.* Diana *par.2. tract.12. resol.*22.

115 Occupatus in seruiendo, vt thuriferarius, vel Acolytus, aliquid omittens, quod cantatur à Choro, aut non audiens, satisfacit, quia facit vnum cum ceteris canentibus, Layman *lib.4. tractat.1. cap.5. num.7.* Reginaldus *lib.18. num.*188. Diana *par.2. tract.12. resol.*13.

116 Dubitans an aliquem Psalmum omiserit, non debet repetere, imò scrupuloso expressè id præcipi debet à Confessario, Suarez *tom.2 .de religione lib.4.cap.26. num.* 20. Azor. *tom.1. lib.10. cap.12. in fine*, Rodriquez *tom.2. Summæ cap.*53. Diana *par.4. tract.3. resol.*68. idem Rodriquez *qq. regular. tom.3. quæst.66. art.3. dub.3.* Vbi ait: scrupulosum non debere repetere, quamuis sibi videatur fuisse voluntariè distractum, aut omisisse vel non rectè pronunciasse: maius enim damnum est inquietudo, & fouere scrupulos, quàm sit distractio, vel omissio, & sic cum tanto damno spirituali malè facit repetendo, & Sanchez *Consiliorum lib.7. cap.2. dub.34.num.4.* indistinctè loquens, etiam de homine non scrupuloso, citans Nauarrum, Sandoual, Angles, & alios, ait: *Recitantem horas non teneri repetere, quod non meminit se dixisse, modo non recordetur se non dixisse, & coniecturam iustam habeat credendi quod dixerit: qualem videtur habere is, qui scit communiter se non errare in tali hora:* Immò addit, Sanchez *num.4. recitantem in hoc casu, malè facere si repetat: cum det locum scrupulis; & si recordetur se incapisse Psalmum, Lectionem, aut talem horam, & postea casu distractus inuenit se in fine talis horæ, legendo ex libro, vel memoriter dicendo ea, in quibus communiter non solet errare: iustè potest credere se totum dixisse, & vltra progredi*, ita Sanchez, quem sequitur Pellizzarius *de Monialibus cap.6. num.17. vers. moneo* 6.

118 Surdus assistens choro, & cantans satisfacit obligationi, quamuis alteram partem non audiat; quia facit quantum potest, & oratio totius chori reputatur singulorum, & à singulis Deo offertur, Suarez *de religione tom. 2. lib.4.capit.28. numer.*18. Ægidius Trulleack, & Alexander Moneta, quos citat & sequitur Pasqualigus *decis.*407.

119 Habens intentionem, cum recitat, tunc non satisfaciendi, sed iterùm dicendi, non debet repetere; nam reuera satisfecit, præcepta est enim pronunciatio, non intentio, Portel *de dubijs regular. verbo hora canon. num.5. in addit.* Diana *par.2. tractat.12. resolut.*37. Sanchez *in Sum.lib.1. cap.13. num.13. 14. & 15.* Vasquez 1.2. *quæst. 100.art.9.in expositione litteræ à num.5.* Lessius *lib.2.cap. 37. dub.10.num.59.& cap.46. dub.6.num.*42. Fagundez *præc.1. lib.2. cap.7. num.*24. vbi latè, & optimè probat, quamuis non mutasset animum.

120 Voluntariè distractus, dummodò exteriùs attendat, idest tunc non se occupet in actu externo incompossibili cum attentione orationis, peccat venialiter tantùm, & satisfacit præcepto, ita Durandus, Syluester, Medina, Angelus, S. Antoninus, Rosella, Paludanus, Coninchius, Valerus, & alij apud Diana *par.2. tract.12. resol.2.* & alij, quos citat Sanchez *lib.7. consil. cap.2. dub.28.nu.6.* Deuotè autem recitat attendens aut *verbis*, aut *sensui*, aut *Deo*.

121 Rectè autem monet Caietanus 2. 2. *quæst.83.art.17.* vbi ait: *Quod sæpe scrupulosi occupant suam mentem, quod velint esse intenti, & attenti, quod potius est euagatio, quàm attentio, habentes potiùs attentionem ad intentionem habendam, taliter quod intentio sit obiectum suæ attentionis, potiùs quàm ad verba distinctè, & reuerenter dicenda, Si enim scrupulus conscientiæ in nihilo*

damnat,

damnat, ad quid illa nimia sollicitudo ad vitandum? ita Caietanus.

122 Satisfacit, qui ita submissa voce pronunciat, vt se ipsum non audiat, dummodo labia moueat; ratio est, quia præceptum est pronunciandi, non audiendi, Bonacina *de horis Canonicis disp.1. quæst.3. pun.1. num.23.* Azorius *par.1. lib.10. cap.11. quæst.4.*

123 Recitans Matutinum sequentis diei immediatè post vesperas, idest per duas horas post meridiem, satisfacit, Sanchez *in opuscul. tom.2. lib.7. cap.2. dub.37. num.4.* alij dicunt posse recitari hora vigesima diei artificialis, Molfes. *tom.1. tract.5. cap.2. num.59.* Faber *in 4. sent. de Sacram. ordinis dist.24. quæst.1. disp.1. num.148.*

124 Nullum est peccatum vna hora anticipare, aut postponere tempus statutum officij, etiam sine vlla causa Sanchez *opusc. to.2. lib.7. c.2. dub.35. nu.5.* legitimum autem tempus matutini est ab occasu ad ortum solis, seu vna hora ante occasum, & vna hora post ortum solis, Quatuor horarum est post ortum solis vsque ad meridiem: Vesperarum per duas circiter horas post meridiem: Completorij propè noctem.

125 Neque venialiter peccat, qui ex aliqua iusta causa, quamuis non graui, anticipat, vel postponit; Huiusmodi causa sufficiens erit maior deuotio, studium, periculum superuenientis occupationis, Sanchez *opusc. tom.2. lib.7. dub.36. num.3.* qui ait ex sententia doctorum virorum sufficientem esse causam maiorem commoditatem.

126 Recitans matutinum sequentis diei, antequam absoluat officium diei præsentis, non peccat mortaliter, etiam si id faciat sine causa; immò neque venialiter, si cum causa, Diana *par.2. tract.12. resol.15.* vbi affert Suarez, Vasquez, Reginaldum, & Villalobos.

127 Interrumpens officium in quacumque parte, etiam per duas horas, & etiam animo repetendi ab initio, non tenetur repetere, sed prosequi potest, Sanchez *in opusc. tom.2. lib.7. cap.2. dub.19. num.5.* Fernandez *par.3. cap. 13. §. 7. num.5.* Lessius *lib.2. cap.37. dub.10. num.57.* Diana *par.2. tract.12. resol.4.* vbi citat decem grauissimos doctores, & *par.4. tract.4. resol.17.* Pellizzarius *de monialibus cap.6. num.17. vers. moneo 3.*

128 Non tenetur ratione infirmitatis recitare, quando Medicus dubitat de damno graui ex recitatione; tali enim periculo non tenetur se exponere, Bonacina *de horis canonicis disp.1. quæst.6. pun.2. num.5.* Diana *par. 2. tract.12. resol.28.*

129 Non ex eo, quod infirmus nullum experiatur incommodum, vel damnum colloquendo cum amicis, sequitur quod teneatur ad recitandum; nam ad hoc requiritur attentio, & maximè caput vexat, quod non est in familiari colloquio Io. Sanchez *in selectis disput.15. num.2.* Diana *par.2. tract.12. resol.43.*

130 Infirmus, qui potest commodè recitare cum socio, non tenetur; etiam si socius se offerat; hoc, enim est priuilegium, quo vti ei liberum est, vnde neque tenetur cæcus cum socio se offerente recitare Io. Sanchez *disp.15. num.2.* Diana *par.2. tract.12. resol.43.*

131 Qui non potest recitare Matutinum cum laudibus, ad nihil vltrà tenetur, Garsias *de beneficijs tom.1. part.3. cap.1. num.222.*

132 Qui inculpabiliter recitauit vnum officium pro alio, aut ex negligentia inquirendi; nullum peccatum admittit si non repetat; nam non est intentio Ecclesiæ cum tanto incommodo obligare ad certum officium, Suarez *de Religione tomo 2. lib.4. capit.23.*

133 Recitans officium pro officio, etiam sine causa, ex quadam accidia animi, vt facilius, ac breuius officium absoluat, peccat solùm venialiter; vt si dicat officium de Sancto loco officij de feria, ita sedecim grauissimi Doctores, quos refert Diana *par.2. tract.12. res.3.* Pellizzarius *de monialibus cap.6. num.17.* qui cum Diana *part.5. tract.5. resol.26.* rectè limitat, nisi diceret officium omnium breuissimum, vt Resurrectionis.

134 Nullatenus peccare censeo eum, qui voluntariè in itinere recitat vnum officium pro alio, quando graue incommodum est illi officium eius diei recitare, vt si tota die equitaret, quo tempore nequit vti breuiario, aut alio libro: serò verò accedit tardè ad hospitium fatigatus; quare posset equitando aliquos Psalmos B. Mariæ, aut alicuius sancti memoriter recitare, & serò dicere lectiones: Ratio est quia non videtur cum tanto incommodo pia Mater Ecclesia obligare ad determinatum officium, quamuis autem tale incomodum non excuset ab omnimoda recitatione; excusat tamen ab obligatione determinati officij: tum quia probabile est, etiam post decreta sacræ Congregationis non peccare mortaliter cum, qui loco officij de feria, recitaret de Sancto, vel è contra; quia hoc non spectat ad substantiam, sed ad modum recitandi, sicuti non peccat mortaliter qui in festo duplici, celebraret Missam votiuã de alio Sancto; sacra autem Congregatio tantùm prohibuit, ne Episcopi præciperent aliorum Sanctorum officia, quæ non sunt in Kalendario Breuiarij Romani: hoc enim Apostolicæ sedi reseruatum est; quare nihil de nouo est decretum de priuata recitatione vnius officij, pro altero, eorum Sanctorum qui sunt Romani Breuiarij Kalendario: Vnde id non esse mortale peccatum, sed tantùm veniale, cum fit voluntariè, & sine legitima causa docent Caietanus, Layman, Lessius, Valentia, Zerola, Vega, Binsfeldius, Syluester, Sotus, Medina, Armilla, Azorius, & Rodriquez, quos citat, & sequitur Diana *par.2. tractat.12. resol.3.* ergo si sine causa voluntariè recitare officium pro officio est veniale, cum vrgenti causa fatigationis ex itinere nullum erit peccatum, tum quia fatigatus ex itinere excusatur à ieiunio; ergo à fortiori excusatur à minori obligatione recitandi determinatum officium de feria; si nequeat sine graui incommodo recitare, cuius loco poterit eo die, vel recitare ritu semiduplici officium simplex alicuius Sancti occurrentis eo die, vel officium nouem lectionum Beatæ Mariæ Virginis: Tum quia excusatur à peccato pauper Sacerdos, qui non potest sine notabili incõmodo emere Breuiarium nouissimum, in quo sint aliqua officia nuper addita de præcepto Vrbani VIII. & aliorum Pontificum; ergo notabile incommodum excusat recitantem officium pro officio. Sed nolo huius opinionis nouus author haberi: cogita.

135 Probabile est omittentem litanias in diebus Rogationum nullo modo peccare, ita Pellizzarius *de monialibus cap.6. num.17. in fine,* id enim docent Sotus, Armilla, & Syluester, quos citat, & sequitur, Vasquez *de beneficijs cap.4. §.1. art.2. dub.1. num.58.* Azorius *tom.1. lib. 10. cap.16. quæst.4.* Graffius *decis. par.1. lib.2. cap.53. num.24.* Homobonus *consult. vol.2. par.5. respons.245.* Diana *par.2. tract.12. resol.56.* Ratio est, quia litaniæ sunt pars Psalmorum pænitentialium, ad quorum recitationem in diebus signatis, Papa inquit se nolle obligare.

136 Plures voluntates omittendi officium vnius diei, sunt

vnicum peccatum; quia continuantur in externa omissione, ita probabile esse dicunt, Bonartius *de boris canonicis lib.2. cap.20. num.6.* Diana *par.4. tract.4. res.*219

Ieiunium Ecclesiasticum.

137 Ratio vrbanitatis excusatur inuitatus, parum comedens, adeò vt nullatenus peccet, Medina *in Summa lib.1. cap.14. §.10.* Fagundez *prae.4. lib.1. cap.4. num.15.* Filliucius *tract.27. par.2. cap.2. num.41.* Llamas 3. *par. cap.5. §.25.* Diana *par.1. tract.9. resol.29.*

138 Ratione paruitatis materiæ excusatur à mortali, comedens duarum vnciarum quantitatem, Turrianus *in Summa par.1. capit.256. dub.27. numer.2.* Diana *par.5. tract.5. resol.11.*

139 Ratione minimæ quantitatis, puto excusari etiam à veniali, vt si quis quatuor amygdalas saccaro conditas sumeret.

140 Ratione vitandi nocumenti, ne potus noceat pariter excusatur, sumens toties quoties bibit, aliquid parum, vt sex amygdalas, aut modicum frustulum panis, Layman *lib.4. tract.8. cap.1. num.7.* Fagundez *prae.4. lib.1. cap.2. num.20.* Villalobos *tom.1. tract.23. difficul.8. num.14.* Reginaldus *lib.4. cap 14. dub.4. numer.17.* Diana *par.1. tract.9. resol.24.*

141 Ratione inaduertentiæ excusatur, vt si quis inaduertenter comedat, qui serotinam collatiunculam non tenetur omittere, nisi propè tempus ipsius comedisset Io. Sanchez *disp.52. num.3.* Diana *par.1. tract.9. resol.1.*

142 Ratione artificij, quicumq; artifex excusatur, quamuis non esset ars laboriosa, cum enim difficillimum sit distinguere artem laboriosam ab ea, quæ talis non est, ideò ad animarum quietem indulsit Eugenius IV. vt nullus artifex obligetur ad ieiunium, quare sartores, barbitonsores, pictores, typographi, scriptores, & similes excusantur, Fagundez *praecep.4. lib.1. cap.7. num.15. &* 16. Io. Machadus *de perfecto Confessario tom.2. lib.6. par. 8. tract.7. documento 5. num.2. & docum.4. num.2.* Diana *par.8. tract.7. resol.55. &* 56.

143 Artifices pariter excusantur, si vno, vel altero hebdomadæ die non laborant, nam non assueto durissimum est ieiunium, Io. à Cruce *in Director. part.1. praecep.3. art.4. num.7.*

144 Ratione itineris excusatur, quacumque ex causa, & quomodocumque iter agat, siuè equester, siuè in curru, siuè necessariò, siuè voluntariè Io. Machadus *de perfecto confessar. tom.2. lib.6. pat.6. tractat.6. documento 3. num.1.* Diana *par.8. tract.7. resol.40.*

145 Ratione periculi prolis excusantur prægnantes, ac lactentes à ieiunio, non tamen ab abstinentia carnium, Molfesius *tom.1. tract.10. cap.4. num.40.* Diana *par.1. tract.9. resol.14. & par.4. tract.4. resol.126.* Io. à Cruce *in director. prac.3. artic.4. num.7.*

146 Ratione dispensationis, quando causa excusans est dubia, excusatur, nam dispensatio superioris quod erat dubium, facit certum, Sanchez *de matrim. lib.8. disp.3. num.9.*

147 In dubio autem Curatus potest dispensare, Ioannes à Cruce *in direct. prac.3. artic.4. num.7. concl.3.*

148 Dispensatus autem quomodocumque ad carnes excusatur à ieiunio, Henriquez *lib.7. cap.13. num.12.* Toletus *lib.7. cap.3. num.4.* Filliucius *tract.27. num.25.* Io. de la Cruz *in Director. praecep.4. art.4. dub.8. concl.3.*

149 Non peccat contra ieiunium comedens cum carnibus pisces, aut quadragesimales cibos nociuos, Vega *tom.1. cap.4. casu 17.* Reginaldus *lib.4. cap.14. num.168.* Filliucius *tract.27. par.2. cap.3. num.52.* Fagundez *prae. 4. lib.1. cap.2. num.18.* Diana *par.1. tract.9. res.26. &* 47.

150 Ratione carentiæ sufficientis prandij excusatur, vt si quis non habeat semel sufficientem cibum, prout docent omnes; pariter si non habeat aliud, praeter panem, fructus, & olera excusatur à ieiunio; non enim habet tunc sufficiens prandium, Sanchez *in opuscul. tom.2. lib.5. cap.1. dub.15. num.3.*

151 Hac ratione si quis nondum sufficienter refectus, vt quia vix dimidiam soliti prandij refectionem attigit, & propter aliquod negotium surgat, potest post quodcumque tempus redire, Bonacina *de Legibus disputat. vltima quaest.1. pun.3. num.10.*

152 Ratione experientiæ præcedentis nocumenti excusatur, vt si quis expertus diu nocumentum ex cibis quadragesimalibus, non tenetur hoc anno periculum facere; sed sine noua dispensatione excusatur: secus si dubitaret causam nocumenti cessasse, tunc tenetur petere dispensationem Io. Sanchez *disp.51. num.9.* Io. à Cruce *prac.3. artic.4. num.8.*

153 Ratione moralis vnitatis prandij, excusatur famulus inseruiens mensæ, aliquid prælibans, præsertim si hora sit tarda, Sanchez *in opuscul. tom.2. lib.5. cap.1. dub.24. num.2.* eadem ratione, finito prandio cum intentione, vlteriùs non comedendi, infra quadrantem restaurare potest, ait Filliucius *tom.2. tract.27. par.2. cap.2. num.* 41. imò infra semihoram, inquit Portel *de dub. Regular. verbo Ieiunium num.10.* pari ratione si fuit intentio non terminandi prandium, ob aliquod negotium interruptum, quamuis parum distaret à consueta refectione, per duas horas restaurare potest, Io. Sanchez *disp.52. n.4.*

154 Ratione ætatis excusatur à ieiunio, qui annum vigesimum non impleuit, aut sexagesimum incepit, etiam si sit senex robustus, Granado *par.2. controu.7. tract.3. par.1. disp.6. sect.5. num.39.* Sanchez *de matrimon. lib.7. disput.32. num.17.* Io. Sanchez *disput.54. num.10.* Naldus *verbo ieiunium num.2.* Diana *par.5. tractat.14. resolut.83.* Immò mulieres excusat à ieiunio inchoatus annus quinquagesimus, Narbona *in annalibus iuris anno 60. num.13. &* 14. Machado *de perfecto confessario tom.1. lib.2. par.4. tract.3. docum.9. num.4.* Pellizatius *de Monialibus cap.6. num.25.* vbi ait: excusari tam à ieiunijs communibus Ecclesiæ, quàm præscriptis à regula, ac ex voto.

155 Ratione solemnitatis Natalis Domini, de qua si cogitasset verisimiliter excepisset, excusatur à ieiunio, qui vouerat ieiunare singulis sextis ferijs; imò poterit vesci carnibus, Molina *tom.2. disp.272. nu.3.* Fagundez *prac. 4. lib.1. cap.6. num.6.*

156 Ratione alicuius legitimæ causæ, quamuis non adeò grauis excusatur ab omni peccato anticipans horam prandij, seu cœnæ in die ieiunij: Verùm si sine causa anticiparet, peccaret venialiter tantùm. Lessius *lib.4. cap.2. dub.2. num.13.* Layman *lib.4. tract.8. cap.1. num.11.*

157 In anticipatione autem datur parua materia; adeò vt nullum sit peccatum, etiam si fiat sine vlla causa; vnde secularis anticipans horam meridiei per semihoram, neque venialiter peccat, Filliucius *tom.2. tract.26. par. 2. cap.4. num.73.*

158 Religiosus, qui habet horæ priuilegium, anticipare pote-

poterit per horam cum dimidia, ſine vllo peccato, Diana *par.1. tract.9. reſol.27. & par.5. tract.5. reſol.10.*

159 Quoad ſerotinam colatiunculam poteſt eſſe octo vnciarum, prout iam vſus obtinuit, Fagundez *prac.4. lib.1. cap.4. num.13. & 19.* & alios innumeros refert, Diana *par.9. tract.6. reſol.8.*

160 Aliquid plus permitti poteſt, ab corporis teneritudinem, aut ob aſſuefactionem ad non ieiunandum, aut ob occupationem; ita Nobiles, & ſtudioſi excuſantur, etiam à veniali, ſi modicum quid ſumant vltrà octo vncias, Layman *lib.4. tract.8. cap.1. num.9. in fine.*

161 Non eſt mortale peccatum, ſi piſces, iuſcula, & quicumque cibi in debita quantitate ſumantur in collatione, erit tamen veniale. Sed nec veniale ſi aliqua cauſa ſubſit, v. g. vrbanitas aut ſtomachi infirmitas, cui calido iuſculo ſubuenitur, Layman *lib.4. tract.8. cap.1. num.9.* & Iacobus Marchantius *in reſolution. paſtoralibus par.2. cap.5. fol.220.* Sed nullum eſſe peccatum, etiam ſine cauſa, ſeruata debita quantitate, probabiliter docent Bonacina, Paſqualigus, Petrus Marchantius, Franciſcus Gheſius, Nicolaus Moſcicenſus, Io. Vvigers, Zambellus, Trullenk., & Machado, quos citat quamuis non ſequatur, Diana *par.9. tract.6. reſol.8.*

162 In Regionibus, vbi caſeus conceditur diebus ieiunij, eo quis vti poterit in collatione, abſque vllo peccato, Layman *lib.4. tractat.8. cap.1. numer.9. verſ. id porrò,* Turrianus *in Summa part.1. capit.256. dub.37. concl.2.*

163 Qui mane ſumeret collatiunculam, & ſerò cœnaret, etiam abſque vlla cauſa, puto eum nullatenus peccare; quamuis aliqui oppoſitum doceant; ratio eſt, quia ſic magis accedit ad antiquum, & rigoroſum ieiunium primitiuæ Eccleſiæ: tum quia id ex ſe magis macerat, & cruciat, quàm conſuetus modus ieiunandi; prout ipſe ſæpè experientia didici.

Ieiunium naturale pro Sacra Communione.

164 Reliquiæ cibi præteriti, ſi caſualiter deglutiantur, communiter docent non ſolui ieiunium naturale, ita S. Thomas *3. par. quæſt.80. art.8. ad 4.* Suarez *tom.3. diſp.68. ſect.4. verſ. dices ergo,* Vaſquez *diſp.211. cap.3. num.30. & 31.* Paſqualigus *deciſ.322.*

165 Immò quamuis ex propoſito deglutiantur, adhuc
non ſoluitur ieiunium, ac communicare poterit, Henri-
quez *lib.8. cap.50. num.4. lit.V,* Suarez *diſp.68. ſect.4.*
verſ. dices ergo, Rodriquez *par.1. Sum. cap.66.* Diana
par.3. tract.4. reſol.37. Paſqualigus *deciſ.322. num.3. 4.*
166 *& 5.* vbi probat non ſolui ieiunium, quamuis reliquiæ
cibi ſenſibiliter ſentiantur in lingua, & ex induſtria traij-
167 ciantur, & etiam ſi ſint notabilis quantitatis. Ratio
eſt, quia non ſumuntur per modum cibi, ſed per mo-
dum ſaliuæ, tum quia ſunt aliquid cibi præcedentis man-
168 ducationis, & ſic moraliter non important nouam
manducationem, ſed dicunt manducationem præteritam, idem docent Ochagauia *de Sacram. Euchar. tract. 2. quæſt.12. num.7.* Coninchius *de Sacram. quæſt.80. artic.8. num.47.* Card. Lugo *de Euchariſt. diſp.15. ſect.2. nu.36.* Diana *par.3. tract.4. reſ.37. & p.4. tract.4. reſ.104.*

169 Si quis lauando os aliquas reliquias aquæ, vel vini traijceret non ſolueret ieiunium naturale, non enim traijcit per modum potus, ſed ſaliuæ admixtas guttas; idem eſt ſi deglutiret lauando, & abſtergendo dentes aliquid ſalis, vel aceti; non enim eſt ea actio commeſtiua, aut potatiua; neque neceſſe eſt, vt aliqui ſcrupuloſè dicunt eſſe eas reliquias, ſeu guttas adeo minimas, vt nequeant à ſaliua ſeparari; ſufficit enim, vt non deſcendant in ſtomachum per modum potus, quod tunc eſt, quando adhibetur diligentia ad expuendam lauationem, tunc enim dicuntur deſcendere, præter intentionem, per modum ſaliuæ: ſic etiam neque ſoluitur ieiunium, ſi lauando os, guttæ aliquæ caſualiter traijciantur, neque enim eſt actio ea potatiua; ita S. Thom. *3. p. q.80. art.8. ad 4.* S. Antoninus *3. p. tit.13. c.6. §.8.* Palud. *in 4. diſt.8. q.2. ar.2. concl.2.* Suarez *3. p. diſp.68. ſect. 4. verſ. 3.* Infertur Paſqualigus *deciſ. 323.* Lugo *de Euchar. diſp.15. ſect.2. num.22.* Diana *par.5. tract.5. reſol.12.* Granado *3. par. controu.6. diſp.8. num.8.*

170 Similiter non ſoluit ieiunium naturale, ſi quis prægustaret cibum, aut vinum, & expuat, ſed deſcendat aliquid in ſtomachum ſaliuæ permixtum, non enim deſcendit per modum actionis comeſtiuæ, aut potatiuæ, ſed per modum ſaliuæ S. Thomas *3. par. quæſt.8. artic.8. ad 4.* Suarez *3. par. tom.3. diſp.68. ſect.4. §. 3. infertur poſt 2. concl.* Vaſquez *tom.3. diſp.111. cap.3. num.29.* Paſqualigus *deciſ.324. & deciſ.325.* Vbi probat non eſſe neceſſe eas reliquias, aut guttas priùs eſſe quaſi conuerſas in ſaliuam; nam adhuc non traijciuntur, per modum actionis comeſtiuæ, aut potatiuæ, & ſic ieiunium non ſoluunt.

171 Hinc ſi aliquid per reſpirationem fortuitò attrahatur, non ſoluitur ieiunium naturale; non enim eſt ea actio comeſtiua, aut potatiua, Card. Lugo *de Euchar. diſp.15. ſect.2. num.34.* Paſqualigus *deciſ.317.*

172 Pariter aqua per nares attracta, & deſcendens in ſto-
machum, non ſoluit ieiunium, quia non eſt actio pota-
173 tiua, Suarez *diſp.68. ſect.4. §. quæres rurſus.* Paſqualigus *deciſ.318.* Neque ſi aliquid cibi, vel potus in conductum reſpirationis ingrediatur; nam talis deglutio non ordinatur ad nutritionem, ſed ad ſuffocationem, Paſqualigus *deciſ.321.* Perſicus *de officio Sacerdotis lib.1. cap.3. dub.6. num.53.*

174 Eadem ratione neque odor, aut ſuffitus carnium ſoluit ieiunium, Granado *3. par. controu.6. de Sacram. tract. 10. diſp.3. num.4.* Paſqualigus *deciſ.319.*

175 Siquis antequam cubitum eat, immittat in os aliquid per noctem liquefaciendum, vt ſaccharum, ſi poſt mediam noctem credat illud liquefactum, nequit ſequenti die communicare, nam fuit ea actio comeſtiua continuata poſt mediam noctem, ſi autem credat ante mediam noctem liquefactum communicare poterit; at ſi dubitet adhuc poterit communicare, nam dubius an comederit poſt mediam noctem communicare poteſt, Layman *lib.1. tract.1. cap.5. §. 4. num.36.* Io. Sanchez *diſp.42. num.9.* Diana *par.3. tract.4. reſol.29.* Card. Lugo *de Euchar. diſp.15. ſect.2. num.42. & 43.* Paſqualigus *deciſ.326. 327. & 328. ac deciſ.340. & 341.*

176 Ruminans aliquid, & dubitans an deglutierit communicare poterit; Layman *lib.1. tract.1. cap.5. §.4. nu.36.* Diana *par.3. tract.4. reſol.29.* Paſqualigus *deciſ.340.*

177 Deglutiens, etiam aduertenter, aliquid, quod non eſt natura ſua comeſtibile, vt papirum, lignum, aut ſimile, poteſt communicare; ratio eſt, quia ieiunio naturali opponitur tantùm cibus, ac potus. Io. Sanchez, *in ſelectis diſput. 42. numer. 24.* Cardin. de Lugo

disp.15. sect.2. num.30. Pasqualigus *decis.312. & 314.* vbi probat tantùm id, quod habetur moraliter pro cibo humano, frangere ieiunium naturale,

178 Hinc sumens terram pro delectatione, aut ad minuendum colorem, vt faciunt fęminæ comedentes terram rubeam, vulgò Buccari non frangunt ieiunium naturale, & communicare possent, quamuis optimum consilium esset ob tanti Sacramenti reuerentiam ab his abstinere, Pasqualigus *decis.315.*

179 Aromata ori imponens, vt dentibus conterat & exspuat, ad confortandum caput, non soluit ieiunium naturale; quia non habetur completa actio comestiua, cum non trajiciatur in stomachum, Coninchius *3.p. quæst.80. artic.8. num.48. versic. licet item,* Pasqualigus *decis.329.*

180 Immò etiam si aliquid reliquiarum aromatum, præter intentionem, descendat; non enim est actio illa comestiua, sed transmissiua saliuæ, Faustus *de Euchar. lib.1. quæst.381.* Pasqualigus *decis.330.*

181 Si ex gengiuis, aut ex capite descendat sanguis, aut alius humor in stomachum, non soluitur ieiunium naturale: ratio est, quia non est actio comestiua: cum neque ex sui natura, neque ex intentione eius, cui sanguis defluit, talis descensio ordinetur ad nutritionem, S. Thomas *in 4. dist.8. quæst.1. art.4. quæstiunc.2. ad 3.* Pasqualigus *decis.332.*

182 Sufficit obseruasse ieiunium à media nocte, non impedit aut celebrationem, aut communionem, quod cibus non sit digestus, siue ex repletione, siue quia paulò antè sumptus, vt in nocte natalis Domini, siue ex quacumque alia causa, D. Thomas *3.p. quæst.80. art.8. ad 5.* Pasqualigus *decis.344.*

183 Quando plura sunt horologia indicantia mediam noctem, si non sit certum aliquod malè indicare, potest quis attendere ad illud, quod posteriùs cæteris pulsat horas, Sanchez *de matrimon. lib.2. disp.41. numer.40.* Io. Sanchez *in select. disp.42. nu.18.* Lugo *de Euchar. disp.15. sect.2. nu.42.* Pasqualigus *decis.339.*

184 Quando vnicum est horologium indicans mediam noctem, si quis post omnes pulsus biberet, post exiguum tempus, adhuc non solueret ieiunium naturale, ita ostendit Pasqualigus *decis.338.* & Ego probaui *tract. 1. quæst.7.*

Indulgentia.

185 AD obtinendam Indulgentiam sufficit intentio habitualis, & interpretatiua, qua fidelis præsumitur velle sibi in spiritualibus consulere eo meliori modo, quo potest; non autem requiritur actualis intentio illam lucrandi; cum id non exigat natura indulgentiæ, & in concessione illius solùm dicatur indulgentiam talem consequendam fore ab ijs, qui talem Ecclesiam tali die visitauerint: quod totum præstare potest fidelis, etiam si ignoret, aut non aduertat illa die concessam fuisse illam indulgentiam, ideoque non habeat actualem intentionem lucrandi illam, Layman *lib.5. tract.7. c.3. nu.5.* Diana *par.5. tract.12. resol.6.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.9. num.40. vers. assero 6.*

186 Quando confessio Sacramentalis requiritur ad Indulgentiam, ea tamen non est necessaria habenti venialia, quia horum confessionem Ecclesia non solet præcipere, Filliuccius *tract.8. par.3. numer.145.* ex communiori sententia,

187 Indulgentiam concessam tali die sumenti sacram Eucharistiam, lucratur ille, qui quatuor ante diebus communicauit, etiãsi iterum non communicet; dummodò non habeat conscientiam peccati mortalis, Comitolus *lib.1. resp. moral. quæst.39.* Portel *de dubijs regular. verbo Indulgentia, num.5.* Card. Lugo *de pænit. disp.27. nu.93.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.9. num.4. vers. assero 9.*

Intentio.

188 QVoad intentionem consecrandi multi scrupulosi cruciantur, qui notent aurea verba Caietani, & erunt prorsus liberi, sic ille scribit *3.p. qu.64. art.8. in fine: Non enim studendum est, vt habeamus hoc in mente actualiter; Ego intendo conficere, sed studendum, vt attualiter mens nostra ad ea quæ sunt consecrationis attendat, puta ad prolationem distinctam formæ, ad reuerentem contrectationem materiæ, ad futuram tunc ineffabilem præsentiam Christi; hoc enim est consecrare cum actuali intentione in actu exercito.* Ita Caietanus, & Suarez ibidem *in Commentario,* sic ait: *Nec necessarium est, neque expedit, vt Sacerdos dum consecrat, hunc actum interiùs repetat. Ego intendo conficere; sed melius est, vt de ipso Mysterio à se conficiendo cogitet, quam vocauit Caietanus actualem intentionem in actu exercito,* ita Suarez. Quare hoc ipso quod Sacerdos reuerenter contrectat consecrandam Hostiam, & se inclinat ad proferendum verba, hoc est habere actualem intentionem consecrandi, in actu exercito; nam communem panem non ea reuerentia contrectaret: ergo implicitè & exercitè ita contrectat ob finem consecrandi. Quid ergo vltra scrupulosus cruciatur de intentione?

189 Preterea receptissimam esse omnium doctrinam, hoc ipso quod Sacerdos sacras vestes induit, habere virtualem intentionem consecrandi, sufficientem ad consecrationem; non enim indueret illas, nisi celebraturus; vndè quamuis semper esset distractus, adhuc consecraret, Reginaldus *tomo 2. lib.26. cap.3. num.38.* Portel *verbo scrupulus, num.5.*

Inuidia.

190 SI quis de leui proximi bono dolet, quod si eo careret, non esset magnum detrimentum, non peccat mortaliter, Duuallius *2.2. tract. de Charitate, quæst.12. circa finem* Diana *par.5. tract.5. resol.67.*

Tristari aliquem de bono alterius, non ex eo quod ipse habet bonum: sed ex eo, quod sibi desit bonum illud, quod alter habet, non est inuidia, S. Thomas *2.2. quæst.36. art.1. & 2.* multi enim putant se alijs inuidere, dum tristantur de propria sua infelici fortuna, dum perpendunt fęlicem sortem aliorum; quod tamen caret omni peccato inuidiæ; non enim aliorum bonum, sed proprium malum displicet, Ioannes Sanchez *in selectis, disput.3. num.8.*

Irregularitas.

191 IRregularitas ex delicto non contrahitur, sine peccato mortali, Suarez *de censuris, disp.40. sect.3. nu.17. & disput.45. sect.6. numer.3.* Vasquez *1.2. disput.158. cap.1.* Sayrus *de censuris lib.7. cap.5. numer.5.* Diana *par.2. tractat.16. resolut.18. & par.4. tractat.4. resol.41.*

Quare

192 Quare Sacerdos, qui ex charitate voluit moribundum, aut cibat, quamuis ex aliqua negligentia ex hoc ille suffocetur, & moriatur, nullam incurrit irregularitatem; nam si laicus ita voluendo non peccasset mortaliter, neque sacerdos peccat mortaliter, neque fit irregularis; quare Sacerdotes abijciant scrupulos, & sine vllo peccati, aut irregularitatis timore inseruiant moribundo.

193 Irregularitas ex defectu lenitatis, ob homicidium solum incurrunt personæ publicæ, seu in iure expressæ, vt iudex, fiscalis, accusator, testis, aduocatus, lictor, carnifex. Quare non est irregularis is, qui reo suspendēdo suadet scalam ascendere, aut fateri delictum cum legitimè interrogatur, aut non appellare à iusta sententia: neque est irregularis Sacerdos excipiens iudicis confessionem, aut aliter ei respondens in conscientia teneri ad condemnandum ad mortem talem delinquentem in indiuiduo. Diana *par.3. tract.5. resol.79. & 80. & in addition. ad 3. parte resol.15. & par.5. tract.5. resol.46. par. 4. tract.2. resol.99.*

194 Hodie nec peccat, neque est irregularis Sacerdos assistens cum reus furca suspenditur, canones enim huiusmodi ex consuetudine sunt abrogati, Diana *par.4. tract.2. resol.35.*

Ira.

SI in correctione subditorum irascaris, nullum est iræ peccatum: quinimmò est virtus, si debitus seruetur modus; pulchrè enim ait Nemesius *lib. de natura hominis cap.21. Ira est satellitium rationis*: esset autem excessus ex parte modi, si nimium interius irascaris; aut nimium exterius per signa patefaceres. Lessius *lib.4. cap.4. num.25.* vt si adeò exardesceres, vt exponeres te periculo maledicendi, aut optandi malum vltrà debitam pœnam, aut scandalum præberes, aut attenta personæ tuæ grauitate modestiæ regulas non seruares. Ioannes Sanchez *disp.2. num.2.*

Iudicium temerarium.

195 RArò Iudicium temerarium est peccatum mortale, quatuor enim requiruntur. Primò, quòd certò affirmet, si enim tantùm suspicetur erit veniale. Secundò, quod deliberatè. Tertiò de re graui. Quartò sine sufficientibus indicijs, Tannerus 2. 2. *disp 4. quæst.3. dub.2. num.39.* Valentia *tom.3. disp.5. quæst.4. punct.3.* Diana *par.3. tract.5. resol.31.*

196 Quare de re leui iudicare erit tantùm veniale peccatum, huiusmodi est malum naturale, vt quod sit spurius, aut filius Iudæi, Lessius *lib.2. cap.29. dub.2. num. 14.* Diana *par.5. tract.5. resol.68.*

Iuramentum.

197 QVi non tenetur respondere, aut iniustè interrogatur potest amphybologicè iurare, Sanchez *lib.3. Summa cap.6. num.15.*

198 Iuramentum inaduertenter prolatum, non est mortale, etiam si esset ex peruersa consuetudine Io. Sanchez *disp.20. num.5.*

Lex.

199 LEx siue Ciuilis, siue Canonica, seu Pontificia non obligat, si non sit acceptata à Populo. Lessius *lib. 2. cap.22. num.98.* Beccanus. 1.2. *tract.3. cap.6. quæst.8. num.2.*

200 Imò in dubio, an sit vsu recepta non obligat; cum enim obliget dependenter ab acceptatione, debet esse certa populi acceptatio, Azorius *par.1. lib.2. capit.19. quæst.12.* Castropalaus *tomo 1. tract.1. disput.3. pun.7. num.4.* Diana *par.1. tract.10. resol.3. & par.4. tract.3. resolut. 14.*

Libri prohibiti.

201 LEgens vnam paginam libri prohibiti, ob paruitatem materiæ excusatur, Fagundez in præcepta decalogi *tom.1. lib.1. cap.14. num.4.*

Ludus alearum.

202 CLerico minorum ordinum non est interdictus ludus alearum, Sanchez *opuscul. tom.1. lib.1. cap.8. dub.28. num.8.*

203 In sacris verò constituto, cessante scandalo, non est mortale, etiam si frequens, & magnæ summæ, rarò tamen puto id fieri sine audientium scandalo, Syluester *verbo ludus quæst.4.* Caietanus *Verbo Clericorum peccata*, Diana *par.4. tract.4. resol.183.*

Materia leuis.

204 SI quis vouit singulis diebus dicere quinquies Pater, & Aue Maria, omittens per annum non peccat mortaliter; quia obligatio est alligata diei, & omittens vna die, altera non tenetur supplere: At si quis accepisset eam pœnitentiam à confessario omittens notabili tempore, peccaret mortaliter; quia obligatio non est alligata diei; nam Confessarij mens est, vt quod omittitur vna die suppleatur in alia; eadem distinctione voti, & pœnitentiæ dicendum est de eleemosyna modica in singulos dies facienda indeterminatæ personæ, secus si esset votum de eleemosyna facienda in singulos dies determinatæ personæ, & ab ea acceptata, Sanchez *lib.1. Summæ cap.4. num.16.* Granado 1. 2. *controuers.6. tract.2. disp.2. sect.6. nu.56*, Castro Palaus *tom.1. tract.2. disp.2. pun.9. §.4. num.9.* Diana *par.3. tract.6. resol.24.* vbi ait: *Etiam si vouens initio anni statueret nunquam recitare, aut nunquam dare eleemosynam; neque peccabit mortaliter, vt si quis statueret singulis diebus quadragesimæ mane comedere duas panis vncias non peccaret mortaliter*; ratio est, quia infinita venialia non coalescunt in vnum mortale, quando est distincta obligatio, idem Diana *par.5. tract.5. resol.53.*

Mendacium.

MEndacium non est hyperbolica, aut vrbana loquutio, vt latè, & benè probat Io. Sanchez *disp.5. num.5. & 6.*

Missam audire.

205 RAtione legitimæ causæ excusantur filij, vxor, ac famuli omittentes Missam ob grauem indignationem patris, mariti, aut domini vitandam, Lopes *tom.* 1. *cap.* 52. Io. de la Cruz *præcept.* 3. *artic.* 2. *in fine.*

206 Pariter excusaris, ne comites itineris, cum tuo incommodo relinquas, Suarez *tomo* 3. *disput.* 88. *sect.* 6. §. *vltimo reuocatur.*

207 Excusantur quoque ab audiendo sacro pro medendo infirmo, aut custodia filiæ, aut ex defectu decentis vestis; excusantur etiam ex more Patriæ puellæ, vbi consuetudo est ne domo exeant, vel tempore partus per mensem, aut si bona fide quis putat, superesse tempus Missæ, cum non sit, Io. de la Cruz *in directorio, part.* 1. *præcept.* 3. *art.* 2. *num.* 3.

208 Excusatur fœmina domi se continens, ne det occasionē peccandi alicui, qui ex fragilitate perditè eam concupiscit, Suarez *tomo* 3. *disp.* 88. *sect.* 6. §. *quartum caput.*

209 Excusantur famuli si omittant Missam, ne cum indignatione domini ministerium omittant; quod si nequeat in alium diem differri, & sit notabilis causa tunc agendi, pariter ipse dominus excusatur, Suarez *tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 6. §. *quintum caput.*

210 Ratione paruitatis materiæ excusatur à mortali omittens ab initio vsque ad Euangelium inclusiuè, Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 7. Card. Lugo *de Eucharistia, disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 3.

211 Omittentem assistere consecrationi, probabile est nō peccare mortaliter; quia probabile est, essentiam sacrificij non consistere in consecratione, sed in communione, Card. Lugo *de Eucharistia, disp.* 22. *sect.* 1. *nu.* 4. March. *res. pastoral. trac.* 4. *c.* 6. *qu.* 4. Diana *par.* 5. *tr.* 13. *res.* 61.

212 Si quis autem inter consecrationem, & communionem ad breuissimum tempus discedat, dummodò consecrationi, ac communioni assistat, non est illi scrupulus inijciendus, Suarez *tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 2. §. *vltimo deniq;.*

213 Potest integra Missa partim ab vno, partim ab altero Sacerdote audiri, Suarez *tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 2. §. *sed tunc inquiri*, & Nauarrus *cap.* 21. *num.* 2. *quamuis posteriorem* partem prius audiret, & deinde priorem Turrianus *selectar. par.* 2. *disp.* 16. *dub.* 7. Hurtadus *tom.* 2. *de sacrificio Missæ, disput.* 5. *difficult.* 4.

214 Non est necesse videre, aut audire Sacerdotem, & sufficit adesse etiam in atrio Ecclesiæ, Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *numer.* 3. & Gordonus *tom.* 2. *lib.* 6. *quæst.* 7. *cap.* 2. §. 3. *num.* 12. immò etiam extra Ecclesiam ex opposita fenestra, Card. Lugo *de Euchar. disput.* 22. *sect.* 2. *num.* 21. & latè probabo *tract.* 8. *quæst.* 56.

215 Recitans horas Canonicas dum audit Missam, satisfacit vtriq; præcepto, & nullatenus peccat Suarez *tom.* 3. *disput.* 88. *sect.* 3. Diana *par.* 2. *tract.* 12. *resol.* 2. & *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 107. immò sic melius est, magis enim recitando horas canonicas excitatur deuotio Io. de la Cruz *prac.* 3. *art.* 2. *num.* 2.

216 Satisfacit præcepto voluntariè distractus, dummodò exterius reuerenter, sine confabulatione assistat Syluest. *V. Missa* 11. *num.* 6. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 2. Card. Lugo *de Euchar. disp.* 22. *sect.* 2. *nu.* 26. Coninchus 3. *p. quæst.* 82. *artic.* 6. *nu.* 197. Hurtad. *de Sacram. tom.* 2. *de sacrif. Missæ, disp.* 5. *dif.* 2. Diana *part.* 2. *trac.* 12. *resol.* 2. *in fine*, & *par.* 4. *trac.* 4. *res.* 107.

217 Vnam tantùm Missam in die Natalis Domini audiens satisfacit præcepto, Nauar. *cap.* 21. *num.* 2. Suarez *tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 2. §. *vltimo hinc.*

Missam celebrare.

218 MIssam diuersam ac eo die in Missali præscriptam celebrare, non est mortale, Tannerus *tomo* 4. *disp.* 5. *qu.* 10. *dub.* 1. *nu.* 6. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 8. *diffi.* 41. *numer.* 5. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 30. & 55. & *par.* 4. *trac.* 4. *resol.* 39.

219 Missam diuersam celebrare, ab ea quam petijt dans eleemosynam, non est peccatum, cessante scandalo; immò laudabilius est celebrare tunc Missam currentē diei; quia id conformius est regulis Missalis, & æquè prodest, Nauarr. *cap.* 21. *num.* 7. Ledesma *de Eucharist. c.* 24. Syluest. *V. Missa*, Io. de la Cruz *in director. par.* 2. *de sacrific. Missæ, quæst.* 4. *nu.* 2. *concl.* 2. Villalobos *tom.* 1. *trac.* 8. *diffic.* 31. *num.* 6. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 31. & *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 62.

220 Sacerdos, qui accepit stipendium pro celebranda Missa in altari priuilegiato pro defunctis, satisfacit celebrando in alio altari cum calculo benedicto, applicando indulgentiam, Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 40. Pasqu. *decis.* 427.

221 Sufficit semel voluisse applicare Missam pro tali persona, nam ea voluntas semper durat, donec expressè non retractetur. Card. Lugo *de Euchar. disp.* 8. *sec.* 6. *n.* 93.

222 Solæ ille regulæ Missalis obligant ad mortale, quæ spectant ad essentiam, vel quasi essentiam sacrificij, cæteræ sunt consilia, ac doctrinales instructiones, Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. *nu.* 32.

223 Nullum est peccatum celebrare ante matutinas preces recitatas; quia nulla est connexio necessaria, nullum præceptum, sed tantùm consilium; sicut est quod vacet antea orationi, Barbosa *de potestate Episcopi, allegat.* 24. *nu.* 15. vbi affert viginti Doctores, Layman *lib.* 5. *trac.* 5. *cap.* 4. *num.* 5. Diana *par.* 2. *trac.* 14. *resol.* 36.

224 Sacerdos secularis potest sine peccato, per duas horas, ante solis ortum celebrare: Regularis verò ratione priuilegij per tres horas, Suarez 3. *par. tom.* 3. *disput.* 80. *sec.* 4. Fernandez *in exam. theologiæ moralis, par.* 3. *cap.* 5. §. 14. *num.* 3.

225 Sacerdos secularis, non peccat mortaliter, nisi integra hora, absque graui causa, celebret post meridiem, Syluius 3. *p. quæst.* 83. *art.* 2. Philippus de la Cruz *trac.* 10. §. 3. *Corol.* 2.

225 Ratione itineris, aut alterius grauis causæ excusatur à mortali Sacerdos, qui integra hora post meridiem Missam inciperet, Layman *lib.* 5. *trac.* 5. *c.* 4. *num.* 4.

227 Regulares ratione priuilegij possunt celebrare tribus horis post meridiem Io. de la Cruz *in director. par.* 2. *de sacrif. Missæ, qu.* 2. *dub.* 1. *concl.* 4. Diana *par.* 2. *trac.* 14. *resol.* 34. *in fine.*

228 Non peccat mortaliter celebrans sine cruce in altari, Homobonus *in exam. Eccles. par.* 1. *trac.* 4. *c.* 15. *qu.* 143.

229 Nullum est peccatum celebrare, aut communicare post pollutionem nocturnam, & inuoluntariam: si tamen perseuerat carnis commotio, & mentis perturbatio, optimum consilium est abstinere; nisi aliud suadeat, euitatio scandali, aut admirationis aliorum, aut festum, aut deuotio: si autem præcessit voluntaria pollutio, quàuis confessa sit, erit veniale peccatum irreuerentiæ, celebrare, aut communicare; nisi cogat aliqua rationabilis causa,

causa, aut necessitas honorem defendendi, Io. de la Cruz *in director. par. 2. de Euchariſt. quæſt. 5. num. 5.*

230 Qui probabiliter credit se non peccasse mortaliter, aut se esse confessum, potest celebrare, aut communicare absque prævia confessione, Suarez *de pænit. disp. 22. sect. 9. num. 6.* Pitigianus *in 4. sent. tom. 2. dist. 27. quæst. vnica art. 11.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 107. & par. 4. tract. 3. resol. 5.*

231 Sacerdos, qui Missam incepit, & confessus antea erat, si deinde recordetur peccati obliti, non tenetur iterum conari ad habendam contritionem, vel attritionem; quia supponitur in gratia; tenetur tamen ante consecrationem confiteri, si fine scandalo commode possit, Diana *par. 2. tract. 4. resol. 48. & par. 5. tract. 14. resol. 5.*

232 Omittens orationes, dum se sacris vestibus induit, non peccat mortaliter, Fagundez *præc. 1. lib. 3. cap. 21. num. 9.* Layman, *lib. 5. tractat. 5. cap. 5. num. 12.* Diana *par. 2. tract. 14. resol. 41.*

233 Omittens Credo, aut Gloria in Excelsis, non peccat mortaliter, neque omittens in canone nomen alicuius Sancti, neque ea quæ tempore Paschali interponuntur in oratione *Communicantes*, & *Hanc igitur* Filliuccius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155.* Faustus *de Euchar. lib. 2. quæst. 266.* Diana *par. 5. tract. 5. resol. 45.*

234 Partem paruam Canonis Missæ omittere, est veniale peccatum, nam sicut in alijs præceptis, ita in isto datur paruitas materiæ excusans à mortali, Io. de la Cruz *in directorio part. 2. de Sacrific. Missæ quæst. 4. num. 1. concl. 3.* Vnde censeo omittentem vnam integram orationem Canonis, non peccare mortaliter.

235 Omittens in consecratione particulam, *enim*, non peccat mortaliter; nisi faceret ex contemptu, Henriquez *lib. 8. cap. 16. num. 4.* Coninchius *3. par. disp. 78. artic. 2. dub. 2. num. 37.* Diana *par. 2. tract. 17. resol. 14. & par. 5. tract. 14. resol. 78.*

236 Validè quoque consecrat, qui profert *Calis* pro *Calix* Pitigianus *in 4. dist. 3. quæst. 2. artic. 14.* Diana *par. 2. tract. 17. resol. 4.*

237 Quamuis scrupulosus credat se non rectè pronunciasse in consecratione litteram M, aut aliam syllabam caueat à repetendo; rectè enim & validè facta est iam consecratio, cum adhuc perseueret sensus, & significatio verborum; repetendo autem maior inquietudo, & turbatio illi proueniet, atque maius damnum, quàm ex non recta pronunciatione, ita, Rodriquez *tom. 3. qq. regular. quæst. 66. art. 3. dub. 3.*

238 Quod est ex errore omissum in Missa, cum deinde aduertit Sacerdos, non debet repetere, pro vt Rubricæ Missalis præcipiunt, Io. de la Cruz *in directorio part. 2. de Sacrif. Missæ quæst. 4. num. 1. concl. 4.*

239 Si quis bona fide celebret in Ecclesia polluta, remanet reconciliata, Castrus *lib. 2. de legibus disp. pænu. cap. vltimo*, Sa *V. Ecclesia*, Auila *de censuris par. 5. disp. 7. dub. 3. concl. 1.* sic Calice, Diana *par. 2. tract. 14. resol. 65.* sic de altari, Pasqualigus *decis. 45.* qui extendit etiam si mala fide celebrasset. Ratio est, quia consecratio non est aliud, quàm deputatio diuino cultui, cui non minùs facto ipso, quàm alijs ceremonijs fit deputatio.

240 Si calix sit tornatilis, non amittitur consecratio, ex eo quod pes à cuppa separetur, Caietan. & Ledesma, quos sequitur Io. de la Cruz *in direct. part. 2. de Sacrific. Missæ quæst. 3. num. 6. concl. 2.*

241 Altare portatile non amittit consecrationem, si lapis remoueatur à ligno, seu capsula, cui est affixus; quia solus lapis consecratur, Suarez *3. par. tom. 3. disp. 81. sect. 5. vers. 3. additur*, Cardinalis Lugo *de Euchariſt. disput. 20. num. 70.* Pasqualigus *decis. 51.*

242 Probabile est altare, siue stabile, siue portatile, non execrari per fractionem, vel amotionem sigilli, seu sepulchri, in quo sacræ reliquiæ conditæ sunt, Coninchus *3. p. quæst. 83. art. 3. dub. 2. num. 240.* Layman *lib. 5. tract. 4. c. 6. num. 8.* quamuis Canonistæ communiter oppositum doceant; Ratio est, quia vt probant Doctores citati, necesse non est in quolibet altari esse loculum, seu sepulchrum continens sacras Reliquias, vt post alios probat Pasqualigus *decis. 46.* Lugo *de Euchariſt. disp. 20. nu. 75.*

243 Non execratur altare fractum, si in alterutra parte possit commodè contineri calix cum patena Suarez *3. p. tom. 3. disput. 81. sec. 5. vers. 3. additur*, Faustus *de sacrificio Missæ q. 21.* Marchinus *de sacramento ordinis, trac. 3. de sacrificio Missæ, cap. 12. num. 2.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 4.* etiam si fractum esset in quatuor cornibus in quibus consecratur, Suarez *vbi suprà*, Portel *verbo Altare, num. 4.* Pasqualigus *decis. 52.*

244 Aqua miscenda vino potest esse decima, aut octaua pars quantitatis vini, Layman *lib. 5. tract. 3. cap. 2. num. 9.* Cardin. Lugo de Euchar. *disp. 4. sect. 2. num. 38.* ait: Sextam partem admisceri posse, sine scrupulo. Henriquez *lib. 8. cap. 12. num. 4.* sic inquit: *Quidam permittunt addi vino tertiam partem aquæ, aut certè sextam, satis tamen est gutta aquæ.* Ita Henriquez. Tertiam partem aquæ addi permittit Concil. Tibur. *capit. 19.* quamuis autem Concilium hoc sit prouinciale, & non sit approbatum à Sede Apostolica, tamen magnæ est authoritatis, & excusat à peccato.

245 Pixis posita in altari, super corporale à Sacerdote, intentione consecrandi, remanet consecrata, quamuis tempore consecrationis fuerit operta, neque de ea tunc recordetur Sacerdos, ita docent omnes, teste Diana *p. 3. tract. 6. resol. 103.*

246 Pixis, seu particulæ positæ in altari cum intentione consecrandi, quamuis à latere Epistolæ, & extra corporale, si Sacerdos non recordetur, vt ponat supra corporale, probabile est, quod remaneant consecratæ Gamacheus *3. p. qu. 74. cap. 4.* Ibidem Io. Præpositus *ar. 2. dub. 3. nu. 19.* quamuis Ego oppositam opinionem censeam probabiliorem. Vide *tract. 8. quæst. 43.*

247 Cum rationabilis intentio omnium Doctorum Sacerdotum sit, consecrare tantùm id, quod est in fundo calicis, per modum vnius continui, non autem adiacentes vini guttas, vt periculum irreuerentiæ euitetur; proinde Sacerdos qui de hac re aliud expressè non statuit, non consecrat, nisi quod est per modum vnius continui, censetur enim se velle conformare rectæ intentioni aliorum, ita Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 14.*

248 Sacerdos, immediatè post Missam, in Sacristia, antequam sacris se vestibus exuat, inueniens fragmentum, etiam magnum, in calice, aut patena, potest illud assumere; ratio est, quia quamuis completum sit sacrificium; tamen eiusdem sacrificij purificatio adhuc moraliter durat, cum Sacerdos non se adhuc diuerterit ad extranea, Granado *3. par. de Sacrament. contron. 6. tract. 10. disput. 8. num. 11.* Fabris *in Manuali, cap. 11. num. 142.* Diana *p. 5. tract. 14. resol. 43. & par. 6. tract. 6. res. 17.* Marchinus *p. 3. cap. 3. num. 19.* vbi id extendit ad reliquias ab altero Sacerdote consecratas, quod Ego probabilius puto, quia cum

adhuc duret moraliter tempus purificationis, posset non tantùm sui sacrificij, sed & alterius calicem, atque etiam pixidem ab alio consecratam purificare.

Opinio.

249 Formido non impedit iudicium probabile, seu opinatiuum, proinde adhuc durante ea formidine, licitè quis operatur, Pasqualigus *decis.34.num.5.*

250 Quam malueris, ex pluribus probabilibus opinionibus, potes eligere; imò probabilem omissa probabiliori, vide latissimè, quæ scripsi *in tr.2. de opinione probabili.*

Ordo.

251 Aduertant scrupulosi aliud esse opinionem, aut dubium, aliud verò scrupulum; quare non statim, ac quis timet se sacra vasa in sua ordinatione ad sacerdotium non tetigisse, debet iterum sub conditione recipere ordinem, multa enim obliuiscimur, quæ re vera præstitimus, Diana *par.5. trac.13. resol.47. in fine.*

Paupertas Religiosa.

252 Potest religiosus rogare dantem sibi pecuniam, vt eam interim deponat apud amicum, donec ipse impetret licentiam; vel potest recipere pecuniam; tanquam depositum, donec licentiam obtineat, ita vt interim omne dominium, & possessio remaneat apud deponentem, Sanchez *in Summ.lib.7. cap.19.num.51.* Diana *par.1.trac.6.res.42. & 43.& par.3.trac.2. res.65.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.4.nu.43.*

253 Neque peccat contra paupertatem, si per duos, aut tres dies retineat pecuniam, quam est soluturus, cuius dominium non est apud ipsum, Eusebius de Herrera *decis.5.num.7.* Pasqualigus *decis.451.*

254 Sufficit ad mortale vitandum, præsumpta licentia, seu tacita, quamuis possit expressa licentia peti, & licèt talis modus accipiendi sine expressa licentia Prælato displiceret, tamen diceretur inuitus quò ad modum, non quò ad substantiam; vnde taliter accipiens peccaret tantùm venialiter, Tannerus *2.2. disp.6. quæst.3.dub.4. num.165.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.4. num.64.* Diana *par.1. tract.6. resol.31. & par.6.tract.6. resol.58.* Lugo *de iust. disp.3.sect.8.num.151.* vbi ait: *Quod potest Religiosus accipere non habendo intentionem acceptandi vllo modo rem illam, vel ius aliquod ad eam, sed relinquendi totum ius penes ipsum donantem, donec licentia habeatur: tunc enim etiam per longum tempus posset retinere, quasi in deposito,* ita Cardinalis Lugo.

255 Quando autem Prælatus, quoad modum expendendi sine expressa licentia, non esset inuitus, tunc nullum esset peccatum; huiusmodi est, si quis petijsset licentiã quoad certum vsum, & probabiliter Prælatus non curaret, in alium vsum pecuniam conuerti, Card.Lugo *de iust.disp.3. sect.8. num.158.*

256 Sufficit probabiliter præsumere licentiam, neque requiritur moralis certitudo ipsius Sanchez *in summ. lib.7. cap.19.num.13.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.4. nu.64.*

257 Monialis, aut Religiosus, qui visitante Prælato cellas, res aliquas occultat, ne possint inueniri: non ex eo, quia timet, ne à Prælato auferantur; sed quia erubescit refricari memoriam eorum, quæ Prælatus ipsi permisit, aut quorum intra breue tempus petiturus est licentiam, vel eam ab alio Prælato obtinuit, non peccat, Sanchez *lib.7. Sum.c.19.num.61.* Faustus *in thesauro Religiosorum, lib.8. quæst.126. num.3.* Tannerus *2.2. disp.6. quæst.3. dub.4. num.165.* Diana *par.1. tract.6. resol.31.* Card. Lugo *de Iust. disp.3. sect.8. num.156.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.4. num.29.*

258 Si vnus accipit licentiam dandi alteri eiusdem conuentus, hic non tenetur petere licentiam accipiendi; dare enim, & recipere sunt correlatiua, Io. Franciscus Suarez *in compend. Theol. Verbo votum pauper.* Diana *par.3. tract.2. resol.65.§. Nota 4.* Lugo *de Iustitia disp.3. num.164.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.4. num.57.*

259 Religiosi eiusdem conuentus possunt inuicem dare caligas, tunicam, & libros; dummodo dans prouisus sufficienter remaneat; non enim præsumitur superior inuitus, Llamas *in Methodo, par.3.c.9.§.12.* Fagundez *prac.2. lib.8. cap.6. num.4. 5.& 6.* Diana *par.1.tract.6. res.37.*

260 Comestibilia ab extraneis cum licentia accepta, possum quibuscumque absque alia licentia donare, datur enim à Prælato Religioso, vel vt comedat, vel vt donet, Peyrinus *de Religioso subdito tom.2. cap.2. quæst.2. §.6.*

261 Pecuniam mihi oblatam possum, ea non acceptata, rogare vt alteri meo nomine detur, tunc enim ipse non dono, sed alius donat ex mea intercessione, quæ intercessio non est contra votum paupertatis, Suarez *tomo 3. de relig. lib.8. c.11. num.45* Sanchez *lib.7.Sum.c.19.nu.74.* Diana *p.1. tr.6.res.8.* Pellizzar.*de Monialibus, c.4. nu.33.*

262 Non præsumitur superior inuitus, vt aliquid ad vsum meum concessum, v. g. vestem, cum alio eiusdem conuentus commutem; immò etiam cum externis, si accepta, similia, aut æqualia sint, Diana *par.2. tract.2. res.65.* Pellizzarius *de Monialibus cap.4. nu.53.*

263 Vsurpans ad vsum temporalem aliquid ex communi loco, vt libros ex bibliotecha, non peccat contra votum paupertatis, neque venialiter, ita Azorius *tom.1. lib.12. c.12. qu.3.* hoc tamen intelligitur dummodo ex paruitate materiæ superior non præsumatur inuitus: alioquin erit peccatum veniale, nisi alij inde priuentur vsu talis rei, cum magno incommodo, vt ait Sanchez *lib.7. Summa, cap.19. num.57.*

Pœnitentia.

264 Poenitentiam grauem ob venialia, aut mortalia, aliàs tamen confessa, impositam non implens, peccat venialiter tantùm, Suarez *de penit. disp.38. sect.7.n.5.*

265 Si quis absque intentione satisfaciendi pœnitentiam impleat opus, vt si ex deuotione recitet Rosarium, aut ieiunet, satisfacit; neque tenetur iteratò recitare, aut ieiunare, Sanchez *lib.1. cap.13. num.17.* Lugo *de pænit. disp.25. sect.3.num.37.*

266 Quando aliquis, præsertim scrupulosus, intra eandem horam frequenter accedit ad confessarium, aliquid noui semper confitens, in eo casu Sacerdos potest iniungere pœnitentiam aliàs iniunctam; nam opus aliàs debitum, potest in sacramentalem satisfactionem iniungi, Bonacina *tom.1. disp.5. quæst.5. sect.3. punc.2. num.3.* Henriquez *lib.5. cap.20. num.6.* Card. Lugo *de penit. disp.25. sect.4. num.50.* Diana *par.6. tract.7. resol.6.* Possemus *de Officio Curati, cap.7. num.59.* qui rectè monet quod tunc iuuat dare asperam penitentiam, nam vexatio dat intellectum, & liberat à scrupulis.

Pollu-

Pollutio.

267 NOn peccat exercens opus licitum, aut indifferens, ex quo per accidens sequitur pollutio, aut distillatio, sic licet comedere cibos calidos, equitare, audire mulierum confessiones, iuxta patriæ morem osculari, &c. Io. Sanchez *disp.21. nu.12.* Vasquez *1.2.tom.1. disp.115. num.9.* Sanchez *de matrimon. lib.9. disput.45. num.8.* Filliuccius *tom.2.tract.30. cap.10.num.198.* Vide *tract.4. quæst.25.*

268 Si distillatio (quæ multum differt à pollutione) accidat sine vlla delectatione venerea, adeò vt homo eam non aduertat, cùm euenit, non est magis curandum de ipsa, quàm de sudore, Sanchez *de matrim. lib.9. disp.45. num.2.* Caietanus *tomo 1. opusc. 22. art.2. §. aduerte tamen*, Vide *tract.4.quæst.24.*

Prædestinatio.

269 GRauissimam tentationem de prædestinatione inijcit aliquando dæmon, cuius sophismata reijciat ad alia diuertens cogitationem; sed plerumque sic respondere iuuat: *Faciam ego quod ex me est; Deus quod ex se est, ipse faciet; nam quod iustus, & misericors est, qui non vult mortem peccatoris.* Signum pariter boni exitus, est bona vita, rarissimè enim aliter accidit, vt ait S. Hieronym. *in suo testamento, qui enim cœpit ipse perficiet;* Quis infirmus à curatione, aut quis agricola à seminando desistit, eò quod exitum ægritudinis, vel messis ignorat?

Scandalum.

270 SI mulier dubitet se ab aliquo concupiscendam, non tenetur abstinere à choreis, aut à fenestra: si autem certò sciat, tenetur, nisi id esset illi magnum incommodum, Mendozza *2.2.disp.173. sect.31. §.404. & sect. 28. §.319.* Diana *par.5. tract.7. resol.25.*

271 Non obligatur tamen abstinere à sacro, præsertim de præcepto, quamuis certò sciat se concupiscendam, Vasquez *opusc. de scandalo art.8. dub.1. num.4.* Granado *controu.3. tract.13. disput.5. sect.5.num.28.* Diana *par.5. tract.7. resol.22.*

272 Non peccaret tamen mulier abstinens à sacro de præcepto, bis, aut ter, ne exhibeat se videndam ab eo, quem certò scit eam deperire, Mendozza *2.2. disp.173. sect.20.§.256.*

273 Nimius ornatus mulieris, secluso malo fine, non excedit culpam venialem, Layman *lib.2.tract.3. cap.13. num.11. quæst.13.*

Secretum.

274 LItteras proiectas, aut laceratas, quilibet potest aperire, aut vnire, & legere, absque peccato, Layman *lib.3.sect.5. tract.3. par.1. cap.4. num.4.*

Sigillum confessionis.

275 NOn est contra Sigillum, si immediatè post absolutionem, antequàm pœnitens se diuertat ad alia, Confessarius loquatur cum ipso de materia confessionis; nam eo tempore potest imponi pœnitentia, & videtur continuari confessio, eiusq; complementum; neq; tunc rubore suffunditur pœnitens, neq; graue ducit, Tannerus *tomo 4.disp.6.q.9. dub.6.n.132.* Henriquez *lib.6.cap.23. §.2.in fine.* Io. Præpositus *3.p. q.11. de sigillo dub.5. n.41.* Card. Lugo *de pœnit. disp.23. sect.5. num.129.* Pellizzarius *de monialibus cap.10. num.216.& num.283.*

276 Non violatur sigillum Sacramentalem, si Confessarius Regularium, aut Monialium ex notitia habita in confessione, moneat Prælatum, vt magis inuigilet in custodia clausuræ, claudat aliquam fenestram, altius attollat aliquem murum, aut aliquid aliud tale præstet, ad impediendos aliquos excessus, qui aliàs occurrere possunt; modo non adsit periculum, vt aliqua ratione cognoscatur Monialis, aut Regularis delinquens; Quia etiam si sigillum Sacramenti in omni occasione obliget, ne confessio peccati directè, aut indirectè reueletur cuiquam hominum, cui id incognitum sit, non ita tamen semper obligat respectu ipsius pœnitentis; & aliorum, qui certam notitiam habent delicti; quominus Sacerdos ex causa graui facere aliquid possit, quod ex se ipso quidem nullo modo est signum reuelatiuum peccati, at ijs qui peccauerunt, aut illud ante cognitum habent, suspicionem mouere possit illud fieri ex notitia Confessionis, ita Pellizzarius *de Monialibus cap.10. num.283. vers. putant* Coninchius *de Sacram. disp.9. num.68.* Layman *lib.5. tract.6. cap.14. num.14.* Bonacina *de Sacramentis disp.5. quæst.6. sect.5. pun.4. num.17.* Diana *par.5. tract.11. resol.3.* vbi citat, Sanchez Granadum, & Fagundez, Cardinalis Lugo *de pœnit. disp.23. sect.5. num.102. & 103.* qui optimè docet, quod si vsus scientiæ confessionis in ordine ad regimen, fit cum reuelatione directa, vel indirecta peccati, tunc non est dubium esse contra sigillum: si verò fit absque vlla reuelatione, sed tamen ita vt pœnitens intelligat id fieri propter peccatum, quod confessus est: tunc distinguendum est, nam vel inde confessio redditur difficilior, & talis *vsus ingratus* accidit pœnitenti, & tunc erit omninò illicitus: si verò *non est ingratus* pœnitenti, neque ex eo redditur difficilior confessio, non erit contra sigillum, cuius præcipua ratio est, ne confessio difficilior, aut grauior reddatur. Denique si absque vlla reuelatione, & etiam absque eo quod pœnitens aduertat, id fieri propter peccatum quod confessus est; tunc si non sit in vllum præiudicium pœnitentis, aut damnum ipsius, sed ita vt etiam si pœnitens sciat licitum esse talem vsum, non ideò retardaretur à confessione, tunc non videtur esse vllo modo contra sigillum, ita Cardinalis Lugo. Aduerto autem ex Layman, & Pellizzario *locis citatis*; Quando tollitur occasio peccati, etiam si pœnitens id sciat, irrationabiliter id esse illi molestum, & graue, vt cùm clauditur fenestra, murus altiùs attollitur. Ratio est, quia hoc neque exprobrationem peccati continet: neque damnum pœnitenti infert, aut aliud grauamen, sed solùm hoc bonum, vt impediatur à peccato in posterum committendo. Neque obstat Decretum Clementis VIII. quia ea constitutio solùm loquitur de actibus spectantibus ad gubernationem Subditorum, ne aliquid ex notitia confessionis fiat, quod confitentium honori, aut commodis aliquo modo præiudicet.

Vasa

Vasa Sacra.

277 VAsa Sacra, corporalia, reliquias, & agnos Dei, Moniales, aut Clerici, imò, & Laici, ex causa rationabili, tangentes; præsertim si habeant officium sacristæ, nullatenus peccant; sine causa verò peccant venialiter, Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 3. ad 3.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 43. num. 27.* Persicus *de Officio Sacerd. lib. 1. cap. 9. numer. 56.* Pellizzarius *de monialibus cap. 7. num. 12.*

Viaticum Sacrum.

278 SEx dierum interuallum sufficit, vt aliquis non ieiunus possit sæpius sumere Sacrum Viaticum Posseuinus de Officio Curati *cap. 8. nu. 21.* Diana *par. 2. trac. 14. resol. 77. & par. 3. tract. 4. resol. 44.*

Vitam abbreuiare.

279 NVllum est peccatum quascumque pęnitentias, & carnis macerationes exercere, vt patet in innumeris Sanctorum exemplis; non enim inde certa prouenit mors, Granado *2. 2. controuers. 3. tract. 6. disp. 2. sect. 3. num. 12.* Diana *par. 5. tract. 4. resol. 33.*

280 Excusatur à mortali vsus aquæ niuis, in potu, quamuis præuideant Medici, inde accelerandam mortem, Diana *par. 5. tract. 4. resol. 27.*

Votum.

281 DVbitans an vouerit, ad nihil tenetur, quamuis probabilius iudicet se vouisse, dummodo non sit certus, Sanchez *lib. 1. cap. 10. num. 36.* Castrus Palaus *tom. 3. disp. 3. pun. 9. nu. 9.* Malderus *1. 2. quæst. 19. art. 5. disp. 87.* Diana *par. 2. tract. 15. resol. 9. & tract. 17. resol. 45. par. 3. tract. 6. resol. 50. par. 4. tract. 3. resol. 10. & 12.*

282 Qui præstat opus, quod vouerat, satisfacit; quamuis haberet intentionem, tunc non satisfaciendi, Sanchez *lib. 1. cap. 13. num. 18.*

283 Vouens quotidie recitare tertiam partem rosarij, non peccat si interrumpat, dicens semel decem Aue Maria, & alio tempore alia decem, Sanchez *in opuscul. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 19. num. 5.*

284 Votum potest aliquis propria authoritate commutare, in æquale, vel maius opus; neque requiritur iusta causa; nam quodcumque opus, æquè gratum est Deo, Villalobos *tom. 2. tract. 34. diffic. 31. num. 8.* Io. Sanchez *in selectis disp. 14. num. 3.*

285 Is, cui votum commutatum fuit, potest propria authoritate ad primum votum redire, Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 9. num. 21.*

286 Maritus potest irritare quodcumque votum vxoris, etiam suo iuri non præiudicans, vt dicendi rosarium, Villalobos *tom. 2. tract. 34. diff. 21.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 220.* Io. de la Cruz *in director. par. 1. præc. 2. art. 2. dub. 10. concl. 3.* Emanuel Sà *V. irritatio num. 1.* Sanchz. *lib. 4. Summa cap. 34. num. 2.* vbi *num. 10. & 11.* ait: maritum posse irritare votum vxoris, non petendi debitum: ac etiam posse irritare vota emissa ante matrimonium, aut implenda post solutum matrimonium, vt ingrediendi religionem post mortem mariti. Eadem ratio est de Prælato respectu subditi, ac Patris & tutoris, respectu filij, & pupilli.

287 Sufficiens causa dispensandi in voto est, si non sit emissum ex plena deliberatione, sed vel ex leuitate, vel in tenera ætate, vel ex metu, vel ex vehementi passione, Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 20. num. 12. & lib. 4. Summa cap. 45. num. 28.* Castrus Palaus *tom. 3. tract. 15. disp. 2. pun. 9. num. 6.* Trullenk *in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 33. num. 8.* Diana *par. 6. tract. 7. resol. 24.* qui docent conueniens esse tunc admiscere aliquam commutationem.

Vrbanitas.

288 SI vexatur scrupulis vir perfectus, & timoratus, quod fuerit loquutus terminis maximè compositis, & selectis; quòd se gratum ostenderit coram benefactore, & vrbanum, quòd bona laudauerit, cogitans satiùs fore à prædictis cauisse: abigat tales scrupulos velut deliria; Deus enim, vel Ecclesia non intendit suis præceptis aliquem ita obligare, vt ea adimplendo sit, aut appareat fatuus, aut quod tollatur Vrbanitas, aut conuersatio honesta cum alijs hominibus: Neque verò consulit nugas, aut ita se habere hominem, vt alijs ridiculo sit, saltèm secundum sententiam bonorum, & discretorum, ita Rodriquez *qq. regular. tom. 2. quæst. 46. art. 3. §. tertia regula, & in Summa tom. 2. cap. 52. numer. 1.* Io. Sanchez *in selectis disp. 41. num. 21.*

Vxor.

280 VXor etiam inuito marito, & quamuis hic valdè contristaretur, adhuc tamen potest facere moderatas eleemosynas, vt vigesimam partem communium redditumm; nam non est ancilla, sed socia bonorum, Granado *2. 2. controu. 3. tract. 11. disp. 5. num. 3.* Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 2. pun. 13. num. 12.* Pasqualigus *decis. 449. nu. 1. & 2.* Diana *par. 2. tract. 15. resol. 33. & tract. 16. resol. 23. & par. 5. tract. 5. resol. 34. & tract. 8. resol. 34.*

290 Vxor etiam inuito marito, potest aliquid surripere de bonis ipsius viri, vt alat filios primi matrimonij, atque etiam fratres; teneretur tamen post solutum matrimonium, quæ pro his alendis accepit, computare in suam partem; Castrus Palaus *to. 1. tract. 6. dis. 2. pun. 13. num. 13.*

TRA-



TRACTATVS SEXTVS
DE ABSOLVTIONE MORIBVNDI Nullo præſtito Pœnitentiæ ſigno.



QVÆSTIO VNICA.

An moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nec confeſſionem petijt, nec vlla dedit pœnitentiæ ſigna, poſſit ſacramentaliter ſub conditione abſolui?

SECTIO I.

Negatiua, & communis ſententia Auctores afferuntur.



Negant communiter Doctores, imò nullum eſt, qui contrarium dicat, ſcripſit Vaſquez 3. *p. qu.*91. *art.*2. *dub.*1. *num.*1. Suarez *de pœnit. diſput.*23. *ſect.*1. *nu.*13. Coninch. *diſp.*5. *num.*28. Turrian. *de pœnit. qu.*9. *ar.*2. *diſp.*30. *dub.*1. *ad* 3. Henriquez *lib.*6. *cap.*10. *num.*9. Layman *lib.*5. *tr.*6. *cap.*12. *num.*4. Reginaldus *lib.*8. *cap.*3. *num.*25. Io: Sanchez *in ſelectis diſp.*44. *num.*35. Malderus *opuſc. de ſigillo confeſſionis cap.*15. Diana *par.*3. *tract.*3. *reſol.*8. Eminentiſſimus Lugo *de pœnit. diſput.*17. *ſect.*3.

SECTIO II.

Affirmantis ſententiæ Auctores.

SVMMARIVM.

*In viro timorato hanc opinionem admittit S. Antoninus. num.*1.

*Clemens Octauus, è ſublimi cadentem, abſoluit. num.*2.

*Pater Diana aſſerit hanc opinionem eſſe probabilem ab extrinſeco. num.*3.

In Belgio milites, nullo præſtito ſigno, abſoluuntur. numero 4.

*Vſus magnam præbet opinioni authoritatem. num.*5.

Opinio affirmans poſſe ſub conditione abſolui moribundum nulla dantem ſigna pœnitentiæ, non eſt adeò grauium Doctorum auctoritate deſtituta, vt cenſuit Vaſquez, etenim vt omittam Eccleſiæ Sanctę lumen Auguſtinum de quo infra, ſic docuit S. Antoninus *in ſummula incipienti defecerunt par.*3. *ſeù tract.*2. *cap.*17. cuius hæc ſunt verba: *Talis*, inquit, *infirmus, qui amiſit loquelam, vel vſum rationis, ſi benè viuebat, vt bonus fidelis, & frequentabat confeſſionem, & communionem, quamuis non petierit ſacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, vel etiam ſi malus diù perſeuerans in peccatis, & diù non confeſſus eſt, ſi petijt Sacerdotem, vt confiteretur, oſtendit ſe facere velle omnia, quæ debet, & interea factus eſt mutus, vel phreneticus, & periculum eſt in mora, debet ſupponi contritus, & faciente aliquo confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia, & peccato. Deinde debet ei dari Euchariſtia à proprio Sacerdote ſeculari; quamuis non ſit confeſſus, quia non potuit. Aſtantibus autem infirmo debet credi ſi perhibent teſtimonium, quod petierit confeſſionem, & oſtenderit ſigna contritionis. Si autem non eſt diù confeſſus, vel quia notorius peccator incurrit ſubitò amentiam, vel mutitatem, vel infirmitatem, nec prius, nec poſt oſtendit ſigna contritionis nil ei dare debet nec Sacramenta nec Eccleſiaſticam ſepulturam.* Hæc S. Antoninus.

Reſpondet Eminentiſſimus Lugo *de pœnitentia diſputat.*17. *ſect.*7. *numer.*36. non ſatis conſtare, an Sanctus Antoninus loquatur de abſolutione Sacramentali, cùm dicat præmittendam eſſe confeſſionem generalem ab alio, & poſtea ſubiungit eſſe communicandum, quamuis non ſit confeſſus.

1 Contrà, nam apertè Sanctus Antoninus loquitur de abſolutione Sacramentali. Probo, nam iiſdem verbis docet virum timoratum nulla præbentem ſigna, & non petentem confeſſionem, ac virum perditæ vitæ, & inueteratum peccatorem, petentem tamen

confeſſionem, vtrumque, ait S. Antoninus eſſe abſoluendum, ab omni ſententia & peccato: Sed inueteratus peccator petens confeſſionem certè eſt abſoluendus ſacramentaliter; ergo etiam ille timoratus ex Sancto Antonino, nullo præſtito ſigno, eſt ſacramentaliter abſoluendus. Neque obſtat, quòd S. Antoninus dicat illum petentem confeſſionem, non eſſe confeſſum, id enim aſſerit non quia non ſit ſacramentaliter abſolutus, ſed quia peccata ſua non aperuit Sacerdoti.

. Iam verò plures recentiores, qui affirmatiuam ſententiam tradiderunt afferamus, ita enim docuit Molſeſius noſter *in ſumma par.1. tract.7. cap.5. nu.48. & 49.* qui ſic ſcribit: *Hanc opinionem, vt mihi retulit D. Gabriel Lottherius, vir magnæ eruditionis, Romæ ſequuti fuerunt ipſe, ac Franciſcus Suarez, Pater Salmeron Societ. Ieſu, &*
2 *Pater Lupus Capuccinus, & audiui etiam, quod dum caſu cadebat Romæ quidam ex fabrica Sancti Petri, & reperiebatur ibi Clemens Octauus Pontifex Maximus vir ſapientiſſimus, & vidiſſet illum cadentem, quod, dederit ei abſolutionem dicens: ſi capax es abſolutionis, ego te abſoluo à peccatis tuis.* Ita Molſeſius.

Hanc ſententiam ait: Pellizzarius *tract. de Monialibus cap.10. num.184.* viri fide digni teſtantur, priuatim docuiſſe Suarez, ac practicaſſe.

Eandem ſententiam ſequuti ſunt Homobonus *in examine Eccleſiaſtico par.1. tract.7. cap.18. quæſt.84.* Bartholomæus à Sancto Fauſto in *Theologia morali tomo 1. lib.4. quæſt.204.* Iacobus Bayus profeſſor Theologiæ *in Academia Louanienſi in conſtitut. Religion. Chriſtianæ libro 2. cap.91.* Antonius de Litteratis in *ſumma edita Romæ cum approbatione Magiſtri ſacri Palatij anno 1611.*
3 *par.1. cap.35. num.7.* Lezana *in ſumma Quæſtionum Regul. tom.3. verbo confeſſio num.11.* Pellizzarius Societatis Ieſu *tract. de Monialibus cap. 10. num.184. & tract. de priuilegijs cap.3. ſect.2. ſub ſect.2. q.15.* vbi citat Naldum, Baldellum, Bordonum, Stephanum à Sancto Gregorio alioſque viros doctiſſimos à ſe conſultos: idem Pellizzarius in manuali Regularium *tom.1. tr.5. cap.3. ſect.2. num.60. & tom.2. tract.8. cap.3. ſect.2. num.114.* Petrus Marchantius in *Tribunali Sacram. tom.1. tract.4. tit.4. dub.7.* Auerſa *de Sacram. pœnit. quæſt. 10.* Victorinus Premoli ex Societate Ieſu *in memoriali Clericorum par.4. cap.1. num.14.* ex eadem Societ. Tamburinus *in methodo expedita confeſſionis edito Romæ anno 1647. libro 2. cap.10. numer.11.* Leander *de Sacramentis tom.1. tract.5. quæſt.46.* Ianſenius *penès Leſſium 3.p. D. Thomæ qu.9. art.2. dub.2. num.20.* Ioannes Caramuel *in Theol. moral. lib.3. diſp.4. num.154.* quos citat, quamuis non ſequatur Diana *par.9. tract.6. reſol.20.*

Denique vir fide digniſſimus mihi teſtatus eſt, eandem opinionem docuiſſe, ac in ſuis manuſcriptis probaſſe noſtrum Leonardum Duardum, virum doctiſſimum, qui præclara edidit commentaria in Bullam Cœnæ Domini, de cenſibus, & alia, Diana *part.3. tract.3. reſol. 8.* aſſerit hanc opinionem eſſe probabilem ab extrinſeco. Alexander Ludouiſius Archiepiſcopus Bononienſis, poſtea Summus Pontifex Gregor. XV. *in memoriali confeſſariorum edito Bononiæ capit. 1. de forma Sacramenti pœnitentiæ numer.16.* vbi præcipit obſeruari. Antiquum Sacerdotale Romanum *in tract. de Sacramentis pœnitentiæ cap.26.* quod à Leone X. approbatum refert Nauarrus *de oratione Miſcell.90.* Fauet huic opinioni Doctorum, piorumque Sacerdotum vſus; vnde Emi-
4 nentiſſimus Lugo *de pœnitentia diſput.17. ſect.3. nu.35. Audio,* inquit, *in Belgio à multis confeſſarijs in bello ita fieri, qui milites moribundos, etiam ſi nulla ſigna dare poſſint abſoluunt.* Scio quoque plurimos doctos, ac timoratos Sacerdotes hanc opinionem in praxim deduxiſſe, nec dubitandum, quod ex Sacerdotalis Romani authoritate, ac etiam ex Rituali illo Bononienſi propè infiniti in tali caſu ſub conditione abſolutionem largiri non dubitauerint.

5 Porrò vſus magnam præbet opinioni authoritatem, ac eam probabilem reddit, Emanuel Sà *Verbo dubium numer.3.* Ratio eſt, quia non eſt veriſimile, eſſe leuia fundamenta, quibus ducti tot viri docti eam opinionem facto ipſo approbarunt; quare ea opinio tot habet authores, quot in praxi eam obſeruantes, fauet tex. *in l.2. C. quæ ſit longa conſuetudo.* Sic à pari docent Doctores, quod quando aliquis contractus eſt in vſu in aliqua Ciuitate, etiam ſi videatur iniuſtus, eſt vſurarius, non eſt proinde facilè reprobandus, niſi clarè, & euidenter conſtet de iniquitate. Bart. *in l. ſi quis fugitiuus. §. apud labeonem ff. de ædilitio edicto,* Titaquellus *libro 2. de vtroque retractu §. vltimo num.127.* Nauarr. *conſ.4. de vſuris edit.2.*

SECTIO III.

Primum negantis ſententiæ fundamentum, nam nullo præſtito ſigno à moribundo eius contritio non eſt ſenſibilis, quare non eſt apta materia Sacramenti?

SVMMARIVM.

Contritio eſt pars eſſentialis, & materia partialis ſacramenti pœnitentiæ. num.6.

Satisfactio non eſt pars eſſentialis, ſed integralis. numero 7.

Quare Tridentinum vocat contritionem quaſi materiam? num.8.

Contritio moribundi nulla exhibentis ſigna eſt omninò inſenſibilis. num.9.

Dolor omninò inſenſibilis non eſt apta materia ſacramenti. num. 10.

Eſt irridere Sacramentum, illud miniſtrare, quando certum eſt, deficere materiam. num.11.

AD huius fundamenti euidentiam tres aſſertiones probandæ ſunt.

6 Prima Aſſertio eſt: contritionem eſſe partem eſſentialem, atque materiam partialem huius Sacramenti pœnitentiæ; ita contra Durandum *in 4. diſt. 16. quæſt.1.* docent omnes ex Concilio Florentino in decreto de vnione Armenorum, ex Leone Decimo *in Bulla contra Lutherum,* ex Trident. *ſeſ.14. capit.3.* ibi. *Sunt autem quaſi materia huius ſacramenti ipſius pœnitentis actus, nempè contritio, confeſſio, & ſatisfactio;* & ex Concilio Colonienſi, Moguntino, Senonenſi, ac ex Cathechiſmo Pij V. docet Suarez *de pœnit. diſput.18. ſect.3. num.5.* vndè omnes docent quod contritio, & confeſ-
7 ſio ita ſpectant ad ſubſtantiam, vt ſint etiam de eſſentia Sacramenti; ſatisfactio autem à Sacerdote impoſita eſt pars integralis tantùm, ſine qua proinde

poteſt

potest constare essentia, ita ex S. Thoma 3. *p. quæst.* 84. *art.* 2. *& quæst.* 90. *art.* 2. *& in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 1. *art.* 1. vbi Riccardus *art.* 1. *quæst.* 1. Alensis *parte* 4. *quæst.* 66. *memb.* 1. *art.* 2. *&* docent expresse Sotus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. Valentia 3. *p. disp.* 7. *quæst.* 1. *punct.* 1. *vers.* 3. *sententia* Henriquez *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 1. vbi ait: *Quod contritio non est solum dispositio, sed vera pars sacramenti.* [illegible] *de penitentia disp.* 18. *sect.* 3. *nu.* 3. *& disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 8. [illegible] *lib.* 1. *de penit. cap.* 18. Eminentissimus Lugo *de penit.* [illegible] *sect.* 2. *num.* 12. qui
8 docent præsertim Valentia, non ideo [illegible]dentino vocari *quasi materiam*, quod propriè, & verè con[illegible] & confessio non sint materia; sed quia ita se habent in hoc Sacramento, sicut res externa à ministro adhiberi solita in alijs sacramentis, vt aqua in baptismo, chrisma in confirmatione, sicut etiam benè explicant Sotus, & Catechismus Romanus.

9 Secunda Assertio. Contritio, seù dolor, quamuis verè adesset in moribundo, nulla exhibente signa, *non est sensibilis*: patet, nam actus internus ex se est insensibilis, fit autem sensibilis per actum externum, vt confessionem, ab ipso actu interno imperatum, sed in casu nostro nullus est actus externus: ergo talis dolor est omninò insensibilis.

10 Tertia Assertio, *dolor internus, & omninò insensibilis nequit esse materia sacramenti penitentiæ*; imò hoc fundamento Durandus negauit dolorem esse materiam sacramenti. Ratio est, quia cum sacramentum sit signum sensibile, debet habere materiam sensibilem, & formam sensibilem: sed in casu nostro dolor est omninò insensibilis, tam per se, vt potè internus, quàm per accidens, quia non fit sensibilis per aliquod signum externum: ergo non est aptus, vt sit materia partialis sacramenti pœnitentiæ. Quod autem dolor insensibilis, & nullo modo per externum signum factus sensibilis, non sit apta materia sacramenti, docent omnes, præsertim S. Thom. 3. *p. quæst.* 90. *art.* 2. *ad primum*, *& in* 4. *dist.* 14. *qu.* 1. *art.* 1. *ad primum*; vbi ait: *Materiam huius sacramenti esse actus penitentis, vt exteriùs apparentes.* Itaque in tali moribundo, non adest vlla materia apta ad Sacramentum, cum neque adsit confessio, neque dolor sensibilis: sine materia autem nequit vllo casu existere Sacramentum: nam materia est pars essentialis, & nulla res nullo casu potest existere sine sua essentia. Neque casus extremę necessitatis mutat essentiam Sacramenti, alioquin si tunc validè daretur sa-
11 cramentum, valide quoque daretur extra necessitatem. Et cum certum sit in tali moribundo non esse sacramenti pœnitentiæ materiam, esset irridere sacramentum, ministrando illud sub conditione; sicuti irrideret sacrum baptisma, qui in necessitate, deficiente aqua, cum vino baptizaret sub conditione.

(.·.)

SECTIO IV.

Primum affirmantis sententiæ oppositum fundamentum; nam ipsa catholici agonia est probabile, sufficiens, ac sensibile signum internæ contritionis, quæ proindè est apta materia partialis simul cum forma absolutionis constituens Sacramentum penitentiæ. Præterea, quia rationabile dubium est: an moribundus dederit sensibile signum, ab adstantibus non animaduersum.

SVMMARIVM.

Agonia catholici [illegible] *probabile signum, eum tunc conteri, ac desiderare confessionem.* [illegible]
Id dicitur probabile, quod plerumque [illegible] *seu communiter fit. num.* 13.
S. Augustinus Catechumenum adulterum, morti proximum, quamuis nulla dantem signa baptizari voluit. num. 14.
An sit sepeliendus sepultura Ecclesiastica peccator, qui nulla potuit dare penitentiæ signa. num. 15.
Sunt huiusmodi absoluendi ab excommunicatione, etiam si nullum dederint signum. num. 16.
Moribundi testimonio magis creditur. num. 17.
Agonia catholici est sufficiens signum contritionis, vt cum eo possit ministrari Sacramentum. num. 18.
In necessitate ministrandum est Sacramentum cum materia dubia. num. 19.
Si dubitetur an signa sint ex mortis angustia, vel ex contritione, adhuc est absoluendus. num. 20.
Agonia catholici est sensibile signum contritionis. numero 21.
Conclusio sequitur naturam præmissarum. num. 2.
Moribundi suspiria, aspectus in Cælum, &c. quamuis ignoretur, vnde procedant; sunt signa sensibilia contritionis. num. 23.
Ex coniecturis sensibilibus habetur in matrimonio signum sensibile consensus. num. 24.
Panis intra clausam pixidem, dicitur sensibiliter præsens, & est consecrabilis. num. 25.
Est hæreticus externus, si quis malè sentiens de sacra Eucharistia, omittit reuerentiam, dum eleuatur. numero 26.
Sacramentum penitentiæ est verè, & propriè iudicium. num. 27.
Sacramentum esse signum sensibile, est idem, ac esse signum humano modo significatiuum. num. 28.
Causa aliquando dicitur signum effectus. num. 29.
Sidera sunt signa, quia causant tale temperamentum numero 30.
Quid est signum? numer. 31.
Potest adesse sensibile signum doloris à circumstantibus non animaduersum; quare adest materia sensibilis dubia, cum qua potest absolui num. 31. *vers.* 5. *assertio.*
Dubium rationabile quando sit? numer. 31. *vers. Dicet.*
Infans expositus cum scheda collati baptismi, an sit baptizandus sub conditione? & an si constet fuisse batizatum ab obstetrice? num. 31. *vers. respondeo.*

Quatuor assertiones ad huius fundamenti euidentiam probandæ sunt. Prima est catholici Agoniam esse probabile signum contritionis. Secunda illud signum esse sufficiens, quamuis non sit certum. Tertia esse signum sensibile. Quarta, quod quamuis non adsit altera materia partialis, nempe confessio externa, tamen in eo casu ex sola materia partiali contritionis sensibilis cum forma absolutionis conficitur, seu habetur essentia sacramenti pęnitentiæ. Sed hanc postremam assertionem probabimus infra *sect.6.* Itaque sit

12 Prima Assertio. Agonia catholici est *probabile signum* eum in tali statu interiùs conteri, desiderare Sacramentum pęnitentiæ illudque petere velle si posset: siue quia tempore Agonię habet vsum rationis: siue ... paulo ... errebar se esantè Agoniam, habens vsum ration... ...abile est, quod tunc in se morti proximum; qu... pęnitens, desiderauerit confessio... gemuerit, ac ...ibus ostendo.

13 Primò, quia id dicitur probabile, seù verisimile, *quod plerumque fieri solet l. in obscuris* 114. *ff. de regul. iur.* Cicero *in partitionibus oratorijs, seù quod communiter accidit*, vt latè probat Crauetta *consil.* 40. *num.* 30. Menochius *de arbitrarijs casu* 85. *numer.6.* Sed omnes ferè catholici moribundi instantis mortis periculo territi, interiùs dolent, desiderant sacramenta, petuntque si possunt confessionem: ergo probabile est hunc agonizantem etiam interiùs conteri, ac desiderare pęnitentiæ Sacramentum,

14 Secundò, quia id expressè docuit S. August. *tom.6. lib.1. de adulterinis coniugijs capit.*28. vbi directè probat: *Adulterum in adulterino coniugio mortis periculo præoccupatum, quamuis nulla possit dare sua voluntatis signa, tamen baptizandum esse si cathecumenus erat; & si baptizatus, reconciliandum; tales enim tunc intra se pœnitentes esse credendum est*: ita S. Augustinus,

Tertiò, quia huiusmodi moribundus sepeliendus est sepultura Ecclesiastica, quamuis nulla dederit pœnitentiæ signa, præsumitur enim decessisse contritus; ita de expirante in actu venereo, docet Diana *par.5. tract.3. resol.99. de moriente in cornibus tauri*, Mendozza 2. 3. *disput.76. sect.1. §.21. de occiso à marito in adulterino complexu*, ita seruari de consuetudine Io: Sanchez *in selectis disp.36. num.3.*

16 Quartò, quia tales excōmunicati nullo dato pœnitentiæ signo sunt absoluendi ab excommunicatione, quia præsumuntur intra se pœnitentes, atque optantes absolutionem, Diana *par.7. tract.* 10. *resol.* 10.

17 Quintò fauet illud commune Iurisperitorum axioma, quòd nemo in articulo mortis præsumitur immemor salutis æternæ; quare magis illius, quàm alterius testimonio creditur; est enim infirmitas quædam tortura spiritualis certior, ac tutior ea, quæ per fidiculas, & cruciatum corporis infertur, Alciatus *de præsumpt. regula* 3, *præs.4. in fine* Crauetta *cons.6. numer.*51. Grammaticus *cons.65. num.*1, *& decis.*34. *num.*37. Rolandus *cons.*37, *num.2. vol.3.* Cephalus *cons.*276. *num.*34. *vol.*2. Menoch. *lib.5. præs.5.* Mascardus *de probat. conclus.*899. *num.*5. 1003. *num.*10. 1074. *num.*1, Baldus *cons.*476, *vol.*5, Natta *cons.*537. *num.* 18. *lib.*3.

Ergo si nemo in articulo mortis præsumitur immemor salutis æternæ, ipsa Agonia catholici est probabile signum internæ contritionis, & doloris; eumque desiderare Sacramenta, quæ etiam peteret si posset.

18 Secunda Assertio est Agoniam catholici, quamuis non sit certum signum eum intra se pęnitentem esse, sed tantùm probabiliter arguat eius contritionem; tamen ea probabilitas sufficit ad ministrandum Sacramentum, quod sequentibus ostendo.

19 Primò, quia in necessitate ministrandum est Sacramentum cum materia dubia, vt docent omnes, Reginaldus *lib.8. num.9. & lib.6. num.*147. Coninch... *de pęnit. disput.5. num.*51. Eminentissimus Lugo *de pęnit. disput.17. num.*88. Laym... *5. tract.6. cap.8. num.4. vers, sed benè* ... *decis. lib.1. cap.*32. *num.*2. Molfesius *in ... summa par.1. cap.7. num.*44. *& numer.*45. Bonacina *de sacram. disput.2. quæst.1. punct.4. numer.*10. Diana *part.2. tract.13. resol.2. & resol.3.*

Quare egregiè docet Cardinal. Lugo *de sacramentis in genere disput.8. num.*140. quod in necessitate baptizandus est infans cum materia dubia, & sic cum eo liquore, de quo ignoratur an sit aqua elementaris; quia neque ex odore, neque ex colore, aut ex sapore cognosci potest, qualis sit liquor.

Secundò quia expressè S. Augustinus *tomo 6. lib.1. de adulterinis coniugijs cap.*26. loquens de catechumeno, qui vsque ad mortem in adulterio vixit, & sensibus destitutus nulla præbet signa, ait *præsumi intra se pœnitentem, atque baptizandum esse*; sic subdens *si voluntas eius incerta est, multò satius est nolenti dare, quā volenti negare.*

Tertiò, quia ipsimet aduersarij docent, quod si dubitetur, an signa sint ex mortis angustia, vel ex contritione, adhuc danda est sacramentalis absolutio sub conditione moribundo, ita Layman *lib.5. tract.6. cap.8. numer.4.* Io: Sanchez *in Selectis disp.44. numer.*35. Diana *par.3. tract.3. resol.3.* Card. Lugo *de pœnit. disp.17. n.*31.

20 Tertia Assertio. Agonia catholici est pedum *probabile, sed etiam sensibile signum contritionis*, & sic etiam ea contritio est sensibiliter nota: hanc Assertionem ex sequentibus ostendo,

Primò quia hæc conclusio, nempè: *Iste catholicus agonizans probabiliter intra se pęnitens est, & desiderat sacramentum pęnitentiæ*; hæc inquam conclusio infertur ex duabus præmissis sensibiliter notis: ergo hæc conclusio est sensibiliter nota. Conclusio enim sequitur naturam præmissarum, & virtualiter in illis continetur, idemque est obiectum præmissarum & conclusionis, vt probat Hurtadus *disp. logica* 11. *sect.3. & 9.* hinc ex duabus præmissis de fide, sequitur conclusio de fide, idem Hurtadus *disp.9. de fide.* Probo hanc conclusionem inferri ex duabus præmissis sensibiliter notis; sequitur enim ex hoc discursu: *Sensibile est, ex quotidiana experientia, quod omnes ferè catholici in mortis periculo intra se dolent, ac desiderant sacramentum pęnitentiæ: Sed sensibile est hunc hominem esse moribundum, sensibile quoque est eum esse catholicum, nam inter catholicos natus, educatus, fert secum signa omnia catholicorum, defert orarios calculos, sacris catholicorum interfuit &c. Ergo sensibile signum adest, non quidem necessarium, sed probabile, quod contritus sit, & pęnitentiam desideret*; ergo ea interna contritio est probabiliter sensibiliter nota, & sic probabiliter adest sensibilis contritio.

Secundò probo Agoniam catholici esse probabile, atque sensibile signum contritionis; nam moribundi suspiria, aspectus in Cœlum, pectoris percussio; quamuis ignoretur, an sint ex angustia mortis, vel ex peccatorum dolore; tamen sunt probabilia, & sen-

sensibilia signa contritionis, ita Layman *lib. 5. tract. 6. capit. 8. numer. 4.* Diana *par. 3. tract. 3. resol. 2.* Cardin. Lugo *de pœnit. disput. 17. num. 31.* Io: Sanchez *in selectis disput. 44. num. 35.* hoc posito sic arguo.

Ideò suspiria, aspectus Cœli, sacræ imaginis, pectoris tunsio, sunt sensibilia signa contritionis; quia moribundi catholici ex peccatorum dolore frequenter suspirant, cœlum aspiciunt, pectus tundunt: Ergo ideò ipsa Agonia catholici est probabile & sensibile signum contritionis; quia ferè omnes catholici agonizantes in ijs mortis angustijs interiùs conteruntur, ac pœnitentiæ Sacramentum desiderant.

23 Tertiò idem ostendo, nam sicuti ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur sensibile signum contritionis, ita ad Sacramentum matrimonij requiritur sensibile signum consensus, Sanchez *de matrim. libr. 2. disput. 30.* Toletus *lib. 7. capit. 2. in fine*, vtrumque enim est Sacramentum, & consensus, vel est materia, vel forma matrimonij iuxta varias opiniones, vt apud Sanchez *lib. 2. disput. 5.* & Tolet. *vbi supra*: Sed in matrimonio signum sensibile consensus habetur ex coniecturis sensibilibus, seù ex frequenter accidentibus, vt ex copula inter sponsos de futuro, *cap. 15. qui de sponsalibus*, vbi textus appellat hoc matrimonium *præsumptum*, quod etiam hodie procedit in locis, vbi non est receptum Tridentinum, Pontius *de matrimon. lib. 2. cap. 12. numer. 3.* Ergo etiam in sacramento pœnitentiæ agonia catholici est sensibile signum contritionis, quia ex frequenter accidentibus patet, quod omnes ferè catholici in morte conteruntur. Sic autem arguo.

Ideò inter sponsos de futuro copula est sensibile signum consensus, quia omnes ferè sponsi affectu maritali copulam ineunt: Ergo ideò Agonia catholici est sensibile signum contritionis, quia omnes ferè catholici in morte conteruntur, & desiderant confessionem.

24 Quartò idem probatur. Taciturnitas puellæ, respondente pro ea parente, est sensibile signum consensus matrimonialis, ita communiter Doctores *ex cap. vnico §. fin. de desponsat. impuber.* S. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad tertium*, Sanchez *lib. 2. disp. 31. numer. 5. vers. 5.* Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 14.* vnde sic arguo.

Ideò talis taciturnitas est sensibile signum consensus, quia sensibili experientia patet, omnes ferè puellas desiderare datum sibi à parente virum, tacere autem ex verecundia: ergo etiam Agonia catholici est sensibile signum contritionis; quia sensibili experientia patet, omnes ferè catholicos in morte conteri, & desiderare Sacramenta; tacere autem ex impotentia.

25 Quintò materia panis debet esse Sacerdoti sensibiliter præsens, esset autem sensibiliter præsens, si esset intra clausam pixidem, & supra corporale, tunc enim Sacerdos validè consecraret, etiam si nihil ibi dictum fuisset, ita Eminentissimus Lugo *de Eucharistia disp. 4. sect. 7. num. 122. & 123.* Vnde sic arguo.

Ideò panis dicitur sensibiliter præsens, quia omnes ferè pixides reponuntur in tali loco, ac tempore cum particulis consecrandis; quare talis locus, tempus, ac pixis sunt sensibilia signa præsentis panis consecrabilis: Ergo ideò contritio agonizantis Catholici est sensibiliter nota, quia omnes ferè catholici in ijs circumstantijs conteruntur, quare talis agonia catholici est sensibile signum præsentis contritionis.

26 Sextò est hæresis externa, atque sensibilis, ex qua incurritur excommunicatio, quando quis ex eo, quia non credit Sacramentum Eucharistiæ, ideò cùm eleuatur omittit reuerentiam, nec genuflectit, Sanchez *lib. 2. summæ cap. 8. num. 16.* Eminentissimus Lugo *de fide disp. 23. sect. 2. num. 25.* quare sic arguo.

Ideò omissio reuerentiæ est sensibile signum hæresis; quia omnes ferè, qui aduertenter eam omittunt, hæretici sunt: ergo ideò Agonia catholici est sensibile signum contritionis; quia ferè omnes catholici agonizantes contriti sunt, & si possunt petunt sacramenta.

27 Septimò idem probatur. Nam Sacramentum pœnitentiæ institutum est ad modum Iudicij, ac est verum, ac proprium iudicium Trident. *sess. 14. de sacram. pœnit. capit. 5. & Canone 9.* ergo sequitur naturam externi iudicij: Sed in iudicio externo catholicus agonizans, etiam nullo præstito signo absoluitur à b excomunicatione, ad hoc vt possit sepultura Ecclesiastica sepeliri, præsumitur enim contritus, Diana *par. 7. tract. 10. resol. 10.* quare ipsa Agonia est sufficiens signum contritionis in iudicio externo: ergo etiam in iudicio interno sacramentali erit ipsa agonia sensibile signum contritionis, vt possit sub conditione absolui à peccatis.

Tum quia in iudicio externo sufficiens cognitio habetur ex coniecturis, & frequenter accidentibus, *l. in obscuris 114. ff. de regulis iuris reg. in obscuris eod. tit. in 6.* ergo etiam in iudicio interno sacramentali sufficiens cognitio habetur ex coniecturis, & frequenter accidentibus, nempè sensibiliter constare de probabilitate contritionis; cum sensibilis experientia pateat, omnes ferè Catholicos moribundos petere, atque desiderare pœnitentiæ Sacramentum.

28 Octauò affertur, nam Sacramentum esse signum sensibile, idem est ac esse signum humanum, & humano modo significatiuum, ita S. Thom. *3. par. quæst. 60. ar. 3. in corp.* vbi ait: *Sacramentum esse signum homini connaturale*, & S. Dionysi. Areopagita *de Cælesti hierarchia cap. 1.* ait: *Esse signum familiare, & de Ecclesiastica hierarchia, cap. 1.* ait: *Esse signum nostris viribus accomodatum*: Ergo Sacramentum esse signum sensibile, idem est ac esse signum humanum, & humano modo significans: sed probabilitas contritionis ex Agonia catholici humano modo cognoscitur: ergo sensibiliter cognoscitur.

29 Nonò accedit, nam sicut sensibilis effectus est sensibile signum causæ, vt fumus ignis; ita sensibilis causa, ex qua applicata ferè semper effectus producitur, dicitur sensibile signum effectus; sic flamma est signum combustionis, meritò mirabatur Moyses, quod arderet rubus, & non combureretur; nebulæ sunt signa pluuiæ, quia causant illam. Symptomata aliqua lethalia sunt signa propinquæ mortis, quia sunt causa ipsius. Sydera dicuntur signa, *Ieremiæ capit. 10. à signis cœli nolite metuere*, dicuntur autem signa, quia causant tale temperamentum, aut inclinationem, Suarez *de religione tomo 1. lib. 2. de superstit. cap. 11. num. 8.* Sanchez *lib. 2. summæ cap. 38. num. 28.* Delrius *disquisit. magicarum libro 4. capit. 3. quæst. 4.* Lessius *libro 2. capit. 43. dub. 7.* Sacramenta quoque dicuntur sensibilia signa gratiæ, quia Physicè, vel moraliter causant illam; vnde sic arguo.

Agonia causat in catholico plerumque internum peccatorum dolorem: ergo Agonia catholici est sensibile signum contritionis.

30 Probatur præterea à priori, nam ex Augustino *lib.2.*
31 *de doctrina Christiana cap.1.* signum sensibile est, quod
præter speciem sui, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire: sed sensibilis agonia catholici, præter speciem sui, facit nos venire in cognitionem internæ contritionis: ergo est sensibile signum contritionis.

Aduerto autem, quod hic nomine contritionis accipio etiam imperfectam, quæ dicitur Attritio.

Obijc. in isto moribundo nullus est actus externus imperatus à voluntate, seu à virtute pęnitentiæ: ergo non adest sensibile signum contritionis.

Respondetur, nego consequentiã; non enim de ratione signi sensibilis est, quod sit actus externus imperatus à virtute pęnitentiæ, sed sufficit, quod præter speciem sui quam ingerit sensibus faciat nos venire in cognitionem contritionis internæ, & huiusmodi est agonia catholici: Sed hanc responsionem latissimè prosequor *infra sect.8. num.51.* quem locum omninò vide.

Quarta Assertio. Contritio, & confessio sunt *præcipua partes integrantes materiam Sacramenti pęnitentiæ*, vnde contritio sensibilis dicitur materia partialis, itidem confessio dicitur quoque partialis materia: sed cum sola materia partiali simul cum forma habetur compositum siue Physicũ, siue morale (vt ostendam *infra sect.6.*) ergo cum sola materia partiali simul cum forma absolutionis, habetur Sacramentum pęnitentiæ, sed de his infra,

Quinta Assertio. Rationabiliter dubitatur, an ad sit materia sensibilis, seu an adsit sensibile signum doloris à circumstantibus non animaduersum: ergo poterit moribundus absolui sub conditione. Hoc optimo fundamento vtuntur Petrus Marchantius *in tribunali Sacrament. tom.1. tr.4. tit.4. dub.7.* & Auersa *de Sacram. pęnitentiæ qu.10. sect.10.* quos post hæc scripta legi apud Dianã *par.9. tract.6. resol.20.* Etenim quando dubitatur, an adsit materia sensibilis, potest moribundus catholicus sub conditione absolui; nam in extrema necessitate potest ministrari Sacramentum cum materia dubia, vt probaui supra *assert.1.* Sed in moribundo catholico est rationabile dubium, an adsit aliqua materia sensibilis; nam frequenter moribundi ex interno dolore, & desiderio Sacramenti pęnitentiæ, vtcumq; possunt edunt aliqua signa, quæ tamen circumstantes non aduertunt, quod de se ipso testatur Petrus Marchantius,

Dices non est rationabile, verum, ac proprium dubium, an moribundus præstiterit sensibile doloris signũ, si nemo aduertit: ergo nequit sub conditione absolui; quod sic ostendo; nam quamuis infans moribundus sit in extrema necessitate baptismi; tamen nequit sub conditione baptizari, nisi sit rationabile, verum, ac proprium dubium, non fuisse ritè baptizatum, ita Abbas *in cap.2. num.3. de baptismo*, Scotus *in 4. dist.3. q.3.* Paludanus *in 4. dist.6. quæst.4. art.1. concl.1.* S. Antoninus *3. p. tit.14. cap.15. §.12.* Sotus *in 4. dist.3. q. vnica ar.9. ad 4.* Victoria *de Sacram. q.36.* Dubium autem rationabile, verum, ac proprium illud est, quando mens nostra ob paria rationum pondera, in neutram partem propendet, sed quasi iniecta compede progredi nequit; nam homo dubius similis est eius, qui vinctus est, nec est ei vlla incedendi facultas, vt scripsit Arist. *3. metaph. tex.1.* & S. Thomas *in 3. sent. dist.3. q. vnica art.9. in solutione ad quartum argumentum*: Ergo si nequit sub conditione infans moribundus baptizari, nisi adsit rationabile dubium; à fortiori nequit sub conditione absolui moribundus, qui minus indiget, quippè qui sola contritione saluari potest: Quod autem prouenit moribundus pręstare aliquod sensibile signum non animaduersum ab adstantibus, hoc non causat rationabile, verum, ac proprium dubium; nam adhuc adstantes sunt moraliter certi nullum dedisse signum; quia potuisse eos non aduertere, non tollit certitudinem moralem, nec præbet rationabilem causam dubitandi: sicut à pari, quamuis possit vnicus testis, qui testatur de baptismo, mentiri; quamuis rudis Parochus ruralis potuerit non ritè baptizare; aut sine debita intentione; proindè non est infans sub conditione baptizandus; quia hoc non tollit moralem certitudinem baptismi; nam certitudo moralis stat etiam cum aliquali formidine, vt docent Io: Gerson *par.2. operum tract. de præparat. ad Missam considerat.3.* & Alexander Pesantius *1, 2. q.92. art.5. disp.2. in fine*, & probaui *tract.2. q.13. n.2.*

Respondeo, illud dici rationabile, verum, ac proprium dubium, quando aut maiori ex parte, aut magna ex parte id solet contingere, v.g. non esse ritè baptizatum: Vnde Comitolus *responsorum lib.1. q.1. num.7.* inquit, quòd si maiori ex parte eorum, qui sunt in villa ignorent conferre ritè baptismum, erit baptizandus sub conditione infans expositus cum scheda collari baptismi. Quinimò contra Comitolum probo sufficere, quod magna ex parte ignorent conferre ritè baptismum: vnde indistinctè quoscumque expositos repertos cum scheda collati baptismi, sub conditione baptizandos, docuerunt Marcantius *in Candelabro Sacram. in qq. pastoralib. tract.2. de baptismo cap.2. q.4.* Torreblanca *lib.2. pract. cap.4.* Leander de Sanctissimo Sacramento *tom.1. tr.2. de baptismo q.4.* Antonius Quintanadueñas *singularium moralium tr.1. singul.9.* idemque statuit Concilium Prouinciale Mediolanense III. sub Sancto Carolo Borromęo *tit. de baptismo infantis in fine*, his verbis: *Infans expositus, licèt appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter perquisita, quemadmodum in Concilio Romano, adhuc dubium sit, eum baptizatum esse, ea conditionis forma baptizetur, si non es baptizatus &c.* idem statuit Synodus Cameracensis, teste Marchantio. Fauet quoque tex. *in can. placuit de consecrat. dist.4. Placuit de Infantibus, quoties non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse, sine dubio testentur, &c. absque vllo scrupulo esse baptizandos.* Synodus VI. *Canone* 84. *Quoties non inueniuntur firmi testes, qui eos baptizatos esse, sine dubio, testentur, debere baptizari.* Nota ea verba: *Certissimi, & firmi testes.* Idem habetur in Concilio Africano *Can.* 39. & in Vvormaciensi *Canone* 7. Præterea Infantes, quos constat domi baptizatos ab obstetricibus, iterùm sub conditione baptizari debere, obtinuit multarum regionum consuetudo, & hanc consuetudinem approbauit Pastorale Romanum *editum Antuerpiæ anno* 1607. *pag.*20. *&* 31. vt testatur Layman *lib.5. tr.2. c.5. num.3. vers. quod verò*, idipsum statuit Pastorale Mechlinense, & Synodus Iprensis sub Martino Rythouio *tit.12. cap.5.* & scribit, ac laudat Syluius *3. par. q.66. art.9. dub.12.* idemque docet, ac latè probat Antonius Quintanadueñas *singular. moral. tr.1, sing.5.* & quamuis Layman *loco citato*, & Diana *par.5. tr.13. resol.86.* asserant id obseruari in Germania, alijsque regionibus, vbi sępius contingit obste-

trices

trices esse maleficas;tamen nemo dicet,pro maiori parte obstetrices earum regionum esse maleficas: ergo sufficit quod magna ex parte maleficæ sint; & magna ex parte accidat, non ritè obstetrices baptizare, ad hoc vt dicatur rationabile dubium baptismi. Id vlterius demonstro; nam consentiunt omnes Doctores baptizandum sub conditione infantem expositum cum scheda collati baptismi, si in ea ciuitate sint Iudęi, aut alij infideles baptismum execrantes; posset enim esse filius Iudęi, qui ne baptizaretur suus filius, schedam apposuit, Vasquez *3.par. tom.3. disp.146.cap.4.num.26.* Ochagauia *de Sacram. baptismi q.11.num.*8. Sed tunc baptizandus est expositus infans, quamuis in ciuitate, maiori ex parte non essent infideles; sufficit enim ibi commorari infideles in magno numero, vt Romæ, Venetijs, & alibi,ad hoc vt sit rationabile dubium collati baptismi: vnde displicet responsum Comitoli *lib.1.q.1.* asserentis infantem Venetijs cum scheda expositum non debere sub conditione baptizari: ergo rationabile dubium est, quando magna ex parte ita contigit. His positis sic arguo: Magna saltèm ex parte moribundi sensibilia præstant doloris signa, percutiendo pectus, aut leuando ad cœlum,vel ad sacras imagines oculos,aut stringendo Sacerdotis manus, his actibus desiderantes absolui: eiusmodi autem signa, magna ex parte, adstantes non aduertunt; vel quia illa non vident, aliò oculos conuertentes; vel quia non attendunt, neque intelligunt ex motiuo internæ contritionis, ac desiderij Sacramenti pęnitentiæ prodire: ergo rationabile dubium est, an adsint sensibilia signa, & sic an adsit sensibilis materia Sacramenti pęnitentiæ: ergo in moribundo catholico adest rationabile dubium materiæ sensibilis, cum qua poterit sub conditione absolui.

SECTIO V.

Secundum fundamentum negatiuæ sententiæ; nam confessio est materia partialis, & sic pars essentialis sacramenti pęnitentiæ: Sed in moribundo, nulla præstante signa, deficit confessio: ergo deficit materia, seu pars essentialis, atque adeò nequit confici sacramentum.

SVMMARIVM.

Contritio, & confessio constituunt vnam integram materiam Sacramenti. n.32.

In moribundo nulla præstante signa, nulla omninò est confessio. num.33.

32 PRima Assertio. Confessio est materia partialis Sacramenti pęnitentiæ, atque adeò est de essentia huius Sacramenti, nam contritio, & confessio constituunt vnam integram materiam, ita ex Trident. *sess.14. de Sacram. pænit.cap.3.* & ex alijs Concilijs docent omnes, præsertim Suarez *de pænit. disp.18.sect.3. nu.4.* vbi ait: *De confessione nullam esse controuersiam, quod ea sit materia Sacramenti pęnitentia.*

33 Secunda Assertio. In moribundo, nulla præstante signa, nequit omninò esse aliqua confessio; siquidem confessio (vt ait Henriquez *lib.5.cap.1.num.1.*) *est actus exterior à virtute pęnitentiæ elicitus*: At in tali moribundo omnis omninò abest actus exterior à virtute pęnitentiæ elicitus: ergo nulla adest in eo peccatorum confessio.

SECTIO VI.

Secundum affirmatiuæ sententiæ oppositum fundamentum; nam ad essentiam compositi Physici, vel moralis, sufficit sola materia partialis cum forma: igitur ad essentiam sacramenti pęnitentiæ, etiam sine confessione, sufficit sola contritio sensibilis, quæ est materia partialis cum forma absolutionis. Imò posset dici adesse integram materiam, nempè aliquid æquiualens confessioni.

SVMMARIVM.

Ad essentiam compositi Physici, vel moralis sufficit sola materia partialis simul cum forma. num.34.

Pars duplex est integralis, & essentialis. n.35.

Animal sine corde per breue tempus viuit. n.36.

Aristoteles vidit Arietem absciso capite ambulantem. num.37.

Cum solo oleo confirmationis sacramentum conficitur. n.38.

Integra materia extremæ vnctionis, est vnctio quinque sensuum. num.39. tamen conficitur sacramentum vnius sensus vnctione. n.40.

In ordinatione Diaconi, & Sacerdotis materia partialis est manuum impositio. n.41. Ecclesia Gręca ordinat per solam manus impositionem. num.42. Si in Ecclesia Latina amittatur manus impositio, & tradatur tantùm Panis, & Vinum, tenet ordinatio. num.43.

Manuum impositio est præcipua materia ordinationis Sacerdotis. num.44.

Traditio vasis cum altera specierum est materia sufficiens ad substantiam ordinis. n.45.

Potest dari sacramentum pęnitentiæ validum, sed informe, idest sine effectu gratiæ, ex defectu doloris. n.46.

34 PRima Assertio est, quòd ad essentiam compositi Physici, vel moralis, sufficit sola materia partialis, cum forma; quamuis deficiat altera compars materiæ,licèt enim materia sit de essentia compositi, tamen aliqua pars materiæ (saltem minùs præcipua) non est de essentia compositi, sed spectat tantùm ad integritatem; quare sine illa habetur compositum, quod sequentibus argumentis euincitur.

Primò probatur à priori, nam vt docet Caietanus *3.p.q.90. art.2.* pars duplex est integralis, & essentialis, & sine parte quidem essentiali sacramentum nullum est, sicut nec homo est, si desit anima, aut corpus; sed sine parte integrali sacramentum verum quidem, sed imperfectum esse potest, sicut homo sine manu, est verus homo, sed mancus. Quando autem adest materia partialis, & forma, tunc habentur duæ partes essentiales compositi, nempè materia, & forma, & sic habetur essentia compositi; quamuis deficiat altera materia partialis;deficit enim tunc pars integralis, seu pars integrans vnam materiam, Dices,si adsit altera tantùm partialis materia cum forma, tunc habetur compositum; quando materia partialis, quæ deficit,non est ex partibus præcipuis materiam integrantibus; At confessio est præcipua pars sacramenti pęnitentiæ, quare antonomasticè sacramentum confessionis vocatur: ergo deficiente materia partiali confessionis, contritio sensibilis cum forma non sufficit ad essentiam sacramenti.

Con-

Confirmatur Primò; nam ex Trident. *ſeſs. 14. de ſacram. pęnit. Canone 4. Si quis dixerit duas tantum eſſe pęnitentia partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientia, agnito peccato, & abſolutionem anathema ſit.*

Confirmatur Secundò; nam confeſſio ita eſt pars ſacramenti, vt ſine ea nequeat conſtare iudicij ſacramentalis eſſentia: Sacramentum autem pęnitentiæ eſt verè, & propriè iudicium, vt ex Trident. *ſeſſ.14. de ſacram. pęnit.c.6. & Canone 9.*

Reſpondetur haberi eſſentiam compoſiti Phyſici, vel moralis, quamuis deficiat aliqua pars æquè, vel ſaltem minùs præcipua integrans materiam, dummodo adſit altera materia partialis, ſaltem magis principalis ſimul cum forma, pars enim materiæ, (ſaltem minùs principalis) non eſt de eſſentia compoſiti, quod ſequentibus exemplis oſtendam. At inter partes integrantes materiam ſacramenti pęnitentiæ, principalior eſt contritio; *nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis:* ſed ideò confeſſio eſt pars ſacramenti, quia à contritione procedit: ergo multò magis ipſa contritio eſt pars ſacramenti; & expreſsè id docet S. Thom. 3 *.p. q.90. art.3.* vbi ait: *Contritionem eſſe partem præcipuam, & continere virtute totam pęnitentiam, ac ſe habere tamquam fundamentum, quod quodammodo virtute continet totum ædificium.*

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd tamquam de fide certum admittimus, ſine confeſſione eſſe ſacramentum mancum, & imperfectum, prout contra Lutherum definit Tridentinum.

Ad ſecundam confirmationem reſpondebimus infra *ſect.*8. Iam verò plurimis exemplis probo, haberi eſſentiam compoſiti Phyſici, vel moralis ex ſola materia partiali cum forma; etiam ſi vna ex præcipuis partibus materiam integrantibus, deficiat.

Secundò probo, quòd deficiente præcipua parte materiæ, adhuc habetur compoſitum, nam in animali cor eſt Princeps partium reliquarum, ac vitæ principium, Ariſt. *lib.3. de partibus animal. cap. 4. & lib. de Iuuentute, & ſenectute cap.2.* tamen Galenus (*vt apud Hurtadum de anima diſp.2. ſect.4. §.110.*) ſe vidiſſe teſtatur, victimas ambulantes extis extractis, & Ioſeph Acoſta
36 *lib.5. hiſtoria Indica cap.22.* refert Hiſpanum extracto corde à Barbaris, vt Dijs immolaretur dixiſſe: *Caualleros muerto me han*, ideſt *Equites occiſus ſum.* Ariſt. quoque *lib.3. de partibus animal. c.10. in fine,* ſic ſcribit; *Corpus tamen detracto capite progredi quopiam, non temerè credi poteſt,* & Auerroes 7. *Phyſic. comment.4.* ait: ſe vidiſ-
37 ſe Arietem abſciſſo capite ambulantem: Ergo poteſt exiſtere (ſaltem ad breue tempus) compoſitum Phyſicum abſque præcipua aliqua materia partiali, ſeù abſq; præcipua parte materiam integrante: exiſtit autem ad breue tempus, quia imperfectum eſt, & mancum.

Tertiò inductione ferè per omnia ſacramenta idem demonſtro: Nam materia confirmationis eſt Chryſma, quod conficitur ex oleo, & balſamo, *cap.1. de ſacra vnctione Concil.* Bracarenſe II. *capit.4.* Concil. Florent. ſub
38 Eugenio IV. at ſi Epiſcopus confirmet cum ſolo oleo, abſque balſamo tenet ſacramentum, *cap. paſtoralis de ſacram. non iterandis*; ſed id non alia ratione, niſi quia adeſt materia partialis, quamuis non adſit integra materia ſacramenti.

39 Quartò integra materia proxima extremæ vnctionis eſt vnctio quinque ſenſuum, S. Thom. *in 4. diſt.23. q.2. art.3.* ibid. S. Bonau. *ar.2. q.3.* Ricardus *art.2. q.5.* Scotus *q. vnica,* Paludan. *q.3. art.3.* Supplementum S. Thomæ *q.32. art.5. & 6.* Suarez *de Sacram. diſp.40. ſect.2. & diſp.41. ſect.2.* Coninchius *de ſacram. diſp.19. dub. num.12.*

40 Tamen conficitur Sacramentum vnica vnius ſenſus vnctione, quia adeſt materia partialis, quamuis deficiat integra materia ſacramenti, ita ſuplement. S. Thomæ *q.29. art.2. in corp.* Palud. *in 4. diſt.23. qu.1. art.3. concl.2.* Medina *C. de confeſſione qu.11. §. ſecundo*, idem probat Layman *lib.5. tr.8. c.3. n.2.* Diana *par.3. tr.4. reſol.168.*

41 Quintò in ordinatione Diaconi, & Sacerdotis materia partialis eſt manuum impoſitio ſuper caput ordinandi, idque adeò clarum eſt in tota antiquitate ex Concilijs, & Patribus, vt nemo id negare poſſit, vt fatentur Bellarm. *lib. vnico de ordine cap.9.* Vaſquez *tom.3. in 3. par. diſp.239.* Arcudius *de concordia Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis lib.6. cap.3.* Emin. Lugo *de Sacramentis in genere diſp.2. ſect.5. vbi nu.98.* ſic conciliat ritum Eccleſiæ Latinæ, ac Gręcę, quæ ordinat per ſolam manus impoſitionem, quare ſic ſcribit: *Eccleſia Latina retinuit priſcum illum ritum ab Apoſtolis introductum ordinandi Sacerdotem per manus impoſitionem, illam tamen materiam magis explicitam reddidit, adiungendo traditionem*
42 *panis, & vini, (quod Gręci non faciunt,) ita vt ex manus impoſitione, & traditione panis, & vini fiat vna integra materia magis explicita cum forma, quæ tunc profertur, explicante poteſtatem ad abſoluendum, itaque vtraque poteſtatem confert per manus impoſitionem, priorem tamen non per ſolam impoſitionem manus, ſed per traditionem ſimul panis, & vini, vt magis explicita ponatur materia, & magis apta ad ſignificandam poteſtatem ſacrificandi.* Hæc Lugo. Quare ſic arguo.

Integra materia ordinationis Sacerdotis, ac Diaconi eſt impoſitio manus, & traditio panis, & vini, vel traditio libri Euangeliorum. Sed ſi omittatur materia par-
43 tialis impoſitionis manus, tenet Sacramentum, neque reiterandum eſt, ſed ſuo tempore ſupplendum, quod eſt omiſſum, vt definit Gregorius IX. in *cap. preſbyter de ſacramentis non iterandis:* ergo deficiente materia partiali, eaque præcipua, impoſitionis manus, cùm adſit altera materia partialis, cum forma conficitur Sacramentum. Porrò impoſitionem manuum eſſe precipuam materiam
44 ordinationis patet ex modo loquendi Patrum ac Conciliorum. Clemens Romanus *lib.8. conſtit. c.16.* ſic ait: *Cum Preſbyterum ordinas Epiſcope impone ipſe manum capiti Preſbyteri.* S. Dionyſ. Areopagita *lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.5. Sacerdos* (inquit) *flexis ante aram genibus, capiti ſuo admotam Pontificis manum dexteram habet, atque à Pontifice, qui eum conſecrat ſanctis precibus ſanctificatur.* Concil. Carthagin. 4. *Can.3. Preſbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente.* S. Ambroſius *in Epiſt. ad Timot. c.4.* diſertè explicat per manus impoſitionem tribui Sacerdoti poteſtatem ad offerendum ſacrificium. Itaque cùm ordinatio ex Patribus, & Concilijs fiat per manus impoſitionem, ea eſt præcipua materia partialis, & tamen ea deficiente cum altera materia partiali, & forma, conficitur Sacramentum.

Sextò in ordinatione Sacerdotis integra materia præter impoſitionem manus, eſt traditio calicis cum vino, & patenę cum hoſtia: at traditio vaſis cum altera ſpe-

çierum

cierum est materia sufficiens ad substautiam ordinis, ita vt si altera desit non sit ordo iterandus ex necessitate, ita Henriquez *lib.10. cap.6. num.1.* Filliuccius *tr.9. c.2. num.43.* Bonacina *de sacram. disp.8. quæst. vnica pun.3. num.3.* ergo si deficiat altera materia partialis, quamuis sit præcipua, non destruit essentiam sacramenti.

Septimò idem apparet in materia sacramenti pęnitentiæ, de qua est præsens quæstio, nam receptissima est sententia Thomistarum, ac probabilissima, quæ docet
46 dari Sacramentum pęnitentiæ validum quidem, sed informe, idest sine effectu gratiæ, ex defectu doloris, adeo vt non sit necesse confessionem repetere, ita S. Thom. *in 4. dist.17. q.3. art.4. quæstiunc.1.* Caiet. *opuscul. to.1. tract.5. q.5.* Capreolus, Paludanus, Sotus, Cano, Ledesma, Syluester, Riccardus, & Alij Thomistæ, quos citat Suarez *de pęnit. disp.5. sect.5.* idemque docent Henriquez *lib.5. cap.11. num.1.* Toletus *lib.3. cap.10. §. tertius casus est,* Io: de la Cruz *de sacram. pęnit. q.3. dub.9. concl.2.* & alij, quos sequitur Diana *par.2. tract.17. resol.31. & par.3. tr.4. resol.65.*

Sed ideò cum sola confessione, absque attritione supernaturali, validum est sacramentum (dummodo confessio sit facta ex animo verè confitendi, & subijciendi se clauibus, & sic cum aliquali dolore, sed naturali, & insufficiente; alioquin non esset confessio sed historica narratio) ideò, inquam, validum est Sacramentum; quia adest materia partialis; nempè confessio cum forma absolutionis quamuis deficiat altera materia partialis; nempè contritio: ergo quamuis non adsit altera materia partialis, conficitur Sacramentum.

Secunda Assertio. Rectè infertur ex dictis: ex sola contritione sensibili, tamquam principaliori parte materiæ, cum forma absolutionis conficitur Sacramentum pęnitentiæ, sed imperfectum, & mancum, absque integra materia, nempè sine confessione, quæ est materia partialis. Probo, quia in ceteris sacramentis, imò in ipso composito Physico, ex materia partiali cum forma conficitur Sacramentum, & habetur compositum morale, vel Physicum: ergo etiam in Sacramento pęnitentiæ idem est afferendum. Tum quia si ex confessione, & forma absolutionis deficiente dolore supernaturali, habetur validum Sacramentum: ergo ex sensibili dolore, & forma absolutionis, deficiente confessione, habetur quoque validum Sacramentum; dolor enim (vt supra ostendi ex S. Thoma) est magis præcipua pars sacramenti, quàm sit ipsa confessio.

Tertia Assertio. In hoc catholico moribundo nulla præstante signa, non solum adest partialis materia, nempè sensibilis dolor, sed etiam integra materia.

Probatur, quia ipsa Agonia catholici est sensibilis coniectura internæ accusationis, seù internæ voluntatis subijciendi se clauibus: ergo æquiualet formali confessioni, seù accusationi. Hoc argumentum ne sim prolixior prosequar infra sect.8.

Obijcies, illa dicitur pars essentialis, quæ immediatè respicit formam: illa verò pars integralis, quæ immediatè respicit compartem: sic corpus organicum est pars essentialis, nam immediatè respicit animam, quæ est actus corporis organici: pes, manus, oculus, sunt partes integrales; quia non respiciunt immediatè animam, sed alias compartes, cum quibus constituunt corpus organicum: Sed confessio est pars, quæ immediatè respicit formam absolutionis: nam ex Tridentino *sess.14. de pęnitentia cap.3.* ponitur confessio in ordine ad absolutionem: ergo confessio non est pars integralis, sed essentialis Sacramenti pęnitentiæ.

Respondetur, nego minorem: nam confessio immediatè respicit contritionem, & sic immediatè respicit compartem materiæ: non autem respicit immediatè formam absolutionis; ergo confessio est pars integralis, non essentialis. Quod autem confessio immediatè respiciat compartem, seù contritionem, sic ostendo: nam confessio & contritio constituunt vnam materiam adęquatam, quæ est pars essentialis subiectiua sacramenti: tum quia requiritur confessio, vt dolor internus fiat sensibilis: ergo confessio non respicit immediatè formam absolutionis, sed immediatè respicit contritionem, quam reddit sensibilem: ergo confessio est pars integralis; quia confessio, & contritio sunt partes integrantes, quia constituunt vnam adæquatā materiam sacramenti pœnitentiæ: sicut caput, pectus, brachia, crura & pedes sunt partes integrantes, quia constituunt vnam adęquatam materiam compositi humani. Itaque confessio respectu contritionis est pars integralis; è contra contritio sine confessione est pars integralis, ambæ verò constituunt vnam adęquatam materiam sacramenti. Quare, sicut in sententia Thomistarum, datur sacramentum validum, sed informe ex defectu contritionis: ita dari poterit sacramentum validum, sed mancum, & imperfectum, cum solo dolore (sensibili coniectura cognito) absque formali confessione.

SECTIO VII.

Tertium negatiuę sententiæ fundamentum, nam deficit pars essentialis huius Sacramentalis iudicij, nempè Acccusatio.

SVMMARIVM.

Sacramentum Pœnitentiæ est verè, & propriè iudicium. num.47.

Iudex nequit procedere, vt iudex, nisi accusator præcedat. num.48.

Quamuis aliquando sacerdos sciat peccatum vt homo, non tamen scit vt iudex, & vt Christi Vicarius, nisi per confessionem aperiatur. num.49.

47 PRima Assertio. Sacramentum pęnitentiæ est verè, & propriè iudicium, cuius pars essentialis est confessio, seù accusatio.

Prima pars huius assertionis patet ex Tridentino *sess. 14. de sacram. pęnit. cap.5. & Canon.9.* vbi definitur: *esse verè, & propriè iudicium, & Sacerdotes verè esse iudices, qui iudicium hoc incognita causa exercere non possunt.*

48 Secunda pars probatur, nam Iudex nequit procedere vt iudex, nisi accusator præcedat, vel in specie accusans de delicto in particulari, vel certè imploret eius officium; quare accusatio, seù confessio, est essentialis pars huius iudicij; nullus enim iudicare potest, nisi de ijs, quæ iuridicè nouit, vt docet Suarez *de pęnit. disp.18. sect.3. num.4.* vnde S. Thomas *in addit. ad 3. part. q.38. art.1. ad primum* ait: quod *quamuis aliquando Sacerdos sciat peccatum vt homo, non tamen scit vt iudex, & vt*

Christi

Christi Vicarius; sicut etiam Iudex sit, aliquid, vt homo, quod nescit. vt iudex, & quantum ad hoc per confessionem aperitur, ita S. Thom. ex cuius doctrina sequitur, quod nequit dari iudicium hoc sacramentale, sine præuia confessione, qua peccatum Sacerdoti tamquam Iudici, & Christi Vicario aperiatur.

Secundò Assertio moribundo nulla præstante signa, nequit exerceri sacramentale iudicium; nequit quoque Sacerdos tamquam verus Iudex iudicialiter cognoscere de eius contritione; nequit denique sententiam absolutionis pronunciare.

Probatur hæc assertio ex dictis in præcedenti, vnde Card. Lugo *de penitentia disput.17. sect.3. num.39.* sic scribit: *Sacramentum penitentiæ ex sui institutione est iudicium, atque adeo minister non potest illud conferre, nisi vt iudex: iudex autem non potest procedere nisi accusator præcedat, qui vel in specie accuset de delicto in particulari, vel certè imploret eius officium. Debet ergo in penitente post peccatum commissum dari aliqua voluntas sensibiliter manifestata, quæ accuset, vel certe imploret officium iudicis, alioquin proferretur sententia sine vllo processu. Cum ergo hoc Sacramentum sit iudicium externum, seù sensibile, debet includere sententiam sensibilem, & accusationem, seù imploratonem officij iudicis externam, sensibilem, & quæ reddat sensibilem dolorem de peccatis, quare debet esse accusatio sensibilis post commissum peccatum*. Hæc Lugo.

SECTIO VIII.

Tertium affirmatiuæ sententiæ oppositum fundamentum; nam ipsa Agonia catholici, quatenus est sensibilis coniectura internæ accusationis, æquiualet formali accusationi, seù confessioni, ac sufficit ad essentiam sacramentalis iudicij.

SVMMARIVM.

Ipsa Agonia catholici est sensibilis coiectura internæ accusationis, ac voluntatis subijciendi se clauibus. num.50.

Ea sensibilis coniectura internæ contritionis, & accusationis æquiualet formali confessioni. num.51.

Sensibilis ista coniectura internæ accusationis, quæ æquiualet formali confessioni, sufficit ad sacramentale iudicium. num.52.

In foro externo Iudex procedit ad inquisitionem & sententiam ex coniecturis delicti, quæ æquiualent accusationi. num.53.

Sacerdos accedens ad moribundum vt absoluat, iudicialiter cognoscit de coniecturata contritione, ac de coniecturata accusatione. num.54.

Iudex tunc dicitur sedere pro tribunali, quamuis domi suæ stet, quando stat prolaturus sententiam, aut ministraturus iustitiam. num.55.

50 PRima Assertio est: ipsam Agoniam catholici esse sensibilem coniecturam internæ accusationis, ac voluntatis moribundi, atque desiderij subijciendi se clauibus, ac sacramenti penitentiæ, ita assertio patet ex dictis supra *sect.4.* vbi latè probaui ipsam Agoniam catholici esse sensibile signum interni doloris, ac desiderij sacramenti penitentiæ.

51 Secunda Assertio est: Ipsam agoniam catholici, quatenùs est sensibilis coniectura interni doloris, & accusationis internæ, æquiualere formali accusationi, seù confessioni.

Probo nam multi probabiliter docent, quod quamuis infirmus in phrænesim lapsus absolui non possit; etiam si cum sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundùm morem pulsaret, aut subleuans ad cœlum oculos diceret *miserere mei Deus*: quia, tunc hæc non dicerentur in ordine ad Sacramentalem, absolutionem, neque essent coniectura accusationis, & voluntatis subijciendi se clauibus; tamen si morti vicinus talia signa ędidit, cum plura verba proferre non, posset, tunc præsumptio est, quod sacramentalem absolutionem à Sacerdote per hæc signa petierit, ita Layman *lib.5. tract.6. cap.8. num.4.* Zambranus *de casibus tempore mortis cap.4. dub.2. sect.4.* Pharaonius *de sacramentis penit. tract.1. sect.16. casu.25.* Capeauille *de sacramentis ministrandis tempore pestis cap.3. quæst.11.* Diana *par.3. tract.3. resol.2.* Cardinalis Lugo *de penit. disput.17. sect.2. num.30.* Ex hac doctrina sic arguo.

Illa signa tunsionis pectoris, &c. quia in ijs circumstantijs Agoniæ, sunt sensibiles, & probabiles coniecturæ internæ accusationis, doloris, ac voluntatis subijciendi se clauibus; ideò ęquiualent formali accusationi, seù formali confessioni; quare tunc moribundus poterit sub conditione absolui: Ergo ipsa agonia catholici, quia, est sensibilis, ac probabilis coniectura internæ accusationis, doloris, ac voluntatis subijciendi se clauibus; ideò æquiualet formali accusationi, seù formali confessioni; quare tunc moribundus poterit sub conditione, absolui.

Dices ideò tunsio pectoris in ijs circumstantijs Agoniæ æquiualet formali confessioni: quia est actio libera, & imperata à virtute pęnitentiæ: sed ipsamet Agonia catholici, non est actio libera imperata à virtute pęnitentiæ: ergo ipsamet Agonia non æquiualet formali confessioni.

. Respondeo, distinguo consequens: Ipsamet Agonia catholici non æquiualet formali confessioni; si agonia, consideretur quatenùs agonia est, concedo: ipsamet agonia catholici non æquiualet formali confessioni; si agonia consideretur quatenus est signum sensibile, ac probabile interni doloris, & contritionis, nego: Ratio est, quia agonia catholici, quamuis non sit actio libera, & imperata à virtute pęnitentiæ; tamen prout est sensibile, & probabile signum interni doloris, ac desiderij confitendi (iuxta communiter accidentia in agonizantibus catholicis) ita ipsa agonia est signum internæ actionis liberè imperatæ à virtute pœnitentiæ; immò est immediatum signum probabile ipsius pęnitentiæ; quamuis non sit signum liberum: ergo agonia, cum sit signum sensibile, & probabile interni desiderij confitendi, proinde æquiualet formali confessioni: quod sic ostendo: nam tunsio pectoris ideò ęquiualet confessioni, quia est actio libera imperata à virtute pęnitentiæ; & ex eo quia est imperata à virtute pęnitentiæ, ideò est probabile signum interni doloris: ergo proxima ratio, quare tunsio pectoris æquiualeat confessioni, est, quia signum, probabile est interni doloris; sed etiam ipsamet Agonia catholici, ex se (iuxta communiter accidentia) est sensibile, & probabile signum interni doloris: ergo ipsamet agonia catholici, quamuis non sit actio libera im-

perata

perata à virtute penitentiæ, tamen, cum aliunde ex communiter accidentibus sit signum probabile interni doloris, erit æquiualens confessioni: vnde poterit moribundus absolui sub conditione: *Si capax es, seu si interius doles*.

Cōfirmantur prædicta ex doctrina Raynaudi *tract. de martyrio per pestem p. 2. cap. 3. numer. 7.* vbi ait: quod sicut in cæteris sacramentis baptismi, & confirmationis sufficit implicita petitio, quæ aliquando præcesserit, nec reuocata sit, vt docet *Coninchius 3. p. quæst. 64. num. 103.* qui immeritò excipit Sacramentum pœnitentiæ: ita etiam sufficit, in Sacramento pœnitentiæ: nam si moribundus interiùs de peccatis dolorem concepit: quamuis actu nullo modo cogitet de sacramenti susceptione; tamen sufficientem habet conficiendi sacramenti materiam, eo quod doluit, eumque dolorem exterius prodidit, nec retractauit: Petitio ergo sacramenti, seu verius intentio illud suscipiendi, eadem esse potest respectu sacramenti pœnitentiæ, ac respectu reliquorum Sacramentorum, vt proinde absoluendus sit æger, quem constat signa aliqua doloris exterius edidisse, quamuis Sacramentum pœnitentiæ non expetierit in actu signato, nec rogauerit aduocari cōfessarium, eo quod vi morbi subito sit oppressus, voxque ei interclusa. Talis namque suscipiens idoneam materiam ad sacramenti confectionem adhibuit: Intentio verò suscipiendi Sacramentum, quæ præterea ex parte eius exigitur ad sacramenti confectionem, sufficienter censebitur interuenisse ratione alicuius præcedentis actus, quo homo voluerit christianis sacramentis expiari cū æger erit, & de salute periclitabitur. Hæc Raynaudus, qui quamuis requirat dolorem de peccatis, externis signis manifestatum; tamquam sacramenti materiam; docet tamen sufficere implicitam petitionem præcedentem sacramenti, ex aliquo præcedenti actu, quo voluit Christianè mori: ergo cum dolor de peccatis ex sensibilibus coniecturis præsumatur in quolibet catholico moribundo, (vt probaui) adest sufficiens materia sacramenti sub conditione ministrandi: quamuis actu neque interius, neque exterius petatur Sacramentum: nam sufficit (vt ait Raynaudus) quod hęc petitio implicitè præcesserit.

32 Tertia Assertio. Ipsa agonia catholici, quo est sensibilis coniectura internæ accusationis, & proinde æquiualet formali accusationi, seu confessioni, ideò sufficit ad verum, & proprium sacramentale iudicium exercendum, ac proferendam sacramentalem absolutionis sententiam.

33 Probatur, quia non plus requiritur ad sacramentale iudicium, quàm indicium fori externi: Sed ad iudicium fori externi sufficit coniectura delicti, quæ equiualet accusationi, ita vt iudex procedere possit ad iudicialem inquisitionem, & ad ferendam sententiam, prout de iure Canonico est certum, vt ait Baldus *in capit. 1. de officio ordinarij*, Decius *in rubr. de Iudicijs num. 68.* Farinacius *de inquisit. quæst. 1. num. 8.* & hodie ex generali consuetudine, iudex ex coniecturis, & indicijs procedit ad inquirendum, quia illa indicia, & coniecturæ ęquiualent accusationi Albericus *in l. ea quidem* vbi Baldus *nu. 44. C. de accusationibus*: Ergo etiam in foro interno, & in iudicio sacramentali, ipsa agonia catholici, quæ est sensibilis coniectura internæ accusationis ęquiualet formali accusationi, seu confessioni, atque adeo sufficit ad essentiam iudicij sacramentalis, & ad ad proferendam Sacramentalem absolutionis sententiam.

Confirmatur, nam quando Iudex in foro externo absoluit ab excommunicatione, ea absolutio verè est iudicialis, atque est proprijssimum iudicium, & tamen potest iudex moribundum excommunicatum nulla exhibentem signa absoluere, quia præsumit eum desiderare tunc absolutionem, Nauar. *capit. 27. numer. 272. vers. 6.* Suarez *de censuris disput. 7. sect. 6. num. 7.* Sanchez *lib. 2. summa cap. 13. num. 12.* Bossius *discept. moral. 2. num. 8.* Diana *par. 7. tract. 10. resol. 10.* Zambranus *de casibus articuli mortis cap. 4. dub. 4. num. 18.* Cutillus *ad Mancinum de visitatione infirmorum par. 1. pract. 4. dub. 4.* Io: Baptista Nouatus *in decisionibus moralibus pro moribundis lib. 2. cap. 4. quæst. 22.*

54 Assertio Sacerdos accedens ad moribundum vt absoluat, iudicialiter cognoscit de coniecturata interna accusatione, seu de præsumpta & verisimili voluntate subijciendi se clauibus.

Probo, quia illa est iudicialis cognitio, quæ est à Iudice, vt iudice, seu pro tribunalj sedente: sed tunc iudex cognoscit, vt iudex, seu tunc dicitur sedere pro tribunali, quamuis domi suæ stet; quando stat prolaturus sententiam, aut ministraturus iustitiam: tunc quicquid scit, tamquam iudex nouit, ea que dicuntur iudicialiter, & plenè probata, & dicuntur notoria notorietate iuris, neque indigent alia probatione ita Glosa *in capit. fin. 2. qu. 1.* Albericus *in l. illicitas §. veritas ff. de officio præsidis*, Signorolus *cons. 242. num. 7.* Ananias *cons. 85.* Afflictus *in const. Regni humanitatem numer. 47.* Puteus *de sindicatu verbo notorium capit. 1. num. 14.* Carrerius *in praxi criminali tit. de appellat. numer. 26. fol. 13.* Farinacius *de inquis. quæst. 21. num. 62.* Corsetus *in singular. verbo delictum*.

Ergo cùm Sacerdos tamquam iudex, idest prolaturus Sacramentalem sententiam absolutionis ad moribundum accedit, tunc dicitur sedere pro tribunali, & omnes illę coniecturæ, quas in moribundo considerat, nempè eum esse catholicum, & agonizantem; ex quibus coniecturis sensibiliter arguit internam voluntatem subijciendi se clauibus, omnes inquam illæ coniecturæ Sacerdoti tamquam iudici pro tribunali sedenti iudicialiter innotescunt: ergo ea cognitio coniecturarum est verè, & propriè iudicialis, quia est à Iudice prolaturo sententiam.

SE-

SECTIO IX.

Quartum negatiuę sententiæ fundamentum ex Pontificum, Conciliorumque Decretis.

SVMMARIVM.

Perpetuus Ecclesiæ vsus est, vt qui nec confessionem petijt, nec vllum dedit pœnitentiæ signum non possit sacramentaliter absolui. num.56.

Vsus iste declaratur ex Conciliorum, ac Pontificum decretis. num.57.

Si infirmitate oppressus obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pęnitentiam. num.58.

Rituale Romanum vim legis habere, tradit Cardin. Lugo. num.59.

56 PErpetuum esse hunc Ecclesiæ vsum (inquit Card. Lugo *de pęnit. disput.17. sect.3. num.40.*) vt moribundus, qui nec confessionem petijt, nec dedit pœnitentiæ signum non possit sacramentaliter absolui; satis
57 declarant Pontificum, & Conciliorum decreta, dum semper addiderunt absoluendum quidem esse infirmum, qui loqui non potest, si tamen voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, quam conditionem in nullius Concilij, aut Pontificis Decreto prætermissam videmus, vt constat ex eorum verbis, quæ mox subijciam.

Concilium Carthaginense 3. *Can.34.* refertur *in Can. ęgrotantes 75. de consecrat. dist.4.* sic habet: *Vt ęgrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur, similiter, & de pęnitentibus agendum est.*

Concilium Carthaginense 4. *Can.76.* refertur *in Can. is qui 26. qu.6. Is qui pęnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infir-*
58 *mitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pęnitentiam. Et si continuò creditur moriturus reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si superuixerit admoneatur à supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pęnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pęnitentiam dedit probauerit.*

Concilium Arausicanum primum *Can.12. Subitò obmutescens (pro vt statutum est) baptizari, aut pęnitentiam accipere potest, si voluntatis pręteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

Leo Primus *epist.91. ad Theodorum refertur in Can. multiplex de pęnit. dist.1. Quid de pęnitentium statu Ecclesiastica habeat regula non tacebo. Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pęnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent* (& infra *cap.4.*) *His autem, qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pęnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda, nec reconciliatio deneganda* (& infra *cap.5.*) *Verum etiam talium necessitati, ita auxiliandum est, vt nec actio illis pęnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso eis vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua vi ægritudinis, ita fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant: testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur, seruata tamen regula Canonum Paternorum circa eorum personas, qui in Deum à fide discedendo peccarunt.* Eusebius Papa *apud Iuonem in suo decreto par.15. cap.35. & Buccardum lib.18. cap.11. Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit, fuerit officio linguæ priuatus, constitutum est, vt si idonea testimonia habuerit, quod ipse pęnitentiam petijsset, & ipse per nutus aliquod suæ voluntatis signum facere potest; Sacerdos impleat omnia, sicut iam supra ęgrotantem pœnitentem dictum est, idest orationes dicat, & vngat eum oleo Sancto, & Eucharistiam ei donet.*

His accedit Rituale Romanum *tit. de Sacramentis pęnitentiæ fol.65. Si æger confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Rituale au-
59 tem à Paulo V. ita est approbatum, vt Sedis Apostolicæ auctoritate prodierit, & proinde vim legis habere, tradit Card. Lugo *de pęnitentia disput.17. sect.4. num.48. & seq.*

SECTIO X.

Quartum affirmatiuę sententiæ oppositum fundamentum; nam illi non obstant Conciliorum, ac Pontificum Decreta, fauet verò Sanctus Augustinus.

SVMMARIVM.

Conciliorum, ac Pontificum Decreta, superiori sectione allata, loquuntur de publica, ac solemni pœnitentia. num.60.

Olim ij solum dicebantur pœnitentes, qui publicam, & solemnem agebant pęnitentiam. num.61.

Rituale Romanum non habet vim legis. num.62.

Solemni pœnitentiæ soli publici peccatores indigebant. num.63.

Reconciliatio erat admissio ad Sacram Eucharistiam. numero 64.

Sacra Eucharistia deneganda est cuicunque peccatori publico, nisi dederit pęnitentiæ signa. num.65.

Peccatori publico nullo dato pęnitentiæ signo, danda est Sacramentalis absolutio sub conditione, non autem Sacra Eucharistia. num.66. Cuius rei duplex affertur discrimen. num.67. & 68.

Cui olim dabatur solemnis pœnitentia, etiam concedebatur sacramentalis absolutio. num.69.

Sacramentalis absolutio, vel praecedebat, vel comitabatur solemnem pęnitentiam. num.70.

Dum Patres, & Concilia agunt de solemni pęnitentia omninò prætereunt, neque aliquid decernunt de sacramentali absolutione secreta. num.71.

In solemni pœnitentia quatuor erant partes, seu actus, qui erant extrasacramentales, & publici. numero 72.

Vrgente morte, absente presbytero, poterat per Diaconum solemnis pœnitentia imponi. num.73.

60 Prima

60 Prima Assertio. Conciliorum, atque Pontificum Decreta superiori sectione allata loquuntur de publica, & solemni pœnitentia, qua indigebant ij, qui publicis peccatis, cum Ecclesiæ scandalo, maculati, infirmitate oppressi in mortis periculum deuenerant.

61 Primò id ostenditur, nam olim ij soli vocabantur pœnitentes, qui publicam, & solemnem agebant pœnitentiam, vt patet ex Concil. Toletano 1. *can.*2. ibi: *Placuit, vt pœnitentes non admittantur ad Clerum: eum verò pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diuersis grauissimis criminibus publicam pœnitentiam gerens sub Concilio, diuino fuerit reconciliatus altario*: idem habes in Concilio *Arelat.*3. *can.*26. Concil. Maguntino sub Leone IIII. *cap.*31. & ita docet Bellarm. *lib.*1. *de pœnit. cap.*22. *vers. hinc*, Vasquez *tom.*4. *in* 3. *par. quæst.*91. *art.*2. *dub.*1. *num.*24.

Secundò patet ex ipsorum Conciliorum, atque Pontificum verbis, superiori sectione allatis: omitto Concilium Carthaginense 3. *can.*34. quia illa verba: *similiter, & de pœnitentibus agendum est*, non reperiuntur ipso canone Concilij, sed addita sunt à Gratiano *in d. cap. ægrotantes* 75. *de consecrat. dist.*4.

Concilium Carthagin.4. *Can.*76. agit manifestè de publico peccatore, qui in articulo mortis admittitur ad publicam pœnitentiam; quod patet, nam subdit; *quod si superuixerit subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit probauerit, & can.*78. dicitur: *quod si superuixerint non se credant absoluti sine manus impositione*. Illa autem manus impositione soli publici pœnitentes indigebant, vt patet ex S. Cypriano *epist.*10. *& epist.*12. *& lib. de lapsis num.*97.

Concilium Arausicanum primum *canon.*12. expressè loquitur de eo qui indigebat publica, & solemni pœnitentia, nam in eodem Concil. *canone* 3. dicitur: *Quod si superuixerint stent in ordine pœnitentium, vt ostensis necessarijs pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant*.

Leo Primus *epist.*91. apertè loquitur de publica pœnitentia, seu de peccatore, qui ea indigebat, ait enim: *Quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula non tacebo, & capit.*5. ait: *vt simul, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur*: reconciliatione autem soli publici peccatores indigebant.

Eusebium Papam pariter de publica pœnitentia loqui dicendum est, nam apud antiquos Patres nomine pœnitentiæ, de ea solemni, & publica intelligebatur.

62 Rituale Romanum, vel casum nostrum non definit, vel dicendum illud nequaquam habere vim legis, sed tantùm doctrinalem instructionem continere; quod satis patet, ex eo nam Paulus V. non præcipit eius obseruantiam, sed tantùm hortatur Ecclesiarum Pastores, ac suadet eius vsum, vnde non inducit præceptum, vt docet, Salas de legibus *disputat.* 10. *section.*9. *numer.*52.

63 Secunda Assertio. Publica, seu solemni pœnitentia ij soli indigebant, qui publico peccato, eoque grauissimo, cum Ecclesiæ scandalo, irretiti erant; de occultis enim peccatis non erat neque publica pœnitentia, neque reconciliatio, vt patet ex Concil. Carthag.3. *can.*32. ibi: *Cuiuscumque autem pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod vniuersa Ecclesia nouerit, ante absidem manus ei imponatur*, & Concil. Toletan. primum *Can.*2. Origenes *homil.*15. *in Leuiticum* Sanct. Ambros. *lib.*2. *de pœnit. cap.*10. S. August. *epist.*54. *& homil. vltima ex* 50. Auctor de vera, & falsa pœnitentia *capit.*11.

Tertia Assertio. Conciliorum, ac Pontificum decreta superiori sectione adducta, agunt de reconciliatione per manus impositionem, & Eucharistiæ communione peccatori publico tradenda, cui meritò deneganda est Sacra Eucharistia, nisi eoram alijs dederit pœnitentiæ signa; quare non rectè ea decreta extenduntur ad secretã absolutionem Sacramentalem, dandam sub conditione illi, qui nulla potest exhibere signa pœnitentiæ.

64 Quod autem ea reconciliatio erat admissio ad Sacram communionem Eucharistiæ, manifestè patet ex Concilijs, & Patribus, nam in Concil. Carthag. 4. *canon.*76. dicitur: *Si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia*. Leo primus *epist.*91. *Vt confitentibus satisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum* (idest Eucharistiæ) *per ianuam reconciliationis admitterent*. Innocent.3. *epist.*3. *ad Exuper. capit.*2. *Quæsitum est quid de his obseruari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ, & voluptati dediti in extremo fine vitæ suæ, pœnitentiæ simul, & reconciliationem communionis exposcunt? De his obseruatio prior durior: posterior interueniente misericordia inclinatior est*. (& infra) *sed postquam Dominus noster pacem Ecclesijs suis reddidit, iam depulso terrore, communionem dare abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis*. Ita Innocent. vbi satis ostendit reconciliationem communionis esse Sacræ Eucharistiæ sumptionem Sanct. Cyprianus *epistol.* 10. *Nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseuerante, non dum restituta ipsius Ecclesiæ, pace, ad communionem admittuntur, & non dum pœnitentia acta: nondum exomologesi facta: nondum manu eis ab Episcopo, & Clero imposita, Eucharistia illi datur*. Sanct. Hieronym. *epistol. aduersus Luciferianos; Sacerdos imponit manum subiecto, indictu in populum oratione, Altario reconciliat*. In Concil. *Carthag.*3. *canon.* 35. *Vt scenicis atque histrionibus, vel apostaticis conuersis ad Dominum gratia, vel reconciliatio non negetur*. Quare Sanct. Thomas 3. *part. quæstion.* 80. *artic.* 6. *in corpor. Ipsam reconciliationem, pro Sacra Eucharistiæ communione, accipit*: Liquet: ergo reconciliationem comitari Sacræ Eucharistiæ sumptionem. His positis sic arguo.

Ideò Conciliorum, ac Pontificum decreta supra adducta petunt pœnitentiæ signa, vt reconcilietur, ac manus imponatur, & detur Sacra Eucharistia publico peccatori ægrotanti; quia Sacra Eucharistia deneganda est cuicumque peccatori publico, nisi dederit pœnitentiæ signa, vt patet ex Sancto Cypriano *epistol.* 61. Sanct. Ioann. Chrysostomo *homil.* 83. *in Matth. & homil.* 60. ad

60, ad Populum. Clement. Rom. *lib.8. conſtitut. capit. 32,* Concil. Arelatenſ.1. *canon.4. & 5.* Carthagin.3. *can.35.* quod refertur *in can. ſcenicis de conſecrat. diſt.2. & can. ſi peccauerit 2. quæſt.1. & in Rituali Romano tit. de Sacram. Euchar. fol.70. §. fideles,* ſic habetur: *Arcendi ſunt autem publicè indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifeſtèque infames, vt Meretrices, concubinarij, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alij eius generis publici peccatores; niſi de eorum pœnitentia, & emendatione conſtet, & publico ſcandalo priùs ſatisfecerint.* Quare etiam hodie à Sacramento Euchariſtiæ, extrema vnctione, & Eccleſiaſtica ſepultura arcentur, qui in vltima ægritudine, cùm fuerint publici peccatores, nulla dare potuerunt pęnitentiæ ſigna, vt docent S. Thomas 3. *par. quæſt.8. artic.6. in corp.* S. Bonauentura *in 4. diſtinct.9. artic.2. quæſt. vltima,* Paludanus *in 4. diſtinct.23. quæſt.3. artic.2. concl.11.* Nauarrus *cap.22. num.13.* Vaſquez *de Euchariſt. diſput.67. ſect.2.* Hurtadus *de Euchariſt. diſput.9. difficult.11.* Io. Sanchez *in ſelectis diſput.34. num.8. & 9. & diſput.36. num.4. diſput.44. num.44.* Ledeſma *in Summa de extrema vnctione capit.6. concl.6.* Zambranus *de caſibus occur. temp. mortis capit.5. de extrema vnctione dub.2. num.5.*

Ergo cum Conciliorum, ac Pontificum Decreta *ſuperiori ſect.* adducta dicant dandam pęnitentiam, ac reconciliationem, & Sacram communionem Euchariſtiæ ægrotanti publico peccatori, ſi dederit pęniten-
66 tiæ ſigna, non rectè infertur denegandam eſſe Sacramentalem abſolutionem ſub conditione occulto peccatori, aut publico peccatori, non dato pęnitentiæ ſigno. Diſparitas eſt manifeſta, nam graue eſt fidelium ſcandalum, dare Sacram Euchariſtiam publico peccatori, qui nullo dato pęnitentiæ ſigno, publico ſcandalo non ſatisfecit, quæ ratio non procedit, quoad abſolutionem Sacramentalem, hæc enim datur ſub conditione, ſi ſit intra ſe pęnitens, & ſic nullum eſt ſcandalum.

68 Præterea aliud eſt diſcrimen inter abſolutionem Sacramentalem, & Sacram Euchariſtiam; nam ſi publicus peccator, intra ſe non eſt pęnitens, nullum ei miniſtratur Sacramentum, cum ſub conditione abſoluitur, & ſic nullum Sacramentum indigno confertur. At ſecus eſt de Euchariſtia, frequentiùs enim daretur Sacramentum Euchariſtiæ indigno, & proijcerentur margaritæ ante porcos; quia Euchariſtia nequit miniſtrari ſub conditione; ſicuti poteſt miniſtrari Sacramentum pęnitentiæ.

69 Obijcies, quia quando grauiter ægrotanti imponebatur pęnitentia, vtique etiam Sacramentalis abſolutio concedebatur, quod patet ex Leone I. *epiſt. 91.* dum ait; *Multiplex miſericordia Dei, ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ repararetur æternæ, ſic Diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis, vt indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri:* ita Leo ex cuius authoritate ait Cardinalis Lugo *de pœnit. diſput.17. numer.56. Fatendum eſt, abſolutionem Sacramentalem à culpa contentam fuiſſe in aliqua ex illis actionibus, ſiue in acceptatione pęnitentiæ, ſiue in reconciliatione.*

Sed quod impoſitionem publicæ pęnitentiæ, præcederet ſecreta confeſſio, tradit Pamelius *in Cyprianum lib. de lapſis not.99.* imò id diſertè ſcribit Origenes *hom. 2. in Pſal.38.* his verbis: *Circumſpice diligenter, cui debeas confiteri peccatum, proba prius Medicum, cui debeas cauſam languoris exponere.* (& infra) *Si quod conſilij dederit facias, & ſequaris; ſi intellexerit, & præuiderit talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſe cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt.* Hæc Origenes.

Ergo cùm ſolemnem pęnitentiam ægrotanti indicendam præcedat Sacramentalis, & ſecreta Confeſſio: dum dicunt Concilia, dandam pœnitentiam, ſi petierit, ſeu dederit ſuæ voluntatis ſigna, quaſi non danti ſigna, nec danda ſit pęnitentia: ſequitur quod nulla danti ſigna, omninò omnis pęnitentia etiam Sacramentalis abſolutio ſit deneganda.

Reſpondetur, quòd quamuis ſemper in Eccleſia fuerit Sacramentalis, & ſecreta Confeſſio, vt oſtendit Baronius *anno 56.* & Pamelius *in Cyprianum lib. de la-*
70 *pſis not.98.* tamen hæc vel præcedebat, vel comitabatur ſolemnem pęnitentiam; nam cùm ſolemnis pęnitentia ſemel tantùm concederetur, neque poſt lapſum repeti poterat, vt teſtantur Origenes *hom.15. in Leuiticum,* Siricius Papa *epiſt.1. capit.5.* Concil. Toletan.3. *canon.11.* Sanct. Ambroſius *lib.2. de pęnitent. capit.10.* præterea cum ſolemnis, & publica pęnitentia in plurimos annos extenderetur, & aliquando ad decem annos, & vltra protrahebatur; conſequenter neceſſe erat ſæpius accedere ad Sacramentalem peccatorum confeſſionem intra tempus ſolemnis pęnitentiæ admiſſorum, vnde Origenes *apud Baron. anno 56. verſ. ſed enim. In grauioribus* (inquit) *criminibus ſemel tantùm, vel raro pœnitentiæ conceditur locus; iſta verò communia peccata, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur,* ita Origenes. Itaque in illo diuturno tempore ſolemnis pęnitentię pluries inſtituebatur ſecreta, ac Sacramentalis confeſſio: Ergo ſacramentalis abſolutio eſt omninò extra rationem publicæ pęnitentiæ, ac reconciliatio-
71 nis: Quarè dum Patres, & Concilia agunt de publica pęnitentia, omninò prętereunt, neque aliquid decernunt de ſecreta confeſſione, quæ erat ſolemni pęnitentiæ omninò extrinſeca, eamque Sacramentalis, & ſecreta abſolutio erat omninò extra rationem pęnitentiæ publicæ.

72 Quod apertè oſtendo, nam in ſolemni pęnitentia quatuor erant eius partes, ſeu actus. Primò impoſitio pęnitentiæ. Secundò poſt ſatisfactionem, exomologeſis, ſeu confeſſio criminis. Tertiò impoſitio manuum ab Epiſcopo, & Clero. Quartò Sacra Euchariſtiæ communio, ita Pamelius *in Cyprian. lib. de lapſis not.99.* & patet ex verbis Sancti Cypriani *epiſt.10.* Porrò omnes iſtos actus fuiſſe extra Sacramentales, patet ex eodem Sanct. Cypriano *epiſt.13.* nam abſente Presbytero,
73 vrgente morte, per Diaconum exerceri poterant. *Si Presbyter* (inquit) *repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſin facere delicti, ſui poſſint, vt manu ei in pœnitentiam impoſita veniat ad Dominum cum Pace:* Ergo exomologeſis, & manus impoſitio erant actiones extraſacramentalis.

Præ-

Præterea apparet omnes illos quatuor actus publicos fuisse, non autem secretos, de duobus posterioribus liquet, nempè de impositione manus ab Episcopo, & Clero, ac de Sacra communione. Sed & impositionem pęnitentiæ fuisse publicam, patet ex Concil. Tolet. 3. *can.* 12. vbi infirmus petens pęnitentiam tonderi debet, & mulier vestem mutare; id etiam patet ex his, quæ habentur in Concil. Agathensi *can.* 15. refertur *in can. in capite quadragesimæ, dist.* 50. ex Tertull. *lib. de pœnit. cap.* 9. *&* 10. & Sozomeno *histor. lib.* 6. *cap.* 16.

Pęnæ quoque publici pœnitentis erant decem, ferè omnes publicæ, quas recenset Bellarminus *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 22. *in fine*. Denique exomologesis, seu confessio criminis publica erat, & coram tota Ecclesia, vt patet ex Origene *hom.* 2. *in Psal.* 38. Socrate *histor. lib.* 5. *cap.* 19. Sozomeno *lib.* 7. *cap.* 16. Ergo cum solemnis, & publica pęnitentia, ac reconciliatio ægrotantis publici peccatoris esset omninò extra Sacramentalis, & prorsus publica, ideò Concilia, quæ de illa agunt, nihil omninò statuunt de secreta, & Sacramentali confessione, atque absolutione: ergo eorum Conciliorum, ac Patrum authoritas est omninò impertinens ad decisionem casus nostri de Sacramentali, & secreta absolutione sub conditione danda moribundo, nulla præbenti signa.

Esset hic agendum de authoritate S. Augustini, qui fauet affirmatiuæ sententiæ, sed ne ista sectio prolixior sit, ad sequentem sectionem Lectorem remittimus.

SECTIO XI.

Affirmatiua sententia S. Augustini authoritate confirmatur.

SVMMARIVM.

S. Augustinus vult adulterum mortis periculo præoccupatum, nec vlla potentem præstare signa; si catechumenus erat, baptizandum; si pęnitens reconciliandum. num. 74.

Si Augustinus tribuit pœnitenti reconciliationem nullo dato signo, vtique, & Eucharistiam concedit; si Eucharistiam; ergo, & absolutionem Sacramentalem. numer. 75.

Reconciliationis nomen pro ipsa Sacramentali absolutione, aliquando vsurpatur apud antiquos Patres. numer. 76.

Pœnitentes si casu mortui fuerint, memoria eorum oblationibus commendetur. num. 77.

SAnctus Augustinus *tom.* 6. *lib.* 1. *de adulterinis coniugijs capu.* 26. sic scribit: *Catechumenis ergo in huius vitæ vltimo constitutis, si morbo, aut casu aliquo oppressi sint, vt quamuis adhuc viuant petere tamen baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis, quod eorum in fide Christiana iam nota voluntas est, vt eodem modo baptizentur, quo baptizantur infantes. (& infra) Si voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quàm volenti negare;*
74 *& capit.* 28. *Ego non solum alios catechumenos, verùm etiam ipsos, qui viuentium coniugijs copulati, retinent adulterina consortia, cum salui corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum; tamen si desperati, & intra se pœnitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, vt hoc etiam peccatum lauacro regenerationis abluatur. Quis enim nouit vtrum fortassis adulterina carnis illecebra vsque ad baptismum statuerat detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint viuere, aut facient quod statuerint, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem baptismatis eadem reconciliationis est causa; si fortè pœnitentem faciendæ vitæ periculum præoccupauerit. Nec enim ipsos ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Hæc Sanctus Augustinus.

Obseruandum autem, quod cùm sit per baptismatis, & reconciliationis causa, certè idem casus in vtroque statuendus est, nempè vtrumque in adulterino consortio mortis periculo præoccupatum, nec petere, nec ad interrogata respondere potuisse, & vni dandum baptisma, alteri reconciliationem asserit Sanctus Augustinus: quare ex eius verbis sic arguo.

Primò quamuis ea reconciliatio fuerit actus extra Sacramentalis, instar absolutionis ab excommunicatione, vnde & Diacono committebatur, prout ex Sancto Cypriano *epist.* 13. vult Vasquez 3. *par. tom.* 4. *quæst.* 91. *artic.* 2. *dub.* 1. *numer.* 16. tamen cùm ipsam reconciliationem comitaretur sacræ Eucharistiæ communio, vt patet ex Concil. Carthag. 4. *can.* 76. Leone Primo *epist.* 91. Innoc. I. *epist.* 3. *ad Exuperium cap.* 2. & Sancto Cypriano *epist.* 10. *&* 13. Sacram verò Eucharistiam adultero administrare, nisi præuia Sacramentali absolutione illicitum erat, dicente Apostolo 1. *Cor.* 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, cuius verba sic interpretatur Origenes *hom.* 2. *in Psal.* 38. de probatione per Sacramentalem confessionem. Præterea publica pęnitentia in plures annos extendebatur, quibus inuerisimile erat, quin solemniter pęnitens alia haberet occulta peccata, & non poterat, nisi præuia Sacramentali absolutione pro ipsis occultis peccatis, post iniunctam publicam pęnitentiam com-
75 missis ad Eucharistiam admitti: Ergo Si Augustinus nullo dato signo tribuit pęnitenti reconciliationem, vtique & Eucharistiam, & Sacramentalem absolutionem nullo dato signo tribuit.

76 Secundò accedit, nam etiam reconciliationis nomen pro ipsa Sacramentali absolutione aliquando vsurpatur apud antiquos Patres. Vnde Euaristus Papa, vt refertur in Canone Presbyteri 26. *quæst.* 6. *Presbyteri* (inquit) *de occultis peccatis iussione Episcopi pœnitentes reconcilient*: sed de occultis peccatis non erat publica, sed secreta, & Sacramentalis confessio: ergo reconciliatio pęnitentis erat etiam Sacramentalis: non enim admittendus erat ad Eucharistiam, nisi Sacramentaliter, & secretò absolutus ab occultis peccatis: ergo si Sanctus Augustinus nullo præstito signo vult reconciliandum, vtique etiam vult Sacramentaliter absoluendum ab occultis peccatis, & ita admittendum ad Eucharistiam.

Tertiò Arguo, nam Concilia, & Patres noluerunt dari pœnitentiam atque reconciliationem extremo vitæ periculo laboranti, nisi petenti, vt patet *ex Conci-*

lio Carthag.4.can.76. Leone I. *epiſt.91.* & alijs; Sed S. Auguſtinus vult dari baptiſma catechumeno, qui poſt adulterinum conſortium nec petijt, nec ſigna doloris dedit; præſumens eum intra ſe pęnitentem eſſe. Ratio diſcriminis eſt, quia ſolemnis pœnitentia, & Euchariſtia non ſunt neceſſaria ad ſalutem; quare non dantur niſi petenti; At baptiſma cùm ſit Sacramentum neceſſarium ad ſalutem dandum eſt catechumeno non petenti, nec danti ſigna doloris: ergo etiam Sacramentalis abſolutio cùm ſit Sacramentum neceſſarium ad ſalutem, dandum eſt non petenti ex ſola coniectura interni doloris.

Aduerto autem quod in Concil. Carthagin. 4. *can.79.* ſic habetur: *Pœnitentes, qui attentè pœnitentiæ leges*
77 *exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſubueniri non poſſit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur*, idem ſtatutum eſt in Concilio Toletano 11. *can.12.* quare quamuis pęnitentia danda non ſit morienti, niſi petierit; tamen pęnitenti etiam non petenti danda eſt reconciliatio, vt S. Auguſtinus ſcribit.

Dices ex Coninchio *de Sacramen. diſput.5. num.29.* Auguſtinum loqui de publicè pęnitente, qui nullo dato ſigno reconciliandus, & abſoluendus eſt; nam ſupponitur confeſſus peccata ſua; ſic quoque reſpondet Sotus apud Aluarez 1.2. *diſp.8.num.4.* & Cano apud Vaſquez 3. *par. quæſt.91. art.2. dub.4. nu.17.*

Contra primò, quia publica pęnitentia in plurimos annos extendebatur, quare ſi in mortis periculo, cùm ad Sacram Euchariſtiæ communionem reconciliatur, Sacramentaliter quoque abſoluitur: quia iam confeſſus erat peccatum, ob quod publicè, & ſolemniter pęnitet; ſequeretur, quod daretur abſolutio, multis alijs occultis peccatis poſt iniunctam ſolemnem pęnitentiam commiſſis, & nondum confeſſis, quorum nullum dedit doloris ſignum; quid enim ſi publicus pœnitens, poſt publicam confeſſionem, odio habuit fratrem, aut aliud cogitationis occultiſſimum peccatum commiſit, & in ea cogitatione perſeuerans mortis periculo præoccupatur?

Contra ſecundò, nam ex Auguſtino non alligatur poteſtas, vel debitum reconciliandi moribundum, ad illum ſolùm Sacerdotem cui antea confeſſus fuiſſet, nam conſuetudo erat, vt quilibet Sacerdos in illo articulo quemlibet poſſet abſoluere, quam antiquam conſuetudinem agnouit Tridentinum *ſeſſ.14. cap.7.* & patet ex Euſebio *lib.6. hiſtoria cap.34. vel 36.* de quodam Serapione, *Qui fidem abnegarat, & morti proximus petijt aduocari ad ſe quemlibet ex presbyteris, vt dimitti poſſet:* Ergo ſi ideò pœnitens reconciliandus poſſet, nullo dato ſigno Sacramentaliter abſolui, quia erat ante confeſſus: ſequeretur, quod vnus confeſſionem peccatorum audiſſet, & alter Sacramentaliter abſolueret, quod eſt omninò abſurdum.

* * *

SECTIO XII.

Primum Corollarium ex affirmatiua ſententia; nempè moribundum Catholicum, quantumcumque perditæ vitæ, nullo dato pœnitentiæ ſigno, ſub conditione abſoluendum.

SVMMARIVM.

Nullus præſumitur immemor ſalutis æternæ. num.78.

De iure denegatur ſepultura eccleſiaſtica publico peccatori, qui nulla dedit pœnitentiæ ſigna; conceditur tamen de conſuetudine interfectis in adulterio, aut rixantibus, & mutuò ſe occidentibus. num.79.

Attritus, cum pœnitentiæ Sacramento, ſaluatur. numer.80.

Sceleratorum cor in morte ingenti conuerſionis difficultate premitur. num.81.

Ex his vix vnus è decem millibus ſaluatur. num.82.

Satius eſt mille millia abſolutionum eſſe irrita, quàm vnam perire animam. num.83.

Coniectura deſumitur à frequenter accidentibus. num.84.

Quæ dicatur leuiſſima coniectura. num.85.

Leuis coniectura eſt inſufficiens ad iudicandum. num.86.

Vix è decem millibus vnus perditorum hominum in fine vitæ perfectè conteritur. num.87.

Imperfectè autem plerumque conteruntur. num.88.

Quàm periculoſa ſalus, in fine vitæ pœnitenti, num.89.

78 RAtio eſt, quia nullus præſumitur immemor ſalutis æternæ, ac frequentiùs accidit tales petere ac deſiderare confeſſionem. Id autem oſtenditur. Primò authoritate S. Auguſt. *tom.6. lib.1. de adulterinis coniugijs cap. 26. & 28.* vbi baptizandum cenſuit catechumenum in adulterino coniugio mortis periculo præoccupatum, quamuis nulla dederit pœnitentiæ ſigna; quia tunc *præſu-*
79 *mitur intra ſe pœnitens.* Secundò, quia quamuis de iure publicis peccatoribus, qui nulla potuerunt dare pęnitentiæ ſigna, deneganda ſit eccleſiaſtica ſepultura; tamen de conſuetudine ea non denegatur interfectis in adulterio, aut rixantibus, & mutuò ſe occidentibus, quia pręſumuntur pęnitentes deceſſiſſe. Io. Sanchez *in ſelectis, diſp.36. num.3.*

Deinde hunc perditæ vitæ hominem, nulla prębentem pœnitentiæ ſigna, ſub conditione abſoluendum, hac ratione probatur. Pro cuius euidentia ſuppono attritum ſine pœnitentiæ Sacramento damnandum, cum ipſo autem ſaluandum, vt ex Tridentino *ſeſſ.14. cap.4.* docent communiter. Pręterea huiuſmodi ſceleratorum cor indu-
81 ratum, ingenti conuerſionis difficultate premitur, vt paſſim ſcripturæ, ac Patres monent S. Ioannes Chryſoſt. *hom.42. in Matth.* S. Cyprian. *epiſt.52.* S. Ambroſ. *lib.2. de pœnit. cap.8.* S. Thomas *cap.12. in Ioan.* nihilominus certum eſt aliquos perditiſſimos homines in extremis à miſericordi Deo vocatus ad Regnum, ſic S. Auguſt. *lib. de prædeſt. contra Pelagianos. Nouimus* (inquit) *aliquos à iuuentute ſua in omni ſcelere, & damnabilitate vſque ad ætatem decrepitam perduraſſe, & repentè cœlitùs inſpirata ſalute raptos eſſe ad Regna Cœlorum.* Eleganter S. Gregor. *lib.33. moral. cap.14. Latronis* (inquit) *exemplo liquet, maxillam leuiatan eſſe perforatam, & eos quoque, qui intra eam man-*

mandendi præmuntur posse elabi. *Horum tamen rarissima*
82 *est salus vt vix ex decem millibus vnum inuenies*, inquit S. Nilus Abbas, ex Hieronymi, Chrysostomi, Ephremi, Theodori studitæ, ac aliorum Patrum sententia, vt apud Baronium *anno* 976. §. 3. verùm esto ex mille millibus vnum tantùm esse attritum, & cum Sacramento pęnitentiæ fore saluandum; adhuc omnibus danda est absolutio, quod sic ostendo.

83 Satius est mille millia absolutionum esse irrita, & incassum data, quam vnicam perire animam: ergo nulla est Sacramenti iniuria, si tales perditi, & sceleratissimi homines, absque vllo signo, sub conditione absoluantur. Antecedens Probatur ex S. Augustino sæpè cit. *lib.* 1. *de adulterinis coniugijs cap.* 26. vbi ait: *Non incredibile est in fine vitæ, baptizari catechumenum velle, verùm etiam si voluntas eius incerta est, multo satiùs est nolenti dare, quàm volenti negare*, ita August. cuius authoritate liquet; satius esse mille millia Sacramentorum irritari; quàm vnum damnari; nam & pro vno mori dominus non dubitaret.

Adde nec irritari Sacramentum, nam ex communi sententia, cum sub conditione ministratur Sacramentum, in casu quo conditio non existit, non adest voluntas ministrandi Sacramentum, quod autem non ministratur, neque irreuerenter tractatur, neque irritatur.

Dices. Impius agonizans, & vitiorum cęno consepultus, nullam verisimilem præbet interna pęnitentiæ coniecturam: ergo nullo dato pęnitentiæ signo, deficit materia sensibilis Sacramenti, nempè dolor internus, sen-
84 sibili aliqua coniectura, manifestatus. Probo antecedens nam coniectura desumitur à frequenter accidentibus *l. in obscuris ff. de regulis iuris*, sed à frequenter accidentibus talis coniectura non habetur; vix enim ex mille vnum conteri reperies: *tusto namque Dei iudicio* (inquit S. August.) *in morte non recordatur sui, qui in vita oblitus est Dei*: ergo non adest coniectura aliqua cootritionis: coniectura enim à probabilibus oritur, vt ait Menochius *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 7. *numer.* 26. & si quæ coniectura adest, ea leuissima est; nam vt docet
85 Alensis 3. *par. quæst.* 45. *membr.* 7. *col. pen.* ea est leuis coniectura, seu præsumptio; quando parua adsunt
86 signa pro ipsa, & multa in oppositum. Porrò leuis coniectura insufficiens est ad iudicandum, cum nullis probabilibus fundetur argumentis vt docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 60. *artic.* 3. *in corp.* Itaque cùm rarissimè accidat sceleratos homines in exitu vitæ interius pęnitere; etiam si vere pęniteant, tamen, nulla apparet sensibilis, ac probabilis coniectura; quare deficit dolor sensibiliter manifestatus; & sic deficit Sacramenti Materia; vnde irrita est absolutio, quamuis adesset dolor internus, vt docet Io. Sanchez *in select. disp.* 44. *num.* 35.

Respondetur primò per instantiam, si enim nulla est interni doloris in tali scelesto coniectura, cur hunc catechumenum in adulterino thoro agonizantem, Augustinus baptizat, reconciliat? Cur Sacerdos à censuris absoluit, nullo dato pęnitentiæ signo? Cur Ecclesia Sacra donat sepultura?

Respondetur secundò, dupliciter accipienda est finalis perditorum hominum impęnitentia.

87 Primò quia vix è centum millibus vnus perfectè conteritur, quod sanè verissimum est; quia nec mortis angustia; nec phantasmatum confusio, & perturbatio; nec fluctuantium cogitationum procella; nec domesticarum rerum, ac filiorum, nepotumuè sollicitudo; nec diuturnus peccandi vsus; nec dæmonum grauissimè tentantium, ac quandoque visibiliter apparentium agmen; nec tenuissimum excitantis gratiæ auxilium; nec temporis breuitas, præsertim, nec dilectionis Dei, super omnia (barbarum inespertis nomen) veram perfectamque contritionem miserrimis permittit.

88 Secundò accipitur finalis impęnitentia, ita vt neque imperfectè doleant, quod certè falsum est, etenim tunc, sicut Antiochus *recordantur malorum*, *& orant scelesti Dominum*, *à quo non sunt misericordiam consequuturi*, tunc vt dicitur *Prouerb.* 1. *inuocabunt*, *& Dominus non exaudiet*, *mane consurgent*, *& non inuenient*; tunc dicent: *Domine*, *Domine aperi nobis*, respondente Domino *nescio vos*, tunc inquit, Anselmus, *à Dextris erunt peccata accusantia*: *à sinistris infinita dæmonum turba*: *subtùs horrendum Chaos inferni*: *superiùs iudex iratus*. Hæc itaque imperfecta pęnitentia in scelestis hominibus, non rara, sed frequentissima est, testantibus scripturis, Patribus, experientia: mox enim, cum possunt, clamant confessionem, postulant Sacerdotes, anhelant Sacramenta.

Ergo adest sensibilis, & probabilis coniectura de imperfecto interno dolore; talisque coniectura probabilis est, cùm sit ex communiter accidentibus, vt docet Alensis *vbi suprà*.

Porrò quamuis, quandoque adeò sit imperfecta horum attritio, vt neque cum Sacramento ad gratiam sufficiat; tamen quia hoc soli Deo notum, non debet Sacerdos absolutionem denegare: alioquin deneganda esset, etiam illam expressè petenti in extremis, quod
89 disertè docuit S. Augustinus *serm.* 67. *de tempore*. *Datur*, inquit, *in extremis pænitentia*, *quia negari non potest*; *sed auctores tamen esse non possumus*, *quod qui sic petierit*, *mereatur absolui*, *& serm.* 36. *pænitentiam dare possumus*, *securitatem dare non possumus*. *Numquid*, *dico damnabitur? sed non dico liberabitur*. His accedit quod quamuis ad condemnandum debeant esse probationes luce meridiana clariores *l. sciant cuncti, C. de accus.* proinde violentæ requiruntur coniecturæ; tamen ad absoluendum, præsertim vbi solus animæ fauor, & nullius præiudicium versatur, sola iudicia sufficiunt vt docet Caietan. 2. 2. *quæst.* 60. *artic.* 3. qua ratione moribundus nullo edito signo à censuris absoluendum esse, *supra dixi*.

Itaque etiam in perditæ vitæ homine, nullum pęnitentiæ signum prebente, adest sensibilis, & probabilis coniectura, quod interiùs doleat; quamuis imperfectè, confessionemq́; , ac cętera sacramenta desiderat; quare ipsius internus dolor est coniecturaliter, & sensibiliter Sacerdoti, tamquam Iudici, manifestatus.

SECTIO XIII.

Secundum Corollarium ex affirmatiua sententia: nempè non posse sub conditione absolui moribundum omninò incognitum, agonizantem in loco, in quo permixti habitant catholici cum hæreticis, neque vllum habentem suæ religionis signum.

Ratio patet ex dictis *sect.* 4. quia eius dolor non est sensibili coniectura notus, cùm enim nullum habeat sen-

ſibile ſignum catholicæ fidei, neque erit ſenſibilis coniectura eum eſſe contritum, atque deſiderare confeſſionem.

SECTIO XIV.

Iudicium Authoris de tota hac controuerſia.

S V M M A R I V M.

Excuſandus eſt ſequens opinionem habentem minimum gradum probabilitatis ratione extremæ neceſſitatis, quamuis aliàs amplecti non poſſet. num.90.
Id præſertim in Sacramentorum adminiſtratione aſſerendum eſt. num.91.
Sacramenta, cum periculo irritationis, in dubio miniſtranda ſunt. num.92.
Licitè operor per principia extrinſeca, quamuis cenſeam opinionem ex principijs intrinſecis eſſe falſam. num.93.
Peccat Sacerdos non abſoluens moribundum, ſi putat eam opinionem eſſe probabilem, per principia extrinſeca. num.94.
Obligatur Sacerdos ad abſoluendum pænitentem contra propriam opinionem, ſi iſte nititur opinioni probabili. n.95.
Pater Diana & alij aſſerunt opinionem affirmantem poſſe abſolui moribundum, nullo dato ſigno, eſſe probabilem ex principio extrinſeco. num.96.
Dubium mihi eſt, an hæc opinio ſit ab extrinſeco probabilis, & ego non auderem probabilem aſſerere, neque per principia extrinſeca. num.97.
Signa, quod opinio non ſit ab extrinſeco probabilis, ſunt, quia ferè nullus audet ea vti, & quod à doctiſſimis recentioribus, tamquam falſa reijciatur. num.98.
Fundamenta pro ea opinione à me allata ſunt, vt illa examinanda alijs proponam. num.99.
Neque Sacerdotem abſoluentem, neque non abſoluentem, præſertim ſcrupuloſum, damnarem. num.100. & 101.

90 PRima Aſſertio. Excuſandus eſt ſequens opinionem, quæ ita parùm probabilitatis habet, vt aliàs amplecti non poſſit, quando vrget maxima periculi grauis vitandi neceſſitas, quod vitatur ſequendo opinionem non apertè falſam, neque omni probabilitate deſtitutam, ita poſt Sotum, ac Nauarrum docet Sanchez *de matrim. lib.2. diſp.36. num.8. & 9. & in Summa lib.1. cap.9. num.25.*

91 Id autem præſertim de Sacramentorum adminiſtratione aſſerendum eſt; quæ cum inſtituta ſint in fauorem fidelium, cedunt Sacramenta ſaluti proximi, quæ proinde cum periculo irritationis in dubio miniſtranda ſunt; vnde loquens de baptiſmo S. Auguſtinus citato *lib.1. de adulterinis coniugijs cap.26.* ait: *Si voluntas eius incerta eſt, multò ſatius eſt volenti dare, quàm volenti negare.* Quare ſufficit in extrema neceſſitate opinionem non eſſe euidenter, & certiſſimè falſam, vt poſſit ſub conditione miniſtrari Sacramentum, tunc enim nulla eſt irriſio, nulla iniuria, aut irreuerentia Sacramenti; nam periculo irritationis, quod incurritur, præponderat ſolus proximi, in cuius fauorem inſtitutum eſt Sacramentum; ergo minimus gradus probabilitatis ſufficit ad conferendum Sacramentum.

93 His accedit licitè me poſſe operari; ſi per principia extrinſeca, ex authoritate Doctorum, iudicem opinionem eſſe probabilem, quamuis cenſeam illam per principia intrinſeca eſſe omninò falſam, quia puto argumenta contra eam omninò conuincere; tunc enim durante hoc iudicio ſpeculatiuo; formare poſſum iudicium practicum, quod licitè, & ſine peccato operor propter extrinſecam probabilitatem, ita Vaſquez 1. 2. *diſp.62. cap.4. num.18. & cap.3. num.10.* Leſſius *lib.2. cap.41. dub.9. num.76.* Io. Sanchez, qui plures citat *diſput.41. num.7.* Paſqualigus *decil.21.*

Secunda Aſſertio. Si Sacerdos putaret eſſe probabi-
94 lem, ſaltem per principia extrinſeca ſententiam affirmantem poſſe abſolui ſub conditione catholicum moribundum, nullo præſtito ſigno pœnitentiæ, tunc talis Sacerdos peccaret, ſi non abſolueret; etiam ſi ipſe putaret eſſe falſam per principia intrinſeca. Ratio eſt, quia cum tunc licitè poſſit abſoluere, deponendo iudicium, ſeu formando iudicium practicum, quod liceat abſoluere, ſtante probabilitate per principia extrinſeca, tenetur deponere, & abſoluere; nam ad hoc obligatur præcepto iuſtitiæ, ſi ſit Paſtor; & charitatis ſi non ſit Paſtor, ita Suarez *tom.4. diſp.23. ſect.1. numer.15.* Vaſquez *3. par. tom.4. quæſt.91. artic 12. dub.1. num.38.* Coninch. *de Sacramen. diſp.7. dub.10. num.106.* Turrianus *de pænit. quæſt.9. artic.2. diſp.39. dub.1.* Eminentiſſimus Lugo *de pænit. diſp.17. num.87.* & alij apud Dianam *par.3. tract.3. reſol.9*

95 Idipſum fateri tenentur omnes illi, qui docent obligari Sacerdotem ad abſoluendum pœnitentem contra propriam opinionem, ſi pœnitens nititur opinione aliqua probabili, ſaltem per principia extrinſeca, ita Sotus *in 4. diſt.18. quæſt.2. art.5. ad 5.* Suarez *de pœnitentia diſp.32. ſect.5. num.4.* Coninch *diſp.8. dub.17. num.135.* Reginaldus *lib.13. numer.97.* & infiniti, quos affert Io. Sanchez *in ſelectis, diſp.33. num.54.*

96 Tertia Aſſertio. Pater Diana *3. par. trac.3. reſol.8.* aſſerit: ſententiam affirmantem poſſe abſolui moribundum ſub conditione, qui ſenſibus deſtitutus nulla dedit contritionis ſigna, eſſe probabilem, ſaltem ex principio extrinſeco: Probabilem quoque aſſerunt Pellizzarius *tract.it. de Monialibus, capit.10. numer.184.* & alij *ſect.2.* citati.

98 Quarta Aſſertio. Dubium mihi eſt an hæc opinio ſit probabilis ab extrinſeco, & Ego non auderem aſſerere, hodie eſſe probabilem, ſaltem per principia extrinſeca, hanc opinionem. Ratio eſt, quia ferè nullus ex Doctoribus audet abſoluere, ad quod teneretur, ſi ea probabilis eſſet ſaltem per principia extrinſeca; Præterea hæc opinio quamuis à multis doctiſſimis viris reputetur probabilis, ſaltem per principia extrinſeca; tamen tamquam falſa, & oppoſita moraliter certa à celeberrimis Scriptoribus hodie reputatur; quæ ſunt ſigna opinionem non eſſe probabilem, neque per principia extrinſeca, vt tradunt Vaſquez 1. 2. *diſp.62. cap.4. numer.17. & 18.* Clauis Regia *lib.1. cap.5. numer.6.* & Sanchez *in Summa lib.1. cap.9. num.11.*

99 Quinta Aſſertio. Fundamenta, quæ pro affirmatiua ſententia adduxi, ea mente protuli, vt ea doctis viris examinanda ſubijciam, quis ſcit, ſi alij doctiores poſt me Scriptores, iiſdem, aut alijs melioribus fundamentis ſententiam iam in tenebris tumulatam, reuocabunt ad lucem?

100 Sexta Aſſertio. Non condemnarem, tamquam ſacri-

legij

legij reum, Sacerdotem, qui dubitans, an hæc opinio sit saltem per principia extrinseca probabilis, absolueret sub conditione moribundum, nulla præbentem doloris signa.

Probatur primò, quia, quando quis dubitat, an aliqua opinio sit per principia extrinseca probabilis, potest stante tali dubio, vrgente grauissimo periculo proximi, ea opinione vti, vt probaui *tract. 2. quæst. 36. num. 5.* ergo non peccat Sacerdos vtens hac opinione, quam dubitat probabilem, in tam graui periculo salutis proximi.

Secundò, quia tunc est irrisio, & grauissima Sacramenti irreuerentia, etiamsi sub conditione ministretur, quando omninò certum est, inualidè ministrari: At si dubium sit an validè ministretur, vrgente graui periculo, non irridetur, neque irreuerenter tractatur, si in eo dubio sub conditione ministratur; quare rectè ait Eminentissimus Lugo *de Sacram. disp. 8. num. 140.* posse in extrema necessitate baptizari sub conditione, cum liquore, de quo dubium est, an sit aqua, neque ob loci obscuritatem aliasque circumstantias, ex colore, odore, sapore, possit vllatenus cognosci: ergo nec peccat Sacerdos, neque irridet Sacramentum, qui dubitans an validè absoluat, & an hæc opinio sit probabilis, in tam graui periculo, moribundum sub conditione absoluit.

Tertiò, quia in grauissimo periculo, licet vti matrimonio, cum opinione de qua dubitatur, an sit probabilis, Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 36. numer. 8.* & ostendi, *trac. 2. quæst. 36. num. 1. & 5.* ergo à fortiori in graui periculo licet vti opinione de qua dubitatur, an sit probabilis, administrando Sacramentum sub conditione: Ratio est, nam stante tali dubio, in vsu matrimonij potest reuera quis materialiter fornicari, accedendo ad non suam; si opinio, de qua dubitatur an sit probabilis, sit reuera falsa; At stante dubio, an sit probabilis opinio, quod possit hic moribundus absolui sub conditione; si reuera falsa sit opinio; tunc neque formaliter, neq; materialiter irritatur, neq; irreuerenter tractatur aliquod Sacramentum; nam simpliciter non ministrat Sacramentum, qui sub conditione ministrat, cùm conditio non adest: nam nequit irritari, aut irreuerenter tractari Sacramentum quod nullatenus ministratur, vt latè probaui *trac. 1. quæst. 9. num. 3.*

101 Septima Assertio. Non condemnarem, tanquam mortalis culpæ reum, Sacerdotem qui dubitans an hæc opinio sit ab extrinseco probabilis, non absoluit moribundum; præsertim si Sacerdos pressus sit scrupulorum angustia; hæc assertio est contra multos, qui docent obligari Sacerdotem ex charitate absoluere, ita ex Soc. Iesu Pellizzarius *de Monialib. cap. 10. nu. 184.* ex eadem Societ. Tamburinus *in Methodo expedita confession. edito Romæ anno 1647. lib. 2. c. 10. nu. 11.* & Ioannes Caramuel *in Theolog. mor. lib. 3. disp. 4. nu. 1542.*

Probatur quoad non scrupulosum, nam non teneor subuenire proximo medio extraordinario, præsertim si non sit in extrema necessitate: sed moribundus non est in extrema necessitate speciali, sed tantùm in graui; nam potest sine absolutione cum sola contritione saluari, vt docent Nauarrus *in manuali, cap. 24. nu. 9.* Coninchius *de charit. disp. 25. dub. 7. nu. 90.* Castropalaus *tom. 1. trac. 6. disp. 1. punc. 9. nu. 6. vers. sed credo.* Præterea medium extraordinarium est, sub conditione in hoc casu absoluere, nam extraordinarium medium est, vti opinione qua nullus ferè audet vti, neque est in vsu apud Fideles, & quam ferè omnes doctissimi Scriptores damnant vt falsam: Præterea medium extraordinarium est inquirere, an hæc opinio habeat aliquam dubiam probabilitatem, & an cum tali dubio possim ea vti, ac recedere à praxi omnium Fidelium; ergo non teneor absoluere.

Probatur, quoad Sacerdotem scrupulosum, de quo clarius ostenditur non teneri: nam iste moribundus non est in extrema, sed in graui necessitate spirituali: sed quando quis patitur grauem necessitatem spiritualem, charitas non me obligat, vt ei succurram cum graui meo periculo spirituali: ita Emanuel Sà *verbo Charitas, num. 5.* vbi ait: *Non teneri me liberare proximum à peccato, cum graui incōmodo,* Coninchius *de Charitate, disp. 25. num. 100.* Suarez *de Charitate, disp. 9. sec. 2. num. 5.* Valentia *2. 2. disput. 3. quæst. 4. punc. 3. post quintam assert. versic. Tertio dico,* Castropalaus *tom. 1. tract. 6. disput. 1. punct. 9. num. 12.* Sed reputatur graue incommodum in viro scrupuloso inquirere; an hæc opinio, quæ communiter creditur falsa, habeat dubiam probabilitatem, & an cum tali dubio possit absoluere? ergo non tenetur.

Confirmatur nam dubitans, an proximus extremè indigeat, non tenetur subuenire; quia præualet possessio meæ libertatis dubiæ indigentiæ proximi, ita Io. Sanchez *in selectis, disp. 43. num. 20.* Diana *par. 5. trac. 8. resol. 39.* Sed Sacerdos dubitat an moribundus indigeat absolutione: nam posset esse contritus, aut nullatenus attritus, & vtroque casu non indigeret: ergo stante tali dubio, præsertim addita anxietate scrupulorum, non tenetur cum eo incommodo, & angustia scrupuli absoluere.



TRA-



TRACTATVS SEPTIMVS DE ALCHIMIA.



QVÆSTIO PRIMA.

An Alchimiam exercere sit licitum?

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num.1.

Per se, & iure naturali attento, alchimiam exercere non est illicitum. num.2.

Ratione praua circumstantiæ admixta, potest esse illicitum. num.3.

Ioannes 22. grauibus pœnis alchimistas punit. num.4.

Extrauagans Io.22. non est vsu recepta, vnde non peccat chimicam exercens, hinc artis illius libri in Italia non prohibentur. num.5.

In Anglia, sub pœna capitis chimica ars prohibetur. nu.6.

In Regno Neapolitano absque permissione Principis prohibita est. num.7.

Non est permittendus in Republica alchimiæ vsus, ea enim ars noxia, ac perniciosa est Reip. num.8.

An aurum chimicum licitè vendi possit pro vero auro? n.9.

1 Ffirmant Oldradus *cons.74.* Io. Andreas *in addit. ad specul. tit. de crimine falsi*, Abbas *in cap. ex tuarum de sortilegijs*, Isernia *in cap.1. num.19.* & ibi Baldus *num.5. in tit. quæ sint regalia in vsibus feudorum*, Zamnettus *in repetit. c.1. de accusation.* Fabianus *tract. de empt. & vendit. quæst.5.* Albericus *in diction. V. Alchimia*, Riccius *par.1. edit.1. decis.197.* Rouitus *in pragmatica prima de monetis, num.21.* Muta *in cap.10. num.6. tom.1. Regni Siciliæ.* Ex Theologis Caiet. *in Summa V. Alchimia, Sum.* Rosella, & Syluester *qu.3.* Martinus Delrius *disquisit. magic. lib.1. cap.5. q.4.*

Probatur quia esto sit moraliter impossibile verum aurum efficere; tamen non est impossibile, imò frequentissimum efficere aliquid auro simile, ac nobilius cæteris metallis, quamuis autem peccatum sit, tale aurum chimicum vendere pro vero auro, vt docet S. Thom. 2. 2. *quæst.77. artic.2.* tamen peccatum non est vendere aurum chimicum pro auro chimico, seu pro eo quod est, vnde extrauag. communis, Io.22. *incip. spondēt de crimine falsi*, in priori sensu accipienda est, nempè nequis tradat aurum chimicum pro vero auro; nam tradere pro auro chimico, & pro eo, quod est, non est peccatum; sicut quotidie venduntur Corallia, gemmæ, margaritæ, & alia huiusmodi fictitia.

Probatur secundò, nam verum aurum quoad substantiam efficere non est impossibile, vel saltem adhuc sub Iudice lis est, an sit possibile, vel impossibile: sed veritatem alicuius rei indagare, nequit esse illicitum: ergo chimicam exercere, animo deprehendendi eius veritatem non est illicitum.

Probatur tertiò, quia Alchimistæ sunt metallarij, qui labore proprio sibi, & Reipublicæ commoda comparant; quibus meritò leges fauent. *l.1. l.3. & l. quosdam C. de metallarijs lib.10.*

2 Dico primò per se, iure naturali attento, Alchimiæ exercitium non est illicitum. Probatur quia eam exercere ex se non est aliud, nisi veritatem inquirere abditissimi naturalis secreti. Neque potest esse ars illicita ratione periculi, vt cum Reipublicæ damno falsum aurum pro verò detur, aut commercij cum dæmone, &c. Nam huiusmodi pericula sunt remota, & extrinseca.

3 Dico tertiò ratione prauæ circumstantiæ admixtæ, potest ea ars chimica fieri mortaliter, aut venialiter illicita, patet, nam potest esse prauus finis, vt tradendi aurum chimicum pro vero auro; potest modus exercendi esse superstitiosus, cum commercio dæmonum: potest ratione personæ esse illicitus, vt si quis vacans eius artis exercitio suæ domus, œconomiæ, aut officij curam abijciat, vel negligat; aut suam substantiam, cum vxoris, filiorum, ac familiæ damno dissipet: vide Delrium *dicta quæst.4. conel.2.*

4 Dico tertiò, Ioannes XXII. grauibus pœnis carceris, & infamiæ omnes Alchimistas punit, vt *in dicta Extrauagant. spondēt de crimine falsi*, quare iure Pontifi-

cio

cio ea ars prohibita est, ita Angelus, *V. Alchimia*, Valentia 2.2. *disp.6. q.13. punc.2. diffic. vltima*, vbi ait: esse communem. Pererius *de Magia, lib.1. cap.12.* Sanchez *in Summa, lib.1. c.40. num.51.* Molfesius *in Summa, tom.1. tract.11. cap.7. num.124.*

Probatur, quia Pontifex ob præsumptam falsitatem indistinctè punit Alchimiam exercentes.

Respondet Delrius, ea Constitutione damnari tantùm eos, qui falsum aurum cudunt, idque ad lucrum, vt vtantur in contractibus, & solutionibus: non autem dãnantur, qui verum aurum producunt, & arti vacant, animi dumtaxat causa; nolentes, in commercijs vti; quare non ars quæ ritè instituitur, & exercetur, sed artis abusus damnatur. Sed contra est, vt in sequentibus argumentis, itaque

Probatur secundò, nam si damnaretur tantùm vsus in commercijs; sequeretur, quod si quis aurum chimicum efficeret non tamen eo vteretur, non puniretur. Sed Pontifex in dicta extrauaganti facientem tantùm punit, etiamsi non fuerit vsus: patet nam loquitur alternatiuè, *Quicumque*, inquit, *huiusmodi aurum fecerint, vel eo vsi fuerint*: ergo non solùm auro vti, sed aurum efficere, absque animo vtendi in commutationibus, prohibetur.

Probatur tertiò, nam fatetur Delrius, quod ista lex fundatur in præsumptione falsitatis, eò quia moraliter impossibilis, vel rarissima est veri auri efformatio: ergo perperam ait Delrius, quod Pontifex damnat tantùm falsum aurum cudentes; si enim damnat tantùm falsum cudentes, non esset lex præsumptiua: ergo cùm lex ista sit præsumptiua, absolutè, & indistinctè damnat omnes chimicam exercẽtes, propter præsumptionem falsitatis.

Probatur quartò, quia quamuis ego chimicam exercens, non vtar auro chimico pro vero in solutionibus; potest tamen alius à me accipiens vti, vel alius ab isto recipiens: ergo tale aurum efficere est formare aliquod instrumentum aptissimum ad innumeras falsitates, cum ingenti Reipublicæ damno; sicuti si quis adulterinam fabricaret monetam absque animo vtendi, infert damnum, quia fabricat instrumentum falsitatis, quo si ipse non vtitur, alij vti possunt. Neque idem est de corallijs, margaritis, & gemmis fictitijs, nam huiusmodi faciliter à veris dignosci possunt, neque necessariæ sunt in communi commercio: aurum autem chimicum neque à peritissimis potest à vero distingui; sed plerumque post septimam liquationem euanescit, cum ingenti damno domini, estque necessarium ad Reipublicæ commercia; Ergo aurum chimicum fabricare, magnum est Reipublicæ detrimentum, quamuis Alchimista non habeat intentionem praui vsus; possunt enim alij malè vti cum Reipublicæ damno: Ergo iustè Pontifex indistinctè damnat omnes chimicam exercentes tantùm, quamuis non vtantur. Neque obstat, quod possit produci arte verum aurum; nam dato & non concesso, id verum esset; tamen casus est rarissimus, de quo meritò lex non curat, *l. nam ad ea ff. de legibus.*

5 ☞ Dico quartò, illa Extrauag. *spondent de crimine falsi*, non est hodie vsu recepta, vndè excusatur à peccato chimicam exercens, si absit omnis alia praua circumstantia, ita Delrius *d. quæst.4. concl.2.* Sic Riccius *par.1. decis.197.* testatur in Curia Archiepiscopali Neapolitana fuisse absolutum Clericum Alchimistam sic tempore Leonis X. ea ars in vrbe viguit. Imò in vrbe, Io. Aurelius Augurellus opus suum de hoc argumento ipsi Pontifici inscripsit: ita Theatrum vitæ humanæ *Verbo Chymia*; sic nunquam in Italia huius artis libri fuere prohibiti; cùm tamen illi prohiberentur, si ars esset ipsa quoque prohibita.

6 Verùm sanctè & vtiliter noua lege ea ars prohiberetur, sicuti in Anglia sub pœna capitis prohibitum est, eam artem sine Regis permissu exercere. Et in Regno Neapolitano prohibita est chimica absq; permissu principis, *vt in prag.2. §.17. de monetis.* Rectè quoq; Pererius
8 *lib.8. Physicorum c.21. in fine*, ait: *Non esse permittendum in Republica vsum Alchimiæ; eamque artem esse noxiam & perniciosam Reipublicæ. Primò, quia numquã, aut rarissimè præstat, quod promittit, ex quo non semel factum, vt multi ad extremam inopiam, & paupertatem redacti fuerint: vnde verè quidam dixit Alchimistas non efficere aurum, sed absumere, non implere crumenas, sed magis deplere, & exhaurire. Deinde quia faciunt falsum aurum, falsamque monetam, ex quo Respublica, hominumque societas magnum caperet detrimentum. Postremò, quia verum aurum, non rarò adhibetur in medicinis, ad exhilarandum, & confortandum cor: aurum autem chymicum, cùm non sit verum aurum, vel certè imperfectius auro naturali, vel non habebit eiusmodi proprietates, vel non ita vitales, & salutares humano corpori, quare non sine discrimine, & periculo salutis, in medicinis adhiberetur.* Hęc Pererius. Meritò Diocletianus in Ægypto chymicorum libros diligenter conquisitos flammis dicauit, Suidas *in Diocletiano*; id Reipublicæ bono factum autumo, quamuis alij ea mente factũ putent, ne ex illa arte ditati Ægyptij, & pecuniæ freti copijs, in posterum rebellarent.

9 Infertur ex dictis, quod quamuis S. Thom. 2.2. *qu.77. artic.2. ad primum* conditionaliter loquens de auro chimico dicat: *Quod si ab Alchimistis fiat verum aurum, id licitè pro vero auro vendi poterit, nihil enim prohibet artem vtendo causis naturalibus, naturales, & veros effectus producere*: Tamen simpliciter, & absolutè loquendo, dicendum est cum Ægidio Romano *quodlibeto 3. quæst.8.* vbi docet: aurum alchimisticum non posse sine peccato vendi pro auro naturali, non solùm quia incertum pro certo, & falsum pro vero venditur; sed etiam quia in medicinis adhibetur aurum ad confortandum cor, & morbos quosdam profligandos; maximum autem periculum esset, ne aurum alchimisticum propter diuersam rationem constitutionis, nimium læderet complexionem humani corporis, eique insigne aliquod detrimentum afferret; quod etiam confirmat Conciliator *in differentia 209.* vbi sic scribit: *Non enim ars eo peruenire potest, vt agentia, & materiam, cum tempore, & modo, & alijs circumstantijs, sciat ita proportionare, vt nouum constituatur metallum. Quod si apparenter videatur, id erit, quia ars fallaciam eius humano ingenio nequeat detegere. Vnde aurum arte constructum, vim non puto habere confortandi cor sicut habet aurum à natura productum.* ita Conciliator, qualis autem sit vis auri in profligandis morbis, audi ex Leuino Lemnio *tract. de occultis naturæ miraculis lib.3. cap.6.* vbi sic scribit: *Aurum cumprimis efficax, præsentissimam vim obtinet in expugnandis sæuissimis morbis, atque instauranda valetudine, vbi collapsa est, ac detrimentum acceperit; nam qui ex venereo fœdoque contactu labem conceperunt, ac contagione inguinum infecti sunt, eius vsu manifestò subleuantur. Elephantiasim quoque, quæ vulgaris lepra censetur* expur-

expurgat. Hæc Lemnius, qui deinde grauissimos alios morbos recenset, quibus auri segmentis, ac bracteis medetur.

QVÆSTIO II.

An per artem chimicam produci possit verum aurum?

SECTIO I.

Variæ sententiæ referuntur.

SVMMARIVM.

Prima sententia absolutè affirmat. num.1.

Secunda negat asserens non produci verum aurum, sed aliquid auro simile. num.2.

Tertia sententia problematicè loquitur. num.3.

Verè autem dixit Valentia: eam transmutationem esto possibilis esset, superare tamen humanas vires, propter ingentem difficultatem. num.4.

Quarta asserit probabilius esse fieri posse, & aliquando factum. num.5.

Quinta ait: eam transmutationem esse impossibilem non posse euidenter demonstrari; at probabilius est verè esse impossibilem, cui opinioni fauere videtur S. Thom. numer.6.7.8.

1 QVinque sunt in hac celeberrima quæstione sententiæ. Prima est eorum, qui absolutè affirmant eam transmutationem esse possibilem.

Auicennam huius opinionis, patronum, & Hasten insignem Philosophum asserit Albertus Magnus; sed Auicennam pro negatiua sententia stare, infra ostendam.

Albertus Magnus *lib.3. de mineralibus cap.9.* chimicam hãc auri transmutationem disertè defendit, sic scribens: *Oportet nos dicere Alchymicos peritos, non aliter operari, quàm peritos Medicos, qui per medicinas purgatiuas purgant materias corruptas, & nocentes sanitati, & postea per remedia confortantia naturam, iuuant virtutem naturalem, vt digerendo sanitatem inducant: quæ sanitas est effectus naturæ, & artis; sed illius effectiuè, & principaliter, huius autem organicè, & instrumentaliter: Sic Alchymistæ primo purgantes materiam argenti viui, & sulphuris insitam omnibus metallis confortant, deinde deducunt virtutes elementares, & cœlestes tali materiæ inhærentes ad proportionem mixtionis metalli, quod intendunt inducere, & tunc ipsa natura operatur, & non ars, nisi organicè iuuando, & expoliendo vt diximus; & sic verum aurum, & argentum educere, & facere videntur: quod enim virtutes elementares, & cœlestes faciunt in vasis naturalibus, hoc etiam faciunt in vasis artificialibus, si artificialia formantur ad modum vasorum naturalium; & quod facit natura calore solis, & stellarum, hoc faciet ars calore ignis; dummodo sic contemperetur, vt non excedat virtutem se mouentem, & informantem, quæ est in metallis, huic enim cœlestis inest virtus, quæ primo commiscuit eam, & hæc inclinatur ad hoc, vel ad illud per artis iuuamen. Alchymia igitur per hunc modum procedit, idest corrumpens vnum à sua specie remouendo, & cum iuuamine eorum, quæ in materia insunt, alterius speciem inducendo; quare omnium operationum Alchymicarum melior est illa, quæ procedit ex iisdem, ex quibus procedit natura, sicut ex purgatione sulphuris per decoctionem, & sublimationem, & expurgationem argenti viui, horumque bona permixtione cum materia metalli; in his enim, & ex uirtutibus horum omnis metalli species inducitur. Qui autem per alba albificant, & per citrina citrinant manente specie prioris metalli in materia, procul dubio deceptores sunt, & uerum aurum atque argentum non faciunt; & hoc modo ferè omnes, uel in toto, uel in parte procedunt. Propter quod ego experiri feci aurum alchymicum, quod ad me delatum est, & postquam sex, aut septem ignes sustinuit, tandem amplius ignitum consumitur, & perditur, & quasi ad fæcem reuertitur.* Hæc Albertus Magnus. Antonius Mirandolanus *in libro de euersione singularis certmans lib.19. sect.7.* ait; veram esse Alchymistarum opinionem, quod aurum possit fieri ab arte, & à natura, quia transmutare possunt argentum viuum, & alia, quæ ad id requiruntur, sicut non solùm à natura, sed etiam ab arte animalia, vt scorpiones generari possunt. Ianus Licinius quinque rationes præclarè affert, vt apud Pererium *lib.8. Physic. cap.20.*

Eadem sententia est Henrici Gandauensis *quodlib.5. quæst.3.* Timonis *lib.3. meteor. quæst. vltima*, Zimarræ *tract. de different. naturæ, & artis*, Treuisani *lib. de transmutatione metallorum, ante medium*, Marsilij Ficini *lib.2. de vita cal. re. capit.3.* Fernelij *de abditis rerum causis, lib.2. cap.3.* Conymbricens. *lib.2. Physic. cap.1. quæst.7.* omnium verò latissimè chymicam propugnarunt Andreas Libauius *sintaxi 2. lib. primo singularium, & tom. 4. de Alchimia in defensione prima, & secunda alchimiæ transmutatoriæ*, qui tamen liber inter prohibitos recensetur, & Gaston Dulco *in Apologia Chrysopeiæ*, Gerardus Dorneus *in tract. de naturæ luce Physica*, Io. Aurelius Augurellus rationem conficiendi aurum Virgiliana carminis Maiestãte decantauit: extat, & theatrum chemicum, præcipuos selectorum Auctorum tractatus de chemia, & lapidis Philosophici antiquitate, & veritate continens, in tria volumina digestum, vbi præ cæteris est Gerardus Dorneus, Gregorius, Ripleus Anglus, Ricchardus Anglicus, Arnaldus de Villanoua, Alanus Philosophus, & alij. Alios referunt de hac re Scriptores Theatrum vitæ humanæ *verbo Chymia*, & Thomas Garzonius *in platea fori vniuersalis, discursu 13.* S. Thomas quoque *in 2.2.q.77. art.2. ad 1.* affertur pro hac sententia, ait enim: *Si fiat verum aurum ab Alchymistis, id licitè pro vero auro vendi posse, nihil enim prohibet artem vtendo causis naturalibus, naturales, & veros effectus producere*: ergo sentit possibilem esse eam transmutationem. Sed clarius id tradit S.Thom. *in lib.3. Meteororum lect.9. in fine*, quem locum miror à nullo chymicorum patrono afferri, vbi sic scribit: *Quædam sunt materia remota metallorum, sicut est vapor inclusus in locis lapidosis terræ: alia autem sunt materia propinqua eorum; & hæc sunt sulphur, & argentum viuum, sicut Alchymistæ dicunt: ita quod in prædictis locis lapidosis terræ, per virtutem mineralem primo generatur sulphur, & argentum viuum, deinde ex ipsis generantur diuersa metalla, secundum diuersam commixtionem eorum. Vnde etiam ipsi Alchymistæ, per veram artem Alchymiæ, sed tamen difficilem, propter occultas operationes virtutis Cœlestis, quæ mineralis dicitur, quæ ex eo quod sunt occultæ difficulter imi-*

tari

ceri possunt, per prædicta principia, vel per principiata ab ipsis, faciunt aliquando veram generationem metallorum. Hæc Sanct. Thomas, cuius nota verba, dum ait: *Alchimiæ artem veram esse sed difficilem*, & ait: *Veram fieri ab Alchymistis generationem metallorum, & aliquando factam*. Sanè miror nullum Chymicorum, quem viderim afferre hunc locum Sanct. Thomæ, vbi tam perspicuè pro ipsis loquitur. Sed de S. Doctoris mente infra agam.

2 Secunda sententia est eorum, qui absolutè, & simpliciter negant possibile esse à Chymicis produci verũ aurũ.

Auicennam *in lib. 3. Meteor. quæst. vlt.* affert Ægidius Romanus, inquit enim Auicenna: *Sciant Artifices Alchimiæ, species metallorum permutari non posse, quamuis aliquid illis simile fieri possit. Quod enim differentia specifica aliquo tollatur ingenio, non credo possibile, sed expoliatio accidentium non est impossibilis, vel saltem diminutio eorum; non enim permutantur species metallorum, nisi prius in primam materiam metallicam reducantur, & sic iuuamine artis deducantur in speciem metalli quod voluerit*. Hæc Auicenna, qui dum ait: *Non credo possibile, quod differentia specifica aliquo tollatur ingenio*: manifestè apparet, quid senserit sequentibus verbis, eam enim propositionem: *Quod non credit esse possibile*, probat hac ratione *non enim*, inquit, *permutantur species metallorum, nisi prius in primam materiam metallicam reducantur*, quasi dicat: Impossibile est reduci in primam materiam metallicam: ergo impossibile est quod differentia specifica aliquo tollatur ingenio.

Nec refert Auicennam ex professo de hac arte scripsisse, vt asserit Delrius; etenim tractat non de transmutatione metallorum, sed de alijs chymicæ operationibus; quod patet, nam Vincentius Beluacensis *in suo speculo, tom. 2. lib. 11. à capite 124. vsque ad finem libri*, latè ex eodem Auicenna multa scripsit de Alchymiæ operationibus, tamen disertè negat hanc transmutationem, & *cap. 131.* Beluacensis transcribens verba Auicennæ sic ait: *Sciant artifices Alchimiæ species naturæ permutari non posse, sed his similia possunt facere, vt album tingere citrino colore, vt videatur esse aurum, plumbi quoque immunditias abstergere, vt videatur esse argentum. Verumtamen semper erit plumbum. Sed obtinebunt in eo einsmodi qualitates, vt errent in eo homines. Cæterùm, quod specifica differentia aliquo tollatur ingenio, non credo esse possibile, sed ibi fit expoliatio accidentium, coloris, saporis, ponderis. Artificialia quoque non sunt eo modo, quo naturalia, nec tam certa, licèt propinqua sint, & similia; quoniam ars debilior est natura, nec consequitur eam, licèt multum laboret. Cæterùm proportio compositionis istarum substantiarum non erit omnibus eadem; hæc igitur in aliam permutari non poterit, nisi fortè in primam reducatur materiam hoc autem per liquationem non fit*. ita Vincentius Beluacensis grauissimus Author, qui Auicennæ verba transcripsit, & exposuit.

Aristoteles quoque *lib. 3. meteor. tex. vlt.* quem commentatur Auicenna, idem sensit, prout Aristotelis verba exponit Suessanus celeberrimus Philosophus *in 3. meteor. commentar. 121.* & hanc esse Arist. sententiam ostendam infra *sect. 6.*

Auerroes *in paraphrasi super primum librum de generat. animal. cap. 1.* idem tradidit dicens: *Similiter etiam si datur aliquid artificiale valde simile naturali, tanta poterit esse similitudo, quod existimabitur esse idem specie, & si ars Alchimiæ habet esse, hoc est quod potest fieri in ea*.

S. Thomas *in 2. sentent. dist. 7. quæst. 3. artic. 3. ad 5.* id apertè sensit dicens: *Potest quidem ars virtute naturalium agentium aliquas formas substantiales inducere in materiam; sunt tamen quædam formæ, quas nullo modo potest ars efficere, quod propria actiua, ac passiua earum non potest inuenire atque adhibere, sed benè aliquid simile illis efficere: sicut Alchimistæ faciunt aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum, quòd forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo vtuntur alchimistæ; sed per calorem solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis; & ideò tale aurum non habet operationem consequentem speciem; & similiter in alijs quæ eorum operatione fiunt*. Hæc Sanctus Thomas, quem Thomistæ omnes sequuntur, præsertim Caietan. 2. 2. *quæst. 77. ar. 2.* docentes id esse impossibile, quod per chymicam fiat verum aurum.

Ægidius Romanus *quodlib. 3. quæst. 8.* doctissimè, ac latissimè eandem tuetur opinionem.

Conciliator *different. 299.* dicens: *Metallum non potest fieri per artem, cùm ars solum faciat permutationem in accidentibus, non autem in substantia, vel fortasse si possibile est, id est homini ignotum*. ita Conciliator.

Abulensis *in Exodum cap. 7. qu. 10.* Cardanus *lib. 17. de subtilitate & lib. 10. de varietate rerum c. 51.* Paracelsus *lib. de Philosophia*, Buccaferrus *lib. 2. de generat. animal. cap. 1.* Suessanus *in 3. meteor. comment. 121.* Bernardinus Gomezius *in tract. de sale lib. 2. à num. 20. fol. 168. 2. editionis*, Pater Antonius Ayossa *lib. 2. Philosophiæ qu. 2. §. 7.* Pineda *de rebus Salomonis lib. 4. cap. 21. in fine*, vbi ostendit: Salomonem non Alchimia, sed aliunde ingentem illam auri copiam comparasse, Erastus Germanus *libro, cui titulus est de medicinâ noua*, Paracelsi *par. 1. in fine*, Comitolus *responsorum lib. 3. qu. 33.*

Tertia sententia est eorum, qui dubitant & problematicè disputant, & ita videtur loqui Pererius *lib. 8. Physic. cap. 21. & de magia lib. 1. cap. 12.* vbi ait: nulla ratione Philosophica necessaria, vel admodum probabili demonstrari, id esse impossibile; ac probabilissimum censet id esse impossibile propter experientiam, quæ hisce rebus summi argumenti, firmissimæque rationis vim debet obtinere, idemque tradit Valentia 2. 2. *disput. 6. quæst. 13. pun. 2. vers. est igitur tertia sententia.* vbi sic scribit: *Sententia media, & vera aliorum est, qui neque determinatè negant transmutationem illam esse absolutè, & per se naturaliter possibilem, neque id etiam affirmant: sibi tamen persuadent, etiam si fortè possibilis per se sit, esse tamen ita difficilem, vt videri debeat esse supra humanam facultatem*. ita Valentia.

5 Quarta sententia est eorum, qui docent probabilius esse fieri posse verum aurum à chymicis, imò & aliquando factum fuisse, ita Martinus Delrio *disquisitionum magicarum lib. 1. cap. 5. quæst. 2. sect. 2. 3. & 4.*

6 Quinta sententia est, quam ego sequor, non posse euidenter demonstrari impossibilitatem talis transmutationis, sed probabilius esse, eam transmutationem esse impossibilem, neque aliquando factam; neque tantùm ex experientia, sed philosophicis rationibus apparere, fieri nequaquam posse.

8 Huius opinionis videtur esse S. Thomas nam *in 2. 2. quæst. 77. artic. 2. ad 1.* Sanctus Doctor ex Augustino, *lib. 3. de Trinit. cap. 8.* sic ait: *Nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus causis ad producendos naturales effectus*,

ctus, sicut Augustinum dicit de his, qua arte demonum fiunt: quibus verbis satis aperit Angelicus suam mẽtem, nempè quod talis transmutatio demonstrari, ac conuinci nequeat, vt impossibilis. Deinde cum S. Doctor *in. 2. sentent.* absolutè dicit: *extra suum terra produci non posse*, intelligi debet, quod ipse existimet probabilius esse, id re vera esse impossibile. Quare dicendum, quod Sanct. Thom. *in lib. 3. meteor. in fine*, non est loquutus ex propria sententia, sed ex opinione, & relatione chymicorum: At in *2. sententiarum* quid ipse sentiat de chymico auro manifestè docet dum ait: *Quod Alchimista faciunt aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum*; nisi dicere velis Sanctum Thomam diuersis locis diuersam habuisse opinionem.

Ex his liquet non rectè Theatrum vitæ humanæ *verbo Chymia*; nedum Auicennam, & Raymundum Lullium (de Lullio dicam *sect. 9.*) sed & S. Thomam, ac Ioannem Scotum, inter huius artis Scriptores, imò & artifices numerasse; Nullum enim opusculum de hoc instituto, est inuenire inter tantorum Doctorum opera; nullum apud historias vestigium: quod manibus ista tractarunt; Imo S. Thom. eam artem tamquam mendacem damnauit *in 2. libro sententiarum*. Similiter plures alios de Chymia scripsisse refert Theatrum vitæ humanæ; at plerique eorum non de transmutatione auri, sed de alijs præclatis chymiæ operationibus, præsertim pro vsu medendi egerunt, & de his scripsit Auicenna, ac Vincentius Beluacensis *in suo speculo, tom. 2. lib. 11. vbi cap. 132.* sic inquit: *Igitur quoad nobilium corporum transmutationem, videtur hac ars aliquid habere vanitatis, & mendacij, sed in ea tamen est subtilitas sublimis, & vtilitas non parua, quantum ad disgregationes transmutationesque rerum qua iugiter in mundo fiunt ad varios vsus hominum, partim à natura, partim industria humana, vt est opus miny, vermilionis, vitri, auricalchi; vnde & dicta est occulta Philosophia, quia rationum, vel causarum inuestigatio, quibus hac fiant, difficilis est, & occulta.* Ita Vincentius. Cardanus quoque *lib. 10. de varietate rerum cap. 51.* sic scribit: *Aurum, & argentum facere, seu ex alijs metallis ea conficere, aut gemmas factitare; aut viliores in nobiliores transmutare, nemo non optare debet vt sciat; at quid horum fieri possit, difficilè scitu admodum est, & si hoc etiam sciuerimus, longè difficilius est scire quomodo fiat. Qua autem ab Alchymistis fiunt, ea vel ad voluptatem pertinent, vel ad vsum; ad voluptatem sunt gemma, & metalla nobiliora; ad vsum tinctura, colores materia, vasorum, & alia similia. Circa quodlibet autem horum tria excogitari possunt, vel vt purgentur, vel vt perficiantur. Horum primum de metallis, ad huc sub Iudice lis est, an fieri possit; secundum, ac tertium fermè inuentum est ad summam perfectionem: ac licet ars chymica non faciat verum aurum, quatuor tamen præstat magnas vtilitates. Prima est, quia potest facere vnum metallum simillimum alij, vt ferrum æri, æs auro, & argento, idque clarius apparet in gemmis. Secunda cum id quod in aliqua potentia continetur, per vim ignis excitat, extrahit, & ad perfectionem perducit. Tertia, cum ea qua superflua sunt, vt sua absumendo detegit, vt cum ex calce alumen excipitur, quod non genitum est vi ignis, sed exceptum, ita fit id quod vocant multiplicationem, cum ex terra ipsa, qua aliquid continet, quod continetur excipiunt. Quarta, ars chymica vi ignis multas facere potest compositiones atque separationes, non minus vtiles & lucrosas iis, qua ab Alchymistis tam anxiè quæruntur, & ambitiosè promittuntur transmutationibus.* Hæc eruditissimus Cardanus; ex quibus patet non omnes, qui de Chymica scripserunt, eos de transmutatione auri tractasse.

SECTIO II.

Non potest euidenter conuinci, ac demonstrari auri chymici impossibilitas.

SVMMARIVM.

Innumerabiles sunt res naturales ignota nobis. num. 9.
An transmutatio in serpentes per Magos Pharaonis fuerit naturalis? num. 10.
Non potuit Dæmon in instanti mutare virgas in serpentes, nisi per plures prauias alterationes. num. 11.

9 Probatur primò, nostra conclusio, quia cùm sint innumerabiles res naturales ignotæ nobis, & tantùm Deo, & Angelis notæ, multaque alia, videmus naturaliter fieri, quorum rationes ignoramus; meritò quis dubitare potest an vna illarum sit ista auri transmutatio: ergo non potest euidenter conuinci, ac demonstrari eam esse impossibilem: vnde Auerroes *lib. 3. de anima, cap. 36.* ait: multa quæ hodie latent, posse arte inueniri, agensque de Alchimia, ait, *Veritatem docere diuturna experientia; temporisque longitudo poterit*, & Seneca *lib. 7. natural. quæstionum cap. 25.* sic scribit: *Veniet tempus, quo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris æui diligentia veniet tempus, quo posteri nostri tam aperte nos nescisse mirentur.*

10 Confirmatur, nam mirabilior videtur virgarum trãsmutatio in serpentes factas per Magos Pharaonis, quàm ista chymici auri productio; & tamen illam verè, & naturaliter factam opera dæmonum, qui applicarunt actiua passiuis, & occultissimas causas, ad talem effectum producendum, censet Sanct. August. *lib. 3. de Trinitat. capit. 7. & 8. & lib. 83. qq. quæst. 79.* Theodoretus *in Exodum quæst. 18.* S. Thom. *in cap. 24. Matth. & par. 1. quæst. 114. art. 4.* & S. Bonau. *in 2. dist. 7. qu. 2.* & alij: fauet huic opinioni sacer Textus *Exodi, cap. 7.* ait enim, *Quod tulit Aaron virgam, quæ versa est in colubrum, & vocauit Pharao Maleficos, & fecerunt etiam ipsi similiter, Proieceruntque singuli virgas suas, quæ versa sunt in dracones*: ergo cum vtrasque virgas dicat versas esse in serpentes, verè ambæ in serpente transmutatæ fuerunt; nam virga Aaron verè conuersa fuit in colubrum: ergo etiam Magorum; cùm sacra Scriptura iisdem verbis vtramque conuersionem explicet.

At fortè probabilior est opinio Abulensis *in Exodum, cap. 7. quæst. 20.* quem sequitur Pererius *de magia lib. 1. cap. 17.* nempè: magos non transmutasse verè virgas in serpentes, neque aquam in sanguinem. Ratio
11 est, quia non potest Dæmon in instanti mutare virgam in serpentem, nisi per plures alterationes, & transmutationes præcedentes. Neque potest dici id, quod ait Caietanus, nempè quod in ea temporis mora, dum Pharao vocauit Magos, & ipsi eum adierunt, interim dęmones induxerint in virgis vltimam dispo-

dispositionem ad formam serpentis; nam sic non fuissent illæ virgæ; si habuissent vltimam dispositionem ad formam serpentis; neque apparuissent videntibus cum accidentibus virgarum mox antequam proijcerentur. Neque dici potest cum Tertulliano *lib. de Anima*, Nisseno, & alijs, quos refert Pererius *de magia lib.1. c.16.* ea fuisse præstigia, & apparentes serpentes, nam scriptura ait: *quod deuorauit virga Aaron virgas eorum*: quomodo autem deuorasset, si non erant veri serpentes? Præterea proiecerunt singuli virgas suas, quæ verè sunt in dracones: sed non dicerentur conuersæ in dracones, si sola imaginatione, & aspectu intuentium viderentur serpentes. Quare probabilius videtur dicendum cum Abulense, Pererio, & alijs, illos fuisse veros dracones, & serpentes; ita tamen vt dæmones, non aduertentibus, qui spectabant, virgas à magis proiectas, subitò è conspectu illorum clam auferrent, & pro illis æquales mole serpentes celerrimè asportatos substituerent: ita vt omnes intuentes iudicarent virgas in serpentes à Magis conuersas. Hæc obiter dixi, nam propugnatores chymicorum, vt possibilem chymici auri transmutationem ostendant, hoc Sancti Augustini testimonio passim vtuntur.

Probatur secundò nostra Assertio; nam præcipua ratio cur ista transmutatio reputetur impossibilis est, quia ars debet imitari naturam; hanc verò operationem occultissimam sibique omninò ignotam imitari nequit: Sed hæc ratio non conuincit, quin à Deo, ab Angelis reuelari, aut fortuitò saltem possit deprehendi ea naturæ operatio, & ita possit ars applicare aliquid supplens operationem naturæ: ergo non potest euidenter demonstrari Chymici auri impossibilitas.

SECTIO III.

Probabilius esse, non posse verum aurum per artem Chymicam produci, Primò suadetur hac ratione, quia quod est in suo genere perfectissimum, sicut est aurum, nequit arte produci, sed sola natura.

SVMMARIVM.

Imperfecta tam ab arte, quàm à natura produci possunt; perfectorum autem generatio omninò determinata est, & non nisi à sola natura. num.12.

Homines sine semine, aut extra matricem produci posse per artem, aliqui Chymici affirmant. num.13.

Numquam producta fuit perfecta arbor sine semine, aut eiusdem ramo. num.14.

Perfectorum generatio longissima, & operosissima est. num.15.

Pulli attemperato igne ex ouis prodeunt. numer.16. & num.22.

Anates ex fragmentis nauium in Scotia gignuntur. numero 17. & 23.

Vitulus in nubibus generatus. num.18. & num.24.

Pleraque animalia cum semine, & sine semine generantur. num.19. & 25.

An mures, qui ex putri generantur sint eiusdem speciei cum illis qui generantur ex semine? num.20.

Ex ferro fit cuprum. num.21. & num.26.

Formæ, quas natura producit, non sunt arti subiectæ neque quas ars efficit produci possunt à natura. num.27.

PRimum argumentum, quo ostenditur impossibilem esse veri auri productionem per artem Chymicam, sumitur ex Ægidio Romano *quodlib. 3. quæst.8.* vbi sic
12 inquit: *In quolibet genere entium quædam perfectissima sunt in suo genere, quædam imperfecta; imperfecta tam ab arte quàm à natura produci possunt, perfectorum verò generatio, ita determinata est, tam secundùm principium actiuum, & secundùm materiam, quàm secundùm locum; vt non nisi à natura tantùm produci possint: Sed omnium metallorum perfectissimum est aurum; ergo verum aurum non ab arte, sed à sola natura effici potest intra mineralem sinum terræ, veluti intra matricem.*

Quod autem ea, quæ in suo genere perfectissima sunt non possint, nisi à sola natura produci, probatur authoritate, experientia, & ratione.

Authoritate quidem Aristotelis, cuius est expressa sententia *sect.10. problem.64.* S. Thom. *7. metaph. tex. 23. lect.6. versic. determinat*, & omnium Thomistarum, ac Theophrasti *lib.1. de plantis cap.1.*

Experientia omnium seculorum; numquam enim
13 sine semine extra matricem productus fuit equus, Leo, & cet. Taceo de homine omnium animalium nobilissimo; quamuis eò deuenerit impudens Chymicorum stultitia, vt carneum infantem viuum in vitreis vasis distillationibus generatum Iulius Camillus affirmet; quod etiam incautè credidit Thomas Garzonius *in platea fori vniuersalis discurso 41.* & caput æneum ab Alberto Magno formatum articulatè loquutum ex Francisco Georgio *in Armonia mundi*, tradit idem Garzonius: Sed hæc omnia fabulosa sunt: nam præter cetera absurda, talis infans non contraxisset originale peccatum, non enim descenderet ab Adamo per viam generationis; vn-
14 de non esset Christus Redemptor omnium. Præterea ex Theophrasto *loco cit.* numquam producta fuit perfecta arbor, sine semine, aut eiusdem ramo.

Ratione denique Aristotelis *sect.10. probl.64.* idem probatur; quia ideò quæ sunt imperfecta in suo genere, non solum natura, sed etiam arte produci possunt; quia
15 eorum generatio breui tempore absolui potest; perfectorum verò generatio longissima est, & operosissima; vnde ars operationes naturæ in his imitari nequit. Idem tradit Vincentius Beluacensis *in speculo tomo 2. lib.11. cap.131.* vbi sic scribit: *Artificialia non sunt eo modo quo naturalia, nec tam certa, licèt propinqua sint; & similia quoniam ars debilior est natura, nec consequitur eam, licèt multum laboret.* & Conciliator *in different. 209. non enim* (inquit) *ars eò peruenire potest, vt agentia in materiam, eum tempore, modo, & alijs circumstantijs, sciat, ita proportionare, vt inde nouum constituatur metallum. Quod si apparenter videatur; id erit, quia ars fallaciam eius humano ingenio nequit detegere*, ita Conciliator & S. Thom. *lib.7. metaph. lect.6. vers. determinat*, ait: *animalia perfecta videntur non posse generari, sine semine: animalia verò imperfecta, quæ sunt vicina plantis, videntur posse generari & ex semine, & sine semine. Quia quantò aliquid perfectius est, tantò plura ad eius completionem requiruntur; & propter hoc ad*

plantas, & ad animalia imperfecta sufficit ad agendum sola virtus cœlestis: In animalibus verò perfectis requiritur cum virtute cœlesti, etiam virtus seminis; vnde dicitur in 2. Physic. tex.26. quod homo generat hominem, & sol. Ita S. Thomas.

Respondent Chymici gratis affirmari, & sic gratis negari, quod ea, quæ sunt in suo genere perfecta, non nisi à sola natura produci possint: sic Respondet Pererius *lib.8. Physic. cap.21.* Delrius, & Alij.

Præterea addunt experientias.

16 Prima experientia est, quia Iulius Scaliger *libro contra Cardanum exercitat.23.* sic scribit: *In Ægypto ad Cayrum furnos construunt alij alio multiplici fornice imposito, in quorum tholi supremi medio foramen est, per quod caloris vis, quæ immodica potest officere, subinde exhalat; in imo ignem accendunt temperatum, ouorum multas centurias in fornicum superiore planitie disponunt: statis diebus erumpit pullorum turba, quos illi non numero, sed mensura venales habent, modiolum statuunt sine fundo, quem vt impleruut tollunt,* hæc Scaliger. Ergo experientia constat pullos, atque adeò perfecta animalia, non sola natura, sed arte imitante naturam, produci posse: ergo etiam à fortiori aurum inanimatum, etiam arte producibile est.

17 Secunda experientia est, quam refert Conradus Lycosthenes *in suo chronico prodigiorum in initio*, & etiam Delrius *disquisit. magic. lib.1. cap.5. q.2. sect.3.* In Scotia quotidianum esse ex fragmentis nauium, & ex eiusdem ligni fructu in mare deciduo, anates gigni.

18 Tertia experientia est, ex authoritate Auicennæ, qui testatur vitulum inter nubes generatum, semiunum excidisse inter imbres.

Quarta experientia, nam in genere elementorum, perfectissimum elementum est ignis; & tamen ignis non solùm ab altero igne, sed infinitis propè modis generari potest.

19 Quinta experientia, nam perfectius est quodlibet animal animatum, auro inanimato: & tamen pleraque animalia generantur cum semine, & sine semine; intra matricem, & extra matricem; vt ranæ, mures, apes ex iuuenculo strangulato, scorpiones ex basilico, ex asinis vespę, ex equis scarabei, ex mulis locustę: ergo à fortiori poterit aurum, quod est minus perfectum animatis produci intra, & extra matricem, seù mineralem sinum terræ. Neque dicas cum Auerroe *in 8. Physic. com.46. &*
20 *in paraphrasi ad primum librum de generat. animal. c.1.* animalia, quæ ex putri; vt mures generantur, differre specie ab ijs, qui generantur cum semine, & sic etiam differre specie aurum extra matricem terræ productum, ab auro, quod producitur intra terræ sinum: Nam huiusmodi mures esse eiusdem speciei apertè insinuat Arist. *sect.10. probl.64.* & S.Th. *7. metaph. tex.23.* & conuincit ratio manifesta, quia quæcumque solent indicare vnitatem formæ specificæ concurrunt in his animalibus, quæ ex semine, & sine semine nascuntur; nam est in illis similis calor, magnitudo, motus, distinctio membrorum, est idem ingenium, ijdem mores, est eorum inter se congregatio, ac consociatio, easdem res expetunt, & persequuntur, similiter etiam generant, pro vt frequens testatur experientia, nam in nauibus recens extructis, vbi nulli erant mures, postea in media nauigatione plurimi reperiuntur, ex his deinceps magna eorum copia, propagatur: constat autem primos illos mures, non aliunde, quàm ex putri materiâ generari potuisse: sunt ergo eiusdem speciei mures extra matricem sine semine, & in matrice cum semine generati: neque obstat, quod pro Auerroe solet adduci, ideò esse diuersæ speciei, quia Arist. *lib.5. de hist. animal. c.1. & lib.1. de generat. animal. c.1.* scribit: *quæ non ex semine, sed ex putri materia oriuntur, ea generant quidem, sed genus diuersum, & quod prodijt, neque mas est, neque femina.* Hæc inquam experientia, & authoritas non conuincit muros generatos ex putri esse diuersę speciei; sed tantùm, quod sint longè debilioris naturæ, quàm cæteri mures generari ex semine, atque adeò non possunt generare mures habentes ęqualem cum cęteris virtutem generatiuam, sicuti si homo debilis generaret filios impotentes ad generationem.

21 Sexta experientia est, ex Andrea Libauio *tom.4. de Alchimia indefensione secunda Alchimiæ transmutatoria* ex Io: Matthesio, ait, *Quod in monte Cypsensi ex ferro fiat cuprum, certum est. Item quod artifices sciant minerale lixiuium fundere, in quo ferrum itidem abit in cuprum in monte Kutiecensi probatum est:* Ergo essentialis metallorum transmutatio possibilis est naturæ, & arti.

Hæc afferre chymici possent, vt vim huius primi argumenti infringant.

Septimam experientiam addo, nam in Lusitania equę vento concipiunt, rem miram, his verbis testatur Marcus Varro. *In fœtura*, inquit, *res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania ad oceanum in ea regione, vbi est oppidum Olysippo monte Tagro, quædam è vento concipiunt equæ, vt hic gallinæ quoque solent, quarum oua Hypanemia appellant: sed ex his equis, qui nati pulli, non plus triennium viuunt.* Eadem tradunt Columella, Plinius, Solinus, Homerus, Silius Italicus, & S. Augustinus idem in Cappadocia scribit contingere, quos omnes refert Vlyssis Aldourandus *de quadrupedibus solidipedibus lib.1. cap.1. fol.90.* Ergo perfectum animal, quale est equus, non vno modo, generari potest.

Sed contra est. Non gratis asseritur, non posse, quod in suo genere est perfectissimum, ab arte produci; id enim authoritate Aristotelis, eiusdem ratione, & omnium seculorum experientia in animalibus, & in plantis firmauimus. Restat respondere ad experientias, quas chymici pro se afferunt.

22 Ad primam experientiam de pullis Ægyptijs, vi ignei caloris ex ouis exclusis. Respondetur in ea productione nec semen, nec matricem desiderari, vt generetur pullus; pulli enim, veluti matrix est ouum, eiusdem semen intra ouum manet, aliud non suppletur, quàm naturalis gallinę incubantis calor; at in auro chymico desideratur semen auri, idest eius materia, de quo chimici digladiantur; desideratur matrix, sinus scilicet mineralis, desideratur attemperatio caloris; facilè enim attemperari potest calor igneus, vt equiualeat gallinæ calori; at nequit attemperari calor igneus, vt ęquet temperiem caloris cęlestis, qui mille annorum spatio (adeò attemperatus est) producit aurum; desideratur friges, frigore enim terræ aurum transmutatur; chymici verò solo igneo calore vtuntur; denique desiderantur aliæ qualitates occultæ, vt mox ostendam.

23 Ad secundam experientiam, nempè in Scotia nasci anates ex fragmentis nauium. Respondetur Anates illas, quę ex semine generantur, specie ab istis differre; & sic

fumus

ſumus extrà controuerſiam; nos enim quærimus, an idem animal eiuſdem ſpieciei, & in ſuo genere perfectum generari poſſit ex ſemine, & ſine ſemine natura, & arte.

Dices anates illę cuiuſcumque ſpeciei ſint, ſunt tamen perfecta animalia: ſed generantur ſine ſemine, & extra matricem: ergo poteſt aliquod perfectum animal ſine ſemine, & extra matricem generari: ergo etiam perfectum metallum extra terræ matricem generari poterit.

Contra primò, quicquid ſit an perfectum animal generari poſſit extra matricem: id quod ex Ægidio, & Ariſt. probare conamur eſt; non poſſe, niſi à natura generari perfectum animal, & perfectum metallum; à natura autem anates illæ generãtur virtute ſolis, cuius calor dicitur naturalis, quia eſt temperatiſſimus; quæ verò producuntur igneo calore, dicuntur arte generari; quia per artem calor igneus aliquo modo poteſt attemperari; patet igitur anates illas à natura generari, non per artem.

Contra ſecundò, quia eodem modo, quo ſupra Philoſophati ſumus de ſemine, & matrice pulli Ægyptij, poſſet etiam dici de huius anatis procreatione.

Contra tertiò, quia ſicut non rectè inferret quis, poſſunt anates ſine ſemine extra matricem produci: ergo etiam ita produci poterunt aquilæ, pauones, columbę, & omnia volatilia cœli: ſine fundamento enim id diceret; à fortiori non rectè infertur ad productionem anatis, muris, auricalchi, aut alterius rei, ad productionem auri.

24 Ad tertiam experientiam. Negatur in nubibus generatum vitulum, ſed vi tempeſtatis, & ventorum vi ex vno in alterum locum tranſportatum, & veluti ex nubibus excidiſſe.

Ad quartam experientiam. Reſpondetur authoritates, & experientias adductas non eſſe de ſimplicibus elementis, quorum mutua, & facillima eſt tranſmutatio, ſed de mixtis perfectis, quorum procreatio, vt ait, Ariſt. eſt longiſſima, & operoſiſſima; quare experientia de igne non conuincit; præterea cùm ignis ad plurimas rerum generationes ſit neceſſarius, debuit natura, non ad vnum ſolum modum eius productionem alligare; præſertim cùm ignis, qui eſt in ſua ſphęra ſub concauo Lunæ, nequeat ad nos deſcendere.

25 Ad quintã experientiam. Reſpondetur argumentum nimis probare; nam cùm mus ſit nobilior, vt potè animatus, arbore inanimata, ſequeretur quamlibet arborem, etiam ſine ſemine produci poſſe; contra omnium ſeculorum experientiam, & contra teſtimonium Theophraſti; ergo ſicuti non benè infertur, poteſt mus, qui eſt nobilior arbore, produci ſine ſemine: ergo etiam quælibet arbor poteſt produci ſine ſemine; ita neque poteſt benè inferri poteſt produci animal ſine ſemine, & extra matricem: ergo etiam aurum, quod eſt minus perfectum: & ratio à priori eſt, quam adducit Ariſt. *dicto probl.64. ſect. 10. Quia imperfectorum animalium generatio breui tempore abſolui poteſt*; vnde nihil prohibet, ea ex putri generari; nequeunt autem generari ſine ſemine ex putri perfecta animalia, *Quia eorum procreatio* (ait Ariſt.) *longiſſima, & operoſiſſima eſt*: ſed ſimiliter auri generatio longiſſima, & operoſiſſima eſt; nam intra terræ mineralem ſinum, ex ipſorum Chymicorum teſtimonio, requiruntur mille anni ad eius generationem.

Ad illud, quod aurum eſt imperfectius animato; reſpondetur eſſe ſimpliciter imperfectius; eſſe autem perfectius ſecundùm quid, ideſt quò ad modum generationis; quia non niſi à natura generari poteſt, vt rectè ait Ægidius; poteſt enim eſſe aliquid ſimpliciter alio perfectius, & imperfectius illo ſecundùm quid: ſic homo eſt ſimpliciter perfectior ceruo, & tamen ſecundùm quid eſt imperfectior illo; nempè ſecundùm motum progreſſiuum.

26 Ad ſextam experientiam, reſpondetur tranſmutationem ferri in cuprum, vel eſſe accidentalem tantùm, non ſubſtantialem, vel dicẽdum ex Ægidio Romano ea metalla poſſe inuicem tranſmutari, quæ in genere metallorum imperfecta ſunt; cuiuſmodi ſunt ferrum & cuprum; at nequaquam id accidere poteſt in auro, quod in ſuo genere perfectiſſimum eſt, cuius proinde generatio eſt à ſola natura, eaque longiſſima, & operoſiſſima eſt.

Ad ſeptimam experientiam dicendum, equas, ita in Luſitania Fauonio ſpirante concipere, falsò à compluribus proditum eſſe, vt cenſet Iuſtinus *lib.44.* qui fabulas vocat, quæ ex equarum Luſitaniæ natæ ſint fęcunditate, pedumque & curſus pernicitate: nam & Ariſtoteles *ſect.10. probl.64.* equum ijs animantibus annumerat, quæ niſi per coitum generant, eiuſdemque opinionis eſt doctiſſimus Aldourandus *de quadrupedibus ſolidipedibus lib.1. cap.1. fol.91.*

Præcedenti argumento Ægidij Romani ſimile eſt argumentum Io: de Pineda *de rebus Salomonis lib.4. c.21.* vbi ſic probat: ita à natura comparatum eſt, vt formæ,
27 quas natura producit, non ſint arti ſubiectę; rurſus quas ars efficit, non producantur à natura; huiuſmodi ſunt forma panis, vini, & quorumdam aliorum medicamentorum, quæ ex mixtione, actione, reactione, confuſione multarum rerum conſurgunt: cuiuſmodi fortè eſt etiam electrum, ita ex argento, auro, & alijs metallis colliquatis, vt per minores minimis partes coeuntibus, vt neceſſariæ auri, & argenti diſpoſitiones pereuntes, & abeuntes, alias formas, aliaſque diſpoſitiones aduocent, quaſi ex occaſione à natura minimè intentas; & ſic illæ animalium formæ, quæ quamuis naturales ſint, tamen propter imperfectionem ſine ſemine ex occaſione, & ex accidenti producuntur, non ſunt à natura per ſe, & primariò productę; ita ſanè quæ per ſe, & primario à natura producuntur, non poſſunt produci ex occaſione, ex accidente, ex arte. Eiuſmodi ſunt aurum, argentum, & cętera metalla, quæ mundi initio ſimul cum ipſa terra concreata fuiſſe, nulla expectata temporis tarditate, & producendi mora, communis ferè Patrum ſenſus, non tam diſputando, aut dubitando, quàm rem indubitatam ponendo docet, vt ex Baſilio, alijſq; interpretibus oſtendit Martinengus *in Geneſ. diſt.3.* D. Thomas *p.1. qu.69. art.2. ad ſecundum*, S. Bonau. *in 2. diſt.14.* Pererius *in Geneſ. c.1. verſ.13.* ſic .n. condecens erat, vt terra non ſolùm pulcherrima viriditate ornaretur exteriùs, ſed etiam pręcioſiſſimis auri, argenti, gemmarum theſauris interiùs diteſceret: ergo quicquid produxerit ars, tantùm erit quid argento, aut auro ſimile; numquam ignis concoquet metalla ad eam perfectionem, ad quam cauſæ naturales, ſiuè priuatę, ſiuè vniuerſales perducere poſſunt; calore quidem coquitur cibus, donec ſanguineſcit tandem; ſed ars numquam deducet cibum in ſanguinem. Hęc Io: Pineda.

SECTIO IV.

Secundum Argumentum suadens impossibilitatem auri Chymici est; nam argentum viuum, & sulphur non sunt proxima materia auri, vt perperam censent communiter Chymici.

SVMMARIVM.

Magna est inter Chymicos controuersia, quænam sit proxima materia auri? n.28.

Gaston Dulco asserit esse solum argentum viuum. n.29.

Communis opinio Chymicorum est: esse argentum viuum, & sulphur. n.30. hoc tamen falsum est. n.31.

Nunquam vlla vestigia argenti viui, aut sulphuris in aurifodinis inuenta. n.32.

Adhuc latet, quæ sit materia proxima auri mineralis, numer.33. Georgius Agricola docet, esse succum quemdam ex ipsis mineris ortum, qui secundùm diuersa specie metalla, etiam ipse specie diuersus est. n.34.

Ex eo quod ex odore, & gustu cùm liquefiunt metalla sentiantur qualitates sulphuris, & argenti viui, non rectè infertur esse eorum semen. n.35.

Argentum viuum, quod elicitur ex vnoquoque metallo, non benè asseritur esse auri semen. n.36. & 37.

28 MAgna est inter Chymicos controuersia, quænam sit proxima materia auri, & veluti auri semen. Martinus Delrius, Chymicorum Patronus, *disquisit. magicarum lib.1. cap.5. quæst.2. sect.2.* varias refert Chymicorum sententias dicens; quod alij existimant esse ferri scoriam; alij salem, alumen, magnesiam, cadmiam, arsenicum; alij obtrudunt bufones, ozorum putamina, menstruorum fluorem, vel humanum sanguinem.

29 Alij, vt Gaston Dulco in *Apologia Chrysopeia fol.51.* asserunt: solum argentum viuum (omni alia materia, sulphurea profligata) esse materiam proximam auri.

30 Communis tamen omnium Alchymistarum sententia est: materiam proximam auri artificialis, eiusque veluti semen, esse argentum viuum, & sulphur, ita Albertus Magnus *lib.3. de mineralib. cap.9.* vbi ait: *Quod si abundet argentum viuum, & minor sit mixtio sulphuris euadet argentum; si verò abundet mixtio sulphuris euadit aurum;* quare depurgato, & varie mixto argento viuo, & sulphure per Chymicum ignem, poterit produci aurum.

S. Thom. loquens ex sententia Chymicorum *in lib.3. meteororum lect.9. in fine* sic scribit: *Considerandum est circa principia materialia metallorum: quod sunt in duplici differentia, quædam enim sunt materia remota talium metallicorum, sicut est vapor inclusus in locis lapidosis terræ, sicut supra declaratum est; alia autem sunt materia propinqua eorum, & hæc sunt sulphur, & argentum viuum, sicut Alchimistæ dicunt, ita quod in prædictis locis lapidosis terræ per virtutem mineralem primò generatur sulphur, & argentum viuum, deinde ex ipsis generantur diuersa metalla, secundùm diuersam commixtionem eorum. Vnde etiam ipsi Alchimistæ per veram artem Alchimiæ, sed tamen difficilem, propter occultas operationes virtutis cœlestis, quæ mineralis dicitur, quæ ex eo quòd sunt occultæ difficulter à nobis imitari possunt per prædicta principia, vel per principiata ab ipsis, faciunt veram generationem metallorum, aliquando quidem ex sulphure, & argento, prædictis, sine generatione exhalationis: aliquando autem faciendo exudare prædictam exalationem vaporosam ab aliquibus corporibus per applicationem caliditatis proportionatæ, quæ est agens naturale.* Hæc S. Thom. qui non loquitur ex propria, sed ex Chymicorum sententia, & relatione: nam *in 2. sentent. dist.7.q.3. art.1. ad 5.* explicat propriam suam sententiam dicens: *Quod Alchymistæ faciunt aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum;* itaque sic arguo.

31 Falsum est hoc fundamentum Chymicorum, nempè argentum viuum, & sulphur esse semen auri, eiusque proximam materiam: ergo falsum est posse argenti viui, & sulphuris commixtione produci arte Chymica verum aurum.

Probo falsum esse, quòd argentum viuum, & sulphur sint materia proxima auri, eiusque semen. Primò, quia constat ex authoritate, & experientia scriptorum rerum metallicarum, qui totam vitam in curiosissimè lustran-
32 dis aurifodinis consumpserunt, nulla vestigia argenti viui, aut sulphuris in aurifodinis vnquam inuenta esse: è contrà nulla vestigia auri in venis argenti viui, & sulphuris deprehensa; quod omninò necesse esset si argentum viuum, & sulphur essent semen auri; rarò est enim inuenire plantam sine semine, seù in qua semen eius non cognoscatur: ergo falsissimè Chymici Angelico Doctori retulerunt, quod in locis lapidosis terræ, primò generatur sulphur, & argentum viuum, deinde generantur ex ipsis diuersa metalla.

33 Secundò adhuc latet, quænam sit materia proxima auri mineralis: ergo neque potest cognosci, quæ sit materia proxima auri artificialis; non enim possumus deuenire in cognitionem materiæ proximæ auri artificialis, & Chymici, nisi cognoscamus materiam proximam auri mineralis; ars enim non potest operari, nisi imitando naturam, vt ait *Arist.2. Physic. & 4.* [illegible] quod autem lateat adhuc materia proxima auri mineralis; idest qui in minera generatur, patet ex diuersitate opinionum. Arist. *lib.3. meteor. in fine,* ait: *Auri materiam esse vaporosam exhalationem.* Eiusdem Philosophi interpretes S. Thom. Olympiodorus, Suessanus, & Vicomercatus *in 3. meteor. in fine* dicunt, ex eiusdem Arist. mente: *esse vaporosam, seù humidam exhalationem, siccæ exhalationi admixtam longè tamen cum maiori pro-*
34 *portione;* quinimò terræ, & aquæ aliquid admisceri. Georgius Agricola *de re metallica,* author grauissimus, omnibus alijs opinionibus reiectis, docet: materiam proximam auri mineralis, & cuiuscumque metalli in minera, esse succum quemdam, ex ijsdem mineris ortum, qui iuxta diuersa specie metalla etiam ipse succus specie diuersus est. Præterea plerique Chymici, præsertim ipsemet Gaston Dulco *in Apolog. Chrysopeiæ f.35.* ingenuè fatentur, non posse demonstrari, & vllo modo sciri, quæ sit materia proxima auri mineralis: Cùm ergo materia proxima auri mineralis, vel sit incerta, vel non sit argentum viuum, sed succus finus mineralis, vel ipsa materia

pro-

proxima auri mineralis, sit specie diuersa à materijs aliorum metallorum, quomodo chimici statuunt pro fundamento suæ artis, quod omnium metallorum, præsertim auri materia proxima sit argentum viuum, & sulphur; cùm neque argentum viuum, neque sulphur vnquam reperiatur in aurifodinis?

Respondent primò Chymici, quòd argentum viuum, & sulphur sint proxima materia, & semen auri, indicium est manifestum; nam aurum ceteraque metalla, cùm liquefiunt, ex odore, & gustu deprehenduntur constare ex sulphure, & argento viuo.

35 Contra, quia hoc est leuissimum indicium idque manifestè patet. Primò, quia in plantis semen in odore, & sapore plerumque diuersissimum est ab ipsa planta, eiusque fructu; sæpè enim semen est amarum, & fructus dulcis: ergo ex odore, & sapore non rectè neque necessario infertur, seu cognoscitur auri semen. Secundò, quia ex odore & sapore auri posset inferri aliquas sulphureas, & argenti viui qualitates concurrere ad ipsius compositionem; non autem sequitur, quod totalis & adæquata materia sit sulphur, & argentum viuum. Tertiò potest esse, quod aliquid, quod verè non sit sulphur, neque argentum viuum, sed simile illi, similesque habens qualitates, sit materia proxima auri, & sic iuxta opinionem Georgij Agricolæ, potest succus ille mineralis (qui secundùm Agricolam est materia auri) habere, quò ad odorem, & saporem, qualitates similes argento viuo, & sulphuri; vnde falli possunt Chymici, ex hoc arguentes semen auri, esse argentum viuum & sulphur. Quartò si (iuxta opinionem Alberti Magni) abundante argento viuo, cum minori copia sulphuris, fieret argentum, & existente maiori copia sulphuris, & minori argenti viui, fieret aurum; sequeretur quod argentum esset ponderosius auro, contra experientiam; Ex quibus patet nullo certo indicio chymicos asserere ex odore, & sapore metallorum cognosci, quod argentum viuum, & sulphur sint singulorum materia. Quintò, quia ipsimet chymici fatentur, præsertim Gerardus Dorneus *in tract. de natura luce Physica in opusc. de Chymiea vbi fol. 246. vers. nonnulli*, sic ait: *Nonnulli ex Chelidonia, floribus roris marini mercurialis, lilio albo, atque ex fæcis eorum per balnei, simique magisterium extraxere mercurium, colore, pondere qualitate, quantitateque non obsimilem mercurio vulgi*: ita Dorneus. Quo posito sic arguo. Argentum viuum, quod extrahitur à chelidonia, rosmarino mercuriali, lilio albo, & similibus; ineptè dicitur esse eorum semen: ergo argentum viuum, quod extrahitur à metallis, ineptè dicitur esse eorum semen.

Sextò, quia Plinius *lib. 33. c. 4.* sic ait: *Omni auro inest argentum, vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte. In vno tantùm Galliæ metallo, quod vocant albicrarense trigesimasexta portio inuenitur, ideò cæteris præest. Vbicumque quinta portio argenti est, electrum vocatur*: ita Plinius. Vnde sic arguo: ex auro nedum, argentum viuum, sed etiam argentum elicitur: ergo magis argentum hoc, quam illud dicendum erit esse auri semen, vel si hoc non est, neque illud.

Septimò quia, vt refert Theatrum *vitæ humanæ verbo Chymia*: in Gallia quidam rationem ex cogitauit, qua ex metallo quolibet aurum secerneret; aquæ vi, quam inde Chrysulcam nuncuparunt, nam Artifex Crystophinites dictus. Vnde sic arguo elicitum aurum ex ære non est æris semen, neque rectè quis inferret, quod cùm ex ære aurum eliciatur, aurum ad æris formam tendat; ergo non benè Chymici arguunt, quod argentum viuum ex quolibet metallo elicitum, sit auri semen, aut quodlibet metallum ad auri formam sua natura tendere. Octauò, quia si ex eo, quod aurum (vt asserunt Chymici) continet aliquas qualitates sulphuris, & argẽti viui, ideò ex horum mixtione poterit, chymica arte, aurum generari; ergo ex eo, quod quodlibet mixtum habet qualitates quatuor elementorum, ideò ex elementorum mixtione poterunt Chymica arte, quæcumque mixta generari: Sed hoc omninò ridiculum, & absurdum est; ergo verè ridendi chymici, qui adeò insaniunt, vt totum id concedant, asserentes etiam homines, suis follibus, & phialis, se posse producere.

Respondit Secundò, quidam Chymicus, cum quo disputaui (qui verum se aurum fecisse profitebatur; sed lacera vestis aurum perdidisse certiùs testabatur) hic inquam dixit: semen auri non esse argentum viuum vulgare & commune, sed argentum viuum elicitum artificio quodam à metallis; etenim experientia compertum est,

36 à quolibet metallo posse elici, & separari argẽtum viuũ, quod etiam docuit Gaston Dulco *in Apologia Chrysopeiæ fol. 40.* ergo parùm refert in aurifodinis non inueniri argentum viuum vulgare, & commune, satis est, quod insit in ipsis metallis argentum viuum, quod est diuersæ speciei ab argento viuo vulgari: hoc argentum viuum elicitum ab vnoquoq; metallo est semen auri, seu materia proxima auri, simul cum sulphure.

Contra primò est, quò ad sulphur, nam nec elicitur ex metallis, neq; in fodinis inuenitur; ergo gratis asseritur, illud esse materiã, & semen auri simul cum argento viuo.

Gaston Dulco *in Apologia Chrysopeiæ fol. 51.* contra communem opinionem chymicorum, ait, solùm argentum viuum (omni materia sulphurea profligata) esse materiam proximam auri artificialis.

37 Contra secundò ex eo, quòd ex vnoquoq; metallo eliciatur argentum viuum, non rectè infertur argentum viuum esse semen auri; id enim gratis asseritur; nec vlla ratione, aut experientia conuincitur; nam neq; in aurifodinis inuentum est argentum viuum, ac deprehensum illud transire in aurum; neq; id quod ex corruptione alicuius mixti generatur est semen eius, quod corruptum est, vt patet inductione.

Contra tertiò esto, quòd argentum viuum sit semen metalli, gratis asseritur ab Alchymistis argentum viuum elicitum à quocumque metallo, vt ære, ferro, plumbo, esse semen auri, dicam ego argentum viuum elicitum ex ferro esse tantùm semen ferri non auri, aut plumbi, & esse diuersæ rationis ab eo, quod ex plumbo aut auro elicitur; quare argentum viuum elicitum ex plumbo non erit semen auri, sed plumbi: quod patet nam ea, quæ specie differunt, habent quoque diuersa specie semina; nec vnius semen, erit semen alterius; quamuis ea semina similia sint, neque appareat eorum diuersitas, vt patet in seminibus animalium, ac plantarum: ergo cùm ferrum, æs, plumbum, aurum specie differant, specie quoque differunt eorum semina: ergo argentum viuum à plumbo elicitum erit semen plumbi, non auri, idque expresse docet doctissimus Georgius Agricola *de re metallica*, vbi ait: diuersa specie metalla habere diuersa specie semina. Quis autem negabit plumbum, & aurum specie differre? Præterea satis apparet materiam auri, & proinde auri semen differre, à materia aliorum metallo-

metallorum; nam vt Arist. 3. *meteor. in fine*, scribit: *Omnia metalla igniuntur, aurum autem solum non ignitur*, idest vt omnes exponunt, omnia metalla igne adurun- tur, solum aurum non ignitur, ita vt fiat minoris ponderis, neque rubigine absumitur; hæc autem excellens auri proprietas, quæ nulli metallorum conuenit, est à materia auri, vt ex Georgio Agricola, & Alberto Magno ostendit Vicomercatus 3. *meteor. tex.* 43. ideò enim non comburitur aurum; quia terram purissimam habet, & optimè cum aqua commixtum: ergo materia auri non est eadem cum cęteris metallis, saltem differt in perfectione: ergo nec semen plumbi, erit semen auri.

Contra quartò esto, quod argentum viuum elicitum ex plumbo sit semen auri, deficit virtus mineralis ad hoc, vt ex eo semine generetur aurum; sicuti ex semine frumenti nulla arte extra terræ sinum poterit triticum generari, quia deficit virtus terræ.

SECTIO V.

Tertium argumentum contra Chymicos est; quia nequit calor Ignis in productione auri supplere calorem Solis.

SVMMARIVM.

Calor Celestis est temperatissimus. numer. 38. *Mille annis moratur, vt asserunt chimici, vt aurum transmutet. n.* 39.
Delrius ridet chimicos, quis enim illis id reuelauit? n. 40.
Defenduntur Chimici, quomodo etiam Astronomi dicentes octauam sphæram triginta sex mille annis suum cursum conficere. num. 41.
Calor Solis, & igneus, qua calores, nō differunt specie. n. 42.
Cur nequeat ignis calor decoquere cibum, & conuertere in sanguinem? num. 43. *&* 44.
Quare calor solaris non possit suppleri à calore ignis? n. 45.

Probatur tertiò nostra conclusio. Aurum producitur calore Solis; ergo nequit chimica ars igneo calore verum aurum efformare, & cęlestem calorem supplere.
38 Probo consequentiam: Calor Cęlestis est temperatissimus, vnde viuificus à Philosophis appellatur, & mille
39 annis moratur, vt aurum transformet, & producat, pro vt ex ipsorum Chimicorum testimonio, refert Delrius *disquis. magic. lib.* 1. *cap.* 5. *q.* 2. *sect.* 2. Calor verò igneus, non potest adeò attemperari, quin habeat aliquam intensionem, vnde vocatur à Philosophis destructiuus, & corruptiuus: ergo nequit attemperatio caloris cœlestis equari à calore igneo: ergo calor cœlestis, nequit ab igneo suppleri. Deinde dato, quod equaret, indigeret mille annis, & sic esset inutilis ea attemperatio.
40 Respondet primò Delrius *sect.* 2. ridens chimicos, quis enim illis hoc definitum tempus mille annorum reuelauit? quis mille annis vixit, vt id experiretur?

Contra, immeritò chimici reprehenduntur à Delrio, possent enim respondere ipsos eadem facilitate id deprehendisse, qua Astronomi dicentes octauam sphęram triginta sex mille annis suum circulum perficere ab Occidente in Orientem proptio motu; id autem verè docuerunt Astronomi, quia cum graues scriptores aliqui, qui vixerunt ante centum annos scripserint, ipsorum tempore talem stellam octauę sphęrę, tot gradibus distare ab Oriente, deinde cum nostri temporis Astronomi deprehendant centum annis, per vnicum gradum, proprio motu, accessisse ad Oriētem, inde optimè colligunt indigere 36000. annis, vt 360. gradus totius cęlestis sphęræ proprio motu conficiat. Ita pariter potuerunt Chimici nunc deprehendere aurifodinam in tali loco in quo scriptores, qui mille annis præcesserunt, numquam tradiderunt ibi esse aurifodinam, sed ferri, argenti, vel plumbi: ergo benè potuerunt colligere, argentum, & plumbum mille annis in aurum transmutari.

Contra secundò, quia Delrius concedit longum tempus requiri saltem viginti, vel triginta annorum, vt possit cœlesti calore fieri talis transmutatio: sed impossibile est igneum calorem equare talem attemperationem cęlestis caloris: ergo recurrit difficultas.

41 Resp. secundò Delrius in Chrysollo non inueniri aliquid liquidi humidi, sicut inuenitur in terræ venis, quod concoctionem moretur per tot annos; quare minori tempore, & sic ad summum tribus annis (ait Triuisanus, & Delrius) poterit in Chrysollo fieri talis concoctio auri.

Contra, quia tanta mora temporis in ea concoctione non est propter solam resistentiam humidi liquidi, (vt inquit Delrius) sed est propter purificationem auri, quod vt potè perfectissimum tantam moram requirit. Probo quia cętera metalla v. g. ferrum, ęs, plumbum, non continent magis humidum, aut liquidum, quàm contineat aurum; ergo postquam euasit ferrum, aut ęs non deberet multum morari, vt transmutaretur in aurum.

42 Resp. tertiò Pererius *lib.* 8. *Phys. c.* 21. vbi ait, quod calor cęlestis, & igneus non differunt specie; quod patet, nam ab eodem contrario hoc est à frigore similiter corrumpuntur; vterque calor vicissim intenditur, & augetur; ad productionem ignis, & mixtorum vterq; calor similiter disponit; igitur qua calores sunt, non differunt specie; ergo in hoc solùm differunt, quod calor cœlestis ob ordinatum cęli motum, est valde temperatus, vnde appellatur salutaris, & viuificus: calor autem igneus non est ex se temperatus; vnde vocatur a Philosophis destructiuus, & corruptiuus rerum: verum hic igneus calor aliunde corrigi, & temperari potest, & tunc efficietur, vt calor igneus talis propemodum euadat qualis est cœlestis, quod experientia manifestè ostendit, nam quædam animalia similiter generari possunt calore igneo, ac vitali, vt de pullis Ægyptijs refert Iulius Scaliger *exercit.* 23. *contra Cardanum*.

Contra primò argumentum, hoc nimis probat, nam ex eo sequeretur, quod sicut calore vitali incubantis gallinæ, ac igneo procreantur pulli; ita quoque sequeretur, quod sicut calore vitali decoquitur cibus, ac vertitur in sanguinem, & deinde in Chylum; idem præstare posset ignis calore: sed hoc falsum est: nulla enim ars poterit cibum in sanguinem, aut Chylum conuertere: ergo nulla ars poterit igneo calore decoquere materiam metalli, & conuertere in aurum.

43 Contra secundò ideò, nulla ars potest decoquere cibum, & conuertere in sanguinem, & Chylum; quia, vt ex Arist. 2. *de generat. animal. c.* 4. alijsque rationibus ostendit Suarez *tr. de anima lib.* 2. *c.* 9. *n.* 11. *&* 12. non solus calor viuentis, sed etiam qualitates aliæ complentes temperamētum concurrunt dispositiuè ad nutritionem: Sed non solus calor cœlesti, decoquet aurum, sed etiam virtus mineralis, frigidum, siccum, aliæq; qualitates tum terræ, tum cœli occultę concurrunt: ergo nequit igneus calor decoquere aurum: sicut nequit decoquere cibum; quia quamuis supplere possit calorem solis; nequit tamen supplere alias qualitates, & alia agentia, quæ ad

eam

eam concoctionem concurrunt, vt infra ostendam.

Contra tertiò nam esto, quod sol calore tantùm produceret aurum; esto quod igneus calor posset attempe-
44 rari; adhuc tamen nequit igneo calore suppleri eius cõcursus; quod sic ostendo; nam quamuis secundùm aliquos solus vitalis calor efficiat nutritionem, prout docuerunt Albertus 2. *de Anima tr.* 2. *c.* 8. Auerroes 4. *meteor.* 2. *de partibus animal. cap. de cerebro*, Zimarra *theorem.* 72. Vallesius *lib.* 5. *controu. c.* 11. ex Galeno *l.* 3. *de causis symptomatum c.* 3. & Auicenna *fen.* 1. *primi doctrina* 6. *cap.* 3. Vnde vniuersam coctionem calore fieri, scribit Arist. 3. *meteor. c.* 9. *& lib.* 4. *c.* 2. *lib.* 4. *de partibus animal. c.* 3. *& lib.* 4. *de generat. animal. c.* 2. sic quoque coctionem, nutritionem, omnemque succi generationem esse ab innato calore, ait Galenus *l.* 1. *aphorism. c.* 15. *& lib.* 5. *c.* 22. *& lib.* 2. *ad Glauconem*; Ex hoc tamen non sequitur, quod igneo calore possit suppleri calor vitalis fierique cibi concoctionem. Ratio est quia, calor innatus est causa æquiuoca; & vt calefacit sic sequitur formam elementi; vt verò decoquet, & conuertit cibum in sanguinem, & in carnem, ita operatur tamquam animæ instrumentum: vnde animalis calor cùm sit vnus, continet in se virtutes plurium causarum, in ordine ad producendos diuersos effectus; quare nequit ignis conuertere cibum in sanguinem, aut in carnem; quia quamuis possit calefaciendo supplere virtutem calefactiuam caloris vitalis, nequit tamen esse instrumentum animæ: ita Vega *lib.* 2. *de arte medendi cap.* 3. & Vallesius *lib.* 1. *controu. medic. Merc.* 2. *de Anima c.* 32.
45 Ita igitur à pari, calor solaris est causa æquiuoca, & cùm vnus sit continet in se virtutes plurium causarum; quare calefacit sicut ignis; & vt solis instrumentum generat metalla, & alia sublunaria; quamuis ergo calor igneus possit attemperari, & supplere calefaciendo calorem solis; non tamen poterit supplere, generando aurum; quia non est instrumentum solis, neque instrumentum cœli.

SECTIO VI.

Quartum argumentum contra Chymicos est; nam principium efficiens auri, non est tantùm calor solis, quem igne attemperato supplere conantur Chymici, sed etiam principium efficiens ipsius est ipsius terræ frigidum, ac lapidum siccum: hæc autem igne non supplentur.

SVMMARIVM.

Frigidum est principium efficiens auri. n. 46.
Duplex differentia in modo generationis roris, & pruinæ, ac metallorum. n. 47.
Metalla in locis frigidissimis generantur, & rarò alibi, quàm in abditissimis terræ visceribus. n. 48.
Siccum est principium agens metallorum. n. 49.
Fluuij auri feraces. num. 50. *& putei num.* 51. *an in fluminibus generetur aurum. num.* 52.
Ex sententia Arist. non possunt per artem fusoriam generari metalla. n. 53.
Postquam metallum coaluit, nequit solo igne in aliud transformari. n. 54.
Respõdetur exemplis, quæ in oppositum affert Delrius n. 55.

46 Frigidum terræ esse principium efficiens, & coagulans materiam auri, nempè vaporosam exhalationem, docet Arist. *l.* 3. *meteor. in fine*, vbi vtitur exemplo generationis roris, & pruinæ, & ibidem id docent omnes eius interpretes, præsertim S. Thom. Suessanus, *commentar.* 118. *&* 119. Olympiodorus, & Franciscus Vicomercatus, idem tradit metallicarum rerum peritissimus Georgius Agricola *de re metallica*, & insignis Chymicus Gaston Dulco in *Apologia Chrysopeiæ fol.* 30.

47 Duplex est autem differentia in modo generationis metallorum, ac roris, & pruinæ, vt patet ex eod. Arist. *ibidem* & Suessano *comm.* 118. *&* 119. Altera ex parte loci generationis, quoniam ros, & pruina fiunt supra terram; metalla autem sub terra, & præcipuè intra lapides. Altera ex parte materiæ, quoniam ros, & pruina fiunt ex vapore coagulato, segregata omnino sicca, & calida exhalatione: Metalla verò fiunt ex vapore, non exhalata sicca exhalatione; sed ex vtrisque licet prædominanter ex sicca.

48 Confirmatur, nam rectè ait, Olympiodorus *loco cit. Metalla enim ex frigore concreta esse, inde apparet, quia huius generis metalla in regionibus maxime frigidis coagmentantur, & rarò alibi, quàm in abditissimis terræ visceribus, quod scripsit Plinius lib.* 33. *cap.* 4. *dicens: Inuenitur aliquando in summa tellure protinus, rara felicitate: vt Nuper in Dalmatia principatu Neronis, singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens, cum iam inuentum in summo cespite*, ita Plinius.

Præterea id constat, nam metalla calore liquefiunt, & ad destructionem tendunt: ergo signum est ea frigore generari.

Deniq; si magis ad metallorum generationem concurreret calor, quàm frigiditas, auri fodinæ inuenirentur propè superficiem terræ, vbi propter radios solares est maior calor, & minor frigiditas: Sed experientia patet auri fodinas esse in profundo terræ, vbi viget frigus, & minimus est calor, vt patet ex Plinio *lib.* 33. *cap.* 4. ergo ad aurum (contra chymicorum iudiciũ) magis concurrit frigiditas terræ, quàm calor.

49 Siccum quoque esse principium agens coagulans metalla, tradit Arist. *dicto lib.* 3. *meteor. tex.* 42. vbi omnes interpretes, præsertim Suessanus *comm.* 118. *Ideò enim*, ait Philosophus, *metalla generantur maximè in lapidibus propter siccitatem lapidum.* Vide Plinium *lib.* 33. *c.* 4. ergo principium agens, seu coagulans vaporosam exhalationem, quæ est materia metalli, est frigidũ, & siccum.

50 Dices plures fluuij sunt auri feraces, vt Tagus, & Iberus Hispaniæ, Padus Italiæ, Hæbrus Thraciæ, Pactolus Asiæ, Ganges Indiæ, Plinius *lib.* 33. *c.* 4. Hermus, vt per Martialem *lib.* 8. *Sordibus auro Hermus*; De Tago Plinius *lib.* 4. *c.* 22. *Tagus* (inquit) *auriferis arenis celebratur*. De Fluuio Idaspe Statius *lib.* 8. *Thebaid. Hytanis flumen est*
51 *Carmaniæ auro fertile* Plin. *lib.* 6. *c.* 23. ac teste eodem Plinio *lib.* 33. *c.* 4. *aurum in puteorum scrobibus aliquando effoditur*: Ergo siccum non potest esse principium coagulans metalla, quæ enim siccitas est in fluminibus, aut in puteis?

52 Resp. ex Comitolo *lib.* 3. *responso* 33. *nu.* 4. quod metalla nequaquam in fluminibus, aut puteis generentur, sed subter terram labentes aquæ, & metallorum fodinas peruadentes, metallaque detergentes, trahenteſque areas, & argenteas arenulas, veriq; auri, & argenti particulas non paucas, cùm se emergunt, & in alueos irruunt, illic

illic eas relinquunt, idque indicat Plinius *lib.33. cap.4.* dum ait: *Erutum aurum ex fluminum ramentis, ſubdens, nec vllum abſolutius aurum eſt, curſu ipſo, trituque perpolitum.*

Denique principium agens,& coagulans metalla non eſt ſolum frigus,& ſiccum, ſed etiam virtus cœleſtis, ſiue cœlum calore, ſiue altera occulta qualitate concurrat, quæ dicitur virtus mineralis; nam non operatur niſi in terræ viſceribus, vt rectè explicauit Sueſſanus *loco cit. comment.118. & 121.*

53 Ex his (iuxta Sueſſanum *in 3. meteor.comm.121.*) infert ibidem Ariſt. non poſſe per aliquam artem coagulari, ſeù generari metalla, quod his verbis tradit Philoſophus, dicens: *Neque ex facta aqua propter quamdam paſſionem, ſicut ſapores. Non enim ſic fit, hoc quidem ęs, hoc autem aurum. Sed antequam fiant coagulata exhalatione, ſingula horum ſunt:* ita Ariſt. quæ verba ſic commentatur Sueſſanus dicens: *Reprobat igitur hanc fuſoriam artem Ariſt. & inquit (neque) metalla fieri poſſunt (ex facta aqua) hoc eſt ex quibuſdam materialibus conuerſis in aquam, conuerſis in aquam dico (propter quamdam paſſionem) vt propter cocturam, vel diſtillationem, vel alium modum (ſicut) fiunt (Sapores,) qui reducuntur in aquam per copturam, vel alium modum, & poſtea coagulantur; Cuius cauſam affert, & inquit (non enim ſic fit) hoc eſt, non enim hac arte, vel alia tali fit (hoc quidem ęs, hoc autem aurum, ſed antequam fiant coagulata exhalatione) calida, & ſicca, & non extruſa, (ſingula horum ſunt) ſunt & fiunt dico, in locis naturalibus, & à frigido naturali, cœleſti virtute regulato. Per quæ patet fuſoriam artem, quam vulgares alchimiam dicunt, eſſe inutilem, & impoſſibilem, & damnoſam. Non enim poteſt metallum fieri niſi ex vapore nondum in aquam verſo, & à frigido naturali, quod ſub terram eſt, & potiſſimum intra lapides, & quod eſt regulatum à virtute cęleſti minerali, quæ non eſt, niſi in locis ſub terra conuenientibus generationi metallorum. Hæc enim ars nulla poteſt congregare, non enim arte aliqua poteſt vapor aliquis fieri conueniens generationi metalli; cum illud fieri non poſſit, niſi commenſuretur virtute calidi cęleſtis, quod habet in loco determinato, & ſub terra.* Hæc omnia Sueſſanus, quare ſic breuiter arguo.

Principium actiuum auri ſunt frigidum naturale, quod ſub terram eſt, præſertim intra lapides, ſiccum quoque & virtus cęleſtis mineralis: Sed iſta omninò diuerſa ſunt à calore igneo, quo vtuntur chymici; ergo chymici fruſtrà laborant.

Confirmatur, nam igneus calor, non coagulat, neque perficit, & ad perfectionem deducit metalla, pro vt frigidum, & ſiccum, ac virtus cœleſtis, ſeù mineralis: ſed igneus calor deſtruit, & diſſipat: ergo chymici non vtuntur principio generante, quo vtitur natura; ſed principio deſtruente, & corrumpente: ergo numquam verum aurum generari poterit.

Dices ex Martino Delrio *diſquiſitionum magicarum lib.1. cap.5. quæſt.2. ſect.2. col.2.* quamuis auri ſubſtantia, ex terræ puluere, & aquæ liquore in venis terræ ſolo calore non poſſit perfici; ſed frigiditas, & ſiccitas quoque requirantur poſtquam tamen iam ſemel metallum coaluit, iam ignis ſolus poterit ſupplere, quæ ad perficiendum, & commutandum illud in alterius metalli qualitates eſt neceſſarium. Id autem pluribus experientijs oſtendit. Primò orichalcum ſine frigore ex ære, vitri puluere, & calaminaris lapidis tintura fit, ſolaque decoctione, & percolatione per ignem indiget, ita Plinius *lib.33. cap.4.* Secundò ſolo igne lapides in ęs funduntur, & ferrum gignitur Plinius *lib.26. cap.27.* Tertiò ſola decoctione ex ferro producitur Calybs, quod aciarium, & veteres Latini ferri Nucleum vocant, Ariſt. *libro 4. meteor.* Albertus Magnus *libro 2. de lapidibus tract.3.*

Reſpondeo gratis, & ſine ſolido fundamento, Delrium affirmare, quod ad hoc vt metallum, quod iam coaluit, in aurum tranſmutetur, ſolo calore indigeat, quod ſic demonſtro.

Primò, quia gratis aſſeritur, metalla intra ſinum mineralem ex plumbo, aut ferro tranſire in aurum; nam nullum talis tranſmutationis veſtigium extat in mineris
54 plumbi, ferri, æris, &c. quod patet, quia ea loca, quæ ex Plinio alijſque Scriptoribus, qui ante mille, & quingentos annos floruerunt, ea, inquam, loca quæ ſemper abundarunt venis argenti viui, ſulphuris, ferri, plumbi, æris, &c. numquam tamen habuerunt aurum; ergo ſi ſolus calor cœleſtis requireretur ad tranſmutandum metallum in aurum, vtique per mille, & quingentos annos tranſmutaſſet: ergo ſi non tranſmutauit, gratis aſſeritur ſolo calore cęleſti, aut igneo indigere metallum vt tranſmutetur in aurum: ergo nō ſolus calor, ſed aliquid aliud requiritur ad eam tranſmutationem; quid autem aliud requiratur? latet omnes; quod ergo Chymici ignorant, quomodo arte ſupplere poterunt? ars enim imitatur naturam.

Secundò, quia eiuſdem agentis eſt inducere formam vltimatam, cuius eſt inducere proximas, aut quaſi proximas diſpoſitiones ad eam formam, vt patet inductione: ergo ſicuti proximę diſpoſitiones ad aurum (nempè humidam exhalationem coagulari, & in metallum coaleſcere) nequeunt niſi in ſinu minerali produci, ita forma auri nequit, niſi in ſinu minerali produci.

Tertiò, quia nulla arte poteſt ſanguis extra ventriculum in chylum, & deinde in carnem conuerti, neque ſufficit cibum conuerſum eſſe in ſanguinem; ergo nulla arte extra ſinum mineralem poterit metallum conuerti in aurum, nec ſufficit coaluiſſe metallum. Probatur conſequentia, ideò nequit arte ſanguis conuerti in chylum, aut in carnem, quia ea conuerſio non fit ſolo calore, ſed ad eam concurrunt omnes qualitates complentes temperamentum viuentis, vt ait, Suarez *de anima lib.2. c.9. num.12.* ita ad productionem cuiuſcumque metalli non concurrit ſolus calor cęleſtis, ſed etiam omnia ſydera, & ipſa terra occultis alijs qualitatibus; & præterea concurrunt frigidum & ſiccum, quæ igneo calore ſuppleri nequeunt.

55 Ad tertias experientias, quas Delrius affert. Reſpondetur ad primum orichalcum non eſſe metallum foſſile, & minerale, vt idem Delrius innuit, quare accidentaliter tantùm mutatur ęs, quando tranſmutatur in orichalcum.

Ad ſecundam experientiam Reſpondetur, quòd in ijs lapidibus ex quibus elicitur igne ęs, & ferrum, latent æris, & ferri guttæ, quæ igne ſeparantur; non enim per ignem lapis corrumpitur, & generatur ęs, aut ferrum; plurima ſunt huius rei exempla, nam ex omni metallo aurum elicitur, cuiuſdam aquæ vi, quæ ab eius inuentore Chryſulca nuncupatur, vt refert Theatrum *vitæ humanæ verbo Chymia*; & ex auro elici argentum, ſcribit Plinius *lib.33. cap.4.*

Ad

Ad tertiam experientiam dico, quòd Calybs non est metallum specie diuersum à ferro, sed est purior pars ferri, vnde merito veteres Latini ferri nucleum dixerunt.

SECTIO VII.

Quintum Argumentum contra Chymicos est; quia cœlum, ac sydera non sola luce, aut calore, sed alijs occultis qualitatibus concurrunt ad aurum, quas nequit Chymicus supplere.

SVMMARIVM.

Metalla intra terræ viscera, neque lux, neque cœlestis calor attingit, vnde nec producit. num.56.
Quod magnes trahatur à polo arctico, nec luci, nec calori, sed occultæ qualitati tribuendum. n.57.
Etiam opposita sententia Pici, docens solo calore sydera agere in inferiora est contra Chymicos. n.58.

COmmunis sententia est Cœlum præter lucem, & calorem, per alias occultas vires (quas influentias vocant, seù qualitates occultas, cùm proprio nomine careant) agere in hæc inferiora: ita tenuit Plato, vt testatur S. Damascenus *lib. de consolat.* & est expressa sententia S. Thomæ *lib.2. de Cælo lect.10. in fine, & quodlibeto 6. art.19. in fine*, S. Bonauent. *in 2. dist.14. q. penult.* Alberti Magni *in 2. dist.15. qu.1. & 2.* Riccardi *in 2. dist. 14. circa 3. princ. quæst.5. ad 5.* Ferrar. *3. contra Gentes cap.84.* Io: Maioris *in 2. dist.14. q.5.* Conymbr. *lib.2. de Cælo cap.3. q.3. art.2.* Mendozzæ *de cælo disp.2. sect.6. §.65.* Auersæ *de cælo quæst.37. sect.7.* & doctissimi Patris nostri Ioannis Morandi *lib.2. de cælo n.413.*

Contra Picum Mirandulanum *lib.3. contra Astrologos cap.4. 5. & 6.* qui docet per solum calorem cœlestem omnia sublunaria produci; & contra Auerroem, Georgium Agricolam *lib.4. & 5. de causis subterran.* & Piccolomineum *de Cælo cap.39.* qui docent, per solam lucem, agere sydera in hæc inferiora.

56 Probatur autem communis sententia ex Conymbricensib. Nam metalla in terræ gremio, neque cœlestis lux, neque calor attingit; lucem enim illuc permeare prohibet terræ crassities; calorem verò in extima terræ parte terminari patet, neque tam latè intra terræ viscera fundi potest, cùm non sit summè intensus, obsistente sibi præsertim, ac viam concludente terræ frigore: ergo ad alias occultas cœli influentias recurrendum est.

57 Præterea neque calori, neque luci tribui possunt miri quidam effectus; quis enim ad syderis calorem, aut lucem referat, quod magnes trahatur à polo arctico; & acus, quæ semel tetigit magnetem perpetua vertigine circumagatur, donec fixa se polo sistat? præsertim cùm etiam in densa caligine, aut quolibet tenebricoso loco, ac frigidissimo tempore, acus versus illam cœli partem obuertatur; igitur ad occultam vim & influentiam recurrendum, non autem id calori, aut luci tribuendum est.

Quis dicet solum calorem, aut lucem operari, vt Luna sit causa fluxus, & refluxus maris; nam quando à puncto orientis accedit ad circulum meridianum crescit mare, quando à meridiano accedit ad occidentem, mare decrescit, quis dicet hos effectus solo calore, aut luce operari Lunam, & non esse alias occultas influentias?

Quare ex dictis sic arguo contra Chymicos, suis follibus has cœlestes influentias, & qualitates occultas, quibus sol, & sydera aurum producunt, supplere nequeunt; quomodo enim supplere possunt qualitatem, cuius essentiam, & proprietatem omninò ignorant? ergo nequeunt Chymici verum aurum producere.

Dices ex Pico calorem Cœlestem, tamquam solis, & syderum instrumentum, continere in se eminenter nedùm primas quatuor qualitates, sed & cæteras virtutes, quibus cœlum in hæc inferiora agit: ergo solo calore sol concurrit.

58 Respondetur primò, quicquid sit de Pici sententia, ea adhuc Chymicis aduersatur; vult enim Picus calorem Cœlestem eminenter in se continere quatuor qualitates, aliasque virtutes; & sic vult Picus calorem Cœlestem omnes primas quatuor qualitates posse gignere, cæterasque virtutes; ergo esto esset vera Pici sententia, adhuc ignorat Chymicus, quam qualitatem producat intra terræ viscera calor Cœlestis; si ergo eam qualitatem ignorat vtique supplere non poterit. Quod Picus asserit de calore, alij id docent de luce, & contendunt solam lucem prædictas qualitates parere, non interuentu caloris à se geniti, vt aiebat Picus, sed immediatè prout ipsamet lux, huius, aut illius syderis instrumentum est. Sed etiam recurrit argumentum contra Chymicos, nam qualitas ista, quam lux gignit, & quæ generat aurum, occulta est: ergo nequit suppleri à Chymico.

Respondetur secundò rectiùs dicendum cum communi sententia, non posse calorem cœlestem, neque lucem, producere contrarias qualitates frigiditatis, humiditatis, ac siccitatis: tum quia id gratis asseritur; tum quia calor cœlestis est eiusdem speciei cum elementari, nam inuicem se intendunt; ergo sicuti calor elementaris nequit producere frigiditatem, ita neque cœlestis calor, Tum quia sydera agunt intra terræ viscera, quò nec calor, nec lux permeat; ergo istæ qualitates non producuntur à calore, aut luce, sed immediatè ab ipso sydere.

SECTIO VIII.

Sextum Argumentum contra Chymicos est, quia terra alijs occultis qualitatibus concurrit ad aurum.

SVMMARIVM.

Non sola frigiditate, siccitate, aut humiditate, sed etiam alijs occultis qualitatibus terra concurrit ad auri generationem. n.59. & 62.
Loca, quæ habent eandem poli eleuationem, eosdem habent influxus. n.60.
Falsa est opinio antiquorum existimantium nigredinem Æthiopum à solis ardore prouenire. n.61.

PRobatur sextò, quia ad aurum efformandum non solùm concurrit cœlum calore, alijsque occultis influentijs, vt dixi supra; sed præterea concurrit sinus mineralis terræ, non sola frigiditate, siccitate, aut humiditate,

tate, sed etiam alijs occultis qualitatibus: sed nequit Chymicus has sinus mineralis qualitates occultas supplere, cùm eas omninò ignoret; ergo nequit arte supplere, quod requiritur ad veri auri efformationem, & sic nequit verum aurum efformare.

Maior duas habet partes, vna quod ad aurum non sola cœlestis virtus, sed etiam terræ concurrat. Altera quod terra non solo frigore, siccitate, & humiditate concurrat, sed alijs occultis qualitatibus.

Prima pars maioris probatur, quia si soli cęlestes influxus sufficient ad producendum aurum intra mineralem sinum, sequeretur, quod in alijs locis, vbi essent ijdem influxus cęlestes, & idem astrorum aspectus, in ijs omnibus locis inueniretur aurum intra terrę sinus: Sed hoc falsum esse demonstrat experientia, vt mox osten-
60 dam; ergo &c. Nam loca, quæ habent eandem Poli eleuationem in eadem latitudine Boreali, vel Meridionali, ea loca quamuis sint in diuerso gradu longitudinis, & sic differant in longitudine; tamen habent eosdem aspectus cęlestes, & eosdem influxus; quia omnia ea loca, quæ tantùm distant secundùm longitudinem, & eandem habent latitudinem Borealem v. g. illa eodem modo distant à Sole, & à quocumque sydere; ergo si pariter distant pares debent participare cęlestes influxus. Probo hoc, & explico exemplo tradito ab Abrahamo Hortelio *initio sua Cosmographia in descriptione Aphricæ*, idemque docet Martinus Rulandus *in problematibus medicophysicis lib. 2. probl. 69.* Vbi demonstrant falsam esse antiquorum opinionem existimantium Æthiopum nigredinem à Solis propinquitate prouenire. Hortelij verba referre non piguit, sic autem ait: *Ad Promontorium bonę spei, incolæ sunt nigerrimi, quod minimè tacendum duximus, quia causam nigredinis, calorem propinquitatemque solis omnes esse existiment, atque hic non magis sol torreat, quàm ad fretum Magellanicum (si Cœli respectu loci calorem metiri velimus) vbi tamen candidissimi esse perhibentur; quod si hanc nigredinem solis adustioni tribuere velimus, videndum vnde Hispanis, Italisque ille corporum candor, cùm æquè distent ab æquinoctiali, cùm illis bonæ spei incolis, hi scilicet versus Austrum, illi verò versus Boream. Qui sub Presbytero Ioanne degunt subfusci sunt. In Zeilan, & Malabar habitantes nigerrimi existunt, sub vna eademque ab Æquatore distantia, eodemque cœli parallello. Sed hoc mirari magis quis possit, in tota America nusquam nigros inueniri, præter paucos in loco Quareca illis dicto. Quæ ergo huius coloris causa efficiens, an cœli, aut terræ ariditas? aut fortasse sub quadam incognita proprietas? an ipsorum hominum, quadam naturæ innata ratio: aut omnia? sed hæc arcanorum naturæ indagatoribus consideranda relinquimus.* Hęc Hortelius.

Quare eodem exemplo ego vtor, vt ostendam aurifodinas non esse à Cęlorum tantùm influxibus, sed aliundè ex occultis terræ mineralis qualitatibus. Nam ex Plinio, Strabone, & alijs patet, quod plura Hispaniæ, & Galliæ loca aurifodinis abundant, Perù auro claret: quare ergo omnia loca, quæ cum illis locis habent parem eleuationem poli, pares cœli influxus, pariter tamen non habent aurifodinas, sed ijs omninò carent? ergo aurifodinæ non à celestibus influxibus solùm, sed aliundè etiam ex occultis terræ qualitatibus proueniunt.

Secunda pars maioris, nempè terram mineralem non concurrere ad aurum solo frigore, siccitate, & humiditate, sed etiam alijs occultis qualitatibus sinus mine-
62 ralis. Probatur, quia quæcumque terræ loca (præsertim, quæ pares habent cœlorum influxus vt suprà dicebam) habent eandem frigiditatem, siccitatem, & humiditatem, & tamen aurum non producunt: ergo auri productio non tantùm dependet à terræ mineralis frigiditate, siccitate, & humiditate; neque etiam à cęlorum influxibus tantùm, sed ab alijs qualitatibus occultis, quibus sinus mineralis concurrit ad auri productionem.

Confirmatur. Nam aurifodinæ plerumque non inueniuntur propè terræ superficiem, prout cętera metalla, sed oportet viscera interni, & abditissimas terræ partes penetrare, vt ex Plin. *lib. 33. capit. 4.* Sed propè superficiem terræ intensiores, & validiores sunt radij solares, & cęlorum influxus; ergo auri productio magis dependet à qualitatibus mineralibus, quàm à solis calore, & cœli influentijs.

Confirmatur secundò, nam metallarij deprehendunt aurifodinas ex indicio quarumdarum herbarum, quæ nascuntur tantùm in eo loco, vbi est aurifodina: ergo signum est locum illum habere aliquas occultas qualitates quibus producit aurum, ex quibus qualitatibus istæ herbæ tantùm in eo loco germinant; alioquin tales herbæ indifferenter germinarent in quolibet loco eiusdem regionis; sic & metallarij deprehendunt aurifodinam ex indicio cuiusdam terræ, quam segullum vocant, vt ait Plinius *lib. 33. capit. 4.* ergo ex occultis terræ illius qualitatibus aurum ibi generatur.

SECTIO IX.

Septimum argumentum contra Chymicos ab experientia.

SVMMARIVM.

Naturas rerum non nisi à posteriori, & experientia indagamus. n. 63.

Numquam arte Chymica fuit verum aurum productum. num. 64.

Quatuor refert Delrius, qui verum aurum Chymicum fuderunt, nempè Arnaldum de Villanoua, Raymundum Lullium, Bernardum Treuisanum, & ignotum quemdam Gallum. num. 65.

Basilea 3584. pondera plumbi in aurum versa. n. 66.

Difficillima est probatio veri auri. nu. 67.

Chymicorum imposturę. n. 68. & n. 77. & 78.

Sępè Chymici dęmonem consulunt, eique sacrificant. numero 69.

Arnaldus de Villanoua hęreticus, & Magus. n. 70.

Raymundum Lullium, alij vt hęreticum damnant, alij vt Beatum colunt. n. 71.

Lullius martyrij corona insignis, à calumnijs vindicatur. num. 72.

Libri de Inuocatione dęmonum, de Alchymia, & de transmutatione metallorũ non sunt Raymundi Lullij, sed Raymundi Neophiti. num. 73.

Raymundus Lullius in suis operibus sępè inuehitur contra chymicos, & impossibilem esse eam transmutationem docet. num. 74.

Qua-

Quatruplex responsio ad Chymici auri experientias, numero 75.

Chymistarum opuscula plerumque superstitionibus respersa, num. 76.

Chymica vel nullorum hominum est, vel Principum duntaxat, num. 77.

63 PRobatur septimò nostra Conclusio, quia naturas rerum non nisi à posteriori, & experientia indagamus; quare ideò omnes asserunt impossibilem esse productionem equi, leonis, aut alterius perfecti animalis, sine semine, extra matricem, aut perfectæ plantæ sine eius semine; quia à posteriori, & experientia constat tot seculis numquam ista, nisi modo naturali generata: Sed experientia idem compertissimum est de auro, num-
64 quam arte Chymica fuisse verum aurum productum; nemo enim ad hęc vsque tempora (ait, Valentia) inuentus est, qui eam artem alios docere posset verbo, aut scripto; nemo repertus qui tali arte ditatus sit, ad inopiam verò, & desperationem innumeri deuenerunt; nemo qui absque controuersia, & sine fictione verum fuderit aurum; & verissimè de illis summus Pontifex Ioannes XXII. *in extrauag. spondent de crimine falsi* dixit: *spondent, quas non exhibent diuitias pauperes Alchymistæ; Plurimi, & infiniti istorum, cùm multorum facultates conflassent, verum aurum conficere se iactantes, laqueo, data sententia, finem vitæ & imposturis dederunt.*

Respondet Delrius *disquisit. magic. lib. 1. c. 5. quæst. 2. sect. 4.* Chymicorum defensor acerrimus, de facto aliquos hac arte verum aurum fecisse, quia tot ea de re sunt narrationes diuersorum, vt videatur procacis ani-
65 mi, & perfrictę frontis nulli credere. Quatuor autem refert ea arte verum aurum produxisse *ex Theatro vitæ humanæ vol. 20. lib. 3. seù verbo chymia.*

Primus horum est Arnaldus de Villanoua insignis medicus, quorum multa extant opera, & floruit anno 1310. de eo referunt grauissimi iuris consulti, eum virgulas aureas Chymica arte produxisse, & in aula Pontificis omnium examini subiecisse, ita Io: Andreas *in addition. ad Speculatorem in rubrica de crimine falsi,* qui fuit testis de visu Oldradus *cons. 74.* Abbas *in cap. ex tuarum de sortilegijs* Io: de Platea *in l. 1. C. de argenti pretio, quod in thesaur. insertur lib. 10.* Cassaneus *in Catalogo Glorię mundi par. 11. consider at. 40.* Extat eiusdem Arnaldi de Villanoua integer tractatus *de transmutatione auri,* qui inscribitur *liber perfecti Magisterij,* & habetur *in tertio volumine Theatri Chimici fol. 118.*

Secundus est Raymundus Lullus Balearicus, siue è Maiorica Ciuitate oriũdus, de quo refert Author Theatri vitæ humanæ *vol. 20. lib. 30. seù in emendato Theatro verbo chymia,* illum plurima opuscula de hac arte acutissimè scripsisse & in arte Londini iussu Regis probatissimum aurum confecisse, nummumque aureum, quod adhuc appellant nobile Raymundi, sibi ostensum scribit Robertus Constantius *in suo nomenclatore insignium scriptorum.* Hic anno 1332. plurima de hac re opuscula scripsit, & huius artis præcepta tradidit.

Tertius est Bernardus Treuisanus Germanus, qui anno 1395. vt refert idem author theatri vitæ humanæ *loco cit.* cùm in Chymica arte plurimas opes quinquennio consumpsisset; tandem accuratiore studio consequutus est, vt biennio artem in opus, spem in rem deduceret, extant de huiuscemodi arte Treuisani, epistola ad Petrum de Bononia Gallorum Regis medicum, aliaque eiusdem opuscula.

Quartus est Antonius Pharmacopola Taruisinus (de quo referunt Cardanus *lib. de subtil.* & author theatri vitæ humanæ *vbi supra*) eum coram Andrea Gritti Duce Veneto, & præcipuis Patricijs Venetis argentum viuum in aurum commutasse, quod fecit beneficio pulueris cuiusdam, à quodam Gallo domi suę hospitaliter accepti, honorarij loco donati, & cùm Venetias nauigasset, vt rem Patribus indicaret, & specimen artis exhibuisset. Interea Gallus ille insalutatis omnibus discessit, neque de eo quicquam amplius resciri potuit.

Tandem Delrius inquit multos noui, & nominare possem, viros graues, in dignitate positos, qui de se ipsis idem profitentur, quos mentiri, vel imposturis, aut præstigijs, aut dęmoniacis artibus vti, numquam in ani-
66 mum meum possem inducere. Præterea Andreas Libauius *tom. 4. de Alchymia in defens. secunda Alchymiæ transmutatoriæ fol. 558. Ex testimonio (inquit) clarissimorum virorum, qui hæc viderunt oculis, & manibus palparunt, notum est. Basilea tria millia quingenta octoginta quatuor pondera plumbi in aurum versa, cuius portio, etiam nunc Basileæ asseruatur.*

Antequam proferam, quid sentiendum de viris à Delrio commemoratis, liceat hæc aduertere.

67 Primò non adeò esse facilem veri auri probationem, nam vt hoc dignoscatur non solùm obseruare oportet pondus, colorem; quod septies, imò centies, & millies conflatum perseueret, nec redigatur in cineres; quod aqua forti, vel vrina (vt asserit Albertus Magnus) non immutet colorem; quod ducatur in tenuissimas laminas; quod diutissimè perseueret (vt inquit Caietan.) Sed etiam (vt docet S. Thom. 2. 2. *q. 77. art. 2. ad 1.*) quod habeat virtutem lætificandi cor, & contra certas infirmitates medicinaliter iuuet: hanc autem postremam proprietatem veri auri experiri, non est promptum, sed difficillimum, vt ait, Conciliator *different. 209.* quare cum hæc omnia in probatione veri auri sint obseruanda, & hoc postremum de remedio certarum infirmitatum, (vt asserit S. Thom.) sit difficillimum; non est facilè credendum dicenti tale aurum Chymicum probatum, inuentum fuisse verum aurum.

Secundò aduerto. Mirum sanè, & incredibile esse, toties inuentam (vt Delrius opinatur) veri auri Chymici artem, adhuc latere. Peto à Delrio, cur Principes, & Reges, talia artis præcepta perspicuè ab his viris declarata, non habuerunt? Cur isti facili, & breui methodo artem posteris non tradiderunt? Cur tantum bonum Reipublicæ inuiderunt? Cur ditissimi non euaserunt? cur huius artis præcepta veluti opulentissimam hęreditatem suis filijs saltem, & propinquis non tradiderunt? an Principes contempserunt? sed operibus credere debuissent. An hoc Principes latuit? sed quomodo principibus absconditum, quod toti Romanæ Curię manifestum? an ipsi alijs tradere recusarunt? sed cur pro Reipublicæ bono eos, Principes non coegerunt? An fortuitò semel produxerunt, quod iterum difficultate victi non potuerunt? Sed Delrius narrat magnis laboribus, & pluries aurum productum.

Adde, quod huius transmutatorię Chymiæ præcepta, mirum non esset si laterent, si tamquam inuentum thesaurum occultassent Chymistæ; at non inuiderunt ea posteris illi, quos verum aurum produxisse fama vulgauit,

imò

imò typis impressis tractatibus euulgarunt. Nam Arnaldus de Villanoua, Raymundus Lullius, Bernardus Triuisanus, Ioannes Aurelius Augurellus, alijque plurimi, quos refert Theatrum vitæ humanæ *verbo Chymia*, & Garzonius *in platea vniuersali discursu* 13. huius artis opuscula multa conscripsere; si ergo ijs præceptis, quæ tam accuratè tradiderunt, verum aurum produxerunt; cur alij non producunt? imò cur hodie id omninò tritum, vulgatumque non est?

Tertiò aduerto Sum. Pontificem Io: 22. *in extraueg. commun. spondent de crimine falsi*, hanc artem prohibere, & eos, qui huiusmodi aurum, aut argentum fecerint, præter alias pęnas, infames declarasse. Præterea mortaliter peccant, & puniuntur in ea extrauaganti, qui tali Chymico auro in contractibus vtuntur, vt docent omnes Theologi, & Delrius ipse *d. cap.* 5. *q.* 4. Eamque artem Reipublicæ noxiam, & perniciosam asserunt Pererius, Valentia, & ipsemet Delrius, & alij, quorum omnium fundamentum est; quia semper Chymicum aurum præsumitur falsum, & infirmitatibus adhibitum, non salutem, sed mortem, aut notabile nocumentum afferet, ex noxijs, & venenosis argenti viui qualitatibus, quas retinet.

68 Quartò aduerto, infinitiès Chymicos hac impostura decepisse, quia auri puluerem, alijs mixturis tinctum, vel aliter absconditum, aut aurea fila inter herbarum crassitudine abscondita, aut auro dęmonis ope aliunde asportato, verum aurum spectantibus exhibuerunt, & infinitiès hæc impostura deprehensa, & punita est.

Quintò aduerto verò Eymericum *in directoria Inquisit. p.* 3. *n.* 113. Valentiam, & Delrium dixisse, quod vt plurimum Chymici, quando pertingere nequeunt ad fi-
69 nem intentum, dęmonis auxilium quærunt, cui sacrificant, tacitè, vel expresse dęmon verò aliunde
asportatum supponit aurum, vt eos, ac ceteras, ita decipiat.

Restat nunc, vt quid sentiam de his, (quos Delrius asserit verum aurum arte Chymica produxisse) iam proferam.

70 Primus is erat Arnaldus de Villanoua, hic hæreticus, Magus, ac dęmonum familiaritate vsus, hæc de eo referunt Eymericus *in directorio Inquis. p.* 2. *comm.* 35. *q.* 11. Pegna *in addit. p.* 2. *comm.* 36. *q.* 11. *& p.* 3. *n.* 115. *Verbo & Alchymista*, qui expressè ait ope dęmonum verum aurum exhibuisse, Bernardus Lutzemburgus *in Catalogo hæreticorum l.* 2. *verbo Arnaldus de Villanona*, Prateolus *in vitis hæreticorum lib.* 1. *c.* 69. eius hæreses iudicialiter Tarraconæ damnatæ sunt ab Inquisitoribus anno 1317. Eius opera in Indice sunt suspensa, donec expurgentur. Sed tractatus Arnaldi, in quo huius transmutatoriæ artis præcepta tradit, qui inscribitur *liber perfecti Magisterij*, & habetur *in* 3. *Volumine Theatri chemici fol.* 118. hic non suspensus, sed omninò prohibitus est, & non nisi igne expurgandus, vt patet ex Eminentissimo Card. Sandoual Generali Hispaniarum Inquisitore *in suo Indice expurgatorio, verbo Theatrum Chemicum fol.* 726. Iubet ne Delrius, vt hæretico, Mago, & dæmonum familiari credam? credam sanè, quod tam vera fuit ea auri productio, sicuti vera fuit eiusdem Arnaldi prædictio, quod anno 1335. futurus erat mundi finis, & vniuersale Iudicium: sicut inter ceteras eius insanas hæreses referunt Authores citati, præsertim Eymericus, & Prateolus.

His adde, quod non scripsit Io: Andreas (qui fuit præsens, & à quo ceteri Authores id transcripserunt) quod aurum fuit probatum, sed tantum asserit, quod submittebat probationi; an verò fuerit probatum? an ea diligentissima obseruatione, præsertim pro vsu medicinæ, vt requiritur? Io: Andreas non aperit.

Secundus, qui verum aurum Chymica arte fudit, erat Raymundus Lullius.

71 De Lullio, & eius operibus adhuc sub iudice lis est, aliqui vt Hæreticum damnant, alij vt beatum honorant. Qui vt Hæreticum execrantur, asserunt eum Cathalanum de Ciuitate Maioricarum oriundum, laicum imperitum, ac Latinæ linguæ prorsus ignarum, in iuuentute mercatura n exercuisse, deinde cum in solitudinem se recepisset, à Diabolo Crucifixi effigie apparente edoctum, patria lingua viginti volumina composuisse, quingentis hæresibus resperfa, ac damnata per bullam Gregorij XI. ac libros scripsisse de inuocatione dæmonum, de secretis naturæ, & de Alchymia, sic tradunt Eymericus *in Directorio Inquisitionum p.* 2. *qu.* 9. *& q.* 26. vbi Pegna *comment.* 33. *&* 51. Lutzemburgus *in Cathalogo hæreticorum lib.* 3. *verbo Raymundus Lullius*, Prateolus *de Vitis hæreticorum lib.* 16. *cap.* 2. Abraham Bzouius *anno* 1372. *numero* 14. *&* 15. & Io: Gerson *Alphab.* 16. *lit. D.* scribit: *Raymundi Lullij doctrinam publico decreto per facultatem Parisiensem prohibitam, ac repudiatam esse.*

72 Contra verò Alij Raymundum Lullium summis laudibus dignum, verè à Christo Domino edoctum, martyrij corona insignem, ac Beatum celebrant, & Io: Mariana *lib.* 15. *de rebus Hispaniæ cap.* 4. scribit: *illum studio religionis Catholicæ propagandæ in Aphricam profectum, vbi cum prædicandi, monendi, castigandi finem non faceret lapidibus obrutus est, & Corpus eius in Balcarem maiorem translatum, vbi maxima populorum veneratione colitur.* Ita Mariana, & Gabriel Vasquez 1. *p. disput.* 133. *cap.* 4. refert anno 1590. (cum ipse Romæ moraretur) Magnam de Lullio apud Eminentissimos Inquisitores fuisse controuersiam, ac prolatam sententiam qua Bernardus Episcopus Castelli Apostolica authoritate commissarius condemnauit Eymericum, eò quod bullam Gregorij XI. falsò in Lullium confixerat, quæ diù Romæ, & Auinione à Registratoribus conquisita, nusquam fuit inuenta; nouissimè verò Raymundi Lullij Sanctitatem à calumnijs vindicat Lucas Vvadingus *in Chronicis Minorum tomo* 3. *anno* 1308. *&* 1315. vbi ad rem nostram de Alchymia, sic scribit: *His, qui vituperant, illud subesse videtur efficax argumentum, quod libros planè hæreticales, & orco dignos composuerit, de*
73 *Inuocatione dęmonum, de secretis naturæ, de Alchymia, & metallorum metamorphosi, sed hic indignè certè traducitur, qui dæmona doccat inuocare, opus est non huius, sed alterius Raymundi cognomento Neophiti, Hebræorum Rabbini, fictè ad fidem conuersi, & postea religiosi cuiusdam instituti, de quo agit Franciscus Pegna in commentarijs ad directorium par.* 2. *schol.* 52. *& habetur* in *Regesto Vaticani in minori vol. ann.* 2. *secret. p.* 197. Bzouius *anno* 1372. *num.* 14. *&* 15. *Cuius opera, & errores condemnauit longo diplomate Gregorius XI. aliquid malum, eiusdem enim temporis, & nominis concordia ducti plerique præsertim Bzouius, Raymundo Lullio, tamquam notiori affinxerunt. Huius Raymundi Neophiti errores, & quos hic scripsit perniciosos codices Lullo adscribunt.*

Mani-

*Manifestis autem rationibus conuinco illos, qui de alchy-
mia inscribuntur, & qui quoquomodo ad fallacem hanc
artem, & præstigiosum tendunt laborem, nullatenus esse
Lullianos; nullus Lullo magis inuehitur in huiusmodi falsos
diuites, & veros pauperes; nam artis huius ostendit falla-
cias: lib. de quæstionibus solubilibus per artem inuenti-
74 nam quæst. 40. alchymiam non realem, sed chymericam
esse; multis rationibus ostendit: lib. de mirabilibus cap. 39.
probat impossibile esse per alchymiam vnum metallum in
aliud transmutari: libro Arboris scientiæ cap. de exemplo
fructus arboris cœlestialis; iocosè irridet Alchymistas co-
nantes argentum viuum in verum, & solidum transmuta-
re: lib. de principijs medicinæ, dist. 2. cap. de cancro.
A suo Principe, & prædominante Planeta Mercurio de-
cipi, ait, Alchymistas, quorum marsupia vt plurimum
sunt vacua, & lacera vestimenta. Sed & ipsi alchymiæ
Codices abundè probant alij Raymundo à Lullo esse tribuen-
dos; nam in libro de experimentis, quem inter alios Ray-
mundo adscribunt, author citat reliquos, quos de hac ar-
te scripsisse commemorat, in quibus omnes huius argumen-
ti Lullo adscripti continentur; ita vt idem sit huius libri, &
reliquorum consarcinator: in fine verò huius Codicis, ait
Author, se præsens opusculum optato fine clausisse anno
1330. Lullus verò anno 1315. mortuus est.* Hactenus Lucas Vvadingus, cui etiam adstipulator Pegna *in direct. par. 2. comm. 52.* vbi ait: *Authores, ex nominis similitudine fuisse allucinatos; nam Raymundus Neophitus seu Raymundus de Tarraga, qui cum prius esset Hebræus, conuersus est ad fidem Christi, ingressus est ordinem Prædicatorum, cæterùm non mutauit mores, & si religionem mutarit, hic hæreticales libros composuit, præsertim de Inuocatione dæmonum, & de Alchymia.* Huic ergo Raymundo Neophito, non Raymundo Lullio debuerat Delrius chymicum aurum tribuere. Sed iterum ne iubet Delrius vt credam hæretico, mago, & inuocatori dæmonum?

Ex his patet fabulosam esse disputationem Lullij cum Arnaldo de Villanoua, quam refert Author Theatri vitæ humanæ *verbo chymia* dicens hanc artem ex Villonouano didicisse *& anno 1332.* plurima scripsisse illius instituti opuscula Lullius enim *anno 1315.* mortuus est.

Tertiò est obscuri nominis Bernardus Treuisanus, quem referunt Delrius, & Author Theatri vitæ humanæ, suis multorumque fortè fusis substantijs, verum aurum fudisse. Sed cur quæso tantis laboribus inuenta ars, mox perijt, cur saltem suis filijs, & cognatis non tradidit? cur ditissimus non euasit? cur magnam sui nominis famam non reliquit?

Quartò est obscurioris nominis Pharmacopola Taruisinus, qui ab ignoto Gallo ignotissimum accepit puluerem: Sed quis iuratus testis affirmauit Delrio, puluerem illum non contexisse aurum? etenim vt superiùs monui, solemnis hæc est chymicorum impostura, & de plurimis passim referuntur Historici. Numquam sanè mihi persuadere poterit Delrius, vt nixus tam egregio testimonio duorum hæreticorum, ac magorum, alterius Pharmacopolæ, & nescio cuiusdam Treuisani, meas facultates chymicis in fumum redigendas tradam.

Tandem ad illos *dignissimos viros, quos mentiri* (inquit Delrius) *nefas est suspicari*, qui verum aurum chymica arte, se produxisse testati sunt. Credò sanè eos non mentiri, sed nec dicere verũ, vel quia falsitatem non deprehenderunt ex difficultate, quæ est in probatione veri auri, præsertim quoad proprietatem medendi, vt testatur Conciliator *different. 209.* & Vincentius Beluacensis *tom. 2. lib. 11. cap. 131.* vel quia proprio amore, ac melanchonica persuasione decepti sunt. Denique contra hos vrget, quare filijs, & cognatis opulentissimam hanc hæreditatem, nempè artis huius præcepta non reliquerunt? quomodo, pauperes vixere, & pauperiores mortui sunt? lepidè Paulus Iouius *in elogijs illustrium virorum* sugillat Io. Aurelium Augurellum, qui dum rationem conficiendi aurum luculento opere tradit, Regumque aulas sectatur, in extrema paupertate decessit.

Illa verò triamillia quingenta ottoginta quatuor plumbi pondera Basileæ in aurum versa, vereor ne tanto mendacij pondere, quasi plumbum in aquis submersa sint; cur enim tam facili plumbi transmutatione, ditissimi, totoque orbe celeberrimi, Basileenses non euaserunt?

Quadruplex ergo responsio est ad chymici auri ex-
75 perientias. Prima est falsò has famam vulgasse, vt ca-
put illud humana voce articulatè loquutum Alberti Ma-
gni, vt referunt Gulielmus Parisiensis, Michael Medi-
na, & alij præsertim Franciscus Georgius in Harmonia
mundi. Secunda est, fictitium aurum fuisse, & appa-
rens; re vera tamen plumbum; cum veri auri experien-
tia difficillima sit, ita respondent Conciliator *differen-
tia 209.* & Vincentius Beluacensis *in speculo tom. 2. lib.
76 11. cap. 131.* Tertia est verùm quidem aurum, sed dæ-
monis opera in chrysollum adductum: obseruandum
est enim, plerosque chymicos nedum hæreticos, sed &
negromanticos fuisse, eorumque scripta à sacris Inqui-
sitoribus, vel prohibita, vel suspensa; quia superstitio-
nibus respersa sunt: idque patet ex Indice librorum
prohibitorum, tum Romano, tùm Hispano; sic in Ro-
mano indice prohibentur præ ceteris tractatus Andreæ
Libauij, seu Libonij præsertim de alchymia transmutato-
ria, & in indice Hispano expurgatorio Eminentissimi
Sandoual fol. 726. mandatur expungi Theatrum che-
micum, in quo tribus voluminibus continentur opera
chemica Gerardi Tornei, Georgij Riplei Angli, Ri-
chardi Anglici, Alani Philosophi, & Arnaldi de Vil-
lanoua, at Arnaldi tractatus totius igne purgandus præ-
cipitur. Quarè mirum non est, si diù flantes Chymistæ
somnum, oleumque perdentes, precationibus dæmo-
nem adeant: cuius rei exemplum ex Bodino infra refe-
ram, idque chymicis familiare dæmonem rogare, ex
Eymerico, Valentia, ac Delrio *suprà* retuli. Quarta
Responsio est, verum quidem aurum, sed Chymista-
rum impostura in chrysollum adductum, duo huius rei
exempla habentur in Theatro vitæ humanæ *verbo chy-
77 mia*. Chymistæ duo societate inita, inter se pacti fue-
rant, vt alter auri conficiendi rationem se habere pro-
fiteretur; alter sub circumforanei mercatoris specie in-
ter cætera exotica, scobem auri nigerrimam pro luna-
riæ cuiusdam puluere venderet: Prior Marchionem
Badensem Ernestum conuenit, promissis magnificis cir-
cumuenit. Constitutis ritè omnibus, Chymista inquit:
Res nobis deest vnica, à pharmacopæo quouis, vel rhi-
zotomo petenda. *Res* à Doctoribus appellatur, voce vt
videtur Arabida. Commodùm interea socius sub rhizo-
tomi habitu ad portas arcis merces suas exposuerat.
Accurrit Principis iussu puer, puluerem *Res* dictum
petit.

petit. Expromit alter ex obsoleta pixide puluerem pro vno solido, tamquam rem vilissimam; addito etiam superpondio, Eum puluerem Mercurio inspergit chymista, Massa exhimitur, auri momentum habere deprehenditur. Itaque non spernendo donatus munere, discessit, Marchio ad suam reuersus Chrysopœiam, pnluere propè absumpto, cùm eum frustra in omnibus vicinis pharmacopolijs quæsiuisset, residuo ad ignē explorato,
78 auri scobem esse deprehendit; Alterum huius imposturæ exemplum omnes referunt, nam anno 1591. Marcus quidam Bragadinus Venetus vulgo dictus Mamugnanus, hic totam ferè Italiam excurrens ludificauit, Chrysopæiam suam passim venditans, multosque Principes specie quadam illius artis dementauerat, Venit tandem ad Bauariæ Ducem, qui dum omnia curiosiùs indagat, insignes hominis imposturas deprehendit: ipsumque artificem extructo ferreo, eoque aurato patibulo supplicio laquei affecit. Quando coram omnibus confessus fuit, se ex auri ramentis pulueribusque, quos carbonario pulueri immixtos habebat, aurum suum liquasse; Audiui ab Excellentissimo Domino Aloysio Contareno ad Vrbanum VIII. Legato Veneto; Bragadinum in perforato pugione abscondisse auream scobem, cuius cuspide, cum fingeret se miscere herbas in Chrysollo, liquata cera detinente aureum puluerem, excurrebat latenter puluis, & fundebatur aurea virga, Quarè mirum non est, si aliquando delitescente adhuc fraude, fama vulgarit, aliquos verum aurum chymica arte produxisse; nam & Villamontius *in Itinerario lib.3. cap.28.* cùm adhuc Bragadini fraus orbi non innotuisset, scripsit, illum verum aurum chymica arte fudisse.

Hic exceptos volo plurimos nobilitate, doctrina, ac pietate conspicuos viros, chymiæ studiosos, non alienis opibus, fraudibus, inhiantes; sed proprijs moderatè vtentes, naturæ penetralia perscrutantes. Verè autem & pru-
79 denter scripsit Cardin. Caietanus *2. 2. quæst.77. artic.2. Hanc artem, vel nullorum hominum esse, vel Principum dumtaxat, audito sapientum consilio.*

SECTIO X.

Respondetur obiectionibus Chymicorum.

SVMMARIVM.

Modus efficiendi Chymicum aurum ex Alberto Magno. num.80.

Sed Albertus plura supponit vt vera, quæ tamen falsa sunt. num.81.

Sicut nequit extra ventriculum sanguis conuerti in Chylum, ita nec metallum in aurum, extra sinum mineralem. num.82.

Omnia metalla habent easdem operationes, ac aurum, sed vitiatas, & imminutas. num.83.

Cur arte produci nequeat aurum, cum pleraque animalia arte producantur? num.84.

Ex auripigmento perfectissimum aurum liquatum num.85.

An dæmon possit hominem docere hanc artem? num.86.

Diuina prouidentia non permittit, vt nec vnum aureum dæmon suis sagis dare possit. num.87.

Multa nostris seculis inuenta, retroactis temporibus ignota, num.88.

Tubus opticus, quo astra cernuntur, cuius inuentor putatur Galilæus, non est ab eo inuentus, sed ad maiorem perfectionem redactus. num.89.

Via lactea est infinitudo stellarum. num.90.

Lunares maculæ vnde proueniant? num.91.

Multa prioribus seculis inuēta, iterum deperdita sunt. n.92.

Archimedis vitrea sphæra omnium cælestium orbium motus repræsentabat, & seipsis orbes mouebantur. num.93.

Lucerna multis seculis, nullo addito liquore ardens. nu.94.

Artificium vt flexibile sit vitrum. num.95.

Ignota materia proxima auri mineralis, an possit cognosci materia proxima auri artificialis? num.96.

Obijciunt primò ex Authoritate Alberti Magni *lib. 3. de mineralibus capit.9.* vbi tradens modum effi-
80 ciendi Chymicum aurum, sic scribit: *Alchymista primò purgantes materiam argenti viui, & sulphuris infusam omnibus metallis confortant; Deinde deducunt vires elementares, & cœlestes tali materia inhærentes ad proportionem mixtionis metalli, quod intendunt inducere, & tunc ipsa natura operatur, & non ars, nisi organicè iuuando, & expoliendo vt diximus; & sic aurum verum, & argentum educere, & facere videatur, quod enim virtutes elementares, & cœlestes faciunt in vasis naturalibus, hoc etiam faciunt in vasis artificialibus, si artificialia formantur ad modum vasorum naturalium, & quod facit natura calore solis, & stellarum, hoc faciet ars calore ignis, dummodo sic contemperetur, vt non excedat virtutem se mouentem, & informantem, quæ est in metallis, huic enim cœlestis inest virtus, quæ primo communicuit ea, & inclinatur ad hoc, vel illud per artis iuuamen.* Hæc Albertus Magnus.
81 Respondeo Albertum quatuor supponere, tamquam vera; quæ tamen falsa esse supra ostendi.

Primò supponit; proximam materiam auri esse argentum viuū, & sulphur, hoc falsum esse, patet ex dictis *sec.4.* Secundò, supponit *in metallis inhærere virtutem elementarem, & cœlestem, quæ est principium actiuum auri;* hoc falsum esse patet ex *sect.6. 7. 8.* vbi demonstraui principium actiuum auri ex Arist. esse frigidum, & siccum, virtutem quoque occultam sinus mineralis, ac influentias, & virtutes, seu qualitates occultas syderum, denique solis calorem; huiusmodi autem qualitates, & principia agentia non inhærent in metallo, sed partim in ipso sinu minerali, partim in cœlo, vnde producuntur: sicuti si quis calore ignis contenderet sanguinem è venis manentem conuertere in chylum, frustra laboraret; nam qualitates actiuæ, seu productiuæ formæ chyli, non inhærent in sanguine, sed in animalis ventriculo: ergo sicut extra animalis ventriculum impossibile est conuertere sanguinem in chylum, ita extra sinum mineralem impossibile est conuertere plumbum in aurum. Tertiò supponit dicens: *quod virtutes elementares, & cœlestes faciunt in vasis naturalibus, hoc etiam faciunt in vasis artificialibus, si artificialia formantur ad modum vasorum naturalium,* hoc falsum est, nequit enim vitreum vas ita efformari, vt contineat in se virtutem sinus mineralis, & vt cœlum in ipsum influat, non enim influit cœlum, nisi in determinato loco, qui locus sit dispositus, & aptus ad recipiendos influxus, alioquin in quocumque loco produceret aurum. Quartò supponit, *quod id quod facit natura calore solis, & stellarum, hoc faciet ars calore ignis,* hoc falsum esse patet *ex sect.6. 7. 8.* nam ignis non potest supplere, nisi

nisi fortè virtutem calefactiuam solis (dixi *fortè*; nam incertum est, an ita possit attemperari, vt patet *ex sect.* 5.) non autem potest ignis supplere alias qualitates, & influentias occultas solis, sydenim, ac terræ.

Obijcies secundò, ex Iano Lacinio *apud Pererium lib.*8. *Physic. cap.*20. vbi sic arguit: si ars Authore Aristotele 2. *Phys. & 4. meteor.* est imitatrix naturæ, cum natura concoquendo, purgandoque ex sulphure, ex argento viuo, aurum argentumque perficiat, cur non etiam simili ratione operans ars possit efficere?

82 Respondeo, quod sicuti extra ventriculum non poterit ars sanguinem conuertere in Chylum; ita neque poterit extra sinum mineralem argentum viuum, & sulphur decoquere, ac conuertere in aurum; sicut enim ibi deficit virtus ventriculi, quæ nequit arte suppleri; ita hic deficit virtus mineralis, quæ nequit arte suppleri.

Obijcies tertiò, ex eōdem Lacinio: Ea dici debent secundum naturæ ordinem copulata, & inuicem transmutabilia, quæ non habent omninò diuersas operationes, sed easdem; in eo tantùm differentes, quod quædam habent eas omninò imminutas, & imperfectas, velut fætus
83 infantis comparatione: At plumbum æs ferrum, argentum, nullas habent operationes ab auro distinctas; sed quas illud habet, vtpote liquescere, duci, graue esse, nitere, ignibus resistere; easdem habent hæc, sed vitiatas, & imminutas; non enim ita splendent, non sunt adeò grauia, minus resistunt ignibus, non tota liquescunt, non tamen tenuiter ducuntur; igitur hæc dici debent aurum imperfectum, & beneficio artis perduci queunt ad perfectionem auri: ita Lacinius, & hoc putat Cardanus esse maximum argumentum, quod pro alchymistis afferri possit.

Respondeo & peto à Lacinio (vt eius vtar exemplo) cur fętus abortiuus quatuor, aut quinque, vel sex mensium non potest vlla arte extra vterum viuere, & ad perfectionem deduci? nonnè quia materni vteri virtus nequit arte suppleri? ita nequit mineralis sinus virtus arte suppleri, sed pro responsione vide quæ dixi contra Delrium *suprà sect.6.*

Obijcies quartò, ex eodem Lacinio; nam ranæ statim ob præparationem materiæ ex puluere generantur; sunt autem ranæ perfectiores auro; Generantur etiam ex iuuenculo strangulato apes, ex basilico scorpiones, ex elixatura anatis subdio expositę bufones; ex asinis vespæ, ex equis scarabæi; ex mulis locustæ; aqua quibusdam in locis ligna conuertuntur in lapides; aer concursus inter duriora corpora, repentè transit in ignem; fumus metallorum præcipuè plumbi cogit argentum viuum; cortex mali punici ferrum mutat in calybem: Si igitur hæc tam admiranda, & penè incredibilia fieri possunt, atque adeò quotidie fieri videmus, cur incredibile videatur posse ab Alchymistis verum aurum confici.

Respondetur primo pleraque ex narratis experientijs, non studio, & arte humana, sed fortuitò, & casu inuenta, ex hypotesi autem quod esset possibilis productio veri auri extra sinum mineralem; numquam poterit talis ars studio, & industria inueniri; ratio est, quia impossibile est artem, assequi posse operationem naturæ, quæ occultissima est, ex occultis qualitatibus cœli, & terræ proueniens. Deinde an casu sit inuenienda aliquando (posito quod esset possibilius) Deus scit.

Respondetur secundò probabilius esse impossibilem esse talem auri arte chymica transmutationem, & ratio discriminis, cur hæc auri transformatio sit impossibilis,
84 sicut productio leonis, equi, & hominis, non item illæ, quas in obiectione retulimus, patet tum à posteriori, & experientia; adhuc enim post tot secula, & tot labores, latet ea artificialis auri productio; tum ratio à priori adducitur ab Arist. *sect.*10. *probl.* 64. quia in cęteris productionibus non est opus multo tempore, & varijs dispositionibus; at productio hominis, leonis, inquit Arist. (ego addo auri) operosissima, & longissima est naturæ procreatio. Adde quod si exempla adducta conuincerent, ex illis valeret inferri quodlibet posse arte produci; vnde erubuerunt quidam Chymici asserere posse hominem extra matris vterum, vrina, aut alio humore, igne, aut sole, in vitreis phialis decocto, generari in vitreo vase, ita asseruerunt Iulius Camillus, & alijs vt scribit Thomas Garzonius *discursu* 13. *fori vniuersalis*, & quidam tribuunt hoc inuentum Arnaldo de Villanoua, vt apud Delrium, qui talem stultitiam confutat *lib.*1. *disquis. magic. cap.*5. *quæst.*4. *vers.*3.

Obijc. quintò, ex Plinio *lib.*33. *cap.*4. vbi ait: *sub caligula ex auropigmento aurum perfectissimum liquatum,*
85 *quod foditur in Syria aureo colore, fragili lapidum specularium modo, cuius vim magnam, Caligula auri, quàm sanguinis non minus auidus, excoqui iussit; & planè fluxit aurum excellens, sed ita parui ponderis, vt detrimentum sentiret, nec postea tentatum ab vllo est*. Ita Plinio.

Respondetur ex Fabiano *de re metallica cap.*4. quod auri pigmentum est vena auri sterilis, & imperfectum aurum, idest continet in se minutissimas (& vt ita dicam) propè indiuisibiles auri guttas, quæ conflatione vniuntur, & funditur aurum, sed tam modicum, vt maius sit damnum, quam vtile: domesticum est Neapoli exemplum in argilla Suessana continente purissimi auri guttas, vt testatur Sulmontius *in histora Neap. par.*2. at earum separationem sæpius tentatam, detrimentum non lucrum afferre, experientia demonstrauit.

Instar Delrius gratis asseri, auri pigmentum esse aurum imperfectum, seu venam auri sterilem; nam plus differt auri pigmentum ab auro, quàm ab hoc differat cuprum; cum auri pigmentum sit ex genere vnguenti.

Respondetur non gratis asseri, sed ratione, & experientia demonstrari: ratione, quia impossibile, & omninò improbabile est, sola decoctione auri pigmentum cum specie differat ab auro (vt fatetur Delrius) mutare speciem, & transformari in aurum; ergo per decoctionem fit tantùm separatio guttarum auri, quæ in ipso latent, & permixtæ sunt. Denique non refert esse diuersæ speciei, quia denominatio non desumitur nisi à maiori parte; cum autem minima pars sit guttarum auri, ideò vocatur vnguentum non metallum; Vnde eruditè dixit Fabianus: *Auripigmentum esse venam auri sterilem*; propter illas minutissimas guttas auri, quas in se continent.

Obijcies septimò saltèm dæmon, qui omnium rerum naturas nouit, scit talem artem, eamque posset hominem docere, & Chymica arte verum aurum produci.

Respondetur primò ex dictis, probabilius esse non esse possibilem talem transmutationem, nec posse aurum verum nisi intra terræ sinum mineralem generari; quare si non est possibilis, neque poterit à dæmone sciri.

80. Respondetur secundò ex hypothesi, quod esset possibilis, ea arte auri transformatio, sciret vtiq; eam demon. Negatur tamen posse demonem hominem eam docere

Id enim prohibet diaboli malitia, & diuina bonitas non permittit. Malitia, inquam, diaboli id prohibet; quia vt rectè docet Valentia, cum tanto odio prosequatur genus humanum, verisimile non est, velle eum quicquam docere ad tantam hominum vtilitatem: adde, quod ideò dæmon custodit abscondítos thesauros ne inueniantur, & inuentos, ne accipiantur prohibet, vt testantur omnes, præsertim Abbas Trithemius, Gregor. Cedrenus *in addit. ad Zonaram in vita Anastasij*, Remigius *Dæmonolatreia lib.*1. *cap.*4. vbi lepidum refert exemplum. Tanta est enim virulenti serpentis in homines maleuolentia, & inuidia, vt parum putet æternos cruciatus prauorum hominum, singulis ferè momentis diuersis tentationibus, & peccatis angere; vt etiam omne temporale, vel minimum bonum, quamcumque voluptatem eis inuideat, nec concedat, nisi spe pœnæ maioris; imò etiam in hac vita, quocumque modo potest eos diuersimodè torquere, cruentissima bestia semper anhelet, vide notabilia de hac re exempla de tyrannide, quam in Sagas exercet allata per Nicolaum Remigium *in Dæmonolatreia lib.*1. *capit.*16. 17. *&* 24. *lib.*2. *cap.*8. *& lib.*3. *cap.*6. *&* 7. Sed vt ad institutum reuertamur, quam præclarè artem hanc docuerit dæmon, refert Bodinus *lib.* 3. *Dæmon. cap.*3. & Theatrum vitæ humanæ *verbo Chymia*.

Cum enim perditi flantibus quibusdam Chymicis, nulla spes speciesuè boni ostenderetur, consilium à diabolo petiere, rectè ne facerent, & rem optatam confecturi essent: Familiarem enim dæmonem sub specie elegantis nymphæ exciuerunt, & lapidis conficiundi veritatem sacris deuotionibus expetiuere: Dæmon autem illos ex sex metallis liquatis, & certa proportione hydrargyro mixtis, malagma facere iussit hanc fore lapidis materiam. Cæterum postquam iunctus metallis Mercurius cum horrendo tonitru grandinem metallicum vndequaque disiecit, & credulos sophistas abegit; dæmon cachinnum extollere cæpit: cumque se delusos ab illo indignè conquererentur, & vt veritatem rei doceret suppliciter peterent, hoc vnum repondit: *Trauaillez hardiment, laborate strenuè.*

Deinde Diuina bonitas non permittit, vt diabolus suos magos, aut Sagas Chymicam artem doceat, eadem ratione, ac prouidentia, qua non permittit, vt nec vnum aureum nummum verum, non fictitium eis donet; quare ait Psellus *in cap. cur dæmones timeant minas, nihil eorum, quæ promittunt dæmones, tradere pos-*
87 *sunt, sed visu tantùm, quadam inania suis cultoribus offerunt, vana prorsus, & instabilia*: alioquin nisi ita Diuina prouidentia disponeret, vniuersi penè homines, quos tanta cupido auri tenet, euaderent dæmonis cultores, & magi, vt rectè dixit Remigius *Dæmonolatreia lib.*1. *cap.*4. vbi id luculenter demonstrat, pluribus adductis exemplis, ex confessione sagarum, quæ ipso Iudice combustæ sunt, quarum decem nominat, quæ omnes accepta pecunia gestientes, cum eam numerare vellent, excusso sacco, nihil, nisi carbones, & testas repererunt: vna sola Catarina Russa confessa est, se semel, sine fraude, tres nummos recepisse.

Adde prædictis, neque ex hypothesi, quod ars Chymica possibilis esset, eam nunquam à Deo, vel à bono Angelo reuelandam esse, vt docet, & rectè Valentia. Nam neque Deus, neque bonus Angelus aurum, & diuitias per vias extraordinarias suppeditare solent, sed bona spiritualia, cum non legatur *Beati diuites auro*, *sed Beati pauperes Spiritu.*

88 Obijc. Septimò ex Conymbrincensibus: Non est desperandum eò, quod hæc ars vsque ad hæc tempora lateat, multa nostris temporibus inuenta sunt, retroactis seculis innota, vt puluis tormentarius, ars typographica, ocularia Galilei, horologium rotatum, pixis nautica, artificium separandi aurum ab argento, & alia innumera. Sic Cardanus *lib.*17. *de subtilitate* scribit: se vidisse sphæram exiguam ex vitro, quæ omni conatu illisa solo lapideo resiliebat ad trabes; hanc ego vidi exualidissimo ictu nullam maculam, neque rimam contraxisse.

Cur ergo aliquando ars hæc Chymica non inuenietur, sed omninò desperanda?

Confirmatur sententia Senecæ *lib.*7. *natural. quæst. cap.*25. vbi sic scribit: *Multa hodie sunt gentes, quæ tantum facie nouerint cœlum, quæ non dum sciant cur luna deficiat, quare adumbretur? veniet tempus, quo ista quæ nunc latent in lucem dies extrahat, & longioris æui diligentia: veniet tempus, quo posteri nostri, tam apertè nos nescisse mirentur.*

Respondetur primò aliqua ex dictis non fuisse prioribus seculis inuenta, quia nec quæsita; nisi fortè à paucis, & parua diligentia: ars verò Chymica omnibus seculis, præsertim à Caligulæ temporibus, (vt putat Delrius) tot ingenia exercuit, tot Principum opes exussit, & tamen adhuc latet. Vnde Suessan. *in* 3. *meteor. comment.* 121. sic scribit: *Nero Imperator cum potuisset omnia inuenire progenerationem talium, & omnes artifices aduocare, post tot labores, nihil inuenit in hac arte.*

Respondetur Secundò facile esse inuentis addere, Chymica autem adhuc non inuenta, nec inuenienda; pleraque verò, quæ noua putantur, antiquissima sunt, nuper tamen ad excellentiam, maioremque præstantiam multorum annorum pertinaci labore perducta, in
89 his principem locum obtinet Tubus opticus, quo astra cernuntur, cuius inuentor vulgò perhibetur Galilæus; at eius vsus antiquissimus est, vt communiter fatentur Astronomi, nam Ptolomeus, qui floruit à Natiuitate Christi anno 130 eo vsus est, vt testatur Ioan. Baptista Porta *lib.*17. *Magiæ naturalis cap.*11. vbi sic scribit: *Diximus de Ptolomaei speculo, siue specillo potius, quo per sexcenta millia naues peruenientes conspiciebantur*, idemque docent Marius Bettinus in Apiarijs *apiario* 8. *progys.* 11. & Cysatus *cap.*7. *de cometis num.*3. in fine: In celeberrima bibliotecha Monasterij Scheurensis testatur haberi vetustissimum librum, ante quadringentos annos conscriptum, quo constat vsum tubi optici antiquis astronomicis familiarem fuisse: At quia antiquo illo tubo, non ita clarè & distinctè conspiciebantur astra, ideò in multis antiqui decepti sunt: quare moderni Astronomi eorum errores deprehenderunt perfectioribus specillis, quorum primum locum obtinet tubus opticus Galilæi, quo vt ipse testatur in suo libello, cui titulus, *Nuncius Sydereus*, & refert Io. Keplerus in *libello Dioptrica fol.* 13. *&* 14. multa detexit. In primis viam lacteam (Antiquis ignotam) comperit esse minutissimarum stellarũ congeriem. Secundò nebulosam stellam, esse duas, tres, vel quatuor clarissimas stellas, in arctissimo spatio collocatas. Tertiò numerum fixarũ stellarum, qui apud antiquos erat 1022. esse decuplo, aut forte vigecuplo maiorem. Quartò lunam non esse corpus perfectè rotundũ, vt Anti-

Antiqui existimabant, sed in ea partes reperiri altiores depressioresque. Nouissimè anno 1608. Franciscus Fontana Neapolitanus, vt in suo libello cui titulus *noua Cœlestium, terrestriumque rerum obseruationes*, & anno 1611. Io. Keplerus Germanus, vt *in suo libello Dioptria probl.* 86. Astronomicum tubum ad longè maiorem perfectionem deduxerunt, pluraque quàm Galileus cœlestium orbium secreta detexerunt; & ne sim prolixus
90 aliquas Fontanæ obseruationes dignissimas non omittam; nempè viam lacteam non multitudinem quamcumque stellarum, vt moderni asserunt, sed quasi earundem infinitudinem esse. Præterea cum Arist. communiter docuerint Philosophi, lunares maculas aliud non esse, nisi raras corporis partes, quæ solares non reflectunt radios; At eas maculas à rimarum, & concauitatum vmbris prouenire existimant Anaxagoras, & Democritus, vt refert Theodoretus *ser.* 4. & Plutarcus *in opusc. de facie in orbe lunæ*. Quorum opinio, ex Fontanæ
91 tubo, probabilior conspicitur; clarissimè enim eo obseruantur in lunari corpore cauitates, eiusque corpus non esse perfectè rotundum; itaque dicendum lunares maculas non ab alio, quàm à partium inæqualitate oriri; ad quid enim recurrere ad partium raritatem, & densitatem, dum dictarum macularum euidentior apparet causa? Has præclarissimas obseruationes lege apud Fontanam *in suo libello nouarum cœlestium obseruationum tract.* 1. *cap.* 4. *& tract.* 2. *cap.* 3. *&* 5.

Obijcies Octauò multa alia prioribus seculis ingeniosissimè inuenta, iterum deperdita, & ignorantiæ te-
92 nebris obuoluta sunt; quare nil mirum si ars Chymica aliquando inuenta, iterum deperdita, vel hucusque inuenta non sit.

93 Inter celebriora priorum seculorum arte facta est mirabilis illa Archimedis Siracusani vitrea sphæra, quæ (vt testatur Cicero *lib.* 1. *Tusculan. qq. & lib.* 2. *de natura Deorum*) omnium cęlestium orbium motus repręsentabat, & ita orbes omnes, incluso aeris spiritu, se ipsis mouebantur, ac in cęlo ipso, de qua eleganter Claudianus scripsit.

Iuppiter in paruo cùm cerneret æthera vitro:
Risit, & ad superos talia dicta dedit;
Huccine mortalis progressa potentia curæ.
Iam meus fragili luditur orbe labor
Iura Poli, Rerumque fidem, legesque Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte Senex:
Inclusus varijs famulatur spiritus astris,
Et viuum certis motibus vrget opus:
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cinthia mense redit:
Iamque suum voluens audax industria mundum,
Gaudet, & humana sidera mente regit.

Idem Archimedes (vt refert Plutarcus *in vita Marcelli*) ingentem onerariam nauem, quam innumera hominum turba, vix maximo labore mouere posset, hominibus multis, ponderibusque impositis, procul assidens, quieta impellens manu, vl quadam machinæ tranquillo quasi mari prolaberetur, ad se adduxit. Cumque Marcellus maximo exercitu terra, marique Syracusas obsideret; Archimedes ad vrbis propugnationem mirabiles, terribilesque machinas adinuenit, quibus tres annos obsidionem sustinuit, etenim aliquando producta è muris catena eleuabat in altum naues, & inuicem collisas comminuebat. Sic etiam mirabile illud fuit columbæ ligneæ simulacrum Architæ Tarentini, vt apud Gel-

lium *l.* 10. *capit.* 12. quod incluso aeris spiritu, ac si vi-
94 uum animal esset, volabat. Mirabilius inuentum Olibij Maximi, qui liquorem confecit, cuius beneficio lucerna multis seculis conseruata fuit ardens intra sepulchrum Patauij repertum, vt scribit Petrus Appianus *in antiquitatibus*, & Bernardus Scardeonus *in historia Patauina*. Similis ardens lucerna inuenta est Romæ anno 1028. vt refert Cranzius *lib.* 4. *metrop. capit.* 15. & Theatrum vitæ humanæ *verbo Chymia*. Nec minus nobile inuentum, quod refert Sanct. Isidorus *lib.* 16. *ethi-*
95 *mol. capit.* 15. vbi ait: *sub Tyberio Cæsare, quemdam artificem excogitasse vitri temperamentum, vt flexile esset, & ductile, qui dum admissus esset ad Cæsarem, porrexit Phialam Cæsari, quam ille indignatus in pauimentum proiecit: artifex autem sustulit phialam de pauimento, quæ complicauerat se, tamquam vas æneum, deinde malleum de sinu protulit, & phialam correxit. Hoc facto, interrogauit Cæsar artificem, an secretum illud alius sciret, cum negasset artifex, iussit mox illum decollari, ne dum hoc cognitum fieret, aurum pro luto haberetur.* ita Sanct. Isidorus, & ante eum Plinius *lib.* 36. *capit.* 26. qui tamen ita scribit: *ferunt Tyberio Principe excogitatum vitri temperamentum, vt flexibile esset, & totam officinam eius artificis abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur; eamque famam crebrior, diu, quàm certior fuit.* ita Plinius.

Respondetur non iterùm inuenta, quia neque iterùm ea, qua par erat sollicitudine, & industria quæsita; quod de Chymica arte nequit affirmari; summis enim laboribus, im nensis impendijs, tot viros doctissimos, tot Principes defatigauit, & illusit.

Obijc. Nonò quia saltem poterit aliquando Chymica ars casu inueniri; sicuti casu inuenta sunt pleraque alia nobilissima arte facta; sic casu inuentus est puluis tormentarius ab illo Benedictino Monaco Maguntino, dum fortuitò salnitrum cum sulphure tundit; casu inuentum vitrum, dum nautæ in fluminis cuiusdam arenis ignem accenderunt: vt refert Sanct. Isidorus *lib.* 16. *ethymolog. capit.* 15. Plinius *lib.* 36. *capit.* 26. & Polydorus Virgilius *de inuentor. rerum lib.* 2. *capit.* 22.

Respondetur ex dictis, probabilius esse non posse naturaliter arte Chymica produci verum aurum; vnde nec vmquam talis ars casu inuenienda est. Deinde dato eam artem esse possibilem, stultissimum puto præsentes opes consumere, & casu alias quæras. Præterea hinc sumo argumentum contra Chymicos, numquam fore inueniendam hanc artem. Nam ex Aristot. 7. *metaph. tex.* 23. quædam productiones à casu, & à natura fiunt, & cum semine, & absque semine; quæ autem casu, & natura fiunt ea arte fieri nequeunt; si enim omnem conatum adhibeas, vt herba casu in tuo horto nata, & eradicata, iterum germinet, frustra laboras: ergo esto, quod aliquando casu generaretur aurum, ex aliquo cęlesti influxu, iterum generari nulla arte poterit.

Obijcies Decimò ex Gastone Dulcone, *in apologia Chrysopeiæ in responsione ad* 23. *argumentum, & alibi*,
96 vbi ait: quamuis vltrò concedam omninò latere Chimicas, quæ nam sit materia proxima, quæ causæ efficientes, quis modus efficiendi aurum mineralem, tamen (vt ait Gaston Dulco *in responsione ad* 30. *argumentum*) non est necesse Chymicū cognoscere, ex quibus, & quomodo in mineris generetur aurū: ergo frustra Chymicis obijci-

tur eos ignorare materiam proximam auri in minera, causas efficientes, & modum, quo natura efficit aurum in minera.

Antecedens probatur: Nam diuersa est materia proxima auri in minera, & diuersa est materia proxima auri, quod arte producitur; licèt vtrumque sit eiusdem speciei; sicut quamuis omnes mures sint eiusdem speciei; tamen diuersa est materia muris generati intra matricem, & extra matricem, in illo est semen, in hoc puluis. Diuersæ causæ efficientes sunt auri in minera, & auri artificialis; sicut diuersæ causæ efficientes sunt muris ex semine & ex putri, huius enim causa efficiens est sol, illius est potentia generatiua vitalis. Denique diuersus est modus, quo natura efficit aurum in minera, & diuersus est modus, quo natura adiuta ab arte efficit aurum in chrysollo; sicuti diuersus est modus, quo natura producit murem intra matricem, & extra matricem; ergo nihil refert Chymicos ignorare materiam proximam auri in minera, causam, & modum efficiendi aurum minerale.

Consequentia probatur, quia (vt refert Dulco *in respons. ad* 30. *argumentum*) vt chymicus sciat, quę sit materia proxima auri artificialis, quæ causa efficiens, & quis modus efficiendi aurum artificiale; sufficit cognoscere naturam auri postquam productum est in minera; ex proprietatibus, & passionibus auri, quæ igne, & oculis probantur: ergo cum chymicus ex proprietatibus, quas videt in auro, deprehendere possit materiam proximam, causam efficientem, & modum efficiendi aurum artificiale; non debet curare sibi occultam esse materiam proximam, causas efficientes, & modum efficiendi aurum in minera: ergo frustra obijcitur Chymicos ignorare materiã proximam, causam & modum efficiendi aurum minerale, vt possit aurum artificiale producere.

Respondetur, nego antecedens, & retorqueo argumentum hoc modo. Ignorat Chymicus (vt fatetur Gaston) materiam proximam, causas efficientes, & modum efficiendi aurum minerale: ergo ignorat materiam proximam causas efficientes, & modum efficiendi aurum artificiale; ergo numquam Chymicus poterit efficere aurum artificiale. Antecedens plurimi Chymici, præsertim Dulco, fatentur esse verum, & ego supra probaui. Secunda consequentia est euidentissima. Prima consequentia Probatur: Cognitis omnibus proprietatibus auri, adhuc nequit cognosci, quæ sit materia proxima, quæ causa efficiens, & qui modus efficiendi aurum artificiale, nisi vel cognoscatur materia proxima auri mineralis; vel casu, aut experientia cognoscatur materia, & causa auri artificialis; vel ratione à priori cognoscatur materia proxima, causa efficiens, & modus efficiendi aurum artificiale: Sed nequit Chymicus hæc scire; ergo nequit aurum efformare.

Maior quatuor habet partes; totidẽ habet minor: singulas partes maioris, & minoris simul perspicuè ostendã.

Prima pars nempè, quòd cognitis proprietatibus auri adhuc nequit cognosci, quæ sit materia proxima, & modus efficiendi aurum artificiale. Probatur ex communi consensu omnium Philosophorum, qui docent nos plurium rerum naturalium causas ignorare: ergo etiamsi Chymicus perfectè cognoscat omnes proprietates auri, inde non potest deuenire in cognitionem, quæ sit materia proxima, quæ efficiens causa, & quis modus efficiendi aurum artificiale; sicuti etiam si sciat proprietates auri mineralis, nequit tamen cognoscere (vt fatetur Dulco) causas auri mineralis. Ratio est, quia cùm causa æquiuoca sit diuersæ speciei cum effectu, ex cognitione effectus, non cognoscitur causa; nisi de ea experientia constet; sicuti si nemo vidisset ignem simul cum fumo, seu fumum ex igne, videndo fumum non posset deuenire in cognitionem ignis; sic videmus magnetem aspicere polum, ignoramus tamen vnde id proueniat, an ex aliqua qualitate, quæ sit in magnete tantùm? vel in polo tantùm, vel in vtroque? & huius qualitatis essentiam ignorantes vocamus illam qualitatem occultam. Sed exemplis hoc apertissimè demonstrabo: finge quod sit Chymicus, qui perfectissimè nouit omnes proprietates apis, scorpionis, vespæ, scarabei, locustæ, anatis, ligni, lapidis: Petat Rex aliquis ab isto Chymico, vt sub pęna capitis intra annum, vel mensem, hæc omnia arte sibi producat, si miser chymicus numquam audisset, legisset, aut vidisset ex equo strangulato apes, ex basilico scorpiones, ex asinis vespas, & ex equis scarabeos, ex mulis locustas, ex quibusdam lignis scotiæ incidentibus in aquas anates, ex lignis incidentibus in certos fontes lapides produci; si certissimè sciret sibi moriendum; nisi ista arte produceret: nonnè breuissimè insaniret? quando vmquam somniaret, quæ sit materia proxima scorpionis artificialis, anatis artificialis, lapidis artificialis? & si sciret, alio sibi dicente, basilicum esse materiam proximam scorpionis, lignum anatis & lapidis; nonnè si nihil aliud illi diceretur insaniret? quærendo causam efficientem; & si sciret causam efficientem, esse aquam lapidis, & anatis, quomodo insaniret, vt inueniret aquam, quæ talem virtutem haberet? cùm non omnis aqua talem producat effectum: ergo sicuti parùm, imò nihil iuuaret miserrimum Chymicum, vt perfectissimè sciret naturam scorpionis, anatis, & lapidis, vt inueniret illorum artificialium materiam proximam, causam efficientem, & modum efficiendi; ita neque iuuat insanientes Chymicos, scire auri proprietates, vt inde sciant materiam proximam, causam efficientem, & modum efficiendi aurum artificiale.

Secunda pars, nempè cognitis proprietatibus auri, adhuc ignorari, quæ sit materia proxima auri artificialis, nisi saltem cognita sit materia proxima auri mineralis. Probatur, quia si Chymicus sciret materiam proximam, causam efficientem, & modum quo natura efficit aurum minerale, esset aliqua (quamuis tenuissima) spes, vt deprehendere posset aliquando materiam proximam, causam efficientem, & modum efficiendi aurum artificiale: Sed ipsi fatentur se ignorare illa in auro minerali; ergo nulla remanet spes ea sciendi, quoad aurum artificiale. Maior probatur, quia ideò Ægyptij potuerunt arte, ex ouis excludere pullos (quos liceat vocare) artificiales, quia nouerunt causam efficientem, & modum efficiendi pullum naturalem, idest à gallina, ex ouo exclusum, quia considerantes, quod calor vitalis aliquando suppletur calore igneo, ideò inuenerunt calorem igneum, vt causam efficientem pulli naturalis; deinde considerantes qua intentione calefieret ouum à calore vitali, eadem intentione attemperarunt calorem igneum illo multiplici fornice; ergo ex cognitione causæ rei naturalis, deuenitur in cognitionem causæ rei artificialis; ergo Chymici ignorantes causas auri naturalis, neque possunt cognoscere causas auri artificialis.

Ter-

Tertia pars Probatur: chymici neque ex industria, neque fortuitò vnquam experti sunt modum efficiendi verum aurum artificiale: ergo non possunt chymici experientia aliqua deprehendere materiam proximam, causam efficientem, & modum efficiendi verum aurum artificiale. Chymici (præsertim Dulconius in tota sua Apologia Chrysopeiæ) obstinatissimè negant ipsos non esse expertos productionem veri auri artificialis; sed Ego indissolubili argumento probo antecedens? Nam si Chymici experientia deprehendissent modum efficiendi aurum artificiale, non essent infinitæ opiniones de tali modo, nec quotidie prodirent innumera volumina, quæ semper diuersas opiniones tradunt de causa efficienti, & modo efficiendi aurum artificiale; sicut quia multa artificialia nostris temporibus experientia ipsa prodidit industria, vel casu inuenta, vt de vitro, pixide nautica, nemo iam disputat de materia proxima, de causa efficiente, & modo efficiendi vitrum, aut pixidem nauticam; iam enim ista experientia nota sunt; ergo si nota esset ex experientia materia proxima causa efficiens, & modus efficiendi aurum artificiale, vt quid tot volumina, tot opiniones, tot durissimæ disputationes, tot facultates igne exhaustę, tot sudores? ergo experientia adhuc non prodidit materiam, causam, & modum auri artificialis.

Quarta Pars probatur, quia nulla ratio à priori afferri potest, cur argentum viuum, aut aliud sit materia proxima auri artificialis; cur calor igneus sit causa efficiens, & cur modus efficiendi sit decoctio auri naturalis, vt redigatur in lapidem seu calcem, & decoctio argenti viui, vt similiter in lapidem seu calcem, & decoctio argenti, vt similiter in lapidem, seu calcem, seu rubrum puluerem redigantur: deinde vt ista misceantur, & decoquantur, prout docent Chymici, quod mox ostendam: ergo nullum superest medium, quo Chymici deueniant in cognitionem materiæ, causæ, & modi efficiendi aurum artificiale; ergo in vanum laborauerunt, & laborant.

SECTIO II.

Chymicos frustrà laborare, ex modo, quo aurum efficiunt, demonstratur.

SVMMARIVM.

Argentum viuum habet communes proprietates cum auro. num. 97. & 101.

Vnde proueniat aurum in igne inuictum perseuerare? n. 98.

Modus quo Alchymistæ faciunt aurum artificiale. nu. 99.

Aurum chymicum retinet qualitates venenosas argenti viui. num. 100.

Aurum chymicum non potest esse perfectius auro minerali. num. 102.

Vanissimè Chymici gloriantur se posse in infinitum multiplicare aurum. num. 103.

97 Obijcies vltima ex eodē Gastone Dulco *in Apolog. Chrysopeia, fol. 39. & 46.* Argentum viuum habet communes proprietates cum auro: ergo ipsum est materia proxima auri artificialis.

Antecedēs probatur nā quatuor sūt proprietates auri. Prima est, nam igne non inflammatur, neq; exuritur; sic pariter argentum viuum igne non inflammatur, neque exuritur, sed abit in fumum, & rursus redit ad priorem statum.

Secunda est, nam aurum igne non dissoluitur, vnde idem Gaston Dulco *vbi suprà*, narrat pulchram experientiam à se factam: siquidem intra fornacem vitri posuit duas vncias auri, & duas vncias argenti; post duos menses, quibus continuo igne fuerunt decocta, inuentum est aurum nihil omninò sui ponderis amisisse; argentum verò amisit duodecimam partem sui ponderis, quæ erant in vitrum conuersa, & remanserat in superiori parte argenti. Porrò hæc indissolubilitas auri, vt in-
98 uictum in igne perseueret, prouenit ex perfectissima mixtione humidi, & sicci; nam adeò perfecta est ea mixtio humidi aquei, & terrei sicci, vt cum ignis, quærit partes auri rarefacere, & vult humidum aqueum in vaporem efferre, tunc humidum defenditur, & tuetur à terreo sicco, ne euolet; cùm autem vult ignis terreum siccum ab humido secernere, & in cinerem redigere; prohibetur ab humido aqueo; ita vt vtrumque tutum, incolume, & inuictum in ignis pugna persistat. Similiter hæc proprietas conuenit argento viuo, quod igne non dissoluitur; quamuis enim in fumum abeat, nam propter humidum quo abundat in vaporem eleuatur, igne agente (qua etiam causa argentum viuum non est ductile) tamen si totus vapor ille superposito vase colligatur, & decidat in aliquod vas, non coibit in pristinam speciem argenti viui, & redibit, nulla detracta parte pristini ponderis.

Tertia proprietas auri est, quod sit tenuissimum, vnde est ductile in subtilissimas laminas; & hoc etiam conuenit argento viuo; quia quamuis propter abundantiam humidi, non sit ductile in laminas; tamen est adeò tenue, vt corio inuolutum, & vehementer expressum, transeat corio illæso, propter sui tenuitatem; & quamuis oleum sit tenuissimæ essentiæ, tamen nequit pertransire corium.

Quarta proprietas auri est, vt in pondere superet cætera metalla, nam (vt ipse Dulco expertus est) filum auri ponderabat 62. grana: filum argenti ductum ex eodem foramine, & eiusdem longitudinis 36. grana: æris 30. Calybis 27. ferri 26. stanni 25. argentum viuum autem sexta parte minus auro ponderat: quare argentum viuū est ponderosius quolibet metallo, excepto auro.

Consequentia superioris argumenti probatur; nempè quod argentum viuum sit materia proxima auri artificialis; ostendendo modum, quo Alchymistæ faciunt aurum artificiale.

99 Primum igitur accipiunt aliquas libras auri purissimi, vt ex eo conficiant celebratissimum illum lapidem Philosophorum, quo mediante dicunt se conuertere argentum viuum in aurum; lapis iste pluribus solet appellari nominibus, præsertim vocatur *Elixir* à verbo *Elicio*, quia ex argento viuo elicit formam auri.

Itaque decoquent aurum, deinde illud expoliant suo colore citrino, quod faciunt immissa in crysollo aqua distillata ex sale quæ expoliat aurum suo colore citrino, & ipsa aqua euadit citrina, & remanet totum aurum album, vt argentum.

Deinde toties aurum decoquitur, vt alio quodam artificio redigatur veluti in calcem albam & duram, sicuti lapidem, & id vocatur *lapis Phylosophorum*.

Post factam calcem auri, seu lapidem Phylosophorū, debet fieri calx argenti viui; Itaque argentum viuum deco-

decoquitur, ita tamen vt ſuperpoſito vaſe nihil de eo deperdatur; nam fumus decidens iterum redit in ſui priſtinam ſpeciem argenti viui; toties autem decoquitur, quouſque coierit in lapidem durum; & tandem in calcem, vel puluerem rubrum vertatur.

Inquit autem Dulco, non debere accipi argentum viuum vulgare; ſed argentum viuum elicitum artificio quodam à metallis: etenim experientia compertum eſt, à quolibet metallo poſſe elici, & ſeparari argentū viuū.

Facta igitur vtraque calce auri, & argenti viui, debet calx auri, certa proportione, miſceri cum calce argenti viui, & vtraque calx certis ignis gradibus debet decoqui.

Cum autem qualitates calcis auri, ſint calidæ, & ſiccæ; qualitates verò argenti viui frigidæ, & humidæ; hinc fit pugna inter vtriuſque calcis auri, ſcilicet, & argenti viui qualitates, & inde fit temperamentum, & noua mixtio; quia corrumpitur forma calcis argenti viui, & producitur tertia forma, ab vtraque diuerſa, quæ à Phyloſophis vocatur forma mixti, & talis forma eſt forma auri, eiuſdem ſpeciei cum auro minerali.

Reſpondetur tranſeat antecedens. Nego conſequentiam: quot enim verba, tot delyria: quot periodi, tot ſomnia vigilantium, vt mox pluribus oſtendam.

Primò, certiſſimum eſt, formam mixti participare qualitates, & proprietates corporum, ex quibus reſultauit ipſa tertia forma mixti; ſed forma auri chymici eſt ſecundum chymicos forma mixta, ideſt tertia forma re-
101 ſultans ex calce aurea, & ex calce argenti viui; ergo forma auri chymici retinebit eaſdem qualitates venenoſas, & mortiferas, & alias impuras qualitates argenti viui, ex quo facta eſt mixtio; ergo aurum chymicum non habet proprietates auri mineralis, quæ non ſunt venenoſæ, ſed ſalubres. Maior patet inductione, ſic mixtum retinet qualitates elementorum, ex quibus facta eſt mixtio; hinc ex cibo ſalubri fit optimus ſanguis; ex prauo cibo morbidus ſanguis; hinc aqua deſtillata ex varijs floribus retinet aliquas eorum qualitates; vnde ex odore deprehenduntur flores admixti; ergo mixtum participat qualitates corporum ex quibus fit mixtio.

Secundò, peto quis reuelauit Chymicis tertiam formam reſultantem ex vtraque calce, eſſe formam auri, id quomodo oſtendunt? quomodo probant per pugnam illarum qualitatum fieri temperamentum, quod ſit temperamentum auri potius, quàm alterius rei ſpecie longè diuerſæ? ergo gratis loquuntur. Dicent ſe id probare experientia, quia in auro chymico inueniunt proprietates auri mineralis. Sed vellem quod ipſi ſui chymici auri potatione, eius proprietates venenoſas experirentur; vt qui aurum ſitiunt, aurum biberent, & ſuo auro interirent, & ſic alios deinceps non deciperent.

Tertiò, peto à Chymicis, quando vnquam viderunt formam mixti reſultantem, eſſe eandem ſpecie cum forma, quæ præceſſit immediatè ante illam? Inductione enim patet, quod ex ligno fit ignis, ex igne cinis, ex cinere vitrum. Sic ex pane fit ſanguis, ex iſto chylus, ex hoc caro, ex carne cadauer: ergo repugnat quod prius ſit forma auri, deinde calcis aureæ, deinde rurſus forma auri; ergo corrupta forma auri, non poteſt rurſus introduci, vnica tantùm calcis forma mediante, alia forma auri: ergo introducitur forma diuerſa ab auri forma.

101 Quartò, peto à chymicis quomodo probant ſufficere quatuor illas proprietates, in quibus conueniunt argentum viuum, & aurum, ad hoc vt argentum viuum ſit materia proxima auri artificialis. Etenim maiores ſunt diſconuenientiæ: Diſconueniunt primò, quia argentum viuum eſt frigidum, aurum calidum, ſecundò argentum viuum eſt humidum, aurum ſiccum.

Tertiò, abit in fumum igne agente argentum viuum, non aurum. Quartum argentum viuum eſt album, aurum citrinum. Quintò argentum viuum non eſt ductile, ſed fluidum, aurum ductile non fluidum. Sextò argentum viuum habet qualitates venenoſas, & mortiferas; aurum lætificat cor, & habet qualitates ſalubres; Ergo gratis didicunt propter ſymboleitatem poſſe argentum viuum transformari in aurum, cùm maiores ſint diſconuenientiæ, quàm conuenientiæ.

Quintò, peto ſi propter conuenientes qualitates poteſt argentum viuum transformari in aurum, dicant mihi Chymici quam conuenientiam ipſi aſſignant inter herbam baſilicum, & ſcorpionem? cùm tamen herba illa ſit materia proxima ſcorpionis; ergo parum refert conuenientia aliquarum qualitatum inter argentum viuum, & aurum; videmus enim multa eſſe inuicem conuenientia, quoad pleraſque qualitates, & nihilominus inuicem non transformari; è contrario aliquando nulla ferè apparet conuenientia, vt inter herbam baſilicum, & ſcorpionem, & tunc fit tranſmutatio; ergo infirmum eſt argumentum chymicorum ductum à conuenientia inter aurum, & argentum viuum.

Sextò, peto à Chymicis præſertim à Gaſtone Dulcone, quomodo probant, quod ex pugnantia vtriuſque illius calcis reſultat forma mixti, & ſic tertia forma, quæ dicitur mixtio, & non potius fiat generatio; ideſt quod vna calx conuertat in ſeipſam alteram calcem? millies in ſua Apologia Dulco repetit fieri mixtionem, non autem generationem; ſed nunquam nec vno verbulo, id conatur probare, gratis enim docent. Ego verò probo fieri generationem: Nam calx auri cùm ſit calida eſt actiuior, quàm calx argenti viui, quæ eſt frigida; ergo veriſimilius eſt quod calx auri conuertat in ſe ipſam calcem argenti viui. Sed calx auri non eſt aurum, quia propter tot alterationes amiſit omnia ferè accidentia auri, & ſic etiam amiſit formam ſubſtantialem auri; ergo illud quod producitur non eſt aurum, ſed eſt forma calcis auri, generata ex argento viuo.

102 Septimò, vaniſſimè Chymici gloriantur (præſertim Dulco) aurum chymicum eſſe perfectius auro minerali, nam ex hypotheſi, quod haberet formam ſubſtantialem auri, adhuc tamen eſſet longè minus perfectum auro minerali, quod probo primò, quia mixtum participat qualitates corporum ſimplicium, vt patet inductione; ergo mixtum auri artificialis, quod procedit ex calce argenti viui, & calce auri, participat qualitates impuras, & venenoſas argenti viui; ergo tale aurum artificiale eſt longè minus perfectum auro minerali, quod habet qualitates ſalubres. Probo ſecundò, experientia, nam ſuppoſita communi ſententia Thomiſtarum, quòd aqua mixta vino tranſeat in vinum, & corrupta forma aquæ, producatur in ea forma vini; tamen vinum mixtum aqua, quamuis quoad omnes partes ſit verè vinum; tamen non eſt ita perfectum, ac vinum merum, ſeu purum: ergo quamuis argentum viuum mixtum auro, tranſeat in aurum, & ſic quoad omnes partes ſit verè aurum; tamen non eſt ita perfectum, ſicuti aurū minerale, quod non eſt mixtum. Octauò vaniſſimè chymici gloriantur, ſe facto lapide Phyloſophorum, poſſe in infinitum multipli-

care

103 care aurum, vnde iactabundus Augurellus de suo puluere chymico scripsit:

Ipsius, vt tenui proiecta parte per vndas
Æquoris, argentum si viuum tum foret æquor,
Omne vel immensum verti mare posset in aurum.

id falsissimum esse, quod possit moltiplicari aurũ. Probo primò ratione, quia sit vnica libra calcis aureæ, & altera libra calcis argenti viui; etiamsi per decoctionẽ euaderẽt duæ librę auri chymici; tamen cũ duę istæ libræ auri chymici sint minus perfectum aurũ, ac est minerale, vt suprà probaui; ideò si ex duplici libra auri chymici decocta, fiat iterum lapis Phylosophorum, non poterit misceri cũ duabus alijs libris argenti viui, vt inde procedant quatuor libræ auri chymici; nam istæ quatuor libræ haberent impurissimas, & venenosissimas qualitates argenti viui, etenim in illis quatuor libris, tres essent ex argento viuo; quare vel nequiret nullatenus fieri aurum; vel illud esset impurissimum; & si sic iterum ex illis quatuor libris fiat lapis; illud aurum quod procederet, esset longè impurius, & indignissimum nomine auri. Secundò, probo experientia, nam etiamsi vera esset opinio, quod aqua mixta vino transeat in vinum tamen cum semper euadat vinum debilius, & debilius, quo maior aqua miscetur; tandem illud vinum mixtum aqua, habebit vires adeò refractas, & debiles, vt amittat omninò vires conuertendi in se aquam, alioquin ex vna phiala vini procederent mille dolia vini, paulatim admixta aqua; ergo quamuis vera esset opinio Chymicorum, quod ex vna libra auri mineralis, per decoctionem cum altera libra argenti viui, possint effici duæ libræ auri; hoc tamen aurum non est ita perfectum, vt minerale, cum participet qualitates impuras argenti viui; ergo non habebit vires, vt ex illo fiant rursus duæ aliæ libræ auri, deinde quatuor, &c. Tertiò, probo altera experientia de qua ex Arist. *lib. 1. de hist. anim. c. 1. & lib. 1. de gener. animal. cap. 1.* vbi, ait, quòd non habent vires generandi mures procreati ex semine murium generatorum ex putri; quia sunt debiles: ergo neque ex aurochymico, poterit eodem artificio produci aliud aurumchymicum.

Nonò, vanissimè Alchymistæ diuitias spondent, vndè hæc ars est inutilis, nec efficit aurum, sed absumit, nec implet sed exhaurit crumenas; quod euidenter ostendo: Nam vt fiant v. g. duæ libræ auri chymici, necessaria est vnica libra auri mineralis, ex qua fiat calx auri, seu lapis Phylosophorum: deinde necessaria est saltem altera libra auri in pecunia, pro necessarijs impensis, vt ex metallis elijciatur argentum viuum, pro instrumentis, ministris, & alijs, quæ requiruntur. Dixi alteram libram in pecunia requiri; sed vtinam centum libræ in pecunia non exhaurirentur: suo damno id didicerunt qui experti sunt; ergo etiam si aurum chymicum esset verum aurum, nullius erit vtilitatis; cùm nequeat deinde multiplicari, vt suprà ostendi. Verè itaque Ioannes XXII. pronunciauit: *Spondent quas non exhibent diuitias pauperes Alchymistæ.* Verèque sctipsit Demetrius Falerus, vt apud Garzonium *in Platea fori vniuersalis discursu 13. Quod capiendum illis erat minimè ceperunt; amiserunt quod possidebant.*





TRACTATVS OCTAVVS MISCELLANEVS.



QVÆSTIO PRIMA.

An violator Ecclesiasticæ Immunitatis aliquando excusetur à censuris?

SVMMARIVM.

A censura excusat ignorantia culpabilis, dummodo non sit crassa. num.1.
Quæ sit ignorantia crassa, quæ non crassa? num.2.
In dubio Subditus potest obedire superiori. num.3.
Quare possunt exequi Principum mandata, in dubio, eius Ministri, milites, gabellarij, & similes. num.4.5.6.
An possint detineri in carceribus Curiæ Secularis Clerici, donec probent Clericatum, & requisita? num.7. & 8.
Consuetudo contra immunitatem ecclesiasticam, quamuis immemorabilis, & nulla. num.9.
Tolerantia Summi Pontificis non excusat. num.10.
An Episcopi possint habere familiam armatam? num.11. & an ista gaudeat priuilegio fori? num.12.
An Diaconi Saluatici gaudeant priuilegio fori? num.13. & 14. Ignorantia Iudices excusat. num.15. qui etiam stante opinionum conflictu, quamuis falsam opinionem sequantur, ex ignorantia excusantur. num.16. Quandoque tamen non excusantur. num.17. Ad cautelam petenda est absolutio. num.18.



Respondetur affirmatiuè, quando scilicet dubitat se infringere ecclesiasticam immunitatem, nec sufficientem diligentiam adhibet ad indagandam veritatem; tunc quamuis mortaliter peccet, quia culpabiliter ignorat, tamen non incurrit excommunicationem, quia ab in-
1 currenda censura ignorantia vincibilis, seu culpabilis
excusat, dummodò non sit ignorantia crassa, seu supina, textus est *in cap.2. de constitution. in 6.* ibi: *Vt animarum periculis obuietur, sententijs per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non sit, aut supina.* Et hoc procedere in quacumque censura docent communiter Doctores, vt testatur Layman *lib.1 tract.5. par.1 cap.5. num.7.* Tannerus *tom.4. disp.6. quæst.10. dub.3. num.47.* Hurtadus de Mendozza *in 2.2. vol.1. disput.83. sect.5.* §.42. Diana *par.5. tract. 9. resol.17.*

Cum autem Dux consulens carcerauit cursores Episcopi; Clericum etiam coniugatum cum habitu, & tonsura delinquentem, carceratum detineat, eo quod ipse testes examinauit, qui deponunt numquam diuinis inseruisse. Denique exegit taxam collectarum, qua intuitu Clericorum Laici erant grauati, & Episcopus causa cognita exactores excommunicauerat. Quæritur an his casibus excusari possit à censura; quia omnia hæc fecit ex mandato superiorum Ministrorum Regis, & an hæc dicenda sit ignorantia culpabilis, seu vincibilis tantùm, vel crassa, & supina?

Vt autem docet Layman *lib.1. tract.2. cap.4. num.5:*
2 *Illa est ignorantia crassa, lata, seu supina, ad quam tollendam nulla, vel modica cura adhibetur, qualis ignorantia earum rerum plerumque esse solet, quæ communiter ab eiusdem conditionis, ac status hominibus cognoscuntur. Non crassa, seu non supina ignorantia est, quæ non tam facilè superari potuit, vel ad quam vincendam diligentia adhibita est, sed non sufficiens.* Ita Layman.

Vnde huius Ducis ignorantiam fuisse non crassam, neque supinam patet, nam non ita facilè, neque liquido apparere potest, an iustè ista fecerit, & aliqualem diligentiam (quamuis non sufficientem adhibuit) consulendo supremos Regios Ministros, viros, (quos existimare par est) doctos, ac pios; Quare eius ignorantia supina non est, & sic excusandus à censura: vt ex sequentibus ostendam.

Prima itaque excusantibus causa est, supremorum Ministrorum Regis præceptum, quorum mandato hæc fecit; quamuis enim dubitabat illos iusta præcipere, tamen rationabiliter iudicare poterat illos doctos, ac pios

viros

viros iusta mandare, etenim in dubio an præceptum sit licitum, quilibet subditus potest superioris præcepto parere. Ita Suarez *de Religione, tomo 4. lib. 4. cap. 15. num. 30.* Sanchez *in Summa lib. 6. c. 3. nu. 3.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 113. concl. 3.* Salas *1. 2. tract. 8. disp. vnica, sect. 8. nu. 76.* Diana *par. 2. tract. 13. resol. 10. & par. 4. tract. 4. resol. 31. & tract. 3. resol. 9.*

4 Sic Ministri Principum, etiamsi dubitent de Iustitia sententiæ possunt, & tenentur illam exequi, Martinez *1. 2. tomo 1. quæst. 19. art. 6. dub. 5. concl. 2.*

5 Miles quamuis neque Subditus, neque compulsus, potest bellare, quamuis dubitet de Iustitia belli; præsumere enim potest Regem iustè indicere bellum, vt probabiliter docent Petrus Nauarra *de restitut. lib. 2. c. 3. par. 2. dub. 12. num. 160.* Salas *1. 2. qu. 21. tract. 8. disp. 1. sect. 26. nu. 272.* Diana *par. 2. tract. 5. resol. 96. & par. 4. tract. 4. resol. 32.*

6 Gabellarius potest exigere vectigalia, quamuis dubitet à talibus personis iniustè exigi, quamuis non sit Subditus, neque compulsus, quia potest iudicare Regem, seu Proregem esse prudentem, & ex Doctorum consilio gabellam imponere, ita Vasquez, & Turrianus, quos sequitur Eminentissimus Lugo *tract. de Iust. tom. 2. disp. 36. num. 93.*

Itaque iste Dux, quamuis dubitaret se infringere immunitatem ecclesiasticam; tamen acquiescere potuit mandatis supremorum Ministrorum Regis, sciens eos doctos, ac timoratos. Quare, vel inculpabiliter, vel non crassè ignorauit, & sic excusandus est à censura.

Secunda excusationis causa est; obseruantia, & vsus; nam Clerici in Curijs regni detinentur in carceribus do-
7 nec probent Clericatum, & requisita per modum informationis Curiæ, Francus *decis. 329.* Borrellus *in Summa, decis. tom. 1. tit. 44. num. 425.* & ita seruari quoque in Hispania scribit Couar. *pract. qq. c. 33. nu. 1.* In Lusitania, Valaschus *tom. 1. alleg. 44. num. 10. & 12.* In Gallia Rebuffus *ad leges Galliæ, tom. 1. tit. de litteris obligator. art. 11. glossa 3. num. 15.* Paponius *lib. 1. tit. 5. arresto 4.*

8 Quamuis autem cognoscere de Clericatu, seu requisitis non spectet ad Iudicem Laicum, sed ad Ecclesiasticum, vt *patet ex cap. si Iudex Laicus de sententia excom. in 6.* & probat Diana *par. 2. tract. 2. resol. 28. par. 3. trac. 1. resol. 10. 15. & 63. par. 4. tract. 1. resol. 5. par. 7. tract. 10. resol. 5.* & oppositam opinionem tamquam falsam, & sacris Canonibus contrariam communiter reprobari, testatur Farinac. *de inquis. qu. 8. num. 34.*

Neque excuset obseruantia, cum qualibet consuetudo contra immunit. Ecclesiasticam quantumuis imme-
9 morabilis sit nulla *authentica cassa, C. de SS. Eccl. cap. cum terra de elect. cap. ad nostram c. cum inter de consuet.* nisi adesset fama priuilegij, vt ait Suarez *in Regem Angliæ, lib. 4. cap. 34. num. 17.* Diana *par. 4. tr. 1. resol. 1. & 62. & par. 7. tr. 1. resol. 18.*

Et Vrbanus VIII. *anno* 1641. *die* 5. *Iunij* in Bulla incip. *Romanus*, damnat, & annullat omnia præiudicialia facta, & facienda contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam, etiam sub prætextu, quod Bullæ, seu constitutiones Pontificiæ non fuerint publicatæ, vel vsu receptæ, aut contrario vsu etiam decennali, & quantumuis longissimo, vt prætenditur abrogatæ.

Itaque reuersa hæc obseruantia non excusat à censura, nisi ratione ignorantiæ, vt mox dicam, sed certè apud timoratos, & pios Iudices hæc obseruantia non adest, tantùm enim extraiudicialiter petunt instrui de Clericatu, & ita Neapoli in magna Curia Vicariæ seruari testatur Francus *decis. 329. in fine*, & patet ex verbis Borrelli, qui *in Summa, decis. tom. 1. tit. 44. num. 425.* sic ait. *Quando Clericus reperitur carceratus à Iudice Laico accusatus de delicto, volens ostendere se Clericum, & Clericatum docere, pars citanda non est, quia cùm Clericatus sit docendus coram Episcopo, coram Laico non dicitur fieri in vim plenæ probationis, sed potius instructionis*, ita Borellus, qui citat Baldum, Marsilium, Tiraquel. Guidonem Papa, Couar. Nattam, & Bellugam. Vndè Amendola ad Francum *decis. 329. num. 15.* ait: in casu dubio remittendum reum, & idem docet in Hispania obseruari Auendanus *de exeq. mandatis, cap. 22. num. 2.* Ex quibus constat timoratos Iudices ad Episcopum remittere reum, vt probet Clericatum, & requisita.

10 Neque excusat tolerantia Summi Pontificis, quia permittit, ne maiora mala sequantur, vt ait Suarez *de legibus, lib. 7. cap. 13. num. 12. & in Regem Angliæ, lib. 4. cap. 32. nu. 11.* Filliucc. *tract. 16. num. 256.* *Surdus to. 1. cons. 301. num. 57.* Bonaccina *tom. 3. in Bullam Cœnæ, disput. 1. quæst. 15. punc. 4. §. 1. nu. 5.* Diana *par. 1. trac. 2. resol. 5. par. 3. tract. 2. resol. 56. par. 4. tract. 1. res. 1. & 10.*

11 Præterea quamuis Episcopus possit habere familiam armatam, vt patet ex Trident. *sess. 25. de refor. cap. 3.* vbi dicitur quod debet abstinere à censuris, quoad fieri potest, & per pœnas pecuniarias, & distinctionem personalem procedere, etiam contra Laicos per proprios, aut alienos executores; quæ familia armata Episcopi in ci-
12 uilibus, & criminalibus gaudent priuilegio fori, vt patet *ex cap. fin. de offic. Archid.* & sexaginta octo Doctores citat Diana *par. 6. tr. 2. res. 2.* & alios citat *par. 4. tract. 1. resol. 17. & 30. & par. 5. tr. 1. resol. 1.* Et Vrbanus VIII. alijsque Pontifices pluries obseruari præceperunt, vt constat ex pluribus Decretis sacræ Congregationis sacto verbo cum Sanctiss. quæ affert Diana *par. 5. tr. 1. resol. 1. par. 4. tract. 1. resol. 30. & par. 6. tract. 2. resol. 3.* & Barbosa *in Collectan. ad Trident. sess. 23. cap. 6. nu. 42.* Sacra autem Congregatio Cardinalium negotijs Regni Neap. Præposita 10. *Kal. Iulij* 1623. vt testatur Riccius *in praxi fori Eccles. par. 4. resol. 480.* & Barbosa *in Collect. ad Trid. sess. 23. de refor. cap. 6. num. 45.* decreuit; *In Re-*
13 *gno Neapolitano Diaconos Saluaticos pro Ecclesiarum, & Episcoporum seruitio retineri in Cathedralibus posse ad summum quatuor; in Collegiatis verò, in quibus Diuina celebrantur, si Episcopo videbitur, vnum; qui priuilegio Canonis non gaudent, fori autem priuilegio in criminalibus omninò, in ciuilibus verò quoad corporis distinctionem tantùm, & immunitate ab oneribus personalibus, non autem ab alijs durante seruitio, frui debent.* Ita sacra Cõgregatio.

14 Tamen in Regno Neapolitano cursores Episcoporum, seu Diaconos saluaticos non gaudere priuilegio fori, communiter obseruatur, sed hæc obseruantia est nulla, quia contra immunitatem Ecclesiasticam, & reuera excommunicationem incurrunt Iudices, & Barones, qui
15 ea obseruantia vtuntur; Excusantur tamen ob ignorantiam, nam quando consuetudo ita inualuit contra legem, vt plerique viri timorati sine remorsu conscientiæ eam seruant, quamuis consuetudo sit nulla, & irrita, vel adhuc non sit legitimè præscripta, tamen excusantur eam seruantes, neque excommunicationem incurrunt; nam rationabiliter putare possunt ex aliqua causa sibi ignota id fieri, ita Valentia *tom. 3. disp. 7. quæst. 5. punct. 8.*

Regi-

Reginaldus *lib.13. num.147.* Salas *de legibus disput.19. sect.4. §.5. num.43. & par.2. quæst.21. tract.8. disp.vnica num.169.* Azorius *tom.1. lib.2. cap.19. quæst.12.* Diana *par.1. tract.10. resol.3. & par.4. tract.3. resol.14. & 22.* Dualius *par.2. tract. de legibus quæst.7. artic.2.* Basseus *in floribus Theol. practica verbo consuetudo num.16.*

16 Tertia causa excusationis est opinionum conflictus, plerique enim Doctores sustinent posse Laicum cognoscere de habitu Clericali, & requisitis, posse etiam cognoscere de familia laica Episcopi, vt apud Dianam *locis citatis*, & quamuis hæc opinio falsa sit, cum Theologi omnes, quibus in hac materia credendum est eam, vt falsam reijciant, & opinio, quæ tamquam falsa reijcitur à cæteris Doctoribus non possit sequi in conscientia, vt docet Sanchez in *Summa lib.1. cap.9. num.11.* qui affert Vasquez & Sayrum.

Tamen cum falsitas opinionis, non ita liquido appareat, nec sit manifesta, cum etiam doctissimus falli possit in cognoscenda falsitate opinionis, meritò excusatur quis, si eam sequatur, qua ratione puto excusandos Regios ministros, qui multa contra immunitatem Ecclesiasticam committunt; cùm enim vnius grauis Doctoris authoritas faciat opinionem probabilem, quamuis sit contra communem, vt docent Sanchez *in Summa lib.1. cap.9. numer.14.* Diana *par.4. tract.4. resol.30.* Castillo Sotomayor *de tertijs cap.12. num.39.* Ideò omninò excusandus est, vel saltem non erit crassa ignorantia, si vir doctus putet aliquam opinionem (reuera falsam) esse probabilem; Verùm excusandus non est, quando, aut
17 scit esse falsam opinionem, aut dubitat, & facillimè poterat instrui, & negligit, est enim tunc ignorantia crassa, quæ non excusat in conscientia à censura.

Ex quibus patet Ducem hunc non incurrisse censuram, nam eius ignorantia saltem non fuit crassa, quamuis fortè fuerit culpabilis, debebat enim consulere ante factum religiosos doctos, ac pios.

Verum quia bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est, vt ait S. Gregorius Papa *relatus in canone 4. dist.5.* & in dubio tutius sit petere absolutionem ad cantelam, fortè enim potuit esse ignoran-
18 tia crassa: ideò Consulo huic Duci, vt petat absolutionem ab excommunicatione, quam tamen quilibet Sacerdos poterit dare cum sit dubium de incursa censura Bullæ cænæ, vt probabo *infra quæst.16.* debet tamen promittere, quod Clericum, consignabit Episcopo, interim tamen poterit eum detinere, donec Episcopus decernat, an gaudeat fori priuilegio, seu an inseruierit Diuinis, vt habetur *in decis.202. Rota Rom. in nouis*, & infra ostendam, & promittere de cætero similia non committere, sed quando dubium in hac materia immunitatis Ecclesiasticæ euenit, consulet Religiosos doctos, ac pios.

QVÆSTIO II.

An Clerici coniugati, pro debito ciuili gaudeant priuilegio fori, quoad districtionem personalem?

SVMMARIVM.

In causis ciuilibus Clericus coniugatus non gaudet priuilegio fori, num.1. An gaudeat quoad districtionem personalem? num.2. Obseruanda est consueto, num.3. Quæ hæc est iuris interpetratiua. num.4.

Communis opinio est non posse carcerari pro debito ciuili. num.5. An hac consuetudo carcerandi coniugatos pro debito ciuili, adsit in Regno Neapolitano? num.6.

Cum via ritus liquidatur instrumentum, recurrendum est ad Episcopum. num.7.

Svppono in causis ciuilibus Clericum coniugatum non gaudere priuilegio fori, ita communiter DD. Io. Andreas, Dominicus, & Ancaranus *in cap. vnico de Cler. coniugatis in 6.* Couar. *pract. qq. cap.31. numer.7.* qui ait: ita Seruari in Hispania, Ludouicus Correa *in capit. inter alia par.2. num.33. de Immunit. Ecclesiastica*, Cenedus *canon. qq. lib.1. quæst.4. num.18. & 19.* Anton. de Marin. *quotid. resol. cap.58.* Barbosa *de Episcopo Allegat.12. num.25.* Farinac. *de inquisit. quæst.8. num.7.* Ex Theologis Sanchez *de matrim. lib.7. disp.46. num.22.* Layman *lib.4. tract.9. cap.8. num.5.* & ita *die 13. Februarij 1610.* testatur decisum à Sacra Congregat. Sellius *canon. qq. cap.18. num.27.* quamuis alij contrarium doceant, quos sequitur Borrellus *in Summa decis. tom.1. tit.8. num.6.* Diana *par.1. tract.2. resolut.51. & par.4. tract.1. resol.78.* vbi ex Gauanto refert sacram Congregationem pro Regno Neapolitano *die 17. Februarij 1630.* declarasse gaudere priuilegio fori, etiam in ciuilibus. Sed re vera sacra Congregatio teste Sellio *vbi suprà* declarauit obseruandam consuetudinem: in Regno autem Neapolitano, vt testatur Bonellus *vbi su-*
2 *prà*, consuetudo est, quod non gaudeat in ciuilibus. Difficultas est quoad districtionem personalem pro debito ciuili.

3 Respondetur seruandam esse consuetudinem, & ita in Hispania obseruatur, vbi Clerici coniugati sine vlla controuersia carcerantur pro debito ciuili à Iudice Laico, vt refert Couar. *pract. cap.31. num.7.*

Quod autem hæc consuetudo valida sit, probatur, quia non est expressè contra sacros Canones, sed est consuetudo iuris interpretatiua, quæ valida est, vt supra
4 Probaui. Quod autem hæc sit consuetudo iuris interpretatiua, non autem abrogatiua, patet, quia in *cap. vnico de Clericis coniugatis in 6*, nihil habetur de districtione personali pro debito ciuili, imo graues Doctores asserunt pro debito ciuili posse Clericum coniugatum carcerari, ex eo textu, quia ibi duo tantùm priuilegia conceduntur Clerico coniugato, nempe Canonis, & fori pro delictis commissis, & subditur: in cæteris autem eos gaudere nolumus priuilegio: ergo nullo alio gaudet priuilegio ergo neque isto, quod non possit personaliter capi pro debito ciuili, & ita docet ibi Io. Andreas, & Cardinalis Tuscus *V. Clericus concl.395. num.21.* ait: quod pro debito ciuili potest capi, & videtur textus ille apertè hoc dicere nisi cauilletur. Quicquid sit, certè nullus Canon tradit Clerico coniugato hanc immunitatem, quoad districtionem personalem pro debito ciuili: quare consuetudo seruanda est, quippè, quæ est optima legum interpres.

Verùm si non adsit talis consuetudo carcerandi Clericos coniugatos pro debito ciuili, illa introduci non potest absque peccato, neque poterit sine metu aliquo
5 censurarum carcerari; ratio est, quia communis opinio (secundum quam iudicandum est in foro externo) est quod nequeat pro debito ciuili personaliter astringi, &

de hac

de hac communi opinione testatur ipsemet Couar. & sequitur Farinac. *de Inquisit. quæst.8. num.7.* Ancaran. *in cap. vnico de Clericis coniugat. in 6.* Ripa *lib.1. responsorum cap.13. col.3.* & ita decisum à sacra Congregat. *decis.13. Febr.1610.* refert Selvius *Canon. qq. capit.18. n.27.* & Barbosa *in Collectanea ad Trid. sess.23. c.6. nu.49.*

Probatur, quia *ex d. cap. vnico*, gaudet Clericus priuilegio fori pro delictis etiam si ciuiliter agatur, ea ratione; quia cognitio de delicto quomodocumque respicit ipsam personam Clerici, quam Canones immunem faciunt à Laicali iuri dictione: ergo etiam à fortiori, quo ad districtionem personalem pro debito ciuili debet esse immunis.

Secundò, quia ob reuerentiam ordinis Clericalis; debet gaudere priuilegio canonis; ergo ob eandem reuerentiam debet esse Immunis à quacumque districtione personali per Iudicem Laicum.

Tertiò, quia Clerici non coniugati in casibus, in quibus tenentur contribuere cum Laicis, non possunt compelli, nisi per Iudices Ecclesiasticos, ita Guido Papæ *decis.78.* Aponte *de potestate Proregis tit.4. num.62.*

Itaque vbi non adest talis consuetudo; nequeunt Iudices Laici pro debito ciuili Clericos coniugatos personaliter adstringere; an autem adsit hæc consuetudo in Regno Neapolitano, videant illi, ad quos spectat. Borrel-
6 lus Neapolitanus *in Sum. decisionum tom.1. tit.8. num.7.* innuit talem consuetudinem non extare, quia ait: se vidisse in causis ciuilibus non gaudere, & subdit; *tamen Iudex Laicus non distringet, neque carcerabit, sed Iudex Ecclesiasticus.*

7 Non desinam hic adnotare, quod si ageretur via ritus, ex præsentatione instrumenti liquidi, vel obligationis executiuæ, tunc ad Episcopum est recurrendum; quia quæstio hæc sapit criminalitatem, ratione periurij, ita post Campanilem, & Clarum Capiblancus *de Baronibus pragmatica 8. par.3. num.58.*

QVÆSTIO III.

An in Regno Neapolitano tuta conscientia, possint Iudices Laici obseruare antiquissimum curiæ stylum, vt non remittant Clericum deprehensum in habitu, & tonsura, donec coram Episcopo probauerit Clericatum, & requisita?

SVMMARIVM.

Seruanda est consuetudo in hac re. num.1.

Seruitium diuinum non præsumitur, nisi probetur. num.2.

Tunc consuetudo dicitur contra immunitatem quando sumus in casu certo, & tunc est irrita; secus si sumus in casu dubio. num.3.

An ex hoc corruat omnis immunitas Ecclesiastica. num.4

RESpondetur affirmatiuè de eodem stylo Hispaniarum testatur Ignatius Lopez *in praxi crimin. can. cap.64. num.19.* quam praxim in eo loco, vbi viget seruandam, innuit Farinac. *de Inquisit. quæst.8. num.36.* fauet doctrina Barbosæ *tract. de Episcopo par.2. alleg.12. num.34.* vbi ait: *Capto Clerico Episcopum cognoscere directè de Clericatu, & requisitis ex Trident. citato tamen Iudice, & fisco secularis Curiæ; deinde facto decreto eum gaudere priuilegio fori, petenda est remissia, cum intimatione Decreti; & intra viginti horas, tunc Iudex secularis debet sine dedecore eum remittere, & non remittens, mox incidit in excōmunicationem*: idem docet Marius Antoninus *lib.3. resol.48. num.24.* fauet quoque decisio Rotæ Romanæ 202. *in nouis, quæ est 3. in tit. de sententia excom.* quam affert Riccius *collectan.2420.* nempè, quod Clericus coniugatus, non est remittendus, antequam coram Episcopo probet se duxisse vnicam vt virginem, & portasse habitum & tonsuram Clericalem; ergo neque est remittendus, donec coram Episcopo, probet se obseruasse requisita Concilij Trident. & inseruisse diuinis.

Præterea quamuis delatio habitus, & tonsuræ Clericalis, fundet præsumptionem tituli Clericalis; vnde iure antiquo attento, *ex C. si iudex Laicus de sententia excom. in 6.* mox erat Clericus remittendus ante cognitionem Clericatus, quia is status alicuius esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur, tamen sola habitus, & tonsuræ delatio, non fundat præsumptionem seruitij Diuini requisiti ex Trident. *sess.23. de refor. cap.6.* ad priuilegium fori: seruitium enim Diuinum non habet necessariam connexionem cum habitu, vel titulo Clericali, & cùm sit quid facti, non præsumitur, nisi probetur *l. in bello §. facta ff. de captiuis, & postlim. reuers.* aliunde verò Iudex Laicus est in possessione carcerationis; ergo non est spoliandus sua possessione, antequam coram Episcopo probetur seruitium diuinum; sicut non est spoliandus, antequam Clericus coniugatus coram Episcopo probet se duxisse vnicā, & virginem, & portasse habitum, & tonsurā, vt patet *ex dec. Rota Rom. 202 in nouis.*

3 Præterea, quamuis quælibet consuetudo, quantumuis immemorabilis contra Ecclesiasticam libertatem sit irrita, & nulla; tamen hoc procedit, quando sumus in casu certo, nempè quando certum est, aliquid esse contra sacros Canones, & Ecclesiasticam immunitatem; adeò vt si consuetudo esset valida abrogaret legem Ecclesiasticam: sed quando sumus in casu dubio, in quo aliquid non est euidenter contra sacros Canones, tunc valida est cōsuetudo; quia optima legum interpres est consuetudo, vt docuit Francus *decis.329. nu.12.* Quod vlterius ostendo, nam quamuis contra legem Ecclesiasticam non valeat consuetudo, nisi quadragenaria, DD. *in cap. fin. de consuetud.* tamen consuetudo interpretatiua legis, breui tempore præscribitur, neque diuturnitas temporis in ea requiritur, Crauetta *cons.201. nu.12. & cons.294. col.14.* Menoch. *de arbitr. casu 83. num.10.* Ergo dispar ratio est, de consuetudine abrogatiua ac de interpretatiua legis Ecclesiasticæ. Præterea communis Doctorum opinio, quæ legem de immunitate Ecclesiastica interpretatur, tutum facit in conscientia; ergo etiam tutum reddere debet consuetudo; quæ melius legem interpretatur; dicitur enim optima legum interpres.

4 Dies vnico falcis ictu, corruet omnis immunitas Ecclesiastica ex hac doctrina; semper enim dicent Laici consuetudinem esse validam, quia est legis interpretatiua in casu dubio, & ad ostendendum subesse dubium, sufficiet afferre pro se vnum, vel alterum doctorem.

Respondetur non posse se Laicos Iudices, ex hac doctrina, suas consuetudines contra Ecclesiasticam immunitatem defendere; parum enim refert si aliqui Doctores pro Laico afferantur, quando eorum opinio vti falsa à ceteris reprobetur; tunc enim illa opinio non est existimanda probabilis, neq; tuta in conscientia, vt docet Sāch.

in Sum. lib.1. cap.9. numer.11. Quare tunc consuetudo non erit interpetratiua, neque in casu dubio, sed in casu certo, & sic abrogatiua legis de immunitate Ecclesiastica, & consequenter irrita, & nulla,

QVÆSTIO IV.

An si septem Consiliarij omnes Principi consuluerunt contra Immunitatem Ecclesiasticam, quintus, sextus, & septimus incidant in excommunicationem.

SVMMARIVM.

Quando ex Consilio non sequitur delictum, non incurritur excommunicatio, num.1.

Quando recto suffragio, non sum profecturus, dans iniquum suffragium, pecco, sed non teneor ad restitutionem. numer.2.

Quando vota sunt secreta, quilibet incurrit excommunicationem, num.3.

Si publica, & decisiua, incurro quando spes est profectus, alioquin non incurro. num.4. Si vota sunt consultiua, semper incurritur excommunicatio. num.5.

1 PRo parte negatiua affertur Primò, quia lata sententia excõmunicationis contra consulentes, non comprehendit consulentem, consilio adeò simplici, vt sine illo consilio, sequutum esset delictum, Nauar. *in man.cap.27.num.51.* Duardus *in bullam cœnæ lib.1.cap.3. quæst.4. num.5.* Ratio est, quia verba legis intelliguntur cum effectu, nullus autem effectus præcisè sequitur ex consilio septimi, quia sine eo, adhuc violata esset immunitas Ecclesiastica.

2 Secundò, quando video maiorem partem Consiliariorum iniquum dedisse suffragium, vt nihil sim profecturus, neque alij sint suam sententiam mutaturi, tunc pecco quidem suffragando, & consentiendo; at non teneor ad restitutionem, Nauar. *cap.17. num.21.* Caietan. *Verbo restitutio cap.1. vers. attende ergo*; Vasq. *de restit. cap.9. §.1. num.16.* Molina *tom.3. disp. 32.* ergo neque excomunicationem incurro. Ratio est, quia tunc tale consilium non est causa influens in prauum effectum.

Respondeo distinguendos esse tres casus. Primus est, quando vota, seu suffragia sunt secreta, tunc quilibet
3 Consiliarius incurritur excomunicationem, nam eadem ratio est de primo, ac de vltimo voto; tunc enim non minus vnum, quàm alterum suffragium influit in prauam conclusionem.

4 Secundus est casus quando vota sunt publica, & decisiua; tunc si spes est, quod passim meo Consilio recto, ac iusto, mutare aliorum determinationem, si malè consulam pecco, & excomunicationem incurro; nam adhuc sum causa virtualis prauæ conclusionis; quia possum, ac teneor ex officio eam impedire, si verò certus sum, quod non possum mutare aliorum determinationem; tũc pecco quidem; quia prauæ conclusioni præsto assensum, sed non incurro excomunicationem, neque obligationem restituendi: ratio est, quia tunc neque formaliter, neque virtualiter sum causa prauæ conclusionis.

5 Tertius est casus, quando vota sunt publica, vel secreta, at non sunt decisiua, sed consultiua, itaut possit Princeps vni soli Consiliario adhærere: tunc quilibet Consiliarius excomunicationem incurrit. Ratio est, quia tunc verè singuli influunt, nam non est maior ratio cur vnus magis, quàm alter, & omnes se habent per modum vnius praui consulentis, & quilibet ex officio tenetur dare rectum consilium; ergo singuli excommunicationem incurrunt.

QVÆSTIO V.

An sit excomunicatus, qui à Regis supremo Ministro, authoritate accepta, mandat accidi, aut occidit Clericum, minorum ordinum, non beneficiatum, qui tribus mensibus, dimisso habitu, immanibus flagitijs, cum Grassatoribus, & Bannitis incedens, intentus erat; cum paucis diebus antequam occideretur, habitum reassumpsisset, mores tamen non mutasset?

SVMMARIVM.

Naturali iure defensionis, licet Regijs Ministris occidere publicos latrones, quamuis notoriè sacerdotes. nu.1.

Licitum est in bello occidere Ecclesiasticos, quando illi contra nos arma mouent, aut hostes adiuuant. num.2.

Potest dirui Ecclesia, more castri ab hostibus munita. numer.3.

Sacerdotem insidiatorem cuilibet priuato, licet occidere. num.4.

Ob defensionem vitæ proximi, non incurritur nec censura, nec irregularitas. num.5.

Clericus, dimisso habitu, enormibus se immiscens, ipso facto priuatus est priuilegio Clericali. num.6.

Clericus minorum ordinum non beneficiatus, quando gaudeat priuilegio fori? num.7.

Exequens in dubio mandatum superioris, licitè obedit, neque excomunicationem incurritur. num.8.

REspondetur negatiuè, quia iustè fuit occisus.
Primum fundamentum est, nam naturali iure, de-
1 fensionis titulo, licet Regijs Ministris publicos latrones, ac grassatores, quamuis notoriè Sacerdotes, & cum habitu incedentes, occidere; idque tamquam certum suppo in Suarez *lib.4. in Regem Angliæ c.34.n.30.31.* & *32.* vbi rectè docet, *quod Iudex secularis non se defendit à vi per Clericum immissam, exercendo Iurisdictionem in illum, qua caret; sed oportet vt sit defensio facti, qualis à priuata persona fieri potest si impetatur, etiam vsque ad occisionem aggressoris, si necessaria fuerit.* Ratio est, *quia sicut vnusquisque homo ius habet vim vi repellendi, non solùm si toti corpori, sed etiam si cuilibet membro vis inferatur; ita Respublica potestatem habet ad propulsandam vim cuicumque membro suo factam: Respublica autem transtulit suam potestatem in Regem, Rex verò hanc potestatem exercet per suos Ministros; ergo iustè Clericus viarum obsessor, & grassator, seu bannitus occiditur, titulo defensionis, talis enim occisio, non est actus Iurisdictionis, seu superioris, sed defensionis à defensione autem nullus est exemptus.* Ita Suarez. ea enim iuris est naturalis; cuicumque enim vim vi repellere licet, servato ordine moderatæ tutelæ *capit. Ius naturale 1. distinct.* Sanct. Thom. *2.2. quæstion.96. articul.4. cap 1. significasti 2. de homicidio cap. si vero 1. de sententia excom.*

com. vnde etiam contra Papamlicita est Regibus defensio, Caiet. *opusc. de potestate Papæ cap.* 27. Ergo titulo defensionis, naturali iure, licet Reipublicæ, seu Regis Ministris Clericum grassatorem occidere, si aliter viuus comprehendi nequeat.

Tum quia non minus licet, naturali iure, quoscumque grassatores occidere; quam lupos, vrsos, leones, nec enim, præter faciem, aliud humani habent tales cruentæ bestiæ.

Tum quia euidens est, non esse alium defensionis modum, nisi occisionis, vt publicè quieti prouideatur; eam autem occidendi licentiam nequit dare Episcopus, neque consuli potest sedes Apostolica, eo enim interuallo immanes isti grassatores latrocinijs, & cædibus omnia replent: Tum quia licitum est in bello occidere Ec-
2 clesiasticos, quando illi contra nos arma mouent, miscent se bellis, hostes adiuuant; tunc enim hostes sunt. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 21. *cap.* 8. *num.* 151.

Sed Respublica cum his grassatoribus, seu bannitis publicum bellum gerit; quare meritò Ioannes Grandis *tractatum de Bannitis, de bello exulum* inscripsit; ergo Ecclesiastici, qui cum bannitis, & grassatoribus arma mouent contra publicam quietem, meritò tamquam hostes occiduntur.

3 Tum quia non minor debetur reuerentia Ecclesiæ, quam Ecclesiasticis personis; sed potest Ecclesiam dirui, si hostes, ea more castri munita, nos offendant, vt docet Reginaldus *d. lib.* 21. *capit.* 28. *numer.* 151. ergo etiam occidi Clericus publicus latro, & grassator, ac viarum obsessor; tum quia cuilibet priuato licet absque
4 metu excommunicationis occidere Sacerdotem insidiatorem, si nulla suppetat via euadendi eius insidias, Sayrus *de Censuris lib.* 6. *capit.* 17. *numer.* 13. Couar. *in clem. si furiosus part.* 3. §. *vnico num.* 3. Molina *de Iust. tom.* 4. *tractat.* 3. *disput.* 12. *numer.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. *numer.* 4. Diana *par.* 5. *tractat.* 4. *resolut.* 5. & 6. Farinac. *in fragmentis part.* 2. *verbo irregularitas numer.* 477. optimè Lugo *de Iust. tom.* 1. *disput.* 10. *numer.* 161. Sed nulla superest Regijs ministris via defendendi innocentes subditos ab insidijs Clerici latronis, nisi occidendo; ergo licitè occiditur. Consequentia patet à fortiori, nam sicut nulla incurritur censura, aut irregularitas
5 ex homicidio ob defensionem vitæ propriæ, ita etiam ob defensionem vitæ proximi, & multò magis propter defensionem vitæ subditi, Couar. *in d. Clem. si furiosus par.* 3. §. *vnico nu.* 5. Turrianus de *censuris lib.* 9. *disp.* 65. *dub.* 4. Tanneros 3. *par. disp.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 11. *numer.* 210. Hurtadus *disp.* 2. *de irregular. difficult.* 10. *num.* 36. Coninch. *de Sacram. tom.* 2. *disp.* 18. *num.* 88. *Concl.* 3. Villalobos *in Summa tom.* 1. *tract.* 21. *diffic.* 24. *num.* 11. Diana *par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 5. *Lessius lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 13. Fillincc. *tom.* 1. *tract.* 20. *num.* 160. & 161.

Secundum fundamentum est, nam Clericus iste fuit iustè occisus, non solum titulo iustæ defensionis via facti, sed etiam titulo iustæ sententiæ legitimi iudicis via Iurisdictionis; quia Clericus dimisso habitu enormibus
6 se immiscens, & in ijs perseuerans, ipso facto priuatus est priuilegio Clericali, absque vlla præuia monitione, & subijcitur iudicio laicali; ita communiter Doctores omnes, & quotidiana praxis omnium tribunalium seruat, vt textu in *cap. perpendimus de sententia excommunicationis* docent, & de communi testantur Bossius *titul. de foro compet. num.* 134. & 139. Couar. *pract. cap.* 32. *num.* 2. *vers.* 3. Clarus *in* §. *fin. quæst.* 36. *num.* 19. Farinac. *de inquisit. quæst.* 8. *num.* 54. ita decisum in sacro Consilij Neapolitano testatur Francus *decis.* 463. Riccius *in praxi part.* 1. *in* 1. *aditione decis.* 606. Decianus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 103. Alex. de Neuo *cons.* 56. *num.* 20. Capycius *decis.* 161. Boerius *decis.* 69. *num.* 16. Lopez *in praxi cap.* 142. Salzedus *ad Diaz cap.* 139. *lit. B.* Caballus *resolut. criminal. casu* 60. *num.* 17. Marius Antonimus *lib.* 3. *resolut.* 48. *num.* 6. *vers. limita* 2.

Dices, Clericus cum habitu enormibus se immiscens, non ammittit priuilegium Clericale, ita communiter, Bossius *tit. de foro compet. numer.* 134. Farinac. *d. quæst.* 8. *num.* 56. Clarus §. *fin. quæst.* 36. *num.* 20. Sed iste Clericus, quamuis in enormibus vsque ad vltimum vitæ perseuerauerit; tamen reassumpsit habitum paucis diebus ante mortem; ergo recuperauit priuilegium Clericale; quandocumque enim Clericus ante carcerationem reassumit habitum, recuperat priuilegium fori; ita decisum testatur Francus *decis.* 384. Riccius *par.* 2. *decis.* 177. Diana *par.* 4. *tract.* 1. *resol.* 18. *vers. Notandum*.

Respondetur primò, transeat, quod gaudeat fori priuilegio propter reassumptionem habitus; vnde non poterit reassumpto habitu occidi via iurisdictionis; tamen iustè occiditur via iustæ defensionis, vt dixi in primò, fundamento.

Respondetur secundò non recuperasse priuilegium Clericale, quia non sufficit reassumere habitum, nisi etiam reassumat seruitium Ecclesiæ, vt mox ostendam; quare etiam via iurisdictionis iustè occisus fuit.

7 Tertium fundamentum est, quia ex Concilio Trident. *sess.* 23. *de refor. cap.* 6. adhoc vt Clericus minorum ordinum, non beneficiatus, gaudeat priuilegio fori, requiruntur duo copulatiuè, nempè habitus cum tonsura, & seruitium in diuinis, & vtrumque requiritur, adeò vt sine vlla monitione, ipso facto, priuatus sit priuilegio fori Clericus, qui quamuis incedat in habitu, & tonsura, tamen non seruit in diuinis, Ita Bonacina *de Legibus disp.* 10. *quæst.* 2. *pun.* 1. §. 4. *num.* 10. & 15. Ambrosinus *de immun. Ecclesiastica cap.* 17. *numer.* 13. Menoch. *tom.* 10. *cons.* 912. *nu.* 28. Mascardus *de probat. concl.* 391. Aponte *cons.* 24. Capiblancus *de Baronibus prag.* 8. *par.* 3. *numer.* 33. Vrsillus *decis.* 24. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 35. & Regens Capycius Latro *decis.* 73. *qui num.* 18. & 33. qui optimam tradit differentiam inter Clericum beneficiatum, ac non beneficiatum, iste enim non remittitur ad Iudicem Ecclesiasticum, nisi ipse plenè probet habitum tonsuram, & seruitium: At Clericus beneficiatus, hoc ipso quod probat beneficium, remittendus est; esto quod non probet habitum & tonsuram, vnde vt priuetur priuilegio fori, ex Bulla Sixti V. *incip. Cum Sacrosancta anni* 1589. oportet fiscum plenè probare eum non gessisse habitum, & tonsuram. Vt autem gaudeat priuilegio Clericali requiritur, quod saltem per mensem ante capturam seruierit in diuinis, Diana *dicta resol.* 35.

Sed iste Clericus latro tribus, & amplius mensibus latrocinijs, ac cædibus intentus, notoriè non inseruiebat, quare ipso facto priuatus erat priuilegio Clericali, & subiectus laicali iudicio, neque reassumptio sola habitus sine seruitio illi prodesse poterat.

8 Quartum fundamentum est, nam certũ videtur ex dictis, iustè fuisse occisum, sed esto accidens de hoc dubitauerit, tamen exequens in dubio mandatũ superioris licitè

obedit, neque peccat, neque excommunicationem incurrit, quamuis re vera superior male ageret, ac in excommunicationem incurreret, quia in dubijs excusat superioris præceptum, ita omnes, Suarez *de relig. tom.4. lib. 4. cap.15. num.20.* Sanch. *in Summa lib.6. cap.3. num.3.* Molina *tom.1. tractat.2. disp.113. concl.3.* Diana *par.2. tract.13. resol.10. par.4. tract.4. resol.31. tract.3. resol.9.* Hinc Ministri Principum, quamuis dubitent de Iustitia sententiæ, possunt tamen illam licitè exequi, Martinez *par.2. tom.1. quæst.19. artic.6. dub.5. concl.2.* sic miles quamuis nec subditus, nec compulsus potest bellare etiã si dubitet de Iustitia belli, quia præsumere potest Regem iustè indicere bellum, ita probabiliter docent Petrus Nauar. *de restit. lib.2. cap.3. par.2. dub.12. numer.160.* Salas 1. 2. *quæst.21. tract.8. disp.1. sect.26. numer.272.* Diana *par.2. tract.5. resol.96. & par.4. tract.4. resol.32.* Ergo etiam isti, qui tamquam milites occiderunt tales grassatores, ac bannitos non tenebantur discutere, an iustum esset præceptum, & in dubio parere poterant Regis ministro.

Concludendum igitur prędictos consulentes nulla indigere absolutione, cùm nullam incurrerint excommunicationem.

Non desinam hic adnotare, quorundam Iudicum, ac satellitum barbariem, & feritatem, cùm enim viuum apprehendere ac carcerare bannitum valeant, inhumaniter trucidant, ejusque animam in æternum perimunt; Isti enim grauissimè peccant contra Iustitiam, nam non publica, sed priuata authoritate occidunt, vnde tenentur pœna homicidij, perinde ac si innocentem occidissent; quia ipsis non est data à statuto authoritas occidendi bannitum, tanquam per publicos iustitiæ ministros quomodocumque, etiam in casu, quo commodè carcerare possent, esset enim tale statutum iniustum, & iniquũ; sed tantùm in casu, quo aliter apprehendi nequit: quod etiam patet à pari, nam occidens bannitum in manibus curiæ existentem, punitur pœna homicidij, Bartolus *in l. in laqueum ff. de acquiren. rerum dominio*, Baldus *in l. libertas ff. de statu hominum*, Clarus *in §. homicidium nu. 65.* Farinacius *quæst.103. num.302.* Menochius *de arbitrarijs lib.1. quæst.90. num.53.* Peccant quoque contra charitatem, nam ita occidendo, sunt causa damnationis animæ, cùm bannitus sine Sacramentis decedat. Væ istis scelestissimis, & immanibus homicidis, vt enim in Leuitico *cap.24. Oculum pro oculo, dentem pro dente* restitui mandatur: ita animam pro anima dabunt.

QVÆSTIO VI.

An Clericus Minorum ordinum reassumens habitum in fraudem gaudeat priuilegio fori?

SVMMARIVM.

Clericus coniugatus eo ipso, quod reassumit habitum, recuperat fori priuilegium. num.1.

Etiam sine licentia Episcopi. num.2. Aut post fugam è carceribus. num.3. Non obstante irregularitate. num.4.

Clericus ordinatus post delictum, aut post fugam è carceribus, aut post forindicationem, gaudet priuilegio fori. nu.5.

Clericus reassumens habitum in carceribus non gaudet priuilegio fori. num.6.

Clericus, qui sine habitu deliquit, & carceratus fuit, quem multò ante dimiserat, non gaudet. num.7.

Dimittens habitum per octo menses, ante carcerationem, non gaudet priuilegio fori. num.8.

Quando tempore delicti incedebat in habitu, gaudet. num.9. Gaudet quoque, si reassumit ante carcerationem. num.10. Aut si per mensem ante carcerationem dimisisset, adhuc gaudet. numer.11. Habitus reassumptus in carceribus, nihil prodest. num.12. Gaudet si reassumit post fugam è carceribus, vel dum est habilitatus sub fideiussione. num.13.

Recipiens Clericatum in fraudem post delictum, poterit puniri à laico pœna pecuniaria, quamuis non corporali, num.14.

1 PRo parte affirmatiua affertur Primò, quia Clericus coniugatus eo ipso, quod reassumit habitum, & tonsuram Clericalem, recuperat fori priuilegium, Glosa *in clem.1. in verbo quamdiu de vita, & honestate Clericorum* glosa *fin. in cap. fin. eod. tit.* vbi Abbas *num.8.* Io. Monachus *in cap. vnico de Clerico coniug. in 6.* vbi Archidiac. Io. de Lignano, Geminianus, & Philippus Francus. Io. Andreas *in cap. Ioannes quæst.4. de Clericis coniugatis*: vbi ait, ita fuisse Paduæ iudicatum, Zabarella *in clem. fin.* vbi Paulus de Leazis, *de vita, & honest. Cleric.* latè Alex. *cons.149. vol.6. & cons.8. col. vlt. vol. 1. & cons.58. vol.4.* Baldus *in l. affinitatis in fine C. communia de successio.* Imola *in clem.1. & 2. de vita, & honest. Cler.* Couar. *pract. cap.31. vers.5.* Decianus *tom.1. lib.4. cap.9. num.100.* Antonius de Nigris *in clement. de vita, & honest. Cler. verbo habitum num.31. & 32.* Capiblancus *de Baronibus prag.8. par.3. num.53.* Cucchus *instit. canon. lib.3. tit.9. num.67.* Diana *par.1. tract.2. resol.80.* Barbosa *in l. titia num.33. vers. quinimmò ff. soluto matrim.* & alter Barbosa *de potestate Episcopi allegat. 12. num.27.* Valaschus *tom.1. alleg.44. num.4.* Carolus de Grassis *de effectibus Clericatus eff.1. num. 84.* Martha *de Iurisdictione par. 4. casu 135. num.16.*

2 Imò Clericus reassumens habitum sine licentia Episcopi, & etiam si id ex synodalibus constitutionibus prohiberetur, adhuc enim gauderet priuilegio fori, Riccius *par.2. decis.167.* Diana *par.4. tract.1. resol.18.* Squillante *de priuileg. Cler. cap.6. dub.1. num.19.*

3 Vide Augustinus Barbosa *tract. de potestate Episcopi par.2. allegat.12. num.29.* asserit, quod Clericus carceratus sine habitu, fugiens è carceribus, & reassumens habitum recuperat priuilegium fori.

Ratio est, quia causa amissionis priuilegij est dimissio habitus; ergo si reassumit habitum cessat causa exclusiua priuilegij, & sic cessante illa causa, cessat priuatio, *arg. cap. cum cessante de appellation. l. adigere §. quamuis de iure patronatus.* Ex quibus patet reassumentem habitum, etiam in fraudem, recuperare priuilegium.

Secundò fauent Aliquæ decisiones sacræ Congregationis, nam *in vna Immunitatis Rossanensis* 18. *Martij* 1631. Decisum fuit, Clericum, qui ante carcerationem reassumpserat habitum, fori priuilegio gaudere, *& in vna Mazariensi* 17. *Iunij* 1630. refert Sellius *Canonicarum qq. capit.18. numer.20.*
4 Decretum fuisse, posse Clericum dimissum habitum reassumere, non obstante irregularitate superueniente, ac ordinarij prohibitione. Eadem sacra Congregatio 19. Decembris 1596. vt habetur in decisionibus collectis *ex biblio-*

techa

theca *Farinacij part.* 4. *decis.* 165. Censuit Clericum primae tonsurae, qui post dimissum habitum, & tonsuram Clericalem deliquit, & pro eo delicto in curia seculari citatus fuit, deinde reassumpto habitu, & tonsura Ecclesiae inseruire coepit, iuxta *sess.* 23. *cap.* 6. *de reformatione*, non posse à seculari Iudice cognosci, neque contra eum Iudicem laicum realiter procedere, aut ab eo condemnari.

Tertiò fauet receptissima, & communis sententia, quod Clericus effectus post commissum delictum, etiam in fraudem Clericatu recepto; & etiam post carcerationem, vt si è carceribus fugit, vel post foriudicationem, remittendus est ad Iudicem Ecclesiasticum; neque poterit à Laico amplius puniri pęna corporali, aut carcerari, aut in exilium condemnari, & ita bis fuisse decisum in sacro Concilio Neapolitano, iunctis tribus aulis, testatur Francus *decis.* 384. 709. *& decis.* 209. vbi ait: hanc esse communem opinionem, quam primus omnium docuit Io. Andreas *in cap.* 1. *num.* 19. *& ibi* Anania *col. fin. vers. quandoque*, *&* Abbas *num.* 5. *de obligatis ad ratiocinia*, Oldradus *cons.* 4. Albericus *de statutis par.* 3. *cap.* 141. Igneus *in l. fideicommissum num.* 163. *ff. ad Syllanianum*, Marianus Soccinus *in cap. propofuisti numer.* 52. vbi Bohic *numer.* 10. *de foro compet.* Farinac. *de Inquisit. quaest.* 8. *numer.* 107. Genuensis *in praxi Archiep. cap.* 9. *num.* 3. Bonacina *de Legibus disp.* 10. *quaest.* 2. *pun.* 1. §. 1. *num.* 16. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 27. *& par.* 4. *tract.* 1. *res.* 38. Capiblancus *de baronibus pragm.* 8. *par.* 3. *nu.* 28.

Ratio est aperta, quia si confugiens ad Ecclesiam, animo effugiendi iudicium, gaudet immunitate; quamuis remaneat Laicus, & ad tempus in ea moretur, à fortiori gaudere debet, qui personam suam per ordinis susceptionem, vel habitus reassumptionem Deo consecrat, vt illi perpetuò famuletur.

Praeterea videtur textus expressus *in l. qui eum vno* §. *reus ff. de re militari*: vbi reus capitalis criminis accusatus, si efficiatur miles, non remittitur sed à Iudice militiae indicandus est; ergo multò magis id procedit in eo, qui cęlestis militiae cingulum suscipit, aut reassumit.

Pro parte tamen negatiua, nempè non gaudere fori priuilegio eum, qui in fraudem reassumit Clericalem habitum.

6 Primò affertur communis opinio Doctorum, quae docet Clericum reassumentem habitum in carceribus, non gaudere fori priuilegio, ita Cappella Tholosana *decis.* 147. vbi ait *anno* 1393. fuisse decisum, Clericum coniugatum, qui post carcerationem fecerat sibi tonsuram, qua carebat, non esse remittendum ad Iudicem Ecclesiasticum, *& decis.* 144. ac 104. Farinac. *quaest.* 8. *nu.* 66. *vers. item*, vbi ait: esse indubitatum. Clarus *in* §. *fin. qu.* 36. *num.* 13. vbi scribit reassumentem habitum in fraudem, non gaudere priuilegio fori, Christophorus Castellionus *cons.* 5. *num.* 5. Alexander de Neno *cons.* 50. *num.* 3. Capra *cons.* 97. *num.* 111. Decianus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 101. Petrus Belluga *in speculum Principum tit. de Imposit. grauaminum* §. *videamus col.* 2. *in fine*, Antonius de Nigris *in extrau. de vita*, *& honestate Clericorum verbo habitum num.* 33. Cucchus *canon. Institut. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 68. Borrellus *in Summa decisionum tom.* 1. *tit.* 8. *num.* 13. *& tit.* 9. *num.* 23. Capiblanc. *de Baronibus prag.* 8. *par.* 3. *num.* 53.

7 Quare communiter omnes asserunt, quod Clericus coniugatus carceratus sine habitu, & tonsura, non debet remitti ad Iudicem Ecclesiasticum; sed etiam si nulla praecesserit monitio, constito, quod deliquerit sine habitu, eumque multo tempore ante dimisit, poterit à laico Iudice condemnari, & laqueo suspendi, Guido Papae *decis.* 138. *num.* 2. vbi asserit ita decisum, Geminianus *in cap.* 1. *de Cler. coniugatis*, Alex. de Neno *cons.* 59. *num.* 22. Farinac. *quaest.* 8. *num.* 34. Menoch. *lib.* 6. *praes.* 76. *num.* 32. Martha *de Iurisdict. par.* 4. *casu* 135. *in fine*, Faber *decis.* 44. *tit. de Iurisd. omn. Iudic.* vbi testatur ita decisum, Paponius *lib.* 3. *arresto* 4. Riccius *in Collect.* 956. *& par.* 1. *praxis decis.* 606. 1. *editione*. Antoninus *variarum lib.* 3. *resol.* 48. *nu.* 7. Vgolinus *de potestate Episcopi cap.* 12. *nu.* 3. Barbosa *de Episcopo allegat.* 12 *nu.* 29.

Vnde referunt Tholose Clericum coniugatum homicidam, ob caligas bipartitas, laqueo fuisse suspensum, Aufrerus *ad Cappellam Tholosanam decis.* 227. *&* 252. Farin. *quaest.* 8. *num.* 67. Decian. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 96. *&* 97.

Ergo reassumens habitum in fraudem, non gaudet priuilegio fori; alioquin semper eo reassumpto posset euadere seculare Iudicium, vnde frustatoria esset dispositio Tridentini & Bonifacij IX. quod Clerici coniugati, aut Minorum ordinum non deferentes habitum, & tonsuram, non gaudeant priuilegio fori; si quidem posset eo reassumpto, saltem in carceribus, recuperare.

8 Secundò fauet decisio sacrae Congregationis 10. *Ianuarij* 1620. quam affert Sellius *Canon. qq. cap.* 18. *nu.* 19. vbi refert decisum, quòd si Clericus per octo menses ante carcerationem habitum dimiserit, nullo modo gaudebit priuilegio fori, si à curia seculari, sine habitu captus fuerit.

Tertiò accedit text. *in cap. ex parte de Clericis coniug.* vbi Honorius III. Anglorum Reginae, ita rescripsit: *Ex parte tua fuit propositum, quod nonnulli litterati terrae tuae (habitu, & tonsura Clericali derelictis) ducunt vxores. Vt tamen consuetis iustitijs, & debitis obsequijs te fraudent, tonsuram reassumunt abiectam. Cùm igitur reddenda sint, quae sunt Caesaris Caesari, & quae Dei Deo, aequanimiter duximus tolerandum, si à talibus iustitias debitas, velut ab alijs vxoratis exigas, & seruitia consueta.* Haec ibi Honorius, vbi glosa *in verbo iustitijs*, ait, quòd praetextu huiusmodi Clericatus, declinabant subire iudicium Reginae; ergo reassumens habitum in fraudem non gaudet priuilegio fori. His positis

9 Dico primò quando tempore delicti Clericus incedebat in habitu reassumpto, & post delictum iterùm dimittit habitum, & sine illo carceratur, tunc gaudebit priuilegio fori; nam attenditur tempus delicti, quo reassumpto habitu gaudebat priuilegio; quamuis tempore carcerationis fuerit sine habitu deprehensus, & ita docent Glosa *in clem.* 1. *verbo quamdiu de vita, & honestate Clericorum*, Io. Andreas *in cap. Ioannes quaest.* 4. *de Clericis coniugatis* Alex. *cons.* 149. *vol.* 6. *& cons.* 8. *vol.* 5. Couar. *pract. cap.* 31. *num.* 7. *vers.* 5. Antonius de Nigris *in extrau. de vita, & honest. Clericorum, verbo habitum nu.* 31. Castellionus *cons.* 5. Cucchus *institut. canon. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 68. Borrellus *in Summ. decis. tom.* 1. *tit.* 8. *num.* 12. Marius Antoninus *lib.* 3. *resol.* 48. *num.* 7. Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *disput.* 46. *num.* 10. Capiblancus *de Baronibus pragm.* 8. *cap.* 3. *nu.* 53. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 3. Farinac. *quaest.* 8. *num.* 66.

10 Dico Secundò, quando Clericus reassumit habitum post delictum, sed ante carcerationem; quamuis tempore

pore delicti erat sine habitu, & se gerebat, vt laicum, adhuc gaudebit priuilegio fori, ita decisum testatur Cappella Tholosana *decis.*185. Riccius *collect.*308. & 1610. Barbosa *tract. de potest. Episcopi allegat.*12. *nu.*18, Gram, *decis.*33. Farinac. *quæst.*8. *num.*66. Marius Antoninus *lib.*3. *resol.*48. *num.*8. Castellionus *cons.*5.

11 Dico tertiò quando Clericus paruo tempore, vt per mensem ante carcerationem, habitum dimisit, quamuis sine habitu deliquerit, & absque eo carceratus fuerit, adhuc gaudebit priuilegio fori. Tappia *in constitut. Regni de personis num.*25. Diana *par.*1. *tract.*2. *resol.*34. & 35. & *par.*4. *tract.*1. *resol.*18.

12 Dico quartò, quando Clericus deliquit sine habitu, quem multo tempore dimisit, & sine habitu carceratur, nihil ei prodest, si in carceribus eum reassumat, vt docent omnes quos supra adduxi.

13 Dico quintò, quando Clericus deliquit sine habitu, & sine eo carceratur, sed potest fugam è carceribus, vel dum manet habilitatus sub fideiussione, reassumit habitum, tunc videtur recuperare suam naturalem libertatem, & ideò reassumens habitum, recuperat fori priuilegium. Ita Barbosa *de Episcopo alleg.*12. *numer.*29. Francus *decis.*384. & *decis.*709.

Ex dictis patet responsio ad contraria argumenta ad tex. *in cap. ex parte de Clericis coniugatis.* Respondetur ex Ancarano ibi *num.*2. Abb. & alijs, quod Clerici coniugati, siue deferant tonsuram, & habitum Clericalem, siue non, in his, quæ pertinent ad res, subsunt Domino temporali, sed de hoc alibi.

14 Obijcies, quia quamuis recipiens clericatum in fraudem post delictum commissum, non possit puniri pœna corporali à Iudice Laico, poterit tamen ipsius causa cognosci, & puniri pœna pecuniaria, ac eiusdem bona confiscari, vt docent omnes communiter: ità Io. Andreas *in cap.*1. *numer.*19. *de obligatis ad ratiocinia vbi* Ananias *col. fin. vers. quandoque*, & Abbas *num.*5. Soccinus *in cap. proposuisti num.*52. & *ibi* Bohic. *num.*10. *de foro compet.* Franc. *decis.*209. 384. & 709. Couar. *pract. cap.*32. *num.*4. *vers.*3. *Concl.* Farinac. *quæst.*8. *nu.*107. Sellius *canonicarum qq. cap.*18. *num.*17. dicens sic fuisse decisum à sacra Congregatione *in vna Papiensi* 23. *May* 1626. & decidisse Sacram Congregationem controuersijs iurisdictionalibus præposita *in vna Ciuitatis Castellana* 18. *February* 1631.

Ergo à fortiori Clericus post delictum ante carcerationem reassumens habitum, quamuis nequeat puniri corporaliter à Iudice Laico, poterit tamen puniri pęna pecuniaria.

Respondetur transeat antecedens, nego consequentiam, nam oppositum est in terminis decisum à sacra Congregatione *die* 19. *Decembris* 1596. vt habetur *in decisionibus collectis ex bibliotheca Farinacij par.*4. *decis.* 165. in hæc verba; *Congregatio Concilij censuit: Quoad Clericum prima tonsura, qui post dimissum habitum, & tonsuram Clericalem deliquit, & pro eo delicto in curia seculari citatus fuit, deinde reassumpto habitu, & tonsura Ecclesiæ cępit seruire; iuxta cap.*6. *sess.*23. *non posse Iudicem laicum processui fiuem imponere, & contra illum realiter procedere.* Hæc sacra Congregatio. Disparitas est quia Laicus delinquens nullum omninò habet priuilegium Clericale; quare si de delicto accusetur, & deinde assumat ordinem Clericalem, cum dicatur præuencta causa, quoad districtionem realem, non poterit effugere iurisdictionem laicalem; quamuis quoad districtionem personalem, effugiat eiusdem iurisdictionem, cum non fuerit præuencta persona, vt considerauit Francus *decis.*384. At Clericus qui dimisso habitu delinquit, verè est Clericus, & re vera exemptus ab omni Iurisdictione laicali, quamuis tale priuilegium, durante dimissione habitus, suspendatur; ergo reassumpto habitu, omninò recuperat suum priuilegium, tam quoad districtionem personalem, quàm realem.

QVÆSTIO VII.

An gaudeat fori priuilegio Clericus Minorum ordinum, qui habitum Clericalem diu dimissum, per decem dies ante carcerationem, reassumpsit; numquam tamen inseruiuit Ecclesiæ, & quid si inseruiuit eo tempore, quo erat cum fideiussione habilitatus?

SVMMARIVM.

*Clerici Minorum ordinum non gaudent priuilegio fori, nisi incedant in habitu, & tonsura, ac Ecclesiæ inseruiant. num.*1. *Neque requiritur trina monitio. num.*2.

*Sine vlla degradatione mox suspenditur. num.*3.

*Requiritur perseuerantia, ac frequentia, in habitu, & seruitio. num.*4.

*Sufficit tamen pro maiore parte temporis inseruisse. num.*5.

*Ob carentiam seruitij, absque culpa, aut pro breui tempore, non priuatur priuilegio Clericali. num.*6. & 7.

*Non priuatur, si per mensem ante carcerationem, omisit seruitium num.*8. *Nec si omisit ob occupationem seruitij Episcopi. num.*9.

*Reassumens seruitium post carcerationem, dum est habilitatus per palatium sub fideiussione, recuperat priuilegium. num.*10. *Ingrediens religionem, eo tempore habilitationis, gaudet priuilegio fori. num.*11.

NEgatiuè videtur respondendum, nam ex Trid. *sess.* 23. *de refor. cap.*6. & *ex cap. vnico de Cleric. coniugatis* Clerici Minorum ordinum coniugati non gaudent priuilegio fori, nisi incedant in habitu, & tonsu-

1 ra, & Ecclesiæ inseruiant, & passim docent omnes ista copulatiuè requiri, ita de Clerico coniugato Imola *in cap. Ioannes de Cleric. coniug. num.*3. Farinac. *quæst.*8. *num.*6. & 64. Scaccia *de Iudicijs lib.*1. *cap.*11. *num.*20. qui docent: hodie coniugatos rarò gaudere priuilegio fori, cùm nullus eorum seruet ista requisita, Rolandus *cons.*4. *num.*26. *lib.*1. Guido Papæ *decis.*83. & 138. Rota *in Nouis decis.*202. Couar. *pract. cap.*31. *num.*7. *vers.*2. & 3. Diana *par.*4. *resol.*93. Martha *de Iurisd. par.*4. *casu* 135. *in fine.*

Neque requiritur, quod præcedat trina monitio, Marius Anton. *lib.*3. *resolut.*48. *num.*7. Ricc. *in praxi* 1. *decis.*606. 1. *adit.* Barbosa *de potestate Episc. alleg.*12. *n.*29.

In non coniugatis habitum, tonsuram, & seruitium, requiri ex Trid. decreto, & Sacræ Congregationis decisione, docent Bellettus *disquis. Cleric. par.*1. *tit.*3. §.8. *num.*7. Riccius *dec.*154. *par.*4. Barbosa *alleg.*12. *nu.*19. Couar. *pract. capit.*31. Mascard. *de probat. concl.*301. Aponte *cons.*24. Vrsillus *decis.*24. alter Barbosa *in l. titia numer.*34. *vers. vlt. concl. ff. soluto Matr.* Armendar. *in addit. ad recopil. legum*, Nauarræ *tit.*19. *numer.*13.

Vnde

3 Vnde carens seruitio, mox sine vlla degradatione, laqueo suspenditur, ita ex receptissima consuetudine obseruari, dicunt Couar. *pract.cap.32. num.2. 4. & 6.* Farinac. *quæst.8. num.57. & 109.* Valaschus *allegat.51.* Barbosa *de Episcopo allegat. 12. num.31.* Menoch. *præs. lib.6. præs.76. num.36. & 37.*

4 Requiritur autem perseuerantia, & frequentia in habitu, & seruitio, neque sufficeret bis, aut ter inseruisse, Cenedus *pract.qq. lib.1.qu.4.nu.2.* Menoch.*lib.6. præs.76. num.38. & 39.* Riccius *p.5. decis.111. num.5.* Gallettus *in Margarita casuum conscient. verbo Clericus, fol.42. col.2.* Carolus de Graffis *de effect.Clericat. effectu 1.num.1183.* Barbosa *de Episcopo allegat.12. nu.14.*

Ratio est, quia Tridentinum vtitur verbis frequentatiuis deferre, inseruire, quæ arguunt perseuerantiam, & frequentiam: sicuti non sufficeret paruo tempore habitasse, vt ait Grammat. *decis.87. nu.5.*

5 Sufficeret tamen pro maiori parte temporis inseruisse, vt declarauit Sacra Congregatio, & testatur Riccius *par.4.decis.154. num.5.* Gratianus *disceptat. forens. to.3. cap.440. num.6.* Diana *par.1 tract.2. resol.35.* Barbosa *de potestate Episcopi, alleg.12. num.14.* Gallettus *in Margarita, confess. fol.42. verbo Clericus, col.2.*

Itaque cùm iste inquisitus numquam Ecclesiæ inseruierit est priuatus priuilegio fori.

His tamen non obstantibus, respondetur affirmatiuè, nempè gaudere priuilegio fori hunc Clericum reassumentem habitum per decem dies ante carcerationem, quamuis numquam inseruierit.

Probo euidenti ratione, quia mox, vt Clericus reassumit habitum incipit gaudere priuilegio fori, & recuperat illud (prout omnes Doctores vno ore fatentur, quos superiori quæstione adduxi) sicuti mox, vt quis ordinatur incipit gaudere priuilegio fori; Ergo ad hoc, vt Cle-
6 ricus reassumens habitum priuetur priuilegio fori, iam acquisito per realem habitus reassumptionem, oportet, quod intercedat aliqua culpa; nam sine culpa aliqua nemo debet priuari iure iam quæsito; culpa autem tunc esset, quando post reassumptum habitum nullo legitimo impedimento detentus longo tempore omitteret Ecclesiæ seruitium: Sed iste Clericus reassumpto habitu, vix decem elapsis diebus fuit carceratus, & sic breui tempore reassumpto habitu caruit seruitio; ergo ob carentiam seruitij breuis temporis non est priuandus priuilegio iam quæsito, per reassumptionem habitus; absque culpa enim priuaretur priuilegio fori, quod est contra mentem Tridentini, ac sacrum Canonum: quod euidentius patet, nam si hodie fuisset ordinatus, vel hodie habitum reasumpsisset, cras verò carceraretur, quis diceret ob carentiam seruitij vnius dici, priuatum esse priuilegio Clericali? sed eadem ratio est vnius dici, ac decem dierum; oportet enim non breui, sed longo tempore ante carcerationem dimissum esse habitum, aut
7 omissum seruitium; pro leui enim, & breui omissione tanto priuilegio Clericus non est priuandus, *cap. contingit*, vbi Abbas & *in cap. in præsentia de sententia excom.* Diaz *in praxi, cap.69. & 70. num.2.* Farinac. *quæst.8. num.6. & 64.* Franciscus Leo *in Thesauro fori Ecclesiastici, par.1. cap.21. num.3.* Tappia *in constitut. Regni de personis, num.25.* Capiblanc. *de Baronibus prag.8. par.3. numer.36.* & ita decisum à sacra Congregatione, referunt Bonac. *de legibus, disp.10. quæst.2. pun.1. §.4. num.14.* Diana *par.1. tract.2. resol.35.* Riccius *par.4. decis.154. num.5.* & in Praxi *par.1. decis.606. num.6. prima edition.* Gratian. *disceptat. forens. tom.3. cap.440. num.6.* Marius Antoninus *Variarum resol. lib.3. resol.48. numer.7.* Barbosa *de potestate Episcopi, alleg. 12. num.20.*

8 Quare Diana *par.1. tract.2. resol. 35.* asserit: non priuari priuilegio fori eum, qui per mensem ante carcerationem omisit seruitium.

Ex quibus euidenter ostenditur, hunc Clericum mox quod habitum reassumpsit, recuperasse fori priuilegium, nec illud amisisse ex eo, quod per decem dies ante carcerationem non inseruiuit in diuinis.

9 Adde quòd iste inquisitus fuit legitimè impeditus in negotijs exigentiæ mensæ Episcopalis, quare etiamsi ob istud impedimentum longo tempore omisisset seruitiū, non priuaretur priuilegio fori, ita Barbosa *tract. de Episcopo, allegat.12. num.14.* Squillante *de priuileg. Cleric. cap.7. num.11.* Diana *p.1. trac.2. resol.35.*

10 Adde secundò, quòd iste Clericus inquisitus post carcerationem, dum esset habilitatus per palatium sub fideiussione, inseruiuit in diuinis, quare recuperauit fori priuilegium, ita decisum à sacra Congregatione *die 23. Maij 1626. in vna Papiensi, & die 18. Februarij 1631. in vna Ciuitatis Castellanæ* referunt Sellius, *Canonicarum qq. cap.18. num.17.* & Barbosa *de potestate Episcopi allegat.12. num.29.*

11 Est quoque insignis decisio sacri Consilij Neapolitani, apud Francum *decis.709.384. 209. & 213.* Nec piget verba referre sic enim inquit Francus *decis. 709.* *Henricus Maluinni aliqua homicidia commisit, fuit carceratus, deinde fuit habilitatus à carceribus, in quibus detinebatur, & assignatum Palatium magnæ Curiæ pro carcere cum fideiussione ducatorum mille, de illud tenendo loco carceris, aufugit, & obtenta dispensatione Summ. Pontificis pro delictis commissis, fuit admissus ad sacram Religionem Hierosolymitanam; Pro parte Religionis allegabatur, tunc non innare professionem, quando professio fieret in carceribus, seu in eis fuisset habitus receptus: Discussa plenè hac causa, iunctis Consiliarijs duarum aularum, pro maxima parte votorum, fuit iudicatum in fauorem Religionis.* Hæc Francus.

Ex quibus patet à pari, sufficere ad recuperationem priuilegij, eum post habilitationem è carcere, reassumpsisse seruitium.

QVÆSTIO VIII.

An Clerico absente causa studiorum, eius familiæ debeatur franchitia, seu immunitas à Gabellis?

SVMMARIVM.

Clerici pro se, suaque familia, immunes sunt à gabellis? nu.1.
Clericus absens ex licentia sui Prælati, reputatur præsens. numer.2.
An assignata certa quantitate frumenti pro vsu, ea debeatur quamuis non vtatur? num.3.

RΕspondetur affirmatiuè ita Riccius *in praxi, par.2. resol.329.* Carolus de Graffis *de effectibus Clericatus, effectu 3. num.306.* Viuius *decis.88. num.5.* qui refert ita decisum.

Pro-

1 Probatur primò, quia Clerici pro se, suaque familia immunes sunt à gabellis, *l. vniuersi, C. de vectigalibus Clement. præsenti*, vbi Cardin. *num.* 8. *de censibus*. Bertachinus *tract. de gabellis, p. 7. quæst. 7. §. item verum*, Roland. *cons. 34. num. 18. vol. 3. & cons. 71. num. 14. vol. 4.* Bossius *tit. de Principe, num. 178.* Baldus *cons. 241. vol. 4.* Immola *cons. 84. num. 5.* Ruinus *cons. 112. num. 6. vol. 5.* Boerius *decis. 213. num. 8.* Bursatus *con. 42. num. 4. & 17. vol. 1.* sicut à pari, qui tenetur alere dominum, tenetur quoque eius famulo alimenta præstare, Glosa *in cap. 1. verbo necessitatem 21. quæst. 1.* Glosa *in cap. studeat in fine 50. dist.* Romanus *cons. 189. in princip.* Surdus *de alimentis tit. 4. quæst. 18. num. 10.* ergo cùm immunitas à gabellis debeatur familiæ Clerici, eademque familia perseueret, siue præsente, siue absente Clerico; nam cùm in eius domo, eiusque expensis viuat, necessariò debetur illi franchitia, Clerico absente.

Secundò, quia vt rectè obseruat Viuius *dicta decis. 88. num. 5.* regia Camera consueuit assignare Clerico franchitiam duorum modiorum in singulos menses, cum Clericus vix vnum comedat; ergo reliquam quantitatem pro eius familia assignat, quæ cùm perseueret, absente Clerico, debebitur vtique illi franchitia.

2 Tertiò, quia Clericus absens ex licentia sui Prælati, reputatur præsens, quoad fructus suæ præbendæ percipiendos, Glosa, Bart. & Io. de Platea *in l. hac lege C. de proxim. Sacrorum Scriniorum lib. 12. Roman. sing. 453.* ergo reputabitur quoque præsens quoad franchitiam.

Quartò, quia cum semel sit determinata franchitia 24. modiorum, eadem soluenda est, quamuis nolit deinde Clericus 24. modios pro suo vsu consumere, quod patet ex doctrina Bartoli *in l. cætera §. fin. ff. de legatis 1.*
3 vbi ait, quod prohibente statuto, ne quis frumentum emat vltra suum vsum, si quis habeat licentiam extrahendi pro vsu suo certam frumenti quantitatem, nihil refert, si deinde ille frumentum vendat, eoque non vtatur, idem docet Baldus *in l. inde quæritur ff. de exercit. act.* Ananias *in cap. significasti col. 6. de Iudicijs*, Felinus *in cap. 2. col. fin. de constit.* Marsil. *sing. 86.* Brunus *de statuto excludente fœminas artic. 6. numer. 281.* Afflict. *decis. 72. num. 8.* Surdus *cons. 41. num. 4. lib. 1.* Ergo cùm regia Camera assignet Clerico franchitiam 24. modiorum, non est curandum, quod comedat, vel non comedat, quod sit absens, vel præsens.

Aduerte autem superiùs dicta intelligenda esse in casu, quo franchitia 24. modiorum vix sufficeret familiæ Clerici absentis, vel quamuis familia tanta quantitate non indigeret, tamen in nullius præiudicium redundaret, quod totam franchitiam sibi debitam reciperet in Patria; Atsi id præiudicaret conductori gabellæ debet partem franchitiæ pro familia in Patria, partem pro sua persona Neapoli, vbi studet recipere.

QVÆSTIO IX.

An sit danda franchitia Clerico, alterius expensis viuenti?

S V M M A R I V M.

Si ex statuto detur immunitas famulis viuentibus expensis ciuium, eadem gaudent si pecuniam à Domino recipiant. num. 1,

Non refert à quo soluatur gabella, si Clericus grauatur. numer. 2.

Respondetur affirmatiuè, & ita in casu simili refert decisum *in Senatu Mantuano*, Surdus *decis. 35.* Berrett. *cons. 150.* Bellettus *disquisit. Clerical. par. 1. §. 7. num. 2.* vbi docent: quòd stante statuto Mantuano, vt
1 famuli viuentes expensis ciuium gaudeant immunitate gabellæ, eadem immunitate gaudebunt famuli, si sibi ipsis victum ministrant, recipientes pecuniam à Dominis; nam æquiualenter dicuntur ab illis recipere victum; ergo à pari, idem est Clericum ex sua pecunia viuere, quo casu vtique debetur illi franchitia, ac viuere ministrante sibi suo domino victum, loco pecuniæ, quæ alioquin sibi danda esset à Domino.

Præterea idem probatur apertissima ratione, quia si Clericus iste non haberet franchitiam; quamuis ipse non solueret immediatè gabellam, tamen reuera solueret mediatè; quod patet, quia si nulla adesset gabella victus esset vilior, & sic à domino præter victum reciperet, v.g. triginta aureos pro salario; ac stante gabella, cum victus sit carior, recipit tantùm viginti; ergo mediatè sol-
2 uit gabellam; At non refert à quo soluatur gabella, mediatè, vel immediatè, si Clericus ratione gabellæ grauatur, vt docent Gratianus *discept. forens. tom. 2. cap. 290.* Menoch. *cons. 136.* Riccius *in praxi, tom. 2. resol. 187. num. 2. & resol. 283.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 46. 49. & 83.*

Denique idem patet, quia ita obtinuit consuetudo, vt Clerici, qui in alienis domibus victum obtinent, franchitiam recipiant, consuetudo autem est optima legum interpres *l. de quibus, ff. de legibus*.

QVÆSTIO X.

An Secularis Magistratus possit, sine peccato, concedere saluum conductum Clerico bannito ab alio Magistratu Laico, contra sacros Canones?

S V M M A R I V M.

Quando in loco infidelium, nullus est ecclesiasticus Iudex, licitè Clericus conuenitur coram Laico. num. 1.

Non peccat famulus mutuans sub vsuris, si aliter dominus non consentiret. num. 2.

Ecclesiasticus iniustè vi oppressus ab Episcopo, potest recurrere ad secularem Principem? num. 3.

Iudex Laicus, non minus absoluendo, quam condemnando Clericum, violat immunitatem. num. 4.

Principum leges, quæ Ecclesiasticis præcipiunt, aut prohibent, sunt nullæ. num. 5. Tunc autem sunt validæ, si sunt merè permissiuæ. num. 6.

Non potest Clericus renunciare fori priuilegio, quamuis illi hoc sit incommodum. num. 7.

Pro parte affirmatiua, affertur primò, quia vt docet
1 Suarez *in Regem Angliæ, lib. 4. cap. 34. num. 9.* quando in aliquo loco hæreticorum, aut infidelium nullus est Iudex ecclesiasticus, qui Clericum puniat, aut cogat ad solutionem debiti, licitè Clericus conuenitur coram Laico: sed in aliquibus locis, quamuis Catholicis, prætextu priuilegiorum Apostolicorum Clerici banniuntur

ac admortem damnantur ; ergo in his locis Clericus licitè recurrit , vt sibi succurrat ad Magistratum Laicum , & iste licitè concedit saluum conductum ; nam hoc casu Magistratus agit partes Clerici banniti , cui absque saluo conducto impossibile esset accedere ad locum banni, vnde non peccat ; quod patet à pari ex eo quod do-
2 cet Lessius *lib.2.cap.29.num.182.* vbi ait, quod si factor, aut famulus non potest mutari absque vsuris , eò quod dominus non consentiret , absque vsuris mutuari , tunc factor non peccat, neque tenetur ad restitutionem; quia tunc potius agit partes mutuatarij , cui absq; vsuris dominus non mutuasset ; sic absque hoc saluo conducto , non permitterent alij Magistratus Clericum esse tutum, ergo , &c.

Secundò, quia lex ecclesiastica non obligat cum magno incommodo , nec cum periculo mortis , aut perpetui exilij, vt est communis Doctorum sententia, quæ sumitur *ex cap. consilium de obseruat. ieiunij* ; ergo licitè Clericus se potestati Seculari submittit, ratione mortis , & perpetui exilij vitandi ; quare non tenetur cum tanto incommodo seruare legem ecclesiasticam , ne se subijciat Iudici seculari.

3 Tertiò, quia Ecclesiasticus vi iniustè oppressus à suo Episcopo , potest recurrere ad secularem Principem, vt tollat vim, Couarr. Guttierrez, Garsias, Portel , Rodriquez, & alij apud Dianam *part.3. tract.1. res.53. & p.1. tract.2. resol.14.*

Respondetur, stante grauissimo damno & incommodo , quod aliter, quàm saluo conducto, euitari nequeat, non peccare neque Clericum petentem , neq; Magistratum saluum conductum concedentem, vt probant superiora argumenta : At si non sit graue damnum Clerici , non habere saluum conductum , peccat petens illum, & se subijciens pro eo Iudici laico , hic quoque peccat si alia via extraiudiciali possit succurrere , absque saluo conducto.

Probatur , quia authoritatiuè liberare à banno , supponit eum , qui liberatur esse subditum, ac validè bannitum ; ergo est nouus actus iurisdictionis; ergo eo actu leditur ecclesiastica libertas.

Secundò, quia ligare , & soluere sunt correlatiua ; ergo vtrumque est actus iurisdictionis ; ergo non magis exercetur iurisdictio ligando per bannum, quàm soluendo per saluum conductum ; ergo vtroque modo violatur ecclesiastica libertas.

4 Tertiò , nam non minus Iudex laicus violat libertatem ecclesiasticam absoluendo , quam condemnando Clericum, vt docet Bonacina *in bulla Cœnæ, disp.1. q.16. sect.1. punc.5. num.13.* vbi ait; quod si Laicus trahat ecclesiasticum ad suum Tribunal , intentione eum absoluendi, adhuc incidit in censuras Bullæ: ratio est, quia absolutio supponit iurisdictionem in eum , qui absoluitur, Decianus *lib.4. par.1. cap.9. num.9.* Carolus de Grassis *de effectibus Clericatus effectu 1. num.257.* atque adeò etiam per absolutionem læditur ecclesiastica iurisdictio , & sic libertas ; ergo hæc læditur non minus banniendo, quàm concedendo saluum conductum.

Quartò , quia Saluus conductus non conceditur simpliciter , & absolutè, sed pro certo tempore, vt ad quinquennium, cum prohibitione , ne accedat ad locum delicti, ac vt se præsentet, & constituat carceratum coram eodem seculari Iudice, à quo Clericus bannitus fuerat : Sed hæc omnia important iurisdictionem , & manifestè lædunt ecclesiasticam libertatem ; ergo nequit , hac saluâ , concedi saluus conductus.

Confirmatur , nam ecclesiastica reprobat eas secula-
5 rium Principum dispositiones , aut leges, quæ de ecclesiasticis personis speciatim decernunt , percipiendo , prohibendo , quamuis ipsius Ecclesiæ fauorem , aut patrocinium continere videantur. Ratio est , quia huiusmodi dispositionibus , quæ continent in se aliquod præceptum , vel prohibitionem (prout in prædicto Saluoconductu) prætenditur directa laicorum Principum potestas super Ecclesiasticos ; talis autem vsurpatio potestatis libertati ecclesiasticæ repugnat ; quare maius Ecclesiæ præiudicium infertur , quàm afferatur commodum, vt expresè habetur *in cap.1. dist.96. & in cap. Ecclesia, vbi* Abbas *num.10.* & Felinus *num.80. de constit.* Angelus *V. lex, num.5.* Suarez *de legibus , lib.3. cap.34. num.13. & lib.4. contra Regem Angliæ, cap.6. nu.7.* Diana *par.4. trac.1. res.14. & par.3. tract.1. resol.13.* Surdus *cons.103. num.13. vol.2.* Caualcanus *decis.33. nu.16. lib.3.* Plotus *cons.93. nu.2.* Berous *cons.31. num.22. & 34. vol.1.* Rimin. Senior. *cons.218. num.8.* Oddus *cons.44. num.13.* Menoch. *cons.291. num.25. vol.3.*

Confirmatur secundò , nam tunc secularis Principis dispositio circa personas ecclesiasticas est valida, nec est
6 contra ecclesiasticam libertatem, si sit merè permissiua, seu merè priuilegiatiua , nullam continens in se prohibitionem; exemplum est si Statuto laicali caueatur, Clericos primogenitos admittẽdos esse ad feuda, maioratus , &c. valebit Statutum , ita Abbas *in cap. Eccles. num.26. de constitutionibus* Surdus *cons.2. nu.19. vol.1. & cons.301. num.13. & 24. vol.3.* Hondedeus *cons.3. num.11. vol.1. & cons.20. num.17. vol.2.* Diana *par.3. tract.1. res.13.* Ratio est, quia merè priuilegium , non est signum superioritatis; cùm etiam non subdito dari possit : sed huiusmodi Saluusconductus non est merè priuilegium ; quia continet multa præcepta, & prohibitiones, contra libertatem ecclesiasticam ; tùm quia de ratione priuilegij est concedere aliquid dependens à potestate priuilegiantis; Sed ecclesiasticos commorari in qualibet terræ parte, non debet dependere à secularium Principum potestate; illis enim à Christo Domino dictum est : *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium*; ergo tali Clerico ex Saluo conductu Princeps secularis verè nullum concedit priuilegium; imò aufert ea , quæ de iure diuino competunt Ecclesiasticis , commorandi vbicumque voluerint , & vsurpat sibi iurisdictionem concedendi facultatem commorandi in hoc, vel illo loco.

Ex his patet peccare Ecclesiasticum petentem Saluum conductum sine grauissima causa , prout suprà explicaui; nam non potest Ecclesiasticus spontè subijcere se iurisdictioni Laicali , nequit enim renunciare priuilegio vniuerso ecclesiastico Statui concesso , vbi habetur *in c. si diligenti, vbi* Abbas *num.2. in cap. significasti , & cap. placuit de foro competenti, c. cum accedentibus de priuilegijs, cap. insolita 11. quæst.1. cap. qualiter , & quando de Iudicijs,* vbi Io. Andreas *num.11.* Abbas *num.7.* Bu-
7 trius *num.8.* Ancaranus *num.5.* Imola *num.3.* tenetur autem Ecclesiasticus non renunciare priuilegio sui fori ; quamuis ex hoc illi aliquod damnum, aut incommodum proueniat ; dummodo non sit grauissimum, vt vitæ, aut perpetui exilij; tenetur enim quis obseruare legem ecclesiasticam cum suo incommodo ; si non seruando maius incommodum affertur communitati, ita Sotus *lib.1.*

de



TRACTATVS OCTAVVS MISCELLANEVS.



QVÆSTIO PRIMA.

An violator Ecclesiasticæ Immunitatis aliquando excusetur à censuris?

S V M M A R I V M.

A censura excusat ignorantia culpabilis, dummodo non sit crassa. num.1.
Quæ sit ignorantia crassa, quæ non crassa? num.2.
In dubio Subditus potest obedire superiori, num.3.
Quare possunt exequi Principum mandata, in dubio, eius Ministri, milites, gabellarij, & similes. num.4.5.6.
An possint detineri in carceribus Curiæ Secularis Clerici, donec probent Clericatum, & requisita? num.7. & 8.
Consuetudo contra immunitatem ecclesiasticam, quamuis immemorabilis, & nulla. num.9.
Tolerantia Summi Pontificis non excusat. num.10.
An Episcopi possint habere familiam armatam? num.11. & an ista gaudeat priuilegio fori? num.12.
An Diaconi Saluatici gaudeant priuilegio fori? num.13. & 14. Ignorantia Iudices excusat. num.15. qui etiam stante opinionum conflictu, quamuis falsam opinionem sequantur, ex ignorantia excusantur. num.16. Quandoque tamen non excusantur. num.17. Ad cautelam petenda est absolutio. num.18.



Respondetur affirmatiuè, quando scilicet dubitat se infringere ecclesiasticam immunitatem, nec sufficientem diligentiam adhibet ad indagandam veritatem; tunc quamuis mortaliter peccet, quia culpabiliter ignorat, tamen non incurrit excommunicationem, quia ab in-
1 currenda censura ignorantia vincibilis, seu culpabilis excusat, dummodò non sit ignorantia crassa, seu supina, textus est *in cap.2. de constitution. in 6.* ibi: *Vt animarum periculis obuietur, sententijs per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non sit, aut supina*. Et hoc procedere in quacumque censura docent communiter Doctores, vt testatur Layman *lib.1. tract.5. par.1. cap.5. num.7.* Tannerus *tom.4. disp.6. quæst.10. dub.3. num.47.* Hurtadus de Mendozza *in 2.2. vol.1. disput.83. sect.5. §.42.* Diana *par.5. tract. 9. resol.17.*

Cum autem Dux consulens carcerauit cursores Episcopi; Clericum etiam coniugatum cum habitu, & tonsura delinquentem, carceratum detineat, eo quod ipse testes examinauit, qui deponunt numquam diuinis inseruisse. Denique exegit taxam collectarum, qua intuitu Clericorum Laici erant grauati, & Episcopus causa cognita exactores excommunicauerat. Quæritur an his casibus excusari possit à censura; quia omnia hæc fecit ex mandato superiorum Ministrorum Regis, & an hæc dicenda sit ignorantia culpabilis, seu vincibilis tantùm, vel crassa, & supina?

Vt autem docet Layman *lib.1. tract.2. cap.4. num.5:*
2 *Illa est ignorantia crassa, lata, seu supina, ad quam tollendam nulla, vel modica cura adhibetur, qualis ignorantia earum rerum plerumque esse solet, quæ communiter ab eiusdem conditionis, ac status hominibus cognoscuntur. Non crassa, seu non supina ignorantia est, quæ non tam facilè superari potuit, vel ad quam vincendam diligentia adhibita est, sed non sufficiens*. Ita Layman.

Vnde huius Ducis ignorantiam fuisse non crassam, neque supinam patet, nam non ita facilè, neque liquido apparere potest, an iustè ista fecerit, & aliqualem diligentiam (quamuis non sufficientem adhibuit) consulendo supremos Regios Ministros, viros, (quos existimare par est) doctos, ac pios; Quare eius ignorantia supina non est, & sic excusandus à censura: vt ex sequentibus ostendam.

Prima itaque excusantibus causa est, supremorum Ministrorum Regis præceptum, quorum mandato hæc fecit; quamuis enim dubitabat illos iustà præcipere, tamen rationabiliter iudicare poterat illos doctos, ac pios viros

viros iusta mandare, etenim in dubio an præceptum sit
licitum, quilibet subditus potest superioris præcepto
parere. Ita Suarez de Religione, tomo 4. lib.4. cap.15.
num.30. Sanchez in Summa lib.6.c.3.nu.3. Molina tom.1.
tract.2.disp.113. concl.3. Salas 1.2. tract.8.disp. vnica,
sect.8.nu.76. Diana par.2. tract.13. resol.10. & par.4.
tract. 4.resol.31. & tract.3. resol.9.
4 Sic Ministri Principum, etiamsi dubitent de Iustitia
sententiæ possunt, & tenentur illam exequi, Martinez
1.2. tomo 1. quæst.19.art.6. dub.5. concl.2.
5 Miles quamuis neque Subditus, neque compulsus,
potest bellare, quamuis dubitet de Iustitia belli; præsu-
mere enim potest Regem iustè indicere bellum, vt pro-
babiliter docent Petrus Nauarra de restitut. lib.2. c.3.
par.2. dub.12. num.160. Salas 1.2. qu.21. tract.8. disp.1.
sect.26. nu.272. Diana par.2. tract.5. resol.96. & par.4.
tract.4. resol.32.
6 Gabellarius potest exigere vectigalia, quamuis dubi-
tet à talibus personis iniustè exigi, quamuis non sit Sub-
ditus, neque compulsus, quia potest iudicare Regem,
seu Proregem esse prudentem, & ex Doctorum consilio
gabellam imponere, ita Vasquez, & Turrianus, quos se-
quitur Eminentissimus Lugo tract. de Iust. tom.2. disp.36.
num.93.
Itaque iste Dux, quamuis dubitaret se infringere im-
munitatem ecclesiasticam; tamen acquiescere potuit
mandatis supremorum Ministrorum Regis, sciens eos
doctos, ac timoratos. Quare, vel inculpabiliter, vel
non crassè ignorauit, & sic excusandus est à censura.
Secunda excusationis causa est; obseruantia, & vsus;
nam Clerici in Curijs regni detinentur in carceribus do-
7 nec probent Clericatum, & requisita per modum in-
formationis Curiæ, Francus decis.329. Borrellus in Sum-
ma, decis. tom.1. tit.44. num.425. & ita seruari quoque
in Hispania scribit Couar. pract.qq. c.33. nu.1. In Lusita-
nia, Valaschus tom.1. alleg.44. num.10. & 12. In Gallia
Rebuffus ad leges Galliæ, tom.1. tit. de litteris obligator.
art.11. glosa 3. num.15. Paponius lib.1. tit.5. arresto 4.
8 Quamuis autem cognoscere de Clericatu, seu requi-
sitis non spectet ad Iudicem Laicum, sed ad Ecclesiasti-
cum, vt patet ex cap. si Iudex Laicus de sententia excom.
in 6. & probat Diana par.1. tract.2. resol.28. par.3. trac.1.
resol.10. 15. & 83. par.4. tract.1. resol.5. par.7. tract.10.
resol.5. & oppositam opinionem tamquam falsam, & sa-
cris Canonibus contrariam communiter reprobari, te-
statur Farinac. de inquis. qu.8. num.34.
Neque excuset obseruantia, cum quælibet consuetu-
do contra immunit. Ecclesiasticam quantumuis imme-
9 morabilis sit nulla authentica cassa, C. de SS. Eccl. cap. cum
terra de elect. cap. ad nostram e. cum inter de consuet. nisi
adesset fama priuilegij, vt ait Suarez in Regem Angliæ,
lib.4. cap.34. num.17. Diana par.4. tr.1. resol.1. & 62.
& par.7. tr.1. resol.18.
Et Vrbanus VIII. anno 1641. die 5. Iunij in Bulla in-
cip. Romanus, damnat, & annullat omnia præiudicialia
facta, & facienda contra immunitatem & libertatem Ec-
clesiasticam, etiam sub prætextu, quod Bullæ, seu con-
stitutiones Pontificiæ non fuerint publicatæ, vel vsu re-
ceptæ, aut contrario vsu etiam decennali, & quantum-
uis longissimo, vt prætenditur abrogatæ.
Itaque reuersa hæc obseruantia non excusat à censu-
ra, nisi ratione ignorantiæ, vt mox dicam, sed certè apud
timoratos, & pios Iudices hæc obseruantia non adest,
tantùm enim extraiudicialiter petunt instrui de Cleri-
catu, & ita Neapoli in magna Curia Vicariæ seruari te-
statur Francus decis.329. in fine, & patet ex verbis Bor-
relli, qui in Summa, decis. tom.1. tit.44. num.425. sic ait.
Quando Clericus reperitur carceratus à Iudice Laico ac-
cusatus de delicto, volens ostendere se Clericum, & Clerica-
tum docere, pars citanda non est, quia cùm Clericatus sit
docendus coram Episcopo, coram Laico non dicitur fieri in
vim plenæ probationis, sed potius instructionis, ita Borel-
lus, qui citat Baldum, Marsilium, Tiraquel. Guidonem
Papa, Couar. Nattam, & Bellugam. Vndè Amendola
ad Francum decis.329. num.15. ait: in casu dubio remit-
tendum reum, & idem docet in Hispania obseruari A-
uendanus de exeq. mandatis, cap.22. num.2. Ex quibus
constat timoratos Iudices ad Episcopum remittere
reum, vt probet Clericatum, & requisita.
10 Neque excusat tolerantia Summi Pontificis, quia
permittit, ne maiora mala sequantur, vt ait Suarez de
legibus, lib.7. cap.13. num.12. & in Regem Angliæ, lib.4.
cap.32. nu.11. Filliucc. tract.16. num.256. Surdus to.1.
cons.301. num.57. Bonaccina tom.3. in Bullam Cœnæ,
disput.1. quæst.15. punc.4. §.1. nu.5. Diana par.1. trac.2.
resol.5. par.3. tract.1. resol.56. par.4. tract.1. res.1. & 10.
11 Præterea quamuis Episcopus possit habere familiam
armatam, vt patet ex Trident. sess.25. de refor. cap.3. vbi
dicitur quod debet abstinere à censuris, quoad fieri po-
test, & per pœnas pecuniarias, & distinctionem perso-
nalem procedere, etiam contra Laicos per proprios, aut
alienos executores; quæ familia armata Episcopi in ci-
12 uilibus, & criminalibus gaudent priuilegio fori, vt patet
ex cap. fin. de offic. Archid. & sexaginta octo Doctores
citat Diana par.6. tr.2. res.2. & alios citat par.4. tract.1.
resol.17. & 30. & par.5. tr.1. resol.1. Et Vrbanus VIII.
alijsque Pontifices pluries obseruari præceperunt, vt
constat ex pluribus Decretis sacræ Congregationis fa-
cto verbo cum Sanctissimo, quæ affert Diana par.5. tr.1.
resol.1. par.4. tract. 1. resol.30. & par.6. tract.2. resol.3.
& Barbosa in Collectan. ad Trident. sess.23. cap.6. nu.42.
Sacra autem Congregatio Cardinalium negotijs Regni
Neap. Præposita 10. Kal. Iulij 1623. vt testatur Riccius
in praxi fori Eccles. par.4. resol.480. & Barbosa in Collect.
ad Trid. sess.23. de refor. cap.6. num.45. decreuit; In Re-
13 gno Neapolitano Diaconos Saluaticos pro Ecclesiarum, &
Episcoporum seruitio retineri in Cathedralibus posse ad sū-
mum quatuor; in Collegiatis verò, in quibus Diuina cele-
brantur, si Episcopo videbitur, vnum; qui priuilegio Cano-
nis non gaudent, fori autem priuilegio in criminalibus om-
ninò, in ciuilibus verò quoad corporis distinctionem tan-
tùm, & immunitate ab oneribus personalibus, non autem
ab alijs durante seruitio, frui debent. Ita sacra Cōgregatio.
14 Tamen in Regno Neapolitano cursores Episcopo-
rum, seu Diaconos saluaticos non gaudere priuilegio fo-
ri, communiter obseruatur, sed hæc obseruantia est nul-
la, quia contra immunitatem Ecclesiasticam, & reuera
excommunicationem incurrunt Iudices, & Barones, qui
15 ea obseruantia vtuntur; Excusantur tamen ob ignoran-
tiam, nam quando consuetudo ita inualuit contra le-
gem, vt plerique viri timorati sine remorsu conscientiæ
eam seruant, quamuis consuetudo sit nulla, & irrita, vel
adhuc non sit legitimè præscripta, tamen excusantur
eam seruantes, neque excommunicationem incurrunt;
nam rationabiliter putare possunt ex aliqua causa sibi
ignota id fieri, ita Valentia tom.3. disp.7. quæst.5. punct.8.
Regi-

Reginaldus *lib.13. num.247.* Salas *de legibus disput.19. sect.4.§.5. num.43. & par.2. quæst.21. tract.8. disp. vnica num.169.* Azorius *tom.1. lib.2. cap.19. quæst.12.* Diana *par.1. tract.10. resol.3. & par.4. tract.3. resol.14. & 22.* Dimalius *par.2. tract. de legibus quæst.7. artic.2.* Bassæus *in floribus Theol. practica verbo consuetudo num.16.*

16 Tertia causa excusationis est opinionum conflictus, plerique enim Doctores sustinent posse Laicum cognoscere de habitu Clericali, & requisitis, posse etiam cognoscere de familia laica Episcopi, vt apud Dianam *locis citatis*, & quamuis hæc opinio falsa sit, cum Theologi omnes, quibus in hac materia credendum est eam, vt falsam reijciant, & opinio, quæ tamquam falsa reijcitur à cæteris Doctoribus non possit sequi in conscientia, vt docet Sanchez *in Summa lib.1. cap.9. num.11.* qui affert Vasquez & Sayrum.

Tamen cum falsitas opinionis, non ita liquido appareat, nec sit manifesta, cum etiam doctissimus falli possit in cognoscenda falsitate opinionis, meritò excusatur quis, si eam sequatur, qua ratione puto excusandos Regios ministros, qui multa contra immunitatem Ecclesiasticam committunt; cum enim vnius grauis Doctoris authoritas faciat opinionem probabilem, quamuis sit contra communem, vt docent Sanchez *in Summa lib.1. cap.9. numer.14.* Diana *par.4. tract.4. resol.30.* Castillo Sotomajor *de tertijs cap.12. num.39.* Ideò omninò excusandus est, vel saltem non erit crassa ignorantia, si vir doctus putet aliquam opinionem (reuera falsam) esse probabilem; Verùm excusandus non est, quando, aut

17 scit esse falsam opinionem, aut dubitat, & facillimè poterat instrui, & negligit, est enim tunc ignorantia crassa, quæ non excusat in conscientia à censura.

Ex quibus patet Ducem hunc non incurrisse censuram, nam eius ignorantia saltem non fuit crassa, quamuis fortè fuerit culpabilis, debebat enim consulere ante factum religiosos doctos, ac pios.

Verum quia bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est, vt ait S. Gregorius Papa *relatus in canone 4. dist.5.* & in dubio tutius sit petere absolutionem ad cantelam, fortè enim potuit esse ignoran-

18 tia crassa: ideò Consulo huic Duci, vt petat absolutionem ab excommunicatione, quam tamen quilibet Sacerdos poterit dare cum sit dubium de incursa censura Bullæ cænæ, vt probabo *infra quæst.16.* debet tamen promittere, quod Clericum, consignabit Episcopo, interim tamen poterit eum detinere, donec Episcopus decernat, an gaudeat fori priuilegio, seu an inseruierit Diuinis, vt habetur *in decis.202. Rota Rom. in nouis*, & infra ostendam, & promittere de cætero similia non committere, sed quando dubium in hac materia immunitatis Ecclesiasticæ euenit, consulet Religiosos doctos, ac pios.

QVÆSTIO II.

An Clerici coniugati, pro debito ciuili gaudeant priuilegio fori, quoad districtionem personalem?

SVMMARIVM.

In causis ciuilibus Clericus coniugatus non gaudet priuilegio fori, num.1. An gaudeat quoad districtionem personalem? num.2. Obseruanda est consueto. num.3. Quia hæc est iuris interpretatiua. num.4.

Communis opinio est non posse carcerari pro debito ciuili. num.5. An hæc consuetudo carcerandi coniugatos pro debito ciuili, adsit in Regno Neapolitano? num.6.

Cum via ritus liquidatur instrumentum, recurrendum est ad Episcopum. num.7.

SVpponο in causis ciuilibus Clericum coniugatum non gaudere priuilegio fori, ita communiter DD. Io. Andreas, Dominicus, & Ancaranus *in cap. vnico de Cler. coniugatis in 6.* Couar. *pract. qq. cap.31. numer.7.* qui ait: ita Seruari in Hispania, Ludouicus Correa *in capit. inter alia par.2. num.33. de Immunit. Ecclesiastica*, Cenedus *canon. qq. lib.1. quæst.4. num.18. & 19.* Anton. de Marin. *quotid. resol. cap.58.* Barbosa *de Episcopo Allegat.12. num.25.* Farinac. *de inquisit. quæst.8. num.7.* Ex Theologis Sanchez *de matrim. lib.7. disp.46. num.22.* Layman *lib.4. tract.9. cap.8. num.5.* & ita die 13. *Februarij* 1610. testatur decisum à Sacra Congregat. Sellius *canon. qq. cap.18. num.27.* quamuis alij contrarium doceant, quos sequitur Borrellus *in Summa decis. tom.1. tit.8. num.6.* Diana *par.1. tract.2. resolut.51. & par.4. tract.1. resol.78.* vbi ex Gauanto refert sacram Congregationem pro Regno Neapolitano *die 17. Februarij 1630.* declarasse gaudere priuilegio fori, etiam in ciuilibus. Sed re vera sacra Congregatio teste Sellio *vbi suprà* declarauit obseruandam consuetudinem: in Regno autem Neapolitano, vt testatur Bonellus *vbi su-*

2 *prà*, consuetudo est, quod non gaudeat in ciuilibus. Difficultas est quoad districtionem personalem pro debito ciuili.

3 Respondetur seruandam esse consuetudinem, & ita in Hispania obseruatur, vbi Clerici coniugati sine vlla controuersia carcerantur pro debito ciuili à Iudice Laico, vt refert Couar. *pract. cap.31. num.7.*

Quod autem hæc consuetudo valida sit, probatur, quia non est expressè contra sacros Canones, sed est consuetudo iuris interpretatiua, quæ valida est, vt supra

4 Probaui. Quod autem hæc sit consuetudo iuris interpretatiua, non autem abrogatiua, patet, quia in *cap. vnico de Clericis coniugatis in 6.* nihil habetur de districtione personali pro debito ciuili, imo graues Doctores asserunt pro debito ciuili posse Clericum coniugatum carcerari, ex eo textu, quia ibi duo tantùm priuilegia conceduntur Clerico coniugato, nempe Canonis, & fori pro delictis commissis, & subditur: in cæteris autem eos gaudere nolumus priuilegio: ergo nullo alio gaudet priuilegio ergo neque isto, quod non possit personaliter capi pro debito ciuili, & ita docet ibi Io. Andreas, & Cardinalis Tuscus *V. Clericus concl.399. num.21.* ait: quod pro debito ciuili potest capi, & videtur textus ille apertè hoc dicere nisi cauilletur. Quicquid sit, certè nullus Canon tradit Clerico coniugato hanc immunitatem, quoad districtionem personalem pro debito ciuili: quare consuetudo seruanda est, quippè, quæ est optima legum interpres.

Verùm si non adsit talis consuetudo carcerandi Clericos coniugatos pro debito ciuili, illa introduci non potest absque peccato, neque poterit sine metu aliquo

5 censurarum carcerari; ratio est, quia communis opinio (secundum quam iudicandum est in foro externo) est quod nequeat pro debito ciuili personaliter astringi, & de hac

de hac communi opinione testatur ip e ner Couar. & sequitur Farinac. *d. Inquisit. quæst.8. num.7.* A caran. *in cap. vnico de Clericis coniugat. in 6.* Ripa *lib.1. responsorum cap.13. col.3.* & ita decisum à sacra Con egat. *decis.13. Febr.1610.* refert Sellius *Canon. qq. capit.18. n.27.* & Barbosa *in Collectanea ad Trid.sess.23.c.6.nu.49.*

Probatur, quia *ex d. cap. vnico*, gaudet Clericus priuilegio fori pro delictis etiam si ciuiliter agatur, ea ratione; quia cognitio de delicto quomodocumque respicit ipsam personam Clerici, quam Canones immunem faciunt à Laicali iuri dictione: ergo etiam à fortiori, quo ad districtionem personalem pro debito ciuili debet esse immunis.

Secundò, quia ob reuerentiam ordinis Clericalis; debet gaudere priuilegio canonis; ergo ob eandem reuerentiam debet esse Immunis à quacumque districtione personali per Iudicem Laicum.

Tertiò, quia Clerici non coniugati in casibus, in quibus tenentur contribuere cum Laicis, non possunt compelli, nisi per Iudices Ecclesiasticos, ita Guido Papæ *decis.78.* Aponte *de potest ate Proregis tit.4. num.62.*

Itaque vbi non adest talis consuetudo; neq ieunt Iudices Laici pro debito ciuili Clericos coniugatos personaliter adstringere; an autem adsit hæc consuetudo in Regno Neapolitano, videant illi, ad quos spectat. Borrel-
6 lus Neapolitanus *in Sum. decisionum tom.1. tit.8.num.7.* innuit talem consuetudinem non extare, quia ait: se vidisse in causis ciuilibus non gaudere, & subdit; *tamen Iudex Laicus non distringet, neque carcerabit, sed Iudex Ecclesiasticus.*

7 Non desinam hic adnotare, quod si ageretur via ritus, ex præsentatione instrumenti liquidi, vel obligationis executiuæ, tunc ad Episcopum est recurrendum; quia quæstio hæc sapit criminalitatem, ratione periurij, ita post Campanilem, & Clarum Capiblancus *de Baronibus pragmatica 8. par.3. num.58.*

QVÆSTIO III.

An in Regno Neapolitano tuta conscientia, possint Iudices Laici obseruare antiquissimum curiæ stylum, vt non remittant Clericum deprehensum in habitu, & tonsura, donec coram Episcopo probauerit Clericatum, & requisita?

SVMMARIVM.

Seruanda est consuetudo in hac re. num.1.
Seruitium diuinum non præsumitur, nisi probetur. num.2.
Tunc consuetudo dicitur contra immunitatem quando sumus in casu certo, & tunc est irrita; secus si sumus in casu dubio. num.3.
An ex hoc corruat omnis immunitas Ecclesiastica. num.4.

Respondetur affirmatiuè de eodem stylo Hispaniarum testatur Ignatius Lopez *in praxi crimin. can. cap 64. num.19.* quam praxim in eo loco, vbi viget seruandam, innuit Farinac. *de Inquisit. quæst.8. num.36.* fauet doctrina Barbosæ *tract. de Episcopo par.3. alleg.12. num.34.* vbi ait: *Capto Clerico Episcopum cognoscere directè de Clericatu, & requisitis ex Trident. citato tamen Iudice, & fisco secularis Curiæ; deinde facto decreto eum gaudere priuilegio fori, petenda est remissio, cum intimatione Decreti; & intra viginti horas, tunc Iudex secularis debet sine dedecore eum remittere, & non remittens, mox incidit in excommunicationem:* idem docet Marius Antoninus *lib.3. resol.48. num.34.* fauet quoque decisio Rotæ Romanæ 202. *in nouis, qua est 3. intit. de sententia excom.* quam affert Riccius *collectan.2420.* nempè, quod Clericus coniugatus, non est remittendus, antequam coram Episcopo probet se duxisse vnicam vt virginem, & portasse habitum & tonsuram Clericalem; ergo neque est remittendus, donec coram Episcopo, probet se obseruasse requisita Concilij Trident. & inseruisse diuinis.

Præterea quamuis delatio habitus, & tonsuræ Clericalis, fundet præsumptionem tituli Clericalis; vnde iure antiquo attento, *ex C. si iudex Laicus de sententia excom. in 6.* mox erat Clericus remittendus ante cognitionem Clericatus, quia is status alicuius esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur, tamen sola habitus, & tonsuræ delatio, non fundat præsumptionem seruitij Diuini requisiti ex Trident. *sess.23. de refor. cap.6.* ad priuilegium fori: seruitium enim Diuinum non habet necessariam connexionem cum habitu, vel titulo Clericali, & cùm sit quid facti, non præsumitur, nisi probetur *l. in bello §. facta ff. de captiuis, & postlim. reuers.* alioquin verò Iudex Laicus est in possessione carcerationis; ergo non est spoliandus sua possessione, antequam coram Episcopo probetur seruitium diuinum; sicut non est spoliandus, antequam Clericus coniugatus coram Episcopo probet se duxisse vnicã, & virginem, & portasse habitum, & tonsurã, vt patet *ex dec. Rota Rom.202. in nouis.*

3 Præterea, quamuis quælibet consuetudo, quantumuis immemorabilis contra Ecclesiasticam libertatem sit irrita, & nulla; tamen hoc procedit, quando sumus in casu certo, nempè quando certum est, aliquid esse contra sacros Canones, & Ecclesiasticam immunitatem; adeò vt si consuetudo esset valida abrogaret legem Ecclesiasticam: sed quando sumus in casu dubio, in quo aliquid non est euidenter contra sacros Canones, tunc valida est cõsuetudo; quia optima legum interpres est consuetudo, vt docuit Francus *decis.329. nu.12.* Quod vlterius ostendo, nam quamuis contra legem Ecclesiasticam non valeat consuetudo, nisi quadragenaria, DD. *in cap. fin. de consuetud.* tamen consuetudo interpretatiua legis, breui tempore præscribitur, neque diuturnitas temporis in ea requiritur, Crauetta *cons.101.nu.12. & cons.294.col.14.* Menoch. *de arbitr. casu 83. num.10.* Ergo dispar ratio est, de consuetudine abrogatiua ac de interpretatiua legis Ecclesiasticæ. Præterea communis Doctorum opinio, quæ legem de immunitate Ecclesiastica interpretatur, tutum facit in conscientia; ergo etiam tutum reddere debet consuetudo; quæ melius legem interpretatur; dicitur enim optima legum interpres.

4 Dices vnico falcis ictu, corruet omnis immunitas Ecclesiastica ex hac doctrina; semper enim dicent Laici consuetudinem esse validam, quia est legis interpretatiua in casu dubio, & ad ostendendum subesse dubium, sufficiet afferre pro se vnum, vel alterum doctorem.

Respondetur non posse se Laicos Iudices, ex hac doctrina, suas consuetudines contra Ecclesiasticam immunitatem defendere; parum enim refert si aliqui Doctores pro Laico afferantur, quando eorum opinio vti falsa à ceteris reprobetur, tunc enim illa opinio non est existimanda probabilis, neq; tuta in conscientia, vt docet Sach.

Quæstiones P. Verricelli.

tom. vnde etiam contra Papam licita est Regibus defensio, Caiet. *opusc. de potestate Papæ cap.*27. Ergo titulo defensionis, naturali iure, licet Reipublicæ, seu Regis Ministris Clericum grassatorem occidere, si aliter viuus comprehendi nequeat.

Tum quia non minus licet, naturali iure, quoscumque grassatores occidere; quam lupos, vrsos, leones, nec enim, præter faciem, aliud humani habent tales cruentæ bestiæ.

Tum quia euidens est, non esse alium defensionis modum, nisi occisionis, vt publicè quieti prouideatur; eam autem occidendi licentiam nequit dare Episcopus, neque consuli potest sedes Apostolica, eo enim interuallo immanes isti grassatores latrocinijs, & cædibus omnia replent: Tum quia licitum est in bello occidere Ec-
2 clesiasticos, quando illi contra nos arma mouent, miscent se bellis, hostes adiuuant; tunc enim hostes sunt. Reginaldus *tom.*2. *lib.*21. *cap.*8. *num.*151.

Sed Respublica cum his grassatoribus, seu bannitis publicum bellum gerit; quare meritò Ioannes Grandis *tractatum de Bannitis, de bello exulum* inscripsit; ergo Ecclesiastici, qui cum bannitis, & grassatoribus arma mouent contra publicam quietem, meritò tamquam hostes occiduntur.

3 Tum quia non minor debetur reuerentia Ecclesiæ, quam Ecclesiasticis personis; sed potest Ecclesiam dirui, si hostes, ea more castri munita, nos offendant, vt docet Reginaldus *d. lib.*21. *capit.*28. *numer.*151. ergo etiam occidi Clericus publicus latro, & grassator, ac viarum obsessor; tum quia cuilibet priuato licet absque
4 metu excommunicationis occidere Sacerdotem insidiatorem, si nulla suppetat via euadendi eius insidias, Sayrus *de Censuris lib.*6. *capit.*17. *numer.*13. Couar. *in clem. si furiosus part.*3. §. *vnico num.*3. Molina *de Iust. tom.*4. *tractat.*3. *disput.*12. *numer.*2. Lessius *lib.*2. *cap.*9. *dub.*8. *numer.*4. Diana *par.*5. *tractat.*4. *resolut.*5. & 6. Farinac. *in fragmentis part.*2. *verbo irregularitas numer.*477. optimè Lugo *de Iust. tom.*1. *disput.*10. *numer.*161. Sed nulla supereſt Regijs ministris via defendendi innocentes subditos ab insidijs Clerici latronis, nisi occidendo; ergo licitè occiditur. Consequentia patet à fortiori, nam sicut nulla incurritur censura, aut irregularitas
5 ex homicidio ob defensionem vitæ propriæ, ita etiam ob defensionem vitæ proximi, & multò magis propter defensionem vitæ subditi, Couar. *in d. Clem. si furiosus par.*3. §. *vnico nu.*5. Turrianus de *censuris lib.*9. *disp.*65. *dub.*4. Tanneros 3. *par. disp.*6. *quæst.*10. *dub.*11. *numer.*210. Hurtadus *disp.*2. *de irregular. difficult.*10. *num.*36. Coninch. *de Sacram. tom.*2. *disp.*18. *num.*88. *Concl.*3. Villalobos *in Summa tom.*1. *tract.*21. *diffic.*24. *num.*11. Diana *par.*4. *tract.*2. *resol.*5. *Lessius lib.*2. *cap.*9. *dub.*13. Fillincc. *tom.*1. *tract.*20. *num.*160. & 161.

Secundum fundamentum est, nam Clericus iste fuit iustè occisus, non solum titulo iustæ defensionis via facti, sed etiam titulo iustæ sententiæ legitimi iudicis via Iurisdictionis; quia Clericus dimisso habitu enormibus
6 se immiscens, & in ijs perseuerans, ipso facto priuatus est priuilegio Clericali, absque vlla præuia monitione, & subijcitur iudicio laicali; ita communiter Doctores omnes, & quotidiana praxis omnium tribunalium seruat, vt textu *in cap. perpendimus de sententia excommunicationis* docent, & de communi testantur Bossius *titul. de foro compet. num.*134. & 139. Couar. *pract. cap.*32. *num.*2. *vers.*3. Clarus *in* §. *fin. quæst.*36. *num.*19. Farinac. *de inquisit. quæst.*8. *num.*54. ita decisum in sacro Consilij Neapolitano testatur Francus *decis.*463. Riccius *in praxi part.*1. *in*1. *additione decis.*606. Decianus *tom.*1. *lib.*4. *cap.*9. *num.*103. Alex. de Neuo *cons.*56. *num.*20. Capycius *decis.*161. Boerius *decis.*69. *num.*16. Lopez *in praxi cap.*142. Salzedus *ad Diaz cap.*139. *lit. B.* Caballus *resolut. criminal. casu* 60. *num.*17. Marius Antoninus *lib.*3. *resolut.*48. *num.*6. *vers. limita* 2.

Dices, Clericus cum habitu enormibus se immiscens, non ammittit priuilegium Clericale, ita communiter, Bossius *tit. de foro compet. numer.*134. Farinac. *d. quæst.* 8. *num.*56. Clarus §. *fin. quæst.*36. *num.*20. Sed iste Clericus, quamuis in enormibus vsque ad vltimum vitæ perseuerauerit; tamen reassumpsit habitum paucis diebus ante mortem; ergo recuperauit priuilegium Clericale; quandocumque enim Clericus ante carcerationem reassumit habitum, recuperat priuilegium fori; ita decisum testatur Francus *decis.*384. Riccius *par.*2. *decis.*177. Diana *par.*4. *tract.*1. *resol.*18. *vers. Notandum.*

Respondetur primò, transeat, quod gaudeat fori priuilegio propter reassumptionem habitus; vnde non poterit reassumpto habitu occidi via iurisdictionis; tamen iustè occiditur via iustæ defensionis, vt dixi in primò, fundamento.

Respondetur secundò non recuperasse priuilegium Clericale, quia non sufficit reassumere habitum, nisi etiam reassumat seruitium Ecclesiæ, vt mox ostendam; quare etiam via iurisdictionis iustè occisus fuit.

7 Tertium fundamentum est, quia ex Concilio Trident. *sess.*23. *de refor. cap.*6. adhoc vt Clericus minorum ordinum, non beneficiatus, gaudeat priuilegio fori, requiruntur duo copulatiuè, nempè habitus cum tonsura, & seruitium in diuinis, & vtrumque requiritur, adeò vt sine vlla monitione, ipso facto, priuatus sit priuilegio fori Clericus, qui quamuis incedat in habitu, & tonsura, tamen non seruit in diuinis, Ita Bonacina *de Legibus disp.* 10. *quæst.*2. *pun.*1. §. 4. *num.*10. & 15. Ambrosinus *de immun. Ecclesiastica cap.*17. *numer.*13. Menoch. *tom.*10. *cons.*912. *nu.*28. Mascardus *de probat. concl.*391. Aponte *cons.*24. Capiblancus *de Baronibus prag.*8. *par.*3. *numer.*33. Vrsillus *decis.*24. Diana *par.*1. *tract.*2. *resol.*35. & Regens Capycius Latro *decis.*73. *qui num.*18. & 33. qui optimam tradit differentiam inter Clericum beneficiatum, ac non beneficiatum, iste enim non remittitur ad Iudicem Ecclesiasticum, nisi ipse plenè probet habitum tonsuram, & seruitium: At Clericus beneficiatus, hoc ipso quod probat beneficium, remittendus est; esto quod non probet habitum & tonsuram, vnde vt priuetur priuilegio fori, ex Bulla Sixti V. *incip. Cum Sacrosancta anni* 1589. oportet fiscum plenè probare eum non gessisse habitum, & tonsuram. Vt autem gaudeat priuilegio Clericali requiritur, quod saltem per mensem ante capturam seruierit in diuinis, Diana *dicta resol.*35.

Sed iste Clericus latro tribus, & amplius mensibus latrocinijs, ac cædibus intentus, notoriè non inseruiebat, quare ipso facto priuatus erat priuilegio Clericali, & subiectus laicali iudicio, neque reassumptio sola habitus sine seruitio illi prodesse poterat.

8 Quartum fundamentum est, nam certù videtur ex dictis, iustè fuisse occisum, sed esto accidens de hoc dubitaueris, tamen exequens in dubio mandati superioris licitè obedit,

obedit, neque peccat, neque excommunicationem incurrit, quamuis re vera superior male ageret, ac in excommunicationem incurreret, quia in dubijs excusat superioris præceptum, ita omnes, Suarez *de relig. tom. 4. lib. 4. cap. 15. num. 20.* Sanch. *in Summa lib. 6. cap. 3. num. 3.* Molina *tom. 1. tractat. 2. disp. 113. concl. 3.* Diana *par. 2. tract. 13. resol. 10. par. 4. tract. 4. resol. 31. tract. 3. resol. 9.* Hinc Ministri Principum, quamuis dubitent de Iustitia sententiæ, possunt tamen illam licitè exequi, Martinez *par. 2. tom. 1. quæst. 19. artic. 6. dub. 5. concl. 2.* sic miles quamuis nec subditus, nec compulsus potest bellare etiã si dubitet de Iustitia belli, quia præsumere potest Regem iustè indicere bellum, ita probabiliter docent Petrus Nauar. *de restit. lib. 2. cap. 3. par. 2. dub. 12. numer. 160.* Salas 1. 2. *quæst. 21. tract. 8. disp. 1. sect. 26. numer. 272.* Diana *par. 2. tract. 5. resol. 96. & par. 4. tract. 4. resol. 32.* Ergo etiam isti, qui tamquam milites occiderunt tales grassatores, ac bannitos non tenebantur discutere, an iustum esset præceptum, & in dubio parere poterant Regis ministro.

Concludendum igitur prędictos consulentes nulla indigere absolutione, cùm nullam incurrerint excommunicationem.

Non desinam hic adnotare, quorundam Iudicum, ac satellitum barbariem, & feritatem, cùm enim viuum apprehendere ac carcerare bannitum valeant, inhumaniter trucidant, eiusque animam in æternum perimunt: Isti enim grauissimè peccant contra Iustitiam, nam non publica, sed priuata authoritate occidunt, vnde tenentur pœna homicidij, perinde ac si innocentem occidissent; quia ipsis non est data à statuto authoritas occidendi bannitum, tanquam per publicos iustitiæ ministros quomodocumque, etiam in casu, quo commodè carcerare possent, esset enim tale statutum iniustum, & iniquũ; sed tantùm in casu, quo aliter apprehendi nequit: quod etiam patet à pari, nam occidens bannitum in manibus curiæ existentem, punitur pœna homicidij, Bartolus *in l. in laqueum ff. de acquiren. rerum dominio*, Baldus *in l. libertas ff. de statu hominum*, Clarus *in §. homicidium nu. 65.* Farinacius *quæst. 103. num. 302.* Menochius *de arbitrarijs lib. 1. quæst. 90. num. 53.* Peccant quoque contra charitatem, nam ita occidendo, sunt causa damnationis animæ, cùm bannitus sine Sacramentis decedat. Væ istis scelestissimis, & immanibus homicidis, vt enim in Leuitico *cap. 24. Oculum pro oculo, dentem pro dente* restitui mandatur: ita animam pro anima dabunt.

QVÆSTIO VI.

An Clericus Minorum ordinum reassumens habitum in fraudem gaudeat priuilegio fori?

SVMMARIVM.

Clericus coniugatus eo ipso, quod reassumit habitum, recuperat fori priuilegium. num. 1.

Etiam sine licentia Episcopi. num. 2. Aut post fugam è carceribus. num. 3. Non obstante irregularitate. num. 4.

Clericus ordinatus post delictum, aut post fugam è carceribus, aut post forindicationem, gaudet priuilegio fori. nu. 5.

Clericus reassumens habitum in carceribus non gaudet priuilegio fori. num. 6.

Clericus, qui sine habitu deliquit, & carceratus fuit, quem multò ante dimiserat, non gaudet. num. 7.

Dimittens habitum per octo menses, ante carcerationem, non gaudet priuilegio fori. num. 8.

Quando tempore delicti incedebat in habitu, gaudet. num. 9. Gaudet quoque, si reassumit ante carcerationem. num. 10. Aut si per mensem ante carcerationem dimisisset, adhuc gaudet. numer. 11. Habitus reassumptus in carceribus, nihil prodest. num. 12. Gaudet si reassumit post fugam è carceribus, vel dum est habilitatus sub fideiussione. num. 13.

Recipiens Clericatum in fraudem post delictum, poterit puniri à laico pœna pecuniaria, quamuis non corporali. num. 14.

1 PRo parte affirmatiua affertur Primò, quia Clericus coniugatus eo ipso, quod reassumit habitum, & tonsuram Clericalem, recuperat fori priuilegium, Glosa *in clem. 1. in verbo quamdiu de vita, & honestate Clericorum* glosa *fin. in cap. fin. eod. tit.* vbi Abbas *num. 8.* Io. Monachus *in cap. vnico de Clerico coniug. in 6.* vbi Archidiac. Io. de Lignano, Geminianus, & Philippus Francus. Io. Andreas *in cap. Ioannes quæst. 4. de Clericis coniugatis*: vbi ait, ita fuisse Paduæ iudicatum, Zabarella *in clem. fin.* vbi Paulus de Leazis, *de vita, & honest. Cleric.* latè Alex. *cons. 149. vol. 6. & cons. 8. col. vlt. vol. 1. & cons. 58. vol. 4.* Baldus *in l. affinitatis in fine C. communia de successión.* Imola *in clem. 1. & 2. de vita, & honest. Cler.* Couar. *pract. cap. 31. vers. 5.* Decianus *tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 100.* Antonius de Nigris *in clement. de vita, & honest. Cler. verbo habitum num. 31. & 32.* Capiblancus *de Baronibus prag. 8. par. 3. num. 53.* Cucchus *instit. canon. lib. 3. tit. 9. num. 67.* Diana *par. 1. tract. 2. resol. 80.* Barbosa *in l. titia num. 33. vers. quinimmò ff. soluto matrim.* & alter Barbosa *de potestate Episcopi allegat. 12. num. 27.* Valaschus *tom. 1. alleg. 44. num. 4.* Carolus de Grassis *de effectibus Clericatus eff. 1. num. 84.* Martha *de Iurisdictione par. 4. casu 135. num. 16.*

2 Imo Clericus reassumens habitum sine licentia Episcopi, & etiam si id ex synodalibus constitutionibus prohiberetur, adhuc enim gauderet priuilegio fori, Riccius *par. 2. decis. 167.* Diana *par. 4. tract. 1. resol. 18.* Squillante *de priuileg. Cler. cap. 6. dub. 1. num. 19.*

3 Vnde Augustinus Barbosa *tract. de potestate Episcopi par. 2. allegat. 12. num. 29.* asserit, quod Clericus carceratus sine habitu, fugiens è carceribus, & reassumens habitum recuperat priuilegium fori.

Ratio est, quia causa amissionis priuilegij est dimissio habitus; ergo si reassumit habitum cessat causa exclusiua priuilegij, & sic cessante illa causa, cessat priuatio, *arg. cap. cum cessante de appellation. l. adigere §. quamuis de iure patronatus.* Ex quibus patet reassumentem habitum, etiam in fraudem, recuperare priuilegium.

Secundò fauent Aliquæ decisiones sacræ Congregationis, nam *in vna Immunitatis Rossanensis* 18. *Martii* 1631. Decisum fuit, Clericum, qui ante carcerationem reassumpserat habitum, fori priuilegio gaudere: *& in vna Mazariensi* 17. *Iunij* 1630. refert Sellius *Canonica-*
4 *rum qq. capit. 18. numer. 20.* Decretum fuisse, posse Clericum dimissum habitum reassumere, non obstante irregularitate superueniente, ac ordinarij prohibitione. Eadem sacra Congregatio 19. Decembris 1596. vt habetur in decisionibus collectis ex *biblio-*

techa

theca Farinacij part. 4. decis. 165. Censuit Clericum primæ tonsuræ, qui post dimissum habitum, & tonsuram Clericalem deliquit, & pro eo delicto in curia seculari citatus fuit, deinde reassumpto habitu, & tonsura Ecclesiæ inseruire cœpit, iuxta sess. 23. cap. 6. de reformatione, non posse à seculari Iudice cognosci, neque contra eum Iudicem laicum realiter procedere, aut ab eo condemnari.

Tertiò fauet receptissima, & communis sententia, quod Clericus effectus post commissum delictum, etiam in fraudem Clericatu recepto; & etiam post carcerationem, vt si è carceribus fugit, vel post foriudicationem, remittendus est ad Iudicem Ecclesiasticum; neque poterit à Laico amplius puniri pęna corporali, aut carcerari, aut in exilium condemnari, & ita bis fuisse decisum in sacro Concilio Neapolitano, iunctis tribus aulis, testatur Francus decis. 384. 709. & decis. 209. vbi ait: hanc esse communem opinionem, quam primus omnium docuit Io. Andreas in cap. 1. num. 19. & ibi Anania col. fin. vers. quandoque, & Abbas num. 5. de obligatis ad ratiocinia, Oldradus cons. 4. Albericus de statutis par. 3. cap. 241. Igneus in l. fideicommissum num. 163. ff. ad Syllanianum, Marianus Soccinus in cap. proposuisti numer. 52. vbi Boluc numer. 10. de foro compet. Farinac. de Inquisit. quæst. 8. numer. 107. Genuensis in praxi Archiep. cap. 9. num. 3. Bonacina de Legibus disp. 10. quæst. 2. pun. 1. §. 1. num. 16. Diana par. 1. tract. 2. resol. 27. & par. 4. tract. 1. res. 38. Capiblancus de baronibus pragm. 8. par. 3. nu. 28.

Ratio est aperta, quia si confugiens ad Ecclesiam, animo effugiendi iudicium, gaudet immunitate; quamuis remaneat Laicus, & ad tempus in ea moretur, à fortiori gaudere debet, qui personam suam per ordinis susceptionem, vel habitus reassumptionem Deo consecrat, vt illi perpetuò famuletur.

Præterea videtur textus expressus in l. qui cum vno §. reus ff. de re militari: vbi reus capitalis criminis accusatus, si efficiatur miles, non remittitur sed à Iudice militiæ iudicandus est; ergo multò magis id procedit in eo, qui cęlestis militiæ cingulum suscipit, aut reassumit.

Pro parte tamen negatiua, nempè non gaudere fori priuilegio eum, qui in fraudem reassumit Clericalem habitum.

6 Primò affertur communis opinio Doctorum, quæ docet Clericum reassumentem habitum in carceribus, non gaudere fori priuilegio, ita Cappella Tholosana decis. 147. vbi ait anno 1393. fuisse decisum, Clericum coniugatum, qui post carcerationem fecerat sibi tonsuram, qua carebat, non esse remittendum ad Iudicem Ecclesiasticum, & decis. 144. ac 104. Farinac. quæst. 8. nu. 66. vers. item, vbi ait: esse indubitatum. Clarus in §. fin. qu. 36. num. 13. vbi scribit reassumentem habitum in fraudem, non gaudere priuilegio fori, Christophorus Castellionus cons. 5. num. 5. Alexander de Neuo cons. 50. num. 3. Capra cons. 97. num. 111. Decianus tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 101. Petrus Belluga in speculum Principum tit. de Imposit. grauaminum §. videamus col. 2. in fine, Antonius de Nigris in extrau. de vita, & honestate Clericorum verbo habitum num. 33. Cucchus canon. Instuut. lib. 3. tit. 9. num. 68. Bortellus in Summa decisionum tom. 1. tit. 8. num. 13. & tit. 9. num. 23. Capiblanc. de Baronibus prag. 8. par. 3. num. 53.

7 Quare communiter omnes asserunt, quod Clericus coniugatus carceratus sine habitu, & tonsura, non debet remitti ad Iudicem Ecclesiasticum; sed etiam si nulla præcesserit monitio, constito, quod deliquerit sine habitu, eumque multo tempore ante dimisit, poterit à laico Iudice condemnari, & laqueo suspendi, Guido Papæ decis. 138. num. 2. vbi asserit ita decisum, Geminianus in cap. 1. de Cler. coniugatis, Alex. de Neuo cons. 59. num. 22. Farinac. quæst. 8. num. 34. Menoch. lib. 6. præs. 76. num. 32. Marthia de Iurisdict. par. 4. casu 135. in fine, Faber decis. 44. tit. de Iurisd. omn. Iudic. vbi testatur ita decisum, Paponius lib. 3. arresto 4. Riccius in Collect. 956. & par. 1. praxis decis. 606. 1. edition. Antoninus variarum lib. 3. resol. 48. nu. 7. Vgolinus de potestate Episcopi cap. 12. nu. 3. Barbosa de Episcopo allegat. 12. nu. 29.

Vnde referunt Tholosę Clericum coniugatum homicidam, ob caligas bipartitas, laqueo fuisse suspensum, Aufrerus ad Cappellam Tholosanam decis. 227. & 252. Farin. quæst. 8. num. 67. Decian. tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 96. & 97.

Ergo reassumens habitum in fraudem, non gaudet priuilegio fori; alioquin semper eo reassumpto posset euadere seculare Iudicium, vnde frustatoria esset dispositio Tridentini & Bonifacij IX. quod Clerici coniugati, aut Minorum ordinum non deferentes habitum, & tonsuram, non gaudeant priuilegio fori; si quidem posset eo reassumpto, saltem in carceribus, recuperare.

8 Secundò fauet decisio sacræ Congregationis 10. Ianuarij 1620. quam affert Sellius Canon. qq. cap. 18. nu. 19. vbi refert decisum, quòd si Clericus per octo menses ante carcerationem habitum dimiserit, nullo modo gaudebit priuilegio fori, si à curia seculari, sine habitu captus fuerit.

Tertiò accedit text. in cap. ex parte de Clericis coniug. vbi Honorius III. Anglorum Reginæ, ita rescripsit: *Ex parte tua fuit propositum, quod nonnulli litterati terra tua (habitu, & tonsura Clericali derelictis) ducunt vxores. Vt tamen consuetis iustitijs, & debitis obsequijs te fraudent, tonsuram reassumunt abiectam. Cùm igitur reddenda sint, quæ sunt Cæsaris Cesari, & quæ Dei Deo, æquanimiter duximus tolerandum, si à talibus iustitias debitas, velut ab alijs vxoratis exigas, & seruitia consueta.* Hæc ibi Honorius, vbi glosa in verbo iustitijs, ait, quòd prætextu huiusmodi Clericatus, declinabant subire iudicium Reginæ; ergo reassumens habitum in fraudem non gaudet priuilegio fori. His positis

9 Dico primò quando tempore delicti Clericus incedebat in habitu reassumpto, & post delictum iterùm dimittit habitum, & sine illo carceratur, tunc gaudebit priuilegio fori; nam attenditur tempus delicti, quo reassumpto habitu gaudebat priuilegio; quamuis tempore carcerationis fuerit sine habitu deprehensus, & ita docent Glosa in clem. 1. verbo quamdiu de vita, & honestate Clericorum, Io. Andreas in cap. Ioannes quæst. 4. de Clericis coniugatis Alex. cons. 149. vol. 6. & cons. 8. vol. 5. Couar. pract. cap. 31. num. 7. vers. 5. Antonius de Nigris in extrau. de vita, & honest. Clericorum, verbo habitum nu. 31. Castellionus cons. 5. Cucchus instituit. canon. lib. 3. tit. 9. num. 68. Bortellus in Summ. decis. tom. 1. tit. 8. num. 12. Marius Antoninus lib. 3. resol. 48. num. 7. Sanch. de Matrim. lib. 7. disput. 46. num. 10. Capiblancus de Baronibus pragm. 8. cap. 3. nu. 53. Diana par. 1. tract. 2. resol. 3. Farinac. quæst. 8. num. 66.

01 Dico Secundò, quando Clericus reassumit habitum post delictum, sed ante carcerationem; quamuis tem-

pore delicti erat sine habitu, & se gerebat, vt laicum, adhuc gaudebit priuilegio fori, ita decisum testatur Cappella Tholosana *decis.* 185. Riccius *collect.* 308. & 1610. Barbosa *tract. de potest. Episcopi allegat.* 12. *nu.* 18. Gram. *decis.* 33. Farinac. *quæst.* 8. *num.* 66. Marius Antoninus *lib.* 3. *resol.* 48. *num.* 8. Castellionus *cons.* 5.

11 Dico tertiò quando Clericus paruo tempore, vt per mensem ante carcerationem, habitum dimisit, quamuis sine habitu deliquerit, & absque eo carceratus fuerit, adhuc gaudebit priuilegio fori. Tappia *in constitut. Regni de personis num.* 25. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 34. & 35. & *par.* 4. *tract.* 1. *resol.* 18.

12 Dico quartò, quando Clericus deliquit sine habitu, quem multo tempore dimisit, & sine habitu carceratur, nihil ei prodest, si in carceribus eum reassumat, vt docent omnes quos supra adduxi.

13 Dico quintò, quando Clericus deliquit sine habitu, & sine eo carceratur, sed potest fugam è carceribus, vel dum manet habilitatus sub fideiussione, reassumit habitum, tunc videtur recuperare suam naturalem libertatem, & ideò reassumens habitum, recuperat fori priuilegium. Ita Barbosa *de Episcopo alleg.* 12. *numer.* 29. Francus *decis.* 384. & *decis.* 709.

Ex dictis patet responsio ad contraria argumenta ad tex. *in cap. ex parte de Clericis coniugatis.* Respondetur ex Ancarano ibi *num.* 2. Abb. & alijs, quod Clerici coniugati, siue deferant tonsuram, & habitum Clericalem, siue non, in his, quæ pertinent ad res, subsunt Domino temporali, sed de hoc alibi.

14 Obijcies, quia quamuis recipiens clericatum in fraudem post delictum commissum, non possit puniri pœna corporali à Iudice Laico, poterit tamen ipsius causa cognosci, & puniri pœna pecuniaria, ac eiusdem bona confiscari, vt docent omnes communiter: ità Io. Andreas *in cap.* 1. *numer.* 19. *de obligatis ad ratiocinia vbi* Ananias *col. fin. vers. quandoque,* & Abbas *num.* 5. Soccinus *in cap. proposuisti num.* 52. & *ibi* Bohic. *num.* 10. *de foro compet.* Franc. *decis.* 209. 384. & 709. Couar. *pract. cap.* 32. *num.* 4. *vers.* 3. *Concl.* Farinac. *quæst.* 8. *nu.* 107. Sellius *canonicarum qq. cap.* 18. *num.* 17. dicens sic fuisse decisum à sacra Congregatione *in vna Papiensi* 23. *Maij* 1626. & decidisse Sacram Congregationem controuersijs iurisdictionalibus præposita *in vna Ciuitatis Castellanæ* 18. *Februarij* 1631.

Ergo à fortiori Clericus post delictum ante carcerationem reassumens habitum, quamuis nequeat puniri corporaliter à Iudice Laico, poterit tamen puniri pęna pecuniaria.

Respondetur transeat antecedens, nego consequentiam, nam oppositum est in terminis decisum à sacra Congregatione *die* 19. *Decembris* 1596. vt habetur *in decisionibus collectis ex bibliotheca Farinacij par.* 4. *decis.* 165. in hæc verba; *Congregatio Concilij censuit: Quoad Clericum prima tonsura, qui post dimissum habitum, & tonsuram Clericalem deliquit, & pro eo delicto in curia seculari citatus fuit, deinde reassumpto habitu, & tonsura Ecclesiæ cępit seruire; iuxta cap.* 6. *sess.* 23. *non posse Iudicem laicum processui finem imponere, & contra illum realiter procedere.* Hæc sacra Congregatio. Disparitas est quia Laicus delinquens nullum omninò habet priuilegium Clericale; quare si de delicto accusetur, & deinde assumat ordinem Clericalem, cum dicatur præuencta causa, quoad districtionem realem, non poterit effugere iurisdictionem laicalem: quamuis quoad districtionem personalem, effugiat eiusdem iurisdictionem, cum non fuerit præuencta persona, vt considerauit Francus *decis.* 384. At Clericus qui dimisso habitu delinquit, verè est Clericus, & re vera exemptus ab omni Iurisdictione laicali, quamuis tale priuilegium, durante dimissione habitus, suspendatur; ergo reassumpto habitu, omninò recuperat suum priuilegium, tam quoad districtionem personalem, quàm realem.

QVÆSTIO VII.

An gaudeat fori priuilegio Clericus Minorum ordinum, qui habitum Clericalem diu dimissum, per decem dies ante carcerationem, reassumpsit; numquam tamen inseruiuit Ecclesiæ, & quid si inseruiuit eo tempore, quo erat cum fideiussione habilitatus?

SVMMARIVM.

Clerici Minorum ordinum non gaudent priuilegio fori, nisi incedant in habitu, & tonsura, ac Ecclesiæ inseruiant. num. 1. *Neque requiritur trina monitio. num.* 2.

Sine vlla degradatione mox suspenditur. num. 3.

Requiritur perseuerantia, ac frequentia, in habitu, & seruitio. num. 4.

Sufficit tamen pro maiore parte temporis inseruisse. num. 5.

Ob carentiam seruitij, absque culpa, aut pro breui tempore, non priuatur priuilegio Clericali. num. 6. & 7.

Non priuatur, si per mensem ante carcerationem, omisit seruitium num. 8. *Nec si omisit ob occupationem seruitij Episcopi. num.* 9.

Reassumens seruitium post carcerationem, dum est habilitatus per palatium sub fideiussione, recuperat priuilegium. num. 10. *Ingrediens religionem, eo tempore habilitationis, gaudet priuilegio fori. num.* 11.

NEgatiuè videtur respondendum, nam ex Trid. *sess.* 23. *de refor. cap.* 6. & *ex cap. vnico de Cleric. coniugatis* Clerici Minorum ordinum coniugati non gaudent priuilegio fori, nisi incedant in habitu, & tonsu-
1 ta, & Ecclesiæ inseruiant, & passim docent omnes ista copulatiuè requiri, ita de Clerico coniugato Imola *in cap. Ioannes de Cleric. coniug. num.* 3. Farinac. *quæst.* 8. *num.* 6. & 64. Scaccia *de Iudicijs lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 20. qui docent: hodie coniugatos raró gaudere priuilegio fori, cùm nullus eorum seruet ista requisita, Rolandus *cons.* 4. *num.* 26. *lib.* 1. Guido Papæ *decis.* 83. & 138. Rota *in Nouis decis.* 202. Couar. *pract. cap.* 31. *num.* 7. *vers.* 2. & 3. Diana *par.* 4. *resol.* 93. Martha *de Iurisd. par.* 4. *casu* 135. *in fine.*

Neque requiritur, quod præcedat trina monitio, Marius Anton. *lib.* 3. *resolut.* 48. *num.* 7. Ricc. *in praxi* 1. *decis.* 606. 1. *adit.* Barbosa *de potestate Episc. alleg.* 12. *n.* 29.

In non coniugatis habitum, tonsuram, & seruitium, requiri ex Trid. decreto, & Sacræ Congregationis decisione, docent Bellettus *disquis. Cleric. par.* 1. *tit.* 3. §. 8. *num.* 7. Riccius *dec.* 154. *par.* 4. Barbosa *alleg.* 12. *nu.* 19. Couar. *pract. capit.* 31. Mascard. *de probat. concl.* 301. Aponte *cons.* 24. Vrsillus *decis.* 24. alter Barbosa *in l. titia numer.* 34. *vers. vlt. concl. ff. soluto Matr.* Armendar. *in addit. ad recopil. legum,* Nauarræ *tit.* 19. *numer.* 13.

Vnde

3 Vnde carens seruitio, mox sine vlla degradatione, laqueo suspenditur, ita ex receptissima consuetudine obseruari, dicunt Couar. *pract. cap. 32. num. 2. 4. & 6.* Farinac. *quæst. 8. num. 57. & 109.* Valascus *allegat. 51.* Barbosa *de Episcopo allegat. 12. num. 31.* Menoch. *præs. lib. 6. præs. 76. num. 36. & 37.*

4 Requiritur autem perseuerantia, & frequentia in habitu, & seruitio, neque sufficeret bis, aut ter inseruisse, Cenedus *pract. qq. lib. 1. qu. 4. nu. 2.* Menoch. *lib. 6. præs. 76. num. 38. & 39.* Riccius *p. 5. decis. 111. num. 5.* Gallettus *in Margarita casuum consciet. verbo Clericus, fol. 42. col. 2.* Carolus de Graffis *de effect. Clericat. effectu 1. num. 1183.* Barbosa *de Episcopo allegat. 12. nu. 4.*

Ratio est, quia Tridentinum vtitur verbis frequentatiuis deferre, inseruire, quæ arguunt perseuerantiam, & frequentiam: sicuti non sufficeret paruo tempore habitasse, vt ait Grammat. *decis. 87. nu. 5.*

5 Sufficeret tamen pro maiori parte temporis inseruisse, vt declarauit Sacra Congregatio, & testatur Riccius *par. 4. decis. 154. num. 5.* Gratianus *disceptat. forens. to. 3. cap. 440. num. 6.* Diana *par. 1 tract. 2. resol. 35.* Barbosa *de potestate Episcopi, alleg. 12. num. 14.* Gallettus *in Margarita, confess. fol. 42, verbo Clericus, col. 2.*

Itaque cùm iste inquisitus numquam Ecclesiæ inseruierit est priuatus priuilegio fori.

His tamen non obstantibus, respondetur affirmatiuè, nempè gaudere priuilegio fori hunc Clericum reassumentem habitum per decem dies ante carcerationem, quamuis numquam inseruierit.

Probo euidenti ratione, quia mox, vt Clericus reassumit habitum incipit gaudere priuilegio fori, & recuperat illud (prout omnes Doctores vno ore fatentur, quos superiori quæstione adduxi) sicuti mox, vt quis ordinatur incipit gaudere priuilegio fori; Ergo ad hoc, vt Clericus reassumens habitum priuetur priuilegio fori, iam

6 acquisito per realem habitus reassumptionem, oportet, quod intercedat aliqua culpa; nam sine culpa aliqua nemo debet priuari iure iam quæsito; culpa autem tunc esset, quando post reassumptum habitum nullo legitimo impedimento detentus longo tempore omitteret Ecclesiæ seruitium: Sed iste Clericus reassumpto habitu, vix decem elapsis diebus fuit carceratus, & sic breui tempore reassumpto habitu caruit seruitio; ergo ob carentiam seruitij breuis temporis non est priuandus priuilegio iam quæsito, per reassumptionem habitus; absque culpa enim priuaretur priuilegio fori, quod est contra mentem Tridentini, ac sacrum Canonum: quod euidentius patet, nam si hodie fuisset ordinatus, vel hodie habitum reassumpsisset, cras verò carceraretur, quis diceret ob carentiam seruitij vnius diei, priuatum esse priuilegio Clericali? sed eadem ratio est vnius diei, ac decem dierum; oportet enim non breui, sed longo tempore ante carcerationem dimissum esse habitum, aut

7 omissum seruitium; pro leui enim, & breui omissione tanto priuilegio Clericus non est priuandus, *cap. contingit*, vbi Abbas & *in cap. in præsentia de sententia excom.* Diaz *in praxi, cap. 69. & 70. num. 2.* Farinac. *quæst. 8. num. 6. & 64.* Franciscus Leo *in Thesauro fori Ecclesiastici, par. 1. cap. 11. num. 3.* Tappia *in constitut. Regni de personis, num. 25.* Capiblanc. *de Baronibus prag. 8. par. 3. numer. 36.* & ita decisum à sacra Congregatione, referunt Bonac. *de legibus, disp. 10. quæst. 2. pun. 1. §. 4. num. 14.* Diana *par. 1. tract. 2. resol. 35.* Riccius *par. 4. decis. 154. num. 5.* & in Praxi *par. 1. decis. 606. num. 6. prima edition.* Gratian. *disceptat. forens. tom. 3. cap. 440. num. 6.* Marius Antoninus *Variarum resol. lib. 3. resol. 48. numer. 7.* Barbosa *de potestate Episcopi, alleg. 12. num. 20.*

8 Quare Diana *par. 1. tract. 2. resol. 35.* asserit non priuari priuilegio fori eum, qui per mensem ante carcerationem omisit seruitium.

Ex quibus euidenter ostenditur, hunc Clericum mox quod habitum reassumpsit, recuperasse fori priuilegium, nec illud amisisse ex eo, quod per decem dies ante carcerationem non inseruiuit in diuinis.

9 Adde quòd iste inquisitus fuit legitimè impeditus in negotijs exigentiæ mensæ Episcopalis, quare etiamsi ob istud impedimentum longo tempore omisisset seruitiũ, non priuaretur priuilegio fori, ita Barbosa *tract. de Episcopo, allegat. 12. num. 14.* Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 7. num. 11.* Diana *p. 1. trac. 2. resol. 35.*

10 Adde secundò, quòd iste Clericus inquisitus post carcerationem, dum esset habilitatus per palatium sub fideiussione, inseruiuit in diuinis, quare recuperauit fori priuilegium, ita decisum à sacra Congregatione die 23. *Maij 1626. in vna Papiensi, & die 18. February 1631. in vna Ciuitatis Castellanæ* referunt Sellius, *Canonicarum qq. cap. 18. num. 17.* & Barbosa *de potestate Episcopi allegat. 12. num. 29.*

11 Est quoque insignis decisio sacri Consilij Neapolitani, apud Francum *decis. 709. 384. 209. & 213.* Nec piget verba referre sic enim inquit Francus *decis. 709.* *Henricus Maluinni aliqua homicidia commisit, fuit carceratus, deinde fuit habilitatus à carceribus, in quibus detinebatur, & assignatum Palatium magnæ Curiæ pro carcere cum fideiussione ducatorum mille, de illud tenendo loco carceris, aufugit, & obtenta dispensatione Summi Pontificis pro delictis commissis, fuit admissus ad sacram Religionem Hierosolymitanam; Pro parte Religionis allegabatur, tunc non innuare professionem, quando professio fieret in carceribus, seu in eis fuisset habitus receptus: Discussa plenè hac causa, iunctis Consiliarijs duarum aularum, pro maxima parte votorum, fuit iudicatum in fauorem Religionis.* Hæc Francus.

Ex quibus patet à pari, sufficere ad recuperationem priuilegij, eum post habilitationem è carcere, reassumpsisse seruitium.

QVÆSTIO VIII.

An Clerico absente causa studiorum, eius familiæ debeatur franchitia, seu immunitas à Gabellis?

SVMMARIVM.

Clerici pro se, suaque familia, immunes sunt à gabellis? nu. 1.
Clericus absens ex licentia sui Prælati, reputatur præsens. numer. 2.
An assignata certa quantitate frumenti pro vsu, ea debeatur quamuis non vtatur? num. 3.

Respondetur affirmatiuè, ita Riccius *in praxi, par. 2. resol. 329.* Carolus de Graffis *de effectibus Clericatus, effectu 3. num. 306.* Viuius *decis. 88. num. 5.* qui refert ita decisum.

Pro-

1 Probatur primò, quia Clerici pro se, suaque familia immunes sunt à gabellis, *l. vniuersi, C. de vectigalibus Clement. præsenti*, vbi Cardin. *num.* 8. *de censibus*. Bertachinus *tract. de gabellis, p. 7. quæst. 7. §. item verum*, Roland. *cons. 34. num. 18. vol. 3. & cons. 71. num. 14. vol. 4.* Bossius *tit. de Principe, num. 178.* Baldus *cons. 241. vol. 4.* Immola *cons. 84. num. 5.* Ruinus *cons. 112. num. 6. vol. 5.* Boerius *decis. 213. num. 8.* Bursatus *con. 42. num. 4. & 17. vol. 1.* sicut à pari, qui tenetur alere dominum, tenetur quoque eius famulo alimenta præstare, Glosa *in cap. 1. verbo necessitatem 21. quæst. 1.* Glosa *in cap. sindeat in fine 50. dist.* Romanus *cons. 189. in princip.* Surdus *de alimentis tit. 4. quæst. 18. num. 10.* ergo cùm immunitas à gabellis debeatur familiæ Clerici, eademque familia perseueret, siue præsente, siue absente Clerico; nam cùm in eius domo, eiusque expensis viuat, necessariò debetur illi franchitia, Clerico absente.

Secundò, quia vt rectè obseruat Viuius *dicta decis. 88. num. 5.* regia Camera consueuit assignare Clerico franchitiam duorum modiorum in singulos menses, cum Clericus vix vnum comedat; ergo reliquam quantitatem pro eius familia assignat, quæ cùm perseueret, absente Clerico, debebitur vtique illi franchitia.

2 Tertiò, quia Clericus absens ex licentia sui Prælati, reputatur præsens, quoad fructus suæ præbendæ percipiendos, Glosa, Bart. & Io. de Platea *in l. hac lege C. de proxim. Sacrorum Scriniorum lib. 12. Roman. sing. 453.* ergo reputabitur quoque præsens quoad franchitiam.

Quartò, quia cum semel sit determinata franchitia 24. modiorum, eadem soluenda est, quamuis nolit deinde Clericus 24. modios pro suo vsu consumere, quod patet ex doctrina Bartoli *in l. cætera §. fin. ff. de legatis 1.*
3 vbi ait, quod prohibente statuto, nequis frumentum emat vltra suum vsum, si quis habeat licentiam extrahendi pro vsu suo certam frumenti quantitatem, nihil refert, si deinde ille frumentum vendat, eoque non vtatur, idem docet Baldus *in l. inde quæritur ff. de exercit. act.* Ananias *in cap. significasti col. 6. de Iudicijs*, Felinus *in cap. 2. col. fin. de constit.* Marsil. *sing. 86.* Brunus *de statuto excludente fœminas artic. 6. numer. 281.* Afflict. *decis. 72. num. 8.* Surdus *cons. 41. num. 4. lib. 1.* Ergo cùm regia Camera assignet Clerico franchitiam 24. modiorum, non est curandum, quod comedat, vel non comedat, quod sit absens, vel præsens.

Aduerte autem superiùs dicta intelligenda esse in casu, quo franchitia 24. modiorum vix sufficeret familiæ Clerici absentis, vel quamuis familia tanta quantitate non indigeret, tamen in nullius præiudicium redundaret, quod totam franchitiam sibi debitam reciperet in Patria; Atsi id præiudicaret conductori gabellæ debet partem franchitiæ pro familia in Patria, partem pro sua persona Neapoli, vbi studet recipere.

QVÆSTIO IX.

An sit danda franchitia Clerico, alterius expensis viuenti?

SVMMARIVM.

Si ex statuto detur immunitas famulis viuentibus expensis ciuium, eadem gaudent si pecuniam à Domino recipiant. num. 1.

Non refert à quo soluatur gabella, si Clericus grauatur. numer. 2.

RESpondetur affirmatiuè, & ita in casu simili refert decisum *in Senatu Mantuano*, Surdus *decis. 35.* Berrett. *cons. 150.* Bellettus *disquisit. Clerical. par. 1. §. 7. num. 1.* vbi docent: quòd stante statuto Mantuano, vt
1 famuli viuentes expensis ciuium gaudeant immunitate gabellæ, eadem immunitate gaudebunt famuli, si sibi ipsis victum ministrant, recipientes pecuniam à Dominis; nam æquiualenter dicuntur ab illis recipere victum; ergo à pari, idem est Clericum ex sua pecunia viuere, quo casu vtique debetur illi franchitia, ac viuere ministrante sibi suo domino victum, loco pecuniæ, quæ alioquin sibi danda esset à Domino.

Præterea idem probatur apertissima ratione, quia si Clericus iste non haberet franchitiam; quamuis ipse non solueret immediatè gabellam, tamen reuera solueret mediatè; quod patet, quia si nulla adesset gabella victus esset vilior, & sic à domino præter victum reciperet, v.g. triginta aureos pro salario; ac stante gabella, cum victus sit carior, recipit tantùm viginti; ergo mediatè sol-
2 uit gabellam; At non refert à quo soluatur gabella, mediatè, vel immediatè, si Clericus ratione gabellæ grauatur, vt docent Gratianus *discept. forens. tom. 2. cap. 290.* Menoch. *cons. 136.* Riccius *in praxi, tom. 2. resol. 187. num. 2. & resol. 283.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 46. 49. & 83.*

Denique idem patet, quia ita obtinuit consuetudo, vt Clerici, qui in alienis domibus victum obtinent, franchitiam recipiant, consuetudo autem est optima legum interpres *l. de quibus, ff. de legibus*.

QVÆSTIO X.

An Secularis Magistratus possit, sine peccato, concedere saluum conductum Clerico bannito ab alio Magistratu Laico, contra sacros Canones?

SVMMARIVM.

Quando in loco infidelium, nullus est ecclesiasticus Iudex, licitè Clericus conuenitur coram Laico. num. 1.

Non peccat famulus mutuans sub vsuris, si aliter dominus non consentiret. num. 2.

Ecclesiasticus iniustè vi oppressus ab Episcopo, potest recurrere ad secularem Principem? num. 3.

Iudex Laicus, non minus absoluendo, quam condemnando Clericum, violat immunitatem. num. 4.

Principum leges, quæ Ecclesiasticis præcipiunt, aut prohibent, sunt nullæ. num. 5. Tunc autem sunt validæ, si sunt merè permissiuæ. num. 6.

Non potest Clericus renunciare fori priuilegio, quamuis illi hoc sit incommodum. num. 7.

1 PRo parte affirmatiua, affertur primò, quia vt docet Suarez *in Regem Angliæ, lib. 4. cap. 34. num. 9.* quando in aliquo loco hæreticorum, aut infidelium nullus est Iudex ecclesiasticus, qui Clericum puniat, aut cogat ad solutionem debiti, licitè Clericus conuenitur coram Laico: sed in aliquibus locis, quamuis Catholicis, prætextu priuilegiorum Apostolicorum Clerici banniuntur

ac ad

ac ad mortem damnantur; ergo in his locis Clericus li-
citè recurrit, vt ſibi ſuccurrat ad Magiſtratum Laicum,
& iſte licitè concedit ſaluum conductum; nam hoc caſu
Magiſtratus agit partes Clerici banniti, cui abſque ſal-
uo conducto impoſſibile eſſet accedere ad locum ban-
ni, vnde non peccat; quod patet à pari ex eo quod do-
2 cet Leſſius *lib.2.cap.29.num.*182. vbi ait, quod ſi factor,
aut famulus non poteſt mutari abſque vſuris, eò quod
dominus non conſentiret, abſque vſuris mutuari, tunc
factor non peccat, neque tenetur ad reſtitutionem; quia
tunc potius agit partes mutuatarij, cui abſq; vſuris do-
minus non mutuaſſet; ſic abſque hoc ſaluo conducto,
non permitterent alij Magiſtratus Clericum eſſe tutum,
ergo, &c.

Secundò, quia lex eccleſiaſtica non obligat cum ma-
gno incommodo, nec cum periculo mortis, aut perpe-
tui exilij, vt eſt communis Doctorum ſententia, quæ ſu-
mitur *ex cap. conſilium de obſeruat. ieiunij*; ergo licitè
Clericus ſe poteſtati Seculari ſubmittit, ratione mortis,
& perpetui exilij vitandi; quare non tenetur cum tanto
incommodo ſeruare legem eccleſiaſticam, ne ſe ſubij-
ciat Iudici ſeculari.

3 Tertiò, quia Eccleſiaſticus vi iniuſtè oppreſſus à ſuo
Epiſcopo, poteſt recurrere ad ſecularem Principem, vt
tollat vim, Couarr. Guttierrez, Garſias, Portel, Rodri-
quez, & alij apud Dianam *part.3. tract.1. reſ.53. & p.1.
tract.2. reſol.14.*

Reſpondetur, ſtante grauiſſimo damno & incommo-
do, quod aliter, quàm ſaluo conducto, euitari nequeat,
non peccare neque Clericum petentem, neq; Magiſtra-
tum ſaluum conductum concedentem, vt probant ſupe-
riora argumenta: At ſi non ſit graue damnum Clerici,
non habere ſaluum conductum, peccat petens illum, &
ſe ſubijciens pro eo Iudici laico, hic quoque peccat ſi
alia via extraiudiciali poſſit ſuccurrere, abſque ſaluo
conducto.

Probatur, quia authoritatiuè liberare à banno, ſup-
ponit eum, qui liberatur eſſe ſubditum, ac validè ban-
nitum; ergo eſt nouus actus iuriſdictionis; ergo eo actu
leditur eccleſiaſtica libertas.

Secundò, quia ligare, & ſoluere ſunt correlatiua; er-
go vtrumque eſt actus iuriſdictionis; ergo non magis
exercetur iuriſdictio ligando per bannum, quàm ſoluen-
do per ſaluum conductum; ergo vtroque modo viola-
tur eccleſiaſtica libertas.

4 Tertiò, nam non minus Iudex laicus violat liberta-
tem eccleſiaſticam abſoluendo, quam condemnando
Clericum, vt docet Bonacina in *bulla Cœnæ, diſp.1. q.16.
ſect.1. punc.5. num.*13. vbi ait; quod ſi Laicus trahat ec-
cleſiaſticum ad ſuum Tribunal, intentione eum abſol-
uendi, adhuc incidit in cenſuras Bullæ: ratio eſt, quia ab-
ſolutio ſupponit iuriſdictionem in eum, qui abſoluitur,
Decianus *lib.4. par.1. cap.9. num.9.* Carolus de Graſſis
de effectibus Clericatus effectu 1. *num.*257. atque adeò
etiam per abſolutionem læditur eccleſiaſtica iuriſdictio,
& ſic libertas; ergo hæc læditur non minus banniendo,
quàm concedendo ſaluum conductum.

Quartò, quia Saluus conductus non conceditur ſim-
pliciter, & abſolutè, ſed pro certo tempore, vt ad quin-
quennium, cum prohibitione, ne accedat ad locum de-
licti, ac vt ſe præſentet, & conſtituat carceratum coram
eodem ſeculari Iudice, à quo Clericus bannitus fuerat:
Sed hæc omnia important iuriſdictionem, & manifeſtè
lædunt eccleſiaſticam libertatem; ergo nequit, hac ſal-
ua, concedi ſaluus conductus.

Confirmatur, nam eccleſiaſtica reprobat eas ſecula-
5 rium Principum diſpoſitiones, aut leges, quæ de eccle-
ſiaſticis perſonis ſpeciatim decernunt, percipiendo,
prohibendo, quamuis ipſius Eccleſiæ fauorem, aut pa-
trocinium continere videantur. Ratio eſt, quia huiuſ-
modi diſpoſitionibus, quæ continent in ſe aliquod præ-
ceptum, vel prohibitionem (prout in prædicto Saluo-
conductu) prætenditur directa laicorum Principum po-
teſtas ſuper Eccleſiaſticos; talis autem vſurpatio pote-
ſtatis libertati eccleſiaſticæ repugnat; quare maius Ec-
cleſiæ præiudicium infertur, quàm afferatur commo-
dum, vt expreſsè habetur *in cap.1. diſt.96. & in cap. Ec-
cleſia, vbi* Abbas *num.*10. & Felinus *num.*80. *de conſtit.*
Angelus *V. lex, num.5.* Suarez *de legibus, lib.3. cap.34.
num.13. & lib.4. contra Regem Angliæ, cap.6. nu.7.* Dia-
na *par.4. trac.1. reſ.14. & par.3. tract.1. reſol.13.* Surdus
conſ.103. num.13. vol.2. Caualcanus *deciſ.33. nu.16. lib.3.*
Plotus *conſ.93. nu.2.* Berous *conſ.31. num.22. & 34. vol.1.*
Rimin. Senior. *conſ.218. num.8.* Oddus *conſ.44. num.13.*
Menoch. *conſ.291. num.25. vol.3.*

Confirmatur ſecundò, nam tunc ſecularis Principis
diſpoſitio circa perſonas eccleſiaſticas eſt valida, nec eſt
6 contra eccleſiaſticam libertatem, ſi ſit merè permiſſiua,
ſeu merè priuilegiatiua, nullam continens in ſe prohibi-
tionem; exemplum eſt ſi Statuto laicali caueatur, Cleri-
cos primogenitos admittẽdos eſſe ad feuda, maioratus,
&c. valebit Statutum, ita Abbas *in cap. Eccleſ. num.26.
de conſtitutionibus* Surdus *conſ.2. nu.19. vol.1. & conſ.301.
num.13. & 24. vol.3.* Hondedeus *conſ.3. num.11. vol.1.
& conſ.20. num.17. vol.2.* Diana *par.3. tract.1. reſ.13.*
Ratio eſt, quia merè priuilegium, non eſt ſignum ſupe-
rioritatis; cùm etiam non ſubdito dari poſſit: ſed huiuſ-
modi Saluuſconductus non eſt merè priuilegium; quia
continet multa præcepta, & prohibitiones, contra liber-
tatem eccleſiaſticam; tùm quia de ratione priuilegij eſt
concedere aliquid dependens à poteſtate priuilegiantis;
Sed eccleſiaſticos commorari in qualibet terræ parte,
non debet dependere à ſecularium Principum poteſta-
te; illis enim à Chriſto Domino dictum eſt: *Euntes in
mundum vniuerſum prædicate Euangelium*; ergo tali Cle-
rico ex Saluo conductu Princeps ſecularis verè nullum
concedit priuilegium; imò aufert ea, quæ de iure diui-
no competunt Eccleſiaſticis, commorandi vbicumque
voluerint, & vſurpat ſibi iuriſdictionem concedendi fa-
cultatem commorandi in hoc, vel illo loco.

Ex his patet peccare Eccleſiaſticum petentem Sal-
uum conductum ſine grauiſſima cauſa, prout ſuprà ex-
plicaui; nam non poteſt Eccleſiaſticus ſpontè ſubijcere
ſe iuriſdictioni Laicali, nequit enim renunciare priuile-
gio vniuerſo eccleſiaſtico Statui conceſſo, vbi habetur
in c. ſi diligenti, vbi Abbas *num.2. in cap. ſignificaſti, &
cap. placuit de foro competenti, c. cum accedentibus de pri-
uilegijs, cap. inſolita 11. quæſt.1. cap. qualiter, & quando
de Iudicijs,* vbi Io. Andreas *num.11.* Abbas *num.7.* Bu-
7 trius *num.8.* Ancaranus *num.5.* Imola *num.3.* tenetur
autem Eccleſiaſticus non renunciare priuilegio ſui fori;
quamuis ex hoc illi aliquod damnum, aut incommodum
proueniat; dummodo non ſit grauiſſimum, vt vitæ, aut
perpetui exilij; tenetur enim quis obſeruare legem ec-
cleſiaſticam cum ſuo incommodo; ſi non ſeruando ma-
ius incommodum affertur communitati, ita Sotus *lib.1.*

de

de Iustitia quæst.6. art.4. & in 4. dist.22. quæst.1. artic.4. Vasquez 1.2. *quæst.161. capit.2.* In casu autem nostro maior iniuria infertur Ecclesiastico statui, ex exercitio Iurisdictionis in Ecclesiasticum, quam sit huius incommodum, si non habeat saluum conductum; ergo non potest pro eo se laicali Iurisdictioni subijcere.

QVÆSTIO XI.

An Baro mortaliter peccet, & sit obligatus ad restitutionem, si certò sciens, agrum fictè esse Clerico donatum (quod tamen probare non possit) vt auferat colonos, carceret illos, prætextu fiscalium, quos tamen certò scit, esse pauperrimos, & omninò impotentes?

SVMMARIVM.

Iustè possum negare totum debitum, petenti plus debito n.1.
Si nulla sit spes, quod carceratus per se, vel per alium soluat, carceratio est illicita. num.2.
Quid relinquendum cedenti bonis? num.3.
Pauperes propter tributa non possunt carcerari. num.4.
Tributum respectu eorum, qui sunt omninò pauperes, est totaliter iniustum. num.5.
Si immineat prægnanti vitæ periculum, non licet præbere pharmacum abortus, quamuis fœtus non sit animatus. num.6.
An liceat matrem curare cum periculo abortus? num.7.
An liceat catholicis adire Ecclesias hæreticorum, metu pœnarum? num.8.

RESpondeo peccare mortaliter, & obligari ad restitutionem damnorum coloni pauperis carcerati.

Notandum pro intelligentia, duabus personis esse ipsam carcerationem damnosam, nempè Clerico, & colono. Quatenus est damnosa Clerico, cuius obsequia Baro prohibet, potest in foro externo Baro declarari excommunicatus, iuxta *capit. fin. de immun. Ecclesias. in 6.* Sed in foro interno potest excusari ab excommunicatione, & à peccato, quia iustè vexat Clericum, se fictis donationi-
1 bus vexantem; sicuti iustè possum negare totum debitum creditori petenti plus debito, vexantem vexans, vt à vexatione recedat, Bart. *in l. qui solidum in princ. ff. de leg.2.* Couar. *1. var. cap.2. num.5. vers. ad 6.* Menoch. *de arbitr. casu.177. numer.15.* nec peccat ratione scandali, cum omnes sciant fictas esse huiusmodi donationes; itaque quatenus ea carceratio est damnosa Clerico, non est illicita, saltem in foro conscientiæ. Quatenùs autem est damnosa colono pauperi, hic quæritur an sit licita? & vt distinctè procedamus duplex est difficultas.

Prima est, an liceat carcerare vassallum propter fiscalia, eumque detinere carceratum, donec cesserit bonis, si ille sit omninò impotens?

Secunda difficultas est, an licita sit carceratio eo fine, vt tali medio Baro se defendat à Clerico, auferendo colonos agri fictè donati?

Quoad primam difficultatem respondeo: peccare mortaliter carcerando pauperes, & impotentes pro fiscalibus.

Probatur primò, quia quamuis possit aliquis detineri carceratus, donec bonis cesserit, *l. 1. C. de his qui bonis ced. possunt*, tamen hoc verum est, quando spes est solu-
2 tionis ex ipsa carceratione; at si nulla sit spes, quod carceratus per se, vel per alium soluat, quia viuit in sudore vultus sui, & pauperrimus est; tunc carceratio est omninò illicita, cum nullo bono fine honestetur, & ipsi carceranti timendum est illud; *Qui obturat aures suas, ne audiat clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

3 Secundò, quamuis Glosa *in l. penul. ff. de cessione bonorum & in l. fin. §. fin. ff. quæ in fraud. credit.* dicat cedenti bonis posse auferri baculum, & peram, neque vnū denarium relinquendum; tamen humanior communis, & in praxi recepta opinio est, relinquenda esse vestimenta, & alia huiusmodi necessaria, vt ex Bart. Baldo, Alberico, Saliceto, Cyno, Angelo, Imola, & alijs docuit, Brunus *tract. de cessione bonorum quæst.3. princip. num.9:*

Imò cedenti bonis relinquenda esse alimenta voluerunt Abbas, Imola, & alij Canonistæ *in cap. Odoardus de solution.* Doctores *in cap. Sudcat 50. dist.* & alij, quos citat Brunus *vbi suprà*, Lessius *de Iustitia l.2. cap.16. dub. 3. num.46.* Couar. *lib.2. var. cap.1.* Menoch. *casu 183. num.21.* Diana *par.7. tract.8. resol.4.*

Sed his pauperibus nihil præter baculum, & peram, ac vilissima vestimenta, potest auferri; ergo iniustè coguntur cedere bonis, & iniustè carcerantur.

Tertiò, quicquid sit de debitoribus ex contractu, vel ex delicto, an isti quamuis pauperes possint carcerari, an cedentes bonis possint expoliari, quicquid sit de his; tamen certissimum est, debitores fiscalium contributionum non posse pro illis cogi, vt cedant bonis, neque possunt carcerari, si sint impotentes; nam in iure expres-
4 sè prohibitum est, ne pauperes propter tributa carcerentur, vt habetur *in l. nemo C. de exactoribus tributorum lib.10.* Albericus *in l. diuus ff. de Custodia reorum*, Brunus *tract. de cessione bonorum quæst.9. 4. princip. num.4.* qui alios citat, docens: non posse aliquem pro tributis cogi ad cedendum bonis, neque posse pro tributis carcerari, quando constat esse pauperem, nec esse soluendo.

5 Quartò, apertiùs Probatur, quia tributum, seu fiscale onus, respectu eorum, qui sunt omninò pauperes est totaliter iniustum: ergo iniustè pauperes coguntur ad solutionem, & propterea iniustè carcerantur, & carcerans tenetur ad restitutionem omnium damnorum; vnde quamuis ista onera fiscalia, considerata in communi sint iusta; tamen sunt iniusta respectu illorum pauperum, qui sunt omninò impotentes, & viuunt ex labore manuum suarum, quo vix suam familiam sustentant. Ratio est, quia vt rectè docet Salonius *tom.2. 2.2. quæst.77. artic.3. controu.6.* Proportio, & commensuratio tributi debet esse cum populo, vt nō imponatur, nisi secundum populi facultates, & vires; aliter iniquum, & tyrannicum est, si immoderatis contributionibus Populus grauetur, & in pauperiem redigatur. *Optimum siquidem est aqua fontis vti, non sic fontem exhaurire, & venas illius exsiccare. Optimum est, quod Pastor de lacte sui gregis comedat, nunquam tamen illum excoriare. Ita neque potest Princeps immoderata tributa subditis suis imponere, cum non sit dominus bonorum ipsorum, sed illis tantùm vti potest, & debet ipsorummet subditorum vtilitatem.* Hæc Salonius idemque docet Villalobos *in Summa tom.2. tract. 8. difficult.13. num.5.* Rodriquez *in Sum. par.2. cap.74. num.2.* Ortiz *in Sum. cap.22. num.15.* Turrianus 2. 2.

tom.2.

tom.2. disp.45. dub.2. num.7. & alios citat Diana *par.1. tract.3. resol.5.*

Quare isti pauperrimi, ac miseri vassalli iniustè excoriantur, & detruduntur in carcerem, quando constat eos non esse soluendo; & eos carcerare non solùm est contra charitatem, sed etiam contra Iustitiam; quia cùm sint Pauperes, & impotentes reuera non tenentur ad onera fiscalia, quæ respectu eorum sint iniustissima, & sic carcerans Baro peccat mortaliter, & tenetur illis restituere damna, quæ patiuntur dum amittunt prætium suorum laborum, cùm in sudore vultus sui vescantur.

Itaque peccat Baro carcerando eos præcisè ratione fiscalium, difficultas est an possit carcerare, ne colant agros fictè Clerico donatos, & hac ratione excusetur Baro eos carcerans? vnde

Quoad secundam difficultatem videbatur dicendum, quod sit licita ista carceratio. Ratio est, quia licitum est Baroni se defendere à fictis donationibus Clericorum, auferendo illis colonos; ergo potest prætextu fiscalium carcerare colonos; neque refert, quod coloni sint innocentes, cùm fortè nesciant agrum esse fictè donatum Clerico, & etiamsi scirent non sunt priuandi suo iure, quin possint colere quoscumque agros, & cuicumque locent suas operas; nam tale damnum sequitur per accidens, ac præter intentionem Baronis, qui tantùm intendit se defendere à Clericis; sic equo fugiens ab hoste, possum iacentem in via infantem conculcare, quia tunc per accidens sequitur innocentis occisio; sic sulphureo igne supposito possum euertere hostilem turrim, in qua multi infantes, mulieres, & innocentes commorantur; sic peregrinos expoliare possum, ne eorum bonis & armis fiant hostes fortiores, quę communiter docent DD.

His tamen non obstantibus, Respondeo: Baronem hos pauperes, & impotentes carcerantem peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem damnorum ipsis carceratis.

Probo, quia illicitum est opus, quod ex natura sua, directè, & intrinsecè, ordinatur ad damnum innocentis; quamuis ex extrinseca intentione operantis ordinetur ad damnum nocentis, & operanti summè displiceat innocentis damnum. Exemplis res fiet manifesta.

6 Si immineat pregnanti periculum occisionis, & famæ, non licet præbere pharmacum abortus, etiamsi fætus non sit animatus; ratio est, quia quamuis intentio operantis, & extrinseca operi, sit salus, vita, & fama prægnantis; quia tamen pharmacum ex natura sua causat abortum, sit quod per se directè, primario, & intrinsecè tendat ad abortum, ergo affert intrinsecam malitiam: Sed malitia intrinseca non tollitur à bono fine extrinseco vitæ prægnantis; ergo &c. ita communiter DD. Lessius *l.2. cap.9. num.61.* Sanchez *de matrim. lib.9. disp.20. num.10.* Pontius *de matrim. lib.10. cap.13.* Filliuccius *tom.2. tract.29. cap.6. num.103.* Diana *par.3. tractat.5. resol.11.*

Sic in casu nostro, carceratio ex natura sua ordinatur ad damnum innocentis intrinsecè & directè; ergo non potest iustificari talis carceratio ex intentione extrinseca se defendendi à Clerico; quia quod est operi intrinsecum, & ex natura sua tale, prævalet intentioni extrinsecæ, & fini extrinseco operantis, &c.

Præterea altero exemplo id declaratur: sit infirma

7 prægnans, duplex Pharmacum potest adesse, vnum quod ex natura sua immediatè, & directè habet matrem curare, & mediatè expellere abortiuum fetum; & hoc licitè adhibetur, etiamsi inde sequatur mors infantis; quia per accidens est, quod sequatur mors infantis; mater autem habet ius se curandi, etiam cum infantis periculo. Alterum pharmacum potest adhiberi, quod ex natura sua immediatè tendit ad expulsionem infantis, & media expulsione curat materiam, & hoc illicitum est, etiamsi fetus non sit animatus, & etiamsi matri summè displiceat abortus, ita communiter Doctores citati.

Sic in casu nostro, carceratio immediatè & ex natura sua tendit ad damnum pauperis carcerati; mediatè verò cedit in damnum Clerici; ergo illa carceratio, est omninò illicita, quia immediatè tendit ad damnum innocentis.

8 Tandem fauet doctrina Suarez *in Regem Angliæ lib. 6. cap.9. num.32.* vbi scribit, quod cùm catholici Angli, putarent posse se adire Ecclesias hæreticorum, ob vitandas pecuniarias pœnas, ea ratione quia Rex vexabat fideles, non tam causa religionis, quàm cupiditatis pecuniarum: definiuit Paulus V. id esse illicitum, & respondet Suarez, quod non intentio operantis, sed operis spectanda est; licèt enim Rex intendat pecuniæ lucrum, proximè tamen inducit ad profitendam falsam religionem. ita Suarez.

QVÆSTIO XII.

An statutum cogens Clericos ad vinum vendendum, sit contra libertatem Ecclesiasticam.

SVMMARIVM.

Clerici tenentur vedere iuxta taxam magistratus Laici. n.1.
Quia secundùm vim directiuam, obligantur legibus secularium Principum. num.2. non autem obligantur secundùm vim coactiuam. num.3.
An Laicus emens à Clerico, teneatur soluere gabellam? n.4.
Colonus Clerici, pro sua portione colonica, non tenetur ad tributa, neque emphiteuta Clerici. num.5. & 6.
An gabella sit pars prætij? num.7.
Statutum cogens Clericos ad vendendum res suas, est contra libertatem Ecclesiasticam. num.8.
Potest Clericus vendere, per alios suum vinum in taberna, neque hoc est negotiari. num.9.
Statutum aliquid præcipiens Clericis, quamuis eis esset fauorabile, est nullum. num.10.

Ciuitas Monopolis, in publico parlamento decreuit imponere gabellam, quatuor obolorum, pro singulis phialis vini, & quia est in antiqua possessione, taxandi pretium vini, quod venditur tam à Laicis, quàm à Clericis, ideò vt euitentur fraudes, statuit, vt vinum Clericorum, quod ab illis vendendum esset ad minutum, totum simul ematur, à deputatis Ciuitatis; iuxta impositam taxam; vt illud deinde Ciuitas possit cum gabella suis ciuibus vendere, quod tamen Clericis ementibus dabitur sine gabella. Quæritur an hoc statutum sit contra libertatem Ecclesiasticam?

Respondetur Affirmatiuè, moueor ex sequentibus fundamentis.

1 Primum fundamentum est, quamuis regulariter, Clerici teneantur vendere triticum, & vinum, iuxta taxam,

Magistratus Laici; tamen in casu nostro non tenentur vendere in conscientia iuxta taxam: ergo satis grauaretur, si cogeretur vendere totum vinum suum iuxta taxam; sed vt distinctè procedamus.

Aduerto primò, receptissimum esse omnium Iurista-
2 rum, ac Theologorum sententiam; Clericos obligari secundum vim directiuam communibus secularium Principum legibus, quæ ad Reipublicæ bonam gubernationem, & quietem pertinent, & quæ generaliter, pro omnibus ciuibus feruntur, non nominando specialiter Clericos; & quæ non sunt sacris Canonibus, & Clericorum statui repugnantes; huiusmodi sunt leges, quibus taxatur pretium frumenti, & vini, ita DD. *in cap. Ecclesia de constitut. in cap. 1. de noui operis nunciat. & in l. cunctos populos C. de Sum. trinit.* quare si vendant vltra taxam, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, Summistæ *verbo lex*, vbi Angel. *num.* 5. Syluest. *qu.* 15. Sà *num.* 11. Sotus *de Iustit. lib.* 1. *quæst.* 6. *artic.* 7. Suarez *de legibus l.* 3. *cap.* 34. *& in Regem Angliæ l.* 4. *capit.* 16. Vasquez *par.* 2. *disp.* 167. *cap.* 4. Bellarm. *lib.* 1. *de Clericis cap.* 28. Salas *de legibus disp.* 14. *sect.* 8. *num.* 101. *& de empt. dub.* 9. *num.* 2. Victoria *relect.* 1. *de potestate Ecclesiastica quæst. vlt. proposit.* 4. Nauar. *cap.* 23. *num.* 88. Bannes 2.2. *quæst.* 77. *artic.* 1. *dub.* 2. *docum.* 3. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. *numer.* 1. Villalobos *in Sum. tom.* 1. *tract.* 2. *diffic.* 31. Pater Thomas del Bene *de parlamentis dub.* 4. *sect.* 16.

Ratio est, quia vt bene, ex Decio *in cap. Ecclesia nu.* 27. *de constit.* declarat. Suarez *de legibus l.* 3. *cap.* 34. *num.* 13. Cùm Clerici membra sint Reipublicæ ac ciues, debent se conformare ceteris membris, ac ciuibus Reipublicæ. Etenim vt ait S. August. *lib.* 3. *confessionum cap.* 8. *turpis omnis pars est, quæ vniuerso non congruens*, qua ratione facti Canones (ait Suar.) huiusmodi leges ciuiles, approbarunt ita, & Clerici ad has leges obseruandas ex ipsis sacris Canonibus obligantur, quatenus ad hunc effectum istæ leges per Canones approbantur, & Canonizantur vt patet *ex cap.* 1. *de noui operis nunciat.*

3 Dixi autem obligari Clericos, secundùm vim directiuam, non coactiuam; non enim Clerici incurrunt pœnam, legibus ciuilibus decretam; neque à ciuili Magistratu puniri possunt; sed delata querela ad proprium Ecclesiasticum Iudicem, delinquentes pœna condigna affici debent, siue eadem, quæ in Laicos constituta est; siue alia arbitraria miniore, vt docent Suarez *de legibus lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 18. *& in Regem Angliæ l.* 4. *cap.* 16. *numer.* 20. Vasquez *par.* 2. *disp.* 167. *cap.* 4. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 4. Couar. *pract. qq. cap.* 33. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 72. *& par.* 4. *tract.* 1. *resol.* 52. *& par.* 5. *tract.* 1. *resol.* 6. Thomas del Bene *de parlamentis dubit.* 4. *sect.* 18. *num.* 2. *&* 3. *& sect.* 19.

4 Aduerto secundò varias esse opiniones, an Laici ementes vinum à Clericis, teneantur soluere gabellam? & omnes istæ opiniones habent pro se grauissimos Authores; vnde omnes sunt probabiles; quare Clericus sequens opinionem probabilem, quod possit vendere laico sine gabella, non peccat; iuxtà ea, quæ de opinione probabili docent communiter Doctores, quos ad satietatem refert Diana *p.* 2. *tract.* 13. *resol.* 1. Vnde Clericus sequens eam opinionem probabilem, neque puniri potest ab Episcopo; nam sequens opinionem probabilem, non peccat, & sic punietur absque culpa, vt docet Jo. Sanchez *in selectis disput.* 44. *numer.* 72. Diana *par.* 2. *tract.* 13. *resol.* 3. Prima itaque opinio est, Laicum ementem à Clerico teneri soluere gabellam, quia immunitas à gabella est priuilegium personale Clerici. Ita Glosa, Paulus, & Immola *in clement. vlt. de censibus*. Guido Papæ *decis.* 208. Baldus *cons.* 496. *lib.* 4. vbi ait, ita vbique locorum obseruari, Boerius *decis.* 213. *num.* 19. Tiraquellus innumeros citans suo more, *de retractu consang.* 4. 1. *Glosa* 13. *num.* 12. Molina *de Iust. tract.* 2. *disp.* 663. *num.* 6. Rodriquez *qq. regular. tom.* 3. *quæst.* 74. *articul.* 7. 10. 13. & alios citat Pater Thomas del Bene *de parlamentis dubit.* 30. *sect.* . *num.* 6.

Fauet huic opinioni, altera similis, nempè Colonum Clerici, pro portione suorum fructuum, teneri ad vectigal, ita docent viginti sex Doctores, quos citat Menochius *de arbitrar. casu* 562. *num.* 36.

Secunda, est opinio probabilissima; atque adeò tutissima in conscientia, quod Laicus emens vinum à Clerico non teneatur soluere gabellam. Ita Felinus *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num.* 66. *de constitut.* Gratianus *disceptationum forensium tom.* 2. *cap.* 290. Menochius *l.* 2. *cons.* 136 Laderchius *cons.* 103. *nu.* 8. Riccius. *in praxi tom.* 2. *res.* 187. *nu.* 2. *& res.* 282. Surdus *cons.* 305. *nu.* 80. Homobonus *in examine Eccles. par.* 2. *tract.* 9. *c.* 1. *quæst.* 1. Zerola *in praxi Episc. par.* 1. *verbo Gabella, quæst.* 4. quos omnes citat, & sequitur, Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 49. vbi ait, quod Senatus Panormitanus videns rem esse periculosam, noluit imponere gabellam vino, quod emebant Laici à Clericis, idem docet *par.* 4. *tract.* 1. *resol.* 52. Rodriquez *in Summa tom.* 2. *cap.* 75. *num.* 14. Megalius 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 6. *numer.* 107. Alterius *tom.* 1. *disput.* 19. *lib.* 5. *cap.* 6. *fol.* 140. *col.* 2. Mandellus *cons.* 8. *nu.* 16. 17. *&* 18. Aponte *in responso de censura Pauli V. fol.* 82. Thomas del Bene *de parlamentis dubit.* 30. *sect.* 1. *num.* 5.

Fauent huic opinioni illi, qui distinguũt, quod aut imponitur gabella soluenda in ipso actu emptionis, & dicunt non esse soluendam à Laico, emente vinum à Clerico; quia vinum adhuc est Clerici cùm actu venditur; aut imponitur gabella, pro actu separato, v.g. pro asportatione vini, & tunc soluenda est gabella; nam tunc vinum est Laici, non Clerici, ita ex Baldo *cons.* 31. *vol.* 1. Belletus *disquisit. Clerical. par.* 1. *tit. de exempt. Clericorum* §. 8. *num.* 2. Rolandus *cons.* 61. *num.* 18. *lib.* 4. Riminaldus *cons.* 724. *num.* 49. *&* 59. *vol.* 6. Surdus *cons.* 127. *num.* 66. Thomas del Bene *de parlamentis dub.* 30. *sect.* 10. *num.* 2.

5 Fauent etiam huic opinioni, qui dicunt colonum Clerici non teneri soluere tributa, prò sua portione colonica, & pro hac opinione, sexdecim Doctores refert, & sequitur Menoch. *dicto casu* 562. *num.* 46. Tamburinus, Abbas, & alij, quos sequitur Diana *par.* 3. *tract.* *resol.* 19. Cardin. Lugo *de Iustitia tom.* 2. *disp.* 36. *sect.* 7. *num.* 1 7. Thomas del Bene *de parlamentis dubitat.* 30. *sect.* 18.

6 Fauet quoque alia opinio; nempè emphiteotam Ecclesiæ, non teneri ad collectam communem, quamuis emphiteuta Laici teneretur, ita Bartol. & Io. de Platea *in l. Priuata C. de excusat. muner. lib.* 10. Salicet. & Albericus *in l.* 2. *C. de iure emphyt.* Bald. *in l.* 1. *C. eodem*, alios refert, & sequitur Valenzuola *contra Venetos par.* 1. *nu.* 58. Thom. del Bene *de parlamentis dubit.* 30. [illegible]

Ratio est, quia priuilegium venditoris, transit in emptorem, *l. vtilitas polla*, vbi Bartol. & alij *ff. de e*[illegible]

empt.

empt. ergo sicuti à gabella immunis est Clericus; sic emens ab illo; tum quia Clericus propter adiunctam gabellam indirectè grauatur; nam pretium vini decrescit, propter onus gabellæ, si quidem si nulla esset soluenda gabella, taxa imposita vino esset, v.g. quinque pro phyala, at propter impositionem gabellæ erit vilior taxa v.g. quatuor cum dimidio, & vltra taxam soluent quatuor oboli pro gabella; vnde propter adiunctum onus gabellæ vilior est vini taxa, & sic per gabellam, partim grauatur emptor, qui cariùs emit, & partim venditor, qui viliùs vendit; vnde si Laicus emens à Clerico, tenetur soluere gabellam, indirectè grauatur Clericus; quod autem sit vilior taxa ob adiunctam gabellam; patet ex experientia, nam Magistratus, cùm taxat pretium vini; cõsiderat omnes circumstantias, inter quas præcipua est onus gabellæ, & sic propter adiunctam gabellam soluendam ab emptore, vilior est taxa; quare gabella redundat, partim in damnum emptoris, & partim venditoris;
7 vnde Doctores plurimi docent gabellam esse partem pretij, ita Castrensis *consl.43 3. num.2.* Vasquez *opusc. de restit. cap.6.§.2. dub.9. num.52.* Molina *tom.3. disp.603. & disp.678. nn.2.* Lessius *l.2. cap.33. num.68.* Turrian. *tom.2. in 2.2. disp.46. dub.8.* Bonacina *de contr. disp.2. qu.9. pun.1. num.4.* Diana *par.1. tract.2. resol.49.* Thomas del Bene *de parlamentis dubit.20. sect.9. nu.2.* quicquid minus rectè in oppositum docuerint alij, dicentes gabellam solo nomine esse partem pretij, quando pretium est taxatum, & indiuisibile, & sic eo casu non esse partem pretij, ita voluerunt Gratianus *disceptat. tom.2. cap.258. num.42.* Comitolus *respons. lib.4. qu.39. nn.2.* Castillo *dec.127. num.12. lib.2.* Velascus *tom.1. consl.60. num.14.* Megalius *1.2. lib.2. cap.17. quæst.6. num.108.* Parladorus *rerum quotidian. lib.1. cap.3. §.1. num.21.*

Constat itaque probabile esse, Laicũ à Clerico ementem non teneri soluere gabellam; patet quoque ex dictis taxam, ob onus gabellæ, esse viliorem, quàm si nulla adesset gabella; ergo Clericus vendens Laico non tenetur seruare taxam; quia potest vendere sine gabella; nam taxa, quæ erat iusta, adiuncta gabella, euadit vilis, & Clerico iniusta, cùm vendit sine gabella.

Ergo cum Clerici non possint cogi ab Episcopo, vt vendant cum gabella, & iuxta taxam, & vendentes sine gabella, & vltrà taxam nequeant ab Episcopo puniri; cũ sequantur opinionem probabilem & non peccent; ideò grauantur, dum per statutum coguntur vendere cum gabella, aut deputatis iuxta taxam; Ergo non solùm Laici, non possint cogere Clericos, ad vendendum vinum deputatis ciuitatis iuxta taxam, id enim manifestè repugnat libertati Ecclesiasticæ; sed neque Episcopus potest eos cogere, vt vendant deputatis ciuitatis, iuxta taxam; nam possunt in conscientia vendere sine gabella, & sic vltra taxam.

Secundum fundamentum, quo ostenditur hoc statutũ esse contra libertatem Ecclesiasticam est, quia quamuis Clerici non possent vendere vinum, nisi cum gabella, & iuxta taxam; tamen grauantur Clerici, dum coguntur vendere vinum, iuxta taxam deputatis ciuitatis, nam hæc libertas vendendi, cui ipsis libuerit, est pretio æstimabilis, prout dicunt Doctores de mutuatæ, qui vsuram committit, si mutuetur cum onere, vt ab ipso emas, aut illi vendas; hanc autem libertatem auferre, est onus imponere Clericis; quodlibet autem onus Clericis imponere, siue directè, siue indirectè, est contra libertatem Eccle-

siasticam, Felinus in *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ num.69. & 104. de constit.* Suarez *de Legibus l.3. cap.34. num.3.* Diana *par.4. tract.1. resol.55.*

8 Vnde statutum obligans Clericos ad vendendum res suas, est contra libertatem Ecclesiasticam, Valenzuola *contra Venetos par.1. nu.62. & 64.* Perez *lib.1. ordinam. tit.3. lege 1.* Sanchez *Consiliorum lib.2. capit.4. dub.55. num.24. patet ex cap.1. de immun. Eccl. in 6.*

Ratio est, nam statutum auferens ea, quæ competunt Clerico iure communi, vel illi prohibens, quæ iure communi prohibita non sunt, tale statutum directè est contra libertatem Ecclesiasticã, Felinus *in c. Ecclesia sanctæ Mariæ num.69. vers.3. opinio* vbi, Imola *num.11.* Decius *nn.3. de constit.* Immola *in c. cum terra de elect.* Castrens. *in authentica Cassa num.4.* vbi Decius *num.17. de SS. Eccles.* Valenzuola *vbi suprà par.1. num.55.*

Sed iure communi, quilibet liber est ad vendendum cui vult, nec cogitur inuitus vni vendere, *l. inuitus ff. de contrahend. empt. l. nec emere C. de iure deliber.* ergo est contra immunitatem Ecclesiasticam eos cogere ad vendendum deputatis ciuitatis.

9 Tum quia omnes Doctores concedunt Clerico, vt suũ vinum per alios vendat ad minutũ in tabernis; non enim est hoc negotiari, Geminianus, & Francus *in c. vnico de vita, & honest. Cler. in 6.* Barbosa *de Episcop. par.2. allegat.13.* Martha *de iurisd. par.4. cent.1. casu 3. nn.9.* ergo onerantur, dum eis talis libertas aufertur; tum quia possunt cum vino, & alia sua comestibilia, vendere in taberna, & honestè lucrari.

Tum quia Ecclesia habet priuilegium, vt liberè possit cui libuerit vendere; alioquin deterioris conditionis essent Clerici, quàm Laici, quod est contra immunitatem Ecclesiasticam, Felinus *in c. Ecclesia sanctæ Mariæ n.111. de constit.* Zabarella *in cap. peruenit nu.13. de Immunit.* Valenzuola *contra Venetos part.3. num.168.* Riccius *in praxi tom.3. resol.207. num.7.*

10 Tertium fundamentum est, quia hoc ipso, quod statutum speciatim nominat Clericos, illis aliquid præcipiẽs, etiamsi esset fauorabile Clericis; tale statutum ex defectu iurisdictionis est nullum, & contra immunitatem Ecclesiasticam, nec est considerabilis vtilitas, quam affert Clericis, quin sit contra immunitatem Ecclesiæ, quia maius Ecclesiæ præiudicium infertur vsurpando iurisdictionem, quàm sit quodcumq; commodũ, quod posset afferri: Ita Suarez *de Legibus lib.3. c.34. n.13. & in Regem Angliæ lib.4. cap.16. num.9.* Angelus *verbo lex num.5.* Layman *lib.1. tract.4. cap.13. num.2.* Abbas *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ nu.10.* vbi Felinus *num.80. de constitutionib.* Surdus *cons.301. num.13. vol.2.* Diana *par.3. tractat.1. resol.13. & par.4. tract.1. resol.14.*

Ergo cùm statutum hoc expressè præcipiat Clericis, vtique ex defectu iurisdictionis est nullum, & contra libertatem Ecclesiasticam.

Neque excusat prætensa vtilitas publica, siquidem publica vtilitas non confert Laicis iurisdictionem in Clericos, alioquin quælibet lex Clericos obligaret, cùm nulla lex ferri possit, nisi ob publicam vtilitatem, Felinus *in c. Ecclesia n.7.* vbi Decius *n.18. de constitutionibus,* Baldus *in l. cunctos populos n.20. C. de Sum. Trinit.* Martha *de iurisdictione par.4. centur.1. casu 1. n.44.* Surdus *cons.2. vol.1. & consil.302. vol.3.* Menochius *cons.291. num.25.*

Concludendum igitur hoc statutum esse nullum, & contra libertatem Ecclesiasticam.

QVÆSTIO XIII.

An Gabella imposita Lanionibus, vt pro singulis bobus soluant duos aureos, sit contra immunitatem Ecclesiasticam, eò quia illa indirectè grauantur Clerici, qui cariùs emunt?

SVMMARIVM.

Responsio negatiua. num.6.
Statutum dicitur contra libertatem Ecclesiasticam si indirectè lædat Clericos. num.1.
Gabella an sit pars pretij? num.2. & 13.
An possit imponi gabella ementibus vinum à Clerico? numer.3. & 7.
An Coloni Ecclesiarum pro sua portione colonica teneantur soluere gabellam? num.4. & 8.
An sit contra immunitatem statutum imponens gabellam exportanti à tali porta frumentum ad molendum; si extra eam portam sit molendinum Ecclesiæ. numer.5. & 14.
Quando gabella imponitur ementi à Clerico, vel vendenti Clerico, pro actu separato à venditione, vt pro asportatione, vel pro licentia vendendi, non est contra immunitatem. num.9.
Quid est indirectè grauare Ecclesiasticos? num.10.
An intentio lædendi, indirectè Ecclesiam, reddat statutum contra immunitatem Ecclesiasticam, si ea læsio est per accidens? num.11. in tali intentione nullum est peccatum. num.12.

PRo parte affirmatiua affertur Primò, nam neq; directè, neq; indirectè potest Princeps suis gabellis grauare Clericos, vt expressè habetur in Bulla Cœnæ can.18.
1 statutum enim dicitur contra libertatem Ecclesiasticam siue directè, siue indirectè sit contra Ecclesiasticas personas; etiamsi non loquatur de personis Ecclesiasticis, vt *ex cap. statutum de hæreticis in 6. cap. quanto de priuilegijs*, docent Felinus *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ num.69. de constit.* Menochius *cons.136.* Surdus *cons.301.nu.71. & cons.305. num.8.* Martha *de iurisdict. par.4. casu 13. num.20. & casu 62. nu.9.* Duardus *in Bullam cænæ lib.2. can.15. quæst.19. num.2.* Valenzuola *contra Ven. par.3. num.123.* Thomas del Bene *de comitijs dub.30. sect.1. nu.2. & 5.* Gratianus *disceptat. forensium tom.2. cap.39.* Laderchius *cons.108. à num.8. vsque ad 15.*

2 Secundò, quia cum gabella sit pars pretij, cariùs enim emuntur merces, quarum gabellam venditor soluit; nam in rerum pretijs taxandis spectandæ sunt omnes circumstantiæ, præsertim venditorum onera, soluendi gabellam; quare meritò Doctores tradiderunt, gabellam esse pretij partem, vt dixerunt Lessius *lib.2. cap.33. dub.8. num.68.* Molina *tract.2. tom.3. disp.668. num.2. & disp. 678. num.6.* Malderus *2.2. tract.5. cap.6. dub.5. in fine,* Bonacina *de contractibus disp.2. quæst.9. pun.2. num.4.* Vasquez *opusc. de restitut. capit.6. §.2. dub.9. numer.52.* Turrianus *2.2. tom.2. disp.46. dub.8. num.9.* Paulus de Castro *cons.433. num.2.* Lassarte *de decim. cap.5. nu.19.* Ergo materialiter se habet, quod venditoribus Laicis, aut Clericis imponatur solutio gabellæ, perinde enim est, quod ipsis Clericis emptoribus imponatur cum ipsi reuera grauentur; ergo ea est contra immunitatem Ecclesiasticam.

3 Tertiò, quia non potest imponi gabella soluenda à Laico emente vinum à Clerico; nam sic indirectè grauatur Clericus, qui vilius vendet, Zerola *in praxi Episcoporum par.2. verbo gabella quæst.4.* Laderchius *cons. 103. num.5. & 9.* Mandellus *cons.8. num.16. 17. & 18.* Thomas del Bene *de Comunj dubitat.30. sect.15.* Homobonus *par.2. tract.9. cap.1. quæst.1.* Alterius *de censuris tom.1. disput.19. lib.5. cap.6. fol. mihi 740. col.2.* Aponte *de censuris Pauli V. fol. mihi 82.*

4 Quartò, quia coloni Ecclesiarum non tenentur pro sua portione colonica fructuum soluere gabellam; quia ex hoc grauarentur Clerici, qui vilius locarent sua prædia, Bartolus *in l. placet in fine C. de Sacrosanctis Ecclesijs*, Abbas *cons.9. vers. ad 2. lib.1. & in cap. ex parte num.4. & 5. de decimis*, Gratus *consil.130. vol.1.* Natta *cons.409.* Bursatus *cons.25. vol.1.* Tamburrinus *de Iure Abbatum tom.1. disp.15. quæst.21. num.9.* Peyrinus *de priuilegijs Minimorum tom.1. constitut.2. Iulij II. §.33. num.142.* Franc. Leo *in thesauro fori Ecclesiastici par.1. cap.2. 14. numer.35.* Diana *par.3. tract.1. resolut.19.* Cardinalis Lugo *de Iustitia tom.2. disputat.36. sect.7. num.107.* Thomas del Bene *de comitijs dubit.30. sect.18.*

5 Quintò, quia gabella imposita extrahentibus frumentum per talem portam ciuitatis, vt eant ad molendum, est contra immunitatem Ecclesiasticam, si extra illam portam Ecclesia habet Molendinum; quia licet verba dirigantur ad personas subditas, tamen effectus lædit Ecclesiæ libertatem, & illi infert damnum, Ancaranus *cons.13.* Martha *de iurisdictione p.4. casu 13. nu.17.*

6 His tamen non obstantibus, Respondetur negatiuè, nempè huiusmodi gabellam lanionibus impositam pro licentia vendendi, non esse contra immunitatem Ecclesiasticam, quamuis ex ea indirectè lædantur Clerici, qui coguntur cariùs emere, ita docent grauissimi Doctores. Ex Theologis, Molina *de Iust. & iure tract.2. tom.3. disput.663. num.5. vers. ex eo*, vbi sic scribit: *Ex eo autem, quod dum alcauala Laicis est imposita ex rebus, quas vendunt, aut permutant, accrescant pretia huiusmodi rerum, ob id tributum soluendum, indeque per accidens sequatur, quod Ecclesia, aut Ecclesiastici cariùs eas ab illis emant, virtuteque proinde alcaualam soluant, non idcircò res quas Laici Ecclesiasticis vendunt, aut cum eis permutant, immunes sunt à solutione alcaualæ ex pretio, esto Ecclesiastici paciscantur se emere tales res immunes faciendo venditores ab eo tributo* (& infra subdit Molina) *Quoniam sicut ex eo, quod mercatores portoria, & alia tributa soluant ex mercibus, quas vendendas asportant, indeque per accidens sequatur, quod pro quantitate eorum tributorum res cariùs vendantur, non enim viliùs venduntur Clericis à mercatoribus, quam vendantur Laicis, neque aliquid à mercatoribus de eis tributis detrahitur ex eo quod partem earum mercium vendituri sunt Ecclesiasticis; ita ex eo quod res mobiles, aut immobiles vendantur Ecclesiasticis, immunes non sunt venditores ab alcauala earum rerum: esto per accidens sequatur, quod Ecclesiastici cariùs emant, exemptio quippe Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum solum est, vt ipsi non soluant tributum ex suis rebus, non verò vt alij non soluant tributum ex rebus, quæ emptione, aut permutatione ad ipsos sunt peruentura, esto per accidens sequatur, quod cariùs ob ea tri-*

ea tributa ad ipsos perueniant. Hæc Molina.

Thomas Sanchez *opuscul. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 55. numer. 40.* vbi sic ait: *Impositionem factam secularibus arietes vendentibus in macello, quod vocant Bustro, quod scilicet ex singulorum arietum pretio duos soluant argenteos, non esse illicitam, licet inde resultet quod Ecclesiastici carius emant. Probatur, quia non est iniustum tributum, ex eo quod ex illo indirectè grauentur Clerici, nam ex vectigalibus, quæ mercatores pro mercibus soluunt, quas ab vno loco in alium transuehunt, & vendunt, sequitur, quod Clericis cariùs vendantur merces, & tamen non ob id sunt iniusta vectigalia illa*. Ita Sanchez.

Paulus Layman *in Theologia Morali lib. 3. part. 1. capit. 3. numer. 4.* vbi sic inquit: *Verumtamen ab exteris quoque, ac non subditis fieri solet exactio vectigalis, seu tributi, plerumque indirectè, & per accidens, vt si vectigal, vel similis exactio imposita sit super vino, frumento, alijsque fructibus, & mercibus, quæ in tali regione venduntur, tunc enim extranei seu alienigenæ (sicut & Clerici) indirectè grauantur, ita vt si ibi emere velint, pari cum incolis iure vtantur, secundum pretium consuetum*. Ita Layman.

Emanuel Rodriquez *quæst. Regular. tom. 3. quæst. 74. artic. 7.* vbi ita scribit: *Non propterea quod carius inde Clerici, & Regulares emant ab istis venditoribus propter mus gabellæ, pluris ex eo vendentibus, fieri debet quominus venditores isti regale ius pendant, sicut & portorium, & pedagium soluant, ac cætera iura regalia mercibus imposita; quamuis Clericis quoque, & Regularibus vendenda sint, nec istud dici potest contra libertatem Ecclesiasticam esse; siquidem circa res Laicorum, & contractus eorum versatur; quamuis inde damnum aliquod Ecclesiasticis personis prouenire videatur*. Ita Rodriquez, qui in *Summa tom. 4. cap. 166. num. 7.* sic ait: *Los seglares vendiendo à los Ecclesiasticos ò reglares algo, obligacion tienen de pagar alcauala, aunque por esto lus dichos Ecclesiasticos y Reglares las dichas cosas por alto precio compren, ni por esto es quebrentada su immunidad Ecclesiastica*.

Henriquez *in Summa lib. 10. cap. 15. num. 5. in Glosa lit. V.* vbi ait: *Sic ex tributo alcaualæ prouenit per accidens, vt Clerici carius emant: & licet mihi fodere puteum in meo fundo, licèt per accidens vicino præiudicetur, l. 1. §. denique & l. 2. §. penult. ff. de aqua pluuia arcenda, & concordat l. 9. tit. 32. par. 3.* Soto *lib. 4. de Iustit. quæst. 6. artic. 3. ad 2. Sarmiento 7. selectarum capit. 4.* Nauarrus *cap. 17. num. 70. vbi probat virum dignum concurrere posse in cathedra, aut beneficio, licèt per accidens dignior impediatur*. Hucusque Henriquez.

Malderus 2. 2. *tract. 5. cap. 6. dub. 11.* vbi sic ait: *Est licita contributio Laicis imposita, quando in valdè modico grauat Clerum, & ipse Clerus sine magna molestia eximi non potest, vt si grauamen vino sit impositum, quod ex communi cum Laicis taberna accipere velint*. Ita Malderus.

Syluester *verbo immunitas* . *quæst. 6. num. 22.* vbi sic scribit: *Posito quod propter debita, aut aliud simile Consules gabellam ponant super carne, & vino, & huiusmodi, quam Ecclesia soluunt indirectè, cum emant carius; nam si eam ponunt propter abusum, & excessum eorum, quod fecerunt, sic non licitè ponant, sed soluant de suo: si verò ponunt propter communem vtilitatem, tam Laicorum, quàm Clericorum, sic licet eis; sic verò propter vtilitatem Laicorum principaliter, Clericorum verò indirectè, & remotè, iterùm distinguitur, nam aut faciunt animo extorquendi pecunias ab Ecclesiasticis, quas extorquere alio modo non possunt, & sic non licet: Aut non faciunt eo animo, quia etsi non adessent Ecclesiastici adhuc eas imponerent, & sic licet*. Ita Syluester, eademque scribit iisdem verbis Angelus *V. immunitas num. 42.*

Eminentissimus Cardinalis Lugo *de Iustitia tom. 2. disp. 36. sect. 9. num. 143.* vbi sic scribit: *Infero 6. quando non ex fine exigendi à Clericis indirectè, nec hoc intuitu imponitur gabella aliqua venditori Laico, videri probabilem sententiam illam communem, quod non sit contra immunitatem exigere gabellam à venditore Laico, etiam quando vendit Clerico; quia tunc gabella non exigitur à Clerico, sed à Laico, qui debet soluere de bonis suis, nempè ex pretio quod accipit à Clerico, & quamuis aliquando ea occasione carius vendat propter onus consequens, quod habet soluendi gabellam, id tamen est per accidens, & idem ferè contingit quando mercatores in ingressu vrbis soluunt gabellam ex mercibus, quas postea carius ob eam causam vendunt etiam Clericis. Ratio est, quia tunc nec fit directè contra immunitatem, cum nihil petatur à Clerico; nec etiam indirectè cum non petatur à Iudice Laico ad eum finem, vt consequenter soluat Clericus; immunitas autem Clericorum non obligat Principem Laicum, vt nihil petat, à Laicis, ex quo cõsequenter Clerici aliquod damnum sentiant; hoc enim est ferè impossibile, vt diximus, cum ex qualibet gabella sequatur, quod Laici aliunde sibi prouidere debeant plus exigendo ab alijs contrahentibus, etiam cum Clericis; sed solum obligat, ne petat aliquid à Clerico vllo modo, neque etiam à Laicis in ijs circumstantijs, quæ ostendant id fieri, vt consequenter aliquid extrahatur à Clericis, quod est agere indirectè contra immunitatem*. Hæc doctissimus Lugo; Cuius tamen doctrinam de intentione indirecta lædendi, an sit vera, infra discutiam.

Eadem docent alij Doctissimi Theologi Rosella *verbo pedagium num. 17.* Riccardus *quodlibet. 2. quæst. 30.* Astensis *in Sum. lib. 3. tit. 3. artic. 4.* Lopez *in instruct. Confessar. lib. 2. cap. 40. quæst. 6. vers. sed vlterius* Coriolanus *in Bullam cænæ excom. 18. fol. 949.* Azorius *tom. 3. lib. 5. cap. 20. qu. 2.* Duardus *in Bullam cænæ lib. 2. can. 18. quæst. 20. num. 10.*

7 Ex Iurisperitis idem tradunt alij, qui pariter scribunt posse Principem imponere gabellam suis subditis, qui tenentur eam soluere, quamuis emant à Clericis, licèt indirectè grauentur Clerici, qui propter onus gabellæ viliùs vendunt, ita docent Bart. *in l. licitatio §. vltimo ff. de publicanis, & vectigalibus* Archidiacon. *in cap. vltimo de censibus in 6.* Menochius *de arbitrarijs casu 562. num. 44.* Bertachinus *de gabellis par. 7. quæst. 7.* Boerius *decis. 213. num. 19.* Bursatus *consil. 32. num. 14. vol. 1.* Purpuratus *cons. 489. numer. 7.* Lassarte *de decimarum vend. cap. 19. num. 10.* Paulus de Castro *cons. 432. vol. 2.* Mexia *in pragmat. taxa panis concl. 5. num. 39.* Velascus *de iure emphyt. quæst. 17. num. 5.* Octauius Vulpellius *de libertate Ecclesiastica par. 2. num. 51.* Tiraquellus *de retractu consanguin. §. 1. Glosa 13. num. 12.* vbi testatur de communi opinione, & citat Glosam, Paulum de Eleazarij, Imolam, Io. Andream, Ancaranum, Dominicum, Francum, Dynum, Albericum, Bartolum, Castrensem, Speculatorem, Baldum, Federicum de Senis, Io. Fabrum, Salycetum, Cardinalem Florentinum, Io. de Platea, Ferrariens. Alexandrum, Guidonem Papæ, Iasonem, Bertachinum, Decium, & Ripam.

His accedunt alij Doctores, quorum opinio est magis communis, nempè teneri colonos Ecclesiæ, pro sua portione colonica soluere gabellam, quamuis ex hoc indirectè lædantur personæ Ecclesiasticæ, quæ ideò propter onus gabellæ coguntur vilius locare sua prædia, sic docent Federicus de Senis *conf.* 111. Ripa *lib.* 2. *responsorum capit.* 22. *in* 3. *dubio*, Capra *regula* 96. *numer.* 83. Ancaranus *in cap. quamquam de censibus in* 6. Barbatia *conf.* 28. *vol.* 4. Rolandus *conf.* 61. *num.* 15. *vol.* 4. Menochius *de arbitrarijs casu* 562. *numer.* 37. vbi pro hac sententia affert viginti sex Doctores Thesaurus *decis.* 116. vbi refert ita decisum in Senatu Pedamontano, vbi Gaspar Filius *in additionibus* testatur hanc esse magis communem, Bertahinus *de gabellis par.* 7. *quæst.* 7. Syluester *verbo excommunicatio num.* 48.

9 Præterea in casu nostro gabellam hanc lanionibus impositam pro obtinenda licentia vendendi, non esse contra immunitatem Ecclesiasticam, quamuis ex ea grauentur Clerici, Probatur ex celebri doctrina Baldi *conf.* 31. *vol.* 1. vbi ita distinguit: Aut onus gabellæ annexum est contractui; seu actui venditionis, & hæc est contra immunitatem Ecclesiasticam; quia ex illa indirectè, & per se grauantur Clerici ementes proinde cariùs: Aut gabella est imposita actui separato à venditione, vt pro asportatione, vel pro licentia publicè vendendi, & tunc non est contra immunitatem Ecclesiasticam, quia imponitur rei Laicali, & Laico, qui potest non minus Laicis, quàm Clericis vendere, & per accidens est, quod Clericis vendat cariori pretio, hanc doctrinam sequuntur Rolandus *conf.* 61. *num.* 18. *vol.* 4. Riminaldus *conf.* 724. *numer.* 49. & 59. *vol.* 6. Surdus *conf.* 127. *numer.* 66. Bellettus *disquisit. Clericalium par.* 1. *tit. de exemptione Clericorum* §. 8. *num.* 2. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 49. Thomas del Bene *de Comitijs dubit.* 30. *sect.* 10. *num.* 2.

Denique idem Probatur ex solutione illius præcipui argumenti initio adducti pro contraria opinione, nempè non posse Principem suis gabellis indirectè grauare Clericos, itaque vt ad hoc primum argumentum respon-
10 deamus opere pretium erit declarare, quid sit indirectè grauare Ecclesiasticos. Primo posset dici ly *indirectè*, nihil addere noui aut diuersum à directo grauamine Clericorum, sed tantùm expressionibus verbis significari omne grauamen interdicti, sic sentit in simili casu Sanchez *lib.* 6. *Summa cap.* 18. *num.* 23. Secundò idem Sanchez *ibidem nu.* 24. affert aliam explicationem huius indirectè læsionis, quando scilicet non expressis verbis, sed alio quæsito colore immunitas Ecclesiastica læditur. Tertio Suarez in *Regem Angliæ lib.* 4. *cap.* 33. *num.* 5. à quo parùm differt Cardinalis Lugo *de Iustitia disput.* 36. *sect.* 9. *num.* 136. asserunt: tunc immunitatem Ecclesiasticam indirectè lædi, quando aliquid in talibus circumstantijs præcipitur, vt satis appareat id fieri ad obtinendum aliquid à Clericis, quod directè ab ipsis obtineri non posset. Quartò explicationem huius indirectæ læsionis insinuant, Diardus *in Bullam cænæ lib.* 2. *can.* 18. *quæst.* 17. & Menochius *de arbitrarijs casu* 562. *num.* 47. quæ mihi placet, nempè eam indirectam læsionem esse prohibitam, qua ita grauantur Laici, vt nequaquam grauarentur, nisi intuitu Clericorum; eam verò læsionem indirectam non esse prohibitam, quæ sequitur secundariò & per accidens, quando scilicet esto per impossibile nullæ essent personæ Ecclesiasticæ in ea ciuitate, adhuc eadem gabella, eodem modo præciperetur, tunc enim statutum per se, & primariò, ex natura sua est ad Laicos, & subditos grauandos; secundariò autem, & per accidens grauantur Clerici, vnde tunc iustum est statutum; neque est contra libertatem Ecclesiasticam; quia ea quæ secundariò, & per accidens contingunt non habentur in consideratione *l.* 1. *ff. de auctoritat. tutela*, Iason *in l. quoties col. fin. C. de Iudicijs*, nec dicitur detrimentum eius, qui secundariò læditur, Felinus *in cap. cum M. col.* 13. *de constitut.* vt rectè considerauit, Balbus *de præscript. part.* 1. *quintæ principalis in princip. num.* 20.

Addo contra Syluestrum, Angelum, Cardinalem Lugo, & alios, non esse contra immunitatem Ecclesiasticam statutum, seu gabellam, & eo præcisè, quod ex
11 circumstantijs appareat Principem habuisse intentionem indirectè extorquendi à Clericis, vt quando petita licentia à Summo Pontifice directè grauandi Clericos, & cogendi ad contributionem, illa fuit denegata, si modus soluendi gabellam, seu statutum per se, & natura sua grauet Laicos, & per accidens Clericos, quicquid sit de Principis voluntate, ita docent Suarez *de censuris disput.* 21. *sect.* 2. *numer.* 91. Sanchez *opusculorum tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 55. *numer.* 41. Castillus Sotomaior *de tertijs debitis Regi cap.* 9. *numer.* 54. libuit afferre verba Suarij: *Aliud, inquit, explicandum erat, quando statutum aliquid censendum sit contra libertatem Ecclesiasticam, & de hoc ait Caietanus, tunc statutum esse huiusmodi, quando per se, & ex intentione attingit libertatem Ecclesiasticam eamque lædit: Rectè autem declarat hoc intelligendum esse, non de intentione ferentis statutum, sed de intentione ipsius operis, vt sic dicam, seu ex virtute & directa materia ipsius statuti, nam si hæc talis sit, vt per se non respiciat res Ecclesiasticas, neque earum exemptionem diminuat; licet ipse legislator directè intendat detrimentum aliquod; quod per accidens inde potest resultare in Ecclesiasticas personas, & peccet, non tamen aget contra hanc prohibitionem, & censuram, quia statutum ipsum per se non est contra libertatem Ecclesiæ, & ea quæ sunt per accidens non considerantur*. Hæc Suarez ex cuius doctrina patet in dignoscendo, an statutum sit contra libertatem Ecclesiasticam, attendi debere finem operis, non finem operantis. Secundò idem ostenditur ratione, quam affert Sanchez *loco citato*, quia malus animus non facit, quod res, quæ alioquin non erat contra iustitiam, sit contra iustitiam; ergo mala intentio statuentium non facit, quo statutum sit contra libertatem Ecclesiasticam, si independenter à tali intentione, tale statutum non lædat per se Ecclesiasticam libertatem. Tertiò nequit intelligi, quod ait: Eminentissimus Lugo *disputat.* 36. *sect.* 9. *numer.* 138. vbi ait: quod si in senatu, aut Principis consilio actum sit de imponenda Clericis gabella, & non obtenta facultate prout volebant ad exigendum à Clerici, quærunt alia media, quibus hoc ipsum in re obtineant, tale statutum (inquit Lugo) est contra immunitatem Ecclesiasticam: non enim apparet quomodo statutum sit contra immunitatem Ecclesiasticam, quando fit per habitum consilium de imponendo grauamine directè Clericis, & non sit contra immunitatem si fiat nullo præuio tali consilio; hoc enim est omninò impertinens, & extrinsecum ipsi statuto, & respicit finem operantis, non operis; quare vel nunquam, vel semper independenter ab eo consilio

statu-

ſtatutum erit cõtra immunitatem. Quartò oſtendo eam intentionem grauandi per accidens Clericos nullum eſſe peccatum, quia quando modus ſoluendi gabellam per ſe grauat Laicos,& per accidens Clericos,tunc Princeps fugit obligationem legis exemptionis Clericorum: ſed licet agete aliquid, ob quod ego fugiam obligationem legis: eſto, expreſſam habeam intentionem ſubtrahendi,ſeu fugiendi eam obligationem;tunc enim datur propriè, & formaliter fraus, quando adeſt obligatio legis, quam quis per dolum, & fraudem vult euadere; ſed quando quis fugit obligationem, tunc nulla datur obligatio, & ſic nulla fraus. Ita Fagundez *præcepto* 1. *lib.*1. *cap.*7. *num.*7. & Diana *par.*1. *tract.*9. *reſol.*19. vbi docent, quod aliquis, vt effugiat obligationem legis, poteſt tranſire ad alium locum propinquum, vt non ieiunet, ſi ieiunetur in ſuo,ſic gaudet priuilegio fori, qui vt effugiat ſeculare iudicium, poſt delictum, ſuſcipit ordinem Clericalem, Franchus *deciſ.*384. *&* *deciſ.*709. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi allegat.*12. *num.*29. ſic aſſumens habitum Clericalem, abſque animo perſeuerandi in Clericatu, ſed tantùm intentione fraudandi gabellas, adhuc gaudet immunitate, Duardus *in Bullam cænæ lib.*2. *can.*18. *quæſt.*7. *num.*2. Diana *par.*1. *tract.*2. *reſol.*44. Ergo ex intentione Principis ſtatutum non euadit contra immunitatem Eccleſiaſticam, ſi independenter ab ea intentione conſideratum, per ſe & primariò eam immunitatem non lædat, ſed tantùm per accidens.

Dices ex Lugo *num.*139. immunitas hæc dat ius Clericis, ne intendatur eorum grauamen, ſeu ne fiant ſtatuta talia, quæ in talibus circumſtantijs ordinata ſunt ad eorum grauamen; nam Eccleſia prohibet etiam grauamina indirecta, quæ in ijs circumſtantijs præſumuntur eſſe ad grauandum per circuitum Eccleſiaſticos.

Reſpondeo hoc in directum grauamen non prohiberi dependenter ab intentione ſtatuentis,de qua Eccleſia non curat, neque de his circumſtantijs eſt ſolicita, ſi ab ijs, tanquam ex coniecturis colligatur Principis mens; ſed tantum Eccleſia prohibet grauamen, quod per ſe contingit Clericos indirectè lædendo, non autem prohibet, quando per accidens Clerici damnificantur; quicquid ſit de Principis intentione.

13 Ad ſecundum argumentum Reſpondetur grauiſſimos Doctores negare gabellam eſſe partem pretij, ita Comitolus *reſponſorum lib.*4. *quæſt.*39. *num.*2. Gratianus *diſceptationum forenſium tom.*2. *cap.*258. *numer.*42. Caſtillo *deciſ.*127. *numer.*12. *vol.*2. Velaſchus *conſ.*60. *numer.*14. *vol.*1. Parladoris *rerum quotidianarum lib.*1. *cap.*3. *num.*21.

Reſpondetur ſecundò tranſeat gabellam eſſe pretij partem, vnde indirectè grauantur Clerici; at hoc grauamen eſt per accidens, & ſic non habetur in conſideratione.

Ad tertium, & quartum argumentum reſpondetur communiorem opinionem eſſe oppoſitum.

14 Ad quintum argumentum reſpondetur caſum propoſitum ab Ancarano *conſ.*13. diuerſum eſſe à caſu noſtro; ſiquidem ſtatutum illud per ſe erat ad indirectè lædendam immunitatem Eccleſiæ, vt patet ex eodem Ancaranno *conſ.*11. nam ex illo ſtatuto, & onere cogebantur ciues potiùs ire ad molendina ciuitatis, quàm Eccleſiæ; ergo per ſe erat ad lædendam Eccleſiam.

QVÆSTIO XIV.

An peccet Clericus ſoluens vectigal, aut renuncians franchitiam, ne fraudetur ſolutione ſuorum redditumm, ſibi debita à Rege?

SVMMARIVM.

*Reſponſio negatiua. num.*2.
*Peccat recipiens gabellam à Clerico ſpontè ſoluente, ſi ſoluit propter exactionem, tanquam debitam. num.*1.
*Non peccant Prælati Eccleſiaſtici, qui ad maiora mala vitanda, aliquid fieri contra immunitatem Eccleſiaſticam permittunt. num.*3.
*Soluens gabellam ad redimendam vexationem non dicitur propriè renunciare immunitati Eccleſiaſticæ. numer.*4.

PRo parte affirmatiua affertur primò nam Bonifacius VIII. *in cap. Clericos de immunit. Eccleſiarum in* 6. excõmmunicat Clericos ſpontè ſoluentes onera à Laicis ipſis impoſita, & quamuis Clemens V. *in Clement. quoniam de immunit. Eccleſiarum* reuocauerit conſtitutionem Bonifacij, tamen reuocat quoad excommunicationem; ergo remanet obligatio ſub mortali non conſentiendi ſolutioni gabellæ, cum præiudicio immunitatis Eccleſiaſticæ.

Secundò, quia immunitas Eccleſiaſtica, quoad bona, ſicut quoad perſonas, eſt priuilegium conceſſum vniuerſo ſtatui Eccleſiaſtico; ergo peccat Clericus illi renuncians; quia facit iniuriam toti ſtatui Clericali; quare etiam hæc renunciatio inualida eſt *cap. ſi diligenti de foro competenti.*

Tertiò quia quamuis Clericus poſſit liberè donare, &
1 ſoluere eam pecuniam, ſeu gabellam, quare tunc neque recipiens ab ita liberè dante peccat; tamen ſi ſaluat tanquam debitam,& propter exactionem peccat recipiens, vt ait Suarez *de cenſuris diſp.*21. *ſect.*2. *nu.*99. & Duardus *in Bullam cænæ lib.*2. *canon.*19. *quæſt.*16. ergo etiam peccat Clericus ſoluens, tanquam debitum, & propter exactionem, quia ita præiudicat priuilegio totius ſtatus Clericalis.

2 His tamen non obſtantibus, Reſpondetur non peccare Clericum ſoluentem tributum ad redimendam vexationem,ita Eſcobar *in Theologia Morali tract.*6. *exam.*3. *capit.*1. *verſ. num vlla* Alterius *de cenſuris lib. tom.*1. *lib.*5. *diſput.*19. *cap.*3. *verſ. notandum*, qui quamuis loquantur de excommunicatione, tamen eadem ratio eſt de peccato.

3 Probatur, quia non peccant Eccleſiaſtici; qui ad maiora mala vitanda permittunt aliquid fieri à Laicis, contra immunitatem Eccleſiaſticam, vt docet Layman *lib.*4. *tract.*9. *cap.*8. *n.*4. ergo neque peccat Clericus, qui ad redimendam vexationem ſoluit gabellam.

Secundò, quia quando damnum, ſeu præiudicium, quod communitati infertur non eſt præſens,ſed remotũ; damnum verò,quod actu patitur Clericus eſt præſens,ac magnum;tunc nõ renetur cum magno,& præſenti damno tueri priuilegium clericale, ne remotè præiudicetur bono communi;ſed ex hoc quod aliqui Clerici,vt conſequantur,qood ipſis debetur à Rege,ſoluunt gabellã non

præiudicatur proximè cæteris Clericis, quippè qui non coguntur inuiti ad solutionem, ergo &c.

Tertiò, quia possunt Clerici liberè soluere, tanquam donum, non tanquam debitum; ergo etiam possunt soluere ad redimendam vexationem: ratio est, quia verè & propriè in neutro casu renunciant priuilegio Clericali; quia in neutro casu agnoscunt se debere, neque soluunt tanquam debitum; sed tanquam donum.

Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

4 Ad primum Respondetur peccare, & ex Bonifacio excommunicari spontè soluêtes tanqnam debitum, nam tunc præiudicant immunitati; sed qui soluit ad redimendam vexationem, non soluit tanquam debitum, sed tanquam donum, seu potiùs sicut soluit viator latroni pecuniam: ergo hic non peccat, quia verè non renunciat priuilegio Clericali.

Ad secundum Respondetur non renunciare propriè suo priuilegio Clericum soluentem tributum ad redimendam vexationem: sed tunc propriè renunciaret, quando ad gratificandum Principi Laico solueret.

Ad tertium Respondetur peccare Laicum vexantem Clericum, at non peccat Clericus, qui ad redimendam vexationem soluit, non enim liberè, sed coactè soluit.

QVÆSTIO XV.

An Regulares possint absoluere ab excomunicatione, ob leuem percussionem Clerici.

SVMMARIVM.

Clerici Percussio duplex, leuis, ac grauis. num.1. Ab ista solus Papa, ab illa Episcopus absoluit. num.2.

Quæ dicatur leuis, committitur arbitrio prudentis? num.3.

Aliqui negant, posse regulares absoluere à casibus à iure Episcopo reseruatis. num.4.

Alij probabiliùs affirmant. num.9.

An Regulares possint absoluere à casibus Papalibus occultis, à quibus possunt Episcopi. num.5. & 9.

Ratione impedimenti, casus Papalis, fit Episcopalis. num.6. An possint Regulares ab eo absoluere? num.7. An possint dispensare in voto continentiæ, ratione periculi, & impedimenti? nu.8. An possint Regulares absoluere abortum fœtus animati? num.10. An quinque Papales casus exceptos, occultos tamen? num.11.

Regulares an possint absoluere ab enormi percussione Clerici occulta? num.12. Ab occulto ingressu in Monasteria Monialium ad malum finem? num.13. à Duello occulto? num.14.

Percussio leuis hodie absolutè, & simpliciter est Episcopalis. num.15.

Casus Papales occulti, hodie ex Tridentino simpliciter sunt Episcopales. num.16.

Episcopus concedens Sacerdoti, vt absoluat à casibus sibi reseruatis, concedit percussionis leuis absolutionem. n.17.

Neapoli etiam Sacerdos Secularis approbatus, potest absoluere à leui percussione Clerici. num.18.

1 NOtandum duplicem esse Clerici percussionem, modicam seu leuem, & grauem seu enormem. Enor-
2 mis percussio à Solo Papa, *iuxta Can. si quis suadente 17. quæst.4.* leuis ab Episcopo absoluitur, ex tex. *in cap. peruenit de sentent. excom.* vbi Doctores omnes. Quæ au-
3 tem sit percussio leuis, aut grauis, prudentis viri arbitrio iudicandum est; leui autem communiter à Doctoribus appellatur, quæ nullam maculam, vel lacerationem carnis, aut membri mutilationem, dentium euulsionem, multorum capillorum extractionem, sanguinis immodicam effusionem attulit, nec alijs circumstantijs aggrauata est, vt personæ percutientis, & percussæ loci, aut grauis scandali inde sequuti, Nauar. *cap.27. nu.91.* Layman *lib.1. tract.5. par.2. cap.5. num.10.* Saytus *de censuris lib.3. cap.28. nu.5.* Bonacina *de censuris disp.2. quæst.4. pun.5. num.8.* Grassius *de casibus reseruatis lib.1. cap.8. num.12.* His positis: Quæritur an Regulares, ob sua priuilegia, possint absoluere ab excomunicatione propter leuem percussionem?

4 Negant ij, qui docent non posse Regulares absoluere à casibus, & censuris à iure Episcopis reseruatis, cuiusmodi est leuis Clerici percussio, ita Miranda *in Manuali Prælatorum tom.1. quæst.4. artic.2.* Bordonus *in Consil. Regular. resol.6. num.11.*

Probant primò quia quãuis in decretis Gregorij XIII. & Clementis VIII. prohibeatur regularibus absoluere à casibus, quos sibi Episcopi reseruarint, & in posterum reseruabunt; nihilominus in decretis Pauli V. & Vrbani VIII. simpliciter fit mentio de casibus reseruatis Episcopis, quibus verbis venit quæcumque reseruatio, siue facta sit à Papa Episcopo, siue ab Episcopo sibi ipsi.

Secundò, quia re vera hodie nulli casus sunt à iure Episcopo reseruati, sed casus, qui per se sunt Papales, speciali priuilegio delegantur Episcopis, Suarez *de pœnit. disp.29. sect.3. nu.6.* Fagundez *præcep.2. lib.8. cap.2.* Peyrinus *tom.1. priuil. in constit. Pyrrhi §.8. num.38.* Lezana *in Summa verbo casus reseruati nu.4.* Ergo cum Clemens VIII. *anno* 1602. prohibuerit Regularibus, ne absoluerent à casibus Bullæ cænæ, & quinque alijs Papalibus, inter quos est: *iniicientium violentas manus in Clericos, iuxta Canonem si quis suadente diabolo 17. q.4. ac Iuris dispositionem*: ea prohibitio accipitur de quacumque percussione, etiam leui; nam quæcumq; est casus per se Papalis, & Papæ iure ordinario competit absolutio, iuxta canonem, *Si quis suadente*, ex indulgentia verò delegatur Episcopis.

5 Tertiò, quamuis Episcopi ex Trident. *sess.24. de refor. cap.6.* possint absoluere à casibus, & excommunicationibus Papalibus occultis, nequeunt tamen regulares, ita Suarez *de censuris disp.25. sect.5. num.27.* Bonacina *disp. 1. de censuris in communi quæst.3. pun.2. num.4. vers. addit denique* Manuel Rodriquez *in bulla Cruciata §.9. num. 116. & 133.* Henriquez *lib.6. cap.14. num.7.* Bannes *2. 2. quæst.64. art. vlt. in fine*, quia horum absolutio per se, & iure ordinario reseruata est Papæ, & iure tantum speciali conceditur Episcopis; ergo à pari cum excomunicatio ob leuem percussionem Clerici, *ex canon. si quis suadente* reseruetur Papæ iure ordinario, & ex speciali priuilegio competat Episcopis, nequeunt Regulares absoluere ab ipsa.

6 Secundò eâdem ratione, quamuis casus Papalis, ratione perpetui impedimenti, fiat Episcopalis, adeò vt non teneatur excomunicatus mittere nuncium aut Epistolam, nec fortuitò cessante impedimento, deinde post absolutionem teneatur se præsentare, Nauarr. *cap.27. num. 90.* Layman *lib.1. tract.5. par.2. cap.6. num.4.* Peregrinus *de duello quæst.33. num.9.* Diana *par.4. tract.4.*

resol.

resolut. 58. & par. 5. tract. 9. resol. 6. Regularis tamen ne-
7 quit absoluere, quia per accidens, non per se absolutio
Episcopo competit; quod in omninò simili casu com-
muniter docent; de voto perpetuæ castitatis Papæ re-
seruato, in quo quamuis ratione impedimenti, ac in-
stantis grauis periculi, possit Episcopus dispensare, ta-
men, quia per accidens dispensatio conuenit Episco-
8 po; non poterunt Regulares per sua priuilegia dispen-
sare, ita Manuel Rodriquez in Bulla Cruciata, §. 9. nu-
mer. 116. & quæstionum Regularium, tom. 1. qu. 63. art. 6.
Henriquez lib. 6. c. 14. §. 7. in comment. lit. P. Miranda
in manuali Prælatorum, tom. 1. qu. 48. art. 4. Suarez de reli-
gione, tom. 2. lib. 6. de voto, c. 26. num. 18. & 19. Layman
lib. 4. tract. 4. c. 8. nu. 17. in fine: ergo cum per se percus-
sio Clerici sit Papæ reseruata, & per accidens Episcopis
competat, quando leuis est, non poterunt Regulares ab
ea absoluere.

His tamen non obstantibus. Respondetur affirmati-
uè, nempè posse Regulares priuilegiatos absoluere ab
excommunicatione ob leuem percussionem Clerici, ita
sentiunt omnes illi, qui docent posse absoluere à casi-
bus, & excommunicationibus Papalibus occultis, aut in
iure Episcopis reseruatis, quos statim referam, & expres-
sè nostram conclusionem docent Lezzana in Sum. to. 3.
verbo Clericus, num. 18. Naldus in Summa verbo Clericus,
num. 39. Fillinccius tract. 15. num. 34. Grassius de casi-
bus reseruatis lib. 1. cap. 8. nu. 9. & 10. Thesaurus in pra-
xi ecclesiastica par. 2. verbo Iniuria, cap. 4. in fine.

9 Probatur primò, nostra conclusio. Possunt Regulares
absoluere à casibus à iure Episcopis reseruatis, quos
Episcopi sibi ipsis non reseruarunt, ita Diana par. 3 tr. 2.
resol. 13. vers. nota 4. & par. 8. tract. 7. resol. 71. Merolla
tom. 2. disp. 1. c. 2. num. 540. P. Cespides tract. de exempt.
Regular. dub. 142. Auersa de Sacram. pœnit. qu. 17. sect. 6.
Thesaurus in praxi par. 2. cap. 1. nu. 1. Toletus lib. 3. sum.
c. 14. §. 3. noster doctissimus Carrafa de duello, tract. 5.
sect. 2. quæst. 7. & 6. Pater del Bene de parlamentis dub. 4.
subiect. 31. corol. 4.

10 His accedunt alij, qui docent: posse Regulares ab-
soluere abortum fetus animati quamuis à iure reserua-
tur Episcopo; nam per Bullam Gregor. XIV. requiritur
specialis deputatio ab Episcopo, nihilominus illum ab-
soluit Regularis priuilegiatus, ita Cespides tract. de exēp.
Regular. dub. 142. numer. 5. & probabile indicat Portel
V. abortus num. 3. sed vide Dianam par. 7. tract. 5. res. 15.
Possunt quoque Regulares absoluere à casibus Papali-
bus occultis, quia ex iure Concilij Tridentini reseruan-
tur Episcopi, ita Sanchez in Summa lib. 4. c. 54. num. 27.
Diana, Merolla, & Auersa locis citatis, Carrafa de duello,
tract. 5. sect. 2. quæst. 6. num. 2. P. Thomas del Bene præ-
ceptor meus tract. de Comitijs, dub. 4. sub sect. 32. corol. 1.
11 fol. 112. vbi ait, posse Regulares absoluere ab illis quin-
que casibus Papalibus exceptis, quando occulti sunt,
12 quia sunt Episcopales. Vnde cum Episcopus absoluat ab
occulta enormi percussione Clerici, vt ait Grassius de
casibus reseruatis lib. 1. cap. 8. num. 44. absoluere quoque
poterit Regularis, ita Fagundez prac. 2. lib. 8. num. 29.
Pellizzarius in manuali Regularium, tom. 2. tract. 8. cap. 3.
13 sect. 2. sub sect. 2. num. 78. Sic absoluit Episcopus ab oc-
culto ingressu in Monasteria Monialium ad malum fi-
nem Sanchez in Summ. lib. 6. c. 15. nu. 76. Bonacina de
clausura, qu. 1. pun. 5. num. 1. Diana par. 2. tract. 16. resol.
33. & par. 7. tract. 2. resol. 22. contra Riccium in praxi
decis. 648. in 1. edit. & Barbosa de Episcopo, allegat. 39.
14 num. 45. absoluere quoque poterit Regularis. Sic cum
Episcopus absoluat à duello occulto, vt docet Sanchez
in Sum. lib. 2. c. 39. num. 27. poterit quoque ab occulto
Regularis, Carrafa de duello, tract. 5. sect. 2. quæst. 6. Dixi
hæc consequenter ad doctrinam allatam, tu tamen co-
gita, ipse enim ista non firmo.

Ergo poterunt Regulares priuilegiati absoluere ab
excommunicatione ob leuem percussionem Clerici, quę
ex iure, cap. peruenit de sententia excommunicationis, Epi-
scopis reseruatur.

Antecedens, nempè posse Regulares absoluere à ca-
sibus reseruatis Episcopo à iure. Probatur quia Regula-
res habuerunt amplissima priuilegia absoluendi ab om-
nibus casibus, & censuris, Papæ, aut Episcopo reseruatis:
Ergo cum Clemens VIII. exceperit casus Bullæ cęnæ, &
quinque alios Papales, & quos Episcopi sibi reseruabūt;
remanet in concursum antiquum priuilegium absoluen-
di à cæteris, quos Episcopi sibi non reseruarunt, sed à iu-
re illi reseruantur; ergo poterunt absoluere à casibus à
iure, vel consuetudine, aut ex Tridentino, vt casibus oc-
cultis, Episcopo reseruatis. Neque oppositum statue-
runt Decreta Pauli V. & Vrbani VIII. dum prohibent
absoluere à casibus Episcopo reseruatis, nam Paulus V.
& Vrbanus VIII. confirmant Decretum Clemētis VIII.
qui apertissimè loquitur tantummodo de casibus, quos
Episcopi sibi reseruant, non autem de casibus à iure illi
reseruatis.

Consequentia, probatur nempè si possunt Regulares
absoluere à casibus Episcopo in iure reseruatis, pote-
runt quoque absoluere à percussione leui; Nam percus-
15 sio leuis hodie non est excommunicatio Papalis, sed ab-
solutè, & simpliciter est Episcopalis; neque per acci-
dens, sed per se conuenit Episcopo neque iure speciali,
sed iure communi, & ordinario illi conuenit, ita Sayrus
de censuris, lib. 3. c. 28. num. 33. S. Antonin. 3. p. tit. 25.
cap. 1. §. 5. notandum vers. vltimo, Syluester V. absolutio
4. num. 13. §. 16. Angel. verbo Excommunicatio 3, nu. 38.
& in simili de casibus occultis docet, Sanchez in Summ.
16 lib. 4. c. 54. num. 27. vbi sic scribit. Hi casus occulti, iam
non sunt casus reseruati, & non iure speciali, idest ex dele-
gatione competunt Episcopo, sed iure ordinario, sunt perpe-
tuo annexi dignitati Episcopali, nec exigitur industria per-
sonæ Episcopi, alias ita essent personales, vt eos delegare
non posset. Et confirmatur, quia etiamsi casus Episcopales,
non desinant esse tales, per concessionem peculiarem factam
ab Episcopo; at desinerent si per Constitutionem synodalem
concederentur Parochis, & solis illis reseruati essent; ergo
quamuis casus Papales non desinant esse tales, eo quod Pon-
tifex semel, aut iterum concedat Episcopo; imò, & si semper
concedat Episcopo speciali: & desinunt esse tales per gene-
ralem constitutionem concedentem eos in perpetuum cui-
cumq; Episcopo, ita Sanchez ex cuius doctrina patet ho-
die percussionem Clerici leuem (cuius absolutio cui-
cumque Episcopo est concessa, per tex. in cap. peruenit
de sentent. excomm.) non esse casum Papalem, sed iure
ordinario Episcopo competere, quià perpetuò annexa
est dignitati Episcopali, & per generalem constitutio-
nem in perpetuum, cuicumque Episcopo ea absolutio
est concessa; vnde eam delegare potest Episcopus, vt ait
Sayrus lib. 3. cap. 28. num. 2. Grassius de casibus reseruat.
lib. 1. cap. 8. num. 42. Ergo signum est, quod illi compe-
tit iure ordinario, non ex delegatione, iuxta doctrinam

Glossæ

Gloſæ in c. 15. cui de offic. deleg. in 6. Bart. in l. more ff. de Iuriſd. om. Iudic. Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 32. num. 6.* tum quia beneficium Principis perpetuò dignitati conceſſum, arguit iuriſdictionem ordinariam, nō ex ſpeciali delegat; Bartol. *in l. ambitioſa num. 34. ff. de decretis ab ordinar. faciend.* Bald. *in cap. fin. de offic. ordin.* Preterea vt id euidentius pateat, finge in Canone *ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4.* ſic ſcribi: *Si quis ſuadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus cum enormi percuſſione iniecerit*, certè tunc nullus dubitaret ſolam percuſſionem enormem eſſe Papalem. At ita prorſus eſt, nam ex diſpoſitione tex. *in capit. peruenit de ſentent. excomm.* Gregorius IX. qui textum illum in corpus iuris communis clauſit, reſtrinxit Canonem *ſi quis ſuadente*, ad ſolam percuſſionem enormem; ergo ſola enormis eſt Papalis, leuis eſt Epiſcopalis.

17 Probatur ſecundò noſtra concluſio. Nam vt benè aduertit, Graffius *de caſibus reſeruatis lib. 1. cap. 8. nu. 43. & 47.* Ex generali conceſſione facta Sacerdoti per Epiſcopum, vt poſſit abſoluere à caſibus, & cenſuris ſibi reſeruatis, poterit iſte abſoluere à leui percuſſione Clerici: Sed hoc ipſo quòd Epiſcopi in tabella caſuum reſeruatorum, alios caſus non apponunt, eos generaliter omnibus concedere præſumuntur vt ait Ceſpides *tractat. de exemp. regular. dub. 142.* Imò plerunque expreſsè concedunt omnes alios caſus, quomodolibet ſibi reſeruatos, prout Eminen. Filamarinus Neapolitanus Archiepiſcopus *in tabella caſuum reſeruatorum anno 1643.* conceſſit, vt præter expreſſas ibi excommunicationes ab omnibus alijs, omnes Sacerdotes ſeculares, ſiuè regulares, quouis modo ſibi reſeruatis, poſſent abſoluere, etiamſi talia forent, quæ ſpecialem requirerent facultatem. Vnde Carolus Baucius *in tract. de caſibus reſeruatis in fine quæſt. 12.* ait: Neapoli conceſſam eſſe facultatem Confeſſario abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris

18 à iure Canonum Epiſcopo reſeruatis. Quare Neapoli certiſſimum puto tam regulares, quàm ſeculares Sacerdotes, poſſe abſoluere à leui percuſſione Clerici.

Ex his patet reſponſio ad contraria argumenta præſertim ad primum, ſecundum, & tertium.

Ad quartum Reſpondetur ex doctrina, Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto capit. 26. num. 19.* ideò non poſſe regulares ratione impedimenti abſoluere, & diſpenſare à caſibus, & voti, Papalibus ſicut poſſunt Epiſcopi, quia poteſtas Epiſcoporum eſt ordinaria; poteſtas Regularium delegata, quæ non extenditur extra caſus conceſſos ex nulla neceſſitate, ſicut potentia propter nullam neceſſitatem extenditur extra ſuum obiectum. Quare cum vota continentiæ, & aliqui caſus Papales non ſint Regularibus conceſſi: meritò ratione impedimenti, nequit diſpenſare, aut abſoluere: ſed non eſt ita quoad leuem percuſſionem Clerici, hæc enim (vt oſtendi) hodie non per accidens, ſed per ſe, & iure ordinario eſt caſus Epiſcopalis: Regulares autem poſſunt abſoluere omnes caſus Epiſcopales, quos tamen Epiſcopi nominatim ſibi non reſeruarunt.

Poſt hæc ſcripta legi P. Dianam *par. 9. tract. 4. reſ. 53.* qui ait: de hac re quandam declarationem ſacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium ęditam eſſe *die 18. Iulij 1642.* quam, ſi ſit authentica, conſulendam eſſe ſcribit ipſe, & ego.

QVÆSTIO XVI.

An quilibet Sacerdos, præſertim Regularis priuilegiatus, intra Italiam, extra vrbem, poſſit abſoluere à caſibus dubijs in Cœna Domini?

SVMMARIVM.

An poſt decretum Clementis VIII. poſſint abſolui caſus Bullæ cænæ? num. 1. & 2.

Quando dubium eſt, an quis incurrerit caſum reſeruatum, ceſſat reſeruatio. num. 3.

Reſeruatio eſt odioſa. num. 4.

Quando dubitatur, an votum ſit reſeruatum, quilibet poteſt abſoluere? num. 5.

Stante dubio iuris, aut facti, an quis incurrerit excommunicationem, poteſt communicare. num. 6. & 7.

Quare dubitans ſe peccaſſe mortaliter, tenetur confiteri: non autem tenetur petere abſolutionem, dubitans ſe incurriſſe excommunicationem? num. 8.

Abſolutio ad cautelam non requirit, neque iuramentum, neque cautionem, neque partis ſatisfactionem? num. 9.

Abſolutus ad cautelam, ſi deinde certò ſciat, ſe cenſuram incurriſſe, non debet iterum petere abſolutionem. nu. 10.

NEgandum videtur. Primò ex decreto ſacræ Congregationis iuſſu Clement. VIII. ædito *anno 1601.* quod refert Duardus *in Bullam cænæ lib. 3. §. 2. quæſt. 1. num. 16. ibi: Ab vllo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla die cænæ Domini legi ſolita contentis.*

Secundò, quia in caſibus dubijs, danda eſt abſolutio ad cautelam: Sed qui non poteſt dare directam abſolutionem, ſeu ſimpliciter abſoluere, neque poterit ad cautelam, ita Dominicus, & Franchus *in cap. ſolet, de ſententia excom. in 6.* Genuenſ. *in praxi Archiepiſcopali cap. quinto num. 4.* ergo non poteſt alius, præter Romanum Pontificem abſoluere ad cautelam à caſibus dubijs in Bulla cænæ, vt docet Duardus *in Bullam cænæ l. 3. §. 2. quæſt. 3. num. 7. & 18.*

Tertiò, probatur ratione, nam abſolutio ad cautelam, eſt abſolutio conditionata, ſi es excomunicatus: ſed actus ſub conditione de præſenti, quando adeſt conditio, æquipollet actui ſimpliciter abſoluto; ergo ſicuti ſolus Papa poteſt ſimpliciter, & abſolutè à cenſuris Bullæ cænæ abſoluere, ita ſolus ipſe poterit abſoluere ad cautelam in caſibus dubijs.

His tamen non obſtantibus, Reſpōdetur affirmatiuè.

1 Probatur ante Decretum Clementis VIII. *anni 1601.* quilibet Sacerdos poterat abſoluere à caſibus dubijs Bullæ cænæ, vt mox oſtendam; ergo hodie etiam. Conſequentia probatur, quia *anno 1602.* per aliud decretum fuit moderatum præcedens decretum, his verbis.

Specialis mandato eiuſdem S.D.N. Clementis Papæ VIII. ſimiliter viuæ vocis oraculo, ſuper ea re habito, ipſum decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet ſub eiuſdem prohibitione illos tantùm in poſterum comprehendi caſus, qui in Bulla die cænæ Domini legi conſueta continentur, ac præterea violationis immunitatis Eccleſiaſticæ, &c. (& infra) *in quibus omnibus iam enumeratis dumtaxat, eadem ſacra Congregatio vult, & mandat dictam decretum in ſua firmitate, & priſtino robore permanere, ac propterea declarat eos quidem Sacerdotes, tam Seculares, quàm Regulares,*

lares, qui aliquo ex priuilegijs indultis, & facultatibus in ſupradicto Decreto expreſſis ſuffulti fuerint, poſſe iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vſu ante idem Decretam receptas, & quæ ſub alijs renocationibus non comprehenduntur tantùm, & non aliàs, abſoluere à caſibus in præſenti declaratione non comprehenſis. Hæc nouum Decretum, ſeu Moderatio.

Sed Sacerdotes ante *annum* 1601. poterant abſouere à caſibus dubijs Bullæ cænæ, vt oſtendam, & in præſenti declaratione, ſeu moderatione *anni* 1602. caſus dubij non ſunt comprehenſi: ergo poſſunt hodie à caſibus dubijs abſoluere. Quod autem in prædicta Moderatione caſus dubij non ſint comprehenſi; patet legenti; quia omiſſæ ſunt illæ particulæ *clarè, vel dubiè contentis*.

Quod autem antea ſemper potuerint Sacerdotes abſoluere à caſibus dubijs Bullæ cænæ.

Probatur primò authoritate, nam communis eſt Do-
3 ctorum ſententia, quod quando dubium eſt, an quis incurrerit caſum reſeruatum, vel cenſuram reſeruatam, tunc ceſſat reſeruatio, & quilibet ſtante dubio poteſt abſoluere. Ita Suarez 3. *p. tom.* 5 *diſp.* 40. *ſect.* 6 *num.* 5. *& de religione to.* 2 *lib.* 4. *c.* 5 *nu.* 15. Sanchez *in Summ. lib.* 1. *cap.* 10 *num.* 74. Cardinalis Lugo *de pænit. diſp.* 2. *ſect.* 2. *num.* 18. Sà *verbo Caſus reſeruati nu.* 5. Hurtad. *de pænit. tom.* 1 *diffic.* 11. *dub.* 6. Portel *de dub. regular. verbo Caſus reſeruati, nu.* 7. Merolla *to.* 1. *diſput.* 3. *dub.* 2. *corollar.* 23. *num.* 370. Diana *p.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 4. quorum plerique, vt Lugo, Merolla, Diana, & alij ſequuntur de hæreſi, & de caſibus dubijs Bullæ cænę, ex ſcribunt: poſſe à quocũque abſolui. Idem docet doctiſſimus præceptor meus P. D. Thomas del Bene *de parlamentis dubit.* 4. *ſect.* 19. *ſub ſect.* 31. *ſub coroll.* 10. *in fine, fol.* 110.

4 Probatur ſecundò ratione, nam reſeruatio, eſt odioſa, atque adeò non eſt extendenda, ſed ſtrictè interpretanda, Bonacina *de Sacram. diſp.* 5. *qu.* 7. *punc.* 5. §. 4. *num.* 1. Capeauilla *de caſibus reſeruatis cap.* 6. *qu.* 1. Coriolanus *eod. tract. p.* 1. *ſect.* 1. *art.* 5. *num.* 4. Homobonus *in ſimili tract. p.* 1. *c.* 2. Reginaldus *lib.* 1. *cap.* 11. *nu.* 137. ergo reſeruatio cenſetur facta à ſuperiore in caſu certo, non in caſu dubio.

5 Probatur tertiò à pari, nam quando dubitatur, an votum ſit reſeruatum, vel an quis vouerit caſtitatem perpetuam, poteſt Regularis priuilegiatus diſpenſare, vel commutare, Sanchez *in Summ. lib.* 4. *c.* 40. *nu.* 26. *& c.* 44. *num.* 5. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 14. Sic etiam in dubio an caſus indigeat diſpenſatione, poteſt Epiſcopus diſpenſare in lege Pontificia, quæ alioquin indiſpenſabilis eſſet ab ipſo, Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, par.* 2. *alleg.* 35. *num.* 19. Caſtropal. *tom.* 1. *trac.* 3. *diſp.* 6. *punc.* 5. *nu.* 10. Diana *par.* 4. *tr.* 3. *reſol.* 46. ergo in dubio an cenſura ſit reſeruata, vel an inciderit in cenſuram reſeruatam, ceſſat reſeruatio, & quilibet poteſt abſoluere.

Probatur quartò, nam reſeruatio præſertim ad Romanum Pontificem, eſt grauiſſima pęna: ergo nõ cenſetur Papam certam pęnam, & grauem pro delicto dubio infligere voluiſſe: ergo cenſetur reſeruaſſe cenſuram certam, non dubiam.

Probatur quintò, nam ſtante dubio de incurſa cenſura, ſiue ſit dubium iuris, ſiue facti, in neutro foro tenetur quis ſe gerere tamquam excommunicatum, ſed poteſt abſque vlla petita abſolutione communicare; ergo ſi pro ſerenitate conſcientiæ petit abſolui ad cautelam, non tenetur ſubire tam graue onus recurrendi ad Papam, ſed poterit à quocumque abſolui. Quod autem ſtante
6 dubio iuris, poſſit quis communicare, docent Azorius *lib.* 2. *cap.* 19. *qu.* 11. *&* 16. Sayrus *in Clauis Regia lib.* 1. *c.* 13. *nu.* 23. *&* 24. Molina *tract.* 3. *diſp.* 67. *nu.* 7. Turrianus *de cenſuris, lib.* 8. *diſp.* 57. *dub.* 4. *circa finem*, Diana *p.* 4. *trac.* 3. *reſol.* 35. *& par.* 5 *tract.* 9. *reſol.* 44. Ratio eſt, quia odia reſtringenda ſunt, vnde nulla pęna debet incurri, niſi in caſibus in iure expreſſis. Tum quia tunc dicitur dubium in iure, quando pro vtraque parte adſunt opiniones probabiles, (nam ſi vna opinio non eſt probabilis, ſed improbabilis, & falſa, tunc neceſſe eſt alteram oppoſitam ſententiam eſſe certam, quare tunc non ſumus in dubio, ſed in claris, & certo iure. Sed quando ſunt opiniones vtrimque probabiles de cenſuræ incurſione, poſſum tuta conſcientia ſequi opinionem probabilem excuſantem à cenſura, & ſic liberè communicare.

7 Si verò ſit dubium facti v.g. quia dubito occiſum fuiſſe Clericum, percuſſiſſe Clericum, dubito an ea verba à me prolata fuerint, quæ explicauerint internam hæreſim, &c. tunc neque teneor me gerere tamquam excommunicatum, ſed ſine vlla abſolutione à cenſura, poſſum tuta conſcientia celebrare, & communicare. Ita S. Thomas *quodlib.* 4. *art.* 14. Sanchez *in Sum. lib.* 1. *c.* 10. *nu.* 55. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 38. Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 6. *qu.* 10. *dub.* 4. *num.* 60. Petrus Cornejo *p.* 2. *trac.* 8. *qu.* 19. *diſp.* 4. *dub.* 2. Diana *p.* 5 *tract.* 9. *reſol.* 44. *& p.* 4. *tr.* 3. *reſol.* 35. *&* 66. contra Vaſquez 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. *diſput.* 65. *num.* 9. *&* 13. *& diſp.* 66. *cap.* 1. Molinam *tom.* 3. *diſp.* 67. *num.* 7. Turrianus *de cenſuris lib.* 8. *diſp.* 57. *dub.* 4. *circa finem*. Ratio eſt, quia ſi Iudex in foro exteriori non declarat excommunicatum, niſi certò conſtet de delicto; ergo neque quis tenetur in conſcientia ſe reputare excommunicatum, & abſtinere à celebrando, niſi ei certò conſtet delictum. Tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; ergo in dubio iudicandum eſt pro poſſeſſione, quam quis habet communicandi & celebrandi: tum quia præſumptio eſt contra cenſuram, factum enim non præſumitur *l. in bello, §. factæ, ff. de captiuis, & poſtlim. reuerſ.*

Ergo ſi non peccat, nec punitur celebrans, vel communicans ſtante dubio iuris, vel facti, de incurſa cenſura, cur puniendus Sacerdos, qui pro conſolatione ſcrupuloſæ, & timoratæ conſcientiæ, ad cautelam abſoluit? tum quia talis prohibitio abſoluendi in caſu dubio, ſolum torqueret virum timoratum, ſeu ſcrupuloſum, qui nollet ſequi opinionem probabilem, & ſtante dubio, ſine vlla abſolutione communicare.

8 Dices dubitans ſe mortaliter peccaſſe tenetur confiteri, & petere abſolutionem: ergo etiam dubitans ſe cenſuram incurriſſe, tenetur ad cautelam petere abſolutionem ab illa.

Reſpondetur diſparitas eſt, quia ſi reuera peccauit, nequeo aliter Dei gratiam conſequi, quàm per abſolutionem Sacramentalem, quæ neceſſaria eſt neceſſitate medij ad gratiam conſequendam. At ſi re vera Clericum occidi, & cenſuram incurri, durante dubio, ſuſpenditur effectus cenſuræ. Ratio eſt, quia Eccleſia non vult punire, niſi delinquens certus ſit de delicto, quoad forum internum, neque Iudex quoad forum externum, vult, nec poteſt declarare excommunicatum, niſi certus ſit de delicto; vndè cenſura, ſtante dubio, non exercet ſuum effectum; quare tunc nullum ſubeſt periculum in celebrando ſine abſolutione à cenſura; at ſecus eſt in pecca-

to

to mortali, quia etiam si inuincibiliter ignorem me peccasse; tamen numquam consequar gratiam, nisi de eo, saltem in confuso doleam, & si recordor, & dubitem, absolutionem obtineam.

Probatur sextò, nam absolutio ad cautelam longè differt à simplici absolutione, etenim illa non requirit iu-
9 ramentum, cautionem, aut partis satisfactionem, Doctores *in cap. solet de sententia excom. in 6.* Rota *decis.4. in antiquis, & 36. in nouis,* Duardus *in Bullam cœnæ, lib.3. §.2. qu.13. num.16.* Genuens. (qui ait hanc esse praxim omnium Curiarum) *in praxi Archiepisc. cap.5. num.5.* ergo neque requiritur in absolutione ad cautelam, quod ea conferatur à Romano Pontifice, sed à quocumque dari potest.

Confirmatur, nam cum mentio fit de absolutione, semper intelligitur de simplici, non de illa, quæ datur ad cautelam, Abbas *in c. Apostolicæ num.12. de except.* Duardus *in Bulla cœnæ, lib.3. §.2. qu.13. nu.11.* ergo prohibita absolutione à censuris Bullæ cœnæ, intelligitur prohibita absolutio simplex, non ad cautelam.

Ex his patet Responsio ad contraria argumenta.

Ad primum respondetur hoc Decretum 1602. esse reuocatum.

Ad secundum oppositam opinionem esse communem, & probabiliorem.

Ad tertium respondetur, quòd in hoc æquipollent actus absolutus, & sub conditione de præsenti; quia neuter manet in suspenso, prout manet actus sub conditione de futuro; cæterùm quia delictum dubium non debet puniri eadem pœna, ac certum, ideò stante dubio, non incurritur pęna reseruationis.

10 Aduerte ex Lugo *de pænitent. disp.20. sect.2. num.20.* quòd penitens ab inferiori Sacerdote, stante dubio, absolutus ab hæresi, si deinde re melius considerata, comperiat se incurrisse censuram, vel alium casum reseruatum, non tenetur recurrere ad Papam, vel Superiorem reseruantem; sicuti absolutus à voto dubio castitatis, si deinde certius fiat, non tenetur recurrere ad Sedem Apostolicam, vt docet Sanchez *lib. 4. Summ. cap.44. nu.10.* Ratio est, quia stante dubio, censura non erat reseruata; à censura autem non reseruata, quilibet potest absoluere; Ergo fuit validè absolutus ab habente potestatem, simpliciter, & absque vllo onere; ergo non est ratio cur recurrat ad Papam, cum eadem censura non redeat, sine noua culpa.

QVÆSTIO XVII.

An in eodem actu possint dari plures malitiæ, solo numero distinctè, & in confessione aperiendæ?

SVMMARIVM.

Quando circumstantia aggrauet tantùm; quando vero multiplicet peccatum? num.1.

Per respectum ad plures personas, non multiplicatur peccatum? num.2.

Quare is, qui tres vnico ictu occidit, debet confiteri tria homicidia, non autem qui voluit tres homines occidere? num.3.

Quando numerus personarum explicandus est, seu quando numero multiplicetur peccatum? num.4.

1 AFfirmant Vasquez 1.2. *qu.95. art.1. dub.4. num.4. & seq. vbi num.9.* Hanc dat generalem regulam, quando circumstantia supponit actum iam constitutum in genere mali, & auget secundum magnitudinem, intensionem, durationem, tunc non multiplicatur peccatum; quando verò non supponit, sed per se constituit in genere mali, tunc est duplex peccatum; sequuntur Salas 1.2. *tract.13. disp.3. sect.2. num.19.* Azor. *tom.1. lib.4. cap.4. qu.5. & 6.* Henriquez *lib.5. c.5. num.4.* Layman *lib.2. tract.3. c.12. num.6.* Bonacina *de Sacram. disp.5. q.5. sect.2. pun.2. §.3. diffic.3. num.16.* Diana *p.1. trac.7. res.29. par.3. tr.4. resol.114. & 164. par.6. tr.6. res.33.*

Probatur, quia malitia dicit contrarietatem ad virtutem: sed quando sunt plura obiecta numero, sunt quoque plures respectus contrarij ad virtutem, quorum vnus est ab altero independens: ergo sunt plures numero malitiæ.

Confirmatur, nam ad plures filios dantur plures relationes prædicamẽtales paternitatis, vt ait Sotus *in 3. dist. 8. qu.7.* & alij Scotistæ apud Suarez *in Metaph. disp.47. sect.9.*

Secundò, quia vnico ictu tres homines occidens, tria committit peccata numero distincta, & necessariò in confessione explicanda.

Tertiò, coniugatus cum coniugata adulterans vno actu duplicem adulterij malitiam contrahit, necessariò in confessione explicandam; sic religiosus cum religiosa duplicem malitiam sacrilegij.

Quartò, ex Lugo *disp.16. de pænit. num.133.* qui eodem actu contra plures specie virtutes ageret, plures specie malitias contraheret: ergo, qui eodem actu plurium personarum iura læderet, plures malitias iniustitiæ incurreret; nam sicuti malitia moralis est læsio regulæ rationis, ita malitia moralis iniustitię est lęsio iuris alieni.

2 Negant verò alij eodem actu, propter respectum ad plures personas, seu ad plura numero obiecta, haberi plures numero distinctas malitias, sed tantùm augeri grauitatem eiusdem malitiæ. Ita Suarez *de pænit. disp.22. sec.5. num.34.* & esse probabilem, ac proinde non esse circumstantiam in confessione aperiendam, in opinione eorum, qui docent non esse explicandas circumstantias aggrauantes in eadem specie, ait Vasquez *vbi suprà, num.8.* & Eminentissimus Lugo *de pænit. disp.16. nu.132.* qui quamuis inclinet multiplicari numero malitias, tamen *num.135.* ait: non esse eum respectum ad plures personas necessariò in confessione explicandum.

Probat primò Suarez, quia actus voluntatis dandi eleemosynam decem hominibus, vnam non plures habet bonitates: ergo actus voluntatis denegandi eleemosynam decem hominibus extremè indigentibus, vnam non plures habet malitias. Consequentia patet, quia malitia est priuatio debitæ rectitudinis, seu bonitatis: sed vna est rectitudo, seu bonitas, qua actus est priuatus; ergo vna priuatio, & sic vna malitia.

Contra tamen est, quia aduersarius negabit esse vnam bonitatem, sed plures affirmabit.

Probat secundò Eminentissimus Lugo *de pænit. disp. 16. num.134.* quamuis ex diuerso specie obiecto, diuersæ species malitiæ tribuantur actui, & omninò sint in confessione explicandæ; alioquin non perfectè explica-

retur

retur tota species peccati; At cum vnus est actus, & vnum peccatum, quamuis in eodem actu plures sint numero distinctæ malitiæ, propter ordinem ad plures personas læsas, tamen nullibi extat præceptum explicandi pluralitatem malitiarum, aut personarum damnificatarum; quia nulla adest obligatio, nisi explicandi numerum peccatorum, qui sufficienter explicatur, absque eo, quod explicetur numerus malitiarum contentus in eodem peccato.

Contra, quamuis physicè actus sit vnus, tamen moraliter dicuntur plura peccata, si actus plures continet distinctas numero malitias; sic vno ictu tres occidens dicitur tria peccata homicidij commisisse; sicuti dicuntur plura peccata si continet distinctas specie malitias: vnde cognoscens consanguineam coniugatam, dicitur committere adulterium, & incestum.

Probatur itaque tertiò, respectus ad plura numero obiecta non multiplicat physicè actum; sic videns duos homines simul, vnicum non duplicem producit actum visionis; ergo neque respectu ad plura numero obiecta disona rationi, multiplicat moraliter malitias in eodem actu: consequentia patet; ideò actus physicè non multiplicatur, quia tendit ad omnia illa obiecta per modum vnius, sub vna ratione boni, &c. ergo etiam malitia actus moraliter non multiplicatur, quia tendit ad omnia obiecta per modum vnius, sub vna ratione boni delectabilis; tum quia vt rectè probat, ac docet Arriaga *disp. 1. Metaph. nu. 91. Quælibet res, quæcumque illa sit, individuatur formaliter à seipsa independenter à terminis distinctis, extrinsecis, & à se habet esse potius hanc, quam illam; siue amba eumdem numero terminum respiciant, vt duæ cognitiones de eodem Petro, siue diuersos; siue multos*, ita Arriaga; ergo quamuis sint plura obiecta, tamen vnum est indiuiduum peccatum, vna malitia: tum quia, vt rectè docet Suarez 1. 2. *tract. 3. disp. 4. sect. 4. num. 5.* Voluntas vnico impetu, & inclinatione tendit in totum illud obiectum per modum vnius: ergo est vna simplex bonitas, aut malitia; tum quia sicut actus erga diuersa specie obiecta, est vnus simplex æquiualens tamen diuersis specie actibus; ita erga diuersa numero obiecta est vnus simplex actus, æquiualens tamen pluribus numero actibus; sed hæc æquiualentia ad plures numero actus, addit grauitatem intra eandem speciem; ergo non est in confessione explicanda, iuxta probabiliorem sententiam docentem, non esse explicandas circumstantias aggrauantes intra eandem speciem.

Ad primum argumentum contrarium respondetur: distinguendi sunt plures respectus ad virtutem, & sic plures malitiæ formaliter, nego; ratio est, quia ad omnia illa obiecta voluntas tendit per modum vnius: sunt plures virtualiter, seu æquiualent pluribus malitijs, propter sui grauitatem, concedo; patet instantia; nam erga plura numero obiecta cognita, volita, aut visa, habetur vna formaliter cognitio, volitio, visio; quamuis sit virtualiter, se æquiualenter multiplex.

Ad confirmationem respondetur, probabilius esse relationes prædicamentales non multiplicari numero ad numericam terminorum multiplicationem, ita docente S. *Thom. 3. par q. 35. art. 5.* vbi Caietanus, Ferrariensis 1. *contr. gentes, cap. 4.* Soncinas 5. *Metaph. q. 3 a.* & alij.

Ad secundum argumentum, quòd fateor esse difficillimum, respondet Eminentissimus Lugo *num. 141.* eum, qui tres vnico ictu occidit, aut vnico actu desiderat occidere, non satisfacere si dicat commisi, aut desideraui homicidium, quia tunc negaret duo homicidia, neque satisfaciet dicens: commisi, aut optaui homicidia, quia tunc duo affirmaret vt certa, tertium fateretur vt dubium: nam Sacerdos non esset certus, sed dubius de tertio, quarto, quinto homicidio; ergo tunc tenetur exprimere numerum personarum, quas occidit, aut desiderauit occidere.

Contra, quia contra Dianam docet Lugo *num. 163.* quod quando vnico voluntatis actu plures occidere voluisti, non est explicandus numerus personarum; ergo quando prauo exemplo, pluribus præbuisti scandalum, & spiritualiter occidisti; non est explicandus numerus personarum; par enim ratio militat in vtroque casu; ergo sicuti penitens rectè se explicat, secundum Eminentissimum Lugo, si dicat: dedi occasionem ruinæ, aut scandalum, non explicando vni, vel pluribus personis, aut quot; ita quoque rectè confitetur dicens: occidi; non explicando an vnum, vel plures, aut quot homines occiderit: sicuti etiam in opinione ferè omnium, rectè confitetur dicens: furatus sum notabilem quantitatem, non explicando vnius aurei, decem, aut viginti.

Respondeo, igitur quòd quando quis occidit tres homines vno ictu, debet explicare se tres occidisse; quando autem non occidit, sed voluit eodem voluntatis actu, tres occidere, sufficit dicere, semel optaui occidere. Ratio disparitatis est, quia quando occidit, tunc adsunt tres consumationes eiusdem prauæ voluntatis; certum est enim fatendum esse opus externum, seu consumationem peccati; nequit autem id explicari, nisi dicendo se tres occidisse: At verò in actu interno non consumato; cum vnus sit, neque multiplicetur ex multiplicitate obiectorum, proinde sufficit explicare semel habuisse actum voluntatis occidendi, tacendo, an vnum, plures, aut quot homines occidere voluerit.

Instabis in nostra sententia (vt infrà dicam) non sunt explicandæ personæ, quas eadem iniuria, detractione, aut scandalo læsisti, & tamen hæc peccata consumata sunt.

Respondetur consumari peccatum detractionis, iniuriæ, aut scandali, non per realem damnificationem famæ, aut spiritualem ruinam; quod patet, quia nullus doctus Confessarius interrogat an reuera ex iniuria, vel detractione, proximus famam amiserit, aut an peccauerit ex scandalo? Ratio est, quia tales effectus non dependent adæquatè à voluntate iniuriantis, detrahentis, aut scandalizantis; sed dependent à voluntate audientis; Itaque ista peccata satis dicuntur consumari per solam locutionem iniuriosam, detractiuam, aut scandalosam: id autem sufficienter explicatur vnica locutione praua explicata.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd quando coniugatus cum coniugata adulteratur, tunc contrahit duplicem, & inter se diuersam speciem malitiæ adulterij; vnam propter fidem fractam propriæ vxori, alteram propter cooperationem, qua cooperatur coniugatæ, vt marito fidem datam frangat; sed frangere fidem differt specie à peccato cooperationis frangendi fidem.

Ad quartum respondetur retorquendo argumentum, nam quando actus est ad diuersa specie obiecta, tunc vnicus est actus, æquiualens pluribus diuersis specie; quare explicandum tunc est diuersum specie obiectum; alioquin non posset perfectè explicari species actus; quando verò actus est ad duplex numero obiectum,

ctum, tunc est vnicus actus, tamen propter suam grauitatem æquiualens duobus; at illa grauitas explicanda non est necessariò; quia circumstantiæ aggrauantes necessariò explicandæ non sunt.

Infertur ex hac doctrina contra Vasquez, & Dianam *par.3. tr.4. resol.*114. quod loquens turpia, & inducens ita ad peccandum, non debet explicare numerum personarum, coram quibus loquutus est, ita Lugo *de pænit. disp.*16. *num.*135. & 163. Nec explicandus est numerus personarum, quas eadem detractione, aut furto læsisti, aut quas iniuriasti, aut occidere desiderasti, Diana *par.2.tract.7.resol.*17. & 29. & *par.7. tract.*11. *resol.*32. Megalius *par.*1. *Instit.lib.*5.*c.*12. *num.*4. & Lugo *vbi supra*, nec si eodem actu tres fœminas omnes solutas, aut omnes coniugatas desiderasti, explicandus est numerus fœminarum; sufficit enim dicere semel habui desiderium adulterij, aut fornicationis, Diana *par.2.tr.7. resol.*17. vbi tamquam probabile admittit; sic qui successiuè & continuè sine morali interruptione plures absolueret, non tenetur numerum personarum exprimere, sed sufficit si dicat administraui Sacram. pœnitentiæ in peccato mortali, Rodriquez *in Summa,tom.*2. *c.*44.*num.*3. Lugo *de pænit.disp.*16. *num.*135. Diana *par.*1. *tra.*7. *resol.*43. & *par.*5.*tr.*7. *resol.*7. *in fine* Fagundez *prae.*2. *lib.*3. *c.*5. *num.*9. Ratio est, quia omnes illæ sacrilegæ absolutiones datæ successiuè, & sine morali interruptione, constant vnam irreuerentiam, & iniuriam vnius Sacramenti pœnitentiæ, ac Dei Sacramentorum authoris: sicuti quoq; vnum peccatum committeret, qui successiuè eodem impetu iræ pluries Deum blasphemaret, aut pluribus aliquē contumelijs oneraret, aut plures eodem impetu percuteret, aut plura vulnera infligeret, Diana *par.*1. *trac.*7. *resol.*18. & 51. & *par.*3.*tr.*4.*resol.*163. Idem est de eo, qui pluribus successiuè sacrilegè ministrat Sacramentum Eucharistiæ, posito quod hoc esset peccatum mortale, Diana *p.*1.*tr.*7. *resol.*41. sic de administratione Sacram.baptismi, Diana *p.* 5. *tr.*3. *resol.*27. sic quoque ex nostra sententia infertur contra Dianam *par.*3. *tr.*4. *resol.*164. & alios apud ipsum, eum qui toto anno statuit non ieiunare, non audire Sacrum, non recitare Horas Canonicas, vnicum peccatum committere, & sufficienter confiteri, si dicat, habui propositum non ieiunandi, non audiendi Sacrum, non recitandi Diuinum officium; sic si quis eodem actu auferret tria vasa argentea trium dominorum, vnum peccatum committeret, & sufficienter confiteretur dicens semel furatus sum materiam grauem, quod patet ait Lugo *num.*136. quia quamuis pœnitentes soleant explicare quantitatem furti, numquam tamen solent explicare numerum personarum damnificatarum ex furto.

Dices vno ictu tres corporaliter lædens tenetur exprimere numerum personarum, quas occidit, aut vulnerauit: ergo vna ablatione tres in fortunæ bonis lædens, tenetur exprimere numerum personarum, quas damnificauit.

Respondetur disparitas est, quia consumatio homicidij formaliter habetur per ipsam percussionem occisi; quare si tres sunt percussiones ex eodem ictu, explicandæ sunt tres personæ percussæ; alioquin non confitetur quis peccatum consummatum: furtum verò concipitur consummatum, immediatè, & formaliter per ablationem rei alienæ, non autem per damnificationem, quæ consequitur; nam adhuc esset furtum consummatum, esto nullus damnificaretur; quare cum explicata ablatione furtiua, sufficienter explicetur peccatum consummatum; hoc sufficit, neque vlterius requiritur, quod explicentur personæ damnificatæ.

QVÆSTIO XVIII.

An teneatur pœnitens interrogatus à Confessario, fateri circumstantiam aggrauantem, inter eandem speciem?

SVMMARIVM.

*Quidquid pœnitens ex se non tenetur confiteri, neque tenetur si interrogetur, num.*1.

*Tenetur fateri circumstantiam, quando id necessarium est, ad cauendum recidiuum, vel medicinalem pœnitentiam imponendam, num.*2.

Affirmat Eminentissimus Lugo *de pænit. disput.*16. *sect.*3.*nu.*120.& 123. vbi sic scribit: *Aliqua sunt, quæ pœnitens ex se non tenetur manifestare, & tamen inquisitus debet ea confiteri; Confessarius enim vt Iudex, & vt Medicus ius habet inquirendi plura, vt debitam medicinam applicet, & vt iustam satisfactionē imponat.* Ita Lugo.

1 Contrarium tamen puto probabilius; & sic hanc generalem regulam statuo, quidquid ex se pœnitens non tenetur confiteri, neque interrogatus fateri tenetur: ducor sequentibus argumentis.

Primò, quia hoc est discrimen inter iudicium necessarium, & voluntarium, quale est Sacramentale; nam in iudicio necessario, vt fori externi, reus non tenetur prodere seipsum: nisi conuictus, vel legitimis indicijs à Iudice interrogatus: in iudicio autem voluntario, pœnitens est reus, accusator, & testis: ergo quicquid potest interrogari, tenetur ex se fateri non interrogatus.

Secundò, sic vrget Lugum, vel circumstantia illa est materia necessaria, vel est materia voluntaria, prout peccatum veniale: si necessaria ex se non interrogatus, illam fateri debet: si voluntaria, neque interrogatus, prout peccatum veniale, confiteri cogitur, sed æquiuocare potest.

Tertiò, vel ad iudicium, seu pœnitentiam imponendam necessaria est confessio talis circumstantiæ aggrauantis, vel non est necessaria; si necessaria, taceri nequit, nam non est in potestate pœnitentis tacere, neque Sacerdotis non interrogare ea, quæ variant notabiliter, & substantialiter iudicium: vel non est necessaria talis circumstantiæ confessio ad congruam pœnitentiam imponendam; & tunc corruit fundamentum Eminentissimi Lugo.

Quartò, quia si pœnitens interrogatus, cogeretur confiteri circumstantiam aggrauantem non mutantem speciem, hoc esset, quia ea confessa aggrauaret Confessarius pœnitentiam, ea autem tacita minus grauem pœnitentiam imponeret. Sed non cogitur pœnitens acceptare grauiorem illam pœnitentiam, sed potest petere minorem, quæ imponeretur, tacita tali circumstantia; ergo potest eam circumstantiam interrogatus tacere.

2 Aduerto tamen, quòd tenetur, præsertim interrogatus, fateri circumstantiam, etiam non aggrauantem, quando id necessarium esset, ad cauendum recidiuum, & me-

& medicinalem pœnitentiam imponendam, aut ad ſalubre conſilium recipiendum; regulariter tamen loquendo non tenetur pęnitens fateri interrogatus, quod non interrogatus tacere poſſet.

QVÆSTIO XIX.

An vt integrè confitearis veniale peccatum, poſſis explicare complicem; vt ſi te accuſes de negligentia in reſiſtendo parenti ad turpia ſolicitanti?

SVMMARIVM.

Debet pœnitens, quantum commodè poteſt, conſulere famæ proximi. num. 1.

Ob notabile lucrum temporale poſſum manifeſtare occultum proximi peccatum. num. 2.

Sic ob mitigandum dolorem, ex accepta iniuria. num. 3.

NEgat Eminentiſſimus Lugo *de pœnit. diſp. 16. ſect. 7. num. 411.* vbi ſic ſcribit: *Videtur mihi regulariter id non licere, niſi fortè quando ex confeſſione talis peccati, aliquod aliud magnum bonum pęnitenti obueniret, vel ob petendum conſilium, vel quid ſimile. Ratio eſt, quia omnes do-*
1 *cent debere pœnitentem conſulere famæ proximi, quantum commodè poſſit, vel quærendo alium confeſſarium, vel occultando ſe ipſum apud confeſſarium ordinarium, vel differendo aliquantiſper confeſſionem, donec poſſit alteri confiteri: ergo multò magis tenebitur tacere illud peccatum veniale, vel circumſtantiam illam, cum magis commodè poſſit in hoc caſu conſulere famæ ſui complicis, neque enim hic obligat integritas confeſſionis, aut Chriſti præceptum, nec ideò tenebitur bis confiteri idem peccatum, cum nulla ſit obligatio illud confitendi; non eſt ergo cur poſſit denigrare complicis famam, ita grauiter apud confeſſarium, quam tam facilè poterat conſeruare. Hoc autem intelligi debet de peccato purè, & clarè veniali, nam ſi eſſet dubium, an fuiſſet mortale, iā ratione illius dubij eſſet materia neceſſaria confeſſionis, & dicendū de illo ſicut de peccato mortali.* Ita Lugo.

Contrarium tamen ſentiunt omnes Doctores, qui indiſtinctè docent poſſe manifeſtari complicem, cum aliter tuum peccatum explicare non vales, præſertim Sanctus Bernardus *in formula honeſtæ vitæ*.

Probatur primò, quia quilibet habet ius, vt ſua venialia peccata integrè cōfiteatur: ergo licitè vtitur iure ſuo, quamuis inde per accidens ſequatur infamia proximi.

Reſpondet Lugo *nu. 397.* hoc argumentum continet petitionem principij, & ſupponunt probandum: nam de hoc ipſo eſt quæſtio, an pęnitēs habeat ius ad infamandū complicē, & per conſequēs an id faciens vtatur iure ſuo?

Contrà, tunc contineret petitionem principij, quādo idem eſſet confiteri integrè, ac complicem infamare: ſed iſta diuerſa ſunt, & ſeparabilia; nam poteſt eſſe integra confeſſio ſine infamia; quia ignotus, vel nota eius peruerſitas confeſſario; Ergo rectè arguitur, habeo ius ad integrè confitendum, ex qua confeſſione per accidēs ſequitur infamia complicis; ergo poſſum vti iure meo, non curando, ſed permittendo, quod inde per accidens ſequatur proximi infamia: ſic communiter Doctores docent: mulierem poſſe vti iure ſuo, ne videatur inurbana domo exire, & permittere peccatum eam depereuntis: ſic poſſum vti iure meo petendo Sacramentū à Parocho, & permittere peccatū ipſius, quem ſcio indignè miniſtraturū.

2 Probatur ſecūdò, poſſum ob notabile lucrum temporale, ad quod ius habeo, manifeſtare occultiſſimum proximi peccatum, v.g. frater meus inſtituit hæredem mulierem ab omnibus honeſtiſſimam putatam, poſſum manifeſtare occultum eius concubinatum, vt ſecundum iura, irrito teſtamento, conſequar hæreditatem: ergo ob lucrū ſpirituale integræ confeſſionis venialium, ad quam per ſe ius habeo, poſſum manifeſtare complicis peccatum.

3 Probatur tertiò, ad ſubleuandum animi dolorem iniuria affectus, ius habeo, vt poſſim cum amicis conqueri, & manifeſtare proximi peccatum: ergo etiam ad purgandum animam, per integram venialium confeſſionem, poſſum complicem manifeſtare.

QVÆSTIO XX.

An virtute Iubilæi, aut Cruciatæ, poſſit abſolui percuſſor Clerici, aut Monachi, ſi iſte remittat iniuriam?

SVMMARIVM.

Ex iniuria illata Clerico, aut Monacho, etiam Eccleſia, & Monaſterium offenduntur. num. 1.

Auila requirit vtriuſque remiſſionem in foro externo, non interno. nu. 2. Rectius dicendum, indiſtinctè ſolius Clerici, aut Monachi ſufficere remiſſionem. num. 3.

Nomine partis læſæ, nō intelligitur iudex excōmunicans. n. 4.

NEgant Abbas *in c. Parochianos nu. 4. de ſententia excom.* Riccius, qui refert ita deciſum *par. 1. dec. 86. nu. 4. & dec. 34. nu. 3. par. 3.* Bonacina *de cenſuris diſp. 2. quæſt. 4. pun. 5. numer. 5.* Saytus *de cenſuris lib. 2. cap. 18. num. 9.* Duardus *in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 4. quæſt. 2. nu. 5.*

Probatur, quia ſolus Religioſus, aut ſolus Clericus ne-
1 quit remittere iniuriam; nam Monaſterium, & Eccleſia quoque offenſa ſunt, Ita Gloſa, & Abbas *in c. Parochianos nu. 4. de ſententia excom.* Baldus *in l. præſes nu. 11. C. de tranſaction.* Nauar. *in man. cap. 14. num. 25.* Gomezius *variarum reſ. to. 3. c. 6. nu. 5.* Carauita *ritu 275. qu. 7.* Ergo requiritur ſatisfactio Eccleſiæ aut Monaſterij offenſi.

Affirmat Auila *de cenſuris par. 2. cap. 7. diſp. 3. dub. 11. concl. 2.* Diana *par. 1. tract. 11. reſol. 23.* Eman. Sà *V. excom. vbi de abſolutione num. 8.*

Probant ex doctrina Nauar. *in c. inter verba corol. vlt. n. 376. & in man. c. 18. n. 46.* vbi ait: quòd quando iniuria principaliter tangit iniuriatū, & minus principaliter bonum publicū, ſufficit condonatio eius, ad quē principaliter pertinet, *ex c. quamuis pactū iūcta Gloſa de pactis in 6.*
2 Sed aliter Auila *loco cit.* videtur diſtinguere, ait enim: tūc requiri remiſſionem Eccleſiæ, aut Monaſterij, quando ſumus in foro exteriori; ſecus in foro interiori: fundamentum huius doctrinæ videtur eſſe, offenſo Monacho, naſcitur vna ſola actio, quæ ſoli Monaſterio competit, in tantùm quod ſolus Monachus agere non poteſt, Gloſa, Abbas, & Felinus *in cap. Parochianos de ſententia excommunic.* Aretinus *conſ. 138. num. 1.* Boſſius *titul. de pace numer. 18.* Ergo ſicuti Monachus non poteſt agere, ita nec poteſt remittere, & ſi remittit nihil agit, ſed remiſſio ſpectat ad Monaſterium, *gl. in d. cap. Parochianos*, Carauita *ritu 275. in fine*: ſecus eſt quando offenditur Clericus, tunc naſcuntur duæ actiones, vna competit Clerico, altera Eccleſiæ, Abbas, & Felinus *in cap. cum deſideres de ſentent. excom.* Io. Faber *in §. patitur num. 3.*

Instit. de Iniur. & sicut quilibet potest agere pro sua offensa, ita quilibet remittere; verùm remissio Clerici non præiudicat Ecclesiæ; neque è conuerso remissio Ecclesiæ præiudicat Clerico, & Glosa, & Abbas *in cap. Parochianos num.4. de sententia excom.* Itaque cum absolutio data virtute Bullæ, aut Iubilæi plerumque etiam in foro exteriori prosit, vt notat Diana *par. 2. tract. 11. resol. 26. & par. 5. tract. 9. resol. 13.* videtur dicendum eo casu non sufficere solius Clerici, aut Monachi remissionem, sed requiri etiam Monasterij, aut Episcopi, cum consensu Capituli; sicut requiritur in foro externo, vt docet Carauita *dicto ritu 275. quæst. 7.*

Pro foro autem interiori, videtur dicendum, dandam absolutionem, etiam si solius personæ offensæ adsit remissio, seu condonatio iniuriæ. Ratio est, quia, quod requiratur remissio Monasterij, aut Ecclesiæ in foro externo est, quia remissio ordinatur ad condonandam pęnam, ad quam Ecclesia, ac Monasterium agere potest: at in foro interno remissio non ordinatur ad pęnæ, sed ad offensæ, & iniuriæ condonationem; hæc autem iniuria principaliter illata est Clerico, vel Monacho, non Ecclesiæ, aut Monasterio.

3 Mihi indistinctè videtur dicendum, pro vtroque foro prodesse absolutionem, etiam si solius Monachi, aut Clerici præcesserit satisfactio, seu remissio iniuriæ.

Probatur primò, quia verba priuilegij, & sic Iubilæi, interpretanda sunt iuxta communem verborum acceptionem, seu iuxta communem vsum loquendi, Suarez *lib. 8. de legibus cap. 28. num. 9.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 7.* Sed secundum communem vsum loquendi, hæc verba: *Concordata parte* non intelliguntur, nisi de personis priuatis offensis, quorum ius particulare læsum est, non autem intelliguntur de iure publico læso; nam bonum publicum, & status Clericalis, seu Monachalis lęsus, non dicitur pars, secundũ communem vsum loquẽdi.

4 Confirmatur, nam nomine partis læsæ in Bulla Cruciatæ, non intelligitur Index excommunicans; quare si Episcopus aliquid præcipiat sub pęna excommunicationis ipso facto incurrenda, iste poterit absolui, etiam Iudice non satisfacto, Ita Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. vers. præterea*, Guttierez *qq. canon. quæst. 65. numer. 29.* Rodriquez *in Bulla Cruciatæ §. 9. num. 53.*

Probatur secundò, nam Papa concedens Iubilæum, & mandãs absolui humiliter petentem; repræsentat omnes Ecclesias, ac Religiones, cum sit caput omnium: ergo dum mandat absolui, *satisfacta parte*, remittit iniuriam Ecclesiæ, aut Religioni illatam, & tantùm requirit personæ offensæ satisfieri: sicuti si Episcopus cum consensu Capituli mandaret absolui percussorem Clerici, *satisfacta parte* vtique remitteret iniuriam Ecclesiæ illatam, & tantùm ipsi Clerico satisfieri vellet.

QVÆSTIO XXI.

An peccatum dictum vt dubium, debeat iterùm, cessante dubio, dici vt certum?

SVMMARIVM.

Non sunt repetendæ confessiones puerorum, ac rusticorum, minus subtiliter factæ. num. 2. & 7.

Absolutus ab excom. ad cautelam si deinde certò constet de excõmunicatione, non est iterùm absoluendus. n. 3. & n. 8.

Quid sit absolui indirectè? num. 4. & 5.

Ad perfectam cognitionem de statu pœnitentis, plus refert scire species, quàm numerum peccatorum. num. 6.

NEgat ingenio, & purpura Eminentissimus Lugo *de pœnit. disp. 16. sect. 2. §. 4.* & refert, probabilem hanc sententiam aliquos viros doctos indicasse, præsertim Reuerendissimum P. Nicolaum Riccardium Apostolici Palatij Magistrum.

1 Probat Primò, quia is, qui confessus est se decies plus minusuè furatum, ille confitetur vt dubium decimum, vndecimum, ac duodecimum furtum; & tamen si deinde certò cognoscat duodecim fuisse furata, non tenetur iterùm confiteri, vt docent communiter, & praxis obseruat; ergo qui vnicum furtum confitetur vt dubium, nec tenetur iterùm illud vt certum confiteri. Consequentia patet, quia cum æquali dubio confitetur vnicum, ac vndecimum furtum, & tam vnicum, quàm vndecimum confessus est, si re vera fuit.

2 Secundò, quia vt obseruat communis praxis, non sunt necessariò repetendæ confessiones puerorum, ac rusticorum, quas isti faciunt minus subtiliter, & grosso modo explicato numero peccatorum: sed si teneretur quis peccata confessa vt dubia, iterùm cessante dubio, vt certa confiteri, repetendæ essent confessiones puerorum, & rusticorum, si post maiorem instructionem meliùs considerantes, cognoscerent certiùs suorum peccatorum numerum.

3 Tertiò, quia dubius de excommunicatione, & absolutus ad cautelam, si deinde certò cognoscit se fuisse excõmunicatum, non tenetur iterùm petere absolutionem; quia iam fuit absolutus, si reuera fuit excommunicatus; ergo dubius de peccato, & eo vt dubio confesso, & absolutus ad cautelam, non tenetur iterùm confiteri, & absolui, si deinde certo cognouit se peccasse, quia iam fuit absolutus, si re vera peccauit.

Quartò, quia confesso peccato dubio, cadit supra illud absolutio, non indirectè, sed directè, quia ad hoc illud confiteris, vt absoluaris ab illo; imò in aliquo casu solùm illud absoluendum proponi debet: ergo si deinde vt certum cognoscatur: non est iterùm confitendum, nam non oporteret iterùm confiteri, nisi vt per absolutionem directè remittatur; at fuit directe remissum, seu absolutum; ergo frustra iterum confiteris, vt certum.

His tamen non obstantibus, respondetur, affirmatiuè, nempè cessante dubio, iterùm confitendum, vt certum, & hunc esse communem sensum, ac neminem oppositum scripsisse fatetur Eminentissimus Lugo, & ita docet Sanchez *lib. 1. Summa cap. 10. num. 69.* Turrianus *de pœnit. quæst. 9. artic. 2. disp. 29. dub. 6.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 91. & par. 4. tract. 3. resol. 5. in fine.* Hurtadus *de Sacram. disp. 9. de pœnit. diffic. 7.*

Probatur primò, quando quis certus est se peccasse mortaliter, ignorat tamen peccati speciem, si deinde certò cognoscat speciem, tenetur iterùm confiteri, Ita Sanchez *vbi suprà*, neque vllus dubitat, quare sic arguo contra Eminentissimum Lugo: vel iste fuit directè, vel indirectè absolutus; si directè; ergo post directam absolutionem iterùm confitendum est peccatum, & iterùm directè absoluendum, quando antea non fuit perfectè cognitum à Sacerdote: si indirectè fuit absolutum peccatum mortale in genere confessum; ergo etiam dicam indirectè absolui peccatum dubium; nam non-

minus

minus illud peccatum in genere priùs confessum, quàm peccatum dubium, aliquando est sola materia Sacramenti; ergo vel vtrumque, vel neutrum dicitur tunc indirectè absolui.

4 Dices peccatum absolui directè secundùm rationem genericam, seu communem, indirectè verò secundùm rationem specificam. Ità Suarez *de pœnit. disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 11. Lugo *disp.* 16. *num.* 586. *& disp.* 17. *num.* 14. qui dupliciter explicat, quid sit absolui directè secundum rationem communem, nam *disp.* 17. *num.* 15. ait: actionem Dei remittendi peccatum, esse actionem intentionalem; actio autem intentionalis potest terminari, ad aliquid indeterminatum; sicuti si Deus promitteret non punire aliquem in æternum, teneretur in aliquo anno cessare à puniendo; ad nullum autem annum determinatum obligaretur; ita remittitur à Deo malitia secundùm rationem communem; hæc autem remissio terminatur ad aliquam malitiam indeterminatè. Sed *disp.* 16. *num.* 586. aliter explicat, nempè remitti indirectè, est remitti peccatum, non subiectum clauibus; remitti directè est remitti peccatum subiectum clauibus; quare quia secundùm rationem specificam non fuit subiectum clauibus, & ideò secundùm illam debet postea subijci; vt quoad illam etiam differentiam specificam directè remittatur à Sacerdote.

Contrà, quia neutra hæc explicatio vera est non prima, nam actio remissiua Dei est actio physica delens à parte rei adæquatè maculam peccati per infusionem gratiæ; sed nulla actio physica productiua termini realis, potest terminari ad aliquid indeterminatum; quia nihil potest esse à parte rei, & esse indeterminatum; ergo, &c. neque vrget exemplum si Deus promitteret non punire in æternum; nam eadem veracitate, qua teneretur in æternum non punire, teneretur quoque determinare annum, in quo cessaret à puniendo. Secunda quoque explicatio facilè impugnatur, nam id quod debet esse subiectum clauibus, vt dicatur directè remissum, debet esse peccatum à parte rei commissum: Sed adulterium non fuit à parte rei commissum, secundum rationem communem tantùm, sed etiam secundùm rationem specificam; ergo non fuit subiectum clauibus secundùm rationem communem tum quia subijcere clauibus est peccatum exponere perfectè cognoscendum: sed non exponitur perfectè cognoscendum, ignota ratione specifica: ergo non est subiectum clauibus. Præterea cum subijcere clauibus sit exponere perfectè cognoscendum: peccatum, dubium quod tamquam certum explicatum non est, neque est subiectum clauibus, & sic iterùm subijciendum.

5 Quare dicendum, illud peccatum directè remitti, cuius maculam per se delet gratia infusa per absolutionem; illud autem peccatum indirectè remitti, cuius maculam per accidens delet gratia infusa per absolutionem; sic peccatum reseruatum; sic oblitum indirectè remittuntur, quia per accidens delentur; nam cum gratia Sacramentalis omnem maculam deleat, nequit per se delere maculam peccati confessi non reseruati; quin etiam per accidens deleat maculam peccati reseruata, aut peccati obliti: sic igitur si confiteor peccatum secundum rationem communem, quod fuit adulterium, & non recordor malitiæ specificæ, adulterij; tunc non remittitur directè ratio communis, & indirectè ratio specifica, vt docent Suarez, & Lugo, sed adulterium secundum omnem rationem genericam, & specificam directè remittitur. Ratio est, quia gratia infusa per absolutionem per se habet delere vnicam illam maculam adulterij, non enim est duplex macula, quarum vna per se, altera per accidens deleatur: ergo adulterium per se secundum omnem suam rationem directè remittitur. Quia verò non fuit perfectè cognitum à Sacerdote, ideò iterùm subijciendum est clauibus; quare absurdum non est, quod peccatum semel directè remissum, iterùm subijciendum sit clauibus; quia cum fuit subiectum, non fuit perfectè explicatum; vt patet in eo, qui confessus est adulterium, oblitus se adulterium commisisse cum cognata, illud adulterium directè fuit absolutum, tamen iterùm clauibus subijciendum, vt explicetur circumstantia incestus; sic quoq; dicendum in casu nostro, quamuis peccatum dubium, quod re vera fuit commissum, sit directè absolutum, tamen iterùm subijciendum est clauibus, ex eo, quia priùs non fuerat perfectè explicatum vt certum.

Confirmatur finge aliquem sic confiteri: *Certus sum me aliquando lingua peccasse mortaliter, sed dubito, an per blasphemiam, periurium, detractionem, aut contumeliam*, si deinde iste certò nouit fuisse peccatum blasphemiæ vtique nemo audebit dicere hunc non teneri iterùm confiteri blasphemiam certam; ergo etiam si dixisset, dubito an semel blasphemauerim, tenetur iterùm deinde vt certum confiteri.

Probatur secundò, quia quando quis confitetur peccatum dubium, quod deinde certò cognoscit, notabiliter variatur iudicium; non autem variatur notabiliter iudicium, si confessus est se furatum decies plus minusuè; si deinde certò cognoscat duodecim furta commissa; Ergo in primo non in secundo casu repetenda est confessio; ea enim repetenda est, quando est notabilis defectus in præterito iudicio confessarij.

Antecedens, Probatur nam iudicium Sacramentale est verum, ac proprium iudicium, vt definit Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. Ergo habet aliquam proportionem cum iudicio externo, & forensi; sed in iudicio forensi notabiliter variatur iudicium, si homicidium, quod antea erat dubium, & non plenè constabat, deinde conuincatur plenè per testes; vnde quamuis prius fuerit causa terminata condemnando reum ad pœnam extraordinariam, vt docent Iuristæ, & seruat quotidiana praxis, si plusquam semiplenè constet de delicto vt per vnicum testem de visu, famam, & confessionem extraiudicialem; tamen iterùm reus cognita certa veritate delicti, iudicatur, & ad mortem damnatur: At si testes deponant Petrum bis, plus minus, furatum, singulis vicibus, decem aureos & condemnatus sit ad triremes per biennium v.g. si deinde alij testes probent quatuor fuisse furta, & singula decem aureorum, vtique non iudicabitur iterùm, neque augebitur pœna triremium ad quatuor annos; ratio est, quia hoc non variat notabiliter iudicium: Ergo à pari idem dicendum in iudicio Sacramentali, notabiliter enim variatur, cum peccatum confitetur vt dubium, quod deinde certum cognoscitur, non autem variatur notabiliter, quando quis confitetur se decies, plus, minus furatum, si deinde cognoscat certissimè fuisse duodecim furta.

6 Confirmatur, nam ad perfectam cognitionem de statu penitentis, plus refert scire species, quam numerum peccatorum: Sic obligatur quis confiteri circumstantias mutan-

mutantes ſpeciem; quia æquiualent pluribus, & diuerſis ſpecie peccatis, non autem tenetur confiteri circumſtantias aggrauantes, durationis temporis, quamuis vnicum peccatum v. g. turpis cogitationis durans continuò per horam, æquiualeat octo peccatis turpis deſiderij, ſingulis durantibus per ſemiquadrantem; ergo ad ſtatum peccatoris perfectè cognoſcendum, magis attenditur ſpecies, quàm numerus peccatorũ; ergo non ex eo, quod non teneatur quis iterùm confiteri, ſe certiſſimè duodecim furta commiſiſſe, cùm anteà confeſſus fuerit ſe decies, plus, minus furatum, non inquam ex hoc ſequitur, quod neque teneatur confiteri, vt certum peccatum blaſphemiæ v.g. quod prius vt dubium fuit confeſſus; quia in hoc caſu eſt notabilis variatio in cognitione ſtatus peccatoris; non autem eſt notabilis variatio, cùm non fuit exactiſſimè cognitus numerus peccatorum.

Probatur tertiò, quia ad Sacramentum pœnitentiæ duo ex inſtitutione Chriſti Domini requiruntur. Primò, cognitio ſtatus pœnitentis, eaque perfecta, cognitis peccatis in particulari, vt ait Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* Secundò requiritur abſolutio; ergo quamuis peccatum illud fuerit abſolutum, tamen non fuit perfectè cognitum, vt certum, ergo iterùm iudicandum, & abſoluendum: ſicuti inſtante morte, dato ſigno pœnitentiæ abſoluitur moribundus, nullo omninò peccato expreſſo, ſi tamen periculum euadat, vtique tenetur iterùm confiteri; noua autem hæc confeſſio non requiritur præcisè, vt peccata per abſolutionem tollantur; ſed vt cognoſcantur à Sacerdote; quia prius fuerãt imperfectiſſimè cognita; ita peccatum dubium, non eſt iterùm confitendum vt certum, præcisè vt abſoluatur; nam fuit directè abſolutum, ſed vt perfectè cognoſcatur; quia prius fuerat imperfectè cognitum; debet autem iterùm abſolui, quia de eſſentia iudicij Sacramentalis eſt abſolutio, ſine qua nequit iudicium Sacramentale exerceri, & ſic nequit à Sacerdote iterùm cognoſci, niſi iterùm abſoluatur; vnde ſi poſſet ſeparari abſolutio, à cognitione Sacramentali, vtique poſſet iterùm cognoſci, non autem deberet iterùm abſolui, vt infra dicam de excommunicatione.

Ad primum argumentum Eminentiſſimi Lugo diſparitas eſt, quia notabiliter variatur iudicium, quando peccatum confeſſum eſt vt dubium, quod deinde certum cognoſcitur; ergo ſi fuit antea imperfectè cognitum à Sacerdote, iterùm ſubijciendum eſt Sacramentali iudicio, vt patet in abſolutione data per nutus, & in abſolutione peccati mortalis in genere. Ratio eſt, quia iudicium adhuc pendet, neque eſt perfectum, quouſque plenè, & perfectè peccatum innoteſcat; quod patet in foro externo, nam dubius homicida aliquando condemnatur ad pœnam extraordinariam, deinde plenè probato delicto, iterùm iudicatur, et ad pœnam ordinariam mortis damnatur. Secus eſt de numero peccatorum, bona fide, cum dubio expreſſo, per illam particulam plus minus, non enim iterum confitendum poſt certitudinem talis numeri; quia numerus plerumque non variat notabiliter iudicium de ſtatu peccatoris; ſicuti neque in foro externo variatur pœna, variato aliquando numero delictorum; ſemper autem variatur, ſi delictum dubium, cognoſcatur certum; hoc enim punitur pœna extraordinaria, dubium verò vel nulla, vel leui extraordinaria. Itaque notabiliter variatur cognitio dubij, ac deinde certi peccati, non autem variatur notabiliter ſi numerus præciſus, vel cum illa particula plus minus exprimatur.

7 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, ideò non repetendas puerorum, ac ruſticorum confeſſiones; quia plerumque error contingit in numero peccatorum groſſo modo expreſſo: at ſi cognoſceretur error, quoad ſpecies peccatorum, tales ſpecies confitendæ eſſent; ergo contingit variatio notabilis quoad ſpecies, non autem quoad numerum; ergo non eſt repetenda confeſſio, quando dubium eſt circa numerum; ſecus ſi circa ipſam peccati ſpeciem.

8 Ad tertium reſpondetur, quòd hæc diſparitas eſt inter abſolutionem ab excommunicatione, & abſolutionem Sacramentalẽ; nam abſolutio ab excommunicatione eſt ſeparabilis à cognitione ſi fuit reus ſemel abſolutus ad cautelam (quia tunc ſublatum fuit vinculum excommunicationis) non repetitur abſolutio ab excommunicatione propter idem delictum: ſed abſolutio Sacramentalis, ex inſtitutione Chriſti, non eſt ſeparabilis à cognitione Sacerdotis de ſtatu peccatoris; quare ſi repetitur iſta cognitio, quia prior fuit imperfecta (vt eſt exemplum de confeſſione facta per nutus, aut peccati in genere) neceſſario repetenda eſt abſolutio; quia de eſſentia cognitionis Sacramentalis, eſt abſolutio; vnde nequit vna ſine altera repeti; verùm repeti poteſt cognitio de delicto in foro externo, ſine repetitione abſolutionis ab excommunicatione; quia iſta ſeparabilia ſunt; cùm vnum non ſit de eſſentia alterius, nec illa noua cognitio delicti ſit ad abſoluendum ab excommunicatione, ſed ad puniendum alia pœna; cognitio autem peccati, in foro Sacramentali, non eſt, niſi ad abſoluendum.

Ad quartum reſpondetur iterùm directè abſoluendum peccatum, quod priùs fuerat directè abſolutum; quia priùs non fuit perfectè cognitum, vt patet ex allatis inſtantijs de peccatis directè abſolutis facta confeſſione per nutus, aut peccati mortalis in genere; ita à pari in caſu noſtro, iterùm directè abſoluendum peccatum, quod prius, vt dubium, dictum eſt; quia non fuit perfectè cognitum.

Dices neque fuit perfectè cognitus numerus peccatorum per illam particulam plus minus expreſſus.

Reſpondetur, quòd quamuis non ſit perfectè cognitus, tamen non eſt variatio notabilis.

QVÆSTIO XXII.

Neapoli eſt caſus reſeruatus Incantatio cum expreſſa inuocatione dæmonis, an cenſeatur reſeruata ſola inuocatio deprecatiua?

SVMMARIVM.

Duplex eſt inuocatio dæmonis deprecatiua, & non deprecatiua. num. 1.

Sortilegium, cũ inuocatione deprecatiua eſt hæreticale. n. 2.

Ridiculum eſt cogere, aut imperare dæmoni. num. 3.

Illi tantùm caſus ſunt reſeruati, qui ſeruata proprietate verborum, comprehenduntur. num. 4.

Quando dubium eſt, an caſus ſit reſeruatus, poteſt abſolui. num. 5. Sicut etiam quando dubitatur an votum ſit reſeruatum. num. 6.

Hoc

hoc sortilegium non est per modum deprecationis, Petre vnde diabole venis? num.7.

In sortilegio, omnia verba tamquam necessaria proferuntur, vt ope dæmonis sequatur effectus; instar formæ Sacramentalis. num.9.

1 SVppono duplicem esse inuocationem dæmonis, deprecatiuam, ac non deprecatiuam, nam illa fit expresè verbis deprecatiuis, non ista, Eymericus *in directorio par.2. quæst.43.* vbi Pegna *comm.68.* Symanchas *cathol. Instit. titul.30. num.16.* Carena *de Sancto Officio*
2 *par.2. tit.12. §. 10. num.61. & seq.* qui docent, sortilegium cum inuocatione deprecatiua esse hæreticale; si autem fiat inuocatio verbis non deprecatiuis, sed imperatiuis, vel alijs, tunc non est hæreticale, sed simplex sortilegium; neque tunc adest obligatio denunciandi, quia hoc inducit leuem suspicionem: Ita Genuensis *in praxi cap.18. num.11. aliàs cap.23. num.11.*

3 Dices ex S. August. *de Ciuit. Dei lib.*10. *cap.*11. ridiculum est inuocare dæmones per modum imperij, cùm non sit *potestas super terram, quæ comparetur ei*, vt dicitur Iob. *ca.*41. Respondenir ex Pegna *comment.68. vers. verum plurimum*. Dæmonem, quamuis reuera nequeat compelli, tamen fingere se obedire præcipienti homini; vnde tunc illi honor non defertur, & sic non committitur sortilegium hæreticale, quia verè non deprecatur. His positis

Respondeo Neapoli solam inuocationem expressam, verbis deprecatiuis factam, esse casum reseruatum.

4 Probatur, quia illi tantùm casus dicuntur reseruati, qui seruata proprietate verborum comprehenduntur in litera; nam reseruatio cùm sit pœnalis, & odiosa, est restringenda, Coriolanus *de casibus reseruatis par.1. sect.1. artic.5. num.4.* Sed expressa inuocatio dæmonis significat expressis verbis eius auxilium implorare, ac eum deprecari; nam inuocare propriè est alterius auxilium implorare, ac deprecari, & ita hoc verbum passim accipitur in scripturis, ac in sacris, & in prophanis Authoribus. Genes.4. *Iste cœpit inuocare nomen Domini*, vbi Abulens. & Fernandez dicunt: *Nam quia primus mortalium Deam innocauit, ac coluit Enos, sed quia nouas quasdam precandi formulas adinuenit.* 3. *Regum cap.*18. *Inuocate nomina Deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei, & Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Psal.*49. *Inuoca me eruam te, & honorificabis me*, vbi patet idem esse Deum inuocare, ac honorificare. Cic.1. *de natura Deorum Iunonem Lucinã in pariendo inuocant.* Ergo inuocatio propriè est cum deprecatione: Ergo cùm expressa inuocatio significet expressis verbis deprecari dæmonem, ipsius auxilium expresè implorando, ideò sola inuocatio deprecatiua Dęmonis erit casus reseruatus.

Confirmatur, nam cętera sortilegia, quæ Neapoli reseruantur cum excommunicatione, sunt hæreticalia, prout abusus Sacramentorum, ac sacramentalium; ergo ea inuocatio expressa dæmonis reseruatur cum excommunicatione, quæ est hæreticalis, & huiusmodi est sola deprecatiua.

5 Confirmatur Secundò, nam ex dictis patet, saltem dubium esse, an inuocatio non deprecatiua sit casus reseruatus: sed quando dubium est, an casus sit reseruatus, potest absolui, Suarez 3. *par. tom.5. disp.*40. *sect.6. num.5. & de Religione tom.2. lib.4. cap.5. num.15.* Sanchez in *Summa lib.1. cap.10. num.74.* Hurtad. *de Sacramen. pœnit. tom.1. diffic.11. dub.6.* Filliucc. *to.2. tract.21. num.172.* Portel *de dubijs Regular. V. casus reseruati nu.7.* Eman. Sã *V. casus num.6.* Merolla *tom.1. disp.3. cap.3. dub.2. corollar.23. num.370.* Finellius *de casibus reseruatis cap.3. num.26. in fine* Homobonus *de casibus reseruat.*
6 *par.3. except.8.* sicuti quando dubium est, an votum sit reseruatum, censendum est non esse reseruatum, & posse in eo Episcopum, aut alium priuilegiatum dispensare. Pontius *de matrim. lib.8. cap.9. nu.16.* Diana *par.4. tract.3. resol.59. in fine.* Ratio est, quia reseruatio, cùm sit pœnalis, & odiosa, strictè est intelligenda, & sic comprehendit casus certos, non dubios. Bonacina *de Sacram. disp.5. quæst.7. pun.5. §. 4. num.1.* Reginaldus *lib.1. cap.11. num.137.*

Infertur primò, quòd inuocatio facta verbis imperatiuis non est reseruata.

Infertur secundò, quòd quando nominatur tantùm dæmon, sine vlla deprecatione, aut sine vllo honore, & reuerentia, tunc non est casus reseruatus, prout est
7 hoc sortilegium *Petre vnde diabole venis, aut quò diabole vadis, non dormias nec quiescas, sed semper de me cogites*; in hoc sortilegio nomen dæmonis non assumitur, tamquam eius inuocatio deprecatiua, sed sine vlla deprecatione, vllo honore, aut reuerentia nominatur; quod patet, quia ex communi vsu loquendi; passim solet ab irato dici, *Vnde diabole venis, quò diabolè vadis?* nemo tamen id dicit tamquam implorans dæmonis auxilium, aut deprecans, vel illi honorem exhibens; communis autem vsus loquendi attendendus est in verborum interpretatione, Suarez *de legibus lib.6. cap.1. nu.9.* Layman *lib.1. tract.4. cap.18. num.5.*

Dices Dæmon, qui est turpissima Diuinæ Maiestatis simia, ita vtitur certa verborum forma, in incantatione; sicuti Deus in Sacramentis certam verborum formulam præscribit: ergo sicut in Sacramentis omnia verba formæ concurrunt ad præstandum effectum Sacramen-
8 talem; ita in sortilegio omnia verba tamquam necessaria proferuntur, ad hoc vt ope dæmonis sequatur effectus, & variata in minimo forma verborum sortilegij, non sequitur effectus; ergo quando in sortilegio, quomodocumque profertur nomen diaboli; tale nomen profertur ad hoc, vt per illud nomen prolatum, sequatur effectus, dæmonis ope: Sed hoc est expresè implorare dæmonis auxilium: ergo quomodocumque dęmonis nomen in sortilegio proferatur, erit vera, propria, ac expressa inuocatio dæmonis.

Respondetur aliud est quærere de intentione proferentis nomen dæmonis, & transeat ipsius intentionem esse, pronunciare illud nomen ad implorandam dęmonis opem, & sic habere intentionem inuocandi dęmonem, seu implicitè dæmonem inuocari: aliud est quærere an verba importent propriam, explicitam, ac expressam inuocationem; & hoc negatur, nullus enim cùm dicit: *Vnde diabole venis*, his verbis significat, se implorare dæmonis opem.

QVÆSTIO XXIII.

An Beatus Andreas electus in Patronum Neapolitanum, in processionibus Sanctos Canonizatos, posteriori tempore electos in patronos, præcedat?

SVMMARIVM.

Dignius est nomen Sancti, quàm Beati, num. 1. Beato non est tribuendus, nisi cultus limitatus in diplomate, num. 2.

Non destruit Ecclesiasticam hierarchiam solemniorem cultum deferri inferioris ordinis Sancto, num. 3.

Regula præcedentiæ est prioritas temporis, num. 4.

Maior dignitas, quæ impertinenter se habet ad actum, non infert præcedentiam in actu, num. 4. & 11.

Episcopus Canonicus, sedit vt Canonicus post antiquiores, num. 6. Sic si sit in studio, aut consiliarius, aut auditor, non sedit vt Episcopus, num. 7. 8. 9.

Religio priùs approbata præcedit alias austerioris vitæ, num. 10.

Tunc dignitas Episcopalis inducit præcedentiam in Senatu, quando ex statuto, Episcopali dignitati annexa est Senatoria, num. 12.

In Collegiata Canonici Clerici antiquiores præcedunt Canonicos Præsbyteros, secus in Cathedrali, num. 13. & 14.

In dubio de præcedentia, standum est consuetudini, num. 15.

Quando conceditur Beato maior cultus, minor quoque concessus intelligitur, num. 16.

1 PRo parte negatiua, quod nequeat præcedere, quia hoc esset destruere Ecclesiasticam hierarchiam.

Primò, affertur, quia dignius est nomen Sancti, nomine Beati, vt innuit Castellinus *de certa gloria Sanctorum cap. 2. pun. 7. §. 1. fol. 75.* Beatificatio enim est quædam particularis Canonizatio, vt ait Turrianus 2. 2. *disp. 17. dub. 7. in principio*; ergo minus digna voluet sali, quæ fit pro tota Ecclesia.

2 Secundò, quia Beato non est tribuendus, nisi cultus expressus, & limitatus in diplomate, à determinatis personis, in determinato loco, & tempore, vt docent Castellinus *de certa gloria Sanctorum c. 2. nu. 11.* Turrian. 2. 2. *disp. 17. dub. 8.* Molfesius *in Summa tom. 1. tract. 11. c. 6. n. 51.* Diana *par. 1. tract. 15. resol. 55.* & ita respondit Sacra rituum Congregatio, teste Turriano, Missam non posse dici ab illis, quibus est concessum extra diem assignatum.

Tertiò, quia non pari certitudine creditur gloria Sancti, ac Beati, quod patet, quia post beatificationem fiunt diligentiæ, & examen circa vitam, & sanctitatem Beati canonizandi, vt docet Turrianus 2. 2. *disp. 17. dub. 6.* Castellinus *de certa gloria Sanctorum cap. 2. num. 11.*

His tamen non obstantibus, Respondetur affirmatiuè, Ita Pasqualigus *decis. 507.* & ita declarauit sacra rituum Congregatio *die 26. Februarij 1626.* decernens vt Beatus Andreas nono loco electus præcedat Sanctam Patritiam, quæ cum Sancto Francisco de Paula vndecimo loco erat electa in Patronam, & quamuis dictum decretum, quoad Sanctam Patritiam, fuerit reuocatum, id accidit, quia ex probatis authoribus, ac scripturis demonstratum fuit ante mille annos Sanctam Patritiam à Populo Neapolitano acclamatam Patronam; tameo quoad cæteros Sanctos Patronos B. Andreas, ac B. Iacobus de Marca, conseruati semper fuerunt in pacifica possessione suæ præcedentiæ. Id autem non esse contra Ecclesiasticam Hierarchiam ex sequentibus ostenditur.

3 Primò, quia nō destruit Ecclesiasticam Hierarchiam, ex certa causa, aut populi deuotione, vel Patronatu, solemniorem cultum, & præcedentiam in officio, ac processionibus inferioris gradus Sancto, aut Beato deferri; presertim in certo, & determinato loco: idque patet inductione; nam supremus gradus Ecclesiasticæ Hierarchiæ est Apostolatus 1. *Cor. 12. posuit primum Apostolos* & Apoc. 21. dicuntur *Ecclesiæ fundamenta* Sanct. Anselmus & S. Thomas *in cap. 3. Matt.* Abulens. *tam. 3. in Matth. cap. 10. quæst. 23. & tom. 6. cap. 23. qu. 247.* tamen solemniori cultu Ecclesia celebrat cum octaua festa S. Laurentij, S. Stephani, ac Innocentium.

Princeps Apostolorū Petrus, vtique est dignior Paulo, & in tota Ecclesia præcedit Paulum, Romæ tamen, quia plus laborauit Paulus, præcedit Paulus, ac pingitur ad Petri dexteram, Bellarminus *de Rom. Pont. lib. 1. c. 27.*

S. Martialis, vnus ex septuaginta discipulis, in vniuersa Ecclesia officij honore, ac titulo Apostoli caret; quia tamen Gallias conuertit, meritò Ecclesia Gallicana ex Decreto Ioannis Vigesimi Papæ celebrat eius festum cum officio, ac titulo Apostoli, cum hac collecta: *Deus, qui Beatum Martialem Apostolum Ecclesiæ tuæ præesse voluisti*, &c. refert Baronius *anno* 1032.

Superior est gradus Martyrum, quàm Pontificum, & isti præcedunt confessores, in Ecclesiastica Hierarchia, & tamen in Missa, & officio, ac in pluribus honoribus oppositum seruatur.

In concursu officiorum in primis Vesperis Beatus Andreas præcedit S. Martinum Turonensem Episcopum, huius enim tantùm commemoratio recitatur.

In processionibus deniq; Beatus Andreas, ac B. Iacobus Patroni præcedunt Sanctos non Patronos, vt Sanctum Maximum, & Sanctam Candidam.

Ergo ex dictis patet, non esse contra Ecclesiasticam Hierarchiam, inferiori gradui deferri solemniorem cultum; ergo neque deferri præcedentiam in processionibus; præcedentia enim necessariò consequitur cultum solemoiorem.

Quod autem inter ipsos Patronos prioritas temporis in electione ad Patronatum, sit sufficiēs ratio præcedentiæ, est communis omnium doctrina, quæ habet, quod

4 regula præcedentiæ est prioritas temporis *cap. 1. de Maior. & obed.* vbi Abbas, & Felinus *l. 1. ff. de albo scribendo l. 1. C. de consul. lib. 12.* vbi Lucas de Penna, Decius *cons. 160. num. 1.* Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi part. 4. consider at. 48.* Mastrillus *de Magistratibus lib. 4. cap. 14. num. 35. & decis. 130. num. 1.*

Neque dici potest, quod Beatus Patronus præcedat quidem canonizatos non Patronos; at præcedat eum Patronus canonizatus, vt mox ostendam sequenti argumento.

Secundò, idem Probatur, quia maior dignitas canonizationis impertinenter se habet ac Patronatum: ergo non infert præcedentiam inter Patronos.

Quod maior dignitas canonizationis impertinenter se habet ad Patronatum, infra ostendam.

5 Quod autem maior dignitas, quæ impertinenter se habet ad actum, non inferat præcedentiam in actu, docent omnes, Ita Abbas *in cap. postulasti nu. 7. de concess. preb.* Puteus *decis. 105. nu. 1. lib. 3.* Mastrillus *decis. 130. num. 1.*

num. 1. Purpuratus *in l.* 1. *num.* 195. *ff. de offic. eius* Gratianus *tom.* 1. *disceptat.* 106. *num.* 3.

9 Confirmatur, ac probatur exemplis: Episcopus Canonicus, sedit vt Canonicus post antiquiores, Cassan. *in Catalogo glor. mundi par.* 4. *consid.* 45. Mastrillus *decis.* 130. *num.* 2. Montanus *de author. magni consil. nu.* 65. Capicius *decis.* 27. Anna *sing.* 6. Decius *cons.* 161.

7 Episcopus in studio, non præcedit Lectorem in actibus Scholasticis, Gratian. *tom.* 1. *discept.* 106. *nu.* 4.

8 Episcopus Consiliarius post antiquiores Consiliarios sedit, Francus *decis.* 138. *num.* 5. Riccius *in praxi*, *par.* 1. *resol.* 203. *num.* 3. Contelorius *de præcedent. num.* 20.

9 Episcopus auditor post antiquiores sedit, Gratianus *tom.* 2. *disceptat.* 298. *num.* 31. 32. *&* 34. Seraphinus *decis.* 1216.

10 Religio prius approbata, præcedit alias, quamuis perfectioris, aut strictioris vitæ, Collegium Bononiense *consil.* 1. *in princip.* Collegium Paduanum *cons.* 2. *n.* 71. Collegium Ferrariēse *cons.* 3. *n.* 13. *post consilia Zabarellæ*.

Beatus in concursu officiorum, in loco particulari, præcedit Sanctum, vt dixi.

Ratio omnium horum est, quia dignitas, quæ impertinenter se habet ad actum, non infert præcedentiam in actu, vt probat Ferro *de præcedentia qu.* 27.

11 Canonizationem autem se habere impertinenter ad Patronatum, & ideò non inferre præcedentiam inter Patronos, quorum aliqui non sunt canonizati, probo, quia (iure antiquo attento) tam poterat eligi Sanctus, quàm Beatus in Patronum: ergo Sanctitas, vel Beatificatio impertinenter se habent ad Patronatum. Expli-

12 co, ac probo duplici exemplo. Primum est, quia tunc dignitas Episcopalis inducit præcedentiam in Senatu, & pertinenter se habet ad Senatum, quando dignitati Episcopali annexa est Senatoria, seu quando omnis Episcopus Ciuitatis ex statuto necessariò ingreditur Senatum, vt patet ex statuto Insulæ Melitinæ, in cuius fundatione statutum est, quod Episcopus Melitanus intret Consilium; proinde tunc intrat vt Episcopus, & ita sedet immediatè post Magnum Magistrum, ita optimè hanc doctrinam declarat Michael Ferro *de præcedentia qu.* 27. *num.* 10. post Caputaquensem *decis.* 307. *par.* 1. *&* *decis.* 357. *par.* 2.

Sed iam patet canonizationem impertinenter se habere ad Patronatum, quia non hoc ipso, quod aliquis canonizatus est, intrat Collegium (vt ita dicam) Patronorum; alioquin omnes canonizati essent Patroni; quare cum dignitati canonizationis non sit annexa dignitas Patronatus, est impertinens ad Patronatum, nec infert præcedentiam inter Patronos non canonizatos; sicuti quando dignitati Episcopali non est annexa dignitas Senatoria, Episcopalis non infert præcedentiam inter Senatores.

Alterum affero exemplum ex declaratione sacræ rituum Congregationis, quam affert Gratianus *tom.* 3. *di-*

13 *scept.* 482. *nu.* 14. vbi ait: quod in Collegiata valet consuetudo, quod Canonici Clerici antiquiores, præcedant Presbyteros, nō obstante *c. statuimus de maior. & obediēt.* Ratio est, quia vt aduertit idē Gratian. *dicta discept.* 482. *n.* 1. & Ferro *q.* 10. *n.* 9. Collegiata nō constat ex præbēdis Diaconalibus, & Præsbyteralibus, sicuti constat Cathedralis, quare Presbyter Canonicus nō præcedit antiquiores Canonicos Diaconos, quia in Collegiata, dignitas

14 Præsbyteratus impertinenter se habet: Secus est in Cathedrali, in qua Præsbyter Canonicus præcedit antiquos Canonicos Diaconos, quia in hac pertinenter se habet Præsbyteratus, cum in Cathedrali Canonici, non omnes sint Diaconi, nec omnes Præsbyteri; sed necessariò constat Cathedralis ex præbendis Diaconalibus ac Presbyteralibus, vt ex Trident. *sess.* 24. *c.* 12. & hanc rationem egregiè exprimunt verba Decreti sacræ Congregationis, quæ refert Riccius *in praxi p.* 1. *decis.* 579. vbi habetur: *Præferendos esse Presbyteros, vbi distinctæ sunt præbendæ Diaconales, & Presbyterales*.

Ex qua doctrina sequitur maiorem dignitatem Canonizationis non tribuere præcedentiam inter Patronos, sed impertinenter se habere; tunc enim Patronus canonizatus præcederet antiquos non canonizatos, quando ex statuto, v. g. Ciuitatis, necessariò eligendi in Patronos, deberent esse partim Beati, partim canonizati; at cùm possint (iure antiquo attento) esse omnes Patroni canonizati, vel omnes Beatificati, vel partim canonizati, partim beatificati; sequitur ex dictis, quod maior dignitas canonizationis est impertinens, & non trahit præcedentiam.

Tertiò, si maior dignitas canonizationis trahit præcedentiam inter Patronos; ergo maior dignitas altioris gradus in Ecclesiastica Hierarchia trahit quoque præcedentiam: ergo S. Thomas cùm sit Doctor Ecclesiæ, à qua duplici officio celebratur, deberet præcedere S. Agnellum Abbatem antiquiorem Patronum.

15 Quia in dubio præcedentiæ standum est consuetudini, præsertim in casu nostro, in quo nihil est expressum in iure, quare hæc consuetudo dicenda est præter ius, non contra ius; imo iuris interpretatiua, vndè hæc consuetudo, cùm sit præter ius decennio firmatur Aretinus *cons.* 23. *num.* 7. vbi testatur de communi, Marescottus *variarum resolut. lib.* 2. *c.* 100. *num.* 2. *&* 23. imò cùm sit iuris interpretatiua paruo tempore præscribitur, Crauetta *cons.* 203. *num.* 2. *& cons.* 294. *col.* 14. Menoch. *de arbitrar. casu* 83. *num.* 10.

Beatus autem Andreas viginti annis pacificè possedit præcedentiam ad sanctos Patronos posteriori tempore electos.

Quinto quia probabilior sententia est, vt latè probabo *quæstione* 25. pari certitudine, ac diuina fide credendam esse gloriam Sancti, ac Beati; ergo non est notabilis excessus dignitatis in Sancto, ergo nec trahit præcedētiā.

Sexto Sanctus Agrippinus Patronus Neapolitanus in officio non præcedit Beatum Andream: nam in concursu Vesperarum à Capitulo fit de Beato Andrea: ergo Sanctus, & Patronus, neque præcedit Beatum in processionibus: sed attendenda est prioritas temporis in Patronatu.

Ex dictis patet Responsio ad contraria argumenta.

Ad primum respondetur, quòd solemnior cultus, & præcedentia in processionibus in certo loco, arguit Beatum secundum quid, non simpliciter digniorem; quod patet, quia alioquin Beatus Patronus non præcederet Sanctos non Patronos.

16 Ad secundum respondetur, quòd quamuis in diplomate Pontificio Beatificationis non exprimatur Beati statuam in altari constitui adorandam, aut in processionibus deferendam; tamen hoc ipso censetur concessum, dum conceditur id, quod in eodem genere maius est, vt Missæ Sacrificium, atque Officium, & Patronatus, qui hæc omnia trahit, ita Castropalaus *tract.* 4. *disp.* 1. *pun.* 5. §. 5.

§.5. *vers. ex his* Castellinus *de certa gloria Sanctorum, capit.2. punct.56.* Megalius *in promptuar. V. canonizatio, numer.1.*

Ad tertium patet ex dicendis *qu.25.* ne sim prolixior.

QVÆSTIO XXIV.

An sit de fide, Papam non posse errare in Canonizatione Sanctorum?

SVMMARIVM.

Quando Papa definit aliquid de fide, tunc non recipit à Deo nouam reuelationem articuli definiti. num.1.

Humanæ actiones, prudenter fiunt, cum sola morali certitudine. num.2.

Hæreticum est negare gloriam Sancti Canonizati. num.3.

Reuelata propositione vniuersali, quæ de fide creditur, de fide etiam credenda sunt omnia singularia, euidenter sub illa vniuersali contenta. num.4.

An ego de fide debeam credere hunc infantem à me baptizatum esse in gratia? num.5. An hanc Hostiam continere corpus Christi? num.6.

De fide est, hunc hominem, v.g. Innocentium Decimum esse legitimum Christi Vicarium. num.7.

De fide est non posse Pontificem toti Ecclesiæ leges proponentem, quoad mores, errare. num.8.

De fide est, quòd contractus montis Pietatis sit iustus. numer.9.

De fide est, non posse errare Pontificem in approbatione Religionum. num.10.

Quomodo tota Ecclesia non possit errare? num.11. & 13.

Definitio Pontificis in rebus fidei, præsupponit humanam diligentiam, in hac tamen non innititur, sed in assistentia Spiritus Sancti. num.12.

NEgant communiter, ita vt negare Sancti canonizati, gloriam, dicant temerarium, scandalosum, & impium, non autem hæreticum. Ita S. Thomas *quolib.9. art.vlt.* S. Antonin. *3.p. artic.12. c.8.* Caietan. *opusc. de Indulg. cap.vlt.* Cano *de locis Theolog. lib 5. cap.5.* Bañes *2.2. quæst.1. art.10. dub.7. concl.2.* Suarez *de fide, disp.5. sect.8. num.8.* Turrianus *2.2. disp.17. dub.6. in fine.* Bellarmin. *lib.1. de Sanct. cap.9.*

Probatur primò, quia canonizatio nititur humanis testimonijs, quæ fallibilia sunt.

1 Secundò, quia quando Pontifex definit aliquid de fide, tunc non recipit à Deo nouam reuelationem articuli definiti: Sed ex infallibili assistentia Spiritus Sancti, post debitam, & moralem consultationem declarat, & aperit infallibiliter præexistentem in scripturis veritatem reuelatam: Sed in scripturis nihil habetur de sanctitate huius Canonizati: ergo non potest Pontifex tamquam de fide certum, definire hunc esse Sanctum.

Tertiò pari fidei certitudine creditur præsentia Corporis Christi in Hostia ritè consecrata, ac gloria Iustorum, qui sine vlla culpa, aut sine vllo pœnæ reatu in Domino moriuntur: Sed non est de fide credenda Christi præsentia in hac Hostia: ergo neque de fide credenda est gloria in hoc Canonizato; quia sicuti non constat infallibiliter, illam ritè consecratam, ita neque infallibiliter constat hunc in gratia obijsse; nam humana testimonia fallibilia sunt, præsertim cùm cor hominis sit inscrutabile.

Confirmatur non posset Papa tamquam de fide certum definire, hanc Hostiam continere Corpus Christi: ergo neque potest tamquam de fide certum definire, hunc hominem esse in gloria.

Quartò, ad hoc vt Ecclesia non erret, sufficit moraliter esse certam gloriam Canonizati, quamuis non sit infallibilis, neque de fide. Ratio est, quia humanæ actio-
2 nes prudenter fiunt cum sola morali certitudine, ita Lorca *2.2. qu.1. art.3. disp.10. num.17.* Lugo *de Sacram. pœnit. disp.7. sect.13. num.269.* At cultus, & veneratio Sancti est actio humana; ergo sine errore fit, si cum certitudine morali de gloria Sancti, colatur; quamuis hæc gloria non sit de fide, neque infallibilis: Ergo Papa non inducit Ecclesiam in errorem, estò reuera ille Canonizatus non esset in gloria; quia sola moralis certitudo de gloria tollit ab Ecclesia omne erroris periculum.

Quintò, quia, vt inquit Cano *lib.5. cap.5. q.5. concl.2.* quamuis Pontifex in definiendis his, quæ sunt de necessitate salutis, habeat infallibilem assistentiam Spiritus Sancti; vnde de fide est, quod non possit errare, definiendo aliquid honestum esse, quod est vitiosum: tamen non est de necessitate salutis hunc hominem tamquam Sanctum colere, & venerari; ergo non est de fide, neque hæreticum, quamuis sit temerarium, asserere Papam errare posse in canonizatione Sanctorum.

Sextò, quia Pontifex in canonizatione Sancti Bonauenturę dixit: *Decernimus, vt Sanctum haberi,* & Sixtus V. in canonizatione Sancti Didaci Complutensis: *Vt Sanctum venerandum mandamus*; ergo cùm non dixerit *definimus*, nihil Pontifex tamquam de fide certum definit; sed tantùm declarat esse moraliter certam eius gloriam, nec posse sine temeritate negari.

His tamen non obstantibus, respondetur affirmatiuè, nempè de fide credendam esse gloriam Sancti canonizati, ita Valentia *2.2. disp.1. punc.7. q.6. §.40. vers. ita-*
3 *que,* Io. de Neapoli *quodlib.11.* qui docet: *Esse hæreticum eam negare,* Castropalaus *tract.4. disp.1. punct.5. §.4.* & esse hanc sententiam probabilem docet Turrianus *2.2. disp.16. dub.3. vers.3. & disp.17. dub.6. vers.2. opinio,* Comitolus *respons. lib.1. q.99. num.3.*

Hinc multi docent, non posse Papam alteri neque Generali Concilio delegare canonizationem, quia solus ipse potest res fidei definire, ita Castellinus *de Canoniz. SS. qu.3. art.2.* Barbosa, qui plures cumulat, *in cap.1. num.6. 7. & 8. de venerat. Sanctor.* Soli enim Petro dictum est *Confirma fratres tuos*; quare Decreta Concilij Generalis, legitimè congregati, etiam assentientibus, & subscribentibus Apostolicis Legatis, ante approbationem Papæ, non sunt de fide certa Caiet. *tract. de author. Papæ, & Concil.* Turrecremata *de Ecclesia, lib.3. cap.6. 8. & 38.* Cano *lib.5. cap.5.*

4 Notandum pro intelligentia sequentis argumenti, quòd reuelata propositione vniuersali, quæ de fide creditur, immediatè reuelantur, & de fide credenda sunt omnia singularia sub illa vniuersali euidenter, idest sine prudenti formidine, contenta; v.g. reuelata ista propositione, omnis homicida priuatur Dei gratia, immediatè etiam reuelatur, quod ego nunc ex magna deliberatione committens homicidium priuatus sum Dei gratia, & teneor de fide credere me nunc occidentem aduertenter hominem, priuatum esse Dei gratia; quia euidenter

denter cognoſco me deliberatè occidere, & ſic euidenter cognoſco hoc ſingulare contineri in vniuerſali, ita communiter Theologi, Cano, Vega, Valentia, & alij quos ſequuntur Suarez *de fide diſp.3.ſect.11.num.2.& 5.* Hurtado latè probans *de fide diſp.11.* Eminentiſſimus Lugo *de fide, diſp 1. ſect.13. §.3. & 4.*

Ratio eſt, quia Deus reuelans, diſtinctiſſimè videt omnia ſingularia comprehenſa in vniuerſali: ſingularia autem non diſtinguuntur ab vniuerſali, ſed conſtituunt eam collectionem; quare Deus reuelans vniuerſale, immediatè quoq; reuelat ſingularia, quæ ſunt quaſi partes componentes collectionem vniuerſalem.

Debet autem euidenter conſtare ideſt (vt benè docet Lugo §.4.*num.*312.) ſine prudenti formidine, quod hoc ſingulare ſit contentum in vniuerſali, ſi enim id non eſſet omninò euidens, ſed prudenter formidari poſſet, an contineretur; tunc propoſitio ſingularis non eſſet de fide, quia aſſenſus fidei dicit omnimodam certitudinem, & excludit omnem formidinem.

Quod ſingulare contineatur in vniuerſali, hoc non debet eſſe reuelatum, ſed ſufficit eſſe omninò euidens, ita vt nequeat prudenter formidari, vt patet in exemplo poſito: de fide credere debeo: me deliberatè nunc peccantem eſſe priuatum Dei gratia, quamuis, quod deliberatè peccem non ſciam ex reuelatione, ſed euidenter. Probatur à pari, quia ad hoc vt propoſitio reuelata ſit de fide, non requiritur aliud niſi, quod prudenter non poſſimus formidare Deum eſſe, qui reuelauit; ergo vt obiectum ſingulare ſit de fide, non requiritur aliud, niſi, quod prudenter non poſſimus formidare Deum de hoc obiecto eſſe loquutum. Cur enim plus requiritur (ait Lugo *num.*307.) ad credendum Deum de aliquo loqui? quàm ad credendum Deum loqui?

5 Hinc eſt, quòd idem obiectum vni de fide credendũ eſt, non alteri, v. g. ego cum debita forma, aqua tunc ex mari ſumpta, baptizaui infantem, teneor de fide credere: *Hunc infantem eſſe in gratia*, quia euidens mihi eſt, eſſe ritè baptizatum, & ſic hoc ſingulare comprehendi in vniuerſali propoſitione reuelata, *Quod omnes infantes ritè baptizati ſunt in gratia*: Alter verò non tenetur de fide credere, quia illi non eſt euidens mea recta intentio, & ſic non eſt illi euidens, ſingulare contineri in vniuerſali.

6 Nulli autem, neque Sacerdoti conſecranti credenda eſt de fide pręſentia Corporis Chriſti in hac Hoſtia, quia nulli poteſt eſſe euidens illam eſſe ritè conſecratam; Sacerdos enim conſecrans poteſt dubitare, an hoſtia ſit triticea, an cum aqua elementari, farina mixta, an fuerit ritè ordinatus, an ordinans fuerit verè Epiſcopus, ſeu ritè ipſe ordinatus Epiſcopus.

7 Sic de fide credendum hunc hominem, Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Innocentium Decimum eſſe legitimum Pontificem, & Chriſti Vicarium in tota Eccleſia, ita Salmeron, Valentia, & Albertinus, quos ſequitur Suarez *de fide diſp.5.ſect.8.num.12.& diſp.10.ſect.5.* Hurtadus *de fide diſp.37.* Lugo *de fide diſp.1.ſect.13. §.5.* Comitolus *reſponſorum lib.1.qu.99.* Ratio eſt, quia hoc ipſo, quod tota Eccleſia, & omnes eum tamquam legitimè electum agnoſcunt, euidenter cõſtat de eius legitima electione, ita vt nequeat prudenter formidari: ergo euidens eſt hoc ſingulare contineri in vniuerſali propoſitione reuelata, quod legitimus Petri ſucceſſor, eſt Chriſti Vicarius. His poſitis

Probatur primò, noſtra concluſio. De fide & immediatè reuelata eſt iſta vniuerſalis propoſitio: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; ergo immediatè reuelantur omnia ſingularia, quæ euidenter, ideſt ſine prudenti formidine, continentur in illa vniuerſali: Sed Sanctus canonizatus eſt ſingulare, quod euidenter, & ſine prudenti formidine continetur in vniuerſali, quia canonizatio ob eximiam diligentiam adhibitam facit eſſe euidens, & ſine prudenti formidine, quod cum mundo corde deceſſit: Ergo de fide eſt credere, ac immediatè à Deo reuelatur, quod S. Franciſcus v. g. Canonizatus Deum videat.

8 Probatur ſecundò, de fide eſt, quòd Papa toti Eccleſiæ leges proponens quoad mores non poſſit errare: Sed Papa canonizans toti Eccleſiæ leges proponit, quoad mores; ergo de fide eſt, quòd Papa canonizans nequit errare.

Quod Papa toti Eccleſiæ leges, quoad mores proponens nequeat errare, declarans eſſe bonum, quod malum eſt, & è contrà, & id eſſe de fide, docent S. Anton. *3.par. tit.12. c.8. §.2.* Io. de Neapoli *quodlib.11.* Cano *de locis Theol.lib.5.cap.5.* Molina *de Iuſt.tom.2.diſp.325.* Suarez *de fide diſp.5.ſect.8.num.7.* Turrian. *2.2.diſp.16. dub.2.* Caſtropalaus *tom.1. tract.4.diſp.1.pun.5.§.3.* Comitolus *lib.1. reſponſorum qu.113. num.4.*

Patet hoc quia alioquin tota Eccleſia induceretur in errorem, Eccleſia autem nequit errare, quia eſt *Columna, & firmamentum veritatis 1.Tim.2. & Ioan.14.* habet promiſſam infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, qui *docebit* eam *omnem veritatem*: tum quia alioquin Eccleſia non haberet certam regulam ſuæ fidei, quæ eſt ipſius viſibile caput, Romanus Pontifex.

9 Hinc contractus, v. g. Montis pietatis à Leone X. licitus declaratus, de fide eſt, quod ſit iuſtus, Molina *diſp. 325.* Turrian. *diſp.16. dub.2.* Bellarm. *de Rom. Pontif. lib.4. cap.10.*

10 Sic quoque de fide eſt, non poſſe Pontificem errare in approbatione religionum, Turrian. *diſput.16.dub.4. verſ.4.* Caſtropalaus *tom.1.tr.4. diſp.1.punc.5.§.6.*

Quod Pontifex canonizans toti Eccleſiæ proponat leges, quoad mores, eam obligantes, ita vt ſi erraret totam Eccleſiam induceret in errorem, patet, nam colere damnatum, eumque interceſſorem apud Deum aſſumere, eſt ſecundum ſe malum, & ſi culpabiliter fiat, erit
11 peccatum mortale: Sed quando dicitur Eccleſiam non poſſe errare, tunc non accipitur ſolùm de errore culpabili, ita vt culpabiliter erret, ſed de quocumque errore, etiam materiali, & inculpabili, alioquin in nullo articulo certum eſſet Eccleſiam non errare: tum quia alioquin Spiritus Sanctus non aſſiſteret infallibiliter Eccleſiæ, neque doceret *Omnem veritatem*; neque eſſe Eccleſia *Columna, & firmamentum veritatis*; neque eſſet Eccleſia Chriſti *Sponſa immaculata, ſine macula, & ſine ruga*; quia quicumque error in tota Eccleſia, quamuis inculpabilis, eſt contra eius ſanctitatem, & puritatem ac infallibilem veritatem articulorum, quos credit.

Ex dictis patet reſponſio ad contraria argumenta.

12 Ad primum reſpondetur, quòd in cuiuſcumque articuli definitione tenetur Pontifex ante adhibere moralem diligentiam, ſcrutando ſcripturas, conſulendo viros doctos, quia aſſiſtentiam Spiritus Sancti promiſſam habet, ita vt humano modo in definiendo procedat, & ad euidens Spiritus Sancti prouidentiam ſpectat, ne diligentia

gentia necessaria prætermittatur: Quando autem deinde definit, iam illa definitio, & fidei certitudo, non innititur inhumana diligentia, & consilio prævio, sed in promissione diuina, de assistentia Spiritus Sancti, Suarez *de fide disp.5. sect.8. num.11.* Valentia 2. 2. *disp.1. punct.7. qu.6. §. huc accedit*, Castropalaus *tract.4. disp.1. pun.5. §. 2. num.12.*

Ad secundum patet ex dictis in prima probatione.

Ad tertium disparitas est, quia nulla potest esse euidentia: hanc hostiam esse ritè consecratam; at potest euidenter, & sine prudenti formidine constare, ex dignissimis testibus, de virtutibus & miraculis canonizati, in vita, & post mortem; quando autem euidenter, & sine prudenti formidine constat aliquam propositionem singularem contentam esse in vniuersali reuelata, tunc id sufficit ad obiectum illud singulare diuina fide credendum, vt suprà ostendi.

Præterea altera affertur disparitas, quia si hostia ritè non sit consecrata, non tota Ecclesia, sed pauci homines errant; neque illa hostia à Pontifice toti Ecclesiæ, leges è cathedra definiente, proponitur adoranda: At si damnatus coleretur, vt Sanctus, tota Ecclesia erraret imò à suo capite Romano Pontifice, è cathedra definiente eum Sanctum, induceretur in errorem.

13 Ad quartum, eum errorem, esse quidem inculpabilem; at nefas est asserere totam Ecclesiam, quamuis inculpabiliter errare posse, quia idem dici posset de quocumque fidei articulo, & esset id contra promissam assistentiam Spiritus Sancti, qui docet eam omnem veritatem, nec esset Ecclesia columna, & firmamentum veritatis.

Ad quintum respondetur, quamuis non sit de necessitate salutis, hunc hominem vt Sanctum venerari; est tamen de necessitate salutis, non colere damnatum, eumque intercessorem apud Deum sumere, in eius honorem Deo sacrificia offerre; si enim damnatus scienter coleretur, vtique grauissimum sacrilegium committeretur: ergo sicuti in cæteris rebus, quæ si fierent scienter, essent sacrilegia; de fide est, non posse Papam errare, approbando, vt honesta; cum earum scientia sit de necessitate salutis, ita nequit errare in cultu Sanctorum.

Ad sextum respondetur, ea verba canonizationis, *Decernimus, mandamus, vt Sanctum haberi*, æquiualent verbo, *definimus*, pro vt habetur in Bulla canonizationis Sancti Francisci de Paula, quam refert Surius *tom.2. die 2. Aprilis*, ibi: *Definimus, inter Choros Beatorum iam receptum esse.*

QVÆSTIO XXV.

An sit de fide Papam non posse errare in Beatificatione, seu an pari certitudine, credenda sit canonizati, ac beatificati gloria?

SVMMARIVM.

Negant aliqui. numer.1. probabilius affirmant alij. numer.2.

Beatificati gloria toti Ecclesiæ proponitur credenda. numer.3.

Tota Ecclesia in honorem Beati, offert Deo sacrificium, quod in vnico loco celebratur, num.4.

An post Beatificationem fiant noua diligentia, & cur? numer.5.

1 Negant Turrianus 2.2. *disp.17. dub.6.* & Castellinus *de certa gloria Sanctorum cap.2. num.11.*

Primò, quia canonizatus toti Ecclesiæ colendus proponitur: Beatificatus autem certæ Prouinciæ: ergo gloria Canonizati proponitur, tanquam de fide certa; Beati verò tanquam certa moraliter.

Secundò, quia post Beatificationem nouæ inquisitiones fiunt, & examen circa miracula, & sanctitatem vitæ Canonizandi, etiamsi Beatificatus sit: ergo non est de fide certa Beatificati gloria.

Tertiò, quia Pontifex canonizans vtitur verbo, *definimus*, dicens, definimus eum esse in gloria, vt patet ex Bulla Canonizationis Sancti Francisci de Paula, quam refert Surius *tom.2. die 2. April.* quo verbo non vtitur in Beatificatione.

2 His tamen non obstantibus, respondetur affirmatiuè, & sic de fide, & pari certitudine Canonizati, ac Beatificati gloriam esse credendam, Ita Castropalaus *tom.1. tract.4. disp.1. pun.5. §.5. num.4.* Megalius *V. Canonizatio num.1.*

3 Probatur primò ideò de fide credenda est Canonizati gloria, quia eius gloria toti Ecclesiæ proponitur credenda: sed etiam toti Ecclesiæ proponitur credenda gloria Beati: ergo pari fidei certitudine vtriusque gloria credenda est. Probatur minor, quia quamuis pro certa tantùm prouincia concedatur Beato cultus sacri Officij, ac Missæ; tamen non vni soli Prouinciæ, sed toti Dei Ecclesiæ proponitur eum Beatum nuncupari, ac dignum, qui à fidelibus inuocetur intercessor apud Diuinam Maiestatem; idque patet ex praxi ipsius Ecclesiæ; nam in quocumque loco Christiani orbis, potest Beatus inuocari, illique fieri vota, offerri dona, & intercessor apud Deum assumi, idque totum fit authoritate capitis Ecclesiæ Romani Pontificis beatificantis; quinimmò non improbabiliter docent Castropalaus *tom 1. tract.4. de fide disp.1. pun.5. §.5. num.7.* & Antonius Quintanadueñas *Singularium moralium tract.1. singul.5.* posse in toto orbe celebrari Missam votiuam in honorem Beati, à quocumque Sacerdote; quia hoc ipso, quod Papa id approbat pro vno loco, ex Pontificia authoritate aufertur impedimentum pro quocumque loco.

Secundò probatur, nam quamuis in vno solo loco sacrificium Deo in honorem Beati offeratur, tamen illud sacrificium offert tota Ecclesia, quæ per Sacerdotem, tamquam publicum Ecclesiæ totius Legatum, Deo offert sacrificium: ergo tota Ecclesia in persona Sacerdotis assumit Beatum intercessorem apud Deum; ergo verè tota Ecclesia errat authoritate sui capitis, si ex eiusdem authoritate solus Sacerdos erret. Confirmatur, quia ideò de fide est nõ posse errare legitimum Concilium vniuersale à Papa congregatum, & approbatum; quia si concilium erraret, non errarent illi 300. v. g. Concilij Patres, sed tota Ecclesia erraret; nam Patres legitimi, & vniuersalis Concilij, totam Ecclesiam repræsentant: ergo si solus Sacerdos Pontificia authoritate erraret, tota Ecclesia erraret, quia totam Ecclesiam Sacerdos repræsentat, dum ex authoritate Ecclesiæ capitis, assumit Beatum intercessorem apud Deum. Sic etiam totum Regnum præstat Summo Pontifici obedientiam, dum publicus Regni legatus illi exhibet obedientiam.

Hinc

Hinc quamuis liceat priuatim colere non beatificatum; tamen numquam licuit, neque secretissimè recitare Officium, aut Missam in eius honorem celebrare; quia hic cultus est publicus, qui à Sacerdote aut alio Ministro, Ecclesiæ totius nomine, defertur.

Tertiò probatur, quia idem Turrianus *d. disp.17. dub.6. in fine*, docet esse temerarium scandalosum, & impium negare beatificati gloriam: Sed ideò temerarium est, quia sine vlla prudenti formidine euidens est, ob ingentem in tanto negotio diligentiam, illum in domino obijsse, ac Deo acceptum esse, ob miracula in vita, & post mortem: ergo si euidens est illum mundo corde obijsse, continuò sequitur de fide esse, eum videre Deum: nam reuelata hac vniuersali propositione, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, reuelantur etiam immediatè omnia singularia, quæ euidenter constat, contineri in illa vniuersali, vt suprà præcedenti quęstione latè explicaui, quare vltrà non immoror.

Ad primum igitur argumentum contrariæ opinionis respondetur, quòd Beatificatus vni soli Prouinciæ proponitur colendus, honore sacri Officij, & Diuini sacrificij: at toti Ecclesiæ proponitur tamquam dignus, qui inuocetur intercessor apud Deum, vt patet ex quotidiana praxi, nam in omni loco Ecclesiæ inuocatur à Fidelibus ex Pontificia authoritate; ergo gratis dicitur gloriam Beati non proponi, vt certam de fide sed moraliter.

Ad secundum respondetur me accepisse à viro pijssimo, & in hac materia expertissimo P.D. Io. Baptista Castaldo, quippè qui fuit procurator in causa beatificationis B. Caietani, ac B. Andreæ, quod post Beatificationem nullæ fiunt nouæ diligentiæ quoad virtutes, neque quoad miracula in vita, neque quoad miracula patrata post mortem ante beatificationem, sed tantùm examinantur testes circa perseuerantiam cultus, idest, quod fideles post Beatificationem perseuerauerint in veneratione, & cultu Beati, ac circa perseuerantiam miraculorum, idest quod post beatificationem noua intercessione Beati, à Deo sint facta miracula. Tales autem diligentiæ circa perseuerantiam cultus, & miraculorum, non ideò fiunt, quasi dubitetur de gloria Beatificati, quia nulla fit diligentia de virtutibus, quæ verè sunt causa gloriæ; sed fiunt, quia cum solemniter definienda sit Beatificati gloria, & illi in tota Ecclesia honor officij, ac sacrificij decernendus; ideò ad maiorem solemnitatem Canonizationis; & quia quamuis de fide certum sit eum esse in gloria; non tamen conueniens est, quemcumque existentem in gloria, publico officij cultu, in tota Ecclesia honorandum decerni; sed illum tantùm quem ob heroicas virtutes, ex multitudine miraculorum significatas, Deo acceptissi num esse, ac in insigni sanctitatis gradu, & in magna deuotione apud fideles haberi, competitissimum est; ideò nouæ diligentiæ fiunt de perseuerantia cultus, ac miraculorum, vt ostendatur insignis sanctitas, ac eximia apud Fideles deuotio, vnde conuenienter solemniter canonizetur, & in tota Ecclesia officij honor illi decernatur.

Ad tertium respondetur parùm referre, quibus vtatur verbis Pontifex, siue in Canonizatione, siue in Beatificatione; satis enim est, quod toti Ecclesiæ declaret eius gloriam; nam si erraret, tota Ecclesia ex Pontificis authoritate in errorem induceretur.

Obijcies: proponitur cultus Beati tanquam certus; non certitudine fidei, sed certitudine morali.

Respondeo, similiter posset dici: proponi cultum Sancti Canonizati, tanquam certum; non certitudine fidei, sed certitudine morali; quod tamen negant aduersarij, afferentes gloriam Sancti Canonizati esse de fide certam. Præterea ex eo, quia certitudo moralis non caret aliqua formidine errandi; & quia inconueniens est induci à Pontifice in errorem totam Ecclesiam; ideò iuxta communiorem sententiam gloria Sancti Canonizati proponitur tanquam certa certitudine fidei; ne in errorem inducatur tota Ecclesia: ergo pari ratione, ne in errorem inducatur tota Ecclesia in cultu Beati, proponitur tanquam certus, certitudine fidei.

QVÆSTIO XXVI.

Quæ dicenda sit iusta causa, vt Ciuitas Sanctum aliquem in Patronum eligat?

SVMMARIVM.

Requiritur iusta causa vt Ciuitas eligat Sanctum aliquem in Patronum. num.1.
Plures causæ afferuntur. num.2.
Sola magna Populi deuotio, est sufficiens causa. num.3.
Vnde ea deuotio proueniat? quærendum non est. num.4.
Quomodo magna populi deuotio probetur? num.5.

1 AD huiusmodi electionem iustam causam requiri patet ex Decreto sacræ Rituum Congregationis *die 20. Martij 1630.* quæ iussu Vrbani VIII. statuit aliqua obseruanda esse in electione Patronorum, declarans, quod aliter facta electio nulla sit ipso iure, & quod causæ electionis nouorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum causa cognita, ab eadem cognitione approbari, ac confirmari.

Ratio est, quia Sancto Patrono debetur solemnior cultus præ cæteris Sanctis, qui altioris fortè sunt gradus in Ecclesiastica Hierarchia, & quos vniuersalis Ecclesia colit. Patrono enim præter oblationes, debentur Missa, & Officium duplex, ac alia, quæ cæteris Sanctis non tribuuntur; ergo esset contra rectam rationem, ac Ecclesiasticas regulas, si ex leui, vel nulla causa, facta electione in Patronum, cæteris Sanctis præferretur in cultu. Difficultas est, quæ sit huiusmodi causa sufficiens ad electionem?

2 Anonymus quidam, vir planè doctus, in scripto typis impresso Neapoli, cum ageretur de electione quorumdam Sanctorum in Patronos, scripsit: non sufficere solam canonizationem, aut sanctitatem, alioquin nulla causa esset eligendi omnes Kalendarij Sanctos; sed præterea aliquam notabilem, ac rationabilem causam requiri, huiusmodi autem esset si Sanctus eo loco natus, diu commoratus, corpus eius ibi sepultum, aut insignis, & miraculosa adesset reliquia, plurima, publica, ac vniuersalia miracula ibi patrasset, magna erga eum populi deuotio, quod magnum erga Ciuitatem beneficium contulerit, eam à peste, fame, bello, seditione, incendio, aut ab hæresi liberans; huic opinioni fauere videtur Gauantus *in Rub. Breuiar. sect.3. cap.12.*

Respondeo dicendum: duplicem esse causam electionis

ctionis in Patronum; proximam, & remotam. Causa proxima est vnica, nempè magna populi erga Sanctum deuotio, ita vt in maiori parte maximè afficiatur erga Sanctum; causæ autem remotæ sunt illæ, quas Anonymus assignat, sed non sunt tantùm illæ, quas prædictus Author enumerat; sed quomodocumque, seu quacumque ex causa proueniat talis communis populi deuotio, sufficit ad electionem.

3 Solam autem magnam populi deuotionem esse sufficientem causam ostendo. Primò, nam ideò requiritur iusta causa ad Patronatum, quia esset contra Ecclesiasticas regulas, & Ecclesiasticam Hierarchiam, illum cæteris Sanctis præferre in cultu, ex leui causa: sed vnius priuati Sacerdotis deuotio est sufficiens causa, ex Rubricis Missalis, vt relicta Missa Sancti eo die currentis, si sit semiduplex, celebret Missam votiuam de alio Sancto, ad quem afficitur deuotus Sacerdos: ergo totius populi deuotio erga aliquem Sanctum, sufficiens est, vt ritu duplicis officij, alioque solemni cultu, præ cæteri Sanctis, eum veneretur.

Secundò, vnius priuati hominis deuotio præponderat debitæ Sacratissimæ Eucharistiæ reuerentiæ, hanc enim post coniugalem copulam eiusdem diei sumere peccatum est, ob irreuerentiam, vt scribit Sanctus Hieron: relatus *in cap. sciat 33. quæst. 4.* Abulensis *in Matth. cap. 5. qu. 258.* Thomas Sanchez *de Matr. lib. 9. disp. 13.* Salazar *in praxi de frequent. Comm. cap. 9. §. 1.* Eminentissimus Lugo *de Euchar. disp. 15. sect. 1.* vbi *num. 4.* reijcit, vt falsam oppositam opinionem Io. Sanchez *in selectis disp. 23.* At ob deuotionem particularem, eodem die licitum est, post debitum coniugale, accedere ad Sacram Mensam, Medina *lib. 1. Summa cap. 14. §. 42.* & alij quos sequitur Thomas Sanchez *d. disp. 13. num. 8.*

Ergo si priuati hominis deuotio præponderat reuerentiæ debitæ Augustissimo Eucharistiæ Sacramento; à fortiori totius populi deuotio præponderat communibus regulis Ecclesiastici officij; vt propter eam deuotionem, electo illo Sancto in Patronum, solemniorem cultum præ cæteris Sanctis illi tribuat, contra communes regulas.

Tertiò, probatur, quia eam deuotionem erga Sanctum fouere per electionem in Patronum, Vndecumque illa deuotio habeatur, hoc ipsum magnum est, ac publicum Ciuitatis bonum, columen, atque præsidium. *Hi sunt* (inquit S. Basilius *orat. 40.*) *qui regionem nostram administrant, & veluti turres quadam securitatem ab hostium incursu exhibent*; & S. Gregorius *hom. 32. in Euang. Adsunt*, inquit, *defensores nostri, Sancti Martyres. Hos auditores vestri orationibus quærite. Hos protectores vestri reatus inuenite: quia ne punire peccatores debeat, rogari vult ipse, qui indicat.* S. Leo *serm. 3. in anniuers. sua assumptionis: Pro nobis orare non cessant, vt nulla tentatione superemur.* Ergo sufficientissima causa solemnioris cultus, atque Patronatus est magna Populi deuotio, vndecumque talis deuotio proueniat, etiam si nulla, alioquin subesset huiusmodi deuotionis causa.

Quartò, quia deuotio est donum Spiritus Sancti; *Spiritus autem vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis, vnde veniat, aut quò vadat. Io. 3. Spiritus Sanctus* (inquit Beda, *apud S. Thomam in Catena*) *qui vbi vult spirat, quia*

4 *ipse in potestate habet, cuius cor gratia sua visitationis illustret*; ergo quærendum non est, vnde oriatur talis deuotio in populo; satis est eam deuotionem esse notoriam, quod ex signis alijsque causis, quas mox afferam, sufficienter probari potest.

Quintò, quia plurimi Ciuitatum Patroni ex sola populi deuotione, absque vlla ex causis ab Anonymo Authore allatis electi sunt, & pijssimè, ac prudentissimè Ciuitas Panormitana elegit in Patronos omnes Sanctos fundatores Religionum, quæ ibi commorantur.

Sextò, quia frequentior causa deuotionis populi erga Sanctum est, quia eiusdem Sancti religio magna est in opinione eximiæ virtutis doctrinæ, prudentiæ, ac charitatis apud Populum. Hinc enim est, quod in publicis,

5 ac priuatis sermonibus eiusdem Sancti heroica facinora, insignia miracula ab ijs narrantur, mentibus, ac cordibus fidelium imprimuntur, & inde ingenti deuotionis affectu corda fidelium exardescunt. Signa autem deuotionis in maiori parte populi, sunt concursus ad Sancti solemnia in eius natalitijs, ieiunia, ac sacræ Mensæ frequentia, in eiusdem honorem lampades, vota, ac ceræ, ligneæ, & argenteæ gratiarum testimonia ad eius altare, sacræ ipsius Imagines ferè ab omnibus domi cum deuotione retentæ, frequentia, ac deuota inter ipsos Fideles de Sancti virtutibus, & singulorum erga eum deuotione colloquia, & alia huiusmodi; quibus probatis, euidenter populi deuotio demonstrata est, eaque sola sufficientissima est causa electionis in Patronum.

QVÆSTIO XXVII.

An elogium cuiusdam serui Dei Imagini impressum, quod Sanctissimè obijt, venerationem, aut cultum præferat, ac repugnet Constitutioni Vrbani VIII. de Imaginibus non Canonizatorum.

SVMMARIVM.

Olim omnes Christiani Sancti dicebantur. num. 1. Hodie ij, qui eminentiori fulgent Sanctitate. num. 2.
Quid sit Sanctitas ex Dionysio. num. 3.
Ante Constitutionem Vrbani VIII. licebat non Canonizatos, Sanctos, ac Beatos appellare. num. 4.
Elogium, quod Sanctè obijt, nullam præfert venerationem. num. 5.
Communis vsus loquendi præfertur proprietati verborum. num. 6.
Vox Sanctus alijs verbis coarctata, significat tantùm hominem, pium, Religiosum, ac Dei cultorem. num. 7.

PRo parte affirmatiua, quod huiusmodi elogium venerationem, & cultum præferat.

1 Primò, affertur, nam vt scribit Baronius ad *annum Christi 43. fol. 299. Quamuis olim omnes Christiani Sancti appellarentur: vnde Paulus ad Romanos Christianos scribens, ait: omnibus, qui sunt Romæ vocatis Sanctis, & alibi: proficiscar Hierusalem Ministrare Sanctis, & illud salutant vos omnes Sancti, itemque salutate omnes Sanctos, vel cum ait coram Agrippa Rege: multos Sanctorum ego in carceribus inclusi. Lucas itidem. Petrus cum transiret vniuersos, deuenit ad Sanctos, qui erant Lyddæ; eo etiam nomine vsi sunt posteri, Ignatius, Philo, Polycarpus, Ter-*

2 *tullianus, & alij. At demum obtinuit vsus, vt illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatiorique fulgerent Sanctitate.* Hæc Eminentiss. Baronius.

Ergo

Ergo cùm hodie ex communi vsu, eximiam & eminentem virtutem Sancti vocabulum significet, profectò elogium hoc, quod *Sanctissimè obijt* magnam affert venerationem, atque adeò prohibitum est.

3 Præterea *Sanctitas* (inquit S. Dionysius, quem refert Cornelius à Lapide *in 1. ad Tessalonic. cap. 2. vers. 3.*) *est ab omni inquinatione libera incontaminatissima, & perfectissima puritas*. Quare elogium, quod Sanctissimè obijt, veneratione dignissimum facit, cum hominem perfectissimum, & ab omni inquinatione purum testetur.

4 Secundò, quamuis olim ante constitutionem Vrbani VIII. liceret non Canonizatos Sanctos, ac Beatos appellare, vt docet Bellarm. *lib. 1. de Sanctis cap. 10.* Sanchez *in Summa lib. 2. cap. 43. numer. 5.* Molfesius *consilio 45. numer. 1.* Carena *de Officio Sanctæ Inquisit. par. 2. tit. 17. numer. 32.* qui tamen loquitur post Bullam Gregor. XV. licere alijs audientibus, nondum Canonizatum Sanctum appellare, Portellius *de dubijs Regularium, verbo reliquiæ*, & patet, nam S. Hieronymus *in vita Paulæ*, S. Gregorius Nazianzenus *in vita Athanasij, & Basilij*, eos ante Canonizationem Sanctos nominant, Sancta Catherina Senensis *in Epistolis ad Moniales Ordinis Sancti Dominici in Montis Politiani Ciuitate commorantibus*, quotiescumque de B. Agnete, adhuc non Canonizata, verba facit; eam Sanctam nominat: Graues quoque Authores non Canonizatos, Sanctos, ac Beatos appellant, vt videre est apud Surium, Aloysium Lyppomanum, & Molanum in natalibus Sanctorum Belgij, varijs in locis, præsertim in Gerlauo *die 5. Ianuarij*, Poppone Abbate Stapulēsi 25. *eiusdem*, Pipino Primo Brabantiæ Duce 21. *Februarij*, Colita virgine 6. *Martij*. Himilino Presbitero 10. *eiusdem*, Ludouige Virgine 14. *Aprilis*, Forano Episcopo 30. *eiusdem*, Diogone Confessore Seburgensi 14. *Iunij*. Lutgarde Virgine 16. *eiusd.* & alibi sæpissimè, vt ostendit Frater Seraphinus Razius *lib. 3. & 4. de S. Hyacinto*. Sic etiam Franciscus Patauus antiquus Aduocatus Concistorialis *in oratione pro Canonizatione Sancti Leopoldi Austriæ Marchionis habita 12. Kalend. Decemb. anno* 1484. in publico Concistorio coram Innocentio VIII. inter alia, ait: *Ad quæcumque loca Leopoldi nomen peruenerit, pro Sacrosancto veneratur, & colitur*. Sic etiam Octauianus de Martinis, etiam Aduocatus Concistorialis *in oratione pro Canonizatione Sancti Bonauenturæ coram Sixto IV. habita anno* 1482. ait: *Denique communi omnium opinione fidelium Sanctus tenetur, & nominatur*. Eadem habentur in relatione de vita Sancti Didaci facta à Cardinali Columna coram *Sixto V. anno* 1588. Ratio est, quia nominare Sanctum non est deferre cultum publicum; quia vt docet Bellarminus *lib. 1. de Sanctis capit. 10.* Vocamus cultum publicum, non eum qui coram alijs exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tamquam ab Ecclesia institutus, exhibetur.

Hodie tamen Vrbani constitutio prohibet in Imaginum Elogio Sanctum vocari, quia huiusmodi Elogium præfert cultum, & venerationem, saltem priuatam; at omnis imago, quæ siue priuatam, siue publicam venerationem, & cultum præfert ab Vrbani constitutione prohibetur; ergo &c.

Tertiò, adducitur, quia quamuis hoc Elogium quod *Sanctissimè obijt* in aliquo libro impressum nullam conferret venerationem, & cultum, nec esset prohibitum, constitutione Vrbani, qua prohibentur tantùm narrari gesta, miracula, reuelationes, & beneficia eorum orationibus à Deo accepta; tamen huiusmodi Elogium imagini impressum, reddit illum venerabilem, & excitat deuotionem fidelium, vt illius precibus se commendent; excitare enim talem deuotionem fidelium, est præseferre venerationem, & cultum; Ergo tale Elogium prohibetur Vrbani constitutione.

5 His tamen non obstantibus, dicendum: hoc Elogium, quod *Sanctissimè obijt*, Imagini impressum, nullam præferre venerationem, aut cultum; vnde nec Vrbani constitutioni repugnat.

Probo, quia hoc Elogium *Sanctissimè obijt* non est Elogium proprium personæ eximiæ, ac probatissimæ virtutis, aut eminentis probitatis, seu personæ, quàm vt Sanctam veneramur, aut cuius defunctæ precibus se fideles commendare soleant; sed hoc Elogium commune est ijs personis, quæ deuotè, piè, religiosè, & cum fidelium edificatione moriuntur, vt infra ostendam, & communis loquendi vsus declarat, quotidie enim Defunctorum propinquos, ac parentes consolamur dicentes: *quàm Sanctè obijt, quàm Sancta mors!* Mens autem Vrbani in ea Constitutione non fuit prohibere ea, quæ alijs Religiosis & pijs viris sunt communia; sed ea quæ præferunt cultum, & venerationem, & quæ solis Sanctis, aut solis viris perfectissimæ, & eximiæ virtutis exhiberi solent; vnde quamuis primęua, & propria vocis huius (*Sanctissimè*) significatio importaret vitam perfectissimam, & eminentem virtutem; huic tamen vocis propriæ significationi, præferenda est significatio vsualis, quam vox habet ex com-
6 muni vsu, & acceptione; communis enim vsus loquendi præfertur proprietati verborum, vt docet Suarez *lib. 6. de legibus c. 1. nu. 9.* vbi sic scribit: *Tertia significatio, quæ vocari potest vsualis, quia est ab vsu, & consuetudine loquendi, quæ magnam vim habere solet in significatione vocum interpretanda; adeò vt in legum expositione proprietati etiam verborum vsus præferendus sit, vt Iurisperiti cum Bart. docent in l. non dubium C. de legibus in l. labeo ff. de suppellectili legata, in l. 1. ff. de suis, & legitimis hæredibus, Abbas, & Felinus in Proemio decretalium, nam si vsus verbi sit communis totius populi in vulgari modo loquendi, iam illa significatio est facta magis propria, magisque naturalis, quàm primęua, quia vsus habet vim mutandi institutionem, & mutandi impositionem humanam*. Ita Suarez.

Cùm ergo Elogium (*Sanctissimè obijt*) ex communi loquendi vsu, commune sit personis, quæ non sunt perfectissimæ & eminentis virtutis, sed quæ piè, religiosè, & cum edificatione vixerunt; consequenter inscriptum Imagini non affert cultum, & venerationem, quæ deferri solet personi perfectissimæ vitæ, ita vt eorum precibus nos commendemus.

Sed vt perspicuè procedamus aduerto, quòd vox ista *Sanctus* dupliciter proferri potest, vel simpliciter, vel coarctata ex aliquibus verbis, aut circumstantijs.

Quando vox ista *Sanctus* simpliciter profertur, tunc verùm est, quod ait Baronius *ad annum* 43. quod *hodie vsus obtinuit, vt illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori, probatiorique*

fulgerent Sanctitate tunc etiam, vt inquit S. Dionysius significat vitam *ab omni inquinatione liberam, incontaminatissimam, & perfectissimam puritatem.*

7 Quando verò hęc vox *Sanctus* alijs verbis, aut circumstantijs coarctatur, tunc aliud non significat, nisi pium, Religiosum, ac Dei cultorem.

Hinc Dauid *Psal.85. vers.2.* ait, *Custodi animam meam quoniam Sanctus sum* exponit Pater Agellius idest, *tibi deditus, tibi dicatus, tuo cultui ac Religioni deuotus* hoc namque significat Sanctus, Genebrardus ibidem. *Sanctus idest: tibi per professionem Sacratus.* Hasid. *Pium etiam significat, beneficum, pietatis studiosum, seruum, cultorem Dei.* Ita Genebrardus. Lorinus ait: *de Dauide sensus est, tum quod Religiosè coleres Deum, tum quod neminem lederet*, itaque ex circumstantijs vox *Sanctus* coarctatur ad significandum Dauidem *Religiosum, pium, Deo obsequentem, neminem ledentem.*

Eodem sensu Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium die 29. Iunij de Theatinis agens*, eo elogio decorauit: *Apostolicam viuendi formam ex integro redditam, sanctè pièque coluit.*

Eodem sensu adhuc viuentes Sancti sunt appellati, sic S. Ambros. *lib. de virginibus, & in oratione funebri B. Satyri* vocat sæpissimè sororē suam adhuc superstitem Sanctā.

Sic Sanctitas aliquando coarctatur ad significandam solam castitatis virtutem, vt aduertit Cornelius à Lapide *in 1. ad Tessalon. cap.2. vers.3.* Vnde Apostolus *in 1. ad Corinth. cap.7.* ait: *Virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Virgo* inquit Oecumenius, *corpore Sancta est, propter castitatem, spiritus autem Sancta est, propter familiaritatem cum Deo, & Spiritus Sancti inhabitationem*, quod etiam indicauit Poeta 12. Æneid.

Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ
Descendam. Sancta idest casta, & pura.

Quare vox ista Sanctus, aut Sanctè, non significat vniuersaliter perfectissimam, & eminentem virtutem; sed ex verbis coarctatur vel ad certam virtutem significandam, aut ad demonstrandam vitam piam, religiosam, ac Deo dicatam. Vnde etiam ait Baronius, & Agellius *in Psal.85. Genus illud Iudæorum, quod Dei cultui præ ceteris erat addictum, Hasidæos vocatos legimus idest Sanctos.* Sic quoque Abulens. *in Exod. capit.19. quæst.3.* ait: *quod Sanctus significat idem, ac mundus, vel sincerus, & hoc sonat vocabulum sanctitatis in Græco, scilicet Agios, idest sine terra: & sic vocantur Iudæi, gens Sancta, idest gens munda, quia habebat ceremonias, & vniuersos ritus, valdè mundos.* Ita Abulens.

Itaque Elogium hoc quod Sanctissimè obijt aliud non significat, nisi quod piè, religiosè, deuotè, & cum edificatione fidelium obijt: non enim vox sanctitatis simpliciter profertur, sed *coarctata ad obitum*, & sic non significat vitam omni virtutum genere eminentem, sed piam, ac religiosam mortem, quod ex se solùm non sufficit ad cultum, & venerationem; si enim imago hæc perueniret ad manus personæ, quæ huius serui Dei, facta, & vitam non nouit, ex hoc solo elogio non induceretur vtique ad deuotionem, & venerationem; sed tantùm putaret pium, & religiosum hominem; imò putaret honoris causa, eius imaginem cum tali elogio impressam; nam & Sancti apud Græcos honoris causa dicebantur Sacerdotes, qui vocabantur *Hosij idest Sancti*, vt refert Plutarchus *de oraculorum defectu in fine*. Tum quia dicere, quod Sanctissimè obijt iam vsus obtinuit, vt sit communis laus, quæ hodie cuicumque Religioso indifferenter defertur; non ergo pręfert cultum, & venerationem ab Vrbani constitutione prohibitam.

QVÆSTIO XXVIII.

An irregularitas ex homicidio, ob defensionem euitabilem propriæ vitæ, sit dispensabilis ab Episcopo? & quid ob defensionem euitabilem vitæ proximi? & quando dicatur defensio euitabilis?

S V M M A R I V M.

Hæc irregularitas, ob defensionem euitabilem propriæ vitæ est dispensabilis ab Episcopo. num.1.

Quando dicatur defensio euitabilis, ita vt sit dispensabilis irregularitas ab Episcopo? num.2.

An sit dispensabilis ab Episcopo ob defensionem euitabilem vitæ proximi? num.3.

Quando insidiatus aliter non potest euadere, licitum est præuenire, & occidere insidiatorem. num.4.

An hæc facultas dispensandi, possit in generali concedi Vicario? num.5.

An irregularis celebrans, ob vitandam infamiam, incurrat irregularitatem? num.6.

Quod si, sine iusta causa celebrauit, & irregularitatem incurrit an possit hæc dispensari ab Episcopo? num.7.

Petrus Presbyter pluries sollicitatus est à Paulo suo auunculo, vt occideret Antonium consanguineum eiusdem Præsbyteri, & inimicum Pauli, qui eidem Præsbytero minatus est mortem, nisi eum occideret; Quare Præsbyter timens vitæ suæ, suique consanguinei, consuluit Antonio, vt priùs quàm occideretur, occideret Paulum, & ad id instrumenta dedit, ac sequutum est homicidium.

Quæritur an consulens homicidium ob defensionem euitabilem propriæ vitæ, ac proximi sibi propinqui, incurrat irregularitatem dispensabilem ab Episcopo in foro conscientiæ, si delictum est occultum, iuxta Trident. *sess.24. de ref. cap.6.* vel in foro externo, causa tamen cognita, si est publicum, iuxta Trident. *sess.14. cap.7.*

Respondetur affirmatiuè.

Quoad primum caput defensionis propriæ vitæ.

Probatur, nam homicida ob defensionem ineuitabi-
1 lem propriæ vitæ, nullam incurrit irregularitatem, vt docent omnes procedere etiam post Trid. *ex clem. si furiosus de homicidio*; quare tunc homicida ob defensionem propriæ vitæ incurrit irregularitatem, sed dispēsabile ab Episcopo, quando defensio erat euitabilis, & fuit excessus in defensione, quia poterat euadere, quo casu si homicidium est occultum, est dispensabilis ab Episcopo, pro foro conscientiæ, iuxta dispositionem Trid. *sess.24. de ref. c.6.* & ita expressè docent Suarez *de censuris disp.46. sect.1. in fine.* Coninch. *de Sacram. to.2. disp.18. dub.14. nu.111. vers. potest*, Sayrus *de censuris lib.7. c.7. nu.22.* idem Sayrus *decis.9. de homicidio*, Barbosa *de Episcopo allegat.39. nu.53.* Riccius *collect.930. in fine* Marchinus *de Sacram. ordin. tract.1. par.9. cap.1. diff.3. nu.5.* Caspensis *in cursu Theologico tom.2. tract.25. disp.5. sect.17. num.119.* Diana *par.4. tractat.2. resolut.3. in fine par.7. tractat.2. resol.29.*

resol.29. Graffiis *decis. par.1.lib.2.cap.65.num.13.* Comitolus *responsorum lib.6. quæst.54. num.3.* Farinacius *in fragmentis par.2. verbo irregularitas num.486.*

Si verò homicidium est publicum, & factum ad propriam defensionem, sed euitabilem, quia excessit modum inculpatæ tutelæ, est etiam dispensabilis ea irregularitas ab Episcopo, pro foro externo, sed causa cognita, iuxta Trident. *sess.14. cap.7.* & ita docent Nauar. *cons.36. de homicidio, & in man. cap.27. num.239. vers.2. nota,* Saytus *de censur. lib.1. cap.7. num.22.* Henriquez *lib.14. cap.10. num.2.* Toletus *lib.1. cap.74.* Valentia *tom.4. disp.7. quæst.19. pun.3. §.5.* Farinacius, qui ait ita decisum à sacra Congregatione *in fragmentis par.2. verbo irregularitas num.475. & 486.*

2 Sed hoc opus, hic labor, cognoscere, an hoc homicidium re vera sit ob defensionem euitabilem propriæ vitæ, ita vt fiat dispensabilis irregularitas ab Episcopo? Hoc sanè pendet à circumstantijs, etenim si ita res essent constitutæ, vt nullo pacto quis posset ab insidiatore se defendere, nisi illum occidendo, & præueniendo; vtique tunc nullam incurreret omninò irregularitatem, ita communem esse opinionem testantur, Sayrus *de censuris lib.6. cap.17. num.13.* Farinacius *in fragment. par.2. V. irregularitas num.477.*

Si verò leue esset periculum mortis, tunc procul dubio non solùm irregularitatem incurreret, sed eam dispensabilē à solo Papa, quia tunc homicidium est simpliciter voluntarium, & sic non dispensat Episcopus, vt ex Trident. *sess.24. cap.6.* nisi non posset fugere sine dedecore, & infamia, quod procedit etiam in Clerico, vt post multos docet Diana *par.4. tract.2. resol.3.*

Quare debet esse tam graue periculum mortis, vt quamuis illud caueri possit, tamen difficile caneatur; ita vt inferat metum cadentem in constantem virum: hoc clarè indicat declaratio sacræ Congregationis, quam refert Garsias *de beneficijs par.7. cap.11. num.53.* vbi ait decisum, quod debet esse aliquid dubium an incurrerit irregularitatem, seu debeat esse aliquid dubium, an licitè patrauerit homicidium: ex quo patet quantum debeat esse periculum, & quam graue; vnde debent esse minæ ab homine facinoroso, potente minas exequi, solito eas exequi, & quod ex circumstantijs verisimile sit, quod exequetur, nisi præueniatur occisione; tales enim minæ inducunt metum grauem cadentem in constantem virum, vt ex communi doctrina omnium *in l. metum C. de his quæ vi,* docet Sanchez *de Matrimon. lib.4. disp.1. num.20.* Vnde in casu, de quo agimus, satis dubito, an re vera fuerit tam graue periculum propriæ vitæ.

Fateor tamen, quod si Presbyter consulens homicidium, quando consuluit grauissimo mortis timore correptus fuerit, & ipse in conscientia putabat se non posse aliter euadere, vel saltem non sine maxima difficultate, nisi occisione Auunculi minantis; tunc dato quod re vera esset timor inanis, adhuc ea irregularitas est dispensabilis pro foro conscientiæ ab Episcopo; nam statur dicto pœnitentis, cum petitur dispensatio pro foro conscientiæ, Sayrus *lib.6. cap.17. num.10. ex glosa in clem. vnica, verbo non valens de homicid o* Francis. Leo *in thesauro fori Ecclesiastici par.3. cap.9. num.29. & 40.* Filliuccius *tom.1. tract.20. num.160. in fine.*

3 Verùm dato, quòd ex capite defensionis propriæ vitæ non excusaretur ab irregularitate indispensabili, nisi à solo Papa, potest tamen excusari ex capite defensionis vitæ proximi, seu sui consanguinei, quæ in maximo periculo versabatur.

Probatur, nam sicut homicida ob defensionem ineuitabilem propriæ vitæ nullam incurrit irregularitatem; ita nec aliquam incurrit, ob defensionem vitæ proximi; præsertim propinqui, si illa erat ineuitabilis; & sic nulla tunc indiget dispensatione, & sicà pari procedunt defensio vitæ propriæ, & proximi, quoad irregularitatem incurrendam, quæ opinio mihi videtur probabilior, eamque defendunt Couar. *in clem. si furiosus par.3. §. vnico nu.5.* Turrianus *de censuris lib 9. disp.65. dub.4.* Tannerus *3. par. disput.6. quæst.10. dub.11. numer.210.* Hurtadus *disp.2. de irregul. difficult.10. num.36.* Coninchius *de Sacram. tom.2. disp.18. num.88. concl.3.* Villalobos *in Summa tom.1. tractat.21. difficult.24. num.11.* Diana *par.4. tract.2. resolut.5.* Lessius *de Iust. l.2. cap.9. dub.13.* Filliucius *tom.1. tract.20. num.160. & 161.*

Quamuis contrarium doceant, Nauar. *cap.27. num. 213.* Layman *lib.1. sect.5. tract.3. cap.9. num.3.* Auila *par.7. disp.5. sect.3. dub.4.*

Cùm ergo à pari procedant defensio vitæ propriæ, ac proximi; ita vt si defensio sit ineuitabilis, in neutro casu nulla incurratur irregularitas; sequitur, quod sicut ob defensionem euitabilem propriæ vitæ incurritur irregularitas dispensabilis ab Episcopo; ita etiam propter defensionem euitabilem vitæ proximi, præsertim propinqui, incurritur irregularitas dispensabilis ab Episcopo. Fateor quod non potui inuenire Doctorē, qui in terminis tangeret hanc quæstionem, nempè, an propter defensionem euitabilem vitæ proximi, incurratur irregularitas dispensabilis ab Episcopo; sed hoc videtur apertè probari, quia à pari procedunt defensio propria, ac proximi, quoad incurrendam irregularitatem; tum etiam fauet (ni fallor) huic doctrinæ decisio sacræ Congregationis quæ refertur à Garsia *de beneficijs par.7. cap.11. num.53.* vbi ait, quod sacra Congregatio censuit, quod dispositio Tridentini *sess.14. cap.7.* habet locum cùm agitur de repellenda vi illata Patri, quæ decisio non est intelligenda, cùm defensio erat ineuitabilis, quia tunc nulla opus est dispensatione, neque Episcopi, sed cum defensio erat euitabilis, idest, cum fuit excessus in defensione: tum quia Tridentinum *sess.24. cap.6.* prohibet Episcopum dispensare in homicidio voluntario, quamuis occulto: sed vt supra ostendi, quando homicidium est ad defensionem propriam, quamuis euitabilem, & cum excessu, dicitur quodammodo, & secundùm quid necessarium, & ita dispensabile ab Episcopo; quia videtur dignum venia; ergo etiam quando est ad defensionem vitæ proximi, quamuis euitabilem, & cum excessu; tamen dicitur quodammodo & secundùm quid necessarium, & ita dispensabile ab Episcopo, & dignum venia.

Quod autem in præsenti casu, erat grauissimum periculum vitæ proximi, præsertim propinqui, cui Presbyter consuluit homicidium, patet consideranti facti circumstantias; nam occisus decreuerat eum occidere, aliquando insidiatus est, quærebat assassinos, ac alios, qui eum interficerent, minabatur mortem Presbytero, nisi ipse occideret, erat vir facinorosus, ac diues, & venturus erat Neapolim, vbi faciliter inuenire potuisset assassinos. Ex quibus patet, quod in magna erat periculo vita occisoris, nisi præuenisset

4 occidendo, quare fortè licuit illi præuenire, nam communiter docent Doctores, quod quando insidiatus non potest aliter euadere, licitum est ei præuenire, & occidere, Ita Couarr. *in Clem. si furiosus par.3. §. vnico num.3.* Molina *de Iust. tom.4. tract.3. disp.12. numer.2.* Bannes *2. 2. quæst.64. art.7. concl.2.* Reginaldus *tom.2. lib.21. cap.5. num.57.* Lessius *l.2. cap.9. dub.8. num.4.* Diana *par.5. tract.4. resol.5. & 6.* Vasquez *tract. de restit. cap.2. §. 1. dub.9. num.12.* & esse communem opinionem, adeò vt nulla in tali casu incurratur irregularitas, docent Sayrus *de censur. lib.6. cap.17. num.13.* & Farinac. *in fragmentis par.2. V. irregularitas num.477.*

Sed quando possit licitè, & sine peccato, ac, (vt dixi) sine irregularitate præueniri, audiamus Eminentissimus Lugo *tract. de Iust. tom.1. disp.10. num.161.* vbi sic ait: *Quando periculum est iam præsens, vt si actu mandet, vel suadeat famulo, vt te occidat, consentire videtur Lessius; parum enim refert, quod per se, vel per alium inuaderet, si tamen periculum esset longinquum, vt si coniurauit in tuam necem, iamque cum sicarijs egit vt opportunitatem quærant te occidendi, non probat Lessius eam doctrinam in praxi, propter periculum abusus, & quia perrarum est, quod non suppetat alia ratio mortis euadenda; fateor quidem casum rarum esse, non tamen metaphisicum, sed quem nobis sæpius quàm oporteret experientia comprobauit, aliquos nempè esse adeò obstinato ad vindictam animo, vt tentatis medijs omnibus, & oblata quauis satisfactione flecti non possint, nisi sanguinem ebibant offensoris, qui cogitur miserè exulare, & vagari toto orbe, nec vllibi securus est à persequentibus; quare non credo eos naturale ius absque remedio reliquisse, aduersus iniquissimos aggressores; nec omnes Sancti sunt, sicut Dauid, qui Saule ipsum iniustè ad necem persequente, maluit ab eius cede abstinere, cum impunè posset occidere. Et Molina disp.12. num.2. vniuersaliter docet, fas esse interficere eum, qui nos interficere decreuit, quando aliter non patet via graue periculum mortis euadendi, quod nobis ex illo decreto imminet.* Hæc ille, doctrina, & purpura Eminentissimus.

Itaque ipsemet homicida, qui ob defensionem propriæ vitæ occidit insidiatorem, licitè occidit, & sic sine vlla irregularitate, si graue sit periculum mortis, quod aliter euadendi, via non patet, vt dixi ex doctrina Molinæ, & Lugo: Sed esto quod potuisset euadere, & sic incurrerit irregularitatem, ac peccauerit occidendo; tunc tamen erit irregularis dispensabilis ab Episcopo, vt dicunt Doctores supra citati; ergo si patrator homicidij ob defensionem euitabilem propriæ vitæ incurrit irregularitatem dispensabilem ab Episcopo, à fortiori consulens, qui minus influit in homicidium, incurrit irregularitatem dispensabilem ab Episcopo: non enim debet maiorem irregularitatem, nempè indispensabilem ab Episcopo, incurrere consulens, ac ipse homicida, tum quia ad incurrendam irregularitatem, à pari procedunt defensio vitæ propriæ, ac alienæ.

Restant aliqua dubia, hic breuiter enodanda.

5 Primum est, an cum tempore Iubilæi Episcopus dederit facultatem suo Vicario dispensandi in omnibus irregularitatibus, in quibus ipse Episcopus potest ex Trid. *sess.24. capit.6.* potuerit id Episcopus Vicario demandare?

Respondetur affirmatiuè, Ita Nauarr. *cons.11. de priuileg. num.4.* Sanchez *de Matr. lib.2. disp.40. num.17. vers. sed dicendum & in Summa. lib.2. cap.11. num.25.* Suarez *de censuris disp.41. sect.2. num.8.* Duardus *in Bullam cœnæ lib.3. §. 2. quæst.11. num.34.* Diana *par.7. tract.2. resol.12.* vbi asserit, ita obseruari in praxi Filliuccius *tom.1. tract.20. num.270.* contra Alterium *de censur. tom.2. disp.8. cap.3. concl.4.* Guttierez *Canon. lib.1. cap.13. num.29.* Ricciull. *de iure personarum extra gremium Ecclesiæ exist. lib.5. cap.16. num.3.* Ratio est, quia hæc potestas est annexa dignitati Episcopali, quare potest alteri ab Episcopo generaliter delegari; nam Trident. dans facultatem Episcopo non elegit industriam personæ, cùm persona sit incognita tum quia si esset electa industria personæ nec generaliter, nec specialiter delegare potest. Neque obstat, quod Trident. vult, quod Episcopus dispenset, vel per se ipsum, vel per Vicariũ specialiter deputandum; nam non est sensus, quod debeat committi potestas in casu particulari, sed quod in generali facultate data Vicario, non comprehenditur hæc potestas, nisi specialis mentio de illa fiat.

6 Secundum dubium est, an hic Presbyter celebrans, ad vitandum scandalum, & infamiam, aliam irregularitatem incurrerit, dum in irregularitate celebrauit?

Respondetur negatiuè, Ita Nauar. *in man. capit.27. num.239.* Ratio est, quia lex naturalis & diuina de custodienda sua fama, præualet legi humanæ, de abstinendo à sacro, in irregularitate.

7 Tertium dubium, an si potuisset à celebratione absque scandalo, & absque infamia abstinere, vt dum abest a Patria, si publicè celebrat incurrat irregularitatem dispensabilem ab Episcopo?

Respondetur eam irregularitatem esse dispensabilem ab Episcopo; quia quamuis celebratio sit publica, tamen occultum est per eam celebrationem incurrisse irregularitatem, & sic occulta est ea irregularitas, ita Henriquez *lib.14. cap.1. num.4.* Nauar. *cap.27. nu.257. in fine, & nu.241.* Auila *de censuris par.7. disp.10. dub.6. vers. ex dictis*, Barbosa *de Episcopo allegat.39. num.26.*

QVÆSTIO XXIX.

An sit irregularis Sacerdos, qui absque vlla protestatione, obtulit Proregi libellum, petens suum inimicum foriudicari?

SVMMARIVM.

Responsio negatiua. num.1.

Quando est dubium facti homicidij iustè commissi non incurritur irregularitas. num.2. Secus si sit dubium facti homicidij iniustè commissi. num.3.

An peccet mortaliter Sacerdos accusans, si ex hoc irregularitatem incurrit? num.4.

1 Respondetur negatiuè, ratio est; quia non est certum, sed dubium an ille libellus efficaciter influxerit in foriudicationem; nam absque illo, etiam sequuta
2 esset foriudicatio; quando enim est dubium facti de homicidio iuste commissi, quale est huiusmodi, non incurritur irregularitas, nam tex. *in capit. significati & capitul. ad audientiam de homicidio*, in quibus sta-
3 tuitur incurri irregularitatem in dubio facti homicidij, procedunt, quando est dubium facti de homicidio

cidio iniuſto, Ita Sanchez *lib.1. Sum. cap.10. num.49. & 50.* Henriquez *lib.14. cap.3. num.4. lit.X.* Layman *lib.1. tract.1. cap.5. nu.39. verſ.3.* Diana *par.4. tract.2. reſolut.52. in fine*. Ioſeph de Auguſtino *in Breui notitia confeſſar. tit. de Irregularit. num.9.* Quare egregiè in terminis caſus noſtri docet Eſcobar *in Theolog. morali tractat.4. exam.6. cap.3. num.59.* vbi ſic ſcribit: *An ſi Sacerdos roget Principem, vt Iudici iubeat agere ex iuſtitia in aliqua cauſa particulari? Reſpondet: ſi cauſa ſit in principio, & adhuc dubia, etiam ſi deinde ſequatur mors, irregularis non eſt: ſecus ſi iam mortis ſententia data eſſet, & ob Iudicis negligentiam executio, eſſet ambigua.* Ita ille. Ergo cùm initio Sacerdos Proregi libellum obtulerit, & abſque eo libello, alij fratres fortè obtinuiſſent forindicationem, & ſic non eſt certum libellum fuiſſe efficacem cauſam mortis, non incurritur irregularitas.

4 Dices, peccat mortaliter Sacerdos petens in iudicio pœnam ſanguinis, vt docent Sotus *lib.5. de Iuſtitia qu.1. artic.4.* Molina aſſerens: eſſe communem opinionem *tom.4. tract.3. diſput.8. num.12.* Caietanus *verbo Clericorum peccata*, vbi ait: *Eſſe mortalia peccata illa, quibus ſe irregulares reddunt conſtituti in ſacris ex actu prohibito.* Sequitur Nauarrus *in manuali cap.25. numer.111. verſ. adde*, Bonacina *de cenſuris diſput.7. quæſt.4. punct.1. numer.32.* Ergo ſi peccauit mortaliter petens forindicationem, & dubitat an ille libellus efficaciter influat in mortem, erit dubium facti homicidij iniuſti: Sed in dubio facti homicidij iniuſti, incurritur irregularitas; vt docent omnes; ergo iſte Sacerdos erit irregularis.

Reſpondetur primò, quod ceſſante ſcandalo, vt ſi aliqui ſcandalizarentur, videntes Sacerdotem petere foriudicationem, ceſſante inquam ſcandalo, probabile eſt, non peccare mortaliter talem Sacerdotem ſecretò petentem in iudicio pœnam ſanguinis, Ita Caietanus ſibi contrarius *in Summa verbo irregularitas*, vbi ſic ſcribit: *Scito tamen irregularitatem non ſolùm à Laicis incurri, quandoque ſine peccato (vt cum Iudex occidit maleficum) verùm etiam cum Clericus malè operando incurrit irregularitatem, non propterea peccat mortaliter, ita quod actus aliquis habens annexam irregularitatem non inducit peccatum mortale, ſiue exercens illum actum propterea reddatur inhabilis ad executionem ſui ordinis, ſiuè non, quia plus eſt facere illud propter quod homo redditur inhabilis ad ſuſceptionem Sacramentorum, quam facere illud, propter quod inhabilitantur ad executionem ordinis, . . um ſuſcipere Sacramentum ſit maius exequutione ordinis, & ſit magis neceſſitate ſalutis; ſed primum non inducit peccatum mortale, vt patet de excommunicatione minore; ergo nec ſecundum; incurritur quippè excommunicatio minor abſque mortali peccato, & tamen priuatur per eam homo perceptione omnis Sacramenti. Et ſimile eſt de ſuſpenſionis, & interdicti cenſuris iudicium, propter eandem rationem.* Hæc Caietanus. Idem ſentiunt Henriquez *lib.14. cap.12. num.4. in fine*, & Sayrus *de cenſuris lib.6. cap.18. num.3.* vbi dicunt: *Non peccare mortaliter Clericum accuſantem ſine proteſtatione.*

Reſpondetur ſecundò tranſeat peccare mortaliter Sacerdotem, petentem in iudicio pœnam ſanguinis, ſeu foriudicationem; tamen tunc in dubio facti homicidij iniuſti incurritur irregularitas; quando homicidium eſt iniuſtum per ſe, & ſimpliciter, ſeu (vt ita dicam) quo-

ad ſubſtantiam, vt cum quis authoritate priuata hominem occidit; non autem ſi homicidium ſit iniuſtum per accidens, & ſecundùm quid, ſeu quoad modum, vt eſt cum accuſante Clerico reus ad mortem damnatur, tale enim homicidium eſt per ſe, & ſimpliciter iuſtum, quamuis ſecundùm quid, & per accidens, ac quoad modum ſit iniuſtum; cum Clericus non poſſit petere pœnam ſanguini; ſed debeat accuſare cum proteſtatione, petendo ſatisfactionem pro delictis contra ſe, ſuoſque commiſſos: Hunc autem non peccare mortaliter patet, nam etiam ſequeretur mors accuſati, ſi accuſaret cum proteſtatione, quare remoto ſcandalo, non videtur mortalis culpa.

QVÆSTIO XXX.

An in Eccleſijs Collegiatis, & Regularium omitti poſſit Miſſa conuentualis de feria, aut de Sancto, vel priuatim legi in Altari maiori præſertim vt poſſit cantari Miſſa pro Defunctis?

SVMMARIVM.

Mortale peccatum eſt in Cathedralibus, aut Collegiatis omittere Miſſam conuentualem. num.1.
Eccleſiæ Regularium non obligantur ad Miſſam conuentualem. num.2.
Regulares nullo Canone, aut iure ſcripto, obligantur ad diuinum officium, ſed tenentur ad Chorum ex conſuetudine. num.3. & 5.
Quando dicatur inducta conſuetudo? num.4.
Conſuetudo iuris interpretatiua, paruo tempore præſcribitur; imò nulla requiritur præſcriptio. num.6.

1 DIco primò, id eſt mortaliter illicitum in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis, Gauantus *in Rubrica Miſſal. par.3. tit.11. numer.7. & 8. & par.1. tit.4. num.3. in fine*.

Probatur, quia eſt contra Rubricas Miſſalis *part.1. tit.3. numer.2.* & contra ius Canonicum *vt in cap. cum creatura de celebrat. Miſſarum*, eſt quoque contra Determinationes ſacræ Congregationis, quæ 16. *Maij* 1626. Decreuit, *quod in ferijs quadrageſimæ, quatuor temporum, Rogationum & vigiliarum, etiam ſi duplex, vel ſemiduplex, vel octaua occurrat in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis cantentur duæ Miſſæ, nec omittatur altera ob celebrationem Capituli Canonicorum*, & idem Decreuit die 16. *Ianuarij* 1627. *vt ex quauis neceſſaria cauſa non omittantur, & quod ob Miſſam votiuam, ſeu pro Defunctis non poteſt omitti Miſſa Conuentualis*, & die 12. *Iulij* 1628. *abrogauit omnem contrariam conſuetudinem*, refert hæc Decreta Gauantus *vbi ſuprà*. Vnde Sanctus Carolus in Concilio Prouinciali Mediolanenſi quarto, Romæ approbato, ita quoque Decreuit: *Quibus diebus ex Miſſalis Romani Rubricarum præſcripto, in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis duas Miſſas Conuentuales celebrare oportet, illæ ambæ canantur, quod ſi Capitulum præſtare omiſerit, non ſolùm illius diei, verùm etiam alterius diei diſtributionibus mulctetur.*

Ratio eſt, nam ex inſtitutione, & fundatione Eccl. Ca-

thedralis, & Collegiatæ tenentur Canonici ad cantum Missæ conuentualis;& ob hoc recipiunt stipendia; quare peccant contra Iustitiam, Missam conuentualem omittendo. Neque excusari possunt, ex Missa pro defunctis, etiam si ista solemniter cum cantu celebretur; nam susceptio huius obligationis præiudicare non debet fundationi Ecclesiæ Collegiatæ.

3 Dico secundò Ecclesiæ Regularium non obligantur sub peccato mortali ad Missam conuentualem; quare si propter Missam pro defunctis ea omittatur, præsertim vbi omitti consueuit, nullum erit peccatum. Ita Gauantus *in Rubricas Missal. par.3. tit.11. num.4.* Rodriquez *qq. Regularium tom.1, quæst.43. artic.12.* Diana *par.3. tract.2. resol.8. & par.4. tract.4. resol.6.*

Probatur Ecclesiæ Regulares non tenentur sub mortali ad Missas conuentuales, neque ex dispositione iuris Canonici, neque ex Rubricis Missalis, neque ex stipendio, aut fundatione Ecclesiæ, neque ex vi regulæ sub mortali obligantis, vt suppono, neque ex vi consuetudinis sub graui obligatione inductæ; ergo sine causa omittentes Missam conuentualem non peccant mortaliter, & si aliqua rationabilis causa adsit, vt celebretur solemniter pro defunctis, nullum omninò peccatum erit eam omittere. Probo antecedens quoad singulas partes.

Non tenentur ex iure Canonico, aut Rubricis Missalis; quia Ecclesię regulares diuersę sunt ab Ecclesijs Collegiatis: patet *ex Clem.1. de celebratione Missarum* vbi tamquam diuersæ referuntur, ibi: *vt in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesijs, horis debitis, deuote psallatur*; & patet manifestè; nam Canonicorum institutio directè tendit, vt in Ecclesia diuina celebrentur, & propterea ipsis dantur stipendia; Regularibus autem non dantur cum hoc onere eleemosynæ, sed vt Deo seruiant, iuxta ipsorum institutum; quare docent communiter Doctores, quod Regulares nullo Canone, aut
2 scripto iure obligantur ad diuinum officium, Ita Lessius *lib.2. c.37. dub.9.* Suarez *de Religione tom.2. lib.4. c.17. num.2.* Filliuccius *tom.2. tract.23. nu.133.* Nomine autem diuini officij, comprehenditur Missa conuentualis. Itaque cum tex. *in cap. cum Creatura*, id præcipiat Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, vtique eo iure Regulares Ecclesię non tenentur ad Missam conucotualem.

Neque tenentur ratione stipendij, nam non recipiunt eleemosynas, neque istæ cum hoc onere dantur, vt canant Missas conuentuales, vt docent Lessius, & Filliuccius *vbi suprà*.

Neque tenentur ex vi regulæ, sub mortali eos obligantis; patet, quia debuisset talis obligatio exprimi in regula.

4 Neque tenentur ex vi consuetudinis. Probo, quia nisi euidenter constet inductam esse consuetudinem, cum animo obligandi grauiter sub mortali, in dubio præsumendum est inductam esse ex deuotione; quia in dubio nullus præsumitur velle se obligare. Ita Suarez *de legibus lib.7. cap.15. num.15.* Villalobos *in Summa to.1. tract.2. difficult.39. num.3.* Bonacina *disput.1. quæst.1. pun. vlt. §. 3. num.23.* Diana *par.3. tract.5. resol.12.* At euidenter non constat eo animo inductam esse hanc consuetudinem canendi Missas conuentuales in Ecclesijs Regularium, vt voluerint se sub mortali obligare; quod patet, quia tunc dicitur consuetudo inducta sub graui obligatione, quando ista vniformiter seruatur, & malè sentitur de transgressoribus, qui etiam à superioribus puniuntur, vt docet, Suarez *de legibus lib.7. cap.15. num.13.* Castropalaus *tom.1. tract.3. disp.3. pun.2. §. 3. num.13.* Diana *par.6. tract.5. resol.11.* At quamuis Ecclesiæ Collegiatæ Canonicorum ex nulla causa omittant conuentuales Missas; tamen istæ in Regularibus Ecclesijs ex non multùm graui causa, presertim propter Missas solemnes pro Defunctis, & in locis, vbi paruus est Regularium numerus, passim, sine vllo scrupulo, omittuntur; ergo non adest obligatio grauis in Missis conuen-
5 tualibus, qualis grauis obligatio adest in cantu Horarum Canonicarum, vt docet, Diana *par.4. tract.4. resol.6.*

6 His accedit, quod sicut ad interpretationem legis sufficit consuetudo paruo tempore præscripta, Crauetta *consil.201. num.12. & cons.294. col.14. in fine*, Menoch. *de arbitr. casu 83. num.10.* & minori spatio, quàm decem annorum inducitur consuetudo interpretatiua, per duos, vel tres actus, Papazonius *super decis. fin. de consuetud.* Imò non requiritur præscriptio, quando est consuetudo declaratiua, Alexand. *cons.8. num.7. lib.6.* Aretin. *cons.11. num.5. & 6. vers. sed tamen*, Crauetta *cons. 725. in fine*, ita ad interpretandam consuetudinem Regularium, quoad canendas Missas conuentuales, sufficit consuetudo, quamuis parui esset temporis, ex qua ipsi consueuerunt omittere Missas conuentuales de die, vt celebrent Missam solemnem pro Defunctis.

QVÆSTIO XXXI.

An in Choro cuiusdam Monasterij legi possint lectiones secundi nocturni manuscriptæ à sede Apostolica non approbatæ, dum per multum temporis (licèt de talis temporis longitudine non constet) fuerunt lectæ & postea per aliquod tempus intermissæ, an possint resumi, non obstante Bulla Pij V.?

SVMMARIVM.

Approbatio diuini Officij est reseruata sedi Apostolicæ. num.1.

Quando aliquid est supremo Principi reseruatum, tunc non potest induci consuetudo, nisi immemorabilis. num.2.

Quando lex reprobat consuetudinem, tamquam prauam, etiam futura prohibetur. num.3. etiam immemorabilis. num.6.

Contra legem Ecclesiasticam, non præscribitur, nisi quadraginta annis, alij autem docent, decem annis. numer.4. & 5.

Quando non vsus inducat consuetudinem Oppositam derogatiuam prioris consuetudinis? num.7. vt consuetudo abrogetur, sufficit decennium. num.8.

HIs verbis per Epistolam fuit mihi casus propositus, nec de aliquibus circumstantijs licuit interrogare, itaque

Respondetur negatiuè.

1 Probatur primò quia Pius V. *in Bulla quæ est in initio Breuiarij*, Sedi Apostolicæ reseruauit approbationem diuini Officij, & sic huiusmodi lectionum, quod etiam ex mandato Vrbani VIII. declarauit sacra Congregatio *die 8. Aprilis* 1628. vbi prohibuit omnia officia non approbata ab eadem, & declarauit Episcopos non potuisse, nec posse in sua Diœcesi, aut superiores Regulares

addere

addere Kaledarijs, etiam proprijs Sanctorum officia à ſede Apoſtolica non approbata, quod decretum referunt, Barboſa *de officio Parochi cap.10. num.12.* Lezana *qq. Regul. tom.1. cap.12. num.33.* & habetur inter recentiora decreta impreſſa ſacræ Cõgregationis *fol.84.*

2 Sed quando aliquod eſt ſupremo Principi reſeruatum, tunc non poteſt induci conſuetudo niſi tempore immemorabili; ita communiter Doctores, Francus *in c. fin. verſ. limita niſi conſuetudo de conſuetud. in 6.* Maſcardus *concl. 424. num.40.* vbi ait communem, Crauetta *de antiquit. tempor. par.4. §.1. num.11. & 12. & conſ. 814. num.5.* Alexand. *conſ.68. nu.11. & 12. lib.2.* Aretinus *conſ.132. num.4. verſ.2.* Iaſon *in l. de quibus nu.45. verſ. primam tamen concluſionem ff. de legibus*, Rota Genuenſis *deciſ.17. num.12.*

3 Probatur ſecundò quia quando lex reprobat conſuetudinem, tamquam prauam, tunc etiam ſi expreſsè non prohibeat futuram, tacitè futuram conſuetudinem prohibet, cum præteritæ derogat, Ita Doctores communiter, Abbas *in cap.2. num.7. de probat.* Tiraquellus *in præfat. de retractu num.18. & 19.* Bald. *in l. fin. num.1. C. de pactis pignorum, & in authentica omnes Peregrini num.4. C. communia de ſucceſſionibus & in l. dudum nu.5.* vbi Salicet. *num.4.* Caſtrenſis *num.2. C. de contrahen. empt.* idem Bald. *conſ.232. nu.2. lib.1.* Couar. *3. var. c.13. num.4.* Aretin. *in l.3. num.4. ff. de teſtamentis*, de communi teſtatur Viuius *opin.158.* Carauita *in ritu 1. n.29.* Moneta *de optione Canon. cap.2. num.48.* Suarez *de legibus lib.7. cap.7. num.8.*

Quare tunc prohibita & damnata conſuetudine, tamquàm praua, non poterit futura conſuetudo legem abrogare, Suarez *de legibus lib.7. cap.6. num.2. & cap.19. num.18.* Salas *de legibus diſp.19. ſect.71.*

Sed Pius V. tamquam prauam conſuetudinem reprobat illam, qua vnuſquiſque Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu priuatum vſurpabat Breuiarium, ibi: *In prouincias paulatim irrepſerat praua illa conſuetudo, vt priuatum ſibi quiſquam Breuiarium conficeret*; Ergo à fortiori, vt corruptelam, & prauam conſuetudinem damnat, quod Monaſterium priuatum ſibi præſcribat Breuiarium, ſic etiam ex mandato Vrbani VIII. ſacra Congregatio tamquam abuſum damnauit recitationem officij à ſede Apoſtolica non approbati.

Probatur tertiò nam hæc conſuetudo vel inducta eſſet ante *annum* 1628. vel poſt: ſi ante iam reuocata eſſet, tamquam abuſus, & corruptela, per prædictum Decretum, his verbis: *Sacra Congregatio ad tollendos abuſus, qui varijs in locis irrepſerant*, & infra, *Officia à ſacra Congregatione nõ approbata prohibuit, reiecit omninò, & damnauit reſpectiuè, & pro prohibitis, & dãnatis haberi voluit*, quare tale decretũ damnat omnes conſuetudines particulares, vt docent Doctores *in p.1. de conſtit. in 6. in c. fi. de conſuet.* vbi Abbas *n.24.* & Rochus *ſect.7. n.30.* Suarez *de legibus lib.7. c.20. nu.9.* imò cum damnet tamquam abuſum, reprobat etiam conſuetudinem immemorabilem vt docent Sanctarellus *var. reſ. to.1. quæſt.4. nu.37.* & ita deciſum in ſacra Rota, refert Coccinus *deciſ.71. num.3. & 7.* Diana *par.6. tract.5. reſol.32.*

Si poſt prædictum decretum anni 1628. prætendatur
inducta conſuetudo. Contra eſt, primò nam requireretur
4 ſaltem immemorabilis. Contra ſecundò ſaltem requireretur quadragenaria, qualis requiritur contra legem Eccleſiaſticam, vt docent communiter, Rota *in nonis deciſ.460.* Grammatic. *deciſ.64. num.37.* Affliãt. *deciſ.11. num.18. par.1.* Caputaquenſis *deciſ.101.* Gayllus *lib.2. obſer.31. num.3.* Maſcardus *concl.424. nu.32.* Ceuallos *comm. contra comm. quæſt.357. num.10.* Gozadin. *conſ.101. num.25.* Suarez *de legibus lib.7. cap.18. num.12.* Salas *de legib. diſp.19. ſect.4. num.42.* Layman *lib.1. tract.4. cap.3. num.4.* Merolla *tom.2. diſp.5. cap.4. num.63.* Diana *par.6. tract.5. reſol.2.* At quadragenaria conſuetudo ab anno 1628. non potuit præſcribi, quæ per vnicum actum oppoſitum recitandi diuerſas lectiones, iam interrupta eſt, ſiquidem per vnicum actum oppoſitum interrumpitur conſuetudo, vt *in ſacra Rota deciſum* refert Gregor. XV. *deciſ.162. nu.9. & 15.* Diana *par.6. tract.5. reſol.4.*

5 Contra tertiò ſaltem requireretur conſuetudo decennalis, qualem contra leges Eccleſiaſticas valere, probabiliter multi docent, Ita Soto *de Iuſt. quæſt.7. art.2.* Medina *1.2. quæſt.7. art.3.* Granado *1.2. controu.7. tract.3. par.2. diſp.16. ſect.1. num.9.* Caſtropalaus *tom.1. tract.3. diſp.3. pun.2. §.2. num.9.* Barbatia *in cap. fin. num.103. de conſuetud.* Azor. *tom.1. lib.5. cap.18. quæſt.6. Sd verbo conſuetudo num.6.* & non eſſe improbabilem ſcribit Leſſius *lib.2. cap.6. dub.14. num.46.*

At neque certum eſt, quod poſt annum 1628. per decennium continuum fuerint illæ lectiones manuſcriptæ recitatæ; quando autem certum eſt de lege, incertum de conſuetudine abrogante legem, tunc poſſeſſio ſtat pro lege, eaque ſeruanda eſt, vt docent, Suarez *de legibus lib.6. cap.8. num.7.* Io. Sanchez *in ſelectis diſp.43. num.4.* Villalobos *tom.1. tract.1. diffic.21. num.4.*

Contra quartò, & hoc ponit gladium ad radicem, quia ſacra Congregatio, approbante Vrbano VIII. damnauit tamquam abuſum recitationem officij, non approbati à ſede Apoſtolica; quando autem conſuetudo tamquam corruptela, & irrationabilis damnatur, tunc
6 neque tempore immemorabili præſcribi poteſt. Abbas, & Butrius *in cap. fin. de conſuetud.* Suarez *de legibus lib.7. cap.19. num.24.* Salas *de legibus diſp.19. num.71.*

Contra quintò dato, & non conceſſo, quod fuerit præſcripta legitima conſuetudo legendi has lectiones manuſcriptas, tamen ſi per decem annos poſtea non legerunt illas, ſed diuerſas, illa conſuetudo per contrariam con-
7 ſuetudinem non legendi fuit abrogata; nam non vſus tunc inducit conſuetudinem oppoſitam, quando non vſus æquiualet contrario vſui; quod tunc eſt, quando lex, vel conſuetudo præcipit aliquid fieri, vel ſtatuit præceptum affirmatiuum, quale eſt hoc legendi tales lectiones manuſcriptas, & præualet non vſus eius; quia non
8 ipſæ, ſed aliæ ſunt lectæ per decennium; dixi per decennium, nam conſuetudo, quæ eſt contra legem Eccleſiaſticam, abrogatur per conſuetudinem oppoſitam decennalem, ita poſt Abbatem, & Felinum Suarez *de legibus lib.7. cap.20. num.21.* Diana *par.6. tract.5. reſ.27.* Quare talis non vſus, æquiualens vſui, ſicuti abrogat legem, ſic abrogat oppoſitam conſuetudinem, Ita Abbas *in cap.1. Ioannes de Clerico coniugato*, Angelus *conſ.337. numer.3.* Crauetta *conſ.111. numer.21.* Villalobos *in Summa tom.1. tractat.2. difficul.39. num.12.* Lorca *1.2. tom.2. diſp.29. de legibus mem.3.* Diana *par.6. tractat.5. reſol.18.*

QVÆ-

QVÆSTIO XXXII.

An ſit Irregularis Prælatus Eccleſiaſticus, qui temporalem habens iuriſdictionem, Bannito ſuo ſubdito procuranit dari guidaticum à Prorege, quo guidatus plures Bannitos occidit?

SVMMARIVM.

Poſſunt Clerici cauſas ſanguinis delegare. num.1.

Irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, niſi per perſonas in iure expreſſas. num.2.

Irregularitatem non incurrit, niſi is, qui eſt cauſa proxima homicidij. num.3.

Non incurrunt Principum Conſiliarij, aut ipſe Princeps ex promulgatione legis, in qua imponitur pęna ſanguinis. numer.4.

Neq; Confeſſarius perſuadens Iudici, vt homicidam ſuſpendat. num.5. Neque qui hortatur ad pugnandum, & occidendum. nu.6. Neque Prælati indicentes bellum. nu.7. Neque degradantes Clericum, mox laqueo ſuſpendendum, quamuis non præmitterent proteſtationem. nu.8.

REſpondetur negatiuè, ex ſequentibus ſundamentis.
1 Primum eſt, quia ſine metu irregularitatis poſſunt, ac debent Clerici habentes temporalem iuriſdictionem, cauſas ſanguinis delegare, *cap. vlt. ne Clerici, vel Monachi*, etiamſi in particulari cauſam delegarent, adiecto mandato, vt legis ordo ſeruetur, Layman *lib. 3. tract.3. par.3. c.7. num.4.* Coninch. *de cenſuris diſp.18. dub.10. num.91.* ſimiliter ſi poſſunt Iudices conſtituere, poterunt quoque, & cæteros iuſtitiæ Miniſtros, vt ſatellites, & carnifices: ſed occidens bannitum, occidit tamquam iuſtitiæ miniſter, & guidatus eſt veluti ſatelles, & iuſtitiæ Miniſter; nam vt habetur in pragmatica 2. & 3. *de Guidaticis* in Regno Neapolitano Guidatus ille eſt, qui inquiſitus de delicto, obtinet aſſecurationem pro certo tempore, promittens interim aliquod ſeruitium præſtare Regi, vel in bello, vel in perſecutione Bannitorum.

Ergo Prælatus Eccleſiaſticus qui habet iuriſdictionem temporalem, cum poſſit ipſe conſtituere iuſtitiæ miniſtros, abſque metu irregularitatis, vt Iudices, & ſatellites, poterit quoque dare guidatica, ſi haberet poteſtatem, ac illa procurare à Prorege danda; quia hoc nõ eſt aliud, niſi iuſtitię miniſtros, ac ſatellites cõſtituere.

Secundum fundamentum eſt, quia irregularitas non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa, *cap.15. qui de ſententia excom. in 6.* vnde rectè docet Vaſq.2.2. *to.1. diſ.93.* quod irregularitas defectu lenitatis non incurritur, niſi
2 ſolùm, quoad perſonas in iure expreſſas, & ſic ſolùm ex defectu lenitatis ſunt irregulares miniſtri iuſtitiæ, & aliæ perſonæ, quæ neceſſariæ ſunt ad cauſæ probationem, ad ſententiæ prolationem, & eius exequutionem, tales ſunt accuſatores, teſtes, aduocati, ſolicitatores, procuratores, actuarij, ſatellites, Iudices, carnifices, Vaſquez ſequuntur Turrianus *de cenſuris lib.9. diſp.66. dub.3.* Hurtadus *de irregul. diſp.2. diffic.11. num.39.* Diana *par.3. tract.5. reſol. 79. & 80. & in addit. ad 3. partem, reſ.15. & par.5. tract.14. reſol.98.*

Sed is, qui procurat, vt aliquis fiat ſatelles, aut guidatus, non concurrit tamquam perſona neceſſa[illegible] ad cauſæ probationem, ſententiam, aut executionem, nec procurans alium fieri guidatum dicitur miniſter Iuſtitiæ, ergo, &c.

3 Tertium fundamentum eſt, quia ille eſt irregularis ex defectu lenitatis, qui eſt *cauſa propria, & particularis homicidij*, quoad determinatam perſonam; ſecus ſi eſſet *cauſa generalis, & remota*, Doctores *in cap. Tua nos de homicidio, gloſ. in c. de cætero eod. titulo*, Layman *lib.3. tr.3. par.3. cap.7. num.2.* Hinc eſt, quod Prælatus Eccleſiaſti-
4 cus, & Princeps temporalis, ac Principum Conſiliarij, ſine metu irregularitatis poſſunt promulgare leges, quibus imponitur pęna capitalis, tali delicto; ratio eſt, quia hæc eſt cooperatio generalis, & remota, Toletus *lib.1. cap.81. num.4.* Suarez *de cenſuris, diſp.47. ſect.1. num.7.* Layman *lib.3. tract.3. part.3. cap.7. num.4.* Coninch. *diſp.18. num.91.* Filliuccius *tract.19. c.9. nu.242.*

Sic licet viro docto, Confeſſario, aut Concionatori
5 dicere, quod pro tali delicto imponenda ſit pęna mortis, & perſuadere Iudicibus, vt tales malefactores laqueo ſuſpendant, quia talis eſt cooperatio generalis, & remota, Suarez *diſp.47. ſect.1. nu.8.* Toletus *lib.1. c.81. num.11.* Filliuccius *tract.19. cap.9. num.242.* qui tamen dicunt non poſſe ſine irregularitate, dici in particulari: ſuſpendas Franciſcum delinquẽtem: Vaſquez verò, Turrianus, & alij id licere aſſeruut, etiam in particulari. Ratio eſt, quia non concurrit tamquam miniſter iuſtitiæ; tum quia eodem modo vtrumque conſilium influit ad mortem, Diana *p.3. tract.5. reſol.80.*

6 Sic licitum eſt Clerico hortari milites ad fortiter pugnandum, etiam dicendo: *percutite, occidite*, modò non dicant *occidite hunc aut illum*; quia talis cooperatio eſt generalis, ita Hurtadus *2. 2. to.2. diſp.169. ſect.2. §.137. & 145.* Diana *par.5. trac.14. reſol.98. & par.6 tract.4. reſol.39.* Coninch *diſp.18. num.97.*

Contra Suarez *diſp.46. ſect.6. num.8.* & Lorcam *2.2. ſec.3. diſp.51. num.22.* qui docent: eſſe irregulares, ſi dicant: *occidite*.

Imò Diana *d. reſol.98.* & Hurtad. *d. diſp.169. ſect.2 §.143.* docent, quòd non eſſet irregularis, etiamſi diceret: *occide hunc determinatè*; quia non concurrit tamquam miniſter iuſtitiæ.

7 Hinc etiam Prælati indicentes bellum, non ſunt irregulares; quia ea cooperatio eſt generalis, & remota, Toletus *lib.1. c.81. num. 14.* Vbi etiam ait non eſſe irregulares inuocantes brachium ſeculare, contra malefactores, & inobedientes; Ergo neque irregularis eſt dans, aut procurans bannito guidatum illi, qui promittit ſe bannitos perſecuturum, & occiſurum; nam talis cooperatio eſt generalis; ſiquidem non eſt contra determinatam perſonam occidendam: præterea eſt remota; nam plerumque nulla ſequitur occiſio.

Quartum fundamentum eſt, quia ad irregularitatem incurrendam, debet cooperatio ad homicidium eſſe *directa*, non enim ſufficit cooperatio *indirecta, & per accidens*, Suarez *de cenſuris, diſp.47. ſect.1. num.10.* Filliuccius *tom.1. trac.19. num.243.* Layman *l.3. trac.3. par.3. c.7. num.7.* Turrianus *de cenſuris lib.9. diſput.66. dub.3.* Homobonus *in exam. Eccleſiaſ. par.2 trac.12. cap.1. q.2.* Beia *reſponſ. par.1. caſu 37.* Diana *par.4. tr.1. reſol.101.*
8 qui omnes ex hac ratione dicunt, quod Inquiſitores, aut Epiſcopi degradantes Clericum, & tradentes curię Seculari, etiamſi proteſtationem, citra pęnam ſanguinis non præ-

præmitterent, non essent irregulares; quia non cooperantur directè ad mortem, sed indirectè; nam ipsi solum directè priuant reum priuilegio Ecclesiastico, & non dant Iudici seculari iurisdictionem; sed iurisdictio consequitur ex se, hoc ipso, quod est priuatus priuilegio.

Ergo procurans guidaticum bannito non est irregularis; quia directè procurat illi bannito securitatem pro certo tempore, & bannitus promittit regi seruitium; indirectè autem ex hoc guidatico, sequitur quod obtenta securitate, bannitus alios bannitos occidit.

QVÆSTIO XXXIII.

An Clericus beneficiatus Minorum Ordinum possit exercere medicinam, & ab vniuersitate salarium pro ea recipere?

SVMMARIVM.

Potest exercere Chirurgiam, etiam cum incisione, & adustione. num. 1.
Clericus potest exercere officia publica, sibi specialiter à iure non prohibita. num. 2.
An Clericus delinquens in officio Seculari puniatur à Laico? num. 3.

QVoad primum respondetur affirmatiuè, ita Nauar. *cap. 25. num. 111.* Saytus *lib. 7. cap. 6. num. 11.* qui pro se affert Abbatem *in c. sententiam sanguinis, num. 22. ne Clerici, vel Monachi*, dummodo sit absq;
1 incisione, aut adustione. Imò etiam cum incisione, & adustione posse exercere Chirurgiam, rectius docent Molina *tom. 4. disp. 75. nu. 2.* & Diana *par. 4. tr. 2. res. 24.* Ratio est, quia nullibi in iure prohibetur Clerico exercitium Medicinæ, aut Chirurgiæ cum incisione, aut adustione.

Quo ad secundum, negat Henriquez *lib. 14. cap. 11. nu. 1. lit. F. & cap. 5. num. 5. lit. N.*

Fortè fundamentum ipsius est, quia alioquin si posset recipere salarium à publico, tunc delinquens in eo medicinæ exercitio, posset à seculari Iudice puniri, vt docuit Io. Gallus *qu. 150.* quem sequitur Couarr. *in clem. si furiosus, p. 2. §. 4. num. 3. in fine*: sed hoc repugnat Ecclesiasticæ immunitati.

His tamen non obstantibus, respondetur posse recipere salarium ab Vniuersitate.

2 Probatur primò, quia Clericus potest exercere ea officia quæ à iure Canonico non sunt ei interdicta *in cap. vnico, de vita, & honestate Clericorum, & in Clem. vnica eod. tit.* ita docent Alex. de Neuo *cons. 61. nu. 1.* Farinacius *de inquisit. qu. 8. num. 97.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 46. num. 25.* Couar. *pract. c. 31. num. 8. vers. 6.* sic Clericus potest esse Prorex, Gubernator Prouinciæ, aut Consiliarius Principis; quia id ei non est à iure interdictum, Henriq. *lib. 14. cap. 5. num. 5.* Eman. Sà *V. Clericus, num. 20.*

Ergo si Clericus potest exercere publicum officium Proregis, Gubernatoris, aut Consiliarij, quia id ei interdictum non est, cur non poterit recipere salarium publicum pro officio Proregis, Consiliarij? quis vnquam id somniauit? ergo si poterit exercere medicinam, cur non poterit pro eo exercitio salarium à publico recipere?

Secundò accessorium sequitur naturam sui principalis; ergo si principale, nempè exercitium medicinæ non est prohibitum Clerico, cur erit prohibitum salarium recipere, nam dignus est operarius mercede sua.

3 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, primò ex communi opinione non posse Clericum delinquentem in officio aliquo Seculari, sibi permisso, puniri à Iudice laico, ita de communi testatur Couar. *prac. qq. c. 33. nu. 6.* Farinac. *d. qu. 8. num. 98.*

Respondetur secundò, esto quòd iusta esset obseruantia, quod Clericus habens publicum officium sibi à sacris Canonibus non prohibitum, si in eo delinquat, à laico Iudice puniatur, de qua consuetudine testatur Clarus *in §. fin. qu. 36. vers. quæro pone*; tamen ex hoc non sequitur, quod nequeat tale officium exercere, omnes enim Doctores admittunt posse exercere officia secularia sibi specialiter non prohibita: ergo multò minus sequitur quod nequeat recipere publicum salarium; sicut quamuis Clericus habens feudum, pro feudali causa trahatur ad Tribunal laicale, nullus tamen dixit: non posse Clericum obtinere feudum à seculari Principe.

QVÆSTIO XXXIV.

An Expositus præsumendus sit legitimus, ac sine dispensatione sit ad ordines, & dignitates admittendus?

SVMMARIVM.

Negant aliqui asserentes, præsumi naturalem, alij spurium, alij illegitimum. num. 1.
Affirmant alij præsumi legitimum. num. 2.
Tunc quis tenetur probare se esse legitimum, quando publica fama est, ipsum esse illegitimum. num. 3.
Quando filius Adulteræ præsumitur legitimum. num. 4.
Reseruatio non habet locum in casu dubio. nu. 5.
Tunc expositus succumbet, quando agit, contra iustum possessorem hæreditatis. num. 6.
Quis dicatur Spurius? num. 7.

1 NEgant: asserentes præsumi naturalem, Angelus *in l. libertorum, ff. de his, qui notant infam.* Iason *in l. nec professio, C. de testamentis.*

Negant alij, asserentes præsumi Spurium, Puteus *p. 1. decis. 435.* Barbosa *in Rubrica, ff. sol. matrim. p. 1. num. 20.* Alciatus *de præsump. regular. 2. præs. 2. num. 8. & reg. 3 præs. 1. nu. 12.*

Negant alij: asserentes simpliciter præsumi illegitimum, Couar. *in clem. si furiosus, p. 1. in principio, nu. 9. & in Epitome decret. lib. 4. par. 2. cap. 8. §. 3.* Salzedus *ad Diaz in praxi, c. 14. in fine*, Maiolus *de irregularit. lib. 1. cap. 11. num. 1.* Toletus *lib. 1. c. 52.* Vinald. *de irregular. num. 123.* Layman *lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 5. nu. 4.* Gaspar Hurtad. *de irregular. disp. 2. diffic. 13. num. 57.* Vgolinus *de irregul. c. 44. §. 7.* Alciatus *de præsumpt. reg. 2. præs. 6. n. 8. fol. 158.* Matienzo *lib. 5. nouæ recopilat. lege 9. glosa 3. nu. 6.* Menchacha *controu. illustr. cap. 85. nu. 14. & 15.* Hondedeus *cons. 47. num. 23. vol. 2.* Castillo Sotomayor *quotid. controu. lib. 2. c. 19. nu. 51.* Maluasia *cons. 24. vol. 1.* Bonacina *de censur. disp. 7. qu. 2. pun. 3. nu. 10.*

Probant primò, quia frequentissimè accidit exponi

solere

solere illegitimos; rarò autem legitimi ob paupertatem exponuntur: in obscuris autem id quod verisimilius, ac frequenter accidit attendendum est, *regula in obscuris de reg. iuris in 6. l. in obscuris, ff. eod.*

Secundò, quia asserens se legitimum, probare debet, *l. 1. ff. de probat. l. fin. C. de Alend. liberis*, Bald. *cons. 188. num. 1. lib. 3.* Roland. *cons. 3. num. 43. & cons. 63. num. 3. volum. 1.*

Tertiò, quia Matrimonium est quid facti, quod non præsumitur, nisi probetur, *l. in bello §. facta, ff. de captiuis, & postlim. reuers.*

Quartò, quia in dubio facti semper pronunciandus est quis irregularis, ita ex tex. *in cap. ad audientiam, & cap. significasti de homicidio* docuerunt Couar. *in clem. si furiosus de homicidio, par. 1. nu. 3.* Rebellius *par. 2. lib. 1. qu. 2. num. 13.* Toletus *lib. 1. cap. 51.* Valerus *de different. vtriusque fori verbo irregular. differ. 5.*

Quintò, quia in dubijs tutior pars est eligenda, *c. iuuenis de sponsalibus*; ergo cùm tutius sit, expositum se existimare illegitimum, non debet accedere ad ordines.

Sextò, quia peregrini, & incogniti repelluntur ab ordine, nisi se ostendant idoneos, *c. 2. de Cleric. peregrin.*

Septimò, ex glosa *in cap. consuluit, de seruis non ordinandis*, vbi spurius dicitur, qui certum patrem ostendere non potest, vel si ostendit verecundum ostendit: sed nequit expositus certum patrem ostendere; ergo dicendus est spurius.

2 His tamen non obstantibus, respondetur affirmatiuè, nempè expositum præsumendum esse legitimum, ac sine dispensatione ad ordines, & dignitates admittendum, ita Ananias *in cap. 1. de infant. expositis*, Felinus, & Barbatia *in c. cum deputati de Iudicijs*, Baldus *cons. 437. lib. 5.* Faber *in §. fin. institut. de action.* Ruinus *cons. 109. num. 38. vol. 3.* Rota Romana *decis. 470. num. 3. par. 1. in nouis.* Tasson. *in pragm. de antifato, vers. 13. obseruat. 1. num. 78.* Barbosa *allegatione 52. num. 150.* Paschal. *de patr. potest. par. 1. c. 6. num. 8.* Squillante *de priuileg. Cler. cap. 4. dub. 3. num. 39.* Paleottus *de notis, & spurijs c. 20. num. 3. & cap. 63. num. 3. & 7.* vbi de communi testatur, Bermondus Chouerronius *de publicis cōcubinarijs in verbo qui etiam filios num. 90.* Mascard. *de probation. concl. 799.* Gironda *de priuileg. explicat. num. 1441.* Menochius, *qui de magis communi testatur lib. 6. præs. 54. n. 20. & de arbitrar. casu 396. num. 15.* Gratianus *discept. cap. 235. num. 31. & cap. 262. numer. 22.* Gregorius Lopez *leg. 1. tit. 14. par. 2.* Tellus Fernandez *in leg. 11. Tauri numer. 3.* Mantica *de coniecturis lib. 6. cap. 11. num. 33.* Ex Theologis Suarez *3. p. tr. 5. disp. 50. sect. 4. nu. 4.* Vasquez *par. 2. disp. 96. cap. 8.* Sayrus *in claui Regia lib. 1. cap. 13. num. 19.* Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 19. q. 7.* Salas *2. 2. tract. 8. disp. vnica sect. 24. num. 246.* Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 12. num. 105.* Malderus *p. 2. qu. 19. art. 5. disp. 87. & ibid.* Martinez *artic. 6. dub. 4. concl. 2.* Turrian. *in opusc. Theol. opusc. 10. disp. 5. dub. 3.* Castropalaus *tom. 1. trac. 1. disp. 3. punc. 5. nu. 4.* Villalob. *in sum. to. 1. trac. 1. diffic. 20. num. 10.* Sanctarellus *variarum resol. tom. 1. qu. 24. nu. 20.* Rodriquez *quæst. regular. tom. 1. qu. 13. art. 2. & qu. 14. art. 3. col. 6.* Filliuc. *tom. 1. tr. 19. cap. 5. num. 142. & 143.* Diana *p. 1. tr. 15. resol. 22. & par. 4. trac. 3. resol. 6. & tr. 2. resol. 58.* Præposit. *3. p. qu. 5. de irregul. dub. 16. num. 127.* Henriq. *lib. 13. c. 8. num. 10. in glosa lit. L.* Aula *de censuris p. 7. disp. 3. dub. 7.*

3 Probatur primò, ex *cap. accidens de purgat. canon.* vbi tunc quis tenetur se probare legitimum, quando publica fama est esse illegitimum; ergo hoc ipso, quod non probatur hunc expositum esse illegitimo thoro natum, præsumendus erit legitimus: tum quia in dubio quilibet præsumitur natus de legitimo matrimonio, ita ex *text. in l. Lucius, ff. de condition. & demonstrat.* Vincentius de Anna *sing. 655.* & ante eum Sapia *in l. precibus, num. 40. C. de impub. & alijs substit.* Albericus *in l. filium, num. 11. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*, Asinius *in praxi Iudiciali de modo probandi filiationem cap. 10.* Paleotus *de notis, cap. 20. num. 3.*

Dices in dubio filius præsumitur legitimus, si sumus in dubio proprio, & negatiuo; quando ad alteram partem nulla nos coniectura impellit; secus si sumus in dubio improprio, quādo probabilior, ac verisimilior coniectura alterius partis vrgeat assensum, quod sit illegitimus; huiusmodi autem coniectura adest in eo, quem constat fuisse expositum; nam frequentissimè illegitimi exponuntur, rarò autem legitimi.

Respondetur huic coniecturę, ex frequenter accidentibus, præualere fauorem filiorum: quod patet, quia, vt mox dicam, quamuis in aliquo casu verisimilius sit, ac longè probabilius filium esse adulterinum, adhuc tamen ob fauorem filiorum, lex reputat, atque præsumit legitimum.

Probatur secundò ex *l. filium, ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris*, vbi legitimus præsumitur Filius adulteræ, prout etiam ibi docuerunt Bartol. & omnes, Bald. *in l. si matre, Cod. de suis, & legitimis* Barbatia *consil. 27. vol. 1. cons. 58. vol. 2. & cons. 87.* Baldus *379. vol. 3. cons. 39. & cons. 437. num. 3. vol. 5.* Alexand. *cons. 87. vol. 3. cons. 157. vol. 5. & cons. 88. vol. 7.* Castrens. *cons. 252. vol. 2.* Capra *cons. 2.* Decius *cons. 288. & cons. 657.* Iason *cons. 125. num. 1. & 6. vol. 4.* Roland. *cons. 49. num. 26. vol. 4.* Abbas *in cap. per tuas, num. 5. de probation.* Menoch. *de arbitr. casu 89. num. 20. Cremensis notab. 126.*

Sed non solum præsumitur legitimus, quando non adest maior ratio, cur potius ab adulterina, quàm à maritali copula procreatus sit; sed etiam quando verisimilius, & longè probabilius est ex adulterino semine conceptum, vt quia discessit mulier à marito, vt habitaret cum adultero, Barbatia *consil. 58. vol. 2.* Paleotus *de notis, cap. 14.* Menoch. *d. casu 89. num. 25.* aut si pater, ac mater asserant esse filium adulteri, dummodo non sit impossibile, quod sit ex maritali semine procreatus, adhuc reputatur legitimus, Bart. & Fulgos. *in l. filium, ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris, glos. in cap. officij de pænit. & remiss.* Abbas *in cap. accedens de purgat. canon.* Marsilius *in l. 1. §. ad quæstionem, nu. 21. ff. de quæstion.* Quare non tenetur filius credere suæ matri dicenti sibi, etiam in mortis articulo, & cum iuramento eum esse adulterinum, Bonacina *de censuris disp. 7. q. 2. pun. 3. num. 5.* & alij communiter Diana *par. 4. tract. 2. resol. 59.* Quinimmò etiam si assimilaretur adultero, adhuc tamen reputandus est legitimus, quia quamuis frequentissimè filij assimilentur parentibus, tamen aliquando accidit extraneis assimilari, ob cogitationem, quam mater habuit, dum eum conciperet, Barbatia *cons. 27. vol. 1. & cons. 58. vol. 2.* Moedanus *decis. 19. & decis. 115.* Ergo fauor filiorū præualet coniecturę ductæ à frequenter accidentibus.

Confirmatur nam quilibet præsumitur ingenuus *l. 3. C. de infant. expositis*; ergo & legitimus.

Confirmatur secundo, nam illegitimus est infamis

infamia

infamia facti Azo. *in Sum. C. de his qui notant. infam.* Curtius Iunior *consi.* 136.*nu.*11. Decianus *consi.*31.*nu.*15. *vol.*4. Hondedeus *consi.*47.*num.*21.*vol.*2. Castillo Sotomayor *quotid. controu. lib.*2.*cap.*19. *num.*50. Sed nemo reputandus infamis, nisi probetur, Felinus *in capit. fin. num.*14. *de præsumption.*

Probatur tertiò à pari, nam meliùs est plures nocentes impunitos dimitti, quàm vnum innocẽtem condemnari *l. absentem ff. de pænis*, ergo tolerabilius est, plurimos expositos illegitimos, ac spurios ad ordines, & dignitates admitti, quàm aliquos verè legitimos, & ob paupertatem expositos, ab ordinibus, & dignitatibus repelli; quia sicuti non debet innocens sine culpa puniri, ita nisi certa subsit causa, non debet aliquo iure priuari, *cap. sine culpa de Regul. in* 6. *cap. satis peruersum* 56. *dist. cap. cognoscentes de constitut. l. si putator ff. ad legem aquil.*

Probatur quartò, nam irregularitas non inducitur, nisi sit in iure expressa *cap. is qui, de sententia excom. in* 6. Ergo causa, ob quam quis fit irregularis, debet esse certa, & indubitata, ac in iure expressa: Sed quod hic expositus sit illegitimo thoro natus, non est certum, & indubitatum, & aliunde nullibi in iure est expressum, quod expositus sit irregularis: ergo non erit ab ordine repellendus.

5 Confirmatur, nam in dubio an casus sit reseruatus quilibet potest absoluere; si etiam si dubia sit censura, nam reseruatio cùm sit odiosa, intelligitur de certo, & indubitato casu reseruato, Suarez 3. *par. tom.*5. *disp.*40. *sect.*4. Lugo *de pænit. disput.*20. *sect.*2. *num.*18. Diana *par.*4. *tract.*3. *resolut.*4. sic dubia hæresis, non subiacet reseruationi, Merolla *tom.*1. *disp.*3. *dub.*2. *coll.*23. *num.* 370. Thomas del Bene *de parlam.dub.*4. *sect.*19. *sub sect.* 31. *subcoroll.*11. *fol.*110. Sic dubium votum castitatis perpetuæ, non subiacet reseruationi, Sanchez *in Sum. lib.*4. *cap.*40. *num.*26. & *cap.*44. *num.*5. Pontius *de Matrim. l.*8. *cap.*9. *num.*14. Sic dubia censura non obligat ad vitandum fideles, Diana *par.*4. *tract.*3. *res.*35. & 66. & *par.*5. *tract.*9. *resolut.*44. Ergo expositus, qui dubius est, an sit illegitimus non subiacet irregularitati, Ratio est, quia leges pœnales, & odiosæ strictè sunt intelligendæ, & sic in casibus certis, & indubitatis, non autem in casibus dubijs.

Probatur quintò; nam iure nouo, ex Bulla Gregorij XIV. quam affert Turrianus *de censur. lib.*9. *disputat.*71. *dub.*1. expositi habendi sunt pro legitimis.

Ex his patet Responsio ad primum; illi enim coniecturæ, quod frequentiùs illegitimi exponantur; præualet fauor filiorum, tum quia expositus esset illegitimus præsumptiuè, non autem certò & indubitatè; at irregularitas non est asserenda, nisi in casu certo, & indubitato.

6 Ad secundum respondetur, quod tunc asserens, se legitimum probare debet; quando agit contra alium in iudicio, nam actore non probante qualitatem, quæ est fundamentum suæ intentionis, reus absoluitur, *l. actores C. de probat.* & hoc casu fortè succumbet expositus, qui agit contra iustum possessorem hæreditatis, vt docent Azeued. *lib.*5. *noua recopil. tit.*8. *leg.*9. *à num.*14. Matienzo *in d. l.*9. *glosa* 3. *num.*11. Castropalaus *tom.*1. *tract.*1. *disp.*3. *pun.*5. *num.*3.

Ad tertium respondetur factum non præsumi, nisi obstet alia ratio, vt possessio, aut fauor filiorum, vt patet *ex cap. fin. de præsumpt.* ex dictis per Bal. *in l. neque natales, C. de probat.* Abb. *in c. in præsentia* 7. *notab. de probat.*

Ad quartum omissis aliorum responsionibus, dico certum, & indubitatum debere esse opus illicitum, ad quod an sit sequutum homicidium dubitetur; hoc casu sacri Canones expressè voluerunt induci irregularitatem, vt patet *ex cap. tua nos de homicidio, & cap. fin. eod. tit. in* 6. ratio est, quia in pœnam talis operis illiciti, hoc expressè statuerunt Canones, vt egregiè considerauit Suarez *de censuris, disp.*45. *sect.*6. in cæteris autem casibus, id sacri Canones non expresserunt; vnde in alijs casibus dubijs non est asserenda irregularitas, quæ non inducitur; nisi in casibus expressis, certis, & indubitatis.

Ad quintum respondetur, quòd tunc tutior pars est eligenda; quando sumus in dubio practico, an hic, & nunc quis peccet operando, debet abstinere, ne se exponat peccandi periculo; non autem in dubio speculatiuo; vt cùm dubitatur an aliquid sit licitum, vel illicitum, vide Suarez *p.*2. *tract.*3. *disp.*12. *sect.*5. *in fine.* Vel respondetur tutissimam esse eam partem, quæ ob probabilitatem rationum, ac authoritatem excludit omne peccatum.

Ad sextum, respondetur ex Suarez, ideò repelluntur incogniti, & peregrini; quia tenentur de se rationem reddere; tum quia cum spontè noluerint à proprijs Episcopis ordinari; meritò contra eos ius præsumit, eos aliquo impedimento detineri: non sic expositi, qui non spontè, nequeunt ostendere suos natales.

7 Ad septimum respondetur spurium dici, quando inter parentes est impedimentum dirimens, vel est natus à matre venalem pudicitiam habente, qui propriè dicitur; vulgò quæsitus, *l. vulgo quæsiti, ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris,* Glosa *in cap. nisi cum pridem*, vbi Abb. & Hostien. *de filijs Præsbiterorum*, Couar. *de sponsal. par.*2. *c.*8. §.4. Petrus Gregor. *lib.*10. *syntag. cap.*3. Florianus *quæst.*3. Cranetta *cons.*166. *num.*8. & 9. optimè Surdus *de alimentis. tit.*1. *qu.*10. *num.*30. & *seq.* sed hoc positiuè probandum est, nempè matrem fuisse meretricem, aut ex incestuoso, sacrilego, vel adulterino semine concepisse, quod positiuè de exposito non ostenditur.

Aduerte primò, quòd in omnium sententia, expositus bona fide ordinatus, non est ab exercitio ordinum repellendus; quia melior est conditio possidentis, ita Couar. Auila, Layman, Suarez, & alij *vbi suprà.*

Aduerte secundò, quòd etiam in omnium sententia, poterit Episcopus cum exposito dispensare, cùm simus in casu dubio, ita Couar. Viualdus, Suarez, Auila, Layman, & alij *vbi suprà.*

QVÆSTIO XXXV.

Quanto tempore durent species Sacramentales in Stomacho?

SVMMARIVM.

*Respondet Lugo: durare vno minuto. num.*1.

*Sed hæc opinio reijcitur. num.*4.

*Calor naturalis duas vncias cibi solidi in singulas horas consumere potest. num.*2.

*Veteres quadraginta octo vncias cibi solidi in die comedebant. num.*3.

*Stomachus vacuus cibo, repletur humoribus. num.*5.

Cur

Cur aliqui per multos annos, sine vllo cibo, naturaliter vixerunt? num.6.

Monachorum Ægypti cibus, erat panis, vix vnius libra, & nihil omninò præterea obsonij. num.7.

Ex Decreto Clementis Papæ, quanto tempore debeant communicantes perseuerare ieiuni? num.8.

Per horam perseuerare in stomacho species Sacramentales, non est verum, in exigua particula. num.9. Sic autem in Sacerdote. num.10.

Quid si infirmus euomat cibum? num.11.

1 RESpondet Eminentissimus Lugo *de Eucharistia disp. 10. sect.3. num.54.* durare vno minuto horæ, si sit parua particula, quæ solet Laicis tribui; in Sacerdote autem durare semi quadrante horæ, aut quadrante: referam eius verba: *Ego, inquit, peritissimos in hac vrbe Medicos consului, & post rem diu, & accuratè cogitatam, perdoctus vir, & Clarissimus Medicus Ioannes Manelphus in Romana Sapientiæ Academia publicus Philosophiæ professor censuit, particulam communem, quæ Laicis ad communionem dari solet, regulariter, & de mediocri stomacho loquendo, alterari, & corrumpi, in horæ minuto, hoc est in sexagesima horæ parte; quod multis argumentis probare conatus est. Præsertim quia iuxta Medicorum placi-*
2 *tum, calor naturalis singulis horis duas vncias cibi solidi potest consumere, vt resoluit Marsilius Cagnatus lib.1. de sanitate tuenda cap.18. & probat ex vsu veterum, qui die*
3 *vna quadraginta octo vncias cibi solidi sumere solebant, vt singulis horis duæ vnciæ corresponderent, quas vna hora stomachus potest concoquere; sicut certo spatio temporis, certa etiam frumenti mensura pristino molitur. Facta proportione, & comparatione illius particulæ ad duas vncias, quarum non est sexagesima pars, videtur, quod in vno minuto consumpta sit. Adde exemplum externæ coctionis; nam si hostia illa in olla aquæ ebullientis ponatur, statim alteratur, & consumitur: ergo calor animalis, qui potentior videtur esse ad substantialem mutationem; poterit eadem facilitate, & breuitate, species transmutare. Hæc ille: cuius sententiæ alij ferè accesserunt; vndè loquendo de Sacerdote, qui maiorem hostiam accipit, & vini species, dicebant in semiquadrante horæ species non continere amplius corpus, & sanguinem Christi. Quam doctrinam si quis ad quadrantem velit extendere, videtur iam extra omne prorsùs dubium, aut periculum se constituere*; ita Eminentissimus Lugo.

Dico primò, non videtur vera opinio, vnico horæ minuto durare species Sacramentales paruæ particulæ in stomacho. Ducor sequentibus argumentis.

Primò, quia non rectè infertur: vna hora stomachus digerit duas vncias cibi, ergo vno minuto digerit sexagesimam partem duarum vnciarum. Negatur consequentia, prout negari debet hæc alia: vna hora ignis sexaginta carnis vncias, potest decoquere: ergo vno minuto poterit decoquere vnam carnis vnciam: sicut non rectè infertur: ignis palmaris producet calorem in distantia decem palmorum: ergo ignis centum palmorum, producet calorem in distantiam mille palmorum.

Secundò, quia non sufficit vno minuto, hostiæ particulam alterari; sed necesse est, in aliam formam substantialem transire: in olla autem ea particula alteratur quidem, non autem transit in diuersam formam substantialem: ergo neque tam citò chylificatur in stomacho.

Tertiò, quia vel stomachus adhuc retinet aliquid præteriti cibi, vel vacuus est omni præterito cibo. Si adhuc superest aliquid præteriti cibi: ergo facultas concoctrix, non agit in solam aduenientem sacram particulam; sed per modum vnius, agit in totam illam massam præteriti cibi, atque nouiter aduenientis particulæ, quod docet expressè Auicenna *lib.1.fen.3.doctrina 2.cap.7.* si vacuus
5 est stomachus, adhuc tamen ex fame repletur humoribus, vt docet Auicenna *loco citato*. Quarè non in solam particulam, sed & in illam aduenientium humorum massam agit concoctrix facultas; vnde retardatur eius vis; vnde ferè nec prius particula illa concoquitur, quàm re-
6 liqua humorum massa; Et hæc est causa eius portenti, cur multi diù sine cibo, & sine vllo potu naturaliter vixerunt? Ratio est, nam calor naturalis crasso, ac flegmatico humore, aut pituitoso vtitur, pro alimento, vt ait Gemma *lib.1.Cosmocri. cap.6.* Hyppocrates quidem *lib. de principijs*, ad septem dies humanæ vitæ terminos præscribit; sed vt præteream vrsos, & glires, qui quatuor mensibus manent sine alimento, eo quia abundant humidi, & frigidi succi, vt ait Mercurialis *lib.2. epidem. hippocr. fol.66.* sic stelliones, lacerti, serpentes fluuiales, crocodilli hiberno tempore latitant, & nihil comedunt, teste Aristot. *lib.8. histor. animal. c.15.* eadem causa, quia humido abundant humore, vt scribit Albertus Magnus *lib.22. de animal. tract.2.* sed & hominum plurima exempla referuntur; Plato *in Phædro* narrat: Olimpiodorum semper sine cibo vixisse, vide *Mercurialem 2. epidemiarum hippocr. fol.66. & lib.6. variarum lectionum*, Rusticus in Germania per autumnum, & brumam perpetuò dormiuit, ita Simplicius, & Damascenus apud Mendozzam *lib.4. viridarij probl.24.* Alter per tres menses ieiunus vixit, Medina *lib.2. de recta in Deum fide, cap.7.* duas mulieres, alteram per quadraginta dies, alteram per triginta ab omni cibo abstinuisse, Albertus Magnus *in Summa de homine tract. de nutr. & lib.7. de anima*, se vidisse scribit. Aliam feminam, per decem & octo annos, nihil omninò gustasse, refert Aponensis 10. *probl. ad finem*. Nobilem Venetum quadraginta sex annos ieiunum omninò absoluisse, refert Lilius apud Mendozzam. Rogerius Baconus apud Delrium *disquisitionum magicarum, lib.2. qu.21.* testatur: Anglicanam puellam viginti annis nihil prorsus comedisse. Gallus Sacerdos, Nicolao V. Pontifice, biennio sine cibo vixit, atque etiam sine potu, Delrius *loco citato*. Ferdinandi Imperatoris iussu Spirensis, puella, veritatis explorandæ gratia asseruata, obseruataq; vltra quadriennium ieiuna perstitit, cum nihil cibi, aut potionis admitteret, numquam appeteret, plorabat tamen, nares emungebat, & dormiebat, nulla ei præterea excrementa; ita Simon Portius *lib. de puella Germana* occulatus testis, vnus ex Medicis obseruatoribus puellæ, & Gerardus Bulcoldianus *Epist. de hac re excussa Moguntiæ anno* 1540. Sed redeamus ad institutum. Ideò, per omnes, hæc naturaliter euenere, quia concoctrix facultas circa humores flegmaticos, aut pituitosos versata est; ergo si humorum massa tandiu potest virtutem caloris naturalis detinere, cum semper vacuus stomachus humoribus repleatur, ijs permixta sacra particula, non poterit tam citò concoqui, vt voluit Lugo, humores enim aduenientis particulæ concoctionem retardant.

7 Quartò, neque facilè concesserim quadraginta octo vncijs cibi solidi, regulariter stomachum in singulos dies indigere; nam cum essent in Egypto ad quinque millia Monachorum, eis cibus erat panis solus tantùm, vix

vnius

vnius libræ, & nihil omninò præterea obsonij, vt testatur Cassianus *collatione 2. cap. 19.* ergo sicuti sensim stomachus decoquebat paruulum illum cibum; adeò vt in ea portione decoquenda toto die perdurabat; non enim sex horis stomachus panis libram decoquebat: sic modica sacra particula sensim decoquitur; non autem adeò breui spatio vnius minuti. Ratio est, quia semper stomachus habet, vel aliquid præteriti cibi, vel humorum; vnde virtus concoctiua non versatur erga solam particulã.

8 Quintò, quia Clemens Papa, vt habetur *in canone tribus gradibus 23. de consecratione dist. 2.* & refert S. Thomas 3. *par. quæst. 80. artic. 8. ad 6.* ob reuerentiam corporis Christi, adhuc manentis in stomacho, sub Sacris speciebus, ita statuit: *Si mane Dominica portio editur, vsque ad sextam ieiunent Ministri, qui eam sumpserunt; & si tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vsque ad vesperum*, hic autem canon, vt ait S. Thomas, in desuetudinem abijt; ergo non tam breui tempore consumuntur species Sacramentales.

9 Dico secundò, non videtur vera opinio Ioannis Sanchez *in selectis disp. 38. n. 2.* docentis etiam in exigua particula, durare per integræ horæ spatiũ species Sacramentales in stomacho. Hęc tamen opinio mihi probabilis vi-
10 detur in Sacerdote, nam species panis, & vini, adiuncta purificatione, tantæ sunt quãtitatis, vt non indigeant minori spatio quàm vnius horæ; vt substantialiter transmutentur; sed in exigua particula censeo sufficere dimidiam horã, prout etiã docti Medici à me cõsulti responderunt.

11 Aduerto tamen, quòd si infirmus infra horam euomat cibum, tunc puto debere in locum decentem reponi ea, quæ eiecit, nam in infirmo, vt scribit Galenus *lib. 3. de causis symptomatum cap. 1. Concoctrix facultas vitiata est, vel enim non concoquit, vel tardè.*

QVÆSTIO XXXVI.

An Professio emissa in Religione Hierosolymitana, in gradu Equestri absque cingulo militiæ, sit valida?

SVMMARIVM.

Quid sit cingulum militare, & quomodo conferatur? num. 1.
Non Sacerdos inualidè ordinatur Episcopus. num. 2.
Valida est professio, quamuis non seruetur certa forma profitendi præscripta à regula. num. 3.
Statutum mandans aliquid fieri, si vlteriùs non procedit annullando, non inducit formam substantialem. num. 4.
Necessarium diuersimodè dicitur. num. 5. Fæmina, quæ dissimulato habitu profitetur in Religione virorum validè profitetur. num. 6.
Monialis, in qua erupit sexus masculinus, tenetur ad Religionem. num. 7.
Omissio cæremoniæ accidentalis non vitiat professionem. n. 8. & 10. & quæ sit accidentalis, & leuis? n. 11. & 12.
Est in voluntate Principis, quocumque voluerit signo, dignitatem conferre. num. 9.

NVlla esse, ac inualidam talem professionem, videtur dicendum.

Primò, quia in Religione Hierosolymitana tres sunt gradus professorum: nempè militũ, Cappellanorum, ac seruientium; vt in *statuto 2. de recept. fratrum*, Ille au-

tem qui profitetur in gradu militari, *Necessarium est*, inquit statutum, *vt ornetur, ante professionem, cingulo militiæ*, quo scilicet creatur miles, seu eques, vt ait Franciscus Mennenius *tract. de ordin. militar. fol. 4.* quarè cingulum
1 quod latinè Balteum dicitur, translatiue accipitur pro dignitate militari. Gregor. Tolosan. *in syntag. iuris lib. 31. par. 3. cap. 30. num. 13.* Vide de militari cingulo Vegetium *de re milit. lib. 2. cap. 5.* Bellin. *eod. tract. pa.. 1. tit. 6. num. 4.* Suidam in auxentio, eundem Petrum Greg. *in syntag. iur. lib. 11. cap. 3. num. 14.* Lucam de Penna *in l. bis quidem C. de his, qui milit. possunt lib. 12.* Alciat. *in l. Centurio num. 7. ff. de vulg. & pupil.* Castill. *decis. 105. num. 20.* Crispol. *casu milit. 51. num. 39.* qui recensent diuersos modos, quibus milites olim creabantur, aliquando enim fuit stygma, quo miles inustus, & pictus designabatur, ita Vegetius: aliquando fuit zona cum gladio, ita colligitur ex Suida: aliquando torques aurea, & calcaria. Nunc verò in Religione Hierosolymitana creatur miles, & cingulum militare confertur, cùm ornatur ense, ac calcaribus. Iam verò redeamus ad nos: Ergo ex omissione cinguli militaris, nulla est professio: Est enim hæc substantialis cæremonia; quod patet, quia in ordinatione 2. *de recept. fratr.* prohibetur aliquem ad professionem admitti, nisi in tribus distinctis gradibus declaratis; scilicet Militis, Cappellani, aut seruientis; ita vt aliter professio facta sit nulla, & professum cogendum ad dimittendum habitum. Ita habetur in dictis statutis Religionis: Ergo cùm per cæremoniam cinguli militaris, fiat professio in gradu militari, & ea omissa iste non sit professus, neque in gradu militari, neque Cappellani, neque seruientis: proinde ex statuto Religionis talis professio est omninò nulla.

Secundò, quia quamuis in Religione Claustrali admissus in gradu Clericali ante Professionem non debeat necessariò habere ordinem Clericalem: At in Religione Hierosolymitana admissus in gradu militari, necessariò, & substantialiter ex statuto Religionis debet habere characterem militiæ. Ratio disparitatis est, quia Religio Claustralis non ordinatur ad Clericatum, tamquàm ad finem primarium; sed Religio militaris ordinatur principaliter ad militiam.

2 Tertiò, quia iuxta probabilem opinionem inualidè confertur ordo Episcopalis non Sacerdoti; quia non Sacerdos nequit esse capax muneris pastoralis; est enim Episcopus Magnus Sacerdos. S. Thomas 3. *par. in addit. qu. 39. artic. 2.* Syln. *V. ordo* §. 1. Henriquez *lib. 10. c. 14.* Ergo inualidè fit professio in gradu militari ab eo, qui non est miles: alioquin taliter professus esset, & non esset miles Regularis: esset quia profitetur in gradu militari: non esset, quia non fuit ante professionẽ creatus miles.

Quartò, quia quãdo solemnitas inducta à statuto debet necessariò præcedere actum, tunc ea solemnitas est substantialis, & omissa vitiat actum, Iason *in l. vniuersa nu. 10. C. de precib. imper. offerend.* Paulus de Castro *cons. 292. in fine vers. & præsupposito vol. 2.* Sed hæc solemnitas cinguli militaris debet necessariò præcedere actum professionis, vt dicitur in dicto *statuto 2. de recept. fratrum*: Ergo est solemnitas essentialis, & omissa vitiat actum professionis.

Quintò, nam statutum ait: quòd necesse est ante professionem recepere cingulum militare: Sed particula, *necesse est*, importat formam substantialem, Auendanus *responso 4. numer. 2.* Mazienzo *lib. 5. compil. titul. 1.*

gl.4. numer.6. & 7. Lancellottus Gallia *cons.31. num.6.* Signorolus *cons.87. num.4. & 5.* Farinacius *in fragment. verbo lex. num.206.*

Sextò, quia vbicumque est ordo prioris, & posterioris, ibi est forma substantialis, Felinus *in cap. cum dilectus de rescrip. nu.6.* & in terminis professionis inualidæ ex non præmissis informationibus, docet Rota apud Garsiam *par.9. de beneficijs cap.2. num.330.* Sed in statuto 2. *de recept. fratrum*, dicitur necesse esse ante professionem recipi cingulum: ergo inducta est forma substantialis.

Septimò, quia quamuis ordo præscriptus à statuto nõ importet formam substantialem, quando est res leuis momenti, vt docet Felinus apud Sanchez *de matrimon. lib.8. disp.34. num.77.* tamen cingulum militare in casu nostro rem magni momenti, probat Bordonus *resol. Regularium tom.2. resol.99. num.50.* Primò, quia per cingulum distinguitur Religio militaris à non militari. Secundò, quia constituitur in dignitate militari, quæ magni æstimatur. Tertiò, quia ornamenta, quæ reddunt hominem honorificum, & dignum, sunt magni momenti. Quartò, quia exquisita in eius receptio præscribitur forma. Quintò, quia ex eius omissione, professi non registrantur in albo professorum. Sextò, quia ex antiquitate, est in magna æstimatione. Septimò, cingulum in iure dicitur illustris dignitas, *l. omnes C. vt dignitatum ordo seruetur lib.12.* Octauò, magni cingulum in iure æstimatur, vnde indignus miles exauctorandus, cingulo exuitur, *l.2. §. ignominiæ ff. de his, qui notantur infamia.* Nonò, cingulum dat militi potestatem inferendi bellum, quo iure caret incintus, Cassaneus *in Catalogo gloriæ mũdi par.9. considerat.26.* Decimò, quis non potest probare se militem, nisi demonstret se cingulo fuisse armatum, iuxta formam iuris, Mascar. *de probat. concl.1054. n.4.*

Octauò, quia professi, qui cingulum non receperunt, non describuntur in Albo professorum; quia non habentur pro professis, & hanc rationem reddidit Cancellarius à magno Magistro interrogatus, cur hunc Dominum Corsinum non descripserit inter professos.

His tamen non obstantibus. Respondeo validam esse hanc professionẽ, quod euidenter ostẽdo ex sequẽtibus.

Primò, quia ordinatio 2. *de recept. fratr.* eam professionem annullat, quæ non est facta, neque in gradu militari, neque Cappellani, neque seruientis, sed sub alia quacumque denominatione: Sed quãuis omittatur Cæremonia cinguli militaris adhuc tamen verè, & propriè professus admissus est in gradu militari, ex hoc, quia tã ipse, quàm recipientes professionem, habuerit expressam voluntatem, alijs signis declaratam, quod in gradu militari fieret professio; nam aliud est, aliquem creari militem, seu equitem; & aliud est admitti ad professionẽ in gradu militari: si quidem potest aliquis creari miles, seu eques, ab aliquo Principe Catholico, & tamen ob defectum nobilitatis non admitti ad professionem in gradu militari, sed in gradu seruientis; ergo formalis admissio in gradu militari est sola voluntas profitendi, & recipiendi in gradu militari: quæ voluntas non sola cæremonia cinguli, sed alijs signis sufficienter declaratur. Quod patet à pari in Religione Claustrali, in qua per solam voluntatem professus admittitur in gradu Clericali; neque prærequiritur in profitente ordo Clericali. Sic in Societate Iesu professurus in gradu coadiutorum, debet esse Sacerdos, valet tamen professio in eo gradu à non Sacerdote facta, Suarez de Religione *tom.4. lib.5. cap.5. num.7.*

Secundò, quia statutum 2. *de recep. fratr.* non habet clausulam irritantem, dum præscribit hanc cæremoniam cinguli militaris; ergo ea cæremonia non est substantia-
3 lis: si quidem valida est professio, quamuis non seruetur certa forma profitendi præscripta à regula, si non adsit clausula irritans, Glossa *in ca. porrectum V. professio*, vbi Abbas *nu.13. de regular.* Azor. *par.1. lib.5. c.5. qu.7. in fine*, Sanchez *in Sum. lib.5. c.3. n.4.* quando enim statutum
4 mandat aliquid fieri, si vlteriùs non procedit annullando, non inducit formam substantialem, Glossa *in c.1. verbo inhibentes de iure Patron.* vbi Card. & Ancar. *Rota dec.34. nu.2. par.1. recent. & decis.116. nu.24. par.7. diuers.* Bald. Castrens. Imola, Alex. Aretin. & Soccin. *in l. 1. ff. de lib. & posthum.* actus enim non corruit, forma aliqua nõ seruata, quando dispositio non habet Decretum irritans, Bald. & Salicet. *in l. statutis C. de sentent. ex breuil. recitand.* Alex. *cons.24. nu.3. lib.4.* Roman. *cons.483. nu.1.* Natta *cons.19. nu.1.* Riminald. Iunior *cons.691. num.35.* Osaschus *dec.92. nu.16.* Seraphin. *dec.309. nu.1.* Rota *dec.498. nu.6. par.4. recent.* apud Farin. *& dec.261. nu.6. par.1. & dec.33. nu.4. par.2. diuers.* Neque ea verba statuti, *necessarium est hanc cæremoniam cinguli præcedere professionem* important implicitè, aut tacite, vt ait Bordonus clausulam irritantem. Tùm quia statuentes *in statuto 17. de recept. fratr.* dicunt: *Necessarium esse probari nobilitatem*; tamen in *stat.24. & 25.* dicitur valere professionem cum falsis probationibus nobilitatis factam,
5 sed reducendam ad gradum proportionabilem. Tùm quia multa necessaria dicuntur necessitate tamen præcepti, aut conuenientiæ, quibus omissis actus validus est; sic necessariæ sunt publicationes ante Matrimonium: valet tamen ijs omissis: Necessarium est eum, qui ordinatur Acolythus, esse insignitum prima tonsura; validè tamen ordinatur sine illa: Esto quòd Acolythatus esset de iure humano: Compertissimum enim est dupliciter. Necessarium dici, nempè necessarium simpliciter, sine quò actus inualidè fit: & necessarium secundùm quid, sine quò fit illicitè, aut minus conuenienter, sic Arist. *5. metaph. cap.5.* vbi Fonseca, ait: *Necessarium priori modo dicitur necessarium vt res sit; posteriori autem, vt res benè, & cõmodè sit*: Et S. Thomas *3. p. qu.65. art.4. in corp.* vbi distinguit duplex necessarium respectu finis; Vnum sine quo finis haberi nequit; alterum sine quo non habetur ita conuenienter: Et passim Theologi diuidunt necessarium, in necessitatem medij, & necessitatem præcepti, & huius omissio, actum non vitiat; sic quoque Iurisperiti pro necessario accipiunt vtile, aut quod honestius est, Glossa *in l.1. verbo necessarium ff. soluto matrim. & in l.1. verbo necesse ff. de offic. prætor.* Glossa *in cap. omnis 21. qu.4.* Quòd autem ea verba in casu nostro accipiantur pro necessitate secundùm quid, seu conuenientiæ, aut præcepti, patet ex dictis, & infra clariùs ostendam. Tùm quia cùm statutum vult annullare professionem, vtitur clausula irritante, *vt in statuto 8. & 22. de recept. fratr.*

Tertiò, quia maior est defectus nobilitatis, quàm defectus cinguli militaris; hoc enim facilè quandocumque confertur; non illa: sed professio ab ignobili facta cũ falsa probatione, valida est, sed reducẽda ad gradum proportionabilem, vt *in statut.24. & 25. de recept. fratrum*: ergo professio à non milite facta, valida est, sed creãdus miles.

Quartò, magis necessariũ est profitẽtem in Religione virorũ esse masculini sexus, quàm profitẽte in Religione militari, esse cingulo militari ornatum, seu habere digni-

tatem

6 tatem militiæ; sed fœmina, quæ dissimulato habitu profitetur in Religione virorum, validè profitetur, & debet Monialium Monasterium intrare, vt docent S. Antonin. Syluest. & Tabiena, quos citat, ac sequitur Comitolus *respons. moral. tom.1. lib.2. quæst.*8. Plùs dico: fœ-
7 mina professa in Monasterio Monialium, quæ cum humeros graui oneri supponeret, erupit in ea sexus masculinus, tenetur ad Religionem, ita Portel. *de dub. Regul. V. professio Hermaphroditi in 1. quæsito*, qui refert hunc casum suo tempore accidisse. Ergo à fortiori, qui in gradu militari profitetur, quamuis non sit militiati cingulo ornatus, tenetur ad professionem.

8 Quintò, susceptio habitus Religiosi est cæremonia accidentalis, & omissa non vitiat professionem, Doctores *in cap. insinuante Clerici, vel venientes, & in cap. porrectum de regular.* vbi Butrius *num.4. & 6.* Abbas *num.5.* Ancaran. *nu.3.* Suarez *de Relig. tom.3. lib.6. c.12. nu.24.* ergo multò minus cingulum militare, quod non pertinet ad habitum, & est quid omninò extrinsecum, & accidentale respectu professionis, hanc non vitiat, si omittatur.

Sextò, quia in Pontificali Romano antiquo ante correctionem Clementis VIII. *in lib.1. Rubrica vltima de creatione militis regularis*, præscripta erat hæc cæremonia cinguli militaris: nempè vt recipiens ad professionem traderet profitenti ensem, & calcaria, qua cæremonia eum creabat militem, seu equitem; & ita Summus Pontifex, aut eius delegatus olim recipiebat professiones militum Hierosolymitanorum, S. Iacobi, S. Gregorij, ac similium: At in nouissimo Pontificali Romano, à Clemente VIII. sublata est huiusmodi cæremonia, & sine ea admissi fuerunt Equites prædicti ad professionem: Quarè dicendum, vel eam cæremoniã, tamquam accidentalem omissã à Pontificali, vel cum cingulum militare diuersis cęremonijs dari possit, proinde tradendo habitum Religionis militaris, aut Hierosolymitanæ, voluit Summus Pontifex Clemens VIII. (cuius iussu Pontificali Romani facta est correctio) vt eo habito designaretur cingulum militare, seu dignitas militię equestris, ac verè, & propriè traditione habitus crearetur miles seu Eques: nam est in
9 voluntate Principis, vel sola suæ voluntatis expressione, vel quocumq; voluerit signo, dignitatẽ conferre, Bartol. *in l.1. nu.29. C. de dign. lib.*10. Angel. & Doct. *in l. cum salutatus C. de sent. passis*, Bal. *in l. rescripta C. de precibus Imp. offer.* Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi par.5. consid.24. cas.* 123. Gomez *in l. fin. Tauri n.*17. Mastrillus *de Magistrat. lib.4. c.2. nu.16. & 29. & c.13. nu.49.* Molina *de primog. lib.1. cap.11. num.23.* Francus *decis.62. num.9.*

Adde quòd in Pontificali iussu Clementis VIII. reformato expressè agitur de professione militis S. Ioann. Hierosolymitani: ergo nõ benè asseritur, quod professio facta iuxta formã ibi prescriptã, sit nulla, & inualida: esset enim dubitare, de potestate Pontificis approbantis Pontificale Romanum atque præscribentis talem modũ profitendi.

Dices lex Pontificia cum sit vniuersalis, & feratur pro omnibus fidelibus, non tollit particulares locorum consuetudines, *c.1. de const. in 6.* Contra, nam vel cingulum seu creatio militis est de essentia professionis in Religione militari, & tunc rubrica Pontificalis deficeret; præscribẽdo essentialia professionis Religionis militaris: vel cingulum non est de essentia, sed accidentalis cæremonia quæ aliunde suppletur, & tunc habetur intentum. Neque dicas esse de essentia in Religione Melitensi, non in alijs: nam hoc gratis dicitur; eadem enim ratio est de omnibus Religionibus militaribus. Preterea si in alijs non est de essentia, neque in Hierosolymitana, quare illa particula statuti, *necesse est*; intelligi debet de conuenientia.

Septimò: quia vota Altissimo Deo solemni professione emissa, non sunt ex leuissima causa irritanda; & consuetudo, quæ ex leui causa illa annullaret, esset irrationabilis, iniqua, ac corruptela; proindè nullatenus seruanda, *vt in cap. fin. de consuetud.* vbi Doctores: Sed si ista consuetudo de cæremonia cinguli militaris (est enim ista consuetudo Religionis Hierosolymitanæ, quæ refertur in *statuto 2. de recept. fratr.*) si inquam ista consuetudo expressè annullaret professionẽ, ob omissam cinguli militaris cęremoniam, esset consuetudo absurda, irrationabilis, & iniqua; ergo nullatenus dicendum ex omissione huius cæremoniæ nullam esse professionem. Quod ea consuetudo esset absurda, & irrationabilis, euidenter ostendo. Nam sacri Canones & Concilia numquã annullãt professionem, nisi ex aliqua grauissima causa; nempè vel vt adsit plena libertas in profitente, perfectumque iudicium; ideò Tridentinum irritat professionem emissam ante annum nouitiatus completum, aut decimum sextũ ętatis annum; sic quoque eadem ratione, nulla est professio facta ex metu. Vel annullat professionem vt soli idonei, & apti ad Religionem admittantur sic ex Bulla Sixti V. repellũtur illegitimi, criminosi, debitis grauati: Sic Regula Minimorum annullat professionem tacentis perpetuam infirmitatem. Ergo requiritur, grauis causa, ex qua annullaretur professio, qualis est, vt adsit plena libertas profitẽtis, perfectum iudicium, idoneitas, & aptitudo ad Religionem: Cùm autem cingulũ militare, seu dignitas Equestris quocumque tempore ante, vel post professionem cõferri possit, & eius omissio ante professionem neque libertatem, neque idoneitatem profitẽtis tollant: sequitur quod si ex omissione cinguli ante professionem, consuetudo expressè irritaret professionem, talis cõsuetudo esset absurdissima, irrationabilis, iniqua, & corruptela; quia ex leuissima causa annullaret vota Altissimæ Diuinæ Maiestati nuncupata, per solemnem professionẽ.

Octauo: quia cum sit leuis momenti, vt ostendi, quod dignitas Equestris cõferatur ante vel post professionem, statutum, seu consuetudo præcipiens conferri ante professionem, non pręscribit cęremoniam substantialem, sed leuem, & accidentalem, vt docet Sanch. *de matrim. lib.8.*
10 *disp.34. n.27.* Quando autem cęremonia seu solemnitas est leuis, & accidentalis, tunc eius omissio non vitiat actũ *l.1. in fine*, vbi Bartol. *ff. de ventre inspic.* Alex. *cons.138. nu.33. vol.2. & cons.98. nu.1. & 10. vol.4.* Iason *in l. Vniuersa nu.20. C. de precibus Imper. offer.* Porrò hanc cæremoniam esse leuem, & accidentalem solemnitatem euidentius ostendo, nam illa cęremonia, seu solemnitas, quę
11 non est munita ratione aliqua conuincenti, seu necessaria, dicitur leuis, & accidentalis, cuius omissio non vitiat actum. Alex. *cons.141. nu.10. lib.2.* At nulla ratio conuincens afferri potest, cur profitenti non possit post professionem cõferri dignitas equestris: ergo leuis est cæremonia hæc, quæ præcipit conferri ante professionem. Præterea vt docet Bartol. *in l.1. §. si plures ff. de exercit. actione*, illa dicitur leuis solemnitas, quæ siue adhibita, siue omissa, idem factum esset, seu idem proueniret effectus: Sed siue cingulum militare detur ante, siue post professionem semper habetur idem effectus; nam verè, & propriè fit miles, seu eques quandocumque detur. Ergo quod detur ante professionem, est leuis solemnitas, & quæ omissa non vitiat actum. Denique hanc esse accidentalem non substantialem cæremoniam, patet, nam

quæ sunt de substantia actus contemporaneè cum ipso actu debent explicari, Iason *in l. vniuersa num.10. C. de precib. Imper. offer.* vbi ait, quòd totus mundus sequitur hanc doctrinam Felin. *in cap. cum dilecta num.4. vers.4. signum de rescript.* Sanchez *de matrim. lib.3. disp.5. nu.3.* Molin. *de ritu nuptiar. lib.2. diff.11. nu.36.* Sed ex statutis Religionis Hierosolymitanę cingulum militare potest dari multò ante professionem ab alio Equite, aut Principe habente potestatem: ergo non est solemnitas substantialis, sed accidentalis, quæ omissa actum non vitiat.

Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

Ad primum respondetur ex statutis Religionis eam professionem esse nullam, ad quam quis admittitur in aliquo gradu diuerso à gradu militari Cappellani, aut seruientis: Sed iste non fuit admissus in aliquo diuerso gradu, sed in gradu militari, quia hæc fuit expressa voluntas profitentis, ac recipientis professionem: quæ sola voluntas sufficit vt quis profiteatur in gradu militari.

Ad secundum respondetur ad finem Religionis militaris non esse medium necessarium, habere dignitatem militarem, seu equestrem: quia sine ea dignitate, quis militare pro Christo potest. Tũ quia est omninò impertinens ad finem Religionis militaris, quod dignitas Equestris detur ãte, vel post professionem: quandocumq; enim detur, verè, & propriè confertur dignitas militaris.

Ad tertium respondetur disparitas est, quia sine ordine Sacerdotali nequit Episcopus exercere munera Episcopalia, vt ordines conferre, &c. At sine dignitate equestri potest pro Christo militare; quare potest esse verè, & propriè miles Regularis sine dignitate militari.

12 Ad quartum respõdetur illam esse solemnitatem substantialem, quæ ita necessariò debet præcedere actum, vt si subsequatur nõ habeatur idem omninò effectus; vt patet ex doctrina Bart. *in l.1. §. si plures n.13. ff. de exercitor. actione*: Sed siuè cingulum militare detur antè, siue pòst professionem, habetur idem omninò effectus; nam taliter professus quandocumque cingulum recipiat, verè & propriè fit miles, & Eques; Ergo non est ceremonia, seu solemnitas substantialis, sed accidentalis, & leuis, quæ omissa non vitiat actum professionis.

Ad quintum respondetur, quòd quamuis particula *necesse est* posita in statuto, importet obligationem ad agẽdum, *c. ad limina 30. qu.1. cap. sicut dist.1.* Sanchez *lib.6. Summa c.4. nu.38.* non tamen importat semper formam substantialem, neque implicitè affert clausulã irritantem. Exemplum est apertissimum in statuto 17. *tit.2. de recep. fratrũ*, vbi dicitur necesse esse probari nobilitatẽ: at si nobilitas probetur per falsos testes, adhuc tamẽ valida est professio, quãuis reducatur ad gradũ proportionabilem.

Ad sextũ respõdetur ordinẽ prioribus, & posteris à statuto præscriptum, nõ importare formam substantialem, quando res est leuis momenti, talem ordinem obseruari.

Ad septimum respondetur, quicquid sit, an sit dicenda res magni momenti receptio cinguli in Religione militari; tamen certissimum est, leuis momẽti esse cingulum recipi antè vel pòst professionem; semper enim eandem affert dignitatem, eosdemque parit effectus; & potest semper professus compelli ad recipiendum cingulũ: quare si professio annullaretur, quia non antè, sed pòst professionem reciperet cingulum, ex re leuis momenti essent irrita vota solemnia Altissimo nuncupata. Dispar autem est ratio professionis nullæ, ex non præmissis informationibus, iuxta bullam Sixti V. tum quia ea constitutio habet expresè decretum irritãs; tum quia quod cingulum ante professionem non sit receptum, sed an illud recipiendum per professionem compellatur, nullum est inconueniens: at quod quis profiteatur nõ præmissis informationibus, multa possunt sequi inconuenientia; vnde nihil mirum, si Sixtus V. expresè addidit decretũ irritans.

Ad octauum respondetur in facto non probari, quòd nemo, qui cingulum non receperit, describatur in albo professorum; rarissimè enim & ferè numquam id contigit: sed tantùm quod Cancellarius Dominum Corsinum non descripserit. Tùm quia in pœnam huiusmodi non describuntur, nam facilè est illis recipere cingulum, & sua culpa negligunt.

In hac causa scripserunt pro vtraque parte celeberrimi Theologi. Pro patre negatiua P. D. Antoninus Diana, & P. D. Augustinus de Bellis Clerici Regulares, Hercules Ronconius, Nicolaus Baldellus, Raphael Auersa, Torquatus de Cupis, ac Bordonus, cuius responsum est *to.2. resol. reg. resol.99. à n.38.* Pro parte affirmatiua P. D. Stephanus Quaranta Theatinus, nunc dignissimus Archiepiscopus Amalphitanus, P. Sfortia Pallauicinus ex Societ. Iesu, Hilarion Roncatus Abbas Cisterciensis, Franciscus Cinus Aduocatus, & Ego omnium minimus.

Tandem à Sacra Rota Romana decisum est validam esse professionem.

QVÆSTIO XXXVII.

An fascinatio sit aliquid naturale, aut superstitiosum, vel fabulosum?

SVMMARIVM.

Fascinantes solo aspectu nocere, authoritate probatur. nu.1.
Et ratione Sancti Thomæ. num.2.
Pleraque animalia solo aspectu nocent. num.3.
Aliqui homines solo tactu, vel sputo sanant. num.4.
Remedia contra fascinum. num.5. & num.11.
Amantes solo intuitu fascinantur. num.6.
Non datur fascinatio propriè dicta. num.7.
Tamquam muliebrem nugacitatem Patres damnãt. num.8.
Neque Hyppocrates, neque Galenus talis morbi fascinationis meminit. num.9.
Fascinus validis rationibus impugnatur. num.10.
Duplex est fascinatio propria, seu vulgaris; & impropria seu Philosophica. num.12.
Cæcus fascinare potest. num.13.
Absque vlla inuidia, potest quis fascinare colloquẽtes, n.14.
Fabulosum, vel superstitiosũ est, aliquos fascinare laudando. n.15. Oportet fascinantem esse infirmæ valetudinis. n.16.
Lupum raucedinem inducere, fabulosum est. num.17.
Quis salutatores dicuntur, habens id donum à Deo. num.18.
Authores, qui agunt de fascino. num.19.

QVod fascinantes solo aspectu naturaliter noceant, Probatur authoritate, ratione, & experientia.

Primò, inquam, ita scribit Arist. *sect.20. probl.50.* Plutarchus *in Symposiac. li.5. c.7.* Heliodorus *in hist. Æthiop. lib.3.* Ficinus *lib.13. de immortal. anima c.4.* Albertus Magnus *lib.22. de animal. cap.5.* Plinius *lib.7. c.2. & lib.33. cap.10.* Io. Baptista Porta *magia naturalis lib.2. cap.28.* sic Virgil. *Ecloga 7. & Eclog.3.*

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos

Hinc illud Horatij.

Non istìc obliquo oculo

Mea commoda quoſquam
Limat, non odio obſcuro,
Morſuq; venenat.

S. Thomas 1. *p. q.* 117. *art.* 3. *ad* 2. *&* 3. *contra gentes cap.* 103. vbi Ferrarienſ. Riccard. *quodlib.* 3. *q.* 12. Conymbr. 7. *Phyſ. cap.* 2. *q.* 1. *art.* 4. Suarez *in metaph. diſp.* 18. *ſect.* 8. *num.* 26. *&* *alij*.

Mira autem ſunt, quæ prædicti authores referunt: Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. ait: *Eſſe familias quaſdam affaſcinantes, quarum laudatione intereũt probata, areſcunt arbores, emoriuntur infantes. Eſſe eiuſdem generis in Triballijs, & Illyrijs, qui viſu quoque faſcinant, interimuntque, quos diutius intuẽtur, iratis præſertim oculis. Sic Virg. Bucolicorũ Eclg.* 7.

Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Vbi Seruius notat *vltra placitum laudare*, eſſe *nimiè atque irriſoriè* laudare, vltrà quàm placeo, aut mereor; ex hac laude ait Virgil. prouenire faſcinum, & ideò parandum eſſe baccar, vt amuletum. Quare veteres laudando addebant hanc voculam *præfiſcine*, vel *præfiſcini* idest *ſine faſcino*.

Plutarchus quoque *loco citato* narrat, Thibios olim Ponti accolas, non modo pueris, ſed etiam adultis, hoc malo exitioſos fuiſſe: quinimmo Gellius *lib.* 9. *c.* 4. ſcribit: Effaſcinatrices eſſe gentes Paletheoborum Pontum incolentes, & non puſionibus modò, quorum habitus ſit imbecillis, ſed adultis etiam, qui ſolido concretiorique conſtant corpore, peſtilentes eſſe, & intuitu, ſoloque halitu in tabem reſoluere, morboſque perimentes accire; non ſolum his, qui continuò adſunt, verùm & hoſpitibus, & qui ab earum commercio alieniſſimi ſunt. Laurentius Beyerlink *in Theatro vitæ humanæ verbo venefici fol.* 28. ait: Huius generis eſſe fœminas in Scythia, quæ vocantur Vitiæ: idem ſcribit, Telchines Rhodi populos omnia aſpectu ſuo faſcinare.

Idemque Plutarchus, & Heliodorus referunt, aliquos etiam chariſſimos, & quibus benè volunt faſcinare; rationem autem affert Heliodorus, *Quia*, inquit, *cum natura ſint inuidi, non quod volunt faciunt, ſed quod ſolent.*

Maius eſt, quod ſcribit Plutarchus, aliquos ſibi ipſi faſcinio lethale virus, ac perniciem intuliſſe, commemorans illud de Eutelide.

Qui miſer, in rapido dum ſpectat flumine vultus
Faſcinat, heù, ſeſe, ac ſubitò per viſcera morbi
Sæua lues peruaſit.

Hieronymus Vida Epiſcopus Albenſis narrat *in libro de Bombyce*, quod ſuo tempore acciderat.

Quandoquidem memini Tuſci alta in rupe Viterbi
Ipſe ſenem vidiſſe ferum, cui dira vigebant
Ora, grauesque oculi, ſuffecti ſanguine circum,
Fronsque obſcæna ſitu, hirtique in vertice cani;
Ille truci (ſcelus) obtutu genus omne necabat,
Reptantem, tenues animas, paruaſque volantes,
Quin etiamſi quando hortos ingreſſus, vbi annus,
Exuit expleto turpem nouus orbe ſenectam,
Floribus, & paſſim per agros meauit arbor;
Ille hortis ſtragem dedit, arboribuſque ruinam:
Speſque anni agricola meſtis flenere caducam.
Nam quocumq; aciẽ horribilẽ intendiſſet, ibi omnes
Cernere erat ſubitò afflatos langueſcere flores.

Mendozza *in ſuo Viridario lib.* 4. *probl.* 11. ait: aliquos in magnam diſtantiam faſcinaſſe; vnde Duci Brigantiæ famulum fuiſſe, tradit, qui cum fixis oculorum obtutibus, *Quæſtiones P. Verricelli.*

falconem, ad prædam aduolantem intueretur, in terram deijcere ſoleret.

Maidalchinus *in quodam ſuo opuſculo* narrat: Calabrũ quemdam plurimos ſuæ Patriæ homines, quos tamen volebat, occidiſſe, inter quos Epiſcopum; quare Neapoli in carcerem coniectus, ibi laqueo vitam finiuit; hic, eodem Maidalchino præſente, cum iratus, & atro veluti colore ſuffuſus, intentus, per decimam horæ partem Canem aſpexiſſet, eum mox occidit.

2 Secundò, Rationibus eadem ſententia probatur, nam ex S. Thoma *p. p. qu.* 17. *art.* 3. *ad* 2. *Ex forti imaginatiua animæ immutantur ſpiritus corporis coniuncti, quæ quidem immutatio ſpirituum, maximè fit in oculis, ad quos ſubtiliores ſpiritus perueniunt; oculi autem inficiunt aerem continuum vſque ad determinatum ſpatium, per quem modum ſpecula, ſi fuerint noua, & pura, contrahunt quandam impuritatem ex aſpectu mulieris menſtruatæ, vt dicit Ariſt. lib. de ſomno, & vigilia cap.* 2. *ſic igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, ſicut maximè in vetulis contingit, efficitur ſecundùm modum prædictũ aſpectus eius venenoſus, & noxius, & maximè pueris, qui habẽt corpus tenerum, & facile receptiuũ impreſſionis.* Hæc S. Th.

Tertiò, pleraque animalia ſolo aſpectu nocent, ſic qui regulus in ſcripturis vocatur, vulgò baſiliſcus, ſolo aſpectu occidit; nam virulento, ac violento halitu, ac vapore, qui ex oculis egreditur, vicinum inficit aerem, & iſte necat accedentes; ita Plinius *lib.* 8. Solinus *cap.* 30. Scaliger *exercit.* 24. Mercurialis *lib.* 1. *de Venenis c.* 21. Andreas Laurentius *hiſtor. Anatom. lib.* 10. *quæſt.* 11.

Quartò Lupus, quos prior videt, illis vocem abripit, Ita S. Ambroſius *lib.* 7. *in Lucam c.* 10. S. Iſidorus *lib.* 12. *ethimol. cap.* 1. Io. Baptiſta Porta *magia naturalis lib.* 1. *cap.* 9. tritum eſt illud Virgilij *Ecloga* 9.

Vox quoque Marim
Iam fugit ipſa, Lupi Marim videre priores

Quintò, de Rupice auicula referuntur, ſolo aſpectu infirmitates curare, Plutarch. *lib.* 5. *ſympoſ. cap.* 7. Heliodorus *lib.* 3. *hiſtor. Æthiopica.*

Sextò, plerique homines, vulgò ſalutatores dicti, ſolo tactu, vel ſputo ſanant, Victoria *relect. de magia nu.* 16. Leonardus Vairus *de faſcino lib.* 1. *cap.* 11. Veracrucius *lib.* 2. *de anima ſpecul.* 2. Plinius *lib.* 28. *cap.* 3. ſcribit: *fuiſſe Pſyllos in Africa, & in Italia Marſos, ex quorum familia, qui ducebant originem, tales fuiſſe, quorum corpora, tactu ipſo, ſuctune modico, leuabant percuſſos à ſerpentibus, & manu impoſita corpori, venena extrahebant: alios verò fuiſſe, quorum corpora ſolo aſpectu erant terrori ſerpentibus; & quemdam in dolium coniectum experimenti cauſa circum mulcentibus linguis illæſum penitùs extitiſſe,* alios itẽ quorum ſudor medebatur multis morbis, alios quorum ſaliua contra ictus ſerpentis valeret. Plinius quoque *lib.* 28. *c.* 4. inquit, quòd intrante ſaliua ieiuni hominis in os ſerpentis, mox perimit. Idem Plinius *lib.* 7. *c.* 2. docent; aliquando aliquas partes corporis naſci ad aliqua mirabiles, ſicut inquit Pyrrhi Regis pollex in dextro pede tactis lienoſis medebatur, Ita Plinius, *& lib.* 8. *c.* 25. *& lib.* 25. *c.* 10. Herodotus *lib.* 4. Gellius *lib.* 16. *c.* 11. ſic maſculus ſeptimo loco continuato ordine natus, ſtrumas ſuo cõtactu curare paſſim putatur, Henricus Kommanus *lib. de miraculis viuorũ ſeu de varia natura fol.* 219. Et Noſtra Religione P. D. Vrbanus Pulucrinus, vir ſanè pijſſimus, nedũ ipſe, ſed & omnes quotquot ſũt ſuæ familiæ, legitimo tamẽ thoro nati, ſolo ſputo à veneno liberãt, res eſt notiſſi-

ma, quod & infiniti experti sűt; cur ergo aliqui solo halitu vel intuitu alijs nocere nequeunt, si alij prodesse possint?

5 Septimò, quia ex Arist. Plinio, & alijs, constat, Rutam, gagatem, & hienæ pellem tali fascinationi remedia præscribi. Addit Mendozza *in Viridario lib.4. problemate 11. in fine*. Talparum manus è puerorum collo suspensas fascino esse remedium præsentissimum: ergo cum naturalia præscribantur remedia, erit vtique naturalis morbus: sic Io. Baptista Porta *magiæ naturalis lib.1. cap.14.* ait: quòd mustelæ oculus dexter in anulo positus liberat à fascinatione, quæ per oculos fit, & *lib.3. c.28.* multa affert remedia.

Octauò, frequentissimo intuitu, amore aliquos fascinari, & in corporis ægritudinem similem hecticæ deuenire, ac delirare, scribit Alphonsus de Sancta Cruce *tract. de Melancholia dialogo 5. in 8. ægrot. vers. non ab re*, vbi ait: *Compertum est fœminam tempore motus sui menstrui sanguinis, enixè intuentem arborem quamdam exsiccasse: quid mirum, si amans toto affectu amatam fœminam intuens, & illam fixo intuitu conspicatus radijs emissitijs amore inficiat, vicissimque illa si nitentes in se oculos conuertat, mutuoque aspectu visorios vtrumque manantes radios complicent, & commisceant: an non aspectu amatorio præcordia spiritali telo figent? & vna cum aspectu mutuo alterius amorem combibent.* Ita Alphonsus Sanctacrucis. Sed de amoris fascino eleganter Io, Baptista Porta *magiæ naturalis lib.3. cap.28.*

Nonò, Huc refero, quod de infantulis scribit Lemnius *de occultis naturæ miraculis lib.2. cap.50.* in hæc verba: *Inconsultè faciunt, qui tetricas, & morosas nutrices conducunt, aut aniculis alendos committunt infantes, quæ mansum in os tenerum inferant; cùm enim halitu graui ferè sint ac viroso, hircumque oleant, fit vt quicquid ex huiusmodi corporibus emanat, ad se alliciat, eoque efficiatur, vt colore giluo existant, ac mustelino, multaque vitia ex illarum accubitu contrahant; præsertim si in decliuiori spondæ parte reclinentur, illisque ex aduerso sint constituta*. Hæc Lemnius.

7 Contrariam tamen sententiam, nempè non dari fascinationem propriè dictam, prout vulgò accipitur, vt scilicet possit homo alteri homini visione, cum imaginatione maleuola, nocere; sed esse vulgi errorem, neque aliquid naturale, sed superstitiosum, ac fabulosum, docent grauissimi Authores. Iulius Scaliger *de subtilitate exercitat.349.* Franciscus Valesius *sacra Philosophia cap. 68.* Codronchus *lib.2. de morbis veneficis cap.3.* Andreas Laurentius *histor. Anatomica lib.11. quæst.1.* Leonardus Vairus *lib.2. & 3. de fascino*, Ananias *lib.4. de natura Dæmonum*, Cardinalis Haliacensis *in perspectiua*, Ciruelus *par.3. de superstit. cap.5.* Abulensis *paradoxo 4. cap.16. in Genesim cap.21. col.6. & latissimè in caput 21. Num. à quæst.9. per plures sequentes*. Delrius *magicarum disquisit. lib.3. par.1. quæst.4. sect.1.*

8 Probatur itaque hæc opinio. Primò, quia Patres fascinationem, tamquam muliebrem nugacitatem, ac superstitiosum aliquid, damnant. S. Basil. *homil. de Inuidia*. S. Io. Chrysost. *hom.8. in epist. ad Coloss.* S. Hieronym. *lib.1. in epist. ad Galatas*, vbi ait: non credidisse Apostolum, esse fascinum, qui vulgò putatur nocere; sed vsus est communi sermone, & subdit; *dicitur fascinus nocere ætati paruulæ. Hoc verum verùm, nec ne sit? Deus viderit quia potest fieri, vt & Dæmones huic peccato seruiant*. Idemque sentit Tertullianus *lib. de virginibus velandis cap.15.* vbi sic scribit; *Est aliquid, etiam apud ethnicos metuendum, quod fascinum vocant infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris euentum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur, ipsius est enim boni odium, interdum Deo deputamus illius est enim superbiæ iudicium, extollentis humiles, & deprimentis elatos. Timebit itaque Virgo Sanctior: vel in nomine fascini: hinc aduersarium, inde Deum: illius liuidum ingenium, huius censorium lumen: & gaudebit sibi soli, & Deo nota*. Hæc Tertullianus vbi eruditè, *contra fascinum velamen capitis virginibus proponit*: Abulens. *quæst.18. in cap.21. Numerorum*, ait: *Nos quoque cum tota Ecclesia fascinationem improbamus, quam accipiunt vulgariter intelligentes; qui cum vulgò loquuntur in pueris tenellis, pullis, atque paruis porcis fascinationem interdum asserunt euenire.*

9 Secundò, quia vt Testis est insignis Medicus Vallesius, neque Hyppocrates; neque Galenus, neque alius veterum Medicorum, talis morbi fascinationis meminit; non est ergo naturalis morbus.

10 Tertiò, quia venenifera illa fascinantis qualitas, vel est illi connaturalis, vel non, sed contra eius naturam: si connaturalis, vtique esset communis toti speciei humanæ; nulla enim vipera, nullus scorpius veneno caret. Præterea non esset ea qualitas alteri homini exitialis, sed alterius speciei animali; neque enim si basiliscum basiliscus aspiciciat, si vipera viperam mordeat, veneno occidit: si contra fascinantis naturam; ergo priùs fascinanti erit mortifera, eumque priùs occidet; si enim peste, vel morbo contagioso infectus, inficit suo halitu alium, ille vtique magis periclitatur, & eodem morbo contabescit.

Dices venenifera hæc qualitas fascinantis complexionem consequitur.

Contrà, quia complexio humanæ speciei naturam consequitur, & ad certam humorum temperiem, ac qualitates sequitur complexio; ergo si hæc fascinantis venenifera qualitas est destructiua naturæ fascinati; vtique etiam fascinantis naturæ erit nociua; sicuti quia calor vt octo destruit talis indiuidui ligni temperamentum, cuiuscumque ligni destruet pariter temperamentum, & erit cuicumque ligno nociua qualitas caloris vt octo.

Dices secundò, qualitas venenifera in fascinante reperit in ipso complexionem, seu temperamentum, vel qualitatem quandam, qua veluti antidoto munitur fascinans, ne sibi noceat; quod cum non sit inuenire in fascinato, isti est illa qualitas, per infectum aerem immissa, exitialis.

Contra primò, gratis dicitur fascinantis temperamentum tale esse, vt nullum patiatur damnum è pestifera qualitate, cuius fons ex eius pectore manat, & vix paruo aere infecto, & per oculorum cauitates intromisso alteri lethalis est.

Contra secundò, quia si salubris qualitas, quæ est in facinante, eum à venenifera qualitate tuetur; ergo etiam tuebitur fascinatum. Probo consequentiam, quia sicut aer, qui est in pectore fascinantis, non est illi mortiferus; eò quia salubritatem accipit à temperamento ipsius; sic idem aer, seu halitus, per respirationem emissus in fascinatum, eum non lædet, quia salubritatem recipit à temperamento respirantis.

Dices tertiò, id euenire, quia sub certa constellatione fascinans natus sit, qua fit ea pestifera qualitate præditus, quæ tamē ipsi veluti connaturalis, alteri verò mortifera.

Con-

Contra primò, hoc gratis asseritur.

Contra secundò, quia si hæc qualitas à certa constellatione penderet, omnes in ea constellatione nati fascinantes forent, quod est falsissimum.

Contra tertiò, quia ex dictis patet, hanc qualitatem veneniferam à costellatione inditam, ipsi primum, qui in ea natus est, exitialem fore.

Quartò, impugnatur fascinus, quia visio & actus immanens, non transiens, seu non est qualitas actiua, & alteratiua alterius passi; ergo nequit esse alteri nociua.

Confirmatur, quia ex recepta sententia Aristotil. & omnium Peripateticorum, visio non fit per extramissionem radiorum ab oculo, sed per intramissionem specierum emanantium ex obiectis; ergo oculus non habet per visionem alterare aliud subiectum, imò patitur, & recipit ex ipsis obiectis species ipsorum; quod inde etiā patet, quia oculus recreatur ex obiecto viridi, lęditur ex niuis candore; ergo aliquid ex ipsis obiectis recipit.

Quintò, quia omninò improbabile est, in tantam distantiam aerem à fascinante infici, vt eò aer à fascinantis oculis emissus, ac veneno infectus perueniat, quò vix acies oculi pertingit, vt de falcone, quem volantem ad prædam solo intuitu occidebat ille famulus Ducis Brigantiæ; sed cur itidem ceteras aues non occidebat? sanè eo præsente, alio falcone opus non erat.

Sextò, quia quamuis inuidentis imaginatio efficere possit, vt intentior sit pestifera qualitas emissa, non potest tamen efficere, vt non noceat omnibus pestiferus aer eiaculatus; ergo falsum est eos à fascinantibus occidi, quibus ipsi inuident, vt proinde idem sit inuidere, ac fascinare, vt patet ex D. August. *lib. 5. de locutionibus hebraicis in Deuteron.*

11 Septimò, pleraque remedia superstitiosa, quæ contra fascinum adhibentur, illud superstitiosum esse demonstrant; vnde (vt inquit Delrius authoritate Lucilli, & aliorum) aliqui contra fascinum infantium collo virile membrum pueri appendebant, idque erat ex electro maximè, quod innuit Plinius *lib. 37. cap. 3.* turpem omninò morem, & diabolicum, animus ad libidinem inflammandis, Bodinus *lib. 3. Damon. c. 5.* & Viues *lib. 6. de Ciuitate Dei, cap. 9.* Deinde verò mutato in paulò honestiorem nodum more, manula argentea, vel eburnea, vel ex corallio, pollice intra digitos inserto, tale quid exprimunt, quare fascini nomen inditum est virili membro; sic porrigens medium pollicem intra digitos in alterius contumeliam, virile membrum significat, & talem, vt grauis iniuriæ reum puniendum esse decreuit Senatus Pedemontanus, teste Thesauro *decis. 229.* hoc signum Itali ficum vocant, sic Dantes celeberrimus Poeta *in capit. 25. Inferni*, introducit impium furem acriter in inferno puniri; quia in Diuinæ Maiestatis contemptum tale signum fecerat.

Est ergo signum hoc, quod communiter omnes ferè infantes, ac mulieres in capite, vel collo, tamquam contra fascinum remedium gestant; signum turpissimum, nimirum quia, cum Dæmon turpissimus, ipse fascinatis noceat, vt patet authoritate Tertulliani *lib. de velandis Virginibus, cap. 5.* turpissimis signis, veluti tessera, à fascino eos vult esse tutos. Alij denique appendunt contra fascinum lunulas argenteas, fortè tali Machometanorum signo delectatur Diabolus, alij alias figuras; contra quam superstitionem S. Io. Chrysostomus *homil. 8. ad Colossens.* inuehitur his verbis: *Crux Christi dehonestatur, elementorum verò superstitiosi characteres præferuntur: Christus eijcitur, & inducitur temulenta, & nugatrix anus: Mysterium nostrum conculcatur, & seductio Diaboli tripudiat.* Superstitiosum quoque, aduersus fascinationem erat antiquorum remedium, qui sinui inspuebant, vt apud Erasmum *in prouerbio Sinui inspuere*, ac Plinium *lib. 28. cap. 4.* & huc referunt illud Tibulli *lib. 1. eleg. 2.*

Hunc puer, hunc iuuenis turba circumstetit arcta
Despuit in molles, & sibi quisque sinus.

Cæterùm de Succino, quòd aliqui contra fascinum appendunt, de manibus talparum, de hienæ pelle, an vim naturalem habeant contra eas pestiferas qualitates, incertum est. Verùm hoc certissimum puto, pestiferum vaporem ex oculis, & ore fascinantis egredientem, impediri non posse huiusmodi remedijs collo appēsis; quin talis aer infectus attrahatur ab alio.

Dicendum est igitur, cum Delrio *disquisit. magicarum, lib. 3. par. 1. qu. 4. sect. 1.* cum Abulense, & alijs duplicem esse fascinationem. Vna est propria, seu vulgaris. Altera impropria, seu philosophica.

12 Propria, seu vulgaris fascinatio est, quam scilicet vulgus putat fieri per visionem ab inuidente, vel irato, & hanc dico esse, vel fabulosam, vel superstitiosam; quia dæmonis opera alteri infertur nocumētum, nempè quia fascinator pactum habet expressum, vel tacitum cum dæmone, vt quemcumque iratus, vel inuidens intuitus fuerit, cum voluntate illi nocendi, aut illi inuidendi, laudauerit, illi dæmon noceat; quare visio fascinantis, eiusque laus, ac praua voluntas, non sunt causa efficiens nocumentum, sed sunt conditio, seu signum ad placitum, quo posito, diabolus nocet, hoc non obscurè docent S. Thomas *1. p. qu. 117. art. 3. ad 2.* S. Hieronymus, S. Io. Chrysost. Tertullianus, Abulensis, & alij *locis citatis*.

Impropria fascinatio, seu Philosophica, (prout eam vocat Delrius) est (quæ propriè dicendus est morbus contagiosus) quando scilicet ex depraatis, & corruptis humoribus corporis, aer, qui recipitur pestifera qualitate inficitur, qui aer per respirationem emissus, inficit, & corrumpit contiguum aerem, & hic alium vsque ad determinatam distantiam, & adstantibus, vel colloquentibus nocet, præsertim his, qui sunt infirmæ valetudinis, aut debilis complexionis, & maximè teneræ ætatis infantibus, vt constat in morbis contagiosis, & in peste infectis.

13 Infertur primò, ex dictis etiam cæcum, hac fascinatione impropria, posse fascinare, nam ex ore potest emittere halitum pestiferum; verùm illi dicuntur fascinare, qui ne dum ex ore, sed etiam ex oculis, attentè alios inspicientes, emittunt spiritus, & vapores veneniferos; non quidem media visione; quia cum hæc sit actus immaneus, non transiens, ideò non est actiua, nec noxia, sed innocua; Sed medijs vaporibus quia isti egrediuntur ex cauitatibus, quæ sunt inter palpebras, & orbem oculi fascinantis, ex quo veluti eiaculantur, & immittuntur in oculos fascinati.

14 Infertur secundò, posse absque vllo inuidiæ, aut odij liuore, aliquem fascinare colloquentes, quos intuetur; verùm si inuideat, cum motus animi turbent corporis humores, poterit tunc ille halitus, & exitialis vapor fieri venenosior, ac intensior ad nocēdum, & facilius in alios penetrare. Verum non erit in inuidentis potestate, vni nocere, non alteri, sed quotquot tunc iratus intuebitur,

illis

illis æquale nocumentum afferet, quod si vni, non alteri nocebit, id non nisi opera dæmonis fit, etenim maleficia nulli nocent, nisi illi soli, cui maleficus nocere voluerit, vt pluribus exemplis demonstrat Remigius *dæmonolatreia lib.2. cap.8.* Ratio est, quia diuina prouidentia non permittit dæmonem alicui nocere; cruentissima enim bestia, & humani sanguinis sitientissimus Draco, citissimè omnes necaret; quare dæmon sine expresso assensu maleficæ nulli quicquam nocumenti afferre potest, vt ostendit idem Remigius *d. lib.2. cap.9.* Vnde si fascinus vni, non alteri nocet, seu nocet illi tantùm, cui inuidet fascinans, euidens signum est, fieri opera dæmonis nocumentum; nam causa naturalis æqualiter applicata, in duplex subiectum æqualiter dispositum, effectum æqualem producit, & hoc independenter à voluntate.

15 Tertiò infertur fabulosum, vel superstitiosum esse, quòd Plutarchus, & Plinius narrãt de fascinantibus laudando, vel de fascinatione eorum, quos intensè amamus; hoc tamen postremum euenire posset, quando parentes familiares, ac amici sunt ea pestifera qualitate infecti, vnde ex frequenti conuersatione facilius suo morbido halitu nocere ijs possum, quos amant.

Quartò infertur superstitiosum fuisse fascinum illius, qui falconem volantem fascinabat, etenim intensissima oporteret, vt foret illa qualitas pestifera, & halitus lethalis, vt in tantam distantiam aerem corrumperet; quare illi primum nocuisset. Superstitiosus quoque fuit fascinus illius Senis, de quo Hieronymus Vida scribit. Superstitiosus etiam illius Calabri de quo Maidalchinus, qui quos volebat, solo intuitu occidebat, ac canem minori temporis spatio, quàm sit decima pars horæ interfecit, intensissimum enim fuisset sui halitus venenum; proinde ipsum vtique ante alios occidisset. Superstitiosum, vel fabulosum quod de Eutelide Plutarchus refert, quod se intuens in fonte sese ipsum fascinauit; nam si per reflexionem solam sui halitus occisus est, qualiter nõ antea ipsũ necauit, pestifer halitus in eius pectore existens?

16 Quintò infertur oportere fascinantem esse infirmæ valetudinis, & corruptis humoribus tabescere; vnde veneniferus halitus, & vapor emittatur; alioquin si sit bonæ valetudinis, & robustæ complexionis, ac omninò sanus, euidens signum est: esse fascinum superstitiosum, ac opera dæmonis alteri nocere. Potest tamen praua humorum dispositio maius nocumentum alteri, quàm ipsimet infirmo afferre, vt patet de peste infectis, qui cum plures suo halitu occiderint, tandem ipsi incolumes euadunt, & curantur.

17 Sextò infertur, quòd alij de lupo tradunt, id planè esse fabulosum, & poeticum commentum, vt putãt Andreas Laurentius *histor. Anatom. lib.10. q.2.* Io. Brodæus *lib.7. Miscellan. cap.7.* Nulla enim talis effectus suppetit ratio, etenim falsa est, quam affert Delrius *disquisit. magic. lib.1. cap.3. qu.4.* nempè, quia visus homo terretur ex lucidis truculentæ bestiæ oculis; cur quæso, leo rugiens, & occurrens, maioremque terrorem incutiens, raucedinem non inducit? futilem quoque esse rationem à Cantipratense allatam *lib.1. de apibus, cap.57. par.9.* quia lupus qualitatem exiccatiuam emittens raucedinem inducit, cur lupus catena ligatus in domibus magnatum, eam exiccatiuam qualitatem emittens, domesticos omnes raucos non reddit? Nulla ergo suppetit ratio, nisi velis ad Sacram anchoram omnibus peruiam, occultæ qualitatis, confugere.

18 Infertur septimò eos, qui Salutatores dicuntur, habere id donum à Deo, & esse gratiam supernaturalem gratis à Deo datam, ad fidei confirmationem; quarè illam etiam perditissimi homines habere possunt, vt tradunt Nauarrus *lib.9. moral. c.25. qu.2.* Franciscus à Victoria *relect. de magia num.16.* Lessius *lib.2. c.43. num.63.* nequit autem esse aliquid naturale, quod inde apertè colligitur; nam Galliæ Reges, tantùm Catholici, & legitimi Reges, hoc dono potiuntur, & olim etiam Reges Angliæ Catholici, merito Sancti Eduardi Regis (vt narrat Polydorus Virgilius *lib.10. historię Anglorum fol.140.*) hoc habebant donum Sanctitatis, vt suo contactu strumas, seu scrophulas sanarent. Illi ex familia Pulueria, tantùm si sint ex legitimo thoro, venenatos sputo curãt, prout religiosissimus Pater Puluerinus mihi retulit, ac plurimis experimentis comprobauit; constat autem quod titulus Regni, catholica Fides, ac legitimus thorus, cum sint quid morale, sunt aliquid impertinens ad naturalem facultatem sanandi; ergo est ea virtus supernaturalis.

Infertur octauò, frequenti intuitu, amore aliquos fascinari fabulosum esse; amor enim non ex morbida qualitate eiaculata, sed ex obiecti pulchritudine concipitur.

19 Agunt de fascinatione S. Basilius *homil.11.* Abulens. *Numer. c.21. qu.14.15.16.17. & 18.* Plinius *lib.7.* Martinus Delrius *disquisit. magicar. lib.1. c.3. q.4. & lib.3. p.1. q.4. sect.1.* Gellius *lib.9. c.4.* Valles. *de sacra Philosophia, cap.68.* Bustamantus *de reptilibus sacrę Scripturę, lib.2. cap.4. num.39. & 42. & lib.3. cap.12. nu.89. & 91.* Leonardus Vairus *in libris de fascinatione*, Giraldus *dialogismo 7.* Virgilius ecloga 3. vbi Pontanus.

QVÆSTIO XXXVIII.

An valeat dispensari, ex priuilegio Religionis, cum Moniali, ne recitet diuinum Officium ob dolorem capitis, non ita grauem, accedente melancholia, & anxietate in reiterando, aut scrupulo?

SVMMARIVM.

Ex priuilegio Apostolico, possunt Superiores Regularium dispensare cum infirmis, in recitatione Officij diuini. nu.1.

Ex notabili dolore capitis quis per epikeiam excusatur à recitando. num.2. Ex hac causa, ad aliam minus grauem, accedente dispensatione descenditur. num.3.

Ad excusandum à recitatione, minor causa requiritur in fęmina, quàm in viro. nu.4. Minor quoq; si adsit dispensatio. num.5. Adhuc minor si dispensetur ex peculiari priuilegio Apostolico. num.6. Etiam minor si admisceatur commutatio. num.7.

Non sufficit ad dispensandum leuissimus dolor. num.8.

Quatuor regulæ ad rectè dispensandum. num.9.

Abbatissa non potest dispensare; potest tamen ex commissione Prelati declarare causam, qua declarata, Prælatus dispensat. num.10.

1 SVppono Clementem VII. ac Pium V. concessisse priuilegium Religioni nostræ Clericorum Regularium, vt Superiores dispensare possint cum infirmis in recitatione diuini Officij, assignando sex, vel septem Psalmos, toti-

totidem orationes Dominicas, ac bis ſymbolum Appſtolorum, ita habetur *in compend. Priuileg. Clericorum regular. verbo diſpenſatio* §. 8. Hoc antem priuilegium, per mediatam communicationem, cuiuſcumq; ordinis Moniales participant, ſi quidem omnes Religiones hodie habẽt communicationem priuilegiorum, vt docet Portel *V. communicatio num.*2.& priuilegium vni Monaſterio conceſſum ab omnibus Monaſterijs vtriuſque ſexus eiuſdem Religionis participatur, prout tale priuilegium habere Ordinem Sancti Hieronymi refert Rodriq. *quæſt. regul. tom.*1. *quæſt.*55. *art.*9. itaque per communicationem ſaltèm mediatam, quæcumque Moniales habent hoc noſtrum priuilegium, vt ſuperior diſpenſet in recitatione officij Diuini hoc poſito.

Reſpondetur affirmatiuè, nempè licitè, & validè diſpenſari poſſe cum prædicta Moniali.

3 Probatur, quia iuſta cauſa, qua quis à recitatione officij excuſatur, per epikeiam, abſque vlla diſpenſatione eſt, ſi abſque notabili dolore capitis, vel oculorum, aut ſimili moleſtia dicere nequeat. Ita Leſſius *lib.*2. *capit.*37. *num.*54. Ratio eſt, quia communiter Doctores docent: excuſari infirmum, qui abſque magna difficultate recitare nequit, Ita Innocent. & Abbas *in cap.*1. *de celebrat. Miſſarum*, Nauar. *cap.*25. *nu.*100. Azorius *tom.*1 *lib.*10. *cap.*13. *quæſt.*1. Suarez *de horis Canonicis lib.*4. *cap.*28. *num.*19. Layman *lib.*3. *tract.*1. *capit.*6. *num.*1. generale namque eſt à quolibet præcepto Eccleſiaſtico excuſare magnam difficultatem, ſeu graue, & magnum incommodum, vt patet de Ieiunio, è quo paſſim Doctores excuſant itinerantes, quamuis magnum non ſit iter, excuſant artifices, quamuis non adeò ſint artes illæ laborioſæ, vt ſutorum, barbitonſorum, &c. Diana *par.*8. *tract.*7. *reſolut.*40. & 55. ſic excuſant eum, qui noctu incœnatus dormire nequit, ſic etiam excuſatur ob debilitatem vel conualeſcentiam; ergo rectè docuit Leſſius excuſare notabilem dolorem capitis: ſed ſi non eſſet adeò grauis dolor, adhuc tamen excuſatur quis, ſi ad dolorem aliqualem capitis, alia accedant, vt melancholia, anxietas in recitando, aut ſcrupulus, & præterea fragilitas, ſeu debilitas fœminei ſexus, diſpenſatio ſuperioris, peculiare Pontificium priuilegium diſpenſandi, & inſuper commutatio in alias breues preces.

Vnde ab illa iuſta cauſa excuſante per epikeiam, nempè graui, & notabili dolore capitis, per hoc gradus, quos ſubijciam, deſcendendum eſt ad præſentem cauſam, de qua ſuprà.

4 Primus gradus eſt, *ſexus fœmineus*, etenim minor infirmitas fœminam deijcit, quàm hominem; quarè in illa minor cauſa ſufficit ad excuſandum; ergo minor cauſa, quàm grauis dolor capitis; ſic in fœmina minor metus annullat contractum, Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.*3. *num.*2.

5 Scũdus gradus eſt, *diſpenſatio Superioris*; ſiquidẽ grauior cauſa requiritur ad excuſandũ per epikeiam, quàm per diſpenſationem; nam quando quis excuſatur per epikeiam, tunc per ſe ceſſat obligatio legis; quando verò excuſatur ob diſpenſationem, tunc per ſe obligat lex, ſed accedente ſuperioris authoritate per diſpenſationem ceſſat obligare, Suarez *de relig. tom.*2. *de voto lib.*6. *cap.*9. *num.*2. Sanchez *conſil. lib.*7. *cap.*2. *dub.*45. *nu.*2.

Ergo ſi per epikeiam, ob grauem dolorem capitis per ſe ceſſat lex obligans ad recitationem, minor capitis dolor, accedente alia difficultate, melancholiæ vel ſcrupuli, ſufficit ad excuſandum per diſpenſationem.

Tertius gradus eſt, *peculiare priuilegium Apoſtolicum diſpenſandi cum religioſis infirmis*; nam de iure cõmuni ſuperior poteſt diſpenſare cum infirmo: ergo ſi accedat priuilegium Pontificium, ne hoc dicatur fruſtratorium, ſed concedat aliquid vltra ius commune, debet operari, vt minor cauſa ſufficiat ad diſpenſandũ, ex tali priuilegio: non enim priuilegium debet eſſe vanum, ſed debet aliquid præter iuris communis regulas concedere, *l.*1. *ff. ad municipalem*, *gloſ. in c.*1. *verſ. liberè de reſcriptis*, Abbas *in c. in his num.*2. *de priuileg.* Accedit quod Doctores docent huiuſmodi priuilegia concedi ad quietem conſcientiæ, & ad tollendos ſcrupulos; quando videlicet priuilegium concedit ea, quæ iure cõmuni videntur conceſſa, ita Nauar. *conſ.*5. *nu.*5. *de ſtatu Monachorum adit.*2. Suarez *lib.* 8. *de legibus, cap.*1. *n.*7. Peregrinus *in comp. priuileg. Cler. Regular. in introduct. not.*17. vbi loquitur de præſenti priuilegio diſpenſandi cum infirmo in recitatione diuini Officij; ſed hunc effectum tollendi ſcrupulos, & pacandi conſcientiam non benè operaretur, ſi eadem requireretur in diſpenſando ex iure communi, ac ex priuilegio; ergo ſtante priuilegio, minor cauſa requiritur.

7 Quartus gradus eſt, *commutatio in alias breues preces*; quia Pontifex vult diſpenſari cum infirmo in recitatione diuini Officij, commutando in alias preces; ergo minor cauſa requiritur ſtante commutatione; ratio eſt, quia abſque vlla commutatione poteſt Superior diſpenſare cum infirmo; ergo ſi accedit commutatio, requiritur minor cauſa, nam priuilegium non debet eſſe oneroſum priuilegiato, & quod in fauorem alicuius inſtitutum eſt, non debet retorqueri in odium, *l. quod fauore, ff. de legibus, reg.*61. *in ſexto*.

Itaque dicendum minorem requiri cauſam, ad mixta commutatione, quam ſine commutatione, & adhuc minorem cauſam facta diſpenſatione ex priuilegio Apoſtolico, quam ex iure communi, & minorem quoq; cauſam requiri in fœmina, quam in homine infirmo, & denique minorem cauſam excuſando per diſpenſationem quam per ſolam epikeiam.

8 Verùm ne quis per hos gradus, deſcendant ad inferos: Aduerto non ſufficere ad hanc diſpenſationem leuiſſimum capitis dolorem, aut leuiſſimam infirmitatem: ſed debet eſſe non modica moleſtia ex recitatione, tam ex capitis dolore, quàm ex adiunctis ſcrupulis; ita vt quamuis iſta ſeorſim non ſufficiant, iuncta tamen ſimul cum prædicto priuilegio prudenter iudicentur ſufficere. Præterea non debet Monialis ſe pro omni tempore putare excuſatam, ſed tantùm pro illis horis Canonicis correſpondentibus tempori infirmitatis, ac doloris capitis, v.g. toto hoc die, caput non dolet, tenetur recitare: cras à prandio vſque ad mediam noctem caput dolet, excuſabitur à Veſpere & Completorio recitando, non autem à reliquis Horis canonicis; quamuis tamen præuideat futurum capitis dolorem, non tenetur præuenire tempus recitationis Veſperorum, & Completorij, vt in ſimili caſu de quartana docent Canus, Henriquez, & alij, quos ſequitur Diana *par.*4. *trac.*4. *reſol.*10. & eſſe probabilem inquit Leſſius *lib.*2. *c.*38. *n.*43. Obſeruandas autem puto ſequentes regulas, ne Superior erret in diſpenſando, aut is, qui diſpenſatione vtitur.

Prima regula eſt. Quando dubium eſt an cauſa ſufficiat ad excuſandum per epikeiam, certum eſt eſſe ſufficien-

ficientem ad excusandum, accedente dispensatione, ita Caietan. 2.2. *qu.* 147. *art.* 4. *in princip.* Granado 1.2. *contron.* 7. *tract.* 2. *disp.* 6. *sect.* 1. *nu.* 2. Diana *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 44.

Secunda regula, est quando certum est non excusari per epikeiam, dubiū vero an sit causa sufficiens ad dispēsandum ex iure communi, tunc licitè & valide dispensari potest ex solo iure communi, etiam sine peculiari priuilegio Apostolico, ita Sanchez *in Summa lib.* 4. *c.* 45. *n.* 10. vbi ait: *In benigniorem partem inclinandum esse, & facultatem Superiorum tunc non esse dubiam; id enim petit bonum, & suaue regimen Ecclesiæ; esset enim multis scrupulorum occasionibus exposita potestas dispensandi, & vix auderent Superiores dispensare*, ita Sanchez, & ante ipsum Syluester *V. dispensatio* 1. *q.* 14. *num.* 10. Diana *p.* 1. *tr.* 10. *resol.* 31. *& par.* 4. *tract.* 3. *resol.* 44.

Tertia regula, quando certum est, causam nō esse sufficientem ad dispensandum ex iure communi, dubium verò an sit sufficiens ad dispensandum ex peculiari priuilegio Apostolico; tunc potest dispensari stante peculiari priuilegio Apostolico. Patet ex dictis, quia tunc minor causa requiritur.

Quarta regula, quando facta dispensatione dubitatur, an illa v[illegible]dè, & licitè fuerit concessa; tunc possumus sine scrupulo vti tali dispensatione; quia in dubio præsumitur pro validitate actus, Sanctarellus *variarum resol. tom.* 1. *q.* 59. *num.* 1. Diana *par.* 4. *tr.* 3. *resol.* 45.

10 Adducite secundò, quod nequit Abbatissa in recitatione diuini Officij dispensare, sicuti neque potest dispensare [illegible] ieiunijs, & alijs ecclesiasticis legibus, vt docent S[illegible]z *lib.* 6. *Summæ, cap.* 1. *nu.* 24. Tamburinus *disp.* [illegible]2. *de iure Abbatissarum, qu.* 8. *nu.* 1. Pellizzarius *de Monialibus, cap.* 10. *nu.* 133. contra Henriquez *lib.* 6. *c.* 2. *num.* 3. & Lezanam *tom.* 1. *c.* 26. *nu.* 16. Sicuti neque potest dispensare in voto; quia ad dispensandum requiritur iurisdictio spiritualis, qua caret Abbatissa, & cuius omnes fœminæ sunt incapaces Rodriq. *qq. regular. to.* 1. *qu.* 25. *art.* 7. Portel *V. Abbatissa, num.* 1. Miranda *in trac. de sacris Monialibus in fine totius tractatus*; neque potest Superior committere Abbatissæ potestatem dispensandi cum Moniali; quia incapax est iurisdictionis. Saltem ex iure canonico, in quo inferior Prælatus nequit dispensare, & sic nequeunt delegare Abbatissæ iurisdictionem spiritualem. Ita Laymanu *in qq. canon. q.* 235. Henriquez *lib.* 6. *c.* 2. *nu.* 3. Sanchez *lib.* 6. *Summæ, cap.* 1. *n.* 23. Pellizzarius de Monialibus *cap.* 10. *num.* 118. Poterit tamen ea iurisdictio delegari à Papa, vt docent Sanchez, & Pellizzarius, ac Tamburinus de iure Abbatiss. *disp.* 32. *qu.* 4. quamuis alij doceant fęminam de iure diuino esse incapacem iurisdictionis spiritualis, & consequenter asserunt, quod Papa nequeat fęminæ committere iurisdictionem spiritualem, ita docet Coninchius *de Sacram. disp.* 13. *dub.* 3. *nu.* 35. & Diana *par.* 5. *trac.* 9. *res.* 16. sed potest Prælatus committere executionem, & determinationem; nam potest ipse Superior Monialium, dispensare quandocumque adsunt tales causæ, vel dubitatur de sufficientia talium causarum, v. g. doloris capitis, melancholiæ, scrupulorum, & committere Abbatissæ declarationem causæ, ita vt declarante Abbatissa Moniali causam, cum Monialis deinde non recitat, id facit non authoritate Abbatissæ, sed Superioris dispensantis, vt patet in dispensationibus Matrimonij, quarum causæ examinandæ committunt Ordinarijs.

QVÆSTIO XXXIX.

An liceat alienas pęnitentes attrahere?

SVMMARIVM.

Querulorum quorumdam Confessariorum murmurationes Cœnobiorum pacem euertunt. num. 1.

Aliquando mortaliter peccat Confessarius, prohibens ne pęnitens alteri confiteatur. num. 2.

Quando liceat alienas pęnitentes ad se attrahere? num. 3.

Quando aliena columba licitè capiantur? num. 4.

An possit quis in proprio fundo molendinum ædificare, cum aliorum damno? num. 5.

An possim persuadere Petro, qui proposuerat donare mille Paulo, vt mihi donet? num. 6.

Per actus liberos non inducitur præscriptio. num. 7.

Mirabitur fortè aliquis, cum confessio sit libera, ad conclusionem adeò certam, & euidentem demonstrandam, me tot sequentia argumenta coaceruasse; At quæso consideret querulorum confessariorum turbas, offensiones, murmurationes, & scandala, quæ aliquorum Cęnobiorum pacem euertunt, qui meritò tamquam seditiosi, ac religiosæ pacis turbatores grauiter puniendi sunt, ex tex. *in cap. Si quis Monachus* 90. *dist.* vt scribit Menochius *de arbitrarijs casu* 437. hic tamen excipio Religiones, in quibus viget obseruantia, humilitas, & charitas. Cōsideret innumeras puellas, ex aliquali, vt ita dicam zelotypia confessarij, alteri confiteri non audentes, per plurimos annos sacrilegè, ex verecundia, sua reticere peccata. Quare vt Sancta Mater Teresia reuelauit: *ex diminutis, & sacrilegis confessionibus ingens damnatorum numerus in gehenna torquetur*. Vnde prudentissimè sacra Tridentina Synodus *sess.* 25. *cap.* 10. *de regularibus*, statuit ter in anno Sanctimoniales extraordinario Sacedoti, sua posse aperire peccata; & Clemens VIII. præcepit, ne tenerentur Regulares Superiori, sed cuicumque ex assignatis confiteri valerent.

2 Igitur grauissimè, & mortaliter peccare confessarium censeo, pęnitenti ne alteri confiteatur, prohibentem, si dubitat diminutè eam confiteri. Quod si tale dubium non subsit: nihilominus non benè faciunt ægrè ferentes alijs suas pœnitentes confiteri, vt ait Io. Sanchez *in Selectis disp.* 6. *num.* 19. occasionem enim ex hoc tribuunt pęnitentibus, non adeò frequenter confitendi, aut sacram Eucharistiam sumendi: Præterea hoc genus dominationis est. E contra tamen ab aliqua culpa non excuso Sacerdotem, aliorum, præsertim eiusdem Cęnobij, pęnitētes, ad se fraudibus, importunis precibus, aut alijs indebitè trahentem: Est enim hæc iurgiorum, odij, murmurationum, ac indignationum materia; vnde erunt in
3 Cęnobio dissensiones, & turbæ. Verùm si absque vlla fraude, aut vllis importunis precibus, spontè nobiles pęnitentes ad alium confessarium accedant, nulla erit in isto culpa, si eas ad priorem confessarium non remittat: sed ipse benignè excipiens, ad se trahat, & tunc alter iniustè conqueritur. Itaque ad quæstionem propositam.

4 Respondetur affirmatiuè. Probatur primò, quia receptissima est Doctorum sententia, quod si columbæ spontè aduenerint ad columbarium meum, & consuetudinem redeundi ad proprium columbarium amiserunt,

(quia

(quia bis, vel ter tempore consueto non redierint) tunc licitè capiuntur, cùm quis proprias columbas optimè pascens alienæ columbæ illuc aduolant, vbi cibos inueniunt; hic enim cum suas columbas pascat, nemini facit iniuriam; iure etenim suo vtitur; nimirum optimè proprias columbas pascit; ideòque columbæ eò aduolant, vbi benè pascuntur. Neque refert, quod ideò benè proprias pascit, vt alienas capiat, nam cùm actio externa iusta sit, nullum potest esse peccatum externum contra iustitiam; peccaret tamen, & teneretur ad restitutionem, qui non solis cibis propositis alienas columbas alliceret, sed aliquo artificio, & fraude caperet, ita Azorius *par.3.lib.5. cap.16. in fine, verf. Sexta difficultas,* Couarr. *reg. peccatum, p.2. §.8. num. 14.* Sà *verbo columbarum nu.2.* Layman *lib.3. tract.1. c.5. num.17.*

Ergo à fortiori, licitum erit Confessario alienas pœnitentes ad se attrahere, sacri verbi pabulis propositis, & si penitentes bis, vel ter tempore consueto ad primum non redierit, tunc videntur amisisse consuetudinem redeundi, & sic non erit dicenda penitens prioris, sed posterioris Confessarij; non autem esset licitum, fraude attrahere alienas penitentes, v. g. prohibendo ne illi confiteantur, vel importunè rogando, vt sibi confiteantur, vel (quod absit) vti mendacijs, aut alijs dolis: asserendo illum esse indoctum, indiscretum, scrupulosum, aut non rectè fungi officio suo, aut frequenter, & importunè eas inuisendo, &c.

5 Probatur secundò, nam potest quis in proprio fundo Molendinum ædificare, etiam cum aliorum damno, vt cum diminutione aquæ prioris Molendini, aut si auferatur concursus molentium in priori Molendino *l. vltima, §. fin. ff. de damno infecto,* Bartol. & Iason *in l. quominus, ff. de fluminibus, l. si manifestè,* vbi Bartol. *ff. de seruitut. & aqua*; ergo à pari, licet penitentes alienas ad se allicere, etiam cum aliorum damno.

6 Probatur tertiò, nam si quis destinauerat Petro donare mille, possum illi persuadere, vt donet mihi, aut Paulo, aut nulli donet, neque pecco contra iustitiam; modò non vtar vi, fraude, mendacijs; neque pecco contra charitatem, si id non faciam ex odio, sed ratione proprij, aut alieni commodi; Ratio est quia is, cui destinatum erat donum, nullum ius habet ad donum; quare cum nullo iure priuetur, nulla fit illi iniuria, ita omnes, Caiet. *2.2. qu.62. art.2. ad 4.* Palud. *in 4. dist. 15. qu.2. art.2.* Syluest. *V. restitutio 3. nu.14.* Nauar. *c.17. nu.69.* Lessius *lib.2. c.12. dub.18.* Molina *disp.727. concl.1.* Ergo à pari nulli facit iniuriam Confessarius, si alienas penitentes ad se trahat, modò non vtatur importunis præcibus, aut importunis officijs, aut mendacijs: sicut enim nullum ius habet ad donum ille; ita nec iste nullum ius habet ad excipiendas pœnitentium illarum cõfessiones.

Probatur quartò, nam si non est certum feram vulneratam, aut laqueo irretitam, euadere non posse; tunc non est fera vulnerantis, aut tendentis laqueum, sed capientis, *l. naturaliter, §. illud quæsitum. & l. in laqueum, ff. de acqur. rerum dominio, §. illud quæsitum institut. de rerum diuis.* vbi textus subdit: rationem, *Quia* (inquit) *multa accidere possunt, vt eam non capias*; Ergo à pari, quamuis penitentes vnius Confessarij, veluti laqueis irretitæ sint, tamen cùm multa accidere possint, vt euadant, nullam ipsi Confessario iniuriam facit, qui eam capit, & ad se trahit.

Probatur Quintò, *ex §. quòd si, Institut. de rerum diuis.* vbi Imperator ait: *Quod si fluminis vis arbores de tuo fundo secum traxerit, illæque in vicino fundo radices egerint, ex eo tempore videntur vicino fundo acquisitæ*; ergo cùm vis fluminis, nempè inundatio penitentium, traxerit illas ad vicinum confessionarium, & illæ in eo radices egerint, sæpius redeundo, vicino confessionario iustè acquiruntur.

Probatur sextò, nam sæpè conqueruntur penitentes: se à priori Confessario non attentè audiri; aliquando etiam ex prioris Confessarij negligentia, diù in ijsdem peccatis perseuerant; ergo iustissimè alter eas ad se trahit, & ad meliorem vitam reuocat, ac iustè eas acquirit, patet hoc à fortiori, *ex Canone placuit 16. quæst.3.* vbi si Episcopus monitus negligat reuocare populum, qui à fide Catholica defecit, & alter Episcopus reuocat, reuocantis fit Episcopatus: Maius autem ius habet Episcopus in Episcopatum, quàm Confessarius in penitẽtes.

7 Probatur septimò, nam per actus liberos numquam inducitur præscriptio; si quis enim longissimo tempore ad vnius Molendinum vadit, aut singulis annis alteri donat, vel eleemosynam tribuit, non potest inde obligari in posterum, Innoc. *in cap. Ecclesia Sutrina de causa poss. & propriet. atis,* Layman *lib.3. tract.1. c.8. num.7. vers. infertur 4.* ergo nullum ius habet Confessarius ad suas penitentes, cùm illæ liberè ipsi confiteantur; ergo iniustè agit, & peccat prior Confessarius, si adeò deuincit suas penitentes, vt non audeant alteri confiteri; scio cuiusdam Confessarij penitentem lepidè dicere solitam: *se ingiter Deum rogare, vt suus Confessarius podagra laboret.*

Dices primo, priorem Confessarium scandalizari.

Respondetur, quòd post monitionem, & postquam posterior Confessarius declarauerit, se illas traxisse absque fraude, aut mendacijs, aut importunis precibus, quę in dubio non præsumuntur, delictum enim in dubio non præsumitur (*l. meritò. ff. pro socio*) tũc est scandalum Pharisaicum, necde eo curandum, S.Tho. *2.2. qu.43. art.7.* ibique Caietan. Io. Gerson. *p.2. operum in regulis moralibus, §. ille dicitur,* Vasquez *opusc. de scandalo quæst.43. art.8. dub.2. num.22.*

Dices secundò, esse contra charitatem, ergo, &c.

Respondetur, nego esse contra charitatem, sine medijs illicitis, procurare proprium commodum; nam charitas incipit à se ipso, & patet exemplis adductis de columbis, molendino, donatione, &c. Præterea sępissimè, est maius commodum spirituale penitentium; nisi enim illis displiceret prior Confessarius, non illum relinquerent, & etiam si non displiceat, sufficit, quod posterior magis placeat, & ita frequentius accedant ad confessionem.

Dices tertiò, esse contra pacem, & quietem religiosæ domus, &c.

Respondetur, pacem turbari à priori Confessario iniustè obmurmurante; præsertim cùm sciat nullas præcesisses importunas præces, nulla officia, nulla visitationes.

Tandem contra hunc querulum Confessarium illo Isaiæ Vaticinio concludam: *Væ qui prædaris, nonne, & ipse prædaberis? & qui spernis nonnè & ipse sperneris?* Spernis penitentes? sperneris ab illis; prædaris eas? Iam verò prædaberis.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXX.

An qui conſecutus eſt Iubilæum in prima hebdomada, poſſit iterùm repetitis Operibus, lucrari, & abſolui in ſecunda.

SVMMARIVM.

Negant aliqui. num.1. Et ita declaratum à ſacra Congregatione. num.2.
Affirmant alij magis communiter. num.3.
Propria verborum ſignificatio ex populi acceptione colligitur. num.4.
In dubio, Iubilæi conceſſio, latè eſt interpretanda. num.5.
Indulgentia perpetua bis lucrari poterit. num.6.
Etiamſi Pontifex expreſsè nollet bis conſequi Iubilæum, adhuc tamen conſequitur, niſi hæc ſua voluntas authenticè publicetur. num.7.

1 NEgant Suarez *de religione tom.2.lib.6.de voto,c.16. num.vlt.* Sanchez *in Summa lib.4.cap.54. num.30.* Layman *lib.5.tract.17. c.8.num.8.* Bonacina *de Sacram. diſp.5. qu.7.pun.5.§.3.num.17.* Portel *de dub. regul.verbo Indulgentia, num.16.*

2 Probant primò, ex declaratione ſacræ Congegationis *anni* 1620. quam refert Filliuccius *tom.1.tr.8. nu.261.*

Secundò, ex S. Thoma *in 4.diſt.20.qu.vnica artic.3. qu.2.ad 4.& ibid.* Palud. *q.4.art.1.§.quantum ad 3.concl.* qui docent non poſſe indulgentiam ad limitatum tempus conceſſam, bis conſequi.

Tertiò, quia ſermo ſimpliciter prolatus, intelligitur pro primo actu, *l.boues,§. hoc ſermone:* vbi latiſſimè Tiraquellus *de verborum ſignificat.*

Quartò, quia in forma Iubilæi dicitur *hac vice tantũ*, ideſt, vt ait Suar. vna vice in vna, vel altera hebdomada.

3 Affirmant magis communiter Doctores, Ita Henriquez *lib.6.cap.16. §.3. & lib.7. cap.11.numer.1.* Reginaldus *in praxi lib.8. numer.64.* Nauarrus loquens de anno Sancto Iubilæi, *in comm. de Iubilæo notab.32.n.46.* Benzonius *de Iubilæo, lib.5.c.15. dub.23.* Rodriquez *in Summa tom.1.c.183. nu.17.* dicens: hanc eſſe quotidianam praxim, Zerola *de Iubil.lib.1.c.16. qu.20. & in eodem tract.* Sanctarellus *cap.5.dub.4.* Lauorius *par.1.c.21. num.65.* Alphonſus de Leone *par.2. nu.183.* Fernandez *in exam. theol. par.3. cap.7.§.8.nu.4.* Graffius *in append. deciſionum,lib.2. c.5.nu.23.* Alphonſus de Vega *in Summa,tom.2.cap.7. caſu 39.* Naldus *in Summa verbo Indulgentia,* Diana *par.2. tract.17.reſol.4. & par.5. tract.12. reſol.28.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.9. num.21. verſ. moneo 12.* eandemque ſententiã probabilem eſſe docent Bonacina, & Filliuccius vbi ſuprà, Fauſtus *tract.de Iubilæo lib.4.qu.64.* Ioſeph de Auguſtino *in ſua breui notitia, cap.de Iubilæis,num.3.* Antonius de Eſcobar *in Theolog. Morali,trac.7.exam.5. cap.8. nu.56. verſ.egit quis.*

Probatur primò, quia quòd bis lucretur Iubilæum in vtraque hebdomada, non eſt contra propriam ſignificationem verborum Bullæ; ergo in vtraque Iubilæum bis conſequi poterit. Quod autem non ſit contra propriam ſignificationem verborum Bullæ oſtenditur, nã ex quotidiana praxi Fidelium, de qua teſtatur Rodriquez *in Sum. tom.1.c.183. num.17.* ſatis patet hanc eſſe illorum
4 verborum ſignificationem; etenim propria ſignificatio verborum ex populi acceptione colligitur, vt docet Alciatus *de verborum ſignificat. lib.1.* & Suarez *de legibus lib.6. c.1. num.9.* Præterea obſcuræ legis optima interpres eſt conſuetudo *l. ſi de interpretatione 37. ff. de legibus, cap. cum dilectus de conſuetud.* Deinde propria verborum ſignificatio ex doctorum virorum ſenſu accipiẽda eſt, Bartolus *in l. omnes Populi,num.59.ff. de iuſtit.& Iure* Alciatus *d. lib.1. circa initium,& lib.2. verſ. ex vſu.* At Doctores, vt vidimus, magis communiter ea verba Bullæ, ita interpretantur; quamuis enim Bulla affirmet, in vna ex duabus hebdomadis conſequi poſſe; at non negat poſſe conſequi in vtraque repetitis operibus; & cùm ſit fauor animarum, ſic accipienda ſunt ea verba; nam alternatiua ſæpè reſoluitur in coniunctiuam ex rationabili cauſa, *l. generaliter, C. de inſtitut. & ſubſtitut. l.Lucius,l.a 2. ff.de hæred. inſtituendis l.3. C.de verb.ſignif.*

Secundò, nequeunt Aduerſarij ſine temeritatis nota affirmare; iis verbis Bullæ euidenter, & clarè oſtendi, nolle Pontificem bis cõcedere Iubilæum; alioquin oporteret aſſerere omnes fideles, qui quotidie ita in praxi ſeruant, vt ait Rodriquez, totque viros doctiſſimos contrarium docentes, eſſe omninò ſtultos, & inſenſatos; ergo dicendum ſaltem obſcuram, & dubiam eſſe eorum
5 verborum acceptionem. At verò in dubio, Iubilæi conceſſio latè eſt interpretanda, & extendenda, vt docent ipſimet Aduerſarij, Suarez *de relig. tom.2. lib.6. cap.16. num.3.* Turrian.*2.2.qu.88.art.12. diſp. vlt.nu.1.* Henriquez *lib.6.c.16. num.3. & lib.7. cap.30. num.4.* Salas *de legibus, diſp.17. ſect.8.* Bonacina *diſp.1. qu.3. pun.7. §.1. nu.11.* Diana *par.1.tr 11. reſol.98. & par.8. tr.3. reſ.45.* Ratio eſt, nam eſt beneficium Principis, nemini præiudicans, & in ſalutem animarum, conceſſum, quod latiſſimè interpretandum eſt *l.beneficium,ff.de conſtit. Principum,c.quamuis in ſine de præbend. in 6.*

Tertiò, idem firmatur diuerſis exemplis, nam Iubilæum ſolemne, anni Sancti Romæ concedi ſolitum incolis viſitantibus Baſilicas triginta diebus, peregrinis verò diebus quindecim, quolibet ab ipſis menſe acquiri poſſe, docent Nauar. Benzonius, & Naldus *locis citatis*, ſic perpetua Indulgentia bis in die lucrari poterit, ita Felinus, & Lyranus quos ſequitur Nauar. *de Iubil. notab.31. num.37.* imò etiam ſi pro certo die eſſet conceſſa, quare ſi Indulgentia conceditur indefinitè viſitanti tali die talem Eccleſiam, toties quis eam lucratur, quoties eo die moraliter, & ſecundùm prudentiam eam viſitat, ita Ægidius Trullenck *in Bulla Cruciata, lib. 1. §. 6. dub.4. num.2.* Diana *par.5.tr.12.reſol.45.* Sic in eadem hebdomada pluries quis poterit abſolui à reſeruatis, vt docent omnes; cur ergo non poterit bis abſolui in vtraque hebdomada; ſic etiam ſi quis abſolutus ſemel eſſet per Bullam cruciatæ à caſibus Summo Pontifici reſeruatis, poteſt denuò abſolui iterùm ſumpta altera Bulla, ſemel in vita, & ſemel in morte. Non poteſt autem tertiam Bullam accipere in eodem anno, Ioſeph de Auguſtino *in breui Notitia,cap. de Bulla Cruciata, num.5.* Sic Clemens VIII. concedit, vt Sacerdos abſoluat penitentem regularem à caſu reſeruato petita, & non obtenta licentia, *Pro illa vice*; at ſi deinde incidat in caſum reſeruatum, & iterùm petat Confeſſarius, & non obtineat licentiam poterit pro illa quoque vice abſoluere, vt docet Alphonſus de Leone *de offic. & poteſtate Confeſſar. tom.2. recoll.6. numer.178.* ergo etiam pro illa vice poterit in prima hebdomada abſoluere à reſeruatis, ſed repetitis

operi-

operibus, in secunda hebdomada poterit quoque absoluere. Tùm quia esset melioris conditionis qui perseueraret in peccato vsque ad finem secundæ hebdomadæ, ac ille, qui in prima confiteretur, & consequeretur Iubilæum, nam, qui serò acciperet Iubilæum ab omnibus peccatis posset absolui, non item, qui mox in prima hebdomada Iubilæum consequeretur.

Quartò, quia cùm opinio, quod bis possit consequi sit probabilis, posita opinione verè probabili, semper Pontifex confert iurisdictionem, ne ea denegata grauiter decipiantur fideles, vt docent ferè omnes Doctores, id esse moraliter certum alibi ego ostendi *tract.2. quæst.25.* ex eò quòd hæc est consuetudo vniuersalis totius Ecclesiæ, vt Sacerdotes securè vtantur huiusmodi iurisdictione probabili, vt testantur Suarez *de pœnit. disp.26. sect.6. num.7.* & Eminentissimus Lugo *de pœnit. disp.19. sect.2. num.35.* Securè autem vti non possent, præsertim in articulo mortis, nisi moraliter certi essent, sibi conferri iurisdictionem supposita opinione probabili. Quare sic arguo. Posita opinione probabili moraliter certum est: Ecclesiam conferre iurisdictionem: sed probabile est, posse bis consequi Iubilæum; ergo moraliter certum est Pontificem concedere iurisdictionem absoluendi à reseruatis; ergo etiam si Pontifex expressè nollet bis consequi; tamen donec hæc eius voluntas authenticè innotescat, & publicetur solenniter, sicut cæteræ Pontificiæ leges, vult secundum opinionem probabilem concedere iurisdictionem; etiam in secunda hebdomada. Ratio est, quia concurrente duplici voluntate contraria, præualet illa quæ est vniuersalior, ac efficacior, & quæ virtualiter continet reuocationem prioris voluntatis particularis, vt egregiè docet Eminentissimus Lugo *de Sacram. in genere disp.8. sect.8. nu.122. & 123.* & ante eum Suarez *de Sacram. tom.3. disp.13. sect.2.* Layman *lib.5. tract.1. cap.4. num.5.* At voluntas ne decipiantur fideles, & quod ex opinione probabili conferatur iurisdictio est vniuersalior, & efficacior, quàm sit voluntas ne consequatur bis Iubilæum, & virtualiter hanc reuocat, donec ista authenticè innotescat.

Ex his patet responsio ad contraria.

Ad primum, quòd non constat authenticè de ea declaratione, neque voluntas contraria Pontificis est publicata eo modo, quo cæteræ leges promulgantur.

Ad secundum respondetur esse quoque probabile, posse bis consequi indulgentiam pro tali die concessam. Respondetur secundò ideò indulgentiam pro tali die concessam non posse bis consequi, quia ita communiter interpretantur verba concessionis, & ita etiam est in casu nostro, nam in eadem hebdomada non poterit bis Iubilæum consequi; at secus est in duplici hebdomada, repetitis operibus; quia id non est contra significationem verborum Bullæ.

Ad tertium respondetur ex Nauarro *dicto commentario de Iubilæo notab.32. n.46.* Sermonem accipi pro primo actu, in odiosis, non in fauorabilibus.

Ad quartum respondetur sensum eorum verborum, *pro hac vice*, est, nempè *durante hoc tempore Iubilæi, idest duarum hebdomadarum*, possit absolui, non extra id tempus.

QVÆSTIO XLI.

Corollarium ex præcedenti doctrina. An si Papa nollet iterùm in secunda hebdomada consequi Iubilæum, si id in Bulla non exprimat, adhuc quis lucretur iterùm Indulgentiam, repetitis operibus?

SVMMARIVM.

Negant Diana, & Sancto Faustus. num.1.
Affirmandum puto. num.2.
Sicuti opinione probabili posita, confertur iurisdictio, ita & indulgentia. num.3.
Indulgentia reuocata, adhuc consequi potest, donec reuocatio authenticè publicetur. num.4.
Accessorium sequitur naturam sui principalis, ideò mandatum ad exequendam gratiam factam, aut ad exequendam donationem factam, re integra, morte mandantis non extinguitur. num.5.

1 Negant Diana *par.5. tract.12. resolut.32.* & Sancto Faustus *tract. de Iubilæo lib.4. quæst.64.*

Probant, quia quamuis opinio probabilis conferat iurisdictionem, vt alibi diximus *tract.2. quæst.25.* tamen non tribuit indulgentiam, si Papa non habet voluntatem eam conferendi; vnde quamuis in secunda hebdomada iste remaneret absolutus à reseruatis, vt in superiore quæstione probauimus; tamen non consequeretur indulgentiam.

2 Affirmandum tamen Ego censeo, vnde sicut opinio probabilis confert iurisdictionem: ita ego, contra Faustum, & Dianam censeo conferre indulgentiam.

3 Probo primò, ideò posita opinione probabili confertur iurisdictio, quia Ecclesia non patitur fideles decipi; ergo etiam confertur indulgentia ne fideles decipiantur; præsertim quia læuior penitentia imponitur lucranti indulgentiam.

Secundò, quia quamuis Papa nolit largiri indulgentiam, tamen hæc voluntas accipienda est donec authenticè publicetur hæc eius intentio; quod sic ostendo, nam si Papa reuocat indulgentias, tamen vt tollatur indulgentia debet ea reuocatio peruenire ad notitiam fidelium eius loci, vbi concessa est, aut personarum habentium priuilegia; alioquin fideles præstarent opera iniuncta, & fraudarentur fructu indulgentiæ, quod non est verisimile Pontificem intendere, Ita Dominicus *in capit.1. de concessione prabendæ in 6.* Syluester *verbo indulgentia numer.17.* Sotus *de Iust. lib.1. quæst.1. artic.4.* Nauarrus & Corduba, quos citat, & sequitur Suarez *tom.4. disp.57. sect.2. num.8.* Reginaldus *lib.7. num.163.* Eman. Sà *verbo indulgentia num.9.* Molfesius *in Summa tom.1. tract.7. cap.26. num.66.* Ergo à pari, dum non est notificata authenticè mens Pontificis, nolentis bis lucrari indulgentiam, & passim fideles bis opera iniuncta præstent, ex opinione probabili consequutionis indulgentiæ, non est credibile, nolle largiri indulgentiam, atque fideles decipi.

Tertiò, quia loquendo de Iubilæo, indulgentia est accessoria ad facultatem absoluendi à reseruatis, primaria enim intentio Ecclesiæ est, vt fideles indulgentiæ thesauro allecti, resurgant à peccatorum culpa: sed accessorium sequi-

5 sequitur naturam sui principalis; vnde durante principali durat accessorium; sic quamuis mandatum re integra morte extinguatur. *l. mandatum C. mandati*, pariter delegatio extinguitur *l. & quia ff. de Iurisd. omnium Iudicum cap. gratum de officio delegati cap. fin. de offic. legati*, tamen cum gratia facta, morte concedentis non extinguatur, proinde mandatum, seu officium executoris ad gratiam factam exequendam, quia est accessorium ad illam; idcircò executoris officium re integra non extinguitur *cap. si super gratia de officio delegati in 6.* Guido Papæ *decis.* 491. Gabriel *tit. de præbend. concl.* 1. *num.* 3. Gigas *de pensionibus quæst.* 91. *num.* 4. Nauarr. *de redditibus qu.* 3. *monit.* 8. *num.* 1. Couar. *pract. qu.* 11. *num.* 2. *vers. quinta ratio*, Riccius *decis.* 205. *num.* 8. *par.* 2. Quinnimmò quamuis mandetur executio gratiæ factæ, cum causæ cognitione (quæ verè, & propriè est delegatio) neque talis delegatio morte extinguitur, nam ea delegatio est accessoria ad gratiam factam, Guttierez *pract. qq. lib.* 2. *c.* 17. *nu.* 5. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 28. *num.* 88. Garsias *de beneficijs par.* 6. *cap.* 2. *num.* 303. Sic mandatum ad donandum, quia donatio est gratia facta, & ad illam est accessorium mandatum, ideò re integra nec morte mandantis extinguitur, Eman. Sa *V. donatio num.* 21. *& verbo mandatum num.* 2. Ergo cùm indulgentia sit accessoria ad facultatem absoluendi, si ista non extinguitur, neque illa.

Quartò, moueor, nam indulgentia, & absolutio sunt inter se connexa, seu correlatiua, cùm vnum sit propter aliud, sed quando duo sunt connexa, vel correlatiua dispositum in vno, censetur dispositum in altero, *l.* 8. *C. de indicta viduit. tollenda*, Baldus *in l. liberorum ff. de his, qui notantur infamia*, Rebell. *de obligat. Iustitia lib.* 1. *qu.* 6. *sect.* 4. *num.* 22. Ergo si Papa ex opinione probabili concedit facultatem absoluendi iterùm in secunda hebdomada concedit quoque indulgentiam, & si non denegat iurisdictionem donec authenticè publicetur eius voluntas, quod nolit bis consequi Iubilæum, pariter non denegat largitionem indulgentiæ.

QVÆSTIO XLII.

De denunciatione Confessarij loquentis turpia in Confessionario.

SVMMARIVM.

Sollicitans mulierem stantem ante Confessionarium, non est denunciandus. num. 1.
Verba dubia an sit denuncianda. num. 2. *&* 8.
Tunc tenetur, quis denunciare, quando validè testificaretur. num. 3.
Repellitur testis, qui non recordatur totius facti. num. 4.
Vt teneatur denunciare, collocutio debet esse mortaliter inhonesta. num. 5.
Quamuis in collocutione inhonesta intra Sacramentum confessionis, non detur paruitas materiæ, secus tamen est, si sit tantùm in Confessionario extra Sacramentum confessionis. num. 6.
Debet collocutio, etiam vt externa est, esse mortalis. num. 7.

CONfessarius mulierem in Confessionario genuflexam (accedentem non animo confitendi, sed visitandi, & alloquendi cum Confessario de rebus ad confessionem non spectantibus) interrogauit, an eius soror perseuerarer adhuc in cuiusdam iuuenis amore? deinde quibusdam interiectis verbis (quorum mulier nunc non recordatur, cùm transierint sexdecim menses) dixit Confessarius mulieri aliquas Moniales eò deuenire, vt vitreo instrumento, & aqua calida vtantur ad venerem, aliquas etiam mulieres suorum amicorum verenda ore apprehendere, interrogauit etiam eandem de diuersis alijs fœminis, an perseuerarent in amicitia suorum amantium? Seriem, & contextum verborum, & qua occasione, quouè fine & intentione turpia illa exempla vitri, & oris, Confessarius protulerit, (inquit mulier) è memoria excidisse, nec totus discursus benè recordari. Deinde post aliquod tempus, idem Confessarius sedens in Cõfessionario stantem mulierem ante Confessionarium expresè sollicitauit, & postea accedens ad ipsius domum osculatus est illam, ac plurimos actus inhonestos fecit; Quæritur itaque an hic sit denunciandus?

1 Et quidem hanc expressam sollicitationem stãtis mulieris ante Confessionarium, non esse denunciandum, patet ex Bulla Gregor. XV. ibi: *simulantes confessionem in Confessionario*, quod etiam multis relatis docent Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 38. Difficultas est, an sit denunciandus pro colloquio inhonesto, adductis turpibus illis exemplis vitri, & oris &c. cùm sit factum in Confessionario, quamuis extra occasionem confessionis, & esse denunciandum, videtur apertè ostendi ex verbis Bullæ, nam locutio inhonesta facta est in Confessionario, & simulata confessione, non enim loquitur mulier genuflexa cum Confessario in Confessionario, nisi vel quando confitetur, vel simulat confiteri, vt rectè docet Io. Sanchez *disp.* 11. *in fine*. Neque etiam ea verba excusari possunt à turpitudine, & inhonestate, cùm non dixerit, vt de aliqua circumstantia interrogaret, neque vt ostenderet cæcitatem, & turpitudinem in quam ruunt aliqui; ad hoc enim alia honestiora verba non defuissent.

Secundò, quia sequens post aliquod tempus expressa sollicitatio, manifestat apertè praua intentione ea verba tunc à Confessario prolata.

Tertiò, dato, quod dubium esset, an sermo fuerit inhonestus; adhuc tamen verba dubia sunt denuncianda,
2 vt docent Sousa *in aphoris. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 34. *nu.* 54. *& in opusc. de confess. sollic. tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. Peyrinus *in priuil. Minim. tom.* 2. *const.* 4. *Greg. XV.* §. 6. *numer.* 21. Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 18. *&* 25. Ratio est, quia possunt Inquisitores de verbis dubijs Confessarium interrogare, siquidem possunt inquirere, an delictum sit commissum; quod fieri nequit, nisi vocando, & interrogando Confessarium; ergo verba dubia Confessarij sunt denuncianda, non enim potest vocari Confessarius, nisi denuncietur.

His tamen non obstantibus.

Respõdeo Confessarium hunc non esse denunciandũ.

Probatur primò, quia talis poterat esse series, & contextus illius discursus, vt verba illa, vel non reputarentur mala, vel saltem imprudenter prolata; vt si Confessarius ea afferret, vt ostenderet quantum aliqui à proprijs concupiscentijs excæcati sint, vt in turpissima ruant, ergo mulier, quæ tunc benè non recordatur totius facti, omnium circumstantiarum, quæ factum variare possunt, non debet denunciare.

3 Probo consequentiam, quia in denunciatione, denuncians

cians

cians se habet vt testis, vt docent omnes; ergo tunc tenetur denunciare, quando validè testificatur; tunc verò deobligatur, imò non potest licitè denunciare, quando inualidè testificaretur, & repelleretur à testimonio, vt rectè docet Suarez *de censuris disp.20. sect.3. num.11.* vbi ait, quòd quando quis nequit iuridicè denunciare, quia eius denunciatio non iuuat, tunc potius est infamare, quàm denunciare; vnde ait, quòd non debet denunciare: sed in casu nostro, cum mulieri non subueniant circumstantiæ, neque series contextus, & totus ille discursus, non potest testificari, nam repellitur testis, qui non
4 recordatur totius facti, *l. quidam tabularum ff. de furtis*, Bal. *cons.106. lib.1. cons.406. vers. item bonus lib.4.* Vnde quando testis asserit se non benè recordari, neque totum factum narrat, vel dicit se non recordari alicuius circumstantiæ necessariæ, quæ potest variare factum, tunc illi non creditur, & testimonium ipsius nihil iuuat, sed repellendus est, quia non probat Glosa *in l.L ncius ff. de his qui notant. infamia*, Alexander *cons.33. num.18. vers. præterea lib.3. & cons.94. num.1. lib.6. & cons.148. num.7. vers. quartus testis lib.5.* Vnde cùm ista mulier dicat, se non recordari, qua occasione protulerit ea exempla, quænam fuerit series contextus discursus, repellitur à testimonio, & non probat; quare etiam denunciare non debet, alioquin, vt rectè docet Suarez, esset infamare non denunciare.

Probatur secundò, quia tunc confessarius est denunciandus, quando collocutio fuit mortaliter inhonesta, & non solum internè, sed externè erat mortalis: sed in casu nostro ista collocutio non fuit externè mortalis; ergo nō est denunciāda. Probo singulas partes huius argumenti.

5 Quod collocutio debeat esse mortaliter inhonesta, docent probabiliter Portell. *in addit. ad dubia regul. verbo sollicitare fœminas nu.4.* Castrus Palaus *tom.1 tract.4. disp.9. pun.3. nu.2. & 3.* Sousa *in aphorism. Confess. lib.1. cap.33. num.4. & de confess. sollicit. tract.1. cap.1. num.7.* Ratio est, quia cùm denunciatio sit pęna grauissima, debet supponere graue delictum, sicuti excommunicatio; deinde non potest sub mortali obligari quis ad denunciandum peccatum veniale, tum quia cùm Bulla dicat: denunciatum grauiter puniendum pro modo culpæ, supponit peccatum mortale.

6 Neque obstat aliquos docere: non posse Confessarium excusari ex paruitate materiæ; quia circumstantia illa confessionis, adeò aggrauat, vt semper reddat collocutionem inhonestam mortalem, ita Io. Sanchez *disp.11. num.22.* Freytas, Fagundez, & Acugna, quos sequitur Diana *par.4. tract.5. resol.5. & par.1. tract.4. resol.21. & par.5. tract.5. resol.9.* Quamuis enim concedamus, circumstantiam Sacramenti confessionis adeò aggrauare, vt semper reddat collocutionem mortaliter inhonestam; tamen longè dispar ratio est de confessionis actu, ac de sola circumstantia loci, Confessionarij scilicet, si sit omninò extra occasionem confessionis (vt in casu nostro) quare quamuis debeat abiurare sollicitans in confessione antè, vel pòst, non tamen debet abiurare sollicitans in Confessionario, extra occasionem confessionis, vt docet Sousa *in Aphoris. inquis. lib.1. c.34. nu.68.* & per solam circumstantiam Confessionarij ante Bullam Gregorij XV. non erat denunciandus Confessarius, vt ait Diana *par.1. tractat.4. resol.18.* Vnde cum Doctores citati docent circumstantiam confessionis mortaliter aggrauare, non sunt intelligendi de sola circūstantia loci Confessionarij, nempè quod ista semper aggrauet mortaliter.

7 Quod verò collocutio non solùm internè, sed etiam externè debet esse mortaliter inhonesta, expresse docet Portell. *ad dub. regul. verbo sollicitare fœminas num.4. in addition.* vbi affert exemplum de percussione Clerici externè veniali, & internè mortali, quam asserit non inferre excommunicationem. Ratio desumitur ex doctrina, quam affert Sanchez *in Summa lib.2. cap.8. num.7.* vbi post Henriq. *lib.6. cap.14. num.6.* Sà *verbo excom. Bullæ Cœnæ num.3.* ait: quòd ad hoc, vt incurratur excommunicatio propter hæresim (idem ego assero, cum Portellio, de obligatione denunciandi) actus exterior debet esse de se malus, & mortalis, non per solam relationem ad actum internum, sed etiam secundùm operis externi quantitatem; quia cùm excommunicatio, & cæteræ pœnæ graues non imponantur; nisi ob peccatum mortale externum, vtpotè quod solùm potest Ecclesiæ constare, oportet vt id peccatum mortale sit, prout per actum externum manifestatur, qui solus Ecclesiæ iurisdictioni in foro esterno subest.

Quod autem in casu nostro illa collocutio (prout refertur nunc à muliere) non sit externè mortaliter inhonesta, patet, quia potest faciliter excusari à peccato mortali; poterat enim Confessarius ea verba, quamuis imprudenter, absque tamen animo lasciuo proferre, vt ostenderet aliquarum mulierū cæcitatem; poterat enim scurriliter, & iocosè proferre absque animo delectandi se lasciuè, quare in foro conscientiæ non habet quantitatem sufficientem ad peccatum mortale, neque circūstantia Confessionarij iocosa verba aggrauat mortaliter vt dixi; ergo requireretur alia circumstantia, ex qua appareret illa verba externè esse mortalia, quæ circumstantia non adest. Neque obstat, quod sequens sollicitatio expressa declarat intentionem præcedentem Confessarij; tum quia ista circūstantia non est aperienda Inquisitoribus, cū nō pertineat ad eorū Tribunal, tum quia non rectè infertur, quod expressè sollicitauerit post aliquod tēpus, vt per mēsem, quod præcedēs collocutio fuerit mortaliter inhonesta poterat enim Confessarius, vel sine vllo peccato, vel tātū veniali, priùs colloqui, deinde post colloquiū, pręsertim mēse ferè elapso, potuit tētari, & cadere.

8 Probatur tertiò, poterat Confessarius absque vlla intentione inhonesta, sed saltèm imprudenter ea exempla vitri, & oris proferre; ergo sermo iste est dubiè inhonestus; ergo non est denunciandus. Probatur consequentia, quia Bulla ista est pœnalis, & strictè interpretanda; ergo non est extēdenda à maiori ad minus delictum; sed maius peccatum est proferre verba apertè inhonesta, & turpia, ac proferre verba dubiè inhonesta, maior enim in illis est irreuerentia Sacramenti; ergo cùm Bulla loquatur de sermone certè inhonesto, & sic de maiori delicto, & obliget ad denunciandum, non est extendenda ad minus delictum, nempè ad sermonem ambiguum, seu dubiè inhonestum. Quare non est bona hæc consequentia, possunt Inquisitores interrogare Cōfessarium de verbis dubijs; ergo obligatur quis denunciare verba dubia; obligatio enim denunciandi, vel prouenit ex iure naturali, vel ex iure positiuo; si ex iure naturali, non obligatur quis denunciare delictum, nisi sit certum, alioquin aperiretur ianua scrupulis infinitis; sic ex iure positiuo constitutionis Gregorij XV. & hæc cum loquatur de sermone certè inhonesto, non

est extendenda ad dubiè in honestum; confirmatur, nam multa potest inquirere sacrum Tribunal, quæ etiam potest quis denunciare, non tamen tenentur; sic poterit punire confessatium iam emendatum, potest etiam iste denunciari, tamen aliqui docent non teneri sollicitatum ad denunciandum, vt apud Dianam *par.1. tract.4. res.3. & par.4. tract.5. resol.23. & 24.* potest penitens denunciare complicem, etiam si consenserit sollicitationi, non tamen teneri, multi putant vt apud Dianam *par.1. tract. 4. resol.9.* potest quis denunciare consanguineos, non tamen teneri docet Ioannes Sanchez *disp.11. numer.55.* ergo quamuis possit sacrum Tribunal interrogare de verbis dubijs, & possit quis ea denunciare, non tamen tenetur; quia nec iure naturali, neque positiuo obligatur. Ex quibus patet ad contraria.

Cogita; nam casus iste obstinata muliere ad non denunciandum, dirissimè me torsit, nec allatis rationibus acquiescere potui, donec mortuum esse Confessarium denunciandum agnoui. Præterea ne faciliter excuses penitentes à denunciatione, isti enim sub ouina pelle rapacissimi Lupi, Christi gregem crudeliter lacerant; Vnde meritò ex constitutione Vrbani VIII. tu ipse excusans denunciandus eris.

QVÆSTIO XXXXIII.

An si Sacerdos apposuit Pixidem consecrandam in cornu Epistolæ, si deinde non recordetur remaneat Consectata?

SVMMARIVM.

Negant aliqui. num.1. Alij affirmant. num.2. Illorum sententia videtur probabilior. num.3. Tales hostiæ tamquam dubiæ tractandæ. num.4.

1 RESpondetur negatiuè ita Suarez 3.*par.to.3. disp.43. sect.6.* Mercerus *de Sacramentis qu.74. art.2. nu.3.*
2 Contra Gamachæum 3.*par. quæst.74. capit.4.* Ioannem Præpositum *ibid. art.2. dub.3. num.19.* Turrianum 3. *par. disp.5. quæst.2. dub.2. num 76.*

Probat Suarez, quia intentio recta Sacerdotis, quam præsumitur habere, est ea, quam habet Ecclesia, non consecrandi particulas, nisi intra aram sint constitutæ.

Respondet Turrianus, & alij, supposita inaduertentia, Ecclesiam velle consecrari materiam præsentem; quia non est illicitum eas consecrare, ex inaduertentia extra aram, tum quia si Sacerdos poneret Calicem ex inaduertentia, extra altariolum consecratum putans esse intra illud, re vera consecraret, quia supposita inaduertentia, ita consecrare non est illicitum.

3 Probo itaque sic. Sacerdos habet implicitam intentionem non consecrandi in eo loco; ergo non consecrat. Consequentia patet à pari, si Sacerdos apponeret marsupium hostiarum supra gradus, non consecraret illas, quia vult eas consecrare alio tempore, & in sequentibus sacrificijs; ergo, qui vult consecrare in alio loco, nempè intra altariolum, non consecrat extra altariolum, nam sicuti voluntas consecrandi in alio tempore, excludit voluntatem consecrandi hoc tempore, ita voluntas consecrandi in alio loco, idest in altariolo, excludit voluntatem cõsecrandi in hoc loco, idest extra altariolum. Antecedens probatur, nempè quod Sacerdos habet implicitam intentionem non consecrandi in eo loco, idest extra altariolū; quia ideò à principio sacrificij non apposuit Pixidem in medio, idest in altariolo, sed extra à latere, quia non vult manere pixidem in medio, nisi quando est consecrata, aut proximè consecranda; ergo implicitè non vult consecrare in eo loco, sed in medio.

Dices ex Gamachæo Sacerdos habuit absolutam intentionem consecrandi, nec de vlla exceptione cogitauit; ergo, &c.

Respondetur nego antecedens; quia dum posuit pixidem à latere, ideò id egit, nam non erat consecrata, neque tunc proximè consecranda; ergo implicitè noluit consecrare à latere, sed in medio.

Dices secundò ex Turriano, Sacerdos censetur habere eandem intentionem, ac habet Ecclesia; sed intentio Ecclesiæ est consecrari materiam præsentem, vbicumq; sit alteri; quia supposita inaduertentia non est illicitum in quocumq; loco illam consecrare; ergo hanc intentionem habuit Sacerdos.

Respondetur distinguo antecedens, intentio Ecclesiæ est consecrari materiam præsentem, supposita intentione Sacerdotis, qua vult implicitè illā consecrare concedo; supposita nolitione Sacerdoti, qua nolit implicitè eam consecrare nego; alioquin si Clericus apponeret marsupium hostiarum in altari, & Sacerdos illud videat, & non cogitet de eo consecrando, aut non consecrando, deberet remanere consecratum, quod est absurdum.

Aduerte autem ex Gamachæo, propter diuersas Doctorum sententias, tales hostias esse tamquam dubias tractandas, non tamquam certò consecratas, neque tamquam certò non consecratas: vnde, vel iterùm sub conditione erunt consecrandæ in alia Missa, vel sumendæ sunt post hostiam consecratam.

QVÆSTIO XLIV.

De testibus singularibus in delicto reiterabili, aut irreiterabili.

SECTIO I.

Quotuplex sit singularitas testium?

SVMMARIVM.

Triplex est obstatiua, adminiculatiua, diuersificatiua. nu.1.

Diuersificatiua rursus triplex, vel circa diuersa specie delicta, vel diuersa numero, vel diuersas partes eiusdem. num.2.

Est singularitas diuersificatiua, si vnus deponat Petrum dixisse esse se lutheranum; & alter, quod conculcauit imagines. num.3.

Est singularitas diuersificatiua; si vnus deponat Petrum Laicum Missam inchoasse, & alter eandem terminasse. num.4.

1 REspondetur singularitas testium triplex est (vt communiter docent Doctores) nempè obstatiua, adminiculatiua, & diuersificatiua.

Obstatiua singularitas est, quæ testes inuicem contrarios, & repugnantes constituit, vt patet Danielis

cap.13.

cap. 13. de testibus deponentibus, contra Susannam de vnico adulterij actu, quorum vnus dicebat vidisse se illam sub schino, alter sub pino hæc singularitas destruit testimonium.

Adminiculatiua, seu cumulatiua singularitas est, quando per diuersa media, idem indiuiduum delictum probatur, vt si vnus testis est de visu, alius de fama, alius de rei confessione.

Diuersificatiua singularitas est, quæ est de diuersis actibus, seu delictis, vel de diuersis partibus eiusdem indiuidui delicti successiui, & est triplex.

Prima, singularitas diuersificatiua est circa diuersa specie delicta (sumo hic speciem, prout sumunt logici, non pro vt legistæ, confundentes speciem cum indiuiduo) vt si vnus deponat de adulterio, alter de furto.

Secunda singularitas diuersificatiua est, circa diuersa indiuidua delicta eiusdem speciei, & hæc iterùm diuiditur, nam vel est circa plura indiuidua delicta reiterabilia, vt si vnus deponat, Petrum mense Ianuario adulterasse, alter deponat cum eadem aut alia adulterasse mense Februario. Vel est circa plura indiuidua delicta irreiterabilia, vt si vnus deponat, Petrum occidisse Paulum, alter occidisse Antonium, diuerso tempore.

Tertia singularitas est circa diuersas partes eiusdem indiuidui delicti, & hæc iterùm diuiditur. Nam vel est delictum continuum, seu successiuum, vt si vnus deponat, se vidisse Petrum Laicum eleuantem sacram hostiam, alter Missam terminantem. Vel est delictum, quod est moraliter vnum, constans ex pluribus actibus discretis, vt est conspiratio in Principem, Dogmatizatio, &c.

Hinc infertur contra Sousam *quæst. vnica, de testibus singular. quæ est post aphorismos Inquisit. sect.* 2. *nu.* 4. non rectè, eum docere: esse singularitatem adminiculatiuam, quando vnus deponit, Petrum dixisse se esse lutheranum,

3 alter eum conculcantem imagines: nam est singularitas diuersificatiua, quæ est circa plura indiuidua delicta, quia ipsa conculcatio, & confessio luteranismi, etiam si nullus esset error in mente, sunt delicta; posset tamen dici adminiculatiua, respectu hæresis internæ probandæ.

Secundò, infertur contra eundem Sousam, ibidem dicentem: esse singularitatem adminiculatiuam, si vnus deponat Petrum Laicum Missam inchoasse, alter eandem terminasse; etenim est diuersificatiua: quia est circa diuersas partes eiusdem delicti successiui.

Aduerte quòd singularitas circa partes eiusdem delicti successiui, aut circa plures actus eiusdem delicti, quod est moraliter vnum, vt supra explicaui, propriè non est singularitas; vnde huiusmodi deponentes, reputantur contestes, & plenè probant, vt patet ex infra dicendis.

SECTIO II.

An ex singularitate adminiculatiua resultet plena probatio delicti, v.g. si vnus testis est de visu, duo de confessione extraiudiciali?

SVMMARIVM.

In Criminalibus non iunguntur plures imperfecta probationes ad plenam probationem constituendam, pro pœna ordinaria. num. 5.

Coniunguntur tamen in ordine ad pœnam extraordinariam. num. 6.

Eaque extraordinaria poterit esse etiam corporalis. num. 7.

Singula præsumptiones, & coniectura debent plenè probari. num. 8.

An possint esse præsumptiones adeò vrgentes, vt constituant plenam probationem. num. 9.

Quando possit inferri tortura ex indicijs probatis per testes singulares? num. 10.

5 Respondetur negatiuè. Probatur ex receptissima regula, quæ est quod in criminalibus non iunguntur plures imperfectæ probationes, seu plures semiplenæ, ad vnam plenam, in ordine ad condemnandum reum pœna ordinaria, Glosa *in cap. veniens il* 1. *verbo illorum, de testibus* Bartol. *in l. si quis ex argentarijs* §. 1. *ff. de edendo,* Menoch. qui testatur de magis cõmuni *de præs. lib.* 1. *quæst.* 41. *num.* 8. Gomezius *de delictis cap.* 12. *num.* 26. Clarus *in* §. *fin. quæst.* 63. *vers. tu scis.* Pegna *in directorio par.* 3. *comm.* 121. *col.* 2. *vers. quod si;* Farinac. *de reo Confesso qu.* 86. *n.* 22. 26. & 78. & esse communem testatur Symanc. *in Enchir. tit.* 34. *num.* 3. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 30.

6 Coniungitur tamen in ordine ad pœnam extraordinariam imponendam, pro iudicis arbitrio, vnde Pegna *d. par.* 3. *comm.* 121. *col.* 3. *vers. hac tamen,* ait, quod si quis; contra se habeat vnum bonum testem, & infamia etiam notetur, de eodem illo crimine, arbitrio Inquisitoris plectendus est quamuis oppositũ doceat Pasqual. *decis.* 216. *num.* 13. vbi ait: cùm delictum adhuc plenè non sit probatum, nullam pœnam posse infligi: ratio est quia adhuc delictum esset incertum, & pœna certa, & contra Sarmient. *Selectar. lib.* 1. *cap.* 1. vbi *num.* 5. ait quod ex probatione, pœna mutari non potest, aut enim clarè constat Petrum occidisse Paulum, & occidendus ipse est: aut non constat, & absoluendus omninò: aut probatio est dubia, vt Iudex non firmet animum suum, & itidem est absoluendus: *Satius enim est* (inquit Vlpianus) *impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari l. absentem ff. de pœnis.* Præterea in homicidio non datur medium: ergo nec in pœna.

At communis sententia, quotidiana praxi Tribunalium recepta, omninò tenenda est, vt leuior, seu extraordinaria pœna imponatur; Ad prædicta autem argumenta respondebimus infra.

7 Eaque pœna extraordinaria, poterit esse etiam corporalis, vt fustigationis, triremium, carceris, ità in sacro Tribunali passim seruari, docet Pegna *par.* 2. *com.* 80. *vers. Nullus Clarus in* §. *fin. quæst.* 20. *vers. sciat tamen,* Boerius *decis.* 164. *numer.* 6. *part.* 4. *tractat.* 8. *resolut.* 30. & 36. Capycius *decis.* 126. Grammaticus *decis.* 42. & 96.

Contra Menochium, qui docuit, non esse imponendam, nisi pœnam pecuniariam, non autem corporalem, quando sunt plures probationes diuersi generis; vt si vnus sit testis de visu, duo de confessione extraiudiciali, aut duo de fama, ita docuit Menoch. *consil.* 82. *num.* 144. & Bossius *tit. de conuictis num.* 35.

Hinc infertur primò, quod ex vehementibus præsumptionibus, & coniecturis, poterit quis condemnari pena extraordinaria, ita communiter Doctores & innumeros cumulant, Boerius *dec.* 164. *n.* 3. & Tiraq. *de pœnis temper. causa* 27. etiam corporali, vt docent omnes locis citatis;

præsertim Clarus in §. *fin. q.*20. *nu.*6. contra Sarmient. *select. lib.*1. *cap.*1. vbi ait: reum absoluendum, & contra Menoch. vbi suprà docentem non posse puniri, nisi pœna pecuniaria. Obseruandum tamen, quod si non adsint duæ semiplenæ probationes diuersi generis, vt vnus testis de visu, & duo de fama, aut duo de confessione extraiudiciali: vel si non adsint indicia indubitata plenè probata, tunc reus nullatenus est condemnandus ad aliquam pœnam extraordinariam, sed tantùm debet torqueri, si indicia sint sufficientia ad torturam, ita sentiunt Doctores citati præsertim Pegna, & Menochius.

8 Aduerte tamen quòd singulæ istæ præsumptiones, & coniecturæ debent plenè probari per duos contestes; non enim sufficit probari per testes singulares, Bart. *in l. fin. num.*7. *ff. de quæst.* Marsilius *consil.*20. *num.*44. & *consil.*29. *num.*20. & *singulari* 269. & 476. Rolandus *consil.*24. *lib.*1. Menoch. *consil.*82. *num.*155.

9 Aduerte secundò, quod poterit esse aliqua præsumptio, aut plures præsumptiones, adeò vrgentes, & vehementes, vt faciant probationem plenam euidentem, & claram: vnde tunc debet ordinaria pœna imponi. Gandinus *tit. de præsumpt. & indic. indubitatis*, Afflictus *decis.*44. *num.*15. Menochius *casu* 279. *num.*2. Bossius *tit. de conuictis nu.*26. & *seq.* Felinus, qui plura affert exempla in *c. afferte vers.*4. *limita de præsumpt.* Sarmiento *Select. lib.*1. *cap.*1. *num.*5. & 6. Probatur ex *l. sciant cuncti C. de probat.* ibi: *vel indicijs ad probationem indubitatis*, vt enim inquit Cicero *in Verrem*: *Iudex bonus esse non potest, qui suspitione certa non mouetur.*

Sed quæres, quæ regula sit ad dignoscendum quando Iudex possit imponere pœnam mortis ex indubitatis indicijs, quando verò tantùm pęnam extraordinariam?

Respondetur optima, & communiter recepta est regula, tradita per Gandin. *d. tit. de præsumpt. & indicijs indub.* quem sequitur Bossius *tit. de conuictis num.*29.30. & 34. nempè aut est præsumptio iuris, & de iure, idest quando lex præsumit in causa Criminali, & super præsumpto disponit, & tunc dicitur talis præsumptio, violentissima, quæ facit indicium indubitatum, propter quod deuenitur ad sententiam, etiam capitalissimam *l. si qui C. de adulterijs.* Ratio est, quia legi ex tali præsumptione res patet, & ideò etiam debet parere Iudex: Aut est præsumptio iuris tantùm, quia lex onus Iudici dimittit, vt præsumat ex qualitate rei, & personarum plùs, vel minùs; & tunc non debet Iudex condemnare ad pęnam ordinariam, quicquid dicat Felinus *in d. cap. afferte vers.*4. *limita de præsumpt.*

10 Infertur secundò ex dictis quod à fortiori poterit inferri tortura, ex indicijs remotis, si probentur per testes singulares, dummodò indicia remota sint subordinata, vt si vnus deponat præparasse ensem, alius fugisse nudato ense, alius se abscondisse in nemore. Cantera *tract. de Sancto Officio par.* 3. *tit.* 10. *num.* 112. & 113. Sousa *in aphoris. lib.*2. *cap.*39. *num.* 20. Diana *p.* 4. *tr.* 6. *resol.* 5. Ratio est, quia si plures probationes imperfectæ iunguntur ad pœnam extraordinariam: ergo etiam ad torturam; sed de hoc iterùm redibit sermo; etenim secus esset si non essent subordinata, vt si vnus deponat de fama, alter de fuga, tunc non poterit torqueri.

Restat vt respondeamus ad Argumenta Pasqualighi, & Sarmiento suprà adducta.

Ad primum, Pasqualighi argumentum, nempè quòd imponeretur certa pœna, pro delicto incerto. Respondeo infligi certam pęnam pro certo delicto: nam probatio iudicialis, cùm fundetur in fide humana, causat tantùm certitudinem moralem: moralis autem certitudo non excludit formidinem oppositi; sicut nec humana fides, quæ defectibilis est, vt probaui *tractat.*2. *quæst.*13. *num.*2. & docent Ioannes Gerson *par.*2. *operum tract. de præparat. ad Missam considerat.*3. & Alexander Pesantius 1.2. *quæst.*92 *art.*5. *disp.*2. *in fine*, vbi ait: certitudinem moralem habere tres gradus, nempè summum, mediũ, & infimum. Summa moralis certitudo est, quæ omnem oppositi formidinem excludit, vt cùm dicimus Romam esse: media quæ minimam aliquam formidinem admittit: infima, quæ maiorem formidinem habet. Itaque iudicialis probatio, si plena sit, rarissimè causat Summam certitudinem moralem, similem illi, qua dicimus Romam esse, causat autem moralem certitudinem mediã; & hæc media moralis certitudo sufficit vt imponatur pęna ordinaria delicti: Quando autem iudicialis probatio est quasi plena, seu plusquam semiplena, aut constans ex duabus semiplenis probationibus: tunc ea probatio non relinquit delictum dubium, sed moraliter certum, certitudine tamen morali non summa, neque media, sed infima, quare infima certitudo moralis sufficit, vt leuiori, seu extraordinaria pęna puniatur delictum; patet ergo adhuc poni certam pęnam pro certo delicto.

Ad secundum argumentum Francisci Sarmiento respondetur probationem non esse dubiam, sed moraliter certam, certitudine tamen morali infima; quare rectè puniri, sed leuiori pęna, hoc argumento demonstro; nam sicut ad maiorem vel minorem culpam contrahendam pertinenter se habet maior vel minor cognitio sceleris; vnde grauius peccat senex quàm puer: ita ad maiorem vel minorem pęnam infligendam pertinenter se habet maior, vel minor cognitio iudicialis: quia Iudex non habet ius puniendi nisi iudicialiter cognoscat: ergo quando magis, vel minus clara est probatio iudicialis, erit quoque maior, vel minor pęna: nam sicut in delinquente minor cognitio minuit delictum, ita in Iudicante minor cognitio minuit pęnam: & ratio à priori est, quia actus non specificatur ab obiecto quomodocumque, sed à modo tendendi ad obiectum, seu vt aiunt Philosophi: actus non specificatur ex obiecto materiali, sed ex obiecto formali, idest tali modo attingibili.

Ad tertium argumentum eiusdem Sarmiento, nempè in homicidio non datur medium; nec in pęna, quæ propter homicidium est imponenda. Respondetur distinguo antecedens, in homicidio absolutè considerato non datur medium, concedo: in homicidio iudicialiter probato, seu considerato respectiuè ad iudicialem probationem, nõ datur medium, nego: nam datur homicidium probatum plenè, semiplenè, & quasi plenè: Vnde nego consequentiam, quia pęna non imponitur propter homicidium quomodocumque absolutè consideratum: sed pęna imponitur propter homicidium probatum: ergo cum possit esse non plenè, sed quasi plenè probatum, proinde datur medium in pęna, vt leuior imponatur.

SE-

SECTIO III.

An ex singularitate diuersificatiua, idest circa diuersa specie delicta, vt adulterium, homicidium, hæresim, resultet sufficiens probatio ad pœnam extraordinariam.

SVMMARIVM.

Tantùm probant mille testes singulares, quantùm vnus, quando sunt diuersa specie delicta. num.11.
Ex indicijs non subordinatis, probatis per testes singulares, non potest inferri tortura. num.12.
Per testes singulares etiam circa diuersa specie delicta, probatur mala vita in genere, adeò vt repellatur à dicendo testimonio. num.13.

11 Respondetur negatiuè, ita omnes, vnde in hac singularitate procedit illa Regula Baldi, quod tantùm probant mille testes singulares, quantùm vnus. Ita Baldus *in l. iusiurandi col.2. C. de testibus*, Alex. *cons.18.20. & 71. vol. 4.* Parisius *cons.57. vol.1.* Marian. Soc. Iunior *cons.90. num.3. vol.2.* Gabriel. *tit. de testibus concl.2. num.2.* Mysingerus *cent.3. obseruat.76. num.2.* Pasqualig. *decis.212.*

Probatur, quia ad hoc, vt quis puniatur, debet aliquod indiuiduum delictum, plusquam semiplenè probari, vt possit aliqua pena, saltèm pecuniaria imponi; nam ex semiplena probatione; sicuti ex vnico teste, nemo potest puniri: sed in casu nostro, nullum delictum est; nisi tantùm semiplenè probatum, ergo &c.

12 Hinc infertur, quòd quando indicia remota non sunt subordinata, etiam si sint mille, & per mille testes singulares probentur, non potest quis torqueri, vt si vnus deponit se vidisse præparantem ensem, alius quod vidit secretò alloquentem assassinum, alius quod vidit commorantem in Ecclesia post homicidium &c. Carena *tract. de Sancto Officio par.3. tit.10. numer.112. & 113.* quamuis contrarium videatur sentire Diana *par.4. tract.6. resol.5.*

Ratio est, quia ista videntur diuersa specie quodammodo indicia remota; quare non constant vnum indicium; secus si sint subordinata, vt infra dicam.

13 Infertur secundò, ex pluribus testibus singularibus, circa diuersa specie delicta, dicitur probata mala vita in genere, adeò vt testis, ex hoc tamquam criminosus repellatur à testimonio, Farinac. *de testibus quæst.64. à nu.145. vsque ad 152. & nu.223.* Alex. *cons.13. nu.23. vol.2.* Natta *cons.478. in fine*. Crauetta *cons.73. nu.33.* Gayll. *lib.2. obser.66. num.12.* Borellus *in Summa decisionum tom.2. tit.11. numer.71.* Sousa *in aphoris. inquis. lib.2. cap.15. nu.20.* Gramat. *decis.107. in fine*, Pasqualig. *decis.213. num.12. & 13.* vbi post Albertinum, Bertazolum, & Libertengum docet: quòd testes singulares probant in genere, quando articulatur genus; secus autem, quando articulantur certi actus.

Ratio est, quia in ordine ad probandam malam vitam, & criminosam in genere, omnes isti testes tendunt ad vnum finem & sic coniunguntur; nam mala vita, & criminosa, constituitur ex pluribus delictis; siue eiusdem siue diuersæ speciei; quare in ratione criminosæ vitæ probandæ in genere, dicuntur contestes, vt patet ex his, quæ infra dicam; nam ex pluribus testibus singularibus deponentibus de diuersis actibus, probatur conspiratio; quippè quæ ex diuersis actibus resultat.

SECTIO IV.

An plenè probent testes singulares, deponentes Petrum vna die negasse Purgatorium, alia Eucharistiam, alia Sanctissimam Trinitatem?

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num.14.
Negant alij. num.15.
Hæreses non differunt speciem. num.16.

14 Respondetur affirmatiuè, & ita tenentur docere omnes, qui affirmant hunc pœna ordinaria condemnandum, qui sunt Salicetus *in l. testium, nu.26. C. de testibus*, Symancas *in Enchir. tit.37. num.80. & Institut. Cathol. tit.64. nu.77.* Conradus Brunus *lib.4. de hæret. cap.9.* Albertin. *de agnoscendis assertionib. q.14. num.2.* Gomezius *Var. tom.3. c.12. nu.12.* Zanchinus *tract. de hæreticis, cap.16. num.6.* Lessius *lib.2. c.30. dub.4. nu.33.* Hyppol. Riminal. *cons.7. vol.1.* Sousa *q. vnica de testibus singul. sect.2. num.11.* Boerius *decis.340.* Gabriel. *tit. de testibus, concl.2. num.42.* Fornandez *in exam. Theol. p.1. c.19. §.10. num.13.* vbi ait: quòd in Lusitania praxis sacris Tribunalis tales ad pœnam ordinariam damnat.

15 Contra alios, qui docent negationem Purgatorij, Pontificiæ potestatis, &c. esse crimina hæresis diuersæ speciei, proinde plenè non probari, neque posse pœnam ordinariam imponi, ex testibus singularibus, ita docent Butrius *in c. cum oporteat q.9. de accusat.* Pegna *p.3. cons.121. vers. Prima difficultas*, Royas *p.2. nu.135. & singul.203.* Maldonatus *in Sylua responsor. lib.1. responso 6. nu.43.* Menoch. *cons.92. num.165.* Aldrete *de religiosa disciplina, lib.2. cap.3. num.62.* Freytas ad Acugnam *de sollicit. c.22. num.25.* Diana *par.4. tr.7. res.31.* Castropalaus *tract.4. disp.8. pun.15. §.4. num.10.* Mascard. *concl.856. num.13.* Farinac. *de hæresi q.188. num. 166.* Lessius *l.2. cap.30. num.3.* Villalob. *p.2. tr.17. diffic. 3. num.4.5. & 6.* Aragon. *2.2. q.70. art.2. fol.527.*

16 Probatur primò, quia omnes hæreses, non sunt diuersæ sed eiusdem speciei; ergo sicut delicta reiterabilia, vt adulterium, vsura, probantur plenè per testes singulares, vt infra ostendam, ita etiam omnes hæreses, siue quis neget Purgatorium, siue Eucharistiam, Trinitatem, &c. & sic omnes testes concurrunt ad eundem finem, nempè ad probandum idem specie delictum; imò addo idem indiuiduum delictum defectionis à fide, quare illa diuersitas propositionum hæreticalium est materialis, non specifica; siue materialis diuersitas esset si vnus testis deponat mense Ianuario Petrum falsificasse monetam argenteam, alter mense Februario monetam auream.

Quod autem hæreses non differant specie, probatur: nam vt rectè ait Suarez *de fide disp.16. sect.4. num.8.* eodem modo opponuntur virtuti fidei; non enim vna opponitur per excessum, altera per defectum, aut vna per commissionem, altera per omissionem; sicut solent specie distingui vitia eidem virtuti opposita; tum quia in omni

omni hæresi idem est contẽptus diuinæ reuelationis, ac iniuria primæ veritatis; quod enim magis, aut minus resistat scripturæ, aut diuinæ reuelationi, solùm indicat differentiam in accidentali grauitate peccati, non autem in specie discrimen; ergo hæreses specie non differunt, & ita docent Reginaldus *tom.1. lib.6. c.4. nu.114.* Sotus *in 4.dist.18.quæst.2.art.4. concl.6.* Diana *p.1. tr.7. resol.46.* qui dicunt non teneri in confessione aperire qualitatem hæresum; sed sufficit dicere toties in hæresim lapsus sum; quod etiam à fortiori docent ij, qui affirmant, apostasiam ab hæresi specie non differre, quod docuit Caiet. 2.2.*q.10.art.1.* Alphonsus à Castro *lib.1. de iusta hæret. punit.c.7.& lib.1. Summa de hæresibus,c.9.* Bannes 2.2. *q.12. art.1.* Valentia 2.2. *disp.1.q.11.pun.1. diffic.1.& qu.12. pun.1.* Azor. *tom.1. lib.8. c.21. qu.3.* Sanchez *in Summa, lib.2.c.7.num.16.* Zanard. *in directorio Theol. par.2. præcepto 1.cap.8.*

Probatur secundò, ad hominem contra aduersarios; ipsi enim fatentur hunc inquisitum puniendum, pœna extraordinaria; tunc sic argumentor: vel ista delicta negationis Purgatorij, & Trinitatis, v. g. specie differunt, vel sunt eiusdem speciei: si specie differunt;ergo non poterit pœna extraordinaria puniri; nam delicta specie diuersa, per testes singulares, etiam mille probata, non possunt, neque pęna pecuniaria puniri, & tantùm probant mille testes, quantum vnus, vt supra ostendi: vel ista delicta hæresis, specie non differunt, & ideò testes inuicem se adiuuant, & ita habeo intentum contra Aduersarios; & sic quod dicantur testes singulares, circa diuersa indiuidua delicta; vnde ex multitudine testium deueniri poterit ad pęnam ordinariam, vt de cæteris delictis eiusdem speciei reiterabilibus, infra ostendam.

Probatur tertiò, nam alioquin poterit Lutheranus, diuersis propositionibus totam inficere vrbem, neque tamen conuinci.

Respondet Freytas *ad Acugnam de sollicitat. cap.22. num.25.* casum esse chimericum, quod si daretur, tunc relaxetur curiæ seculari.

Contra,ergo velit,nolit, fatetur Freytas, quod singularitas testium in hæresibus diuersis, suppleri poterit ex multitudine; certissimum autem esse, quod numquam singularitas testium in diuersis specie delictis suppletur ex multitudine,sed tantùm probant mille testes singulares, quantum vnus; ergo quæcumque hæreses non differunt specie, & sic multitudine testium singularium poterit reus pęna mortis puniri; quanta autem debeat esse hæc multitudo infra dicam.

SECTIO V.

An ex testibus Singularibus singularitate diuersificatiua circa plura indiuidua delicta reiterabilia eiusdem speciei, v. g. adulterij, possit inquisitus taordinariè puniri?

S V M M A R I V M.

Affirmant omnes, & ita est vsu receptum. num.17.

Et testibus singularibus de visu, poterit inferri tortura. numer.18.

Est in arbitrio Iudicis, omissa tortura grauiorem pœnam extraordinariam imponere. num.19.

Vsus Religionum est ad euitanda tormenta, & regularem obseruantiam, ex singularibus testibus condemnare ad pœnam extraordinariam. num.20.

Si agatur ciuiliter benè probatur adulterium per testes singulares. num.21. 22.

DIxi reiterabilia,nam testes singulares circa delicta irreiterabilia, etiam eiusdem speciei v. g. homicidij, tantùm probant mille, quantum vnus, ita Doctores omnes hoc posito.

17 Respondetur affirmatiuè,ita DD. omnes nullo contradicente, & ita se habet vsus quotidianus sacræ Inquisitionis; quare eo casu debet inferri tortura,& quia per torturam, adhuc non sunt purgata indicia, potest puniri reus, pęna corporali triremium, aut perpetui carceris, iuxta qualitatem delicti, ac probationum; ita Diana *par.4. tr.7. resol. 31.* qui testatur de quotidiana praxi inquisitionis Hispanæ. Eymericus 3. *par. q.72. nu.2.* vbi Pegna *com.121.* Mascard. *concl. 856.num.12.* Farinac. *de testibus q.64.num.217. & 218.* Villalobos *p.2.tr.17. diffic.3. num.5.* Couar. 3. *var.resol.cap.3. num.5.vers. ex quibus,*Caietan.2.2. *q.70.artic.2.* qui cum Soto *lib.5. de iust. q.7. artic.2.ad 2.* loquitur de regularibus, Rodriq. *qq. regul. tom.2. q.9. art.6.* Scaccia *de indicijs, l.2.cap.9. nu.527.* Maldonat. *in Sylua respons. cons.9. par.s. nu.56.* vide Menoch. *casu 273.* Sousa *in aphorismis Inquisitorum l.2.c.15.num.23.* Carena *tract. de sancto Officio p.3.tit.6. §.5.num.41. & ad Fulcodium qu.14. in fine,* Locatus *in praxi inquis. V. testis, num.18.* Delrius *disq. mag.l.5. in append.q.10.* Layman *l.3.tr.6. c.4.nu.5.* Sanchez *consil. lib.6. c.5. dub.12. num.4.* contra Pasqualigum *decis.216. num.5.* vbi ait: non posse vllam pęnam neque leuiorem infligi, alioquin esset incertum delictum,& pęna certa: iustitia autem postulat, vt pęna sit æqualis delicto, nedum in quantitate, sed etiam in certitudine: Ad quod tamen argumentum respondi *suprà, sect.2.*

18 Infertur ex dictis,quòd à fortiori potest inferri tortura ex testibus singularibus, si sint de visu, Mascardus *d. concl.856. num.22.* Pegna *p.3. comm.121. vers.quia verò,* Farinac. *de testibus qu.64. num.219.* Parisius *cons.2. num.2. lib.4.* Gomez 3. *var.cap.13.num.7.* quicquid dicat Pasqualigus *decis.160.* Ratio est, quia testes singulares faciunt plusquam semiplenam probationem.

19 Est autem in arbitrio Iudicis, an velit omissa tortura imponere grauiorem pęnam extraordinariam, ne reus constans in tormentis purget maiorem partem indiciorum, & ita vel nullatenus, vel leuiter puniatur, ita Menoch. *de Præsb.lib.1.q.92. nu.3.* qui ait: *totum hoc Iudicis arbitrio relinqui, vt pro ipsorum iudiciorum, & præsumptionum qualitate, ac pro conditione personæ arbitretur,an damnari, vel torturæ subijci is debeat,* ita Menoch. idem docet Carena *tract. de sancto Officio, p.3.tit.8. nu.17.* vbi ait: ita passim seruare Senatum Mediolanensem, Mazienz. Iunior *in repetit.cap.2. de præsumpt. num.163.* Scaccia *de Iudicijs lib.2.c.9. nu.527.*

Quamuis contrarium doceant alij, qui affirmant reũ omninò torquendum, ita Baldus *in l.fin. col.fin. Cod. de probat. & in l. milites num.6. C.de quæst.* Franc. Brunus *de Ind. & tort.p.1.q.4.num.23.* Sanchez *consil. lib.3. cap. vnico dub.12. num.14.* Gregor. Lopez *par.7. tit.1. l.26. vers. Duda,* Diana *p.4. tr.6. resol.18.*

20 Infertur secundò, quòd vt ait Sanchez *consil. lib.6. c.5.dub.12,num.4.* esse in vsu apud Religiosos, vt euitentur

tentur tormenta ad quæ procedunt Sæculares, & vt regularis disciplina custodiatur, per testes singulares condemnare ad pœnam aliquam extraordinariam, & docuit Caietan. 2.2. qu.70. artic.2. & Sotus lib.5. de iust. q.7. art.2. ad 2. Contra Pasqualigum decis.216. num.9. vbi ait: non debere Religiosum esse deterioris conditionis, ac Secularis: Sed reuera est melioris conditionis, nam alioquin torqueretur, & confessus moreretur.

21 Infertur tertiò, à fortiori probari adulterium, per testes singulares, si agatur ciuiliter ad amissionem dotis, Ferretus cons.168. num.14. & 15. Clarus in §. fin. q.53. num.18. & 19. Borrellus in Summa, decis. tom.2. tit.11. numer.69.

22 Infertur quartò, probari per testes singulares adulterium, si agatur ad separationem thori, Ferretus dict. cons.168. num.14. & 15. Borrellus vbi suprà, qui plures citat, num.67.

SECTIO VI.

An si delictum reiterabile, probetur per testes singulares, possit imponi pęna extraordinaria corporalis?

SVMMARIVM.

Varia sententiæ. num.23.

Probabilior est, puniri pœna corporali extraordinaria, quamuis sint duo testes. num.24.

In Lusitania duo singulares sufficiunt ad pœnam mortis in sodomia. num.25.

Duo singulares sufficiunt ad mortem, in conspiratione? numer.26.

23 PRima est opinio asserens, non posse puniri, nisi pęna pecuniaria, ita Menoch. cons.82. num.166. & sentit Farinac. de hæresi q.188. num.163. & de testibus q.64. num.218.

Secunda est opinio præcedenti extremè opposita, quæ asserit, quod si per duos testes singulares, & idoneos, probetur Sodomia, aut aliud delictum reiterabile capitale, quod possit pęna mortis ordinaria imponi, ita Salicetus in l. testium num.16. C. de testibus, & alij, quos infrà referam, ac reijciam.

Tertia est opinio, quòd an s delictum reiterabile probatur per duos testes singulares, & tunc debet leuiter puniri, & sic in sancto Officio huiusmodi abiurant de vehementi, & imponitur aliqua pęnitentia salutaris, vt ieiunij, orationem, &c. Vel delictum probatur per tres, aut quatuor testes singulares, & tunc reus abiurat de Vehementi, & condemnatur ad triremes, aut carceres pro tempore, vel in perpetuum, iuxta qualitatem delicti, ac probationum, ita Pegna p.4. com.121. Freitas ad Acuguam q.22. num.20.

24 Quarta est opinio, quam vti verissimam sequor, nępè indistinctè puniri pęna extraordinaria corporali, etiamsi duo tantùm sint testes, sed magis, aut minus grauiter, pro qualitate delicti, & aliarum probationum, & ita sentiunt omnes DD. quæstione præcedenti citati, qui dicunt reum torquendum, aut omissa tortura, pęna carceris, aut triremium puniendum, Diana p.4. tr.7. ref.31. Scaccia de Iudicijs lib.2. cap.9. num.527. Castrospalaus tom.1. tract.4. disp.9. punc.15. §.4. numer.16. & alij suprà citati, qui indistinctè docent pœna corporali puniendum.

Probatur primò, hæc vltima opinio, quia maiorem aut saltem æqualem fidem faciunt duo testes singulares, de visu, in delicto reiterabili, ac faciat vnus testis de visu, & duo de confessione extraiudiciali; sed istæ duæ semiplenæ probationes imperfectæ coniunguntur ad pęnam extraordinariam corporalem imponendam, vt docent supra adducti de singularitate adminiculatiua, & tradūt decisum, Capicius decis.126. Gramaticus decis.42. & 96. ergo etiam duo testes singulares de visu sufficient ad pęnam extraordinariam corporalem.

25 Secundò, quia in Lusitania, vbi ex lib.5. ordin. tit.13. §.7. Sodomia plenè probatur per testes singulares, duo testes sufficiunt ad condemnationem mortis, vt refert Sousa in aphoris. lib.1. cap.59. num.19. ergo si iustè damnatur reus ad mortem ex duobus testibus singularibus, quare damnari nequit ad pœnam extraordinariam corporalem? etenim si singularitas adeò diminuit fidem testibus, vt non posset damnari nisi ad pœnam pecuniariam, cur in Lusitania, iustè damnaretur ad mortem? Simile argumentum deduci potest ex stylo Inquisitionis Lusitaniæ, & Aragonensis, ex quo hæreticus pœna mortis punitur, ex quatuor saltem testibus singularibus, vt infrà dicam: cur ergo duo non sufficient ad pœnam extraordinariam corporalem?

26 Tertiò, certè non video, quomodo maiorem fidem mereantur duo testes singulares deponentes de duobus actibus conspirationis, qui plenè probant, & ex illis reus damnatur ad mortem, vt docent Ancaranus cons.439. in 2. dub. & Gigas tract. de crimine læsæ Maiest. tit. quomodo, & per quos qu.8. & eandem fidem non mereantur duo testes singulares deponentes de duobus actibus Sodomiæ, aut falsæ monetæ, quin possit ad pœnam corporalem extraordinariam condemnari delinquens? etenim tam sunt duo actus directi conspirationis, quàm Sodomiæ.

SECTIO VII.

An duo testes singulares, circa plures partes eiusdem delicti successiui, plenè probent ad condemnandum Ordinariam?

SVMMARIVM.

Affirmatiua sententia est communis, quia in eodem delicto successiuo reputantur contestes. num.27.

Plenè probatur furtum si vnus deponat ablationem pallij, alter retentionem. num.28.

Plenè probatur Laicum celebrasse, si vnus deponat Hostiam eleuasse, alter Missam terminasse. num.29.

Plenè probatur adulterium, si vnus post alterum, per rimulas, videat delictum. num.30.

Plenè probatur Petrum fuisse Romæ, si vnus vno die, alter altero die viderit. num.31.

Plenè probatur possessio per duos testes singulares. numer.32.

27 REspondetur affirmatiuè; ratio est, quia reputantur contestes, cùm deponant de eodem actu successiuo,

tio, & sic sint de eodem indiuiduo delicto, ita Butrigar. Cynus, Salicetus, & Bald. *in l. testium, C. de testibus glos. in c. mb lominus 3.qu.9.* vbi Præposit. *nu.7.* Cæcilialupus *in l. admonendi, nu.84. ff. de iureiur.* Pegnæ *in directorio, p.3. com.121. vers. postremò*, Gomez *3. var.c.12. n.12.* Mascard. *concl.59. num.17.* Farinac. *de testib. quæst.64. num.90. & 91.* Gabriel. *tit. de testibus, concl.2. num.19. & 57.* Petra *de fideic.q.12.num.625.643. 701.& 721.* Carena *tract.de Offic. sanctæ Inquisit. p.3.tit.6. §.5.n.31.* Fernandez *p.1. c.19. §.10. num.12.* Sousa *qu. de testibus sing. sect.2. num.20. & in aphoris.lib.2. c.15. nu.12.*

28 Infertur primò, plenè probari furtum, si vnus vidit auferentem pallium, alter retinentem; quia ablatio, & retentio, sunt vnum delictum successiuum, & continuum, ita DD. omnes *locis citatis*.

29 Infertur secundò plenè probari, Laicum Missam celebrasse, si vnus testis vidit Hostiam eleuantem, alter Missam terminantem; quia tota illa actio successiua est vnū delictum, Felin. *in c.licet ex quadam, col.4. vers.2. limita de testibus*, Farinac. *de testibus, q.64.num.90.* Gomez *3. var. cap.12. numer.12.* Simancas *Cathol. instit. tit.64. num.65.* Carena *de sancto Officio, p.3. tit.6.§.5. num.31.* Sousa *quæst. vnica de testibus singul. sect.2. num.20. & in aphoris.l.2. c.15. nu.24.* Mascard. *concl.59. nu.17. & 18.* Rodriq. *qq. reg. tom.2. quæst.9. art.5.*

Infertur tertiò, plenè probatur adulterium, si duo testes per rimulas ianuæ, vnus post alium videat delictum, quia reputantur contestes, cùm deponant de eodem actu successiuo, Bald. *in l. testium num.25. vers. quæritur etiam, C. de testibus*, Butrius *in c. cum oporteat, num.20. de accusation.* Emanuel Rodriq. *tom.2. qq. regul.q.9. art.2.* Villalobos *p.2.tract.17. diffic.3. num.3.* vbi ait, quòd si Petrus tota nocte fuit cum muliere in cubiculo, & prima hora noctis fuit visus ab vno, sexta hora noctis ab altero, sunt isti contestes, Bossius *in pract. crim.tit. de opposit. contra testes, num.29.* Carena *de sancto Officio, p.3.tit.6. §.5. numer.32.* Rendina *in prompt. sentent. iuris, tom.1. tit.115.numer.29.* Borrellus *in Summa decisionum, tom.2. tit.11. num.72.*

31 Infertur quartò, plenè probari Petrum fuisse Romæ, si vnus eum vidit in vno loco, alter in altero loco, mora enim in vrbe est aliquod successiuum. Ruinius *cons.35. num.6. lib.4.* Hyppolit. Riminald. *cons.7. num.67. lib.1.* Petra *de fideicommiss. quæst.12. num.540. 549. & 607.* Farinac. *de testibus q.64. num.81.* Sousa *qu. vnica de testibus singularibus sect.2. numer.20. & in aphoris. lib.2. cap.15. num.11.*

32 Infertur quintò possessionem, cùm sit aliquod successiuum, probari per testes singulares Ancaran. *cons.439. num.14.* Villalobos *p.2.tr.17. diffic.3.num.6.* Rodriquez *qq.reg.tom.2.qu.9.art.5.*

Infertur sextò, testes singulares plenè probare, quando agitur de re permanenti: ita probat Pasqualigus *decis.214.* vbi plures citat. Ratio est quia tunc sunt contestes, nam eadem res subijcitur vtriusque testificationi.

* *
*

SECTIO VIII.

An duo testes singulares, plenè probent delictum, quod ex pluribus actibus constituitur, vt conspiratio?

SVMMARIVM.

Sententia affirmatiua est communis. num.33.
Iurisdictio plenè probatur per duos testes singulares. nu.34.
Sic consuetudo. numer.35. Sic infamia, seu mala vita. num.36.

33 Respondetur affirmatiuè ita Ancaranus *cons.439. in secundo dubio*, Crotus *tract. de testibus, num.325.* Afflictus *in cap.1. §. & bona, num.29. in 13. speciali, quæ sint regalia*, Farinac. *de testibus, quæst.64.num.221.* Mascardus *de probation. concl.420. num.7.& 8. concl.462. num.17.* Gigas *tract. de crimine læsæ Maiest. tit. quomodo, & per quos, quæst.8.* Borrellus *in Summa decis. to.2 tit.11. num.74.* Bossius *in tit. de crimine læsæ Maiestat. nu.117.* vbi ait: non esse hoc singulare in crimine læsæ Maiestatis, sed esse commune in omni delicto, quod constat ex pluribus actibus, quod etiam innuit Ancaran. *dict.cons. 439. num.11.* quod duplicatum est *cons.277.*

Ratio est, quia omnes illi actus constituunt vnum indiuiduum delictum, tractatus coniurationis, & conspirationis in Principem; quippè quæ non potest eodem temporis momento perfici.

Aduerte autem vt suprà dixi e x Bossio *tit. de Crimine læsæ Maiest. num.117.* quod si crimen læsæ Maiestatis sit tale, quod vno momento perficiatur, tunc non probatur per testes singulares. Foller. *in pract. crim. versic. quod commisit crimen læsæ Maiest. num.3.* Ofaschus *decis.79. num.39.* Petra *de fideicom. q.12. num.722.* Farinac. *de testibus, quæst.64. numer.222.* Pasqualigus *decis.158. num.34.*

34 Infertur primò ex dictis, iurisdictionem plenè probari per testes singulares, si de diuersis actibus iurisdictionis deponant, Guido Papæ *decis.544.* Gabriel *tit. de testibus, concl.2. num.23.* Borrellus *in Summa, decis.tom.2. tit.11. num.95.* Villalobos *p.2. trac.17. diffic.3. num.6.* Rodriq. *qq. regul. tom.2. q.9. art.5.* Ratio est, nam iurisdictio acquiritur ex pluribus actibus, quare omnes testes tendunt ad eundem finem.

35 Infertur secundò, consuetudinem probari per testes singulares, nam cùm constet ex frequentatis actibus, omnes testes tendunt ad idem Baldus, Alexand. & alij, quos refert Gabriel. *tit. de testibus, concl.2.nu.26.* quamuis contrarium doceant Cynus *in l. consuetudo, C. quæ sit longa consuetudo*, Ancaranus *dict. consil.439. num.14.& consil.277. num.9.*

36 Infertur tertiò, infamia, seu famam, probari per testes singulares, Crauetta *cons.73. col.8.* Gabriel *dict.conclus.2.nu.37.* sic etiam turpis, & mala vita, vt dixi suprà *sect.3. num.13.*

* *
*

SE-

SECTIO IX.

An duo testes singulares deponentes, Petrum diuerso tempore negasse SS. Trinitatem, aut commisisse sodomiam, plenè probent ad condemnandum eum pœna mortis?

SVMMARIVM.

Negant aliqui, quorum verior est sententia, affirmant alij. num.37. 38. 39.

Testes singulares præsertim mulieres, in Sancto officio, triplicem patiuntur defectum. num.40.

In sacro Tribunali duo idonei contestes, neque sufficiunt ad mortem. num.41.

Extra sacrum Tribunal, in cæteris delictis quatuor mulieres sufficiunt ad pœnam ordinariam. num.42.

In eodem discursu hæreticali duo testes singulares reputantur contestes. num.43.

37 Respondetur negatiuè, ita Pegna 3. *par. comm.*121. *vers. omissa igitur*, Royas qui contrariam sententiam vocat periculosam *tract. de hæresi par.*2. *assert.*6. *num.* 145. Mascardus *concl.* 856. *num.*13, Farinac. *de testibus quæst.*64. *num.*217. qui plures citant Menoch. *cons.*82. *nu.*165. Scaccia *de Iudicijs lib.*2. *cap.*9. *nu.*527. Rodriq. *qq. reg. tom.*2. *quæst.*9. *art.*2. *in fine*.

Et quamuis Gregor. XV. statuat Confessarium sollicitantem, per testes singulares conuinci, tamen per duarum mulierum testimonium non posse damnari pœna ordinaria confessionem docent ex supremæ sacræ Inquisitionis Romanæ instructione, Genuensis *in praxi Archiep. Neapol. cap.*66. *in nouis*, & *cap.*81. in antiquis, *Sanctarellus de hæresi cap.*44. *concl.*4. *num.*6. Acugna *de sollic. quæst.*23. *num.*4. Carena *de Sancto offic.*4. *part.*2. *tit.*6. §.11.

Denique per duos testes singulares non posse reum puniri pœna ordinaria, à fortiori docent omnes illi, quos infra adducam, negantes ex quacumque multitudine testium singularium, posse reum pœna ordinaria puniri.

38 Contrarium tamen, nempè plenè probari hæresim per duos testes singulares, si deponant de eadem propositione; v. g. negationis SS. Trinitatis, aut purgatorij, docent Aragonius 2.2. *quæst.*70. *art.*2. *fol.*528. Salicetus *in l. testium num.*16. *C. de testibus*, Lessius expressè *lib.*2. *cap.*30. *num.*33. Conradus Brunus *lib.*4. *de haret. cap.*9. *propè finem*, Albertin. *tract. de agnoscend. assert. quæst.*14. *numer.*2. Simancas *Catholicarum Instit. tit.*64. *num.*75. & 76. qui tamen negant, Sodomitam conuinci per duos testes singulares.

Deinde duas mulieres testes singulares, plenè probare sollicitationem, docent Ludouicus à Paramo de origine Sanctæ Inquisitionis *lib.*3. *quæst.*10. *num.*152. vbi ait: ita obseruari in Inquisitione Hispaniæ, Riccius 2. *par. variarum resol.*440. Bariola *in florib. directorij Inquisit. tit. de confess. sollic. vers. possunt mulieres in hoc casu*.

Probatur negatiua sententia, quod plenè non probent, quia ad condemnandum pœna ordinaria, requiruntur probationes luce meridiana clariores *l. sciant cuncti C. de probationibus*, *seu dilucidæ & apertæ*, vt ex Concilio Biterrensi *cap.*11. & Concil. Narbonensi *c.*23. ergo testes debent esse omni exceptione maiores, nisi defectus suppleretur ex numero, *vt in cap. in fidei de*

40 *hæreticis in* 6. Sed duo testes singulares, quorum etiam nomina occultantur, & præterea si sint mulieres, patiuntur triplicem defectum, nempè singularitatis, occultationis, & sexus; ergo non sufficiunt ad plenam probationem: cùm non sint omni exceptione maiores, sed diminuti, & patientes defectum.

41 Confirmatur primò, nam etiam duo contestes, & idonei non sufficiunt in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, quia cùm occultentur nomina, truncatur ordo defensionis, & ita non sunt omni exceptione maiores; quare vsus sacri Tribunalis ex tribus contestibus idoneis, reum relaxat, vt ait Diana *par.*4. *tract.*7. *resol.*32. ergo à fortiori, non sufficiunt duo testes singulares, quia præter defectum occultationis, adest defectus singularitatis.

42 Confirmatur secundò, nam ad pœnam ordinariam, in cæteris delictis, quatuor mulieres contestes requiruntur; ita Gandinus *tit. de furibus num.*7. Farinac. *de testibus quæst.*59. *num.*29. Delrius *disquis. magic. lib.*1. *in appendice quæst.*13. *in fine*; ergo à fortiori, duæ mulieres testes singulares, nequeunt probare in sacro Tribunali, quia præter defectum sexus, patiuntur defectum singularitatis, & occultationis.

Hinc infertur, quòd neque in foro seculari, vbi publicantur nomina testium, possunt duo testes singulares plenè probare; quia cùm patiantur defectum singularitatis, non sint omnis exceptione maiores.

Obijc. Duo testes plenè probant furtum diuerso tempore manifestatum, per ostensionem rei furatæ, quia sunt contestes de eodem continuo delicto furti diuerso tempore manifestati; ergo duo testes plenè probant hæresim, diuerso tempore manifestatam, per verba hæreticalia, quia sunt contestes de eodem continuo delicto hæresis internæ, diuerso tempore manifestatæ.

Respondeo concedo antecedens, nego consequentiã. Disparitas est, quia furtum est vnum continuum delictum, per vnam continuam retentionem; At hæresis non est vnum continuum delictum, sed multiplicatur, vel per multiplicationem internarum cogitationum hæreticalium, & de his Ecclesia non iudicat, vel per multiplicationem verborum hæreticalium, quæ diuerso tempore proferuntur.

Fateor tamen quòd si hæresis continuaretur, per aliquod externum factum hæreticale, v. g. si sacram Eucharistiam, aut imaginem, aut calicem intra fimum, in stabulo retineret tale delictum plenè probaretur per duos testes, qui de diuerso tempore deponerent; nam essent contestes, quia essent de vno continuo delicto, sacrilegæ, & hæreticalis retentionis.

Dices, is qui diuerso tempore, profert verba hæreticalia, præsumitur semper in mente retinuisse eandem hæresim, quæ habitualiter durat, donec retractetur; ergo testes deponunt de vno delicto moraliter, quamuis non physicè continuo.

Respondetur nego antecedens, nam non est, neque physicè, neque moraliter vnum continuum delictum hæresis, siquidem vt delictum continuetur, vel debet continuari virtualiter, per effectum continuum, sicut furtum per retentionem, & hæresis per factum hæreticale; vt retentionem sacræ imaginis infimo: Vel debet esse continuum moraliter, ex propinquitate actuum, qui reputantur vnum, vt si in eodem discursu verba hæreticalia proferas, erit vnus continuus discursus hæreticalis.

Hinc

43 Hinc infero, quòd si in eodem discursu breuissima interiecta mora, bis repetas non esse purgatorium, tunc duo testes singulares reputantur contestes, & plenè probant, nam reputatur vnus continuus discursus hæreticalis, & sic testes deponunt de eodem continuo delicto, sicut si quis in eadem ira pluries blasphemauit reputatur vna blasphemia, & sufficit in confessione dicere, semel blasphemaui, *Zanardus in directorio conscient. p.2. præcepto 1. cap.10.* Diana *p.1. tr.7. resol.51.*

SECTIO X.

An sit valida lex disponens, duos testes singulares plenè ptobare ad condemnandum teum morte?

SVMMARIVM.

In Lusitania sodomita per duos testes singulares damnatur ad mortem. num.44.

In sancto Officio tamen, propter occultationem nominum ex tribus relaxatur, & punitur pœna mortis. num.45.

Iure naturali attento, singularitas non minuit fidem testi. numer.46.

Princeps ex vnius dicto viri summa fidei, potest condemnare ad mortem. num.47.

44 RESpondetur affirmatiuè, & ita in Lusitania *ex lib.5. ordin. tit.13. §.7.* & duobus testibus singularibus sodomita damnatur ad mortem, vt refert Sousa *in apho. Inquis. l.1. c.59. num.19.* & Madriti ex pragmatica edita, *anno* 1589. Sodomita ex testibus singularibus damnatur ad mortem, vt refert Barbosa *tract. de Episcopo allegat.44. num.20.* Inquisitores tamen Lusitani, cognoscentes de Sodomia propter occultationem testium, nõ relaxant reum, nisi ex tribus testibus singularibus. Castropalaus *p.1. tract.4. disp.8. pun.12. §.2. numer.11.* Ex Constitutione etiam Gregorij XV. Confessarius sollicitator per testes singulares plenè conuincitur. Carena *de sancto Officio, part.2. tit.6. §.5. in fine*, quicquid dicat Pasqualigus *decis.158. nu.35.* quamuis enim addat concurrentibus præsumptionibus indicijs, & alijs adminiculis, relaxetur curiæ Seculari: tamen idcircò vult alia adminicula ptopter defectum singularitatis, & occultationis, propter quem defectum duo testes singulares plenè non probant, quot autem testes requirantur, infrà dicam. Et in Regno Neapol. *ex pragmatica 1. de vsuris*; tres testes singulares cum fama, etiamsi in caussis proprijs deposuisse cognoscantur, plenè probant ad condemnationem otdinariam, quæ est publicatio bonorum, ex constitutione Regni *Vsurariorum*, requiritur autem tertius testis propter defectum illum, quia quodammodò deponunt in causa propria.

Itaque valere legem, quòd testibus singularibus plenè ctedatur, docet Villalobos *p.2. tr.17. diffic.3. num.7.* & Scaccia *de iudicijs lib.2. c.9. nu.399.* isti tamen non loquuntur de pęna mortis, imò Scaccia *num.393. iuncto num.399.* sentit non valere legem, quod credatur testibus singularibus in causa capitali, sed nostra opinio quod iusta sit lex, etiam ad condemnandum pęna mortis per duos testes singulares.

45 Probatur primò, nam iure naturali attento singularitas non minuit fidem testi, sed tantùm ex iure positiuo; ergo in certis delictis, potest supremus Princeps statuere quod reus damnetur ad mortem, ex duobus testibus singularibus.

Secundò, quia ex diuersorum testium singularium dicto, punitur quis pœna corporali extraordinaria, vt suprà dixi; ergo non repugnat de iure naturali; quod adhibeatur plena fides, etiam ad pœnam mortis.

47 Tertiò, potest Princeps in certo casu, & sua priuata scientia, aut ex dicto vnius testis summæ authoritatis, & fidei, damnare reum ad mortem, Lessius *lib.2. cap.30. num.33.* & probaui *tract.1. quæst.14.* ergo etiam ex testibus singularibus idoneis; ex his enim iure positiuo attento, potest quis extraordinariè puniri, non autem ex dicto vnius, quantumcumque digni, & sic merentur maiorem fidem.

Quartò, quia re vera tam sunt singulares testes deponentes de diuersis actibus conspirationis, quàm de diuersis sodomijs, sed illi ex iure positiuo plenè probant; ergo etiam isti plenè probabunt, si ita lex præcipiat.

SECTIO XI.

An ex multitudine testium singularium, plenè probetur eadem propositio hæretica, diuerso tempore repetita, vt pœna ordinaria imponatur?

SVMMARIVM.

Negatiuam sententiam approbauit vsus Inquisitionis Romanæ, ac Hispanæ. num.48.

Affirmatiuam verò approbat vsus Inquisitionis Lusitanæ, & Aragonensis. num.49. Quæ opinio videtur probabilior. num.50.

Est in arbitrio Iudicis testibus singularibus fidem adhibere. num.51.

Iudex potest extendere suum arbitrium, vsque ad mortem inclusiuè. num.52.

In hæresi defectus testium suppletur ex multitudine deponentium. num.53. & in omni delicto. num.54.

Quatuor mulieres plenè probant ad pœnam mortis inferendam. num.55.

Quando in Criminalibus ex pluribus imperfectis probationibus consurgat vna plena probatio? num.56.

Ex testibus singularibus deponentibus de diuersis Sodomijs, si sit multitudo testium, punitur reus pœna mortis. n.57.

48 NEgatiuam sententiam approbauit vsus supremæ Inquisitionis Romanæ, ac Inquisitionis Hispaniæ, vt refert Diana *par.4. tract.7. resol.31.*

Et ita docuerunt Io. Andreas *in cap. officium §. 1. de hæret. in 6.* Iacobin. *in l. ob Carmen §. fin. nu.18. ff. de testibus*, Cardinal. *in clem. 1. de hæretic.* Nellus *de testibus nu.213.* Alexander *cons.19. nu.22. lib.4. cons.72. cons.100. nu.6. lib.1. & cons.174. vol.2.* Farinac. *de testibus qu.64. nu.217. & 305. & de hæresi qu.188. nu.156.* Eymericus *in direct. inquis. par.3. qu.72. nu.1.* omnium latissimè, ac doctissimè Pegna *par.3. comm.121. vers. atque vt in hoc casu*, Royas *par.2. num.146. & singulari 204.* Castropalaus *tom.1. tract.4. disp.8. pun.15. §.4. num.15.* Aldrete de religiosa disciplina *lib.2. cap.3. nu.6.* Freytas *ad Acugnam de sollicitat. quæst.22. nu.25.* Mascardus *concl.856. num.3.*

nu. 3. Sanctarellus *de hæresi cap.* 39. *dub.* 1. *nu.* 2. Cantera *in qq. Crimin. cap.* 2. *de probat. per testes nu.* 17. Maldonatus *in sylua responsorum lib.* 1. *responso* 9. *par.* 1. *nu.* 38. Moria *in emporio iuris tom.* 1. *tit.* 11. *in prælud. num.* 51. Guido Fulcodius *in qu. ad Inquisit. qu.* 14. vbi Carena, *& idem Carena tractat. de sancto Officio par.* 3. *tit.* 6. §. 5. *num.* 30. Manuel Rodriquez *qq. Regular. tom.* 2. *quæst.* 9. *art.* 4. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 31. *& tract.* 8. *resol.* 57. *vers. dico* 11. Florez de Mena *lib.* 3. *variarum quæst.* 22. *num.* 45. Layman *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 5. alios citat Pasqualig. *dec.* 215. *num.* 9.

Fundamenta huius sententiæ afferā in obiectionibus.

49 Affirmatiuam sententiam approbauit vsus Inquisitionis Lusitanę, & Aragonensis, vt referunt Sousa, Diana, Fernandez, & alij mox citandi, nam ex multitudine testium singularium, deponentium de eadem propositione hæreticali, relaxatur reus, & punitur pęna ordinaria.

Hanc opinionem sequuti sunt Salicetus *in l. testium num.* 16. *C. de testibus, & in l. quicumque C. de hæreticis*, Albertinus *de agnoscendis assert. quæst.* 34. *nu.* 12. Simancas *cathol. instit. tit.* 64. *nu.* 75. *&* 76. Conradus Brunus *lib.* 4. *de hæreticis cap.* 9. *propè finem*, Petra *de fideicom. quæst.* 12. *num.* 700. Lessius *l.* 2. *cap.* 30. *num.* 33. Villalobos *in Summa par.* 2. *tract.* 17. *diffic.* 3. *num.* 6. Aragonius 2.2. *qu.* 70. *art.* 2. *fol.* 528. Sousa *quæst. unica de testibus singul. sect.* 2. *num.* 11. *post aphoris. inquisit.* Gomezius 3. *var. cap.* 12. *num.* 12. Comensis *in Lucerna inquisit. V. testis num.* 19. Zanchin. *de hæret. cap.* 16. *num.* 6. Viuius in *sylua comm. opin. verbo testis singularis*. Sanchez *consil. lib.* 6. *cap.* 5. *dub.* 12. *num.* 5.

50 Affirmatiua sententia mihi verissima videtur, sed illud commune fundamentum, quod hæresis consumetur in mente, & circumstantia temporis, sit illi extrinseca, non videtur adeò solidum, illudque supra reieci, itaque nostra opinio

Probatur primò, nam vel testes singulares, se inuicem adiuuant, vel se non adiuuant. Si se non adiuuant; ergo reputantur vnus testis, & sic neque extraordinariè reus punietur contra aduersarios: si se adiuuant; ergo dictum vnius auget fidem alteri; ergo quo maior est numerus testium, eò maior fides adhibetur; ergo tandem deueniendum est ad plenam fidem, sicuti si magis, & magis, crescat calor in ligno, tandem deueniendum est ad plenitudinem caloris, vt octo; nec enim video, rationem, cur repugnet ad plenam fidem testibus adhibendam deueniri?

51 Confirmatur nam est in arbitrio Iudicis, testibus singularibus fidem adhibere, si ex eis ad credulitatem adducitur Castrensis *in l. admonendi nu.* 79. *ff. de Iureiurando*, Neuizan. *in Sylua nuptiali lib.* 5. *numer.* 123. Parisius *cons* 57. *num.* 48. *lib.* 1. Menoch. *de arbitrar. casu* 90. *numer.* 6. Scaccia *de Iudicijs lib.* 2. *capit.* 9. *numer.* 530. Gabriel. *tit. de testibus concl.* 2. *numer.* 62. Borellus *in Sum. decis. com.* 2. *tit.* 11. *numer.* 97. alios citat Pasqualig. *decis.* 217. *num.* 1.

Sed nemo bonus Iudex arbitrabitur, maiorem fidem adhibendam duobus contestibus, quàm septem testibus singularibus deponentibus de eodem crimine diuerso tempore patrato.

52 Confirmatur secundò, nam ex grauitate criminis, cuius pœna sit in arbitrio Iudicis, potest Iudex extendere suum arbitrium ad mortem inclusiuè, & sic damnare

reum ad mortem. Bal. *in l. pen. ff. de rerum diuis.* Decius *in l. si fugitiui num* 94. *C. de seruis fugit. & cons.* 100. *num.* 11. Menoch. *de arbitrar. lib.* 1. *quæst.* 86. *numer.* 20. ergo Iudex ex multitudine testium singularium, potest arbitrari, plenè eis credendum, sicut enim ex grauitate criminis potest ad vltimum supplicium deuenire; ita ex multitudine testium singularium, potest ad plenam fidem adhibendam moueri; vnde *in l.* 2. *ff. de testibus dicitur; Tu magis scire potes, quanta fides adhibenda sit testibus*.

Probatur secundò, nam si ex testibus, aliqui sint infames, excommunicati, aut participes criminis, aut aliàs diminutæ fidei, talis defectus suppletur ex numero, & multitudine deponentium; ita vt plenè probetur hæresis, vt ex tex. *in cap. in fidei de hæret. in* 6. docent ipsimet aduersarij, Pegna *par.* 3. *com.* 113. *vers. sit secundum axioma*, Farinac. *de hæresi q.* 188. *nu.* 83. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 123. Castropalaus *tract.* 4. *disput.* 8. *pun.* 15. §. 4. *numer.* 1. Carena *de sancto Officio par.* 3. *tit.* 5. *numer.* 77. Delrius *disquis. magic. lib.* 5. *in* 2. *append. quæst.* 12. 13 14. *&* 15.

54 Et vniuersim, testium inhabilitatem ex multitudine suppleri, & plenè probari delictum habetur *ex l.* 3. §. *eiusd. quoque Principis ff. de testibus* vbi Glosa, & Cepolla *consil. Ciuili* 3. *in fine*.

55 Sic quamuis mulier in criminalibus non admittatur in testem; tamen quatuor mulieres plenè probant, ad pęnam mortis inferendam. Gandinus *tit. de furibus n.* 7. Hyppol. Riminaldus *cons.* 217. *numer.* 5. *lib.* 2. Farinac. *de testibus quæst.* 59. *num.* 29. Delrius *disquisit. magicarum lib.* 5. *in appendice quæst.* 13. *in fine*.

Ergo si ceteri defectus diminuentes fidem in teste, supplentur ex multitudine testium, cur etiam singularitas (dato quod singularitas sit defectus diminuens fidem) non supplebitur ex numero?

Dices ex Farinacio *de testibus quæst.* 62. *num.* 319. illi defectus supplentur ex numero, qui proueniunt ex personis testium, vt quia infames, mulieres &c. Non autem defectus, qui proueniunt, ex dictis testium: sed singularitas prouenit ex dictis testium; ergo non supplentur ex numero.

Sed contra, quia tunc defectus prouenientes ex dictis testium, non supplentur ex numero: quando tollunt omninò, non autem diminuunt tantùm fidem testi, ita idem Farinac. *d. quæst.* 62. *numer.* 117. Sed singularitas quamuis proueniat ex dictis testium; tamen non omninò tollit illis fidem (alioquin Reus, ex testibus singularibus non posset extraordinariè puniri) ergo cùm saltem minuat tantùm fidem par ratio est, de defectu ex persona; ac ex dicto, seu singularitate; ergo vterque defectus suppletur ex numero.

Probatur tertiò, nam quod delictum sit vnum continuum, aut plura, vel sit vnum delictum constans ex pluribus actibus, vt conspiratio; videtur omninò impertinens ad maiorem, vel minorem fidem, testibus singularibus adhibendam; & videtur, vt ita dicam, differentia de apicibus iuris, aut metaphysica, sanè non video, cur maiorem fidem mereantur testes, de retentione libri hæretici, quàm diuerso tempore viderunt, ac de propositione hæretica diuerso tempore dicta?

Probatur quartò, ex illo absurdo communiter allato, quod alioquin hæreticus posset totam vrbem peruertere, nec tamen conuinci.

Reſpondet Freytas *ad Acugnam cap.22. num.25.* eſſe caſum chimericum, & tunc relaxetur Reus.

Ergo velit nolit ſatetur Freytas ex teſtibus ſingularibus condemnandum pęna ordinaria mortis; quantus autem debeat eſſe hic numerus teſtium ſingularium, infra dicam in ſequenti ſectione.

Obijc. primò authoritatem Sancti Thomæ 2.2. *quæſt.* 70. *art.*2. vbi Caiet. & Sotus *lib.5. de Iuſt. quæſt.7. art.2. ad* 1. apertè enim Sanctus Doctor ſentit, non poſſe ex teſtibus ſingularibus, aliquem pęna ordinaria puniri, ait enim: *Illis auferri efficaciam, ſi diſcordant in tempore, & loco, quia videntur eſſe ſingulares.*

Reſpondetur primò S. Thomam loqui de ſingularitate obſtatiua, ſecundo ait auferri efficaciam, ita vt non plenè probent, ſi ſint tantùm duo; at non addit, quod ex numero talis defectus ſuppleri nequeat.

Obijc. ſecundò, quia nullum indiuiduum delictum eſt plenè probatum; ergo nequit puniri pęna ordinaria.

Reſpondetur eodem argumento vrgeri aduerſarios, nam ſint decem teſtes deponentes de decem ſodomijs, aut propoſitionibus hæreticis; tunc peto, punietur nè extraordinariè ſaltem? Affirmabunt vtique Aduerſarij; tūc ſic vrgeo: Quodlibet indiuiduum delictum eſt ſemiplenè tantùm probatum; ergo nullatenus punietur; ſicuti ſi decem teſtes, de decem diuerſis ſpecie delictis deponerent, vt de furto, blaſphemia, homicidio, vſura &c. nullatenus tunc Reus punietur.

Dices extraordinariè tunc de hæreſi puniri; quia quodlibet delictum hæreſis eſt pluſquam ſemiplenè probatum; nam ad dictum vnius teſtis, accedunt depoſitiones aliorum teſtium ſingularium, qui faciunt aut malam famam, aut præſumptionem.

Contrà, cur faciunt præſumptionem, & non potius plenam probationem? facilius enim accidit, duos conteſtes eſſe falſos, quàm quatuor, aut decem, quamuis ſingulares; itaque ſi teſtes iſti accipiuntur ſeorſim, vtique quilibet ſemiplenè probat; Si autem accipiantur coniunctim, & ſimul cum alijs de eadem ſpecie criminis deponentes; tunc erit plena probatio.

56 Obijc. tertiò in criminalibus ex pluribus imperfectis probationibus, non conſurgit vna perfecta, & plena probatio, v. g. ex vnico teſte de viſu, & duobus de confeſſione extraiudiciali, vt dixi ſuprà; ergo neque ex pluribus imperfectis probationibus teſtium ſingularium, conſurgit vna plena, & integra probatio.

Reſpondetur diſparitas eſt, quia vnus teſtis de viſu, & duo de confeſſione ſunt duæ probationes imperfectæ, & diuerſi generis, quæ non coniunguntur in vnam perfectam, vt docuit poſt alios Menoch. *de præſumpt. lib.*1. *quæſt.*39. *num.*5. *&* 6. At quando probationes imperfectæ, ſunt einſdem generis, coniuguntur in vnam perfectam, & plenam, vt docet Menoch. *vbi ſupra num.*3. *&* 4. Sed probationes teſtium ſingularium, ſunt imperfectæ quidem, ſi ſenſim conſiderentur; at ſunt eiuſdem generis, & tendunt ad eundem finem, nempè, Petrum defeciſſe à fide; ergo coniunguntur in vnam perfectam. Probo eſſe eiuſdem generis, & coniungi in vnam perfectam; nam per Aduerſarios in conſpiratione, teſtes, ſingulares plenè probant, quia actus illi conſpirantis omnes, tendunt ad eundem finem defectionis à Rege.

Obijc. quartò ex Pegna *d. par.3. com.*121. vbi affert Concil. Narbonenſe, *cap.*23. & Concil. Biterrenſe *c.*11. quibus habetur, neminem condemnandum, ſine dilucidis, & apertis probationibus, at teſtes ſingulares, non conſtituunt probationem dilucidam, & apertam; ergo.

Reſpondetur hanc eſſe petitionem principij, (vt aiunt Logici) idem enim eſt quærere, an ex multitudine teſtium ſingulariū, conſtituatur plena probatio, ac dilucida, & aperta; ergo Pegna ſupponit, quod eſt in queſtione.

Obijc. quintò in cęteris delictis ex iuris diſpoſitione, teſtes ſingulares, plenè non probant; ergo neq; in hæreſi.

Reſpondetur, nego antecedens, niſi ſit ſingularitas obſtatiua, aut niſi tantùm duo ſint teſtes ſingulares, aut in delicto irreiterabili, hoc autem oſtendo, percurrendo ſingula iura, quæ aduerſarij afferunt.

In *Can. nihilominus* 3. *quæſt.*9. agitur de ſingularitate obſtatiua, vt patet ex contextu ibi: *Nihilominus puniendi ſunt teſtes, qui ad calumniam, aliquid teſtificantur, nec eorum voces, tamquam plurium admittuntur, quos temporum quidem diuerſitas, ſimul interfuiſſe prohibuit.* Ergo ſi puniendi, erat ſingularitas obſtatiua, tum quia ibi non exprimitur de delicto reiterabili, in quo teſtes ſingulares plenè probare cenſemus.

Tex. *in capit. bona* 23. *de electione*, non facit ad rem, nam ibi agitur, quod negatiua directè probari nequit, & ſubdit tex. *Et ſi quilibet de ſe poſſet aſſerere, quod citatio ad eum minimè perueniſſet; ſinguli tamen veſtrum eſſent in ſuo teſtimonio ſingulares.* Sed obſeruandum hos teſtes dici ſingulares, & non probare, quia deponunt in proprium commodum.

In *cap. cum dilectus* 32. *de electione*, idem habetur; nam quamuis ſinguli Canonici dicerent ſe non dediſſe votum in electione Archiepiſcopi, ipſis tamen non creditur, quia ſinguli ſunt in ſuis teſtimonijs ſingulares; ergo non creditur, quia ſingularibus, & in proprium commodum deponebant, & duos contra ſe conteſtes habebant.

In *cap. licet cauſam* 9. *de probation.* ibi: *Vix ex illis ſex remanſerunt concordes, cum alij ſibimet in ſerie ſui teſtimonij contradicant, & quidam alij ſint in dicto ſui teſtimonij ſingulares.* Sed obſeruandum in eo textu, agi de probanda iuriſdictione, ac poſſeſſione, in qua teſtes ſingulares, plenè probant, vt ſuprà dixi; ergo ratio cur ibi teſtes ſingulares, reijciuntur; quia erant ſingulares fortè ſingularitate adminiculatiua; quia ſinguli de diuerſis adminiculis deponebant.

In Canone *de parentela* 2. 35. *quæſt.*6. ibi, *In quibus non debet aliqua varietas, vel contrarietas inueniri*; In eo textu apertè agitur, de varietate, ſeu ſingularitate obſtatiua, nam propter varietatem, ſeu ſingularitatem diuerſificatiuam, eſtò non plenè probetur; tamen non tollitur omninò fides teſti.

57 Infertur ex dictis, ex multitudine teſtium plenè probari adulterium, ſodomiam, ſi deponant de diuerſis actibus, vnde poterit pęna ordinaria mortis puniri, Hyppol. Riminald. *conſ.*7. *num.*26. *& num.*136. *lib.*1. Bertazzolus *conſ.*20. *num.*18. *& conſ.*275. *num.*5. *&* 6.

Quamuis contrarium doceant Clarus] *in §. fin. qu.*35. *verſ dixi etiam*, Farinac. *qu.*64. *de teſtibus nu.*229. Aragon. 2.2. *qu.*70. *ar.*2. *fol.*528. Symanca *cathol. inſt. c.*64. *nu.*66. Villalobos *par.2. tract.17. diff.3. nu.*4. *&* 5. Leſſius *l.2. c.30. nu.*33. qui quamuis concedant hæreſim plenè probari ex multitudine teſtium ſingularium, deponentium de eadem hæretica propoſitione diuerſo tempore prolata; negant tamen de adulterio, ſodomia; ſed rationes, quas adduxi, probant tam de hæreſi, quàm de adulterio, ſodomia, & quolibet crimine reiterabili.

SE-

SECTIO XII.

Quot teſtes ſingulares ſufficiant, ad plenam probationem, & ordinariam pœnam in hæreſi, vel ſodomia, aut alio delicto reiterabili?

SVMMARIVM.

Defectus teſtium ex numero ſuppletur præſertim in hæreſi. num.58. Quot autem teſtes requirantur, variæ ſunt opiniones. nu.59. Tres teſtes ſingulares, quibus excepta ſingularitate, nullus eſt alius defectus, plenè probant. numer.60. Si alius defectus adſit, vt quia nomina occultantur, quatuor requiruntur. num.61. Quatuor tamen fœminæ teſtes ſingulares, non plenè probant ſollicitationem. num.62. Ad morte puniendum Confeſſarium ſollicitantem, ſi ita grauitas delicti exigat, ſex fœminæ ſingulares ſufficiunt. num.63.

58 Defectus teſtium ex numero ſuppleri, vulgata eſt regula, quam tradit Gloſa & Doctores omnes *in l.3. ff. de teſtibus*, Aretin. & Felin. *in cap. licet vniuerſis, de teſtibus*, Gabriel *tit. de teſtibus concluſ.6.* Cęſar de Graſſis *deciſ.175.nu.9.* Farinac. *de teſtibus q.62.nu.325.*

Hoc in hęreſi pręſertim habet locum, dummodò concurrant adminicula alia, præſumptiones, & indicia, *vt in cap. in fidei fauorem de hæret.in 6.* Pegna *par.3.comm.113.* Caſtropalaus *tom.1. tractat.4. diſp.8. pun.15. §.4. nu.1.* Diana *par.4. tract.8.reſol.123.* Farinac. *de teſtibus q.62. nu.327.* Carena *tr.de Sancto Officio.p.3.tit.5.n.77.*

59 Sed difficultas eſt, quantus debeat eſſe hic numerus? tres ſunt Doctorum ſententiæ. Prima eſt, quòd duo teſtes inhabiles, ſeu non omni exceptione maiores loco minus vnius habentur, & ſic quatuor teſtes, requiri ad plenè probandum, Ita Probus *ad Io.Monachum in cap.1. num.3. de teſtibus in 6.* Calcaneus *conſ.110. num.5. & 6.* Alex. *conſ.128. num.4. lib.2.* Gabriel *tit. de teſtibus concl.6. nu.3. verſ. contra iſtam ampliationem*, Caſtropalaus *tom.1. tract.4. diſp.8. pun.15. §.4. num.1.* vbi ſic ait: *Depoſitio vnius teſtis inhabilis, rarò ad torturam ſufficit, niſi alijs adminiculis, & præſumptionibus grauibus, adiunetur: Depoſitio duorum ſufficiet ad torturam, & ad condemnandum pœna extraordinaria: trium vel quatuor ad condemnationem ordinariam, ſufficiet, quia multitudine deponentium inhabilitas illorum reparatur*, Ità Palaus loquens de hæreſi, & Pegna *par.3. comment.113.* vide Dianam *par.4. tract.8. reſol.123.*

Idem docet Acugna *de ſollicitat. quæſt.23. num.11.* qui ait, quatuor mulieres ſufficere, vt poſſit Confeſſarius ſollicitans ad pœnam ordinariam condemnari.

Et vniuerſim, quatuor fœminas conteſtes in quocumque delicto requiri, ad cōdemnationem ordinariam, docent Gandin. *in tract. crimin. tit. de furibus num.7.* Hyppolitus Riminaldus *conſ.217. num.5. vol.2.* Farinac. *de teſtibus quæſt.59. num.29.* Delrius *diſquiſit. magic. lib.5. in append. quæſt.13.*

Hinc non rectè, & ſine ſolido fundamēto, Rodriquez *qq. Regular. tom.2. quæſt.10, artic.3. in fine*, excipit Moniales dicens; duas Moniales, cùm ſint perſonæ religioſæ, & timentes Deum, plenè probare in criminalibus; gratis enim Rodriquez excipit Moniales à generali iuris regula, quod fœmina in criminalibus non admittitur tamquàm teſtis omni exceptione maior.

Secunda eſt opinio, quòd tres teſtes ſuppleant defectum inhabilium; ita vt tantùm probent tres quantum duo omni exceptione maiores, Ita Iacobus Butricarius *in l.3.ff.de teſtibus*, & alij quos citat Gabriel *tit.de teſtibus concl.6. num.3.* Alciat. *in l. lata §. amicos ff. de verborum ſignific.* Soccinus *Iunior.127. num.17. lib.3.* Bertazzolus *conſ.474. num.3.*

Idem docet, Ortiz *in Summa cap.24. nu.11.* qui ait: tres fęminas ſufficere ad condemnandum pęna ordinaria confeſſarium ſollicitantem.

Tertia eſt opinio, id totum remitti Iudicis arbitrio, qui maiorem, vel minorem numerum iudicabit ſufficientem, ex circumſtantijs, & ſpecie inhabilitatis, ad hoc vt ad pęnam ordinariam condemnet, ita de ſollicitatione Io. Sanchez *diſp.11.nu.46.* Diana *par.1.tract.4. reſ.28. & par.4. tract.4. reſol. vlt. & tract.7. reſol.7.* Sanctarellus *tract. de hæreſi cap.44. concl.6. num.6.* Carena *tract. de Sancto officio, par.2.tit.6.§.11.num.60.*

Et de hæreſi, eſſe in arbitrio Iudicis, quot teſtes inhabiles, iunctis alijs adminiculis, ſufficiāt ad condemnandū pęna ordinaria, Carena *de Sancto officio par.3.tit.5.n.77.*

Et in quocumque delicto, remiſſum eſſe arbitrio Iudicis. Farinac. *de teſtibus qu.62. num.327.* & alij quos citat Gabriel. *tit. de teſtibus concl.6. num.3. verſ. contrarium.*

Et vniuerſim, in quocumque negotio, aut cauſa, Iudici id eſſe arbitrarium, Aretinus, & Felinus *in cap. licet vniuerſis, de teſtibus.* Iacob. de Sancto Georgio *in l.prætor ait §. cogentur num.5. ff. de edendo*, Cęſar de Graſſis *deciſ.11. num.10. & deciſ.175. num.9. & 10.*

Hęc tertia opinio, quòd ſit Iudici arbitrarium, videtur veriſſima, quia non poteſt dari certa regula quoad defectus, & inhabilitates; nam quandoque ſunt plures, quandoque pauciores, leuiores, ac grauiores, & ſic magis, & minus diminuunt fidem teſti; proindè prudens Iudex ex circumſtantijs, & ſpecie inhabilitatis, rem iudicabit; nihilominus quoad teſtes ſingulares.

60 Dico primò, tres teſtes ſingulares, qui aliàs nullum patiuntur defectum, & ſi non eſſet ſingularitas eſſent omni exceptione maiores, ſi eorum nomina publicentur, ſufficiunt ad condemnandum ſodomitam, adulterum, & vſurarium pęna ordinaria.

Probatur, quia ſingularitas diuerſificatiua, non minuit multùm fidem teſti; ergo tertius teſtis idoneus, ſupplet defectum ſingularitatis. Quod parum diminuat fidē teſti, patet, quia iuſtè in Luſitania ex duobus teſtibus ſingularibus, comburitur ſodomita, vt *ex lib.5. ordinam. legum Luſit.tit.13.§.7.* tradit Souſa *in aphor.lib.1.c.59.n.19.* Ergo ſingularitas parum diminuit fidem; alioquin lex illa iniuſta eſſet; etenim defectus ſingularitatis, potiùs eſt ex diſpoſitione iuris poſitiui, quā ex iure naturali; ergo tres teſtes ſufficiunt ad ordinariam condemnationem. Tùm quia duo teſtes ſingulares plenè probant in delicto ſucceſſiuo, vt in retentione rei furatæ, celebratione Miſſæ à Laico, aut quando delictum conſtat ex pluribus actibus diſcontinuis, vt conſpiratio. Sed iſti teſtes re vera non ſunt minus ſingulares, quàm duo deponentes de duobus adulterijs; ergo ſingularitas, paruam diminuit fidem teſti, & ſic tres teſtes ſingulares idonei plenè probant.

61 Dico ſecundò, quando præter ſingularitatē, adeſt alter defectus occultationis nominis teſtiū, vt in S. officio, tūc tres teſtes ſingulares plenè nō probāt: ſed quatuor requirunt, ità à fortiori docet Acugna *de ſollicit.qu.23.nu.11.*

Eſt cōtra alios, qui ſibi parū cōſtantes, vt aliàs notaui,

docent, quatuor teſtes inhabiles, ſed conteſtes, ſufficere ad pœnam ordinariam in hæretico. Ita Caſtropalaus *tom.1. tract.4. diſp.8. punct.15. §.4. num.1.* Pegna *par.3. comm.113.* & poſteà negant, quatuor teſtes aliàs idoneos, ſed ſigulares, ſufficere ad pœnam ordinariam, ità idem Caſtropalaus *d. pun.15. §.4. num.11.* Pegna *par.3. comm.121. verſ. atque vt in hac cauſa.* Carena *tract. de Sancto officio par.3. tit.6. §.5. num.16.*

Probatur ad pœnam ordinariam ſufficere quatuor teſtes ſingulares, aliàs idoneos; quia in Sancto Officio duo conteſtes idonei cum fama, aut tres conteſtes idonei ſufficiunt ad condemnandum pœna ordinaria, & ita ſeruat ſtylus Inquiſitionis Hiſpaniæ. Diana *par.4. tract.7. reſol.32.* Caſtropalaus *tom.1. tract.4. diſp.8. pun.15. §.4. num.2.* Farinac. *de hæreſi quæſt.188. num.56.*

Sed tres teſtes idonei, ſupplent defectum ſingularitatis, vt probaui in præcedenti concluſione; ergo ſupereſt tantùm defectus occultationis, ſed hic defectus, ſuppletur per alium teſtem, & ſic per quartum (nam tres conteſtes ſufficiunt, ad pœnam ordinariam) ergo quatuor teſtes ſingulares, aliàs idonei ſufficient.

Aduerte tamen, requiri quod cum numero teſtium, concurrant indicia, præſumptiones & adminicula, vt expreſſe ſtatuitur *in cap. in fidei fauorem de hæret. in 6.*

Probatur ſecundò ad hominem, quia magis minuit fidem teſti, eſſe excommunicatum, infamem, ſocium criminis, quàm eſſe ſingularem: ſed quatuor teſtes infames in hæreſi, iunctis alijs adminiculis, plenè probant, vt docent Pegna *par.3. com.113.* & Caſtropalaus *to.1. tract.4. diſp.8. pun.15. §.4. nu.1.* Ergo etiam quatuor teſtes ſingulares, plenè probant.

62 Dico tertiò ſollicitatio, non plenè probatur per quatuor fœminas teſtes ſingulares, Ita Freytas ad Acugnam *de ſollicit. cap.23. num.25.* Souſa *tract. de ſollicit. tract.2. cap.12. concl.4. nu.12.* Contra Acugnam *d. c.23. nu.11.*

Probatur, quia in cæteris criminibus, quatuor fœminæ conteſtes requiruntur, vt plenè probent; ergo quatuor ſingulares in ſollicitatione, & in Sancto officio non ſufficiunt; conſequentia patet, quia adhuc reſtat duplex defectus ſupplendus, nempè ſingularitatis, & occultationis.

63 Dico quartò, ad plenè probandam ſollicitationem, & ſi ita exigat grauitas delicti, ad reddendum confeſſarium curiæ ſæculari, & morte puniendum, putarem ſufficere ſex fœminas, teſtes ſingulares, honeſtas, concurrentibus alijs adminiculis, præſumptionibus, & indicijs, Carena *tract. de Sancto officio par.2. tit.6. §.5. in fine,* & Trimarcha *de confeſſar. abutente, diſp.2. num.7.* qui tamen non exprimunt numerum teſtium.

Contra Freytam, ad *Acugnam de ſollicit. c.23. nu.25.* qui contra expreſſa verba Bullæ, vt mox oſtendam, ait, ex quacumque multitudine teſtium ſingularium, numquam Confeſſarium puniendum pœna ordinaria, & perperam pro ſe allegat Ricciũ *in prax. fori Eccleſiaſtici p.1. dec.369. & Collect.549.* ibi enim id non docet Riccius.

Probatur primò ex verbis Bullæ Gregor. XV. ibi: *Ne delictum tam enorme, & Eccleſia Dei tam pernicioſum remaneat ob probationum defectum impunitum (cùm difficilis ſit probationis), teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, & indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe, iudicio ſuo iudicandi, & curiæ ſeculari reum tradendum eſſe pronunciandi.* Hæc ibi. Sed cùm Inquiſitores Aragoniæ, Valentiæ, & Barcinonæ, ex priuilegio Summi Pontificis, cognoſcat de ſodomia, per tres teſtes ſingulares, relaxant reũ curiæ ſæculari, Ita Caſtropalaus *tr.4. diſp.8. pun.12. §.2. n.11.* At duæ fœminæ æquiualent teſtimonio vnius hominis; ergo ſex fęminæ teſtes ſingulares ſufficiẽt, vt Confeſſarius ſollicitans relaxetur.

Probatur ſecundò in quolibet delicto, quatuor fœminæ conteſtes plenè probant; ſed teſtimonium vnius qui additur; ſupplet defectũ ſingularitatis vt probaui *concl. 2.* & teſtimonium alterius, ſupplet defectum occultationis, vt ſuprà dixi; ergo ſex fęminæ ſufficient.

Probatur tertiò, quia nullus Iudex arbitrabitur non eſſe credendum ſex fęminis ſingularibus honeſtæ famæ; cùm plenè credar quatuor conteſtibus; vnde quamuis cauſa matrimonij ſit ardua, tamen ſex teſtibus, quamuis multas paterentur exceptiones, plenè credendum eſſe fuit deciſum, vt refert Cæſar de Graſſis *dec.175. nu.11.*

QVÆSTIO XLV.

An Superior Regularis inciderit in pęnas Bullæ de celebratione Miſſarum, ex eo, quia cùm quædam mulier in ſuo teſtamento diſpoſuiſſet; vt Cappellania amouibilis; daretur perſonæ nominandæ à Priore; hic nominauit Sacerdotem ſui Monaſterij?

SVMMARIVM.

Miſſa perpetua eſt verum, & proprium Eccleſiaſticum beneficium. nu.1. Non autem Cappellania amouibilis. nu.2.

Nequit aliquis ordinari ad titulum Cappellaniæ amouibilis. num.3.

Cappellania amouibilis poteſt renunciari ad libitum, ſine licentia Superioris. num.4. Hæc eſt merè temporale ſtipendium ſacellani. num.5.

Non poteſt Superior ſine conſenſu Capituli obligare Monaſterium. num.6.

Cappellanus poteſt aliquando abſtinere à celebrando, neque tenetur per alium ſupplere. num.7.

Reſpondetur negatiuè. Probatur, quia per Cappellaniam amouibilem datam Regulari Sacerdoti; non remanet obligatum Monaſterium, ad onus Miſſæ perpetuæ; ergo ſumus extra caſum Bullæ, quæ punit Superiorem obligantem Monaſterium ad onus Miſſæ perpetuæ, ſine licentia P. Generalis.

Quod autem Cappellania amouibilis, longè differat à Miſſa perpetua, de qua loquitur Bulla, patet ex ſequentibus differentijs, quarum

Prima eſt, nam Miſſa perpetua, nequit inſtitui niſi authoritate Epiſcopi in Eccleſia ſęculari, & authoritate P. Generalis, in Eccleſia Regulari, vt patet *ex Bulla de celebratione Miſſarum;* vnde eſt verum, & proprium Eccleſiaſticũ beneficiũ; tale enim eſt, quod authoritate Eccleſiaſtica eſt erectum, aut confirmatũ Doctores *in c. Nemo. 7. de conſecrat. diſt. 1.* Gloſa *in c. ſi beneficiorum de decimis,* Leſſius *lib.2. cap.34. num.4.* Guido Papæ *deciſ.187.* 1

2 Cappellania autem amouibilis, ſine authoritate Eccleſiaſtica, & ſine approbatione ordinarij, per Laicos inſtituitur, atque confertur; vnde non eſt Eccleſiaſticum beneficium. Riccius in praxi *part.1. deciſ.406.* Alfonſus de Leone, *de officio Cappellani quæſtion.3. numer. 72.* Nauarrus *conſ.5. & 7. de præbend.* Suarez *de Religione tom.2. lib.4. de horis Canonicis cap.22. numer.12. & 12.*

& 12. Layman *lib.4. tract.2. cap.4. num.6.* vbi ſic ait: *Cappellaniæ quædam ſunt temporales, & non collatiuæ, quamuis in perpetuum inſtitutæ ſint, vt à fundatore eiuſque hæredibus conferantur, cui voluerint, & tales Cappellaniæ, beneficia non ſunt; ſed merè temporalia ſtipendia ſacellanorum.* Ita Layman, & Azor. *tom.1. lib.10. cap.4. quæſt.2.* Filliuc. *tom.3. tractat.41. capit.1. nu.45.* Riccius *in praxi, to.1. decıſ.82.* Seraphinus *deciſ.611.*

Hinc eſt, quòd nequit aliquis ordinari ad titulum Cappellaniæ amouibilis; quia non eſt beneficium Eccleſiaſticum. Riccius *in praxi tom.1. deciſ.82. & deciſ.396.* Barboſa *de Epiſcopo allegat.19. num.25.*

Ergo cùm Bulla puniat Superiores Regulares, ſuſcipientes onera perpetua Miſſarum, ſine licentia P. Generalis, non extenditur ad Cappellaniam amouibilem; hæc enim de ſui natura, cùm ſit merè temporale ſtipendium Sacellani; non requirit authoritatem Eccleſiaſticam, neque illa obligatur Monaſterium ad onus aliquod perpetuum, vt patet ex ſequenti differentia.

Secunda differentia eſt; nam Miſſa perpetua legitimè acceptata à Monaſterio, obligat illud ad onus perpetuum irreuocabiliter; adeò vt nequeat minui numerus Miſſarum, etiamſi abſumptum ſit capitale datum pro eo onere, niſi recurratur ad ſedem Apoſtolicam, vt patet *ex prædicta Bulla de celebrat. Miſſarum.*

Ex Cappellania autem amouibili, data vni Religioſo,
non obligatur Monaſterium, vt patebit clariùs ex dicen-
4 dis. Deinde poteſt ab eodem Cappellano renunciari ad
libitum ſine licentia Superioris. Riccius *in praxi par.2. reſolut.482.* Alphonſus de Leone *de officio Cappellani quæſt.3. num.81.* poteſt quoque ad libitum auferri à Superiore Regulari, & dari Sacerdoti Seculari, etiam ſine cauſa, non ſolùm ſemel, ſed pluries. Garſias *de beneficijs, par.1. cap.2. num.85.* Gutierez *lib.3. pract. qu.11.* Perez *de anniuerſarijs, & Cappellanijs lib.2. num.19.* Alphonſus de Leone *quæſt.3. num.56.*

Prætereà, mortuo, aut abſente Cappellano Regulari prædicto, debet alteri dari. Denique ſi capitale datum abſumatur in totum, vel pro parte; poteſt Cappellanus
in totum, vel pro parte, ceſſare à celebratione. Ratio eſt,
5 quia vt docet Layman *lib.4. tract.2. c.4. n.6.* Cappellania
amouibilis, eſt merè tẽporale ſtipendium Sacellani; ergo ſicuti ad libitũ poteſt famulus dimitti, ita & Sacellanus.

Vides ergo, quantum ſit diſcrimen inter onus Miſſæ perpetuæ acceptatum à Monaſterio, & Cappellaniam amouibilem vni Religioſo datam. Ergo Bulla prædicta non extenditur ad Cappellaniam amouibilem.

Tertia differentia eſt, quia capitale datum pro Miſſa perpetua; nequit alienari ſine aſſenſu Apoſtolico, vt dicitur in dicta Bulla: At capitale datum, vel relictum pro Cappellania amouibili, poteſt alienari, ſine authoritate Apoſtolica, aut alia ſolemnitate. Ricc. *in prax. t.1. dec.82.*

Quarta differentia, nulla eſt acceptatio Miſſæ perpe-
tuæ, facta à Superiore Regulari, ſine conſenſu Capituli;
6 nam in grauioribus negotijs, tenetur conuocare Capitu-
lum; abſque quo nequit Monaſterium obligare; excederet enim limites ſuæ poteſtatis; vnde nullus eſſet contractus, *cap. nouit vbi gloſa de his quæ fiunt à Prælato.* Archid. *in c. fin. de elect. in 6.* Innoc. & Abbas *in c. olim de priuileg.* Syluest. *V. Religio 8. quæſt.3.* Geminianus *conſ. 135. circa finem, verſ. item quacumq;* Romanus *conſ.369. num.21.* Peregrinus *in conſtitutiones Clericorum Regularium par.3. cap.9. lit.K. §.2.* Sanchez *in Sum. lib.7. c.31.*

Quæſtiones P. Verricelli.

num.10. Lugo *de Iuſt. diſp.3. num.218.*

At Cappellania amouibilis poteſt à Superiore Regulari, dari vni Religioſo, ſine Monaſterij conſenſu; nam ex illa non obligatur Monaſterium; ergo etiam à pari, poterit dari ſine licentia Patris Generalis.

Quinta differentia eſt; nam ad Miſſam perpetuam, tota communitas Monaſterij obligatur: At ad Cappellaniæ amouibilis Miſſam; tantùm ille Religioſus, qui eſt Cappellanus; vnde ſi hic malitioſè omittat celebrare, non tenetur Monaſterium; niſi quatenus ex fructibus Cappellaniæ, factum eſt locupletius, iuxta ea, quæ docent Sanchez *in Summa lib.7. cap.31. num.11.* Lugo *de Iuſtitia diſp.3. num.218.*

Ergo cùm obligatio Cappellaniæ, non tangat Monaſterium non habet locum Bulla puniens Superiorem Regularem, obligantem Monaſterium ad onera perpetua Miſſarum.

Sexta differentia eſt, quia Miſſa perpetua quotidie celebranda eſt a Monaſterio.

7 Cappellanus autem iſte amouibilis, poteſt ſemel abſtinere in hebdomada, neque tenetur per alium ſupplere. Diana *par.2. tract.14. reſol.28.* ſic neque tenetur ſi ſit infirmus per decem, aut quindecim dies, idem Diana *reſol.27.* imò probabile eſſe per duos menſes, ait Cardin. Lugo *de Euchar. diſp.21. ſect.2. in fine.*

Euidentiſſimè itaque patet ex dictis, per hanc Cappellaniam amouibilem non obligari Monaſterium, neque irreuocabiliter aliquod onus perpetuum illi impoſitum; Ergo non requiritur licentia P. Generalis, neque iſte Superior Regularis incidit in pœnas Bullæ, quæ non loquitur de Cappellania amouibili.

QVÆSTIO XLVI.

An Papa teneatur ſpiritualibus, ac temporalibus armis, perſequi inuadentes terras, Eccleſiæ immediatè, vel mediatè ſubiectas?

SVMMARIVM.

Prælati reſiſtere debent raptoribus, & tyrannis. num.1.

Neapolitanum Regnum eſt Patrimonium Beati Petri. nu.2.

Papa tamquam ſuſpectus recuſari nequit. num.3.

Exempla Pontificum, qui Neapolitanum Regnum iniuſtè inuadentes coercuerunt. num.4.

Dominus tenetur iuuare vaſſallum habentem iuſtum bellum, præſertim defenſiuum, pro feudo. num.5.

RESpondetur affirmatiuè.

Quoad primum Probatur ex doctrina S. Thomæ 2.2. *qu.40. art.2. ad 1.* vbi ait: *Prælati reſiſtere debent, non ſolùm lupis, qui ſpiritualiter interficiũt; ſed etiam raptoribus & tyrannis, qui corporaliter vexant; non autẽ materialibus armis, in propria perſona vtendo, ſed ſpiritualibus, & contra pertinaces excommunicationis ſententia,* ita S. Thomas.

2 Præterea id patet, nam Terræ, ac Regna Eccleſiæ mediatè ſubiecta ſunt patrimoniũ B. Petri, vt eſt euidens; vnde pro Regno Neapolitano ſinguli Reges à Sede Apoſtolica inueſtituram acceperunt, quorum Primus Robertus Guiſcardus Normannus à Nicolao II. inueſtituram accepit, refert Baron. *anno 1059. §.68.* & ſucceſſiuè omnes alij Reges, iuramentum fidelitatis pro eo Regno

præstiterunt Sedi Apostolicæ, vt ostendit Martha *de iurisdictione par.1. cap.26.* Ergo cùm Regnum Neapolitanum sit Patrimonium Beati Petri, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, illud iniustè inuadentes; ad supremum autem Ecclesiæ pastorem spectat declarare,
3 eos excommunicatos. Neque tamquam suspectus poterit recusari, nam eius potestas est de iure diuino, & est supremus Iudex omnium fidelium, & Princeps Regum terræ; quarè etiam si in causa propria iudicet, vt suspectus recusari non potest, Glosa *in c.1. de concess. prab. in 6.* Doctores *in c. postremò de appellat.* Hostiens. Io. Andreas Abbas, & Barbatia *in cap. querelam de electione*.

4 Denique idem firmatur exemplis, nam Nicolaus II. excommunicauit Robertum Guiscardum Normannum, qui Apuliæ, & Calabriæ Ecclesiæ terras occupauerat, eiusdem tamen precibus inclinatus inuestituram concessit. Baron. *anno* 1059. §.68.

Gregorius VII. eundem Robertum excommunicauit, eò quòd Campaniæ, terras Ecclesiæ vsurpauerat, Baron. *anno* 1074. §.41.

Innocentius III. excommunicauit, & imperio deiecit Otthonem IV. Imperatorem, eò quòd aliquas terras Neapolitani Regni, occupauerat Friderico II. Sigonius *lib* 15. Emilius *lib.6.*

Gregorius IX. excommunicauit Henricum, qui patri suo Friderico Imperatori, vsurpauerat Regnum Neapolitanum, quamuis Henricus esset legitimus successor Patris, ac Iuratus, & electus Rex Romanorum.

Martinus IV. excommunicauit, ac Regnis Aragoniæ, & Valentiæ priuauit Petrum Regem, qui Siculum Regnum occupauerat, quamuis ius haberet ad successionem; propter matrimonium contractum, cum Constantia Manfredi filia, atque à Populo, eiecto Gallorum iugo, in Siculo Vespere, vocatus esset ad Regnum. Platina *in Vita Martini*.

Nicolaus IV. præcepit Alphonso III. Regi Aragoniæ, vt liberaret Carolum filium primogenitum Regis Siciliæ, iniusto bello captum, neque adiuuaret Iacobum, eiusque fratrem, aliosque Insulæ Siciliæ occupatores, ac intra sex menses Romam veniret, Sedis Apostolicæ accepturus mandata; alioquin sciret se spiritualibus, ac temporalibus armis feriendum.

Probatur quoad secũdum, nam Papa est directus Dominus Regni Neapolitani, & Rex est ipsius vasallus, at
5 dominus tenetur iuuare vasallum habentem iustum bellum, præsertim defensiuum pro feudo, quod obtinet, vt docent communiter Doctores omnes Glosa *in cap.1. verbo fratrem*, vbi Aluarotus *num.5. in tit. hic finitur lex, & ibidem* Præpositus *col.2.* Albertus Brunus, *cons.176. vers. & posset, & cons.155. vers. fortè*, Iacobus de Leonardis *inter consilia Bruni cons.117. num.152.* vbi asserit communem, Clarus §. *feudum quæst.27.* & communem testatur Decius, *cons.469. num.4.* Alex. *cons.15. num.5. vol.5.* Iacobinus de Sancto Georgio *in inuestitura verbo, promiserunt eidem Domino præstare seruitia*, Hieron. Gratus *cons.10. num.16. vol.1.*

Ratio est, quia tenetur dominus reddere vicem vassallo, & sicut iste tenetur ferre auxilium domino, ita vicissim dominus; vt dicitur *in cap.1. de forma fidelitatis*, ibi: *Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet, quod si non fecerit meritò censebitur malefidus, idem habetur in cap. de forma 22. quæst.5.* Isernia *in l. imperialem in fine de prohib. Feudi alien. per Federicum*. Aluarot. *in cap.1. §. præterea 2. notab. quid sit inuest.* Afflictus *decis.265. num.1.* Aluarot. & Marin. Laudens. *in cap.1. §. fin. in tit. hic finitur lex*; Marianus Soccinus Iunior *cons.77. num.144. vol.1.* Bal. *cons.97. vol.3.* Alex. *cons.15. num.5. vol.5.* Ruinus *cons.61. num.15. vol.1.* Albert. Brunus *cons.169. & 185.* Iacobus de Leonardis *inter Consilia Bruni cons.112.* & alij communiter.

QVÆSTIO XLVII.

An peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem fructuum obtinens beneficium simplex, ac modicum, vt duorum aureorum, qui publicè non incedit in habitu, & tonsura?

SVMMARIVM.

Mortaliter peccat obtinens beneficium simplex, quantumuis modicum, si non incedat in habitu, & tonsura. numer.1. & 3.

Clericus minorum ordinum venialiter peccat, si non incedat in habitu, & tonsura. num.2.

Collatio beneficij facta ei, qui actu non est ordinatus, neque incedit in habitu, & tonsura, est ipso iure nulla. nu.4.

Habens beneficium duorum aureorum, gaudet priuilegio fori, quamuis non incedat in habitu, & tonsura. num.5.

Non obstante constitut. Sixti V. dum de facto non est priuatus beneficio. num.6.

Probabile est, modicum beneficium non obligare ad Horas canonicas. num.7.

Beneficiarius non incedens in habitu, & tonsura, non tenetur ad restitutionem fructuum. num.8.

Bulla Sixti V. quod beneficiarius non incedens in habitu Clericali, sit ipso facto priuatus beneficio, fortè non est vsu recepta. num.9.

Quando dubium est, an lex sit vsu recepta, probabile est eam non obligare. num.10.

1 AD primum dubium respondetur mortaliter peccare; quamuis enim probabile sit Clericum mi-
2 norum ordinum non incedentem in habitu, & tonsura peccare venialiter. Sotus *in 4. dist. 24. qu.2. art.1. concl. 2.* Syluester *verbo Clericus 2. §.2.* Armilla *num.11.* Angelus *eodem verbo 4. num.1.* Diana *par.5. tract.5. resol.60.*
3 tamen quoad beneficiarium, etiam si simplex beneficium obtineat, omnes docent peccare mortaliter, non distinguentes si beneficium sit magni aut parui valoris, Ita Sotus *de Iust. lib.10. quæst.5. art.6.* Nauar. *cap.25. num.118. in fine*, Reginaldus *lib.30. tract.3. num.185.* Filluccius *tom.3. tractat.41. cap.6. numer.14.* Molfesius *tract.6. cap.8. num.77.*

Ratio est, quia sacri Canones, ac Summi Pontifices, præsertim Sixtus V. in Bulla 30. *incip. Cùm Sacrosanctum*, quam ponit, & explicat Viualdus *in fine sui candelabri aurei*, id seuerè, & sub grauibus pœnis præcipiunt, etiam quoad simplices beneficiarios. Imò collatio beneficij simplicis facta illi, qui actu non incedit in habitu, & tonsura, est ipso iure nulla, & si deinde habitum dimittat ipso facto priuatus est beneficio simplici, vt ex Const. Sixti V. mox dicam. Neque refert beneficium esse modicum, & duorum aureorum, nam illud est verum, ac propriũ beneficium, & tribuit priuilegium fori Clerico minorũ ordinum;

dinum; quamuis non seruet requisita Tridentini, vt si nō inseruiat Ecclesiæ, neque incedat in habitu, & tonsura, ita à sacra Congregatione declaratum 18. *Martij* 1628. refert Sellius *canon. qq. cap.* 18. *nu.* 3. Barbosa *in Trident. sess.* 23. *de reformat. cap.* 6. *num.* 17. Garsias *de beneficijs*
6 *par.* 2. *num.* 3. quòd (vt ait Garsias *nu.* 5.) procedit, etiam stante Constitutione Sixti V. nam adhuc Clerici beneficiati, non incedentes in habitu, & tonsura gaudent priuilegio fori; dum de facto non sunt priuati, & retinent beneficium, & sunt in possessione illius de facto, adhuc enim effectum sufficit, habere beneficium de facto, & sola possessio, seu intrusio in beneficio: ergo si modicum beneficium tribuit priuilegium fori, mirum non est, si modicum beneficium inferat obligationem status, & habitus Clericalis. Adde beneficium simplex dari Clerico pauperi; ergo debet esse in statu, & habitu Clericali.
7 Dices probabile est, modicum beneficium non obligare ad Horas canonicas, vt rectè probat post alios, Diana *par.* 2. *tract.* 12. *resol.* 9. *& par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 25. ergo neque modicitas beneficij obligat ad delationem habitus clericalis.

Respondetur disparitas est, quia ad obligationem Horarum canonicarum requiritur sufficiens sustentatio ex redditibus beneficij; qui enim Altari seruit, de altari viuere debet 1. *Cor.* 9. At ad obligationem habitus clericalis impertinens est sufficiens sustentatio, sed ea annexa est ad statum Clericalem, qui adeò necessarius est ad quodcumque, quamuis tenuissimum, & simplex beneficium; vt collatio ipsius sit ipso iure nulla, si tempore collationis, non sit ordinatus, & non incedat in habitu clericali, vt docent omnes *locis citatis*.
8 Ad secundum dubium respondetur, non teneri ad restitutionem fructuum, ita expressè Nauarrus *cap.* 25. *num.* 118. *in fine*.
9 Ratio est, quia quamuis ex Constit. Sixti V. 30. *incip. Cùm sacrosanctum*, Clericus beneficiatus, etiamsi beneficium sit simplex, non incedens in habitu, & tonsura, sit ipso facto priuatus beneficio, & eius collatio deuoluatur ad sedem Apostolicam, prout ex dicta Bulla, docent Azorius *par.* 2. *lib.* 7. *c.* 17. *q.* 1. *vers.* 14. *crimen*, Filliuccius *tom.* 3. *tract.* 41. *numer.* 15. Barbosa *de potestate Episcopi, alleg.* 57. *num.* 217. Castropalaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *pun.* 8. *num.* 19. tamen dubium est, an dicta Bulla sit vsu recepta quoad hanc partem, vt beneficiarius non incedens in habitu clericali sit ipso facto priuatus beneficio,
10 vt ait Garsias *de beneficijs, par.* 7. *c.* 1. *numer.* 24. quando autem dubium est, an lex sit vsu recepta, tunc probabile est, eam non obligare, ita Azorius *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *qu.* 12. Diana *par.* 1. *trac.* 3. *resol.* 3.

QVÆSTIO XLVIII.

An Regulares incurrant suspensionem, si contra Episcopi edictum, audiant mulierum confessiones in priuatis domibus?

SVMMARIVM.

Negant aliqui num. 2. *sed probabilius affirmandum. num.* 5.
Regulares non comprehenduntur in generali edicto Episcopi, nisi exprimant. num. 1.
Nequit Episcopus restringere priuilegia Regularium. nu. 3.
An possit Episcopus prohibere Regularibus, ne in alienis Ecclesijs confessiones audiant? num. 4. *&* 10.
An validè, vel inualidè Episcopus approbat Regulares cum limitatione quoad tempus, locum, & personas, sine iusta causa. num. 6.
Cum causa omnes docent licitè, & validè posse approbare cum limitatione. num. 7.
Episcopus cum causa spectante ad confessiones, potest reuocare Regularibus licentiam eas excipiendi. num. 8.
Potest Episcopus approbare Regulares iuuenes, quoad homines tantùm. num. 9.
Quando poterit Regularis audire confessiones mulierum in priuatis domibus? num. 11.

1 SVppono Episcopum expressè id Regularibus quoq; prohibuisse, sub pœna suspensionis, ipso facto incurrenda; alioquin ipsos vtpotè exemptos non comprehendi in generali loquutione, rectè docent Riccius *in praxi resol.* 210. & Cespedes *de exemptionem Regularium dub.* 147. *num.* 2. hoc supposito.
2 Negant aliqui, posse Episcopum præcipere Regularibus, ne extra Ecclesiam in priuatis domibus audiant earum confessiones, ita sentiunt Bordonus *in consilijs Regular. resol.* 36. *numer.* 34. & Cespides *dicto dub.* 147. *num.* 7. *&* 8. Pasqualigus *quæst.* 198.
3 Probant primò, quia nequit Episcopus restringere priuilegia Regularium à Sede Apostolica ipsis concessa, Vgolinus *de potestate Episcopi, par.* 1. *c.* 20. §. 10. *nu.* 2. Grassus *cons.* 6. *de pœnit.* Sed Regulares à iure habent priuilegium audiendi fidelium confessiones in tota Diœcesi *clem. dudum de sepulturis*, & ostendit Pasqualigus *in qq. canonicis*, *q.* 198. *num.* 5. imò vt refert Villalob. *to.* 1. *tr.* 9. *diffic.* 54. *in fine*, Pius V. concessit Religiosis priuilegium, *Vt possent audire confessiones extra Conuentum vbicumque vellent*; ergo non potest eorum facultas restringi, vt nequeant audire mulierum confessiones extra Ecclesiam in priuatis domibus.

Secundò, quia priuilegium audiendi confessiones Regularibus concessum, est personale, neque affixum loco Ecclesiæ Regularium; ergo eo vti poterunt in omni loco eius Diœcesis, in qua sunt approbati, vt docent Miranda *in manuali Prælatorum, tom.* 1. *quæst.* 45. *art.* 14. *concl.* 3. Villalob. *in Summ. tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 54. *num.* 2. Hieronymus Rodriquez *in compendio qq. Regular, resol.* 32.
4 *num.* 16. Pasqualigus *dicta q.* 198. *num.* 3. *&* 4. qui ex hoc probat non posse Episcopos prohibere Regulares, ne in alienis Ecclesijs confessiones Secularium audiant; ergo neque poterit prohibere ne extra Ecclesiam in priuatis domibus audiant confessiones mulierum.
5 His tamen non obstantibus respondeo incurrere Regulares suspensionem positam in Episcopi edicto, si contra eius prohibitionem audiant mulierum confessiones in priuatis domibus.
6 Probatur, quia quicquid sit, an validè, vel inualidè sine iusta causa Episcopus approbet Regulares ad confessiones cum limitatione quoad tempus, locum, & personas; aliqui enim docent inualidam esse eam limitationem, si desit iusta causa, ita Rodriquez *qq. Regularium tom.* 1. *q.* 59. *art.* 8. Miranda *in manuali Prælatorum, to.* 1. *qu.* 45. *art.* 10. Lezana *in Sum. qq. regular. cap.* 19. *num.* 8. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. *&* 9. Vega *in Summa to.* 1. *cap.* 62. *casu* 7. Portel *verbo Confessor. num.* 3. Villalobos *in Summa, tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 53. *num.* 2. alij verò dicunt

cunt illicitè, sed validè eam limitationem ab Episcopis fieri, deficiente iusta causa, ita Cardinalis Lugo *de pœ-*
7 *nit. disput.* 21. *sect.* 3. *num.* 6. Tamen omnes vno ore docent, iusta existente causa posse Episcopum validè, & licitè approbare Regulares cum limitatione quoad tempus, locum, & personas, ita Suarez *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 7. *dub.* 6. Vasq. 3. *p. qu.* 93. *art.* 3. *dub.* 5. *num.* 4. Nauarrus *in manuali, cap.* 4. *num.* 10. & 11. Guttierez *canon. qq. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 18. & 19. Rodriquez *qq. regular. tom.* 1. *quæst.* 59. *art.* 8. Miranda *in manuali Prælatorum, tom.* 1. *qu.* 45. *art.* 10. *concl.* 1. Homobonus *de exam. Ecclesiast. par.* 1. *tract.* 5. *cap.* 3. *qu.* 17. Vgolinus *de potestate Episcopi par.* 1. *cap.* 20. *num.* 6. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 53. *num.* 2. Fagundez *precept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *nu.* 17. Cenedo *canonic. qq. lib.* 1. *qu.* 38. *num.* 21. & 22. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 25. & *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 200. Cardinalis Lugo *de pœnitentia, disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 57. id autem patet, quia *ex elem. dudum de sepulturis*, potest Episcopus ex causa reprobare Regularem: ergo etiam ex causa iusta poterit approbare cum limitatione. Prætere-
8 rea potest Episcopus Regularibus reuocare licentiam audiendi confessiones, non ex libito, sed ex iusta causa spectante ad confessiones, prout decreuit sacra Congregatio 20. *Nouembris* 1615. quod Decretum afferunt Gauantus *in manuali Episcoporum, verbo Confessor, n.* 23. & 24. & Barbosa *de potestate Episcopi, allegat.* 25. *nu.* 30. & docet Grassius *consil.* 6. *num.* 26. & 27. *de pœnit.* ergo si ex iusta causa potest reuocari licentia Regulari concessa, poterit eadem ex iusta causa cū limitatione concedi.

Quod autem ex iusta causa, Episcopus limitet approbationem Regularium, prohibendo ne extra Ecclesiam, in priuatis domibus audiant mulierum confessiones, satis apparet; cùm conueniens, ac necessarium sit tantùm pœnitentiæ Sacramentum, cum omni decentia, & absq; vlla turpitudinis, vel leui suspitione, administrari. Episcopus enim in Regularium approbatione non tantùm
9 scientiam, & doctrinam, sed multò magis ad ipsorum prudentiam, ad bonitatem spectare debet; vnde potest quoque Regulares iuuenes, seu non habentes ætatem quadraginta annorum approbare cum limitatione, quoad viros tantùm, vt docent communiter Doctores, & praxis obseruat, ita Suarez *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 7. *dub.* 6. *in fine*, Fagundez *præc.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 17. Cardinal. Lugo *de pœnit. disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 57. Miranda *in manuali Prælat. tom.* 1. *qu* 45. *art.* 10. ergo poterit quoque prohibere ne Regulares mulierum confessiones in priuatis domibus audiant; nisi istæ essent infirmæ, quæ non possent commodè Ecclesiam adire; vtrumque enim respicit honestam huius Sacramenti administrationem.

Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

Ad primum respondetur, non posse Episcopum sine causa restringere Regularium priuilegia audiendi confessiones vbicumque eis libuerit in tota Diœcesi; at verò poterit cum causa.

10 Ad secundum respondetur eodem modo; quare rectè ait Pasqualigus: non posse Episcopum prohibere ne Regulares in alienis Ecclesiis audiant confessiones, si habuerint licentiam ab Ecclesiæ Rectore, aut rationabiliter præsumant eos ratum habere: Sed poterit prohibere ne audiant Rectoribus inuitis, aut sine licentia, saltem rationabiliter præsumpta; adest enim tunc iusta causa euitandi scandala, odia, atque turbationes Ecclesiasticorum.

11 Aduerto autem non requiri grauem infirmitatem, vt possit Regularis audire confessionem mulierum in priuatis domibus; sed sufficit talis infirmitas, quæ attenta personæ circumstantia prohibeat commodum accessum ad Ecclesiam; vnde minor infirmitas excusat in delicatis, ac nobilibus fœminis, quàm in cæteris. Neque requiritur vt longo tempore nequeat Ecclesiam adire, sufficit si eo die, non possit ad Ecclesiam accedere, vt patet ex doctrina Mendozæ 2. 2. *disp.* 173. *sect.* 17. §. 224. vbi ait: sufficientem causam petendi Sacramentum ab indignè ministraturo esse, ne eas cubitum cum peccato mortali; ergo à pari ne vnica die mulier maneat in peccato, aut cum graui scrupulorum cruciatu, licitum erit eius confessionem domi audire, si nequeat eo die ad Ecclesiam accedere. Pari ratione excusantur, si ex graui senectute nequeat mulier ad Ecclesiam commodè adire, vt habetur in decisionibus sacræ Congregationis *Apud collectas per Farinacium par.* 4. *in Trident. sess.* 23. *de reformat. cap.* 15. eadem ratione excusatur si alia ex causa prohibeatur mulieri accessus ad Ecclesiam; vt si non habeat decentes vestes; aut ex loci consuetudine vidua certo tempore domi se contineat.

Aduerto secundò, quòd quamuis olim non poterant Episcopi excōmunicare, aut alijs censuris punire Regulares, vt patet ex priuilegijs Clericorum Regul. *V. excommunicatio*, etiamsi possent eos alijs pœnis in aliquibus casibus punire, vt docet Sanchez *lib.* 2. *Sum. cap.* 1. *n.* 14. & Cespedes *de exemptione Regularibus dub.* 277. tamen hodie per constitutionē Gregorij XV. *incip. Inscrutabili*, possunt Episcopi excommunicare alijsque censuris punire Regulares administrantes Sacramentum pœnitentiæ, sine debita licentia, vt notat idem Cespedes *vbi suprà num.* 3. aut si aliter delinquant in administratione Sacramenti pœnitentiæ, vt benè docet idem Cespedes *dubio* 293. *num.* 3. Præterea nulli dubium est: posse suspendere à confessionibus audiendis Regulares delinquentes in administratione Sacramenti pœnitentiæ, vt probat Grassius *consil.* 6. *num.* 26. & 27. *de pænit.*

QVÆSTIO XLIX.

An valeat baptismus, si prolata forma, immediatè post, aut parua interiecta morula, abluatur infans? vel è contra?

SVMMARIVM.

Negant aliqui, asserentes requiri, vt secundùm aliquam partem forma physicè coexistat cum materia. num. 1.

Affirmant aly. num. 2.

Nequit propositio dici vera, nisi ea finita, sit conformis obiecto. num. 3.

Mortaliter peccat Sacerdos, quando abluit immediatè post prolationem formæ, nam exponit periculo salutem baptizati. num. 4.

1 NEgant aliqui dicentes requiri coniunctionem moralem, inter materiam, & formam Sacramenti, ita tamen, vt secundùm aliquam partem forma physicè coexistat cum materia, ita Scotus *in* 4. *dist.* 6. *qu.* 3. Gabriel *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 8. Riccard. *dist.* 3. *art.* 4. *qu.* 1. Basfolis *dist.* 15. *qu.* 1. *art.* 2. Perez 3. *p. qu.* 66. *art.* 8. *num.* 3.

Syls.

Sylv. *V. baptismus* 5.§.2. Caietan. *tom.* 1. *opusc. tract.* 26. Nauar. c.22. *num.* 7. Zambranus *de casibus occurrentibus tempore mortis*, c.2. *dub.* 2. *dicto* 2.

Probatur primò, nam finita forma: *Accipe potestatem* (eadem enim ratio est de baptismo, ac de ordine) antequam Episcopus tradat calicem, vel est, vel non est impressus character, & collata potestas ordinis: Si primum: ergo confertur effectus Sacramenti, absque materia: si secundum; ergo forma est falsa; nam significat, quod non efficit; nam verba illa clarè significant potestatem ordinis; ergo si finita forma non confertur potestas, verba illa non efficiunt, quod significant.

Confirmatur, nam ex veritate verborum Sacramentalium, ea debent esse vera in toto rigore de præsenti; ad quod necesse est, quod verificentur pro tempore, seu instanti præsenti ipsi loquutioni; in opposita autem sententia verba non verificarentur pro instanti præsenti, sed futuro, postquam loquutus est Sacerdos.

Confirmatur secundò, nam si finita forma immediatè post posset ablui, sequeretur, quod verba de præsenti, quando actu completur eorum prolatio, non essent vera, sed indifferentia ad falsitatem, & veritatem; quia non sequuta ablutione, vtique fuissent falsa, sequuta autem illa fuissent vera; ergo debet esse coexistentia phisica prolationis verborum ac ablutionis.

Confirmatur tertiò, quia forma in Sacramentis adhibetur ad expressam, & completam significationem Sacramenti; ergo in instanti terminatiuo formæ, debet esse completa significatio; atq; adeò productus effectus; cùm verba efficiant, quod significant.

Probatur secundò, quia inualidè quis consecraret dicens, *Hoc est corpus meum*, si immediatè post prolationem verborum Panis incipiat esse præsens; ergo inualidè baptizat dicens: *Ego te baptizo*, si immediatè post prolationem verborum incipiat ablutio. Consequentia probatur, quia non magis ly *Hoc* significat, seu demonstrat præsentem materiam in eo instanti, in quo pronunciatur, quam ly *Baptizo* demonstrat præsentem ablutionem in eo instanti, in quo profertur.

Probatur tertiò dicens: *Ego te baptizabo*, si immediatè post abluat, verè, & propriè loquitur: ergo dicens: *Ego te baptizo*, si in eo instanti non abluat, neque verè, neque propriè loquitur.

2 His tamen non obstantibus, verior videtur sententia affirmans validè esse hunc baptizatum, ita docent Sotus *in* 4. *dist.* 3. *art.* 4. Suarez *de Sacram. disp.* 2. *sect.* 2. *in fine*, Bonacina *de Sacram. in genere, disp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 2. *num.* 2. Sayrus *de Sacram. lib.* 1. c.4. *num.* 7. Coninch 3.*p. qu.* 60. *artic.* 6. *nu.* 40. Victoria *de baptismo, num. vlt.* Henriquez *lib.* 1. *cap* 9. *num.* 10. Villalobos *in Summ. tom.* 1. *tract.* 4. *diffic.* 2. *num.* 6. Layman *lib.* 5. *tract.* 2. c.7. *num.* 5.

Hæc autem morula inter prolationem formæ, & ablutionem debet esse breuissima, quare falsa videtur sententia, Fernandez de Hæredia *disp. de Sacram. in genere, p.* 6. *dub.* 2. *nu.* 8. quam meritò Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 6. vocat nimis laxam, nempè eam morulam, posse esse orationis Dominicæ.

3 Probatur primò, veritas verborum formæ attendenda est finita prolatione formæ, seu nequit propositio dici vera, nisi ea finita sit conformis obiecto; ergo verè dicit Sacerdos, *Ego te baptizo*, si immediatè post abluat. Antecedens probatur, quia antequam finiatur prolatio propositionis, adhuc non est propositio; ergo nequit dici vera vel falsa; ergo finita propositione attendendum est, an sit conformis, vel difformis obiecto, seu, an sit vera, vel falsa.

Confirmatur, quia antequam completur, seu completa sit prolatio formæ, potest illi aliquod addi, reddens eam falsam v.g. *Hic est Calix Sanguinis meilindi* pro *mei*: hæc forma, seu propositio est falsa, propter additionem *lindi*, quæ additio variat sensum *mei*; ergo vt propositio, seu forma sit vera debet esse perfectissimè completa, & finita omnino eius prolatio, vt nequeat aliquid addi; ergo vera est propositio, *Ego te baptizo*, si immediatè post abluat, quia finita propositione, adest conformitas cum obiecto.

Probatur secundò, quia propositio debet esse vera pro ea temporis circumstantia, quæ per verbum exprimitur Arist. 3. *de anima tex.* 22. Sed propositio de præsenti non exprimit circumstantiam instantis indiuisibilis terminatis propositionem (esto quòd darentur puncta indiuisibilia terminatiua, quæ probabilius communiter Philosophi negant) neque respicit breuem partem temporis vltimæ syllabæ propositionis; sed respicit breuem partem temporis, seu breuem morulam, quæ sequitur finita prolatione propositionis; ergo post finitam propositionem attendendam est eius veritas, & sic tunc vera est, si finita ipsa, mox Sacerdos abluat. Probo primam partem minoris; quia propositio significat humano modo, & sensibili, nam non significat ad Angelos, sed ad homines, qui sensibiliter cognoscunt; ergo non significat instans aliquod insensibile seu punctum indiuisibile terminatiuum, seu quod nequeat homo sensibiliter cognoscere; nam nequiret homo cognoscere eius veritatem; cùm nequeat cognoscere instans terminatiuum insensibile; esto quòd darentur huiusmodi indiuisibilia puncta terminatiua, quæ probabilius negantur.

Probo, quod neque propositio significat tempus præsens, id est vltimam partem breuis temporis, seu breuem morulam vltimæ syllabæ; nam quando profertur vltima syllaba, adhuc propositio est indifferens ad falsitatem, & veritatem; quia adhuc est in proferri, & adhuc potest variari aliquo addito, vt in superiori exemplo *meilindi*, pro *mei*, ergo propositio non significat tempus præsens nempè tempus cùm profertur vltima syllaba.

Ergo significat breuem morulam post vltimam syllabam tum, quia hæc breuis morula sequens propositionem dicitur moraliter præsens; nam est veluti contingua, seu contingit propositionem profectè prolatam.

Probatur tertiò, nam significatio verborum formæ Sacramentalis, attendenda est ex communi vsu loquendi; sed ex communi vsu loquendi, verè quis dicit: *Ego abluo*, si immediatè post abluat; sicut verè dicit. Ego soleo, ego bibo, si immediatè post taceat, aut bibat, verè dicit ego nunc soluo, si immediatè post porrigat pecuniam; ergo &c. tum quia vt docet Becanus *de Euchar. cap.* 17. *quæst.* 5. *num.* 6. cùm Christus dixit: *Hic est Sanguis meus*, per *Hic* non intellexit vinum, alioquin debuisset dicere *Hoc* est sanguis meus, sed intellexit sanguinem; ergo verba propositionis significant pro tempore finitæ, & completæ pronunciationis propositionis, nam sanguis Christi incipit esse præsens finita forma.

Confirmatur, quia non est verisimile Christum Sacramenta phisico rigori adstringere voluisse, sed ea humano vsui accomodasse.

Ad primum itaque argumentum contrarium, & eius

Con-

confirmationem respondetur, quòd quamuis in rigore physico non sit præsens ablutio loquutioni, nisi coexistat cum instanti terminatiuo intrinseco formæ; tamen moraliter, & ex communi vsu loquendi, quo modo significant formæ sacramentales, quæ debent significare sensibiliter, & humano modo, est præsens ablutio formæ, si immediatè post, breui morula, sequatur.

Ad secundum respondetur disparitas est, quia ly *hoc* demonstrat rem actu præsentem; at verbum *baptizo*, demonstrat ablutionem mox sequentem, vt probaui ex communi acceptione, & vsu loquendi.

Ad tertium respondetur, quòd in rigore physico, transeat, quod deberet dicere: *Ego te baptizabo*, tamen cum verba significent humano modo, ac sensibiliter, & iuxta communem vsum loquendi, verè dicit; *Ego te baptizo*, si immediatè post prolationem verbi, baptizet.

4 Aduerto autem peccare mortaliter Sacerdotem, qui tali periculo inualiditatis Sacramenti se exponit, nam vt alibi dixi, in Sacramentorum administratione, non sufficit sequi opinionem probabilem, omissa via tuta: non ergo debet exponere periculo salutem proximi, stante varietate opinionum, sed debet simul formam proferre, & materiam ministrare abluendo,

---

QVÆSTIO L.

An possit Statutum trahi ad præteritos contractus, præsertim si expresè de illis disponat?

SVMMARIVM.

Responsio negatiua. num.1.
Lex non se extendit ad præterita. num.2.
Statutum non trahitur ad præterita, quando iam cessit dies debiti, licèt non sit facta solutio. num.3.
Constitutio taxans pretium census, non extenditur ad præteritos contractus. num.4.
Nouum statutum nunquam tollit ius alteri quæsitum. nu.5.
Lex se extendit ad præterita, quando expresè & nominatim comprehendit præterita. num.6.
Solus supremus Princeps potest legem ferre, quæ se trahat ad præterita negotia, adhuc pendentia. num.7.
Solus supremus Princeps potest tollere ius alteri quæsitum. numer.8.
Lex se extendens ad præterita, est cōtra ius commune. n.9.
Solus supremus Princeps potest condere legem contra ius commune. num.10.
Lex noua extenditur ad præterita, quando est in materia, antiqua lege prohibita. num.11.
Lex non acceptata non obligat. num.12.
Lex declaratiua antiqua, trahitur ad præterita. num.13.
Nisi antiqua lex haberet in ea parte communem obseruantiam in contrarium. num.14.

PRæses Prouinciæ *anno* 1648. taxauit pretium frumenti tribus aureis, quæ taxa non fuit acceptata à Populo, nec obseruata; interim factæ sunt plures emptiones pro maiori pretio, quarum adhuc pendet solutio; nunc *anno* 1649. iterùm taxat tribus aureis pretium frumenti; præcipiens ne plusquam tribus aureis soluatur frumentum emptum *ab anno* 1648. Quæritur an sit iustum, & validum præceptum?

1 Respondetur negatiuè. Probatur, quia adueniens taxa frumenti nequit se extendere ad frumentum anteà
2 emptum; lex enim noua respicit futura negotia non præterita, *l. leges 7. C. de legibus*, vbi glosa ait: quòd si agitur de contractu inito ante legem, tunc antiqua seruatur lex, *cap. fin. de constitutionibus*, vbi Butrius *num.15.* & Felinus *num.2.* Glosa *in cap. licet canon, Verbo de cætero de electione in 6.* Puteus *decis.407. nu.2. lib.1.* Gayllus *lib.2. obseruat.9. num.3.* Mangonius *decis. Lucensi* 88. *num.1.* Farinacius *in fragmentis, par.2. Verbo lex nu.26.* Matienz. *lib.5. recop. tit.10. lib.3. glosa* 16. Suarez *de Legibus, lib.3. cap.14. num.8. & 12.* Salas *de legibus disp.21. sect.7. num.18.* Eman. Sà *Verbo lex, num.22.* vbi ait: *Lex sequens non tollit factum præteritum, etiam si huius effectus pendeat ex futuro*. Et in quocumque statuto, ait Principis constitutione, quando causa, & obligatio sunt ante statutum, non trahitur ad præterita, Bald. *cons.407. nu. 14. vol.1.* Roman. 252. *nu.3. vers. ætermum, & cons.277. nu.4. vers. quoad secundum*, vnde idem Baldus *cons.443.*
3 *in fine vol.2.* ait: *Statutum non trahi ad præterita, quando iam cessit dies debiti, licèt non sit facta solutio*, idemque tradit Florianus de S. Petro *cons.19. num.6. vers. Sed ex abundantia*, vbi ait: *Legem nouam nunquam trahi ad præteritos contractus, qui habuerunt suam perfectionem, aliàs*
4 *contineret iniquitatem, & absurdum*. Andreas Gayllus *lib.2. obseruat.9.* ait: *Constitutionem Caroli V. præcipientis emptiones redditnum fieri ad rationem viginti, pro vno floreno, non trahi ad emptiones factas ante dictam constitutionem, & num.3.* affert optimam rationem dicens: *Contrahentibus iam ius ex contractu præcedente quæsitum est, qui contractus eo tempore licitus, & vsitatus erat: ergo ex noua constitutione hoc ius illis auferri non debet*: Sed hoc optimè decidit casum nostrum, nam vendentibus frumentum pro pretio communiter currente, ex eo cōtractu præcedente ius quæsitum est, & talis contractus eo tempore licitus, & vsitatus erat: ergo ex noua taxa frumenti, hoc ius illis auferri non debet: Nam rectè ait
5 Angelus *consil.53. num.5. Nouum statutum numquam tollere ius alteri quæsitum*: & Baldus *in l. leges, nu.4. C. de legibus* benè docet, quòd *ea, quæ postea eueniunt non vitiant præterita pacta*.
6 Sed vrget maxima difficultas; *Nam quamuis noua lex futuris det formam negotijs, tamen etiam ad præterita facta reuocatur, si nominatim, & expresè, & de præterito tempore, & de adhuc pendentibus negotijs cautum sit*. Ita dicitur *in l. leges 7. C. de legibus*, Castrensis *cons.341. vol.1.* Puteus *decis.382. num.2. lib.2.*

Respondeo solum supremum Principem, non autem inferiorem posse legem ferre, quæ trahat se ad præterita negotia, adhuc pendentia, ita Cumanus *consil.159. nu.3.* vbi ait, quòd lex Principis non supremi non potest circa præterita præiudicare, idem sentit Salas *de legibus disp. 21. sect.7. num.18.* & Abbas *cons.111. num.4. vers. Sed præsupposita, vol.2.* vbi ait, quòd solus Papa, & Imperator facientes mentionem de litis pendentia possunt illi
8 derogare, non autem alij inferiores: Ratio est, quia solus supremus Princeps potest tollere ius alteri quæsitum per contractum, quare solus supremus Princeps potest extendere suam legem ad contractus præteritos,
9 ita Alexand. *cons.199. num.5. vol.6.* Tùm quia statutum se extendens expresè ad præterita, est contra ius commune, Felinus *in cap. quoniam, nu.3. in fine de constitut.*
10 Sed solus supremus Princeps potest condere legem contra

contra ius commune, non autem alij inferiores Principe supremo, *l.2. ff. de officio præfec. Prætor. Clement. ne Romani de electione*, Rolandus *cons. 22. num. 7. vol. 2.* præsertim in præiudicium subditorum, Innoc. *in cap. fin. de officio delegati*, Castrensis *cons. 148. col. fin. vers. constat autem*.

11 Altera difficultas est, quia noua lex extenditur ad præteritos contractus, si constitutio noua sit in materia ante per aliam antiquam legem prohibita; tunc enim porrigitur ad præterita, *cap. cum in de vsuris*, cum ibi notatis Felynus *in cap. fin. de constit.* Sed taxa facta *anno* 1649. est confirmatiua illius, quæ fuit facta *anno* 1648. ergo rectè extenditur ad emptiones frumenti factas post *annum* 1648. præsertim quia pretium semel frumento impositum nequit alterari, *l.1. §. cura caruis, ff. de officio præf. vrbis*, Aponte *de potestate Proregis, tit. 2. in initio, num. 25. & §. 5. num. 18.* Auendañus *de exequend. mandat. Reg. lib. 1. c. 19.* qui ait: quòd vendentes cariùs, quàm statutum est tempore caristiæ, puniuntur tanquã violatores pacis, vt ex Alberico *in l. qui metu §. miles, ff. de re iudicata*.

Respondeo, quòd cum ea taxa *anni* 1648. non fuerit acceptata à Populo, neque vsu recepta, perinde est, ac si

12 nunquam fuisset facta à Præside: lex enim non acceptata non obligat, vt *ex l. de quibus 32. ff. de legibus*, docent communiter Doctores Felinus *in cap. 1. de treuga, & pace, num. 12.* Glosa *in l. rem non nouam, §. patronus, verbo tactus, C. de Iudicijs* vbi Iason, Archidiaconus, Dominicus, Præpositus, & Turrecremata *in §. leges dist. 4.* Archid. *in cap. vtinam 76. dist.* Nauar. *cons. 1. qu. 5. num. 23. & 24. de constitut. & in manual. cap. 23. num. 41.* Couar. *2. var. cap. 16. num. 6.* Driedo *lib. 1. de libertate Christiana cap. 9. consideret. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 4. q. 1.* Lessius *de Iustitia lib. 2. cap. 22. dub. 13.* Valentia *1. 2. disp. 7. q. 5. punct. 5. quæst. 4.* Sayrus *de censuris lib. 3. cap. 5. num. 24.* Syluester *V. lex, q. 6.* Rodriquez *qq. Regular. tom. 1. qu. 6. artic. 10.* Diana *par. 1. tract. 10. resol. 1.* Ergo hæc taxa *anni* 1648. non potest extendi ad præteritas emptiones, quippe quæ non erant subiectæ taxæ *anni* 1648. cum ea non fuerit à populo acceptata.

13 Confirmatur, nam quamuis lex declaratiua legis antiquæ trahatur ad præterita; quia tunc lex noua nihil nouum facit, sed quod est detegit, vt notatur *in authentica de filijs ante dotalia instrumenta natis, §. 1.* Io. Andreas *in cap. fin. de verborum significat. in 6.* Baldus *in l. leges, num. 5. C. de legibus*, Felinus *in cap. fin. num. 4. de constit.*

14 Tamen si lex sit declaratiua iuris antiqui, & reperit communem obseruantiam in contrarium, tunc quoad illam videtur noui iuris promulgatiua, & ideò tunc non trahitur ad præterita negotia; quia tunc lex antiqua non obligabat, quatenus non erat vsu recepta, glosa *in cap. 1. in verbo de cætero de postulatione Prælatorum in 6.* Butrius, & Felinus *in cap. fin. num. 6. de constitut.* Ergo cùm taxa frumenti *anni* 1649. reperiat priorem taxam *anni* 1648. non obseruatam, neque vsu receptam, perinde est, ac si illa antiquior taxa nunquam fuisset promulgata, & sic non potest præsens taxa extendi ad præteritas emptiones.

QVÆSTIO LI.

Propinqui duarum Monialium in earum professione vltra dotem promiserunt annua centum, quæ inopia pressi per sex annos soluere omiserunt. Quæritur an Moniales possint licitè illis remittere? & an requiratur ad hoc expressa licentia Abbatissæ?

SVMMARIVM.

Moniales ex consuetudine annuos redditus vltra dotem datos sibi à propinquis, ad libitum expendunt. num. 1.

Iustissima est causa donandi propinquis pauperibus, num. 2.

Meritorium est dare nobili, qui quamuis possideat multa bona, non tamen habet necessaria suo statui, num. 3.

Grandis pecuniæ quantitas debita nequit remitti, sine expressa licentia Abbatissæ, num. 4.

QVoad primum dubium respondetur affirmatiuè, ita expresè, & in terminis Beia *par. 4. responsorum casu 32.* vbi in fine sic ponit casum. *Hispania, & Lu-*

1 *sitaniæ vsu est receptum, vt parentes nobiles, & diuites quando filias faciunt Moniales, vltra illam dotem, quam ad sustentationem competentem Monasterio tribuunt, certos annuos redditus eidem filiæ consignant, quos vulgari nomine appellant Lusitani Tenas, vt sic commodiùs viuere possit, & hos redditus ipsa Monialis recipit, & expendit absque alia Abbatissæ licentia, neque de eis rationem vllam reddit, sed solùm sub custodia depositariæ conuentus, & non in propria sua cassa illos retinet, & hic vsus tacito Prælatorum consensu permittitur.* Ita Beia, qui per totam illam quæstionem probat, posse donari propinquis pauperibus quod patet.

2 Primò, quia iustissima est causa donandi propinquis pauperibus, vt ait Nauar. *comm. 2. de Regular. num. 25.* & Diana *par. 1. tract. 6. resol. 3.* ex Valero refert, ita in Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum declaratum *anno* 1596. Ratio est, nam exercetur actus, qui est in duplici speciè virtutis, nempè misericordiæ erga pauperes, & pietatis erga propinquos. Dicitur autem opus pium donare viro nobili, qui quamuis habeat multa bona, non

3 tamen tot possidet, quot conuenit it qualitati, & statui suæ personæ, ita post alios Menochius *de præsumpt. lib. 4. præf. 115. nu. 8.* Quare si potest donare propinquis pauperibus, à fortiori potest remittere debitum; minus est enim remittere, quam donare; quia minus ius est quæsitum Monasterio, iuxta ea, quæ docet Francus *dec. 14.*

Secundò, quia si potest Monialis ex recepta consuetudine hos redditus in quoscumque vsus voluerit, licitos tamen, expendere; cur non potest in hoc non solum licitum opus, sed etiam pium, prout est succurrere propinquorum inopiæ?

Tertiò, quia vt rectè post Nauarrum considerat Beia, quando Regulares sciunt, posse hos redditus propinquis donare; tunc abstinent à luxu, à superfluo cellæ ornatu, & alijs, quæ destruunt religiosam paupertatem, quare iustissimè Prælati concedunt hanc licentiam largiendi propinquis.

4 Quoad secundum dubium, Respondetur requiri expressam licentiam Abbatissæ ex his quæ notat, Diana *d. par. 1. tract. 6. resol. 31.* Ratio est, quia cum sit magna Summa sexcentorum aureorum simul remittenda, probabi-

babiliter dubitari poteſt de voluntate Abbatiſſæ, an ipſa velit totam illam, vel partem eius remitti?

QVÆSTIO LII.

An licitè Confeſſarius à Moniali cuiuſdam Monaſterij recipiat frequenter munera, quæ in anno accedunt ad valorem triginta aureorum, ſi donet ex Abbatiſſę licentia, & ex pecunia ſibi à ſuis propinquis data?

SVMMARIVM.

An Bulla Clementis VIII. de largitione munerum tanquam non vſu recepta deſinat obligare? num.1. & 8. Ex illa permittuntur tantum munuſcula, quæ non excedant valorem duorum aureorum. num.2. Non tamen debent frequenter dari, nam ſi plura dentur intra annum coaleſcunt in vnum. num.3. Quis ſit finis Bullæ? num.4. Nequit Abbatiſſa concedere licentiam donandi, niſi ex cauſa pia, & neceſſaria. num.5. & 14.

Licitè Monialis ex pecunia ſibi data à propinquis, & de licentia Abbatiſſæ donat Confeſſario. num.6.

Non prohibentur munera ex cauſa gratitudinis. num.7.

Quid requiratur, vt lex dicatur non vſu recepta? num.9.

Lex nunquam vſu recepta non obligat, quamuis quotannis publicetur. num.10.

Recepta eſt conſuetudo omnium Religioſorum, vt liberè donent, quicquid parcè viuendo acquirunt. num.11.

Religioſus habens generalem licentiam expendendi ad libitum, dando meretrici peccat contra caſtitatem, non contra votum paupertatis. num.12.

Pro qua quantitate poſſit Superior Religioſo concedere licentiam donandi? num.13.

1 PRo parte negatiua aſſeritur primò; quia ideſt expreſsè prohibitum per Bullam Clementis VIII. *De largitione munerum*; à qua nequit excuſari tanquam non vſu recepta: nam *Anno* 1640. fuit confirmata ab Vrbano VIII. quare non excuſat non vſus, vt ait Lezana *de obligation. Regularium, cap.6. num.55.* & Diana *par.8. tract.6. reſol.12.* in ea autem prohibentur munera, etiam ſi dentur ex pecunia à propinquis data, & tantùm per-
2 mittuntur munuſcula, quæ ſcilicet non excedunt valorem duorum aureorum prout declaraſſe eundem Clementem VIII. ſcribunt Molfeſius *in Summa, tom.1. tr.7. cap.20. num.86.* & Diana *par.1. tr.6. reſol.5.* hæc autem
3 munuſcula non debent frequenter elargiri; nam niſi intercedat interuallum vnius anni coaleſcunt in vnum, Bonacina *in tract. Varijs diſp.3. punct.5. num.7.* Neque
4 finis Bullæ Clementis VIII. eſt tantùm, ne detur occaſio ambitionis, aut diſſipentur bona Monaſterij, prout perperam docent aliqui apud Dianam *par.1. tr.6. reſ.12. & 33.* quinimmò quoad exteros, quibus donatur, eſt; vt Regularium diſciplina reſtituatur, ac religioſa paupertas conſeruetur, vt patet ex proemio Bullæ, & docent Azor. *par.1. lib.12. c.12. qu.4.* Fauſtus *in Theſauro relig. lib.8. qu.208.* Filliuccius *tract.34. cap.3. qu.6.* Paulinus Berti *in explicat. Bullæ par.1. princ. fol.414. col.1.* Sorbo *in Compendio priuil. verbo Munera.*

5 Secundò aſſeritur, quia nequit Abbatiſſa concedere licentiam donandi, niſi ex cauſa pia, & neceſſaria, vt ait Petrus Nauar. *de restit. lib.3. cap.1. nu.187. & 188.* nulla autem neceſſitas eſt, tantæ quantitatis munera donare Confeſſario.

Tertiò, quia alioquin ſequeretur, quod in Monaſterio centum Monialium poſſent ad tria aureorum millia donari Confeſſario, quod abſurdiſſimum eſt.

6 His tamen non obſtantibus, reſpondetur affirmatiuè.

7 Probatur primò, quia Vrbanus VIII. *in Bulla de largitione munerum*, qua confirmauit Conſtitutionem Clementis VIII. declarauit: *Munera à Religioſis vtriuſque ſexus de licentia Superiorum localium tribui poſſe ex cauſa gratitudinis, modeſtè tamen, & diſcretè*: Sed eiuſmodi ſunt munera, quæ dantur à Moniali Patri ſuo ſpirituali, ſeu Confeſſario: non enim eſt contra diſcretionem, & modeſtiam, quod ea intra annum accedant ad ſummam triginta aureorum; nam obligatio & debitum gratitudinis erga Religioſum, ac prudentem Patrem ſpiritualem grande eſt, ac longè maiori munere dignum: id autem manifeſtè patet, nam nobiles, ac diuites mulieres ingentibus eleemoſinis paſſim eam obligationem, quāta ſit conteſtantur. Imò Sancta Mater Tereſia in ſua vita ſcribit: quòd quamuis ab omni terreno affectu ſeparata eſſet, non poterat tamen erga ſuos Confeſſarios non affici, eumque affectum reuelante Domino didicit Diuinæ Maieſtati non diſplicere: magno autem benefactori magnum donum licitè datur, vt ait Lopes *de Contractibus, lib.2. cap.40. verſ.4. ſuperaddimus.*

8 Probatur ſecundò, nam quamuis in rigore Bullæ Clementis VIII. illicitum eſſet tot munera, ac tantæ ſummę Confeſſario donare; tamen hæc Bulla in Italia non fuit vſu recepta, vt teſtantur Peyrinus *de Religioſo ſubdito, tom.1. qu.2. de pauper. cap.2. §.6.* Gratianus *diſcept. forenſ. tom.2. cap.202. num.17.* Megalius *conſ.33.*

9 Ad hoc autem vt dicatur lex eccleſiaſtica non vſu recepta, ſufficit binus, aut trinus actus contrarius, ſcientibus, & non contradicentibus Nuncijs Apoſtolicis, ordinarijs, aut alijs Superioribus, quibus incumbit hæc executioni mandare, Burgos de Paz *in lege prima Tauri, num.232. & 233.* Rodriquez *quæſt. Regular. tom.1. qu.6. art.12. qui art.10.* ſcribit: non eſſe legem Eccleſiaſticam in aliqua Religione vſu receptam, ſi à maiori parte eius Religionis non obſeruetur. Neque refert Vrbanū VIII. *anno* 1640. eam Bullam confirmaſſe, & iuſſiſſet eam quotannis legi; nam ſufficit quod deinde nunquam fuerit obſeruata, vt dicatur non vſu recepta; quamuis decennium non ſit decurſum; quia quamuis ad abrogandam legem per contrariam conſuetudinem requiratur decennium, ſi ſit lex Ciuilis, & quadraginta anni, ſi ſit lex Eccleſiaſtica; tamen ad hoc vt lex tanquam non acceptata à Populo non obliget, non requiritur decennium, aut determinatum tempus, quia nullibi hoc ſtatutum eſt, ſed ſufficit legem nunquam obſeruatam, & per duos actus contrarios legi, ſcientibus Prælatis, & non contradicentibus, eam non fuiſſe vſu receptam, neque acceptatam, ita preclarè ex Felino, & Henrico ſcribunt Suarez *de legibus lib.4. cap.16. nu.12.* Diana *par.1.*
10 *tract.10. reſol.7.* quod patet manifeſtè ex Bulla Cænæ Domini, quæ quotannis ſolemniter publicatur, & tamen quoad aliqua capita non eſt vſu recepta, vnde excuſantur legentes in Germania libros hæreticorum, Filliuccius *tom.1. tr.16. num.11.* Becanus *2.2. tract.3. c.6. qu.8. num.4. & 22. & cap.15. qu.8. num.5.* Layman *lib.2. tract.1. cap.15. num.4.* Itaque Bulla Clementis VIII. cum ſcientibus ordinarijs, & non contradicentibus nunquam fuerit

fuerit obseruata, nedum in isto Monasterio, sed neque pro maiori parte Monialium Italiæ; proinde non obligat Moniales Italiæ; ergo tantum standum est dispositioni iuris communis, & receptæ consuetudini istarum Monialium, imò omnium Religiosorum; nam vt scri-
11 bit Ludouicus Beia *Responsorum par. 4. casu 32. vers. adde etiam. Religiosus potest de peculio sibi destinato, quicquid detrahit, & parcè viuendo acquirit, liberè donare, quia hæc est consuetudo à Prælatis iustè circa hoc introducta*, Ita Beia, & idem docent alij grauissimi Doctores, qui docent pecuniam à propinquis datam, ex licentia Abbatissæ, licitè expendi in quoscumque vsus non illicitos, nec prophanos, Ita Hieronymus Cenedo *de paupertate Religiosa dub. 32. num. 9. & 15. & dub. 17. nu. 9.* Valerus *in differentijs vtriusque fori verbo munera nu. 73.* Peyrinus *de Religioso subdito tom. 1. quæst. 2. capit. 2. §. 6.* Diana *par. 1. tract. 6. resol. 19.* Pellizzarius *tract. de Monialibus cap. 4. num. 19.*
12 Probatur tertiò, nam doctissimi Auctores scribunt, quod si Superior concedat Religioso generalem licentiam expendendi pro suo arbitratu, & ad libitum pecuniam sibi à propinquis, vel alijs donatam; si Religiosus donet meretrici, peccat contra castitatem, non contra paupertatem, vnde meretrix post fornicationem recipiens non peccat, nec tenetur ad restitutionem; Ratio est, quia vt ait Eminentissimus Lugo *de Iustit. disput. 3. sect. 7. num. 142. Prælatus, qui dat subdito plenam, & liberam facultatem expendendi aliquid pro suo libito, non intelligitur limitasse suam intentionem solùm ad vsus honestos, ac pios, sed potius abstinuisse quantum erat ex parte sua totum impedimentum, vt vsus ille non esset contra votum paupertatis, ob defectum licentiæ, atque ideò recipiens ab ipso non tenetur restituere*, Hæc Card. Lugo, idemque docent Bannes *2. 2. quæst. 62. art. 5. dub. 5. vers. aduertendum est*, Lopez *lib. 2. de contractibus capit. 40. col. antepen. vers. an autem Religiosus*, Rebellius *de Iustitia par. 2. lib. 12. quæst. 4. sect. 2. num. 6.* Salas *tract. de Ludo dub. 21. num. 4.* probabilem asserunt Sayrus *in Claui Regia lib. 11. cap. 12. numer. 15.* Pellizzarius *de Monialibus cap. 4. numer. 18.* Medina *in Summa lib. 1. cap. 14. §. 29.* Alcozer *tract. de Ludo cap. 17.* Diana *par. 3. tract. 2. resol. 98. & par. 7. tract. 9. resol. 15. & par. 2. tract. 15. resol. 54.* probabilem quoque dicunt hanc opinionem Io. de la Cruz *de statu Religion. lib. 1. cap. 3. dub. 1. concl. 2.* vbi ait: hanc sententiam esse communiter vsu receptam, & Petrus Ledesma *in addit. ad 2. par. suæ summæ tract. de statibus cap. 4. diffic. 4.*

Ergo si Religiosus habens generalem facultatem disponendi ad libitum, non peccat contra paupertatem, donando meretrici: cur quæso peccabit contra paupertatem Monialis ex eadem licentia donando deuoto, ac Religiosissimo viro, suo Confessario, vt grati animi ostendat obsequium?
13 Probatur quartò quia, præcisa Bulla Clementis VIII. est in arbitrio superioris dare licentiam donandi pro ea causa, ac pro ea quantitate, quæ sibi rationabilis videbitur, & licèt aliqui præfiniant summam decem ducatorum, vt Corduba *in Summa quæst. 54. dub. vlt.* Lopez *in instruct. conscient. par. 2. cap. 5. vers. 1. quod in alijs & lib. 2. de contract. cap. 40. col. 3. vers. circa Religiosos*, Petrus Nauarr. *de restit. lib. 3. cap. 1. num. 189.* Fagundez *prac. 2. lib. 8. cap. 6. num. 12.* Io. de la Cruz *de statu Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 4. & 5.* alij Doctores, quos tacito

nomine refert Azorius *par. 1. lib. 12. capit. 12. quæst. 4.* asserunt posse Prælatum concedere licentiam donandi duorum, aut trium aureorum summam, in singulos menses; tamen rectius, & probabilius communiter omnes docent, posse concedere licentiam ex prudentis viri arbitrio, Ita Azorius loco citato, Sanchez *in Sum. lib. 7. capit. 19. numer. 42.* Suarez *de Religione tom. 3. lib. 8. capit. 15. num. 13.* Nauarrus *in cap. non dicatis numer. 25.* Molina *tract. 2. disput. 276. col. 2. vers. illud vero*, Cenedo *de pauper. Relig. dub. 26. num. 6. concl. 2.* Bonacina *de Varijs tract. disput. 3. pun. 6. num. 8.* Vvadingus *tract. de contract. disp. 3. dub. 10. num. 1.* Card. Lugo *de Iustit. disput. 3. sect. 8. num. 186.* Sed licitè & rationabiliter Superiores possunt concedere licentiam Moniali donandi suo Confessario; quamuis munera in anno ad valorem triginta aureorum accederent, quod inde apertè ostenditur, quia innumeræ sunt Moniales in Christiano orbe, quæ hæc, & maiora munera tribuunt suis Confessarijs ex Superiorum timoratorum licentia: Exemplum autem proborum virorum est optima regula operandi, & quod illi licitum putant, tutò, & absque peccati formidine sequi potest, vt dicunt Sanctus Antoninus *part. 1. titul. 3. capitul. 10. §. 10. Regular. 7. doctrina 4.* Layman *lib. 1. tractat. 1. capit. 6. vers. 8.* Ergo cùm docti, & prudentes Superiores faciles sint in concedenda Monialibus tali donandi licentia, non est vlli scrupulo locus.

Restat respondere ad contraria argumenta.

Ad primum respondetur Bullam Clementis VIII. quamuis confirmatam ab Vrbano VIII. tamen non obligare, quia non est vsu recepta: Præterea etiam attenta illa licèt donare Confessario ratione gratitudinis.
14 Ad secundum respondetur Petrum Nauarrum, ac cæteros loqui cùm donatur de bonis Monasterij, tunc requiritur pia, & necessaria causa, ne Monasterij bona dissipentur: secus si donetur ex pecunijs datis à propinquis, tunc sufficit non expendi in vsus profanos, & illicitos, sed honestos, cuiusmodi sunt munera data Confessario, prout quotidianus vsus ostendit.

Ad tertium respondetur non ad Monialem donantem, neque ad Confessarium, sed ad Superiorem vel Abbatissam concedentem donandi licentiam spectare, ne frequentibus, & immoderatis donationibus euertatur Religiosa paupertas, ac Regularis disciplina dissoluatur; quare ad Superiorem spectat, cùm opus est donationes moderari, ac licentias denegare.

QVÆSTIO LIII.

Festina Missæ celebratio quale sit peccatum?

SVMMARIVM.

Tanta potest esse acceleratio, vt sit mortale peccatum. numer. 1.

Non excusatur à lethali culpa, qui longè minori spatio, quàm quadrantis horæ Missam absoluerit. numer. 2.

Non eſt id, ſine graui ſcandalo, & irriſione fidelium. numer. 3.

Ara riſus. num. 4. Huiuſmodi Sacerdotes, leues ſunt mimi, & histriones, ex S. Auguſtino. num. 5.

E' centum Sacerdotibus, vix bonus reperitur vnus, ex S. Hieron. num. 6.

Tot Sacerdotes quotidie ad infernum deſcendunt, vt non poſſit exiſtimari plures in mundo eſſe. num. 7.

Si tanta non ſit feſtinatio, vt afferat graue ſcandalum, erit veniale peccatum. num. 8.

Huiuſmodi eſt ſi minori temporis internallo, quam tertia parte hora, Miſſam abſolueret. num. 9.

Quanta attentione Ethnici Sacerdotes ſacrificabant. numer. 10.

Quanta reuerentia Angeli adſtant ſacrificanti Sacerdoti. num. 11.

Non ſolis viris Sanctis, ſed cunctis licèt indignis Sacerdotibus, adſtant in ſacrificio cœleſtes Spiritus. numer. 12.

Eſtque id peculiare Officium tertia Hierarchię. num. 13.

Contremiſce, te irreuerenter, & indignè miniſtrante, adſtantes Dęmones. num. 14.

1 Dico primò ſi tanta ſit acceleratio, feſtinantia, ac fuga, vt nimis indecorè, magna cęremoniarum confuſione, atque cum graui irreuerentia tremendum, & admirabile ſacrificium celebretur, ac proinde cum grandi fidelium ſcandalo, offenſione, & irriſione; quamuis nulla oratio omittatur, erit certiſſimè tunc peccatum mortale; quare cenſeo non excuſandum à lethali culpa
2 Sacerdotem, qui longè minori ſpatio, quàm quadrantis horæ ſacrificium abſolueret, id tamen rariſſimè euenire cenſeo.

Probatur primò, nam irreuerentia in tremendo ſacrificio eſt peccatum contra Religionem, quod ex ſuo genere mortale eſt: Sed nequit in caſu poſito excuſari à mortali, ex paruitate materiæ, nam grandi, & impudenti feſtinatione, tam indecorè ſacra Myſteria deturpare, interpretatiuum arguit contemptum; vnde contra hos Sacerdotes indignatur, & exclamat Sophonias *cap. vlt. Sacerdotes eius polluerunt Sanctum*, hoc eſt, vt exponit S. Cyrillus Alexandrin. *Obeunt ſacrificia incautè, & negligenter.*

3 Secundò, quia id nequit eſſe ſine graui ſcandalo, atque fidelium irriſione, vnde minatur Dominus per
4 Amos *cap. 7.* iuxta verſionem Septuaginta Delcturum ſe *aras riſus*. Quis non horreat immenſæ Diuinæ Maieſtatis myſterium in riſum conuerti? In Leuitico *cap. 26.* mandat Dominus *Pauete à Sanctuario meo*. Apoſtolicum inſtitutum eſt, vt apud Clementem Romanum *lib. 8. conſt. cap. 12.* vt in ſacris Myſterijs Diaconus inclamet *Stemus erecti cum metu, & tremore ad offerendum*. S. Io. Chryſoſt. *lib. 6. de Sacerdotio capit. 4.* vocat ſacrificium *horrore, & veneratione pleniſſimum*. Cyrillus Alexandr. *in cap. vltimum Sophonię; Venerandum, & admirabile Myſterium*. Epiphanius *orat. de reſurrect. Chriſti; Terribilem horam* appellat. Et leuis homuncio, audaciſſimus ſcurra, ridiculum reddit? Quanta impudentia, quanta temeritas, æterno igne luenda? Hinc *leuiculi iſti Sacerdotes*, inquit, Beatus Laurentius Iuſtinianus *tractat. de regimine Prælat. cap. 13. efficiuntur contemptibiles, & inglorij, qui ſumma cum veneratione debuerant à Plebibus honorari*. Hinc vt idem Sanctiſſimus Patriarcha teſtatur *lib. de contempl. Sacerdotes tamquam purgamentum ſeculi habitos*. In hæc pietatis ſpectra exclamandum cum Iſidoro Peluſiota *lib. 1. epiſt. 118. Regiam ò audaciſſimi homines, aulam contaminare deſinite, labem ab altaribus remouete*. Audeo aſſerere cum diuiniſſimo Dionyſio Areopagita *epiſt. 8. horum non orationes, ſed ſceleſtas eſſe maledictiones.*

Tertiò, quantum ſit flagitium, tam attrita fronte, tanta feſtinatione, & audacia, Diuina celebrare Myſteria, audi Sanct. Auguſtin. *Serm. 251. de tempore. Dolendum eſt*, inquit, *pleroſque Sacerdotes adeò breues eſſe, vt ſępè in ſuſpicionem veniant, num multa dicenda omiſerint, vel an ſaltem nulla debita ratione temporis, quo eſſent cęremonię faciendę, & quo enunciandę, vt eas omnino ſimul confundant; vtriuſque leues mimi,*
5 *& histriones, quàm graues, & compoſiti Sacerdotes*. Hæc Auguſt. Cui conſonat Concilium Prouinciale Colonienſe *anno 1536. habetur in vltimo volumine Conciliorum*, vbi *part. 2. capit. 10.* ſic inquit: *Quoſdam leuiculos Sacerdotes illotis manibus, pedibuſque (vt in Prouerbio eſt) audacius in hæc Sacratiſſima Myſteria, quàm in prophana irrumpere comperimus*. Meritò conqueritur Sanct. Hieronym. *epiſt. ad Damaſum apud Euſebium. Ecce*, ait,
6 *mundus vndique feruet Sacerdotibus, & tamen ſunt rariſſimi Sacerdotes, quod vix è centum bonus reperiatur vnus*, & Bromiardus *in Summa prędicantium* refert, re-
7 uelatum cuidam fuiſſe, tot Sacerdotes quotidie ad infernum deſcendere, vt non poſſit exiſtimari plures in mundo eſſe.

Dico ſecundò, ſi tanta non ſit ſacrificij acceleratio, vt grande ſcandalum ſecularibus afferat; tamen talis eſt feſtinatio, vt *indecorè, indeuotè, & cum aliqua offen-*
8 *ſione timoratorum hominum celebretur, tunc erit veniale peccatum*, ita docet Antonius Molina Carthuſianus vir pari pietate, ac doctrina inſignis *in Inſtitutione Sacerdotum tract. 3. cap. 13. §. 2.* qui quamuis tempus non definiat, at ego exiſtimo, eum, qui minori *temporis in-*
9 *teruallo, quàm tertia partis horæ, ſeu paulò vltrà quadrantem, Miſſam abſolueret, venialiter peccare.*

Probatur ex eodem Molina, nam omnes Sacerdotes tenentur celebrare cum ea mora, & ſpatio, ad tria ſufficere poſſit. Primò, vt pronuncientur aptè, clarè, & diſtinctè omnia, quæ in Miſſa leguntur. Secundò, vt decenter, & ritè omnes cæremoniæ compleantur.

Tertiò, vt debitam attentionem, & intelligentiam habeat Sacerdos eorum, quæ dicuntur. Sed qui adeò feſtinè, & celeriter Miſſam abſoluit, & minori tempore, quàm tertia parte horæ, ſeu quadrante perficiat, nequit iſta præſtare; ergo venialiter peccat; iam ſingula oſtendamus.

Quoad Primum, nempè pronunciationem hæc habet Concilium Colonienſe *par. 2. capit. 13. Qui legit Miſſam cum reuerenda modeſtia, clarè, & diſtinctè, & exertè legat omnia vſque ad canonem, vt qui audiendi ſacri cauſa adſtant, quod legitur intelligant, & ad pietatem excitentur*. Ita Concilium. Vnde ſacrorum Rituum peritiſſimus P.D. Andreas Caſtaldus noſter *in ſuo cęremoniali lib. 2. ſect. 7. capit. 2. num. 2.* ſic ait: *Legenda eſt clara, & intelligibili voce, expeditè atque diſtinctè, ad puncta morula aliqua, breuis tamen interponenda, non nimis tardè, nec celeri curſu, ſed mediocritatem in omnibus ſeruans, voce non admodum eleuata, vel clamoroſa, ſed graui, ac decora, prout tantum decet Myſterium.*

Hæc

Hæc Castaldus. At breuiori mora, quàm tertia parte horæ Missam concludens, necesse est præcipitanter, ac irreuorenter sacra verba pronunciare, & syllabas deglutire. Hinc apud fideles adstantes indeuotio, risus, ac dicteria, qui passim eo versiculo iocantur, *tribus in saltis venit ad ite missestum*.

Quoad secundum satis patet, sacros ritus, ac ceremonias incruenti sacrificij, actus esse latriæ, cultusque Diuini, quibus immediatè Deum veneramur, ad altissima mysteria significanda ab Ecclesia Christi sponsa instituta; non ergo festinanter, perfunctoriè, & confusè; sed modestè, decorè, grauiter, & reuerenter obeundæ sunt, neque inuicem confundendæ, quod ordo Romanus clarissimè insinuat sæpè repetens, vt *reuerenter, & grauiter præscripti ritus impleantur*, quod nec reticuit pijssimus Castaldus noster *in suo caremoniali lib. 2. sect. 7. c. 3. num. 5.* vbi de Crucis signo super oblata, ait: *Illud non nimis celeriter, sed Regulari, & vniformi motu, quasi calamo lineas designandas, & cap. 6. num. 9.* scribit: *Ad verba symboli, Et incarnatus est, donec perficiat, Et homo factus est, genuflexus perseuerare debet, vtroque genu. & num. 10.* ait: *Ex Consilio grauissimorum Ecclesia Præsulum in huiusmodi ritibus peritissimorum, docet, vt morosè, ac deuotè celebrans genuflectat.* Hæc autem omnia decorè, distinctè, & grauiter obire nequit (imò non sine omissione, aut confusione sacrarum ceremoniarum) qui Missam breuiori spatio, quàm tertiæ partis horæ absoluit. Quod satis indicauit S. Augustinus *serm. 251. de tempore*, inquiens, *quod nulla debita ratione temporis, quo essent ceremonia facienda, & quo enunciandæ, vt eas omninò simul confundant.* Ita Augustinus; hoc autem esse veniale peccatum, patet, nam vel vnius ceremoniæ sacræ omissio, culpæ reatum inducit, vt docet Suarez *3. par. tom. 3. disp. 85. sect. 2. concl. 3.* Antonius Molina *in instruct. Sacerdotum tract. 3. cap. 11. §. 4.*

Quoad tertium nempè attentionem, ac deuotionem; quantam Sacra Mysteria deposcant, vel ab Ethnicis di-
10 scamus; teste enim Plutarcho, quoties Pontifex sacra aggrediabatur, preco aderat, qui alta voce inclamaret: *hoc Age*, vt ad arcana mysteria mentem omnes, cogitationesque intenderent; vtinam hanc vocem leues ij audirent Sacerdotes, tam incompositè, & irreuerenter diuina deturpantes mysteria: sed nec opus tam salutare monitum à gentibus mutuari, nam in liturgijs S. Io. Chrysost. aliorumque Græcorum Patrum, in sacra actione, videmus Diaconum sæpè alta voce clamantem *Attendamus*, quod nihil aliud est, quàm *Hoc Age*. Nec prætereundum, quanta attentione inanium Deorum cultores, eorum sacris, Sacerdotes adesse volebant; ij in obeundis sacrificijs caput velabant, atque vndique obtegebant, ne vllius rei obiectu à precibus auocarentur. Quod *tertiò Eneidas* Poeta non tacuit.

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Nequa inter Sanctos ignes, in honore Deorum,
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Nobis pro velamento sit Dei timor, mysteriorum magna, & miranda maiestas, multorum millium famulantium Angelorum corona. Non pigeat S. Io. Chrysost. visionem celeberrimã enarrare, de quo sic scribit S. *Nilus epist. ad Anastasium, vt apud Baronium anno 407. §. 16.*
11 *Ioannes, inquit, Sacerdos admirandus Ecclesia Constantinopolitana, imò verò totius orbis splendor, vir animi perspicacis, omni ferè tempore videbat domum domini refertam Angelorum catu, & tunc in primis cum Diuinum, & incruentum sacrificium offerebatur; quo quidem tempore, stupore, & lætitia plenus, rem præcipuis amicis spiritualibus priuatim enarrauit. Cùm cæpisset, inquit, Sacerdos Sanctum sacrificium, seu oblationem facere, plurimæ statim ex illis virtutibus è cælo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum silentio, & reuerentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit circumsteterunt. Deinde hue, singulæ per totam domum diffusæ, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis distributionem Corporis, & pretiosi sanguinis Ministrantibus, aderant satagentes, & sedulò adiuuantes. Hæc autem scribo, vt Diuini sacrificij dignitatem cognoscentes, caueatis ne illud negligenter, Diuino timore abiecto administretis.* Hactenus Nilus, quem spectata eruditio, & conspicua Sanctitas fecerunt Illustrem.

Porrò quanta reuerentia Sacerdoti sit Ministrandum, disce, nam deficiente Ministro, Angeli ministrarunt, Surius in vita S. Osvvldi Episcopi *cap. 26.* & in vita S. Grudvvaldi Archiepiscopi: sic Fratri Ioanni de Parma, qui sese Generalatu Seraphici Ordinis abdicauerat, absente Ministro inseruiuit Angelus Chron. Minorũ *lib. 1. c. 57.*

Alias visiones, Altissimo sacrificio adstantium Angelorum, vide apud Cyrillum Eremitam in vita S. Euthimij: Ioannem Euiratum *in prato spirituali cap. 119.* & Bibliothecham Floriacensem in vita Sancti Sampsonis Episcopi *cap. 13.*

Porrò offerenti Sacerdoti Angelorum choros adesse, concors est Patrum sententia, id sępè inculcat S. Io. Chrysostomus *homil. 3. in epist. ad Ephes. homil. 22. & 24. in Acta Apost. hom. 3. contra Anomæos. hom. 36. in 1. ad Corint. lib. 6. de Sacerdotio cap. 4. homil. 40. ad Populum Antiochenum*, idem testantur S. Gregor. *lib. 4. Dialog. cap. 58. alijque multi.*

12 Nec putes id rarum, aut solis Sanctis viris, eorum merito concessum, cunctis, licèt immeritis & indignis, adstant Cœlestes Spiritus. *Non dubites* (inquit S. Ambros. *in cap. 1. Luca*) *assistere Angelum, quando Christus immolatur.* Quinimmo adeò id frequens, vt sit peculiare Offi-
13 cium tertiæ Hierarchiæ, ita S. Dionysius Areopagita *lib. de Cælesti Hierarchia cap. 5. & 9.* & S. Maximus *apud Turrianum lib. 2. de Eucharistia cap. 18.* vbi ait: *Angelos tertij Ordinis assistere Sacerdotibus, atque respicere mysteria, quæ ab eis fiunt.*

O rem horrendam! Angelos adstare trementes, adorantes, comministrantes, ex Sacerdotis ore pendentes; ipsum verò Sacerdotem oscitantem, distractum, festinè, indeuotè, & persunctoriè tanta mysteria tractantem? Sed
14 quid? non vereris adstantes Angelos? contremisce, te indignè, & irreuerenter offerente, adstantes Dæmones. Audi quæ vidit, ac scripsit in sua vita S. Teresia *cap. 38.* cùm enim ad Sacratissimã Eucharistiam accederet, vidit indigni Sacerdotis collum duorum turpissimorum Dæmonum cornibus circumdari, eos verò à Dominij Maiestate trementes, fugamque parantes, Diuina virtute, ad sacrilegi pœnam detentos.

* * *

QVÆSTIO LIV.

An Epiſcopus, vel Regularis Prælatus, non coercens nimia feſtinatione celebrantes, mortaliter peccet?

SVMMARIVM.

Quamuis Sacerdos peccet venialiter; at Prælatus non corripiens peccat mortaliter. num.1.

Quamuis Religioſi non obſeruantes regulas, neque venialiter peccent, tamen Prælatus negligens obſeruantiam peccat mortaliter. num.2.

Ex hoc vno, diſce omnia Prælatorum pericula. num.3.

1 RESpondetur affirmatiuè, quamuis enim particularis Sacerdos ea in deuotione, ac celeritate Miſſam præcipitans, vt paulò vltrà quadrantem Miſſam concludat, venialiter tantùm peccet (ſecus enim puto ſi longè minori ſpatio, quàm quadrantis, ſacrum abſolueret, nam tunc à mortali peccato non excuſarem, vt ſuprà dixi) tamen Epiſcopus, aut Regularis Prælatus cum ea fuga celebrans, aut plurimos è ſuis ſubditis ſic indecorè, & feſtinanter celebrantes non puniens, neque coercens, mortaliter peccat, ita docet doctiſſimus Antonius Molina *in inſtruct. Sacerdotum tract.3. c.13. §.3.* vbi ſic ait: *Quamuis in priuato haberi poſſit materia non grauis, ſi in aliqua cæremoniarum Miſſæ ſit defectus, aut complicatur, cum minori grauitate, ac mora, quàm ſit neceſſe; in Prælatis tamen materia grauior cenſenda eſt, quia anſam præbent cæteris mutandi; vnde detrimentum incurrat communitas, abuſus confirmetur, peſſima conſuetudo radices agat; quæ fauore Superiorum, aut diſſimulatione vires capit, & quamdam præfert authoritatem: ac ob multas alias circumſtantias, quæ culpam aggrauant, quamuis omiſſio tantùm ſit, & negligentia in procurando, vt tradita doctrina in praxim ducatur.* Hæc Molina, qui quamuis non explicet eſſe mortale, ita tamen accipiendus eſt, ſi magna pars Sacerdotum, ita indecorè, & feſtinanter celebret; ſecus ſi pauci ſint; vt patet ex ſequenti argumento; nam re-

2 cepta eſt Theologorum ſententia, quod quamuis Religioſus ne quidem venialiter peccet, illas obſeruantias negligens, quæ ex ſua regula non obligant ad culpam, vt in conſtitutionibus Patrum Prædicatorum, Societatis Ieſu, ac noſtræ Religionis; tamen Prælatus, qui videt ſubditos paſſim eas non cuſtodire, v.g. non obſeruare ſilentium, ſi coercere, & corrigere negligit, mortaliter peccat; nam hoc eſt publicum Religionis damnum, conſtitutionum obſeruantiam notabiliter negligi, quam cuſtodire ex officio tenetur Prælatus, Ita Sotus *de ratione tegendi ſecretum mem.2. qu.2. concl.3. verſ.2. verò partem.* Bannes 2.2. *queſt.33. art.2. dub.2.* Suarez *tract. de charitate diſp.8. ſect.2. num.6. verſ. addendum*, Sancto Fauſtus *in Theſauro Religioſorum lib.6. quæſt.152. num.3.* Peregrinus *ad noſtras conſtit. in prohemio fol.29. §.1.*

3 Ex hoc vno, diſce omnia Prælatorum pericula, vt meritò dixerit S. Io. Chryſoſtomus *hom.3. in Acta Apoſtolorum. Non arbitror, inquit, inter Epiſcopos multos eſſe, qui ſalui fiant, ſed multò plures, qui pereant; quia ſæpè non damnantur proprijs peccatis, ſed alienis, quæ non coercuerunt*, Ita Os aurum, & S. Bernard. *epiſt.42. Multi non tanta alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent, & onera*, & S. Auguſt. *in Pſal.106. Quò plus honoramur, plus periclitamur.*

QVÆSTIO LV.

Quæ ſit conueniens mora durationis Miſſæ.

SVMMARIVM.

Cum quis eo loco celebrat, vbi cateruatim populus confluit, inconueniens eſt, extremas moras in Miſſa trahere. n.1.

Non eſt ab omni culpa immunis, nimia celebrantis prolixitas. num.2.

Miſſam tres quadrantes, aut integram horam durantem, non eſſe inconuenienter, & nimis prolixam, ait Antonius Molina. num.3.

Confirmatur exemplo P. Aloyſij Granatenſis. num.4.

De tædio adſtantium non curandum, non enim ex fragilitate, ſed ex praua conſuetudine, ac rerum ſpiritualium nauſea procedit. num.5.

Secundo Eccleſiæ ſeculo in præcepto erat quotidiana communio. num.6.

Quarto ſeculo quater in hebdomada communicabant. n.7. Quinimmò diuini verbi auditus in præcepto erat. num.8.

Machometani quinquies per ſingulos dies in Moſcheas conueniunt. num.9.

In vnius hora moram ianebitur Panigarola. num.10.

Alij ex Regulis Societatis Ieſu, media horæ, aut paulò vltrà, durationem conuenientem eſſe ſtatuunt. num.11.

Ex Clericorum Regularium conſtitutione ſancitum eſt, vt nemo moram longius hora ſemiſſe protrahat, neue breuius triente contrahat. num.12.

1 DIco primò inconueniens eſt, extremas moras in Miſſa trahere, cùm quis publicè celebrat, eo loco, quo cateruatim populus confluit, Ita Antonius Molina *in Inſtruct. Sacerdotum tract.3. cap.14. §.2.* & ante eum vir ille tam doctus, quàm Sanctus Thomas de Kempis *lib.4. de imitatione Chriſti cap.10.* vbi ſic ſcribit: *Non ſis in celebrando nimis prolixus, aut feſtinus, ſed ſerua bonum communem modum, cum quibus viuis, non debet alijs generare moleſtiam, & tædium, ſed communem ſeruare viam, ſecundùm maiorum Inſtitutionem, & potius aliorum ſeruire vtilitati, quàm propriæ deuotioni, vel affectui*, ſic ille eleganter Gulielmus Pariſienſis *de Rett. diuin. cap.44. Qui Miſſas, inquit, adeò longas faciunt, quod tædio prolixitatis ſuæ, corda circumſtantium à gratia deuotionis areſcunt, & ipſam refectionem ſpiritualem, quam in Miſſis percipere deberent, in moleſtia amaritudinē eis vertunt. De his poteſt conqueri populus circumſtans, & dicere: dederunt in eſcam meam fel; ſtultitia igitur huiuſmodi hominum, hæc eſt, vt pro pugillo deuotionis, quod eis in Miſſis tribuitur, totius populi deuotionem Deo auferunt, & pro tribus, aut quatuor lachrymis deuotionis, aut compunctionis, vaſa magna, idest corda deuota, & lacrymoſa orationum effundunt.* Ita Guliel. Pariſienſ. & Durantus *in rationali diuinorum officiorum lib.4. cap.35. num.9.* ſic eruditè ait. *Ne muſcæ morientes perdant ſuauitatem vnguenti, ideſt ne importunæ cogitationes tollant deuotionem orationis, expeditè, non moroſè ſacrificium peragendum eſt; vnde in Exodo dicitur fac feſtinanter, quod de immolatione Agni dictum, & ibidem, comedetis feſtinanter; ſed nec etiam nimis feſtinanter; quia non debet ſacrificium ſine ſale, ideſt diſcretione offerri.* Ita Durantus, nec eſſe ob omni culpa immu-

2 nem nimiam eam celebrātis prolixitatem, ait Iulius Mazarinus *diſcurſu 99. in Pſalmum quinquageſimum*, & Panigarola

garola *in concione feriæ secundæ maioris hebdomadę p.2.*

Confirmatur idipsum Sanctorum exemplis, nam scribunt Authores vitæ S. Philippi Nerei, ac nostri B. Andreę Auellini, eos publicè celebrantes, numquam fuisse, sacrificij mora, molestos Ratio est, nam frigescente charitate multorum, consulendum est humanæ fragilitati: quare scribit S. Proculus apud Baronium *anno 446. numer.20.* Sanctum Basilium, ac S. Io. Chrysostomum Missæ sacrificium ad maiorem breuitatem reduxisse.

Dico secundò de duratione Missæ, quæ coram populo celebratur, variæ sunt sententiæ, omnesque probabiles.

3 Primò asserunt aliqui, Missam tres quadrantes, aut integram horam durantem, non esse extremè, & inconuenienter prolixam, Ita Antonius Molina *in Instruction. Sacerdotum tract.3.cap.14.§.2.* vbi sic scribit: *Vt verò declarem ex animi sententia, quam moram indicem esse extremam; dico Missam illam, quæ tres horæ quadrantes durat, quin, & hora integra, modò vltra non trahatur, minimè pro extrema tenendam esse. Quamuis enim minore spatio dici possit, non tamen adstringatur Sacerdos necesse est, ad eam breuitatem, quam si conetur seruare, etiam ritè potest, sed ipsi latitudo quędam relinquenda est; vt modestè, & grauiter, id queat perficere, quod maximè ferinm Ecclesia veneratur.*

4 Confirmatur id exemplo viri doctrina, ac pietate celeberrimi Patris Aloysij Granatensis, in cuius vita Aloysius Muñoz *lib.2. cap.5. fol.97.* scribit, solitum integra hora Missam protrahere.

Dices tanta mora, auditores, & tædio afficiuntur, ac scandalizantur.

Respondetur ex S.Thoma *2.2.quæst. 43. art.7.* non esse dimittenda bona spiritualia (qualis est deuota tanti sacrificij celebratio) ob scandalum, quod non ex ignorantia, neque ex fragilitate, sed ex malitia, & peruersa consuetudine procedit; probè enim sciunt fideles, quanta altissimo sacrificio debeatur reuerentia, & eorum tor-

5 por non ex fragilitate, sed ex praua, & inueterata consuetudine, ac rerum cælestium nausea procedit; vnde, & quam breuissimas Missas expetunt, quod conquæritur S. Augustinus *serm.251. de tempore,* vbi sic ait, *Dolendum est, quod sunt aliqui, & maximè potentes istius mundi, qui dum veniunt ad Ecclesiam, non sunt deuoti ad laudes Dei; sed cogunt Presbyterum vt abbreuiet Missam, & ad eorum libitum cantent, nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam, & auaritiam; quatenus vnus punctus diei ad Dei Officium, & reliquum diurnum spatium, simul cum nocte, ad eorum deputetur voluptates.* Ita S. August. Proh dolor quanta nostrorum temporum socordia, ac negligentia! olim secundo ferè exordientis Ecclesiæ sæculo, gubernante Ecclesiam Anacleto, in præcepto erat quotidiana communio, vt habetur *in cap. peracta de consecrat. dist.2.* qui vsus, etiam S. Hieronymi, atque Augustini ætate apud Romanos, Hispanosque viguit, *vt testatur ille in Apologia contra Iouinianum, & in epist. ad Lucianum; iste verò epist.121. & lib.2. de sermone Domini in monte cap.21. & sermone 28. de verbis Domini,* qui vsus quotidianę cōmunionis etiam hodie viget in Æthiopia in latissimo Imperio Presbyteri Ioannis, vt testes oculares horum temporum retulerunt. Quartò verò sæculo, quatuor in hebdomada, fideles ad sollemnia conuenisse, atque communicasse referunt S. Basilius Magnus *in epist. ad Cęsaream Patritiam.* S. Epiphanius *in compendiaria doctrina,* & Iustinus Martyr *in 2. apolo-*

get. quod apostolicum fuisse præceptum ostendit Bozius

8 *de signis Ecclesię lib.3. cap.5.* Quinimmò diuini verbi auditio, tunc ex præcepto adiungebatur, vt in Concilio Carthaginensi *4. cap.24.* refertur *in can. Sacerdote 63. de consecrat. dist.1. Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.* Iam verò vix dominicis, & festis diebus in Ecclesiam conuenientes, tempus per puncta, ac momenta dimetiuntur, & vel mediæ horulæ sacrum, æternum videtur. Viri Mahometani surgent in Iudicio cum generatione ista, &

9 condemnabunt eam; ipsi enim quinquies per singulos dies in moscheas conuenientes, nempè in aurora, in meridie, in occasu, per horam cum dimidia antè, & pòst occasum, (refero, quæ inter eos diu commoratus, obseruaui) tanta confluunt frequentia, & silentio, reuerentia, attentione, vt me recogitantem pudeat; talis precum canon, tam exactè custoditur, vt qui transgressor compertus fuerit, tamquam infamis à dicendo testimonio in iudicio repellatur. Sed redeamus ad conuenientem Missæ moram.

Reuera tamen integræ horæ moram, iam omnes abhorent, & in eam prolixitatem inuehitur eloquentissimus Panigarola Episcopus Astensis in *Concione ferię secundę maioris hebdomadę par.2.*

Secundò, hanc Sacrificij durationem statuunt alij, vt sit mediæ horæ, & paulò vltrà, ita habetur in Illustrissimæ Societatis Iesu Regulis, *in Regulis Sacerdotum §.4. fol. 254. Cæremonias Missę ex vsu Romano accuratè quisque obseruet, in eaque celebranda pronunciationem, & quamcumque aliam exteriorem actionem ita moderetur, vt non minus aliorum ędificationi, quàm proprię deuotioni seruiat, ideò semihoram in faciendo sacro, nec multum excedat, neque ita breuis sit, vt illam non expleat.*

12 Tertiò, nostræ Religionis Clericorum Regularium Decretum *sancitum anno 1618. in Capitulo Generali par. 1. cap.3. §.5.* sic loquitur: *Vnusquisque ex stato ritu nostro nostro, ac more sacrum accuratè agat, in eoque nemo moram longiùs horę semissę protrahat, neue breuius triente contrahat;* sic ibi.

QVÆSTIO LVI.

An si quis audit Missam è fenestra domus, impleat præceptum?

SVMMARIVM.

Negant aliqui. numer.1. Sed affirmandum censeo. numer.2. Dummodo sit in tanta distantia, vt Sacerdotem videre, & alta voce clamantem audire possit. numer.3.

Quę sit præsentia moralis? num.4.

Pręsens dicitur, qui videt, & percipit ea, quę fiunt. numer.5.

Vicini dicuntur, quorum voces inuicem clamantium exaudiuntur. num.6. Dummodo sit vox communis, hominis clamantis. num.7.

Valet matrimonium contractum à duobus extra Ecclesiam, vidente Parocho existente in altari. num.8. Posset inde Sacerdos absoluere moribundum existentem in fenestra oppositę domus, dummodo videre, aut audire clamantem posset. num.9.

In quanta distantia possit Sacerdos consecrare? num.10.

Incurrit excommunicationem, qui è fenestra suæ domus aspiceret duos pugnantes in duella intra aliam domum. num.11. Dummodo audire posset vocem clamantium, alioquin si à longè aspiceret, ita vt non posset audire vocem inde clamantis, non esset moraliter præsens, neque censuram incurreret; neque ex eo loco satisfaceret præcepto Missæ. num.12. & 13.

Si Missa celebratur in alta turri, & foris assistens nihil videret, nihilque audiret, non satisfaceret præcepto. n.14.

Si aliquod impedimentum impediat existenti extra Ecclesiam aspectum Sacerdotis, dummodo non sit populus astans, non satisfaceret. num.15.

1 NEgant Filliuccius *tom.1. tract.5. cap.7. numer.209.* vbi sic ait: *Qui domi è regione v.g. fenestra, vel portæ Ecclesiæ Missam audit, vel videt, non dicitur moraliter præsens, & ideò nec satisfacit.* Escobar *in Theol. morali tract.1. exam.11. cap.2. in fine.* Toletus *lib.6. cap.6. num.2.* Diana *par.4. tract.4. resol.154.* Portel *verbo Indulgentia in addit. num.8.*

2 Affirmandum tamen puto cum Eminentissimo Lugo *de Eucharist. disp.22. sect.2. num.21.* vbi sic scribit: *Quid dicendum de illo, qui ex fenestra, quam domi habet, videt Sacerdotem in Ecclesia exaduerso celebrantem, an hic ex fenestra assistat sufficienter, & satisfaciat præcepto? Negare videtur Filliuccius, cui subscribit Diana, Quod quidem verum iudicarem, quando inter fenestram, & Ecclesiam, adest via nimis lata, quæ altare multum remotum reddat à fenestra, non tamen placet in vniuersum, quia potest contingere, esse adeò vicinam fenestram altari, vt moralem præsentiam non impediat; prout de facto in hoc nostro Collegio Romano, habemus sacellum priuatum, cuius altare à fenestris domus aduersæ non plusquam triginta passus distat, & perinde ab illa fenestra audiri potest vel percipi Missa, licet via publica intercedat: ac si intra Ecclesiam paruam audiretur ab aliquo ibi existente.* Hæc Card. Lugo: eidem doctrinæ fauet Gordonus *tom.2. Theol. moralis lib.6. quæst.7. cap.2. §.3. num.12.* vbi ait: *Quod dummodo possit vtcumque cognoscere, quid agat, & in qua parte Missæ versetur Sacerdos celebrans, satis est; etiam si sit extra Ecclesiam, sic enim dici potest morali modo, imò & physicè de numero eorum, qui in canone dicuntur circumstantes.* Ita Gordonus, quem minùs rectè Diana interpretatur de existente extra Ecclesiam, sed in eius atrio: fauet quoque Pasqualigus *decis.173. num.4.* vbi ait: satis esse ex fenestra, vel alio simili loco assistere, quia non est de ratione accessus, ingressus in locum ad quem acceditur. Fauent denique illi, qui vniuersim docent, sufficere esse præsentem Sacerdoti, etiam à longinquo assistendo, Ita Nauarr. *in man. cap 21. numer.8. &* Azor. *par.1. lib.7. cap.3. quæst.4.*

3 Dico igitur satisfacere præcepto Missæ assistentem ex fenestra suæ domus, dummodo possit, remoto populo circumstante, videre Sacerdotem, seu si nullum sit impedimentum visus, nisi fortè circumstans Populus, ac præterea si sit in tanta distantia, vt posset audire communem vocem hominis altè, & fortiter clamantis in altari.

4 Probatur primò, quia vt rectè docet Fagundez *præc. 1. lib.2. cap.7. num.2.* In hoc præcepto præcipitur præsentialis, & corporalis assistentia; cum verò hæc corporalis præsentia natura sua ordinetur ad percipienda sensibiliter verba, ac cæremonias Missæ, talis præsentia requiritur, qualis necessaria est ad illa percipienda: percipere autem nihil aliud est, quàm sensu aliquo externo aduertere ad id quod fit; vnde cùm quinque sint sensus externi sufficit vt aliquo illorum res diuina percipiatur: sed audiens Missam è fenestra aliquo sensu externo percipit sacra verba, aut sacras cæremonias; ergo est moraliter præsens, & satisfacit præcepto.

5 Secundò, quia ille dicitur moraliter præsens, qui videt, & intelligit ea, quæ aguntur: tex. est expressus *in l. coram titio 209. ff. de verborum significat.* ibi: *Coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat*: vbi Rebuffus *vers.8.* ait: quòd vbi ius requirit præsentiam personæ, non intelligitur aliquis præsens esse, nisi intelligat quid agatur. Communiter quoque Doctores docent eum præsentem dici, qui videt, & percipit ea, quæ fiunt, Glosa *in extrauag. execrabilis, verbo coram de præbendis* Glosa *in cap. in primis 2. qu.1. vers. præsente*, latè Felinus *in proœmia Decretal. in princ. num.22. & seq.* ergo est moraliter præsens, qui ex fenestra suæ domus adstat sacrificio, nam hic potest videre, & percipere mysteria, non minus ac ij, qui sunt in Ecclesia.

6 Tertiò, quia in iure paria sunt, esse sub eodem tecto, vel cubiculo, ac in ea distantia, vt humana vox altè clamantis exaudiri posset, tex. *est in l.1. §. eod. ff. ad Sillanianum* ibi: *Quicumque eo loci fuerint, vnde vocem exaudire potuerunt bi puniantur; quasi sub eodem tecto fuerint.* Vbi Bartol. & omnes notant: *vicinos dici eos, quorum voces altè clamantium exaudiri possunt*, idem docent Bartolus *in l. si tertius in principio ff. de aqua pluuia arcenda*, Baldus *in l. si vicinis C. de nuptijs*, Alexander *cons.22. n.2. vers. aliud vol.4. & cons.63. in fine vol.7.* Signorolus *cons.32.* Tiraq. *de retractu consang. §.1. Glosa 9. num.21.* Ancaranus *in cap. canonum statuta num.284. de constit.*

7 vbi ait: *vicinos dici vsque locum vbi potest exaudiri vox hominis clamantis, vox tamen communis, & secundùm naturalem, & communem vsum temporum*, idemque scribit Menochius *de arbitrar. casu 221. num.15.* ergo is qui è fenestra suæ domus astans, non solum potest audire vocem altè clamantis in altari, sed etiam videre Sacerdotem sacrificantem, hic ne dum dicendus est vicinus, sed etiam corporaliter præsens: Ratio à priori est, quia colloquutio est inter præsentes; ergo qui videt è fenestra Sacerdotem *in* altari, cum quo fortiter clamando colloqui posset, hic erit Sacerdoti moraliter præsens.

8 Quartò, si Parochus existens in altari, conspiceret in fenestra oppositæ domus duos ineuntes matrimonium, & perciperet eorum mutuum consensum, vtique tale matrimonium validum esset; quia factum esset præsente Parocho, iuxta tradita per Sanchez *de matrimon. lib.3. disp.39. nu.1.* & Pontium *de matrim. lib.5. cap.21. num.8.* ergo etiam præsens est moraliter, qui è fenestra assistit sacrificio.

9 Quintò, si Sacerdos sit in altari, & videat existentem in fenestra oppositę domus vulneratum clamantem confessione, posset ex altari eum absoluere, vt in simili casu docet Reginaldus *lib.8. num.32.* Probo, nam pronomen illud Te, quod est demonstratiuum propriè demonstrat personam colloquentem; at vulneratus loquitur Sacerdoti petens ab eo absolutionem; ergo validè absoluitur; ergo existens in fenestra domus est propriè, & moraliter præsens Sacerdoti, quem videt in altari celebran-

bran-

brantem: quanta autem debeat esse ea distantia iam pa-
tet ex dictis, nempè vt exaudiri posset vox communis,
hominis altè, & validè clamantis.

10 Sextò, quamuis variæ sint opiniones in quanta distan-
tia possit Sacerdos valide hostiam consecrare, adeò vt
Suarez *3. par. tom. 3. disp. 43. sect. 5. vers. sed quæres pri-
mo: dicat solùm Deum posse determinatam distantiam de-
finire*, & Card. Lugo *de Eucharist. disp. 4. sect. 7. nu. 125.*
asserat: *Non posse certam regulam assignari*: Tamen mihi
placet sententia Viguerij *in instit. tit. de Eucharistia num.
156. in fine* vbi ait: quòd ad hoc, vt materia sit præsens
in hoc Sacramento duo requiruntur: *Primò quòd aliquo
sensu eius præsentia à consecratore percipi possit. Secundò
quòd sonus verborum possit illam contingere*; quam sen-
tentiam immeritò reijcit Suarez; si quidem ea, si decla-
retur, optimè præsentiam materiæ definit: nam dum
asserit, *quod sonus verborum possit materiam contingere*,
significat, quod sit materia in tanta distantia à Sacerdo-
te, vt si ab alio teneretur in manu, posset Sacerdos te-
nentem alloqui, fortiter clamando: *Hoc est corpus meum*,
& ab eo audiretur; sic enim optimè ly *hoc* demonstrat
præsentem materiam; nam est in tanta distantia, vt pos-
sint duo colloqui: colloquentes autem sunt inuicem præ-
sentes, & inter colloquentes proprijssimè vsurpatur pro-
nomen demonstratiuum *Hoc*: sicuti proprijssimè tenen-
ti in manu saeculum meæ pecuniæ dicerem: *Hoc tibi do-
no*. Ratio est, quia pronomen hoc institutum est ad rem
audienti demonstrandam: ergo quotiescumque res est
intra eam distantiam, in qua colloquens posset audire,
ea res est demonstrabilis pronomine *hoc*: Ergo si Sacer-
dos existens in fenestra domus oppositæ est moraliter
præsens, adeò vt possit validè, quamuis illicitè, conse-
crare panem existentem in altari; cur alter non erit di-
cendus moraliter præsens, vt ex eodem loco satisfaciat
Missæ præcepto? si potest Sacerdos ex eo loco principa-
liter offerre sacrificium, cur non poterit assistens idem
offerre sacrificium? omnes enim astantes offerunt cum
Sacerdote, vt post alios docet Suarez *3. par. tom. 3. disp.
87. sect. 3. in fine*.

11 Septimò, incurreret excommunicationem latam con-
tra spectatores duelli, qui ex proposito è fenestra suæ
domus conspiceret duos pugnantes intra aliam domum;
esset enim iste moraliter præsens; dummodo esset in tan-
ta distantia, vt posset eos clamantes audire; alioquin si
à longè aspiceret, ita vt non posset audire clamantes
non esset moraliter præsens; vnde nec censuram incur-
reret, vt rectè docet doctissimus noster Carrafa *de duel-
lo tract. 2. sect. 3. qu. 11. nu. 4.* ergo etiam aspiciens à fe-
nestra Sacerdotem, in tanta distantia, vt posset vocem
12 clamantis audire, satisfacit præcepto; nam est morali-
ter præsens; secus esset, si adeò à longè astaret, vt vi-
deret quidem, sed audire clamantem non posset; tunc
enim solus aspectus non sufficeret ad moralem præsen-
tiam; vnde ex solo aspectu Sacerdotis non satisfaceret
Missæ præcepto.

13 Octauò, quia sic in plerisque locis obseruat praxis fi-
delium; in nundinis enim existentes in foro audiunt Mis-
sam, quæ celebratur in loco patenti, & eminenti; sic quo-
que ij qui sunt in nauibus satisfaciunt Missæ pręcepto ce-
lebrata Missa in portu, in ædicula omnibus patente: id
14 quoque indicat Fagundez *præcep. 1. lib. 2. cap. 7. num. 3.*
vbi ait, non satisfacere præcepto cum, qui celebrata Mis-
sa in alta turri, foris assisteret, nihil videns, audiensue;
ergo satis faceret si videret, aut audiret.

15 Aduerto tamen non satisfacere præcepto, si ob ali-
quod impedimentum (præter populum assistentem) Sa-
cerdotem ex fenestra videre non posset: quamuis enim
existens in Ecclesiam post columnam satisfaciat, vt do-
cent omnes, & Fagundez *dicto num. 3.* id tamen est, quia
continetur intra muros Ecclesiæ, quod maximè refert
ad moralem præsentiam; at existens extra Ecclesiam
nullum debet habere impedimentum videndi Sacerdo-
tem sacrificantem, ita vt posset videre, si populus non
assisteret; alioquin non reputatur moraliter præsens.

QVÆSTIO LVII.

Facta electione Canonica, & dimisso Capitulo, ac se re-
ceptis duobus vocalibus in suas cellulas, cùm cæteri
per dormitorium vagarentur, vnus vocalis interroga-
uit alterum ex scrutatoribus: an duo vocales (qui
cum protestatione fuerant admissi) essent suffragati
electo? & mox scrutator affirmauit, cui ne respon-
derer se duo vocales opposuerunt, tacentibus alijs.
Quæritur an ex hoc possit inualidari electio?

SVMMARIVM.

*Irrita est electio si Capitulum permittat publicari vota. n. 1.
Aut si eius culpa publicentur. num. 2. & 9.*

*Præsens & tacens, qui ex officio tenetur impedire, est in
culpa, & habetur pro consentiente. num. 3.*

Electio est nulla, quamuis vnicum votum publicetur. nu. 4.

*Si ante publicationem electi non comburuntur schedæ coram
Capitulo, nulla est electio Fratrum Minorum, ac Præ-
dicatorum. num. 5.*

*Nulla est electio, quamuis bona fide, & per ignorantiam
vota publicentur. num. 6.*

Quando sit forma Capituli, & quæ ad eam requirantur. n. 7.

Non dicitur permittere, qui non potest impedire. num. 8.

*Præsumitur actus factus bona fide, & ex ignorantia, quan-
do fit ex persuasione eius cui probabiliter credi potest.
num. 10.*

*Probabile est, posse vota publicari, quando id necesse est
ad tollendas lites. num. 11.*

*Quando sunt opiniones Doctorum præsumitur bona fides, &
ignorantia excusat. num. 12.*

*Post omninò perfectam electionem, ea nequit irritari pro-
pter publicationem votorum factam de consensu Capitu-
li. num. 13.*

PRo parte affirmatiua assertur primò, quia ex com-
muni Doctorum sententia, mens Concilij Tridenti-
ni *sess. 25. de regular. cap. 6.* fuit, vt Capitula facerent
1 electiones secretè, in hunc sensum, quod non permit-
tant fieri aliquid, ex quo publicari possi it vota eligen-
tium, & si tale quid permiserint, & factum fuerit, aut
2 si vota culpa, & dolo totius, aut maioris partis Capitu-
li publicarentur, electio non valeat, Ita Nauarrus *cons.
9. num. 3. tit. de electione lib. 1.* Rodriquez *qq. regular.
tom. 2. qu. 52. art. 9. & in Summa par. 1. cap. 102. num. 3.*
Layman *in qq. Canonicis de Electione qu. 182.* Miranda
in manuali Prelatorum tom. 2. qu. 23. art. 19. Castellinus
tract. de electione cap. 4. num. 3. & 61. Barbosa *collecta-
nea in Tridentinum sess. 25. de regul. cap. 6. num. 4. & 10.*

3 Sed

3 Sed in casu nostro Capitulum permisit publicationem votorum, & culpa illius fuit facta publicatio; nam singuli vocales tenebantur se opponere; quod patet, quia quando quis ex debito Officij tenetur se opponere, præsens, & tacens habetur pro consentiente, & est in culpa; vnde quando aliquid tractatur in vniuersitate, in qua singuli habent necesse dicere quod sentiunt, si aliquis tacet consentire præsumitur, Abbas *in capit. 1. de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli, & in cap. 2. numer. 9. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*, Mascardus *de probationibus concl. 1218. num. 24.* Menochius *cons. 58. num. 65. vol. 1. & præsumpt. lib. 6. præs. 99. nu. 45. & 46.*

4 Secundo, quia electio est nulla quamuis vnicum votum publicetur, ita declaratum à sacra Congregatione, & decisum à sacra Rota coram Coccino referunt Massobrius *in praxi habendi concursum præludio 8. numer. 69.* Garsias *de beneficijs par. 5. cap. 4. num. 184.* Sigismundus à Bononia *de electione dub. 31. numer. 4.* Barbosa *in Trident. sess. 25. de Regular. cap. 6. num. 5.* quamuis oppositum aliqui dicant, quos sequitur Pasqualigus *dec. 263.*

Tertiò, adeò Summi Pontifices voluerunt esse secretam electionem, vt Pius V. quoad fratres Prædicatores, & Sixtus V. quoad Minores declarauerint, nullas fore electiones, si post scrutinium, ante publicationem electi, schedulæ coram Capitulo non comburantur, ita Castellinus *de electione cap. 4. num. 62.*

5 Quartò, ita strictè hoc Decretum Concilij intelligendum est, vt si post electionem factam in Bullis confirmationis, seu patentibus exprimerentur nomina eligentium, electio esset nulla, ita declarasse sacram Congregationem refert Castellinus *de electione cap. 4. num. 61.*

6 Quintò, non iuuat allegare bonam fidem, aut ignorantiam; nam publicatis votis electio nulla est, vtpotè contra formam Concilij, vt referunt decisum Riccius *decis. 97. nu. 7. par. 4.* Molfesius *in Summa par. 1. tract. 6. cap. 16. numer. 156.* Sigismundus à Bononia *de electione dub. 31. num. 10.*

His tamen non obstantibus, Respondeo validam esse hanc electionem, seu eam inualidari non posse, quod ex quatuor sequentibus fundamentis demonstro, nempè Primò, quia quando publicatio fuit facta, non erat forma Capituli, nec tunc erat congregatum Capitulum. Secundò, quia estò esset congregatum Capitulum, tamen ea publicatio non fuit permissa à Capitulo. Tertiò estò permisisset, tamen non fuit culpa Capituli in ea permissione. Quartò estò deliberatè Capitulum consensisset, tamen publicatio facta ex consensu Capituli post electionem omninò completam, perfectam, & validam, eam inualidare non potest.

Primum itaque fundamentum est, quia quando publicatio fuit facta, non erat forma Capituli, nec tunc erat congregatum Capitulum, quod ex facto clarè ostenditur, nam completa omninò, & perfecta electione, per vota omninò secreta, publicato electo, gratijs ab ipso Patribus redditis, Patres vocales ad alia diuerterunt, & discesserunt à loco Capituli, & duo se receperunt in suas cellulas; alij verò per dormitorium hinc inde vagabantur; tunc vnus vocalis interrogauit scrutatorem, & scrutator mox respondit: ergo non erat forma Capituli: id autem

7 Primò ostenditur doctrina Romani *cons. 330. nu. 20.* vbi ait: quòd si electio fiat à minore parte Capituli, licèt postea extra Capitulum accedant tot, quot faciunt maiorem partem, tamen non dicitur facta à maiori parte, neque est legitima; quia non est tunc forma Capituli.

Secundo, quia tunc dicitur esse forma Capituli, (vt ait Angelus *cons. 45. vers. de forma*) quando tria concurrunt Primò, quòd congregetur Capitulum de mandato eius, ad quem spectat, nempè Prioris, *cap. 1.* vbi Innocent. *de maiorit. & obedientia*, præsertim quando aliqui sunt absentes, Innocentius *in cap. cum nobis nu. 3. de elect.* At in casu nostro aliqui erant absentes, nempè illi duo commorantes in cellulis, qui non fuerunt vocati, & Patres non habebant ius se congregandi capitulariter pro eo actu, neque Præpositus conuocauit, qui absens erat. Secundò ad formam Capituli requiritur, vt conuocetur more solito, vt ad sonum campanulæ, & in loco consueto, Baldus *cons. 283. vol. 1.* quod non fuit in casu nostro. Tertiò ad formam Capituli requiritur, vt vota singulorum exquirantur, Angelus *dicto cons. 45. vers. de forma*, & tunc vocales sunt in culpa tacendo, quando fuerunt requisiti, vt aperirent suum votum, ita Menochius *lib. 6. præs. 99. num. 45. & 46.* At in hac interrogatione, nihil ex his obseruatum fuit, nam coram pluribus vocalibus extra Capitulum, eo non conuocato, cæteris non requisitis, vnus interrogauit scrutatorem, & scrutator mox respondit: Ergo non fuit nec forma, nec vmbra Capituli.

8 Secundum fundamentum est, quia estò esset congregatum Capitulum, tamen ea publicatio non fuit permissa à Capitulo, probo; nam tunc esset permissa, quando fuisset voluntaria: sed non fuit voluntaria Capitulo: ergo nec permissa. Ad voluntariam enim omissionem tria requiruntur, quod quis possit opus agere; quod non agat, & quod teneatur agere, ita S. Thomas *1. 2. qu. 6. art. 3.* vbi Caietanus, Medina, Vasquez, & alij: sed Patres vocales impedire non potuerunt scrutatorem, ne responderet, nam scrutator interrogatus mox, & immediatè respondit affirmando, ac dicendo: *maximè*; ergo eius responsio non fuit permissa à Patribus, qui tacuerunt; nam illam impedire non potuerunt: vnde rectè ait Menochius *de præsumpt. lib. 6. præs. 99. numer. 56.* quod tacens non dicitur consentire, quando contradicere non potest. Immò vix audita interrogatione, duo se opposuerunt, dicendo: *non debere publicari, quia ob hanc causam fuit inualidata alia electio*, & scrutator iam responderat, & frustrà alij contradixissent; & vtique contradixissent, si fuisset tempus contradicendi, & audiuissent propter hanc causam electionem annullatam: ergo cùm Capitulum prohibere non potuerit responsionem scrutatoris, ex defectu temporis; illam aliquo modo non permisit.

Tertium fundamentum est, quia Doctores docent
tunc electionem ob publicationem vnius, aut alterius
suffragij annullari, quando culpa Capituli, & eius dolo
9 suffragia publicantur, Ita Rodriquez *in Summa par. 1.*
cap. 102. num. 4. Castellinus *de elect. cap. 4. num. 3.* Bar-
bosa *in Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 6. nu. 4.* At
estò Capitulum permisisset publicationem, tamen ea
permissio non fuit culpabilis, quod clarè ostendo.

Primò, quia antequam ille vocalis interrogaret scrutatorem, vnus vocalis dixerat, Romæ fuisse interrogatos scrutatores post electionem, an Patres admissi cum protestatione fuissent suffragati electo? ergo illi, qui ea credentes tacuerunt, habuerunt rationabilem causam tacendi; nec ea permissio fuit ex dolo, aut culpa Capituli;

nam

nam quando constat de persuasione alicuius personæ
10 cui probabiliter credi potest, & fides adhiberi debet, tunc actus contra iuris dispositionem confectus, per ignorantiam,& errorem præsumitur factus, Glosa *in l.2. in fine ff. quando actio de peculio est annalis*, Decius *cons.* 318. *col.*3. Crauetta *cons.* 157. *num.*14. Menoch. *de præsum. lib.6. præsum.*23. *num.*27.

Secundò, quia probabilis est opinio: posse publicari
11 suffragia eorum,qui fuerunt cum protestatione admissi, nam si constaret quod non fuissent electo suffragati,tunc absque vlla lite valida esset electio, vt ait Peregrinus *in addition. ad constitutiones Clericorum Regularium par.*2. *dub.*6. Vnde pro bono pacis, & ad remouendas lites, expedit publicari, & posse eo casu publicari, expressè docent Bordonus *in Consilijs Regularium resol.*26. *num.*3. & Portellius *in responsis moralibus par.*2. *casu* 4. *num.*2. vbi sic scribit: *Si necessitas postulet, possunt nomina eligentium reuelari, sine eo, quod Concilio contradiceretur, & salua validitate electionis, tunc enim publicando, lites, & discordia inter Religiosos cessabunt.* Ita Portellius: Ergo non fuerunt in culpa illi, qui tacuerunt; etiam si habuissent tempus se opponendi;nam estò hæc opinio non
12 esset vera, quæ tamen mihi videtur verissima; tamen certum est, quòd ignorantia iuris, in quo sunt opiniones hinc inde, excusat etiam iuris peritum à dolo, culpa, & pœna; quia opiniones Doctorum faciunt rem dubiam; & tantùm quis est in culpa, quando articulus est indubitatus, Alexander *consil.*19. *nu.*11. *vers. non enim debet vol.*7.

Quartum fundamentum est, quia estò Capitulum deliberatè consensisset, tamen ea publicatio facta ex con-
13 sensu Capituli post electionem omninò completam,omninò perfectam,& validam, illam inualidare non potest, quod apertissimè ostendo.

Primò, ex authoritate Doctorum, quorum nullus docet,omninò perfecta,& completa electione,eam posse inualidari ex eo,quòd deinde vota publicentur ex culpa, vel sine culpa Capituli, & omnes loquuntur de inualiditate ob publicationem factam, ante completam electionem, Ita Nauarrus, Rodriquez, Miranda, Castellinus, Layman, Barbosa, & alij, quibus addo Molfesium *par.*1. *Summa tract.*6. *cap.*16. *numer.*153. Immò alij expressè docent, si post completam electionem aliquis ostendat schedulas, electionem non inualidari, Ita Garsias *de beneficijs par.*5. *cap.*4. *num.*198. & Bordonus *in Consilijs Regularium resol.*26. *num.*50.

Probatur secundò, ex regula iuris, nam actus à principio validus, & perfectus non irritatur ex superuenienti causa,*cap. factum legitimè* 73. *de regulis iuris in* 6. *l. in ambiguis* §. *non est nouum ff. cod.* Surdus *cons.*18. *nu.*12. *& cons.*145. *num.*18. *vol.*1.

Probatur tertiò, ex apertissimis verbis Tridentini *sess.*25. *de regularibus c.*6. vbi sic habetur: *Districtè præcipit eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina, numquam publicentur; si verò contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.* Ita Tridentinum: sed iste electus est, non contra, sed iuxta huius decreti constitutionem, nam quousque completa est electio, vota fuerunt secreta: ergo electio non est irrita; Tridentinum enim irritat electionem, quę quando est in fieri, publicantur vota. Præterea illa particula, *nunquam*, posita in Tridentino explicanda est, vt post electionem nunquam licitè publicari possint vota,

Ita Bordonus *in resolut. regularium resol.*26. *num.*50.

Probatur quartò, euidenti ratione, nam estò Capitulum vellet alium eligere, non potest; ergo nec potest ex eius culpa, consentiendo publicari vota, irritare electionem omninò perfectam, & completam; quia non potest sua culpa tollere ius perfectè electo quæsitum; quod patet à pari, nam si scriba, vel alius ante electionem completam ostendat vnam schedulam,vel alteram, valida est electio; quia defectus vnius de Capitulo nocere non potest toti Capitulo, & actui aliàs ab eo legitimè facto, *cap. firma*, vbi Doctores *de procuratoribus*, peccatum enim vnius non debet imputari alijs, neque aliorum electionem vitiare, alioquin esset in potestate cuiuslibet electionem vitiare, Ita Nauarrus *lib.*1. *tit. de elect. cons.*9. Rodriquez *qq. Regularium tom.*2. *quæst.*52. *art.*9. Miranda *in manuali Prælatorum tom.*2. *quæst.*23. *art.*19. Layman *de electione quæst.*182. Garsias *de beneficijs par.*5. *cap.*4. *num.*198. Ergo completa, & perfecta electione non debet dolus, aut culpa Capituli nocere electo; quamuis enim culpa Capituli ante perfectam electionem nocere possit electo; tamen tunc non est electo ius perfectè quæsitum.

Non obstat autem primò, quòd Pius V. & Sixtus V. declarauerint nullas electiones Fratrum Prædicatorum, & Minorum, si non comburantur schedulæ ante publicationem electi; nam adhuc electio non est completa; & est statutum particulare earum Religionum; quod si non comburantur schedæ ante publicationem electi,electio sit nulla, vt patet ex Castellino *de electione capit.*4. *num.*62. nam de iure communi non est necesse vt comburantur, sufficit enim eas non ostendi, vt patet ex Garsia *de beneficijs par.*5. *cap.*4. *num.*188. & probat Bordonus *in resol. Regularium resol.*26. *num.*49. vbi probat validam esse electionem; quamuis schedulæ non comburantur.

Neque obstat secundò illa declaratio sacræ Congregationis, nullam esse electionem, si in litteris confirmationis exprimantur nomina eligentium,nam ea declaratio(estò esset authentica) tamen loquitur quoad Fratres Prædicatores, & quoad istos est peculiare statutum, ne suffragia notificentur confirmatori, vt ait Castellinus *de electione cap.*4. *num.*61. Quando autem in Bullis confirmationis nomina exprimuntur, tunc supponitur ante confirmationem, & sic ante omninò perfectam electionem, publicari, & notificari Confirmatori vota eligentium; quare non inualidatur electio postquam est omninò completa, & perfecta; nam per confirmationem perficitur.

Ex dictis patet responsio ad contraria argumenta initio allata, & ad vltimum argumentum respondetur tunc ignoranter factam electionem per publica vota esse nullam, quando est publicatio maioris partis votorum, aut omnium, & antequam perficiatur electio; & in hoc sensu loquuntur Doctores citati.

Ex his, præsertim vltimo fundamento, Eminentissimi Domini sacræ Congregationis Regularium die 18. *Februarij* 1650. decreuerunt validam esse electionem.

* * *

QVÆ-

QVÆSTIO LVIII.

An omittens ex horis Canonicis Tertiam, vel Sextam, aut Nonam peccet mortaliter?

SVMMARIVM.

Retractatur opinio negatiua posita tract.1. quæst.16. quia oppositum declarauit sacra Congregatio. num.1. & 2.

Omnes obligati ad recitandum ex statu Ecclesiastico, quem profitentur, vt Clerici Maiorum Ordinum, Beneficiati, & religiosæ personæ vtriusque sexus peccant mortaliter omittentes vnam horam ex paruis. num.3. Secus si obligentur recitare ex pœnitentia, aut ex voto. numer.8. Quia in illis dicuntur preces publicæ, tanquam Ministrorum Ecclesiæ orantium pro toto fideli populo; in istis dicuntur preces priuatæ. num.6. 8. 13.

Ad constituendam materiam grauem, consideratur non solùm quantitas, sed etiam qualitas rei præceptæ. nu.9. 13.

Quæ sit materia grauis desumitur ex iudicio prudentum. num.4. Ac ex communi sensu fidelium. num.5.

Horæ Canonicæ ab Apostolorum tempore à Clericis Deo persolutæ. num.7.

Quando Sacerdos in Missa aliquid omittens peccet mortaliter, vel venialiter? num.10.

Psalmus integer voluntariè omissus in publico Choro est peccatum mortale. num.11.

An comedens in quadragesima ouum integrum peccet mortaliter, & quid si modicam quantitatem carnis? nu.12.

Omittens ex corona Virginis viginti Aue, & duo Pater, peccat venialiter. num.14.

Quare Clerici Maiorum Ordinum, Beneficiati, & religiosæ personæ vtriusque sexus recitent horas Canonicas, tanquam deputati Ministri Ecclesiæ, & sint publicæ preces respectu eorum? num.15.

Non dicitur beneficium Ecclesiasticum, neque adest obligatio recitandi horas Canonicas, nisi sit fundatum authoritate Episcopi. num.16.

Diaconi, & Subdiaconi. & Religiosi vtriusque sexus tenentur ad recitandum ex antiquissima vniuersali consuetudine. num.17. 18. & 19.

1 NEgatiuè respondi *tract.1. quæst.16.* quam opinionem, præter Marchinum, & Io. Caramuel, quos ibi adduxi, tuetur etiam Iacob. Marchantius *in resolution. Pastoralibus par.2. tract.7. cap.2. quæst.1.* & Bonartius *de Horis Canonicis cap.19. num.12.*

2 Verùm post typis impressum meum primum tractatum, audiui oppositum fuisse à sacra Congregatione declaratum, cui declarationi humiliter subscribens recedo à priori opinione.

3 Dico igitur, omnes, qui ex statu Ecclesiastico tenentur ad recitandas horas Canonicas, cuiusmodi sunt Clerici Maiorum Ordinum, Beneficiati, & religiosæ personæ Choro addictæ vtriusque sexus, omittentes vnam horam paruam, vt Tertiam, Sextam, aut Nonam, mortaliter peccare.

Probatur primò, ex prædicta declaratione sacræ Congregationis.

4 Secundò, quia quæ sit parua, vel grauis materia desumenda est ex æstimatione prudentum, Sanchez *in Summa lib.1. cap.4. num.2.* At doctissimi, & prudentissimi viri ferè omnes, horam paruam esse grauem materiam censuerunt: ergo talis æstimanda est, atque sufficiens ad peccatum mortale.

Tertiò, quia vt etiam docet Castropalaus *to.1. tract.2. disput.2. pun.7. num.2.* paruitas vel grauitas materiæ ex
5 communi sensu fidelium desumenda est: communiter autem fideles censent hanc esse grauem, & tanquam de mortali se accusant, cùm omittunt.

6 Quartò, quia horæ Canonicæ, quæ persoluuntur à Ministris ab Ecclesia deputatis, sunt preces publicæ, ac nomine totius populi fidelis Deo offeruntur; ita S. Thomas 2. 2. *quæst.83. art.12. in corp.* vbi ait: *Quod duplex est oratio, communis, & singularis: communis quidem oratio est, quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis Deo offertur*; & idem S. Thomas *opusc.19. cap.5.* inquit: *Orationibus & Psalmis vocare in Ecclesia Diuinum Officium celebrando, est quoddam opus publicum, ad Ecclesiæ ædificationem ordinatum.* Quarè meritò Horæ Ca-
7 nonicæ ab Apostolorum tempore, semper in Ecclesia, certis temporibus, à Clericis, Deo persolutæ sunt, Clemens Romanus *lib.8. constitut. Apostol. cap.30.* S. Basilius *in regulis fusius disput. interrogat.37.* S. Hieronymus *epist.22.* S. Io. Chrysostomus *hom.59. ad popul. Antioch.* S. Ambrosius *lib.7. in Lucam*. Vnde omnes, qui sunt in statu Ecclesiastico, destinantur tanquam Ministri Ecclesiæ, vt in persona totius fidelis populi Deo horas Canonicas persoluant: Igitur cùm horæ Canonicæ, quæ à Ministris Ecclesiæ persoluuntur, sint preces publicæ; proinde ad constituendam grauem materiam minor quanti-
8 tas sufficit, quàm si essent preces priuatæ; vt si quis diceret eas ex voto, aut ex pœnitentia iniuncta sibi à Confessario: ergo quamuis hora parua non sit grauis materia respectu eius, qui ad eam tenetur ex voto, aut ex pœnitentia; erit grauis, & sufficiens ad peccatum mortale respectu Ministrorum Ecclesiæ, vt Clericorum Maiorum Ordinum, beneficiatorum, ac Religiosarum per-
9 sonarum. Ratio est, quia ad constituendam grauitatem materiæ non solùm quantitas, sed etiam qualitas precum, seu alterius rei debet attendi: sic si Sacerdos in Mis-
10 sa voluntariè omitteret *Gloria in excelsis*, vel *Credo* non peccaret mortaliter; Filliuccius *to.1. tract.5. n.155.* Diana *par.5. tract.5. resol.45.* at peccaret mortaliter, si totidem versus relinqueret ex Canone, vnde Suarez *de Religione tom.2. tract.4. lib.4. cap.13. num.3.* ait: *Quod in Missa grauius est omittere verbum vnum in Canone, quàm integram orationem extra illam.* Ratio est, quia Canon magis proximè accedit ad sacrificium Missæ; vnde maxima reuerentia semper ab initio nascentis Ecclesiæ fuit à Sanctis Patribus recitatus, & custoditus, Bellarminus *de Missa lib.2. cap.19.* posset autem adeo esse parua quantitas omissa in Canone, vt quinque verbium, vt etiam attenta qualitate, non sit, nisi peccatum veniale, Diana *par.5. tract.5. resol.45.* sic etiam Suarez *de Religione tom.2. tract.4. lib.4. cap.13. num.2. & 3.* ait: *Quod solet iudicari pars grauis cuiuslibet horæ tertia pars eius, sed minor quantitas posset sufficere in Choro; quia totum Officium grauius est. &* numer. 3. inquit: *Consideranda est*
11 *dignitas, vel singularis necessitas partis omissæ; deinde absoluta quantitas eius consideranda est; nam certè integer Psalmus videtur sufficiens quantitas ad peccatum mortale pro publico officio, si voluntariè omittatur*; idem docent Merolla *tom.1. disp.2. cap.4. dub.7. difficul.3. num.127.* Diana *par.5. tract.5. resol.26.* Ergo non solùm quanti-

tas,

tus, sed etiam qualitas precum consideranda est, ad
12 grauitatem materiæ constituendam. Præterea idem ostendo alijs exemplis, comedens ouum in Sicilia (vbi ex Bulla cum ouis ieiunari potest) peccat venialiter ex paruitate materiæ; nam ouum coctum non attingit duas vncias: duæ autem vnciæ sunt parua materia in ieiunio, Diana *par.5. tract.5. res.11.* at Neapoli comedens ouum peccaret mortaliter; quia duæ vnciæ, considerata etiam qualitate cibi prohibiti, non sunt materia parua: sed esset parua materia, & sic peccatum veniale, si Neapoli comedas octauam partem oui, aut eandem quantitatem carnis, quia adeò modica quantitas, etiam considerata qualitate cibi prohibiti, est parua materia, Sanchez *in Summa, tom.1. lib.2. cap.8. num.17.* Tannerus, Merolla, Mendozza, & Antonius de Leone, quos citat & sequitur Diana *par.2. tract.12. resol.43. & par.5. tract.5. resol.32.*

13 Itaque ex dictis patet, quòd ad grauitatem materiæ constituendam, consideranda est, non solùm quantitas, sed etiam qualitas: nam eadem quantitas considerata qualitate, potest esse sufficiens ad peccatum mortale; quæ alioquin non esset sufficiens: Quando igitur recitantur Horæ canonicæ à Ministris Ecclesiæ, tunc dicuntur publicæ preces, & sic minor quantitas requiritur, quàm si recitentur ex voto, vel pœnitentia; quia tunc sunt priuatæ præces; vnde vnius horæ paruæ omissio erit peccatum mortale in Clericis Minorum Ordinum, beneficiatis, ac Religiosis personis vtriusque sexus; quia attenta qualitate publicarum precum est grauis materia; at non erit grauis materia omissio vnius horæ paruæ in recitante ex voto, aut pœnitentia; quia tunc sunt priuatæ preces, & ea quantitas parua est, siue absolutè, siue respectiuè ad totum officium consideretur, vt probaui *tract.1. quæst.16.*

14 Id autem vlteriùs probo hoc argumento, nam Castropalaus *tom.1. trac.2. disp.2. punct.7. in fine*, qui docet peccare mortaliter omittentem ex Horis canonicis vltra tertiam partem vnius horæ paruæ, idem tamen ibi docet, peccare venialiter eum, qui obligatus ad coronam Virginis ex voto, vel præcepto, omittit decennarium duplex, idem viginti *Aue* & duo *Pater*: sed si numerentur versus harum precum, inuenies centum quadraginta: numera versus horæ paruæ, inuenies centum quinquaginta sex; quis autem dicet excessum sexdecim versuum, idest vnius *Pater*, & vnius *Aue*, constituere materiam grauem, sufficientem ad peccatum mortale?

15 Sed superest, vt videamus, quare Clerici Maiorum Ordinum, Beneficiati, & Religiosæ personæ vtriusque sexus Choro addictæ, etiam priuatim recitantes, obligentur ad Horas canonicas, tanquam Ministri deputati ab Ecclesia, vt nomine totius fidelis populi Deo publicas præces, nempè Horas canonicas persoluant? Respondeo, istos constitutos in statu Ecclesiastico, esse Ministros ab Ecclesia deputatos, & nomine totius Ecclesiæ recitare, etiam priuatim, Horas canonicas; quia authoritate publica ad id obligantur, nempè ex lege Pontificia, vt Episcopi, & Presbyteri, ac beneficiati, vel ex consuetudine vniuersali, seu totius Ecclesiæ, quæ æquiualet legi Pontificiæ, vt Diaconi, Subdiaconi, & Religiosæ personæ; dum enim authoritate publica obligantur ad orandum pro toto populo Christiano, & persoluendas Horas canonicas, illorum officium publicum est; quod etiam confirmatur ex eo, quia nisi accedat publi-
16 ca authoritas Episcopi, non dicitur beneficium Ecclesiasticum, neque adest obligatio recitandi horas canonicas, Suarez *de Religione tom.2. tract.4. lib.3. cap.22. num.12.* Garsias *de beneficijs par.1. cap.2. num.104.* Sanctobaustus *de Horis canonicis lib.2. quæst.21.* ergo publica authoritas Ecclesiæ, siue ex lege Pontificia, siue ex vniuersali consuetudine, obligans ad horas Canonicas, deputat istos vt publicos Ministros Ecclesiæ, vt orent pro populo.

17 Diaconi autem, & Subdiaconi ex consuetudine antiquissima & vniuersali obligantur ad horas Canonicas, Nauar. *de oratione cap.7. num.2.* Azorius *tom.1. lib.10. cap.5.* Suarez *de Relig. to.2. tract.4. lib.4. cap.16. nu.9.* Lessius *lib.2. c.37. dub.9.* Regin. *lib.14. nu.135. & 136.*

18 Religiosas personas vtriusque sexus nomine totius Ecclesiæ recitare, & deputari tanquam Ministros Ecclesiæ, ait Suarez de Religione *tom.2. tract.4. lib.4. cap.9. num.7.* ratio est, quia ad id obligantur ex antiquissima, & vniuersali Ecclesiæ consuetudine, Caietanus *verbo hora Canonica*, Sotus *lib.10. de iustitia quæst.5. art.3.* Nauar. *in manuali cap.25. num.96.* Valentia *2. 2. disput.6. quæst.2. pun.10.* Vasquez *opusc. de beneficijs cap.4. §. 1. art.1.* Lessius *lib.2. cap.37. dub.9. nu.46.* Azorius *lib.10. c.6. quæst.1.* Suarez *to.2. de Relig. tra.4. lib.4. c.27. n.9.*

19 Moniales quoque recitant nomine totius Ecclesiæ, vt ait Suarez *de Relig. tom. 2. tract.4. lib.4. cap.9. num.7.* ratio est, quia ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine obligantur, Nauar. *cap.25. numer.96.* Syluester *verbo hora num.3.* Reginaldus *lib.18. num.140.* vbi ait: oppositum esse temerarium, Pellizzarius *de Monialibus cap.6. nu.14.* Diana *par.9. tract.6. resol.7.*

Ex dictis patet responsio ad argumenta, quæ adduxi pro contraria opinione *tract.1. quæst.16.* nam quamuis vna hora parua, ratione quantitatis non sit materia sufficiens ad peccatum mortale, siue quantitas ista consideretur absolutè, siue respectiuè ad totum officium; tamen est grauis materia, si adsit qualitas precum publicarum, nomine totius Ecclesiæ; secus verò si essent priuatæ preces ex voto: vel pœnitentia; quod clarè ostendo, quoad Missam; nam omittens audire ab initio Missæ vsque ad Epistolam, aut Euangelium inclusiuè non peccat mortaliter, peccaret verò mortaliter Sacerdos celebrans si omitteret Epistolam, Graduale, & Euangelium; ratio discriminis est, quia auditio Missæ non est opus publicum; nam secularis quamuis authoritate publica, & lege Pontificia obligetur audire Missa, non tamen obligatur eo fine, vt oret pro toto fideli populo, prout obligantur recitantes Horas canonicas: At Sacerdotis celebrantis Officium est opus publicum; quia tanquam legatus totius Ecclesiæ celebrat, & recitat præces, & alia in Missa.

QVÆSTIO LIX.

Mulier videns occidi suum virum, dixit: Virgo Sanctissima salua animam eius, & dabo tibi hanc torquem auream: paulò pòst mortuus est vir absque confessione, Quæritur an teneatur ad votum?

SVMMARIVM.

Votum interpretatur iuxta proprietatem verborum. i. imò iuxta communem vsum loquendi, qui proprietati verborum

borum præfertur. numer.3.

Votum factum sub certa conditione obligat, si conditio impletur æquiualenter; quamuis non impleatur in propria forma; vt si quis infirmo patre & paupere, vt à magna miseria liberetur, vouit si morietur, tenetur ad votum, si pater sanitati restitutus, accepta hæreditate fiat diues. numer.2.

Quando verborum interpretatio dubia est, nec suæ intentionis recordatur, debet fieri interpretatio in benigniorem partem. num.4. Similiter quando vouens, neque verborum, neque suæ intentionis recordatur. num.5.

PRo parte affirmatiua Primò affertur, quia quando vouens suorum verborum recordatur, non autem recordatur suæ intentionis, debent ponderari verba, & iuxta eorum proprietatem obligabit votum; quia voluntas, & intentio loquentis ex proprietate verborum desumenda est *l. non aliter ff. de legatis* 3. quisque enim præsumitur velle quod loquitur *l. labeo ff. de suppellectili le-*
1 *gata*, vnde votum interpretatur iuxta proprietatem verborum, vt docent Caietan. 2.2. *quæst.*88. *art.*2. *dub.*4. Suarez *tom.*2. *de Religione lib.*4. *de voto cap.*7. *num.*16. Sanchez *lib.*4. *Summa cap.*11. *num.*29. *cap.*13. *num.*16. *& cap.*16. *num.*14. Castropalaus *tom.*3. *tract.*15. *disp.*1. *pun.*12. *num.*3. Sed propria significatio horum verborum: *Virgo Sanctissima salua eius animam, & dabo tibi hanc torquem auream* importat precem ad B. Virginem, pro salute animæ, impetrando illi peccatorum contritionem, nihil enim prodest confessio absque interno dolore: ergo hæc verba non constituunt votum conditionatum, sed absolutum; nam salus animæ nequit humano modo cognosci.

Secundò, quia hæc verba: *Salua animam eius* principaliter, ac propriè significant precem pro æterna salute; quomodocumque æterna salus proueniat, siue hoc, siue illo medio: ergo constituunt votum absolutum, non verò conditionatum.

2 Tertiò, quia votum factum sub certa, & determinata conditione obligat, quando conditio æquiualenter impletur; quamuis non impleatur in propria, & specifica forma expressa à vouente; nihil enim refert quid ex æquipollentibus fiat; v. g. vouit quidam ieiunare singulis sextis ferijs, si pater infirmus & pauper morietur, vt ita liberaretur à grauissima angustia; si pater intra paucos dies restituatur sanitati, & diues euadat, accepta hæreditate, tenetur ad votum; quia conditio longè melius, quàm optabat impleta est, Ita Sanctosaustus *de tribus votis lib.*1. *quæst.*228. ergo cùm multipliciter possit salus animæ obuenire, nihil refert absque confessione obijsse, & sic tenetur ad votum; nam etiam absque confessione Virgo eum saluare potuit, impetrata illi interna contritione, quam an habuerit vouens ignorat; imò adest aliquod contritionis, & salutis signum, cùm petietit confessionem, & accedens Sacerdos ex aliorum relatione eum absoluit.

His tamen non obstantibus, respondeo negatiuè, nempè non teneri ad votum.

Probatur primò, quia verba vouentis debent interpretari iuxta communem vsum loquendi; vsus enim
3 communis loquendi præfertur proprietati verborum, vt docent Doctores *in l. non dubium C. de legibus*, Bartolus *in l. labeo ff. de suppellect. legata*, Canonistæ *in proemio Decretal.* vbi Abbas *& in cap. inter corporalia numer.*17. *de translat. Episcop.* Layman *lib.*1 *tract.*4. *cap.*18. *num.*5. Sed hæc verba: *Virgo salua animam eius, & dabo tibi hanc torquem auream*, quamuis iuxta eorum proprietatem significent salutẽ animæ, quomodocumque illa obueniat, & à Virgine impetretur; tamen iuxta communem vsum fidelium in eiusmodi periculis significant, rogari Virginem vt impetret interfecto tempus ad suscipienda Sacramenta: sic cum aliquis est lethaliter vulneratus, & absque vlla spe vitæ morti appropinquat; solemus dicere: Curemus animæ salutem, idest curemus eum suscipere Sacramenta: ergo hæc verba: *Virgo salua animam, & dabo tibi torquem auream*, constituunt votum conditionale. Præterea ex communiter accidentibus desumitur in dubio coniectura: Sed quod communiter in similibus accidit est, quod amici & propinqui voueant, vt iam desperata salute corporis, Deus tribuat salutem animæ, dando tempus suscipiendi Sacramenta: ergo hoc præsumitur mulierem voluisse per illa verba significare; nempè vt B. Virgo impetraret à Deo inducias ad suscipienda ecclesiastica Sacramenta: ergo cũ ista suscepta non sint, non est impleta conditio voti.

4 Secundò, quia quando dubia est interpretatio verborum voti, neq; suæ intentionis vouens recordatur, debet votum interpretari in benigniorẽ partem, ita vt quàm minùs fieri possit, obliget: *l. quicquid adstringenda, ff. de verborum obligat. cap.*1. *de iureiurando in* 6. *cap. ex parte de censibus*, & tradunt communiter Doctores, Azorius *par.*1 *lib.*11. *cap.*20. *q.*1. Suarez *tom.*2. *de Religione lib.*4. *de voto, c.*7. *nu.*18. Sanchez *in Summa lib.*4. *cap.*11. *num.*3. Layman *lib.*4. *tract.*4. *cap.*3. *num.*3. Castropalaus *tom.*3 *tract.*15. *disp.*1. *punc.*12. *num.*4. Diana *par.*3. *tract.*6. *resol.*50. *& par.*4. *tr.*3. *res.*10. 36. *&* 42.

Ergo si dubitetur, an verba significauerint votum absolutum, vel conditionale ob communem acceptionem, & similem modum vouendi in tali euentu, debent hæc verba interpretari, vt significent votum conditionale: Sicuti si dubitetur, an quis vouerit castitatem dependenter, vel independenter à voto religionis, si neque verborum, neq; suæ intentionis recordetur; debet interpretari vt sit votum conditionale, idest si emiserat professionem; quare si ex aliqua causa excusatur ab ingressu in Religionem, non obligatur ad votum castitatis, ita Sanchez *in summa lib.*4. *c.*16. *nu.*14. Diana *p.*4. *tract.*3. *resol.*42.

5 Tertiò, quia quando vouens, neque recordatur præcisè suorum verborum, neque suæ intentionis; tunc potest eligere quicquid libuerit, atque adeò partem fauorabiliorem, non enim magis ad hoc, quàm ad illud obligatur, Suarez *tom.*2. *de religione, lib.*4. *de voto*, c.8. *nu.*5. Candidus *disquisitionum moralium, tom.*2. *disq.*25. *art.*19. *dub.*4. *&* 5. Sed hæc mulier cùm esset in tanta animi turbatione, videns suum dilectissimum virum interfici, vouit; vnde nunc reuera non potest præcisè formalium verborum, quæ tunc dixit, recordari; fortè enim dixit: *Virgo Sanctissima salua animam, da tempus confitendi, & dabo tibi hanc torquem auream*. ergo cum neque verborum, neque suæ intentionis iam recordetur, potest interpretari votum fuisse conditionale, non absolutum.

Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

Ad primum, & secundum respondetur, interpretari debere verba voti, non tam secundum eorum proprietatem, quàm iuxta communem modum loquendi, &

secun-

secundùm ea quæ frequentius accidunt in similibus casibus.

Ad tertiũ respondetur ignorari, an conditio sit æquivalenter impleta; neque enim sciri potest, an habuerit internam contritionem. Neque ex hoc, quod petijt confessionem, conditio voti est impleta; nam hoc est satis dubium, & incertissimum signum salutis, & conditio voti erat de securiori signo, nempe de susceptione sacramentorum. Neque in facto certum est quendam transeuntem Sacerdotem illi dedisse absolutionem, & estò dederit, de tutioribus signis erat conditio voti; nempè de confessione, & susceptione aliorum sacramentorum. Præterea multi Doctores dubitant de validitate talis absolutionis, vt apud Dianam *par.3. tract.3. resol.4.* Concludendum est itaque non teneri ad votum.

QVÆSTIO LX.

An sit irregularis Archipresbyter, qui in Regni Neapolitani tum ultibus, persuasit Ciuitatis cuiusdam Syndico, vt conuocatis Ciuibus, caput populi eligeret, Baroni obedientiam denegaret, ac rebellaret à Rege, si deinde post pacem, sedato tumultu, Syndicus occisus est alijque ciues per Baronem, vindicantem iniurias trucidati?

SVMMARIVM.

Dans operam rei illicitæ, sequuto homicidio, an sit irregularis? num.1. & 5.

Si homicidium prouenit ex opere, cum quo frequenter coniuncta est hominis cædes, inter voluntaria computatur. nu.2. Vide. num.12.

Adulter, sequuta morte mariti, vel adultera, an sit irregularis. num.3. & 6.

Mandans alium verberari, prohibens occidi, an sit irregularis, si occidatur? num.4. & num.15.

Contumelijs alium afficiens, quem occidit ob necessariam defensionem, quia ab isto irato aggressus est, an sit irregularis? num.7.

Quoad forum internum nunquam homicidium casuale inducit irregularitatem, nisi fuerit præuisum. num.8. Debet autem esse talis aduertentia periculi, vt sit mortale peccatum in genere homicidij. num.9. Quoad forum externum, quis præsumitur irregularis, nec potest sine dispensatione celebrare, quando opus illicitum erat periculosum, & sequitur homicidium. num.10. Secus si non sit periculosum. nu.11. Quoad forum internum potest Episcopus dispensare, si occultum est, quod Sacerdos præuidit futurum homicidium. num.12. Immò etiam si publicè constaret, Sacerdotem esse irregularem, ex homicidio casuali, adhuc potest Episcopus dispensare. num.13. Quam dispensationem potest Episcopus alteri committere. num.14.

1 PRo parte affirmatiua, quòd sit irregularis: Affertur primò quia dans operam rei illicitæ, si inde sequitur homicidium, irregularis efficitur; etiam si præter intentionem accidat hominis cędes, & adhibita sit diligentia ad cauendum, ita S. Thom. 2.2. *qu.64. art.8.* & ibi Caietanus, & cum eo cæteri Thomistæ, & Doctores cõmuniter.

2 Secundò, quia vt præclarè ait Molina *tract.3. disp.3. §. illud admonuerim.* Quando homicidium directè volitum non est, imò etiam nolitum; tamen si prouenit ex opere, cum quo frequenter coniuncta est hominis cædes, inter homicidia voluntaria numerandum est, & idem scribit Caietanus 2.2. *quæst.64. art.8. in respons. ad tertium.* Sed ita est in rebellione, seditione, tumultu, ac denegata obedientia proprio Principi; frequenter enim ex his sequuntur homicidia, prout lacrymabilis experientia docuit in his nostri Regni reuolutionibus: ergo Archipresbyter tanquam voluntarius homicida irregularis est.

3 Tertiò, quia adulter irregularis efficitur sequuta morte adulteræ, aut mariti, quem ob necessariam sui defensionem occidit, quia ex opere illicito indirectè præbuit causam sequuti homicidij, Ita S. Antoninus *3. par. tit.5. cap.8. §.1.* Nauarr. *in manuali cap.27. num.238. & Consiliorum lib.5. tit. de homicidio cons.33. editione 2.* Molina *tract.3. disp.72. nu.5.* Guttierez *Canon. qq. lib.2. c.6. num.41. & 43.* Ergo & Archipresbyter iste est irregularis, nam rebellionem, & seditionem suadendo, indirectè præbuit causam sequuti homicidij.

4 Quartò, quia irregularis est iubens aliquem verberari, quamuis expresse mandet, ne mutilet, vel occidat; & iste mandati fines egressus, mutilat, vel occidit *cap. vltimo de homicidio in 6.* vbi ratio additur: *Cum mandando in culpa fueris, & hoc euenire posse debueras cogitare:* Ergo Archipresbyter mandando, seu suadendo rebellionem in culpa fuit, nam homicidia inde euenire posse, debuerat cogitare.

His tamen non obstantibus, respondeo, & dico primò, Archipresbyterum non esse irregularem, nisi euidenter constet prædudicta homicidia post pacem sequuta. Pro-

5 bo ex doctrina, quæ hodie communis, & receptissima est, quæ habet, quod quando Sacerdos dat operam rei illicitæ, tunc est irregularis, sequuto homicidio ex eo opere, quando actio per se, & ex sui natura periculosa est, ac homicidij causatiua; aut cum qua frequenter, & vt plurimum coniuncta est hominis cędes; tunc irregularis est, etiam si omnem diligentiam adhibuerit in cauendo homicidio. Ratio est, quia exercens opus periculosum, voluntariè periculum amplectitur; ac proinde effectus inde sequutus ei adscribi debet, & sic dicitur indirectè velle homicidium: At si actio non sit per se, & ex natura sua periculosa, vel cum ea frequenter, & vt plurimum non sequatur hominis cædes; sed sequatur per accidens, & periculum non præuidetur, vel si præuidetur adhibetur diligentia ad illud cauendum, tunc sequuta morte non incurritur irregularitas. Ratio est, quia homicidium nullo modo tunc est voluntarium, neque in se, vt constat; neque in causa, cum actio de se non sit causatiua homicidij, neque talis cum qua frequenter coniũgatur cædes, & adhibita est aliqua diligentia ad illud cauendum, ita docent Couar. *in clement. si furiosus par. 2. §.4. numer.10.* Sotus *lib.5. de Iustitia quæstion.1. artic.9. §. hac autem profecto* Corduba *lib.1. quæst.26.* Nauar. *cap.27. numer.221.* Henriquez *lib.14. cap.15. numer.3.* Petrus Nauarra *lib.2. de restitut. capit.1. dub.6. numer.69.* Valentia *tom.2. disputat.6. quæst.3. punct.3. & tom.3. disputat.5. pun.4. §.5. dub.1.* Sayrus *lib.7. capit.5. numer.12.* Auila *de censuris part.7. disputat.6. section.1. dub.1. vers. sed est tertium,* Castropalaus *tom.6.*

disputat.6. pun.15. §. 4. *numer.4.* Bannes 2.2. *quæst.94. artic.8. dub.3. concl.2.* Salon 2.2. *quæstion.64. artic.8. controu.3. §. ex hoc fundamento,* Reuerendissimus Candidus *disquisit. Moralium tom.4. disquis.4. artic.15. numer.40. & 41.* Petrus Cornejo 3. *par. tractat.5. de irregularitate disput.3. dub.2. concl.2.* Fernandez *in examine Theologia par.2. capit.10.* §. 14. *num.9.* Maiolus *de irregular. lib.5. capit.48. §. 3.* Villalobos *in Summa tom.1. tractat.21. dub.23. numer.3.* Sanchez *de matrim. lib.9. disp.32. num.25.*

6 Hinc docent, quod si adulter non præuidet periculum sequuturæ mortis adulteræ, aut mariti, aut si præuidet adhibet tantam diligentiam, vt prudenter timeri non possit, si deinde mors sequatur, non erit irregularis. Nauarrus *cap.27. numer. 238.* qui testatur ita fuisse decisum à Pio V. cùm casus occurreret in sacra Pœnitentiaria, Suarez *de censuris disput.45. sect.5. numer.7.* Couar. *in clement. si furiosus par.2. §.4. numer.10.* Coninch. *de Sacram. disput.18. dub.7. numer.64.* Guttierez *canon. qq. lib.2. capit.6. numer.41.* Layman *lib.3. tractat.3. par.3. capit.10. numer.2.* Castro Palaus *tom.6. disput.6. pun.15. §. 5. numer.1.* Fillinccius *tom.1. tractat.20. numer.80.* qui testatur de praxi sacræ Pœnitentiariæ, quamuis alij sentiant absolutè adulterum non esse irregularem, eò quòd adulterium de se non est aliquid directum ad homicidium, quos citat Diana *par.4. tractat.2. resolut.1. & 2.*

7 Hinc contumelijs alium afficiens, quibus ille lacessitus aggreditur iniuriantem; quare contumeliosus eum ob necessariam defensionem occidit, non est irregularis, nisi præuideat homicidij periculum, Nauar. *cap.27. num.238. & Consiliorum lib.5. tit. de homicidio consil.39.* Guttierez *lib.2. Canon. qq. capit.6. numer.43.* Molina *tractat.3. disput.72. numer.5.* Suarez *de censuris disp.46. sect.1. num.12.* Vgolin. *de irregular. cap.29.* §. 3. *num.3.* Layman *lib.3. tract.3. par.3. cap.10. num.2.* Castropalaus *tom.6. disp.6. pun.15. §.5. num.1.* quamuis alij sentiant absolutè, non esse irregularem, quos refert Diana *par.4. tractat.2. resolut.2. & sequitur* Saytus *lib.6. capit.17. num.18.*

Itaque tunc opus illicitum, sequuta morte, affert irregularitatem, quando primò ex sui natura est causa periculosa homicidij. Secundò quando frequentiùs ex eo sequitur mors. Tertiò quando periculum præuidetur, & non adhibetur sufficiens diligentia ad illud cauendum: Sed in casu proposito nihil horum adest: ergo Archipresbyter non incurrit irregularitatem. Non primum: quia rebellio à proprio Principe ex sui natura non ordinatur ad homicidium, quod ex ipsa experientia patet in casu nostro; quia in ista ciuitate perseuerante rebellione, nulla supponitur sequuta mors. Non secundum: nam quamuis cum rebellione essent in Regno coniunctæ frequentissimæ cædes, prout lacrymabilis experientia ostendit (quare si in ea ciuitate ex rebellione, Archipresbyteri consilio facta; durante tempore rebellionis sequutum esset homicidium, certum esset Archipresbyterum fuisse irregularem) tamen perseuerante rebellione de facto nullum homicidium sequutum est: sed homicidia sequuta sunt cessante rebellione, post totius Regni pacem, quo tempore in omnibus ferè Regni partibus cessarunt seditiones, & turbæ, cessarunt cædes, reuixit iustitia, & totius Regni facies mutata est: Quare præcedens rebellio non erat periculosa causa homicidij, quoad tempus sequutæ pacis; nam & alij Barones, & Principes Regni fuerunt à suis vassallis seditiosis offensi, nec tamen vindicarunt iniurias, nec turbarum Authores sequuta pace, fuerunt à conciuibus, aut Baronibus trucidati; quare in hac ciuitate homicidia post pacem sequuta sunt omninò præter opinionem: præcedens enim rebellio non erat periculosa homicidij post pacem factam: ergo Archipresbyter non est irregularis, quia homicidium post pacem sequutum, præter opinionem accidit; nam præcedens rebellio affert periculum homicidij ipsa durante, non autem affert periculum post pacem, sicut ipsa experientia in cætera Regni partibus demonstrauit. Denique Archipresbyter hoc homicidium sequutum post pacem, nec præuidit, nec præuidere potuit; nam nec futuram pacem præuidere facilè poterat, quæ ferè diuino miraculo contingit: & si pacem præuidisset, vtique prudenter potuisset cogitare omnia sedanda, sicuti in cæteris Regni partibus sedata sunt: neque potuit præuidere, quod ciues ne detegerentur à syndico, illum interficiunt. Tandem quod præuiderit est quid facti, quod non præsumitur, nisi probetur *l. in bello §. facta ff. de captiuis, & postliminio reuersis.*

8 Dico secundò, quoad forum internum conscientiæ, nunquam homicidium casuale inducit irregularitatem, nisi fuerit præuisum; siue opus, ex quo sequitur fuerit licitum, siue illicitum, siue erat periculosum, siue non, Ita Suarez *de censuris disput.45. sect.5. numer.3. in fine,* qui ait esse de hoc optimum textum *in capit. lator de homicidio,* Henriquez *lib.14. capit.15. numer.2.* Auila *par.7. disputat.6. sect.1. dub.11. concl.3.* probabile esse docet Layman *lib.3. tractat.3. part.3. capit.10. num.4. in fine,* qui dicunt eam differentiam operis liciti, vel illiciti, habere locum solum, quoad forum externum, in quo ex opere illicito præsumitur mala fides, & lata culpa: at non habet locum quoad forum internum, in quo sola veritas attenditur. Couarr. *in clem. si furiosus par.2. §. 4. numer.10. vers.5.* vbi ait, quòd inuincibiliter ignorans esse prægnantem mulierem, cum ea turpiter ludens, sequuto abortu, non est irregularis, Castro Palaus *tom.6. disputat.6. punct.18. §. 4. numer.1.*

Probatur, quia vt homicidium irregularitatem inducat debet esse, vel directè, vel indirectè voluntarium: sed quando homicidium casuale non fuit præuisum, non est indirectè voluntarium; adhoc enim requiritur quod præuideatur sequuturus effectus, prout docent omnes Theologi.

99 Hæc autem aduertentia, seu præuisio sequuturi homicidij casualis ex opere, siue licito, siue illicito, periculoso vel non periculoso, non debet esse aduertentia leuis, & indeliberata, ita vt afferat tantum peccatum veniale in genere homicidij, sed debet esse deliberata, & plenissima aduertentia, ita vt ratione periculi homicidij, cui se operans exponit afferat mortale peccatum in genere homicidij. Ita Nauarrus *cap.27. numer.251.* Sotus *lib.5. de Iustit. quæst.1. artic.9.* Petrus Nauarrus *de restitut. lib.2. capit.1. dub.6. numer.69.* Coninchius *disputat.18. dub.9. numer.88.* Fillinccius *tom.1. tractat.20. numer.59. & 61.* Syluius 2.2. *quæst.64. artic.8. concl.3.* Valentia *tom.4. disputat.7. quæstion.19. pun.3.*

*pun.*3. §. 5. Henriquez *lib.*14. *capit.*15. *numer.*7. Auila *par.*7. *disput.*6. *sect.*1. *dub.*11. *concl.*3. Sayrus *lib.*7. *caput.*5. *numer.*5. Suarez *disput.*45. *sect.*5. *num.*8. Bonacina *de censuris disputat.*7. *quaest.*4. *pun.*7. *in fine*, Diana *par.*4. *tractat.*2. *resolution.*21. & *par.*2. *tractat.*16. *resolut.*18. Villalobos *in Sum. tom.*1. *tractat.*21. *difficult.*22. *numer.*8. & 14. Sanchez *de Matrimonio lib.*9. *disput.*32. *numer.*34. Quicquid alij docent sufficere culpam venialem, si sit opus illicitum, vt docent Caietan. 2. 2. *quaest.*64. *artic.*8. Molina *de Iustit. tractat.*3. *disputat.*77. *nu.*4. Couar. *in clement. si furiosus part.*2. §. 4. *num.*9.

Probatur primò *ex capit. quæsitum de pœnitentia*, vbi declarantur Clerici esse irregulares ex oppressione filiorum, si ipsis procurantibus, *aut studiosè negligentibus fuerint oppressi*. Nota *studiosè negligentibus*, quod mortalem negligentiam indicat.

Probatur secundo, nam irregularitas ex homicidio casuali, sequuto ex opere illicito, numeratur inter irregularitates ex delicto: ergo infertur tanquam pœna, non tanquam Canonicum impedimentum: sed irregularitas est pœna grauissima: ergo supponit mortale peccatum.

10 Dico tertiò, quoad forum externum, tunc qui præsumitur irregularis, nec potest sine dispensatione publicè celebrare, si opus illicitum erat periculosum, quia vel ex natura sua affert periculum homicidij, vel frequentius cum eo coniuncta est hominis cædes, Ita Layman *lib.*3. *tractat.*3. *par.*3. *capit.*10. *numer.*4. *in fine*, & alij suprà citati. Ratio est, quia cùm forus externus de internis non iudicet, cùm opus est periculosum, meritò præsumit præuidisse periculum. Quarè si durante rebellione sequuta fuissent homicidia (cum eo lacrymabili tempore passim ex seditione, & rebellione sequebantur homicidia; quarè de se rebellio affert periculum homicidij) vtique iste Archipresbyter fuisset tanquam irregularis reputandus in foro externo; neque posset sine dispensatione publicè celebrare; estò quòd ipse non cogitasset de periculo homicidij, & sic in foro conscientiæ reuera non esset irregularis.

11 Dico quartò, quoad forum externum, si opus illicitum per se, & ex natura sua non est periculosum, neque cum eo frequenter iuncta est hominis cædes, sed per accidens sequitur homicidium, tunc Sacerdos in foro externo non est iudicandus irregularis, donec euidenter constet eum fuisse monitum de periculo, aut præuidisse periculum, Castropalaus *tom.*6. *disp.*6. *pun.*15. §. 5 *numer.*3. Quarè Archipresbyter persuadens rebellionem, qua durante nullum sequutum est homicidium, sed cædes sequuta est, facta pace; non est reputandus in foro externo irregularis (estò quòd in foro internó conscientiæ esset irregularis, quia præuidisset) Ratio est, quia cum rebellio præcedens post pacem, raro causa fuerit homicidiorum, imò post pacem sedatum fuerit Regnum; meritò non præsumitur, quoad forum externum præuidisse homicidia; quare non est reputandus irregularis.

12 Dico quintò, si Archipresbyter præuidit homicidia, & ideò quoad forum conscientiæ reuera est irregularis, poterit Episcopus dispensare cum ipso, ex priuilegio Tridentini *sess.*24. *cap.*6. quia hæc irregularitas est occulta? nam quamuis homicidia sint publica; tamen occultum est an Sacerdos ea præuiderit; vnde irregularitas occulta est, iuxta doctrinam traditam ab Auila *de censuris par.*7. *disputat.*10. *dub.*6. Rodriquez *in Summa par.*1. *capit.*166. *concl.*3. Layman *lib.*1. *tractat.*5. *part.*5. *capit.*9. *numer.*4. Vnde cum irregularitas sit inducta ex homicidio casuali, & sit occulta potest dispensari ab Episcopo; quia Tridentinum aufert Episcopo potestatem dispensandi, solum quando homicidium est expresè, & directè voluntarium, atque expresè intentum: vnde si sit voluntarium indirectè, & in causa dispensari poterit ab Episcopo, Barbosa *de potestate Episcopi allegat.*39. *numer.*47. Vasquez quem citat, & sequitur Turrianus *de censuris lib.*9. *disputat.*63. *dub.*1. Layman *lib.*3. *tractat.*3. *part.*3. *capit.*12. *assert.*4. Diana *part.*2. *tractat.*15. *resolut.*19. & *par.*4. *tractat.*2. *resolut.*70.

13 Quinimmò, etiam si publicè, & euidentissimè constaret Sacerdotem esse irregularem, propter homicidium casuale, seu voluntarium in causa, adhuc ea irregularitas dispensari potest ab Episcopo, Ita Auila *par.*7. *disputat.*6. *sect.*5. *dub.*2. *concl.*3. Henriquez *lib.*14. *capit.*19. *numer.*2. *lit.* R. & alij quos citat, & sequitur Diana *par.*7. *tractat.*2. *resolut.*31. Ratio est, quia quoad homicidium casuale, seu voluntarium in causa, nihil innouauit Tridentinum: Sed ante Concilium poterat Episcopus dispensare, quamuis esset publicum, vt *in cap. continebatur*, & *cap. ad audientiam de homicidio*; ergo etiam post Tridentinum dispensare potest.

Dico sextò, ad maiorem conscientiæ securitatem, consulo Episcopum ad cautelam dispensare, eamque dispensandi facultatem eiusdem Archipresbyteri Con-
14 fessario, vel alteri committere poterit, vt docent Sanchez, Suarez, Filliuccius, Duardus, & Gauantus, quos citat, & sequitur Diana *par.*7. *tract.*2. *resol.*12. vbi ait: quòd sic se habet vsus, & praxis, nam est priuilegium concessum dignitati Episcopali.

Ex his patet Responsio ad contraria argumenta.

Ad primum respondeo, mentem Sancti Thomæ non esse loqui vniuersim de omni opere illicito, sed tantùm de illo, quod ex natura sua est periculosum homicidij; tunc enim etiam si adhibeatur diligentia, adhuc homicidium affert irregularitatem, quia est indirectè volitum in causa, & diligentia non tollit periculum, vt suppono, ita præclarè mentem S. Thomæ explicant Medina 1.2 *quaest.*73. *art.*8. §. *sed contra istam sententiam vers. dicitur secundo fol.*383. Bannes 2. 2. *quaest.*94. *artic.*8. *dub.*3. *concl.*3. *vers. ad D. Thomam* Salon 2. 2. *quaest.*64. *artic.*8. *controu.*3. §. *vnde diluimus*, Reuerendissimus P. Apostolici Palatij Magister Candidus *disquisit. Moralium tom.*4. *disquis.*4. *artic.*15. *dubit.*31.

Ad secundum respondetur verum esse tempore durantis rebellionis: at secus dicendum est tempore felicissimæ pacis, in qua eximia prudentia, Viri æterna laude dignissimi, Excellentissimi Proregis Comitis Ognatensis, floruit terra nostra, reuixit Iustitia, turbæ, & cædes cessarunt, & Regni facies immutata est: præcedens enim rebellio non erat pro eo tempore periculosa causa homicidij, sed omninò per accidens, & præter intentionem sequuta sunt homicidia.

Ad tertium iam patet ex dictis.

15 Ad quartum respondetur tex. *in capit. vlt. de homicidio* intelligi debere de eo, qui prudenter dubitare poterat, sequi posse homicidium; verbera enim non dantur

ad mensuram; at si quis fideli Ministro mandaret alterum verberare, cauto modo, & prudenti; ita vt non posset præuidere homicidium; si hoc sequatur per accidens, mandans non est irregularis, ita Præpositus 3. *par. quæst.5. de irregularitate dub.10. num.78.* quem sequitur Diana *par.4. tract.2.resol.19.*

Concludendum itaque Archipresbyterum non esse irregularem repetendum in foro externo; at in foro conscientiæ erit irregularis, si ita præuidit homicidia, vt mortaliter peccauerit, in genere homicidij: Pro securitate verò, ac tranquillitate conscientiæ, consulo dispensari debere ab Episcopo ad cautelam.

QVÆSTIO LXI.

An Baro prælationem habeat in emptione fructuum, quos in suo feudo collectos, vassallus publicè venales exposuit?

SVMMARIVM.

Affirmant aliqui. num.1.

At omninò negandum est, præter necessarium victum, & vestitum. num.7.

An colonus debeat potiùs Domino, quàm alteri vendere fructus? num.2. & 12.

An habens rem publicè venalem expositam cogatur vendere petenti? num.3. & 8.

Obseruantia, & consuetudo an excuset? num.4.

Et quanti temporis requiratur respectu Baronis, numer.13.

Illò quod Baro habet prælationem in emptione fructuum, non tamen potest prohibere vassallis, ne vendant eo irrequisito. num.5.

Neque præfertur, nisi oblato eodem pretio, in pecunia numerata, nec iuuat compensare cum taleis debitis. numer.6.

An Baro volens res suas vendere, possit cogere, vt Vasallus potiùs suas, quàm alterius emat; & an vt in suo molendino molat? num.7.

Durum, & graue onus contrahere cum potentiore. numer.9.

Baro nullam habet prælationem, quando non vult emere pro suo victu, sed pro alijs, aut vt reuendat, & sic pro mercatura. num.10.

Non debentur solita seruitia Baroni, si vellet negotiari, & mercaturam exercere. num.11.

1 AFfirmant Lucas de Penna in *l.1. C. de Metallarijs lib.11.* vbi sic ait: *Facit hæc lex pro dominis terrarum, quod coloni, & alij vassalli res eorum, quas venales habent, vt fructus, & alia, tenentur prius vendere Dominis*: idem docet Paris *de integrat. feudali fol.107.* Freccia *de subfeudis lib.2. authoritate 38. & 41.* Capiblancus *in pragmatica 1. num.122. de Baronibus.*

Probant primò *ex d.l.1. C. de Metallarijs lib.11.* ibi: *Quicquid autem amplius colligere potuerint, fisco potissimum distrahant, à quo competentia, ex largitionibus nostris, pretia suscipiant*: Ergo sicuti quod ex aurifodinis, colligitur, fisco potissimum distrahendum est: ita à pari quod vassallus ex feudo domini fructus percipit, ipsi domino potissimum distrahere debet.

Secundò, quia extat Capitulum Regni *incipiens Item quod prædicti Massarij num.73.* & quamuis hoc Capitulum loquatur de territorijs fisci, tamen eadem ratio est de Baronibus; nam Baro subrogatur Regi, qui est directus dominus, *argumento tex. in l. is cui §. legationem ff. vt in possessionem legatorum.*

Tertiò, quia colonus debet potiùs domino, quàm alijs vendere fructus, Ita Bart. Lucas de Penna, & Ioan-
2 nes de Platea *in l.1. C. de Metallarijs lib.11. per illum tex.* Marsilius *singular.510.* Tiraquellus *de retractu conuent. §. 1. Glosa 18. numer.2.* Boerius *decis.107. num.2.* Afflictus *in prælud. constitut. quæst.3. num.12.*

Quartò, quia emphyteuta cogitur directo domino potiùs vendere, quàm alteri, *l. finali Cod. de iure emphyteutæ.*

3 Quintò, quia quando quis publicè rem venalem exposuit, facit iniuriam si pro eodem pretio, alijs denegat vendere, & contra eum agi potest actionem iniuriarum; quare à priuato ciue cogi potest ad vendendum, Glosa, Dynus, & Bartolus *in l. non enim ff. rerum amotarum*, Abbas *in capit.1. de empt. & venditione*, Isernia *in tit. de pace tenenda num.18.* Afflictus *in constit. omnes nostri*: ergo si priuatus ciuis cogere potest ad vendendum, à fortiori Baro; & in concursu debet præferri Baro; quippè qui est primus ciuis, Anna *allegat. 15.* Aponte *de potestate Proregis tit.3. de electione officialium §.2.* Cancerius *lib.3. variarum resol. cap.13. nu.16.* Ergo vti primo ciui debetur maior commoditas, Francus *decis.197.*

Sextum, quia ita viget communis obseruantia in pluribus Prouincijs, quæ satis confert, & excusat in omnibus, *l. cum delanionis §. asinam ff. de fundo instructo*, Crauetta *cons.258.* Mantica *de tacitis & ambig. conuent. lib.3. titul.9.* Afflictus *decis.148.* Anna *singular.581.*

5 Obseruandum tamen primò, quòd quamuis Baro in concursu præferatur, ex mente horum Doctorum; tamen ijdem Doctores docent: non posse Baronem prohibere vassallis, ne alijs vendant, neque pro ea prælatione poterunt emanare banna, vt nemo vendat, nisi requisierit Baronem, vt fuit decisum in Sacro Consilio *ex prag.1. de Baronibus*, vt ibi testatur Capiblancus. *numer.123.* qui ait: *Iniustas esse ordinationes, ne vendantur pisces, & fructus antequam requiratur Baro loci, quia prælatio non competit ante venditionem factam.* Afflictus *in constitut. Magistris procuratoribus*, Antonius de Ballis *lib.4. qq. particul. quæst.2. num.65.* Campagna *in capit. granamina num.52.*

Obseruandum secundò, non præferri Baronem nisi offerat idem pretium, quod alius offerre paratus est, & debet esse pecunia numerata; quare non sufficit si velit compensare cum taleis, & alijs debitis, ita à S. C. decisum pro vniuersitate Theani contra Principem Hostiliani, refert Capiblancus *in d. prag.1. num.140.*

7 Obseruandum tertium nullum Doctorem, quem viderim, docere, posse Baronem cogere subditos volentes emere, vt suos fructus potiùs, quàm aliorum emant; & quamuis Freccia *de subfeudis lib.2. authorit.41.* Vincentius de Anna *in rub. vassallo decrepitæ ætatis numer.69.* ac Fabius Anna *in addit. ad patrem singulari 557.* scribant fuisse decisum in S. C. quod

quan-

quando Molendinum domini est aptum, & vicinus, & soluitur molitura minor, aut æqualis, quod tunc vassalli teneantur in ipso molere, & non ire ad extera Molendina: tamen hoc tunc tantùm procedit, quando constat quod ad æmulationem faciunt.

8 His tamen non obstantibus. Dico Baronem nullam omninò habere prælationem in emptione fructuum, qui publicè expositi sunt venditioni à suis vassallis, quos ex prædijs sitis in feudo vassalli colligunt, ita decisum est in sacro Concilio *anno* 1618. cum Baro Torracæ prætendebat prælationem in emptione vinorum, & aliorum fructuum, qui vendebantur in feudo prædicto à ciuibus vinearum, & prædiorum Torracæ Dominis, vt refert Ioannes Leganarius *in addition. ad Romanum in prag.*1. *de Baronibus*, Nicolaus Carbon. *practic. lib.* 1. *capit.*4. *tit. de actione empti & vendit. numer.*48. & 53. In vnico tantùm casu Baro habet prælationem, scilicet cum vult emere pro necessario victu, & vestitu suæ personæ, suæque familiæ, iuxta tradita per Bartol. *in l.*1. *ff. de officio Prætoris*, & Laganarium *loco citato*.

Probatur primò, quia emere & vendere sunt contractus iuris gentium, qui in libero consensu consistunt; proinde nemo inuitus vni potiùs, quàm alteri rem, suam vendere cogitur *l. nec emere* 16. *C. de iure deliberandi, l. dudum* 14. *C. de contrahenda emptione*. Sed ab hac regula non excipitur, nisi publica vtilitas, aut necessarius victus, vt per Couar.3. *variarum resolution. capit.*14. ergo cùm publica vtilitas non inueniatur in Barone, nullo modo ei competit huiusmodi prælatio.

Secundò, quia quicquid sit de iure communi, saltem de iure Regni ex dispositione Regiarum pragmaticarum primæ Regis Ferdinandi, & 15. Caroli V. *tit. de Baronibus*, certum est, nullam habere eos prælationem, nisi pro necessario victu, etiam in rebus publicè venditioni expositis; quod patet expendendo verba Pragmaticæ *primæ*: *V eicuique sit libera facultas sua quæque victualia, & animalia, & alia, quibus iure licet, prout iure, & legibus permittitur sibi vendere, & de illis contrahere cum quibus & prout voluerit, vendenda, & alienanda conducere, atque deferre, neque ab eorum dominis directè, vel indirectè, aut alio quouis modo prohibeantur, vel in his impedimentum quomodolibet inferatur, nec sibi vendendum, vel alienandum, præsertim taxatis pretijs cogantur*. Hæc Ferdinandus, vbi apertè indicat res esse venditioni expositas, nam agit de taxato pretio. Sed apertiùs id testatur Carolus V. in Pargmaca 15. ibi: *Et si domini pro suis, & domus suæ necessitatibus emere aliquid voluerint, & volentibus vendere pro eodem pretio, quod ab alijs etiam externis inuenitur, emere possint, & hoc casu pro vsu suo, & domus sua, & ab habentibus venalia, alijs præferantur pro eodem pretio*. Hæc imperator, vbi clarissimè præcipit à contrario sensu, non præferri, neque pro eodem pretio, neque in re publicæ venditioni exposita, *nisi pro necessario victu*.

Tertiò probatur, quia nemo cogitur vni potiùs, quàm alteri vendere; aut prorsus vendere rem publicę venditioni expositam, nisi spectet ad necessarium victum ementis, ita expresse Couar.3. *variar. cap.*14. *numer.*1. Capella Tholosana, & ibi Aufrerus *in addition.*

decis.447. Albericus *in l. non enim ff. rerum amotarum* Iason *in l. nec emere C. de iure delibarandi*, Petrus, Cynus, & Baldus *in l.*1. *C. de Episcop. audient.*

Quartò probatur, quia falsò supponitur, quòd in volente vendere, data paritate pretij, non grauatur vendens Baroni, qui tanquam primus ciuis præferri debet; falsò enim supponitur, omnia esse æqualia; nam contrahere cum potentiori grauissimum est, vt docet experientia, & libentius vassalli conciui venderent viliori pretio, quàm Baroni; quod inde patet, quia meritò dominus, prohibere potest ne emphyteuta alienet in potentiorem personam *cap.*1. *de locato* Doctores *in l. si ita quis §. ea ff. de verb.oblig. cap.*1. *de alienat. feudi*, Bartol. *cons.*136. *num.*2. *vol.*1.

Quintò probatur, nam vt acutè considerat Laganarius, tunc Baro habet prælationem in emptione fructuum territorij sui feudi, quoties vellet emere pro suo, suæque familiæ victu; secus si vellet emere pro alijs, vel vt alijs reuenderet, & sic pro mercatura facienda, vt patet ex dicta pragmatica 15. *de Baronibus*, & docent expresse Freccia *lib.*2. *authorit.*38. *limit.*5. Guido Papæ *decis.*411. Capiblancus *in prag.*1. *de Baron. numer.*125. Regens Aponte *de potestate Proregis tit.*3. *de elect. official. §.*2. *numer.*11. Vrsillus *ad Afflictum decis.*238. *numer.*6. qui ait, quòd directo domino, seu emphyteutæ non competit prælatio quotiescumque vellet fructus pro alio, non pro se emere: Ratio est quia hoc priuilegium est personale, & personam egredi non debet; vnde si vellet mercaturam exercere non competit ei prælationis priuilegium, nam mercator pro alio emit. Quod adeò verum est, vt vassalli ratione ad seruitia obligati, non tenentur, neque intra fines feudi, pro negotijs feudum non tangentibus, seruire; vt quia vellet Baro negotiari, & mercaturam exercere Paris. de Puteo *in tractat. de Syndicatu tit. de excessibus Baronum. numer.*4. Franchus *decis.*526. *num.*1. & *decis.*128. *in princip.* & Laganarius *in pragm.*16. *numer.*7. *de Baronibus*; Ergo extra necessarium victum nullam habet prælationem Baro in eiusmodi fructuum emptione.

Restat vt ad contraria respondeamus.

Ad primum multiplex patet responsio. Primò, quia Princeps habet vtile, & directum dominium Metallorum, *vt in d.l.*1. *C. de Metallarijs lib.*11. Isernia *in tit. quæ sint regalia in verbo Argentariæ*; effossor autem nullum ius habet, quare optimè potuit Princeps in concessione iuris fodiendi eam legem apponere, vt teneatur fisco vendere effossa metalla, iuxta *l. in re mandata C. mandati l.*1. *ff. de solution.* At Baro nullum dominium habet in territorijs vassallorum, sed tantùm iurisdictionem; ergo nec ad sibi vendendum, nec vt in eorum fructuum venditione præferatur, eos cogere poterit. Secundò, quia ob publicam vtilitatem tenetur effossor vendere fisco, vt patet *ex tex. d. l.*1. ibi: *labore proprio, & sibi, & Reipublicæ commoda comparet*: Hæc autem publica vtilitas non reperitur in Barone. Tertiò, quia priuilegia fisci Baronibus non competunt; nec enim isti habent priuilegium tacitæ hypothecæ, & alia, quæ ob publicam vtilitatem fisco concessa sunt à iure.

Ad secundum respondetur, quòd Capitulum Regni procedit in fisco, cuius priuilegium non extenditur ad

Baronem, neque enim Baro in omnibus subrogatur Regi, prout est manifestum.

Ad tertium respondetur falsam esse eam Bartoli opinionem, quòd colonus teneatur præferre dominum in venditione fructuum; nullum enim habet hæc opinio fundamentum in iure, vt ostendit Couar. 3. *variarum resol. capit.* 14. *numer.* 6. nam lex 1. *C. de Metallar. lib.* 11. continet speciale fisci priuilegium; quare ad colonum non benè extenditur; tum quia potuit Princeps concedens ius fodiendi Metalla hanc conditionem in concessione apponere, vt effossa sibi distrahantur: at Dominus directus non apposuit hanc conditionem, vt fructus à colono sibi distrahantur. Præterea quicquid sit de ea Bartoli opinione, ea tamen nō rectè applicatur ad Baronem, nam directus Dominus in re habet directum dominium; quare mirum non est, si eam colono concedens tacitè eam conditionem videatur apponere, vt in emptione fructuum sui prædij ipse cæteris præferatur. At Baro quoad prædia vassallorum, nec vtile, nec directum habet dominium, nec ipse ea illis concessit; sed habet tantùm iurisdictionem: quare nulla ratione potest dici, quod teneantur Baronem præferre in fructuum emptione.

Ad quartum respondetur emphyteutam cogi vēdere domino meliorationes, non autem cogitur vendere fructus, aut eum præferre in venditione fructuum, vt patet ex *l. fin. C. de iure emphyteut.* At nos tractamus de fructibus, non de meliorationibus.

Ad quintum respondetur, quòd habens rem publicè venditioni expositam, non cogitur vendere; nisi spectet ad necessarium victum ementis, vt suprà dixi.

Ad sextum respondetur, quod nihil iuuat obseruantia, & prætensa consuetudo in contrarium; nam seruitia non debita semper præsumuntur per vim extorta; quia authoritas Superioris terret vassallos, ne audeant expressè contradicere, Mascardus *concl.* 307. Gramatic. *Voto* 12. *numer.* 17. Boerius *decis.* 132. quare tacita murmuratio populi impedit possessionem, & consequenter præscriptionem, aut consuetudinem, vt dixit Isernia *in cap.* 1. *quæ sint regalia col.* 4. *verbo plaustrorum*, Capycius *in inuestitura feudali verbo collectarum*; Vnde ad hanc consuetudinem, vel præscriptionem requiritur tempus centum annorum. Petra *de Potestate Principis capit.* 6. *numer.* 5. Belluga *in speculum Principum rubrica* 22. §. *& quia num.* 14. Gramaticus *Consil. ciuili* 147. Capiblancus *de Baronibus pragm.* 1. *num.* 157. *&* 158.

QVÆSTIO LXII.

Sacerdos quidam nobiles viros in platea, coram populo, grauissimis affecit iniurijs: isti post annum proposuerunt actionem iniuriarum, eò quia antea non sunt ausi accusare, nam paulò pòst Sacerdos Visitatoris munus est assequutus. Quæritur an actio sit præscripta?

S V M M A R I V M.

An in foro Ecclesiastico actio criminalis iniuriarum anno præscribatur? num. 1.

An iste annus sit vtilis, vel continuus? num. 2. *&* 6. *ac.* 7, *est vtilis interueniente metu. num.* 3. *Quinquennium datum à Tridentino ad reclamandum à professione nulla non currit durante metu. num.* 4.

Sola præsentia Superioris infert iustum metum, si attentis circumstantijs, Iudex ex conditione personæ assumere id possit. num. 5.

Actio ciuilis iniuriarum durat vsque ad triginta annos. n. 7.

1 PRo parte affirmatiua affertur, quia quamuis aliqui Doctores doceant de iure Canonico nunquam delicta præscribi, Glosa, & Innocentius *in cap. ad nostrum, de appellationibus*, Capella Tholosana *decis.* 189. fauet textus *in cap. ecce* 24. *quæst.* 1. vbi dicitur: *Quod quandocumque delicta claruerint, punienda sunt.* Glosa *in cap. admonere* 33. *quæst.* 2. Tamen communis opinio est, ipsorum Ecclesiasticorum Tribunalium, ac Romanæ Rotæ vsu recepta, etiam in foro Ecclesiastico præscribi actionem iniuriarum elapso anno, Ita Rota Romana *decis.* 240. *seu* 2. *de iniurijs in nouis*, Aufrerus *ad Capellam Tholosanam decis.* 189. *num.* 1. Boerius *decis.* 26. *numer.* 7. Neque obstat tex. *in cap. ecce* 24. *quæst.* 1. quia loquitur in delictis habentibus tractum successiuum, prout sunt delicta impedientia executionem ordinis, aut retentionem beneficij; ista enim nunquam præscribuntur, nam *Tantò sunt grauiora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, cap. finali de consuetud.* Ergo etiam in foro Ecclesiastico actio iniuriarum præscribitur elapso anno: Annus autem iste est con-
2 tinuus, ita vt currat etiam impotenti agere, & ignoranti, vt si iniuria facta sit absenti, qui per annum ignorauit, adhuc præscribitur actio; quare etiam præscribitur, si ex metu non audet agere: Quòd autem annus sit continuus, & currat ignoranti, & impotenti agere, docent communiter, Ita Glosa *in l. si non conuicij C. de iniurijs*, vbi Cynus *num.* 5. Albericus *numer.* 4. Salicetus, & Angelus, Gulielmus de Cuneo *in l. si cum exceptione §. satis ff. quod metus causa*, Rota *decis.* 2. *de iniurijs in nouis*, Ceppolla *consil. crimin.* 70. *numer.* 5. Aufrerus *ad Capellam Tholosanam decis.* 127. *numer.* 2. communem esse opinionem testatur Clarus *in §. iniuria num.* 9. *vers. tollitur.* Ratio est, quia quando in iure non exprimitur tempus esse vtile, semper intelligitur esse continuum, Glosa *in rubrica de diuers. tempor. præscription. l. genero ff. de his, qui notantur infamia*, vbi Bartolus *num.* 1. *l. finali ff. de diuers. tempor. præscript. l. sine pari C. de dilation.* Felinus *in cap. si venerabilis num.* 7. *de Iudicijs*, Marsil. *in praxi §. de constante num.* 85. 86. *&* 87. Clarus *in §. finali quæst.* 51. *num.* 5. *vers. sed quæro*, vbi ait: esse magis communem, quòd præscriptio delictorum currit à die delicti, non à die scientiæ, & quod currit contra ignorantem, Soccinus *consil.* 110. *vol.* 4. Syluanus *cons.* 7. *in principio*, vbi de communi testatur.

3 His tamen non obstantibus, Respondeo non esse præscriptam actionem criminalem iniuriarum, si prudentis Iudicis arbitrio subsit rationabilis metus, propter quem ante annum iniuriatus non est ausus accusare. Dixi: *Si prudentis Iudicis arbitrio subsit rationabilis metus*; nam, an in casu nostro subsit, cùm id pendeat ex pluribus rerum circumstantijs, de quibus per epistolam non fui à consulente informatus, ego decidere nequeo; vnde prudentis iudicis arbitrio id committendum censeo, vt infra dicam.

Probo,

Probo, non currere annum non audenti agere ex rationabili metu, ex textu *in l. si cum exceptione* 14. §. *in causa autem cognitione, ff. quod metus causa*, vbi sic dicitur: *Et sanè cum per metum facta iniuria anno, & quidem vtili, exoleuerit*. Nota, quòd quando adest metus, annus debet esse vtilis, ita vt non currat durante metu; ratio est, quia metus impedit, ne proponatur actio iniuriarum; & quamuis textus loquatur, quod actio sit vtilis, quando incussio metus est ipsa iniuria illata; tamen eadem ratio est, quando post iniuriam verbalem, superuenit metus, ob quem non audet quis accusare; ratio enim cur illata iniuria per incussionem metus, annus debeat esse vtilis, est; quia ipse metus impedit accusationem: ergo cùm etiam superueniens metus, post illatam iniuriam, adhuc impediat accusationem, debet proinde etiam annus esse vtilis superueniente metu; ita vt metu durante non currat.

4 Probo secundò à pari, nam Tridentinum *sess. 25. de Regularibus, cap. 19.* tribuit quinquennium ad reclamandum à professione nulla, propter metum, aut aliam causam annullantem: sed hoc quinquennium non currit durante metu, aut quando metu impeditur, ne reclamet; ratio est, quia tunc non potest ex lapsu quinquennij præsumi tacita ratificatio professionis nullæ; si ideò non reclamauit, quia per metum non poterit; Concilium enim supponit intra quinquennium adesse liberam facultatem reclamandi, quæ non adest, durante metu, ita Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 4. qu. 10.* Rota apud Burattum *decis. 205. num. 30.* Rodriquez *tom. 3. quæst. Regul. q. 17. artic. 16.* Beia *par. 4. casu 14.* Flaminius *de resignatione beneficior. lib. 13. qu. 5. nu. 45.* Portel *verbo Professio religiosa, num 42.* Graffius *tom. 1. consil. 6. num. 9. & cons. 7. num. 2. de Regularibus*, Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 64.* Diana *par. 3. tract. 2. resol. 53.* Miranda *tom. 1. qu. 30. artic. 1.* Pellizzarius *in manuali Regularium, to. 1. tract. 3. cap. 5. numer. 43. & 44.* Pasqualigus *decis. 432.* Riccius *in praxi par. 1. resol. 550. num. 5.* & ita decisum à sacra Congregatione testatur Barbosa *in Trid. sess. 25. de regularibus, cap. 19. nu. 10. & 11. & de potestate Episcopi allegat. 104. num. 17. & 18.*

Ergo etiam in casu nostro, quando adest metus, actio per annum non præscribitur durante metu. Probo consequentiam; nam ideò lapsu anni præscribitur actio, quia per tanti temporis lapsum præsumitur tacita remissio iniuriæ, vt ex Io. Andrea, & Hostiensi, ait Rota *decis. 2. de iniurijs in nouis*; sicuti ex lapsu quinquennij præsumitur tacita ratificatio professionis nullæ: ergo sicuti tacita ratificatio non præsumitur durante metu, & ideò non currit quinquennium; ita tacita remissio non præsumitur durante metu, & ideò non currit annus datus ad accusandum.

Probautr tertiò, ex doctrina Bartoli *in l. alius, §. bellissimè, ff. quod vi, aut clàm*, & Alexandri *in l. 3. §. si cum igitur, ff. de vi, & vi armata*, vbi iniuria potest post interuallum temporis propulsari, si iniuriatus aliquod damnum timebat, vel si non erat copia Iudicis, quo impedimento cessante poterit agere, Viuius *decis. 55. num. 3. & 4.*

Sed hoc opus, hic labor, ostendere superuenientem dignitatem Visitatoris attulisse rationabilem metum iniuriatis, ne auderent accusare; sed id pendet ex facti circumstantijs à Iudicis prudentia diligenter expendendis; nam si iniuriatus est Clericus supra quem Visitator habet iurisdictionem, vtique ipsa officij dignitas infert rationabilem metum, ne eum accusare audeat; argumento *text. in l. si per impressionem, Cod. quod metus*
5 *causa*; nam sola præsentia personæ Superioris infert iustum metum, si attentis circumstantijs Iudex ex conditione personæ existimare id possit, ita Soccinus *cons. 47. num. 33. lib. 3.* Menochius *de præsumpt. lib. 3. præs. 127. num. 13. & de arbitrarijs casu 136. numer. 8.* Aretinus *consil. 24. num. 6.* & multis citatis, Sanchez *de matrimonio lib. 4. disp. 6. num. 32. & 34.* tùm quia paria sunt aliquid non fieri per metum, ac per probabilem suspicionem metus, Angelus *in l. metum, ff. de eo quod metus causa*, Gramaticus *decis. 18. nu. 16.* tùm quia dignitas personæ inducit præsumptionem metus, Glosa in *l. ad inuidiam, C. de his, quæ vi, metusue causa fiunt, per text. in l. non est verisimile, ff. de eo quod metus causa*.

Verùm si iniuriati sint Laici, non ita facilè assererem, habuisse eos iustum metum non accusandi Visitatorem Ecclesiasticum; quid enim cum Laicis munus Visitatoris Ecclesiastici? nisi fortè iniuriati haberent Fratres Clericos, aut aliæ adsint circumstantiæ prudentis Iudicis arbitrio expendendæ.

Ex dictis patet responsio ad contrarium argumentum; nam quando in actione iniuriarum interuenit metus, tunc annus est vtilis: estò non esset vtilis, sed continuus, quando metus non interuenit.

6 Præterea in Camera Imperiali decisum est, annum in actione iniuriarum esse vtilem, & non continuum, neque currere impedito agere, ita scribit Gayllus *lib. 2. obseruat. 105.* qui citat Baldum *in l. si non conuicij nu. 2. C. de iniurijs*, Bartolum *in §. 1. num. 2. Instit. de iniurijs*, & Schurff. *consil. 61. centur. 1.* Ratio est, quia actio iniuriarum est prætoria, sed in omnibus actionibus prætorijs temporalibus tempus intelligitur vtile; Prætores enim in ædictis suis consueuerunt loqui de anno vtil. *§. 1. in institut. de perpetuis, & temporalib. actionib.* tùm quia notum est; præscriptiones contra actiones pœnales prætorias currere tantùm ob moram, & negligentiam non agentium: Sed in omni præscriptione, quæ ex negligentia alicuius currit, necesse est, vt initio ponantur ea, quæ negligentiam inducunt, textus est in *l. prima, §. final. C. de annali exceptione*, Bartolus *in l. genero, num. 4. ff. de his, qui notantur infamia*: Sed neque ignoranti, neque aliàs impotenti agere negligentia imputari debet, & consequenter non currit ei præscriptio. Denique est generalis regula, quod non valenti agere non currit præscriptio; tempus enim non currit impedito, *cap. quamuis 6. & cap. commissa 35. de electione in sextò*, Ioseph Ludouicus *decis. 31. numer. 19.* Crauetta *cons. 1. num. 28.* Iason *in §. rursus, instit. de actionibus*, Osaschus *decis. 177.*

7 Non desinam hìc adnotare, actionem iniuriarum ciuilem durare vltra annum, vsque ad triginta annos, ita docent communiter Odoffredus, Iacobus de Rauenna, Cynus, Baldus, Faber, & Salicetus, *in l. si non conuicij, C. de iniurijs*, Cepolla *consil. crimin. 70. num. 3.* Aufrerius *ad Capellam Tholosanam decis. 127.* & Cappella Tholosana *decis. 140.* Mysingerius *centur. 1. obseruat. 84.* Clarus *in §. iniuria num. 9. & in §. fin. quæst. 51. num. 2. in fine*, vbi de communi testatur, Igneus *in l. in cognitione numer. 185. ff. ad Syllan.* Rolandus *Consil. 39. numer. 15. vol. 2.*

QVÆ-

QVÆSTIO LXIII.

In Ordine Equitum S.Stephani Florentiæ vacans Commenda confertur antiquiori. Quæritur, an ſit peccatum ſimoniæ, ſi antiquior procuret vt alteri conferatur, reſeruando ſibi fructus Commendæ, ſua vita durante?

S V M M A R I V M.

Affirmant communiter Canoniſtæ. num.1.
Negant communiter Theologi. num.5.
An ordines militares profitentes caſtitatem coniugalem ſint verè, & propriè Religiones? num.2. & 3. Sunt propriè perſonæ eorum Ordinum Eccleſiaſticæ. nu.4.
Quando adnexum ſpirituali ſit materia ſimoniæ, & quæ ſit adnexio antecedens, quæ verò conſequens? nu.6.
Quando aliquid per accidens eſt ſpiritualitati adnexum, non eſt materia ſimoniæ. num.7.
An poſſit, abſque vitio ſimoniæ, pecunia impetrari cedula habitus S.Iacobi, S.Stephani, aut alterius Ordinis militaris? num.8.
Abſque vllo peccato iniuſtitiæ antiquior Eques reſeruat ſibi fructus Commendæ, ſi eam renunciet, vt alteri conferatur. num.9.

1 AFfirmant communiter Canoniſtæ, dicentes Commendas militares eſſe Eccleſiaſtica beneficia, & & materiam ſimoniæ, ſic refert ſe conſuluiſſe Barbatia *in cap. cauſam §. quod ſi forſan, num.27. de elect.* Innoc.& Doctores *in cap. ſi conſtiterit de accuſat.* Gloſa *in cap. dudum, verbo Commendare de elect. in 6.* & ſæpè deciſum à ſacra Rota ſcribunt Puteus *lib.1. deciſ.393.* Paríſius *de confidentia beneficiali, quæſt.17.* Garſias *de beneficijs, par.1. cap.4. num.1. & 6.* Mantica *deciſ.68.* Alexander Sperellus *deciſ.2. nu.101.* Mohedanus *deciſ.10. de cauſa poſſeſſionis, & proprietat. aliàs deciſ.169.* Molfeſius *in Summa, tom.1. tract 6. cap.2. num.29.* Sanchez *conſiliorum, tom.1. lib.2. cap.3. dub.24. nu.8.* Imò etiam Commendas Ordinis militaris profitentis caſtitatem coniugalem docent eſſe propriè Eccleſiaſtica beneficia, Nauarrus *de redditibus, qu.1. monitu 55. num.4. & in Apologia, quæſt.1. mon.55. num.15. & qo.3. mon.27.* Arnulphus Ruzeus *in tract. de iure regal. in 3. priuil. nu.2. & 6.* Guido Papæ *deciſ.152.* Probus ad Monachum *in c. nemo de elect. in 6.* Rhaudenſis *conſ.17. num.19.* Martha *de iuriſdictione par.2. c.32. num.22.* Duardus *in Bullam Cœnæ. lib.2. can.15. qu.5. num.13.* Motta *de confirmatione Ordinis S. Iacobi, lib.2. c.2. §.10. num.4.* qui ex ſtabilimento Ordinis per eum relato *lib.1. §.49.* oſtendit eſſe ſimoniam dare pecuniam pro Commenda.

2 Probant primò, nam quamuis caſtitatem coniugalem promittant, tamen ſunt vere, & propriè Religioſi, ſic ſimpliciter eos appellant Summi Pontifices; & ſicut paupertas habet latitudinem: quare cum paupertate non adeò ſtricta poteſt ſtare vera, & propria Religio: ita etiam caſtitas habet latitudinem; quare cum caſtitate coniugali conſiſtit vera Religio; vnde eos ſimpliciter eſſe Religioſos quoad ſtatum, quamuis quoad vſum & obſeruantiam minùs religioſè viuant, docent Suarez *de relig. tom.4. tract.9. lib.1. c.4. à num.8.* Pontius *de impedim. matrim. cauſa 27. qu.2. §.4.* Pellizzarius *in manuali Regularium, tract.1. c.3. num.28. & 29.* Diana *par.1. tract.2. reſol.50. & 73. & p.3. tr.1. reſ.61. tr.2. reſol.20. & 64. & p.4. trac.1. reſol.86.* qui aſſerunt Equites S.Iacobi, S.Stephani, ac S. Lazari, & alios gaudere priuilegio fori, & canonis ac gabellarum, Io. Sanchez, qui plures citat *diſp.49. num.11. & 13.* Motta *tract. de confirmat. Ordinis, S.Iacobi, lib.2. cap.2. §.29.* Nauar. *de redit. qu.1. num.55. & quæſt.3. num.27. & 29. & conſ.21. de regular.* Couar. *in 4. decretal. p.2. c.3. §.1. num.18.* Sanchez *in Summa, lib.4. cap.16. num.11. & lib.7. cap.29. num.105.* Rodriquez *qq. regul. tom.1. §.1. art.6. & q.13. art.2.* Rebellius *de obligat. iuſtitia, par.2. lib.3. quæſt.4. num.13.* Vega *in Summa, par.1. cap.85. caſu 147. & par.2. cap.129. caſu 86.* Duardus *in Bullam Cœnæ, lib.2. can.15. qu.5.* qui ait eſſe verè, & propriè Religioſos, ſi emittunt tria vota, ſubſtantialia quamuis voueant caſtitatem coniugalem, & alij apud illos.

3 At magis communis opinio eſt: eſſe Religioſos non propriè, & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, nam eorum caſtitas, non eſt caſtitas abſolutè & ſimpliciter; ſed ſecundùm quid, & cum addito, nempè coniugalis, ita S.Thomas 2. 2. *qu.186. art.4. ad 3.* Sotus *de Iuſtit. lib.7. qu.5. art.3. & in 4. diſt.27. qu.1. artic.4.* Molina *tract.2. diſp.141. & diſp.623. num.5. & trac.3. diſp.39. num.5.* Valentia *tom.3. diſp.10. quæſt.4. punc.2.* Sayrus *in claui Regia, lib.6. cap.9. num.10.* Azorius *tom.3. lib.13. c.3. qu.2.* Manuel Rodriquez 2. *tom. Summa, c.59. nu.8.* Bonacina in *Bullam Cœnæ, diſp.1. qu.16. ſec.1. pun.3.* Aragonius 2. 2. *qu.88. artic.1.* ex Iuriſperitis, Garſias *de beneſic. tom.1. par.2. c.4. num.21.* qui *num.27.* affert plures ſacræ Rotæ deciſiones. Sarmiento *de redditibus par.4. cap.1. num.13. & in defenſor. par.1. monit.55. num.56.* Alterius *de cenſuris, tom.1. lib.5. diſp.16. cap.1.* & eſſe declaratum à ſacra Congregatione 10. *Nouembris* 1609. teſtatur Viuianus *in praxi de iure patronatus, par.2. lib.6. c.2. num.17.* Martha *de iuriſdic. par.2. cap.32. num.13. & par.4. caſu 113. num.33.* Laſarte *de decimarum venditione, cap. 9. nu.92.* Gironda *de gabellis, par.7. in princ. numer.47.* Rota *diuerſorum par.2. deciſ.591.* Natta *conſ. 508. & 509.* & alij, ac ſæpè fuit deciſum in ſacra Rota, quod Milites Sancti Stephani non ſunt neque ſtrictè, neque largè Religioſi, ita coram Seraphino *in vna Tiraſonenſis penſionis* 10. *Decembris* 1570. & coram Orolienſ. *in vna Lucana plebis* 22. *Maij* 1579. & tradunt alij in quodam voto, quod cum dictis deciſionibus habetur in principio Conſtitutionum Sancti Stephani.

4 Tamen quicquid ſit, an ſint propriè, & ſimpliciter Religioſi, vel tantùm ſecundum quid, certum eſt apud omnes eſſe perſonas Eccleſiaſticas, quia profitentur certam regulam à Sede Apoſtolica approbatam, vt benè docent Aluarus Valaſchus *conſult. 14. numer.8. par.1.* Flores de Mena *qu.31. nu.205.* Garzias *de beneficijs p.1. cap.3. num.13.* Duardus *in Bullam Cœnæ, lib.2. can.15. q.5. num.12.* qui ait, quod Equites Sancti Stephani, quamuis non ſint proprie Religioſi, quia non voueant tria ſubſtantialia vota, ſed aliqua ex ipſis, ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, prout ſunt omnes aliorum Ordinum militarium; qui inſtituti ſunt authoritate Sedis Apoſtolicæ: ſecus tamen eſt de ijs, qui inſtituti ſunt à Principibus, abſque vlla Romani Pontificis confirmatione, quos commemorat idem Duardus *loco citato q.5.* & Azorius *par.1. lib.13. c.6. qu. vltima.*

Igitur cum Commendæ Militares nequeãt conferri, niſi

niſi iſtis perſonis Eccleſiaſticis, proinde Commendæ Militares erunt Eccleſiaſtica beneficia: nam beneficia Eccleſiaſtica nequeunt conferri, niſi tantùm perſonis Eccleſiaſticis, *cap. cum adeò, de reſcriptis*, vbi Decius *cap. ex litteris de tranſlat. cap. quia contingit*, §. *vt autem, de religioſis domibus*.

Secundò, quia beneficium Eccleſiaſticum eſſe cognoſcitur, quòd datur propter officium ſpirituale, *cap. vltimo, de reſcriptis in 6. cap. cum ſecundùm Apoſtolum de præbendis*: Sed Commenda datur Fratribus Ordinis, propter quaſdam preces, quas recitant: ergo eſt Eccleſiaſticum beneficium, cùm detur propter onus ſpirituale.

Tertiò, quia eſto Commenda detur propter ſolum ſeruitium in bello; tamen hoc onus, quatenus eſt ex voto, vel ex regula debitum, ad fidei defenſionem, eſt aliquid ſpirituale: ergo Commenda datur propter onus belli, quatenus aliquid ſpirituale eſt, ac Deo ex voto promiſſum: ergo commenda eſt ſpiritualitati conſequenter adnexa, & ſic ſufficiens materia ſimoniæ.

Quartò, quia Commendatarij habent ius præſentandi Clericum in Eccleſijs ſibi commendatis: ſed hoc ius eſt ſpirituale: ergo ſpirituale aliquid eſt Commenda, cui tale ius patronatus adnexum eſt.

5 His tamen non obſtantibus reſpondeo, Commendas militares non eſſe beneficia Eccleſiaſtica, neque materiam ſimoniæ, & ſic abſque ſimoniæ peccato vendi poſſe, ita docent Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 4. de ſimonia, c. 27. num. 6.* Victoria *relect. de ſimonia, num. 45.* Emanuel Rodriquez *in Summa tom. 2. cap. 59. num. 12.* Vega *2. part. Summa, tract. 12. circa 20. concluſ.* Aragonius *2. 2. quæſt. 100. art. 4. ibidem* Raphael de la Torre *diſp. 3.* Caſtropalaus *tomo 3. tract. vlt. diſput. 3. pun. 13. num. 13.* Filliuccius *tomo 3. tract. 45. cap. 6. num. 4.* Celeſtinus *in compendio Theologia moralis, trac. 7. cap. 5. q. 9.* Lezana *in ſumma quæſtionum regularium, tom. 2. c. 5. num. 26.* Bonacina *tom. 1. diſp. 1. de ſimonia, q. 4. nu. 15.* Diana *par. 3. tract. 2. reſol. 64. par. 5. tract. 8. reſol. 17. & par. 9. trac. 9. reſol. 35.* Fagundez *de Iuſtitia, lib. 5. cap. 20. num. 10.* Machadus *de perfecto Confeſſario, tom. 2. lib. 5. par. 4. trac. 2. docum. 1. nu. 4.* vbi ait, eſſe magis communem, Villalobos *in Summa, par. 2. trac. 37. diffic. 14. nu. 5.* & probabilem eſſe aſſerit Turrianus *in cenſuris Theologicis, centur. 3. dub. 17.*

Probatur primò, quia Pius II. in Bulla *Anni* 1460. *Kal. Martij*, & Iulius II. *in Bulla Anni* 1505. *Kal. Iulij* expreſsè aſſerunt Prioratus, & præceptorias Religionis Melitenſis non eſſe beneficia Eccleſiaſtica.

6 Probatur ſecundò, vt aliquid ſit materia ſimoniæ, debet eſſe, vel intrinſecè, & per eſſentiam ſpirituale, vt ſunt Sacramenta, & ſacramentalia: vel extrinſecè, per adnexionem ad ſpirituale: Hæc autem adnexio ad ſpirituale, non ſufficit, vt ſit antecedens, ſed debet eſſe conſequens, ad hoc vt ſit materia ſimoniæ; Explico, antecedens adnexio tunc eſt, quando aliquid ſupponitur eſſe temporale, ac pretio æſtimabile, & deinde adnectitur rei ſpirituali; hoc ſi in ſe ſpectetur, & vendatur vt aliquid temporale eſt, non erit venditio ſimoniaca; ſecus ſi venderetur quatenus eſt adnexum rei ſpirituali; tunc eſſet ſimonia: exemplum eſt in materia ſacri vaſis, poteſt enim calix vendi, quia non benedictio ſpiritualis, ſed argentum venditur; eſſet tamen ſimonia, ſi ex eo, quia conſecratus eſſet, ideò augeretur pretium, quia tunc venderetur, quatenus ſacer eſt. Ratio eſt, quia temporalitas antecedit, & eſt quid prius ad ſpiritualitatem, quare eſt independens ab illa. Conſequens adnexio ad ſpiritualitatem tunc eſt, quando temporale dependet à ſpirituali tanquam effectus à cauſa, ſeu dependet à ſpirituali tanquam à fundamento: Exemplum eſt in beneficio Eccleſiaſtico, quod quamuis contineat vtilitatem temporalem, tamen hæc temporalis vtilitas datur propter officium ſpirituale; nam propter officium datur beneficium, & ita eſt materia ſimoniæ. Ratio eſt, quia non poteſt vendi temporale, quin vendatur id, in quo fundatur, nempè officium ſpirituale, vide S. Thomam 2. 2. *quæſt. 100. art. 4.* Suarez *de Religione tom. 1. lib. 4. de ſimonia cap. 23. num. 8.* Filliuccium *tom. 3. tractat. 45. cap. 5. quæſt. 2. 3. & 4.*

Sed Commenda militaris non eſt aliquid intrinſecè, & per eſſentiam ſpirituale, vt patet; neque eſt aliquid conſequenter adnexum ad ſpiritualitatem: quia non datur propter officium ſpirituale, non enim datur propter illas preces, quas independenter à Commenda, ex vi ſuæ profeſſionis, perſoluunt Fratres; Sed datur propter ſeruitium temporale præſtitum, aut præſtandum in bello, vt patet ex conſtitutionibus Ordinis S. Steph. *tit. 12. cap. 3.* ergo non eſt materia ſimoniæ.

Dices Fundator Commendæ inſtituit dari Commendam propter ſeruitium belli, non quomodocumque, ſed propter ſeruitium in bello pio, ad fidei defenſionem, & propter ſeruitium Deo ex voto promiſſum, ſeu ex regula debitum: quare talis fundatio commendæ eſt opus pium: ergo datur Commenda propter ſeruitium, quatenus aliquid ſpirituale eſt: ergo ea adnexio eſt conſequens ad ſpiritualitatem: quia Commenda fundatur in ſeruitio, non quomodocumque, ſed quatenus eſt opus pium.

Reſpondent Suarez *to. 1. de religione lib. 4. de ſimonia cap. 27. num. 8.* commendam non dari propter illum reſpectum, quod ſeruitium fiat ex voto, ſed ſimpliciter propter militiæ laborem.

Sed contrà, id gratis dicitur: veriſimile enim eſt, fundatam eſſe Commendam, non propter ſeruitium belli quomodocumque, ſed quatenus ſeruitium eſt opus pium, in bello pio, & ex voto, ſeu ex regula debitum: ergo fundator conſiderauit ſeruitium, quatenus eſt aliquid ſpirituale.

Reſpondent ſecundò, Aragonius *2. 2. quæſt. 100. art. 4.* & Rodriquez *tom. 2. Summæ cap. 59. in fine*; ad hoc vt, aliquid dicatur materia ſimoniæ, non attendi finem vltimatum, quo omnia referuntur in Deum; alioquin quælibet venditio eſſet ſimoniaca; nam omne quod agimus in Dei gloriam agendum eſt: ſed attendendum eſſe finem proximum: in Commenda autem finis proximus eſt ſeruitium belli, quamuis hoc ſeruitium vltimatè in Deum referatur.

Sed contrà, quia cùm inſtitutor Commendæ habuerit pro fine proximo, non ſeruitium quomodocumque, ſed quatenus eſt opus pium: finis proximus inſtitutionis Commendæ eſt opus pium, ſeu quatenus pium, & ſic propter aliquod ſpirituale datur commenda: ergo adnexa eſt conſequenter ad aliquid ſpirituale.

Reſpondet tertiò Bonacina *diſp. 1. de ſimonia qu. 4. num. 15.* opus militiæ eſſe opus temporale, pretio æſtimabile, quod æſtimationem ſuam non amittit, etiam ſi fiat ex voto, & referatur ad cultum Dei.

Sed contrà, quia fundator Commendæ non conſiderauit

rauit tantùm temporalitatem seruitij, sed quatenus erat opus pium voluit esse fundamentum Commendæ: ergo Commendæ fundamentum est aliquid pium, & spirituale: ergo Commenda est consequenter adnexa spiritualitati.

Respondeo quartò, quòd quando aliquid in se est temporale, & ex natura sua nullam habitudinem habet
7 ad spirituale; si per accidens, & extrinsecè sit spiritualitati annexum non est materia simoniæ; quia simpliciter est aliquid temporale: nisi Ecclesiastica Constitutio accedat, quæ propter illam accidentalem, & extrinsecam adnexionem ad spirituale, prohibeat eius venditionem, & tunc erit simonia ex iure Ecclesiastico: Vide Layman *lib.4. tract.10. cap. vltimo, §.6. num. 61. & 62.* Seruitium autem belli est in aliquid simpliciter temporale, & ex natura sua nullam habet habitudinem ad spirituale: per accidens verò est, & extrinsecum quod fiat ex voto, quod sit opus pium, & quod tamquam opus pium consideretur à Fundatore Commendæ: sed ea voluntas Fundatoris non facit quin seruitium, in quo fundatur Commenda sit simpliciter aliquid temporale, cũ spiritualitas sit illi extrinseca, & accidentalis: ergo fundamentum Commendæ, cùm sit simpliciter temporale, & tantùm accidentaliter opus spirituale, non erit materia simoniæ: nisi accedat Constitutio Ecclesiastica prohibens venditionem propter accidentalem illam spiritualitatem; quæ Constitutio adest in Ordine Sancti Iacobi, prohibens tanquam simoniacam venditionem Commendarum, vt refert Motta *tract. de confirmat. Ordinis Sancti Iacobi, lib.2. cap.2. §.10. num.4.* quæ Constitutio non adest in Ordine Sancti Stephani, vt patet ex eius statutis *tit.12. per totum præsertim, cap.4.*

Ex his patet ad contraria argumenta.

Ad primum respondetur ad beneficium Ecclesiasticum non sufficere, quòd tantùm personis Ecclesiasticis possit conferri: non enim confertur ob statum Ecclesiasticum, tanquam ob titulum; sed tanquam ob conditionem sine qua non conferrentur: quarè ad beneficium Ecclesiasticum necessariò requiritur illud conferri ob officium spirituale: sic non est beneficium Ecclesiasticum annua eleemosyna legata, & distribuenda inter religiosos ab Episcopo: neque est spiritualis, sed laicalis pensio, quæ licèt detur Clericis tantùm, tamen non datur ob officium spirituale, Suarez *de religione, to.1. lib.4. de simonia, cap.26.* Bonacina *de simonia, qu.4. §.13. nu.1.* Ratio est, quia ad cognoscendam qualitatem pensionis, seu an sit beneficium Ecclesiasticum, non inspicitur qualitas personæ, sed tituli.

Ad secundum, & tertium patet ex dictis.

Ad quartum respondetur, ius patronatus per accidens annexum esse Commendæ, neque semper est adnexum: Vnde propter ius patronatus adnexum non fit Commenda aliquid spirituale, & inuendibile; sicut hæreditas in qua est ius patronatus non redditur spiritualis, & inuendibilis: immò ius patronatus transit cum hæreditate, vel vniuersitate bonorum.

8 Ex his infertur absque vitio simoniæ posse vendi, aut pecunia impetrari cedulam habitus Sancti Iacobi, Sancti Stephani, aut aliorum Ordinum militarium, vt contra Azorium *tom.3. lib.12. cap.16. qu.5.* docent Fagundez *de Iustitia, lib 5. cap.20. num.9. & 10.* Villalobos *par.2. tract.37. diffic.14. num.5.* Diana *par.3. tract.2. resol.64. par.5, tract.8. resol.17. par.9. trac.9. resol.35. in fine,* Ioseph de Ianuatio *par.1. resol.6.* & probabile esse docet Turrianus *in censuris Theologicis, centur.3. dub.16.*

Probant, quia non emitur professio religiosa, immò isti nollent onus votorum: sed tantùm illud honorificum signum nobilitatis.

Dices illud signum honoris fundatur in professione religiosa: ergo est aliquid consequenter adnexum spiritualitati, & sic materia simoniæ: sicuti materia simoniæ est honor dignitatis Episcopalis; quia iste honor fundatur in spirituali iurisdictione; Prætereà materia simoniæ est emolumentum beneficij Ecclesiastici, quia fundatur in officio spirituali Horarum canonicarum; quamuis emens beneficium, nollet onus diuini Officij.

Respondetur signum honoris, seu honorem Ordinis militaris, non fundari in professione religiosa, neque in alia re spirituali; prout fundatur honor Episcopalis, ac emolumentum Ecclesiastici beneficij; sed fundatur in probatione iuridica nobilitatis, ac publica testificatione nobilitatis; quod autem adnexum sit professioni religiosæ hoc signum honoris, & hæc publica attestatio, quæ emitur, non est adnexio consequens; sed est omninò accidentalis, & insufficiens ad materiam simoniæ.

9 Infertur secundò, quòd eques antiquior absque vllo peccato iniustitiæ reseruat sibi eius Commendæ fructus sua vita durante, dum renunciat Commendam vacantem, seu non procurat, vt sibi conferatur, prout conferenda esset ex Constitutionibus Ordinis Sancti Stephani *tit.12. cap.4.* ad hoc vt Magnus Magister alteri conferat: quia posset sibi retinere Commendam: sicut absque vllo peccato iniustitiæ possum accipere pecuniam, vt ex mea intercessione Magnus Magister tibi conferat Commendam, Fagundez *de Iustitia lib.5. cap.20. numer.10.* Diana *par.3. trac.2. resol.64.* ratio est, quia ad eam intercessionem ego non teneor.

QVÆSTIO LXIV.

An si pro solutione omnium Legatorum *vires hæreditatis* non sufficiant, debeat præferri Legatum pro Missis, præsertim si sit primò nominatum in testamento, alteri legato pro fabrica Ecclesiæ? Et quid si pro Missis sit legatum speciei, seu certum corpus hæreditatis sit legatum?

S V M M A R I V M.

An legata pia, deficientibus viribus hæreditatis, præferantur profanis, an verò omnia pro rata soluantur? nu.1.2. & 7.8. 9. & 10.

Missæ sacrificium magis prodest animabus Purgatorij, quàm cætera opera pia. num.3.

An quando concurrunt duo priuilegiati, præferatur habens potentius priuilegium? num. 4. & 13.

Ordo nominationis, an conferat titulum prælationis? num.5. & num.17. ac 18.

An legatum speciei, deficientibus viribus hæreditatis, veniat in contributionem cum cæteris legatis? nu.6. & 19.

Quando hæreditas non est sufficiens, fit diminutio legatorum pro rata, adeò vt si vnũ sit integraliter solutum, potest alter agere ad restitutionem suæ partis. nu.8. & 9.

Legata pia, magis pia, ac profana omnia pro rata soluuntur. num.11. & 15. 16.

Primi-

Priuilegium neque ex maioritate rationis debet extendi de casu ad casum. num. 12.

Quomodo restituens malè ablata pauperibus prosit animæ domini defuncti? num. 14.

Quando legatum est indiuiduum, & primò nominatum, non venit in contributionem. num. 18.

Quando testator vult legatum solui ex tali pecunia, id debet intelligi gratia demonstrationis, non taxationis, & restrictionis factum. num. 20.

Qui tenetur ad quantitatem respectu certæ speciei, perempta specie liberatur. num. 21.

AFfirmatiuè respondendum videtur ex sequentibus fundamentis.

Primò, quia in solutione legatorum attendenda est præsumpta voluntas testatoris, qui præsumitur prætulisse, quæ ad suam animam spectant, atque adeò priùs soluenda sunt, quæ designauit pro Missis, & alijs diuinis
1 Officijs: quare legata pia præferenda esse legatis profanis, deficientibus viribus hæreditarijs docuerunt, Bartolus *in l. ex asse 52. ff. ad legem falcidiam.* Castrensis *in l. si quis testamento 82. §. apud Iulianum, num. 5. ff. de legatis primo*, Federicus de Senis *consil. 250.* Molfesius *ad consuetudines Neapolitanas, tom. 1. cons. 13. num. 16.* Surdus *de alimentis, tit. 8. priuil. 30. nu. 3.* Cyluentes *in l. 30. Tauri num. 4.* Bertachinus *trac. de Episcopo lib. 4. par. 4. num. 84.* Baldus Nouellus *in l. 1. num. 471. ff. soluto matrimonio*, Cardinal Lugo *de iustitia to. 1. disp. 20. nu. 90.* Vasquez *opusculo de testament. cap. 8. §. 5. dub. 9. nu. 120. & 122.* qui docent præferendum esse legatum pro Missis, alteri legato pro magnifico sepulchro, nam præsumitur prætulisse quæ ad suam animam spectant ijs, quæ ad superfluitatem sepulchri, & funeris conducunt: Idemque indicat Diana *par. 7. tract. 10. resol. 14.* vbi post Mazuchellum ait: quod si hæres est constitutus in graui necessitate, non tenetur soluere alia legata; nisi ea, quæ sunt pro Missis celebrandis, quia animæ Purgatorij sunt in grauiori, imò in extrema necessitate.

Igitur si ex præsumpta voluntate testatoris præferuntur legata pia, non pijs, seu profanis, debet quoque ex eadem præsumpta voluntate præferri legatum Missarum ceteris legatis pijs, vt pro fabrica Ecclesiæ; nam præsumitur prudenter, priùs voluisse testatorem pro sua anima id, quod efficaciùs, citiùs, & securiùs ad sui leuamen è pœnis conducit; quod absque dubio est Missæ sacrificium, vt patet ex Tridentino *sess. 25. in Decreto de*
3 *Purgatorio*, vbi ait: *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs, potissimùm verò Altaris sacrificio iuuari.* Nota ea verba: *potissimùm Altaris sacrificio.* Ratio est, quia est securior satisfactio; nam est ex opere operato, ita vt non impediatur à prauitate Ministri celebrantis Trident. *sess. 22. cap. 1.* tum quia legatum factum pro fabrica Ecclesiæ nihil prodest animæ testatoris existentis in Purgatorio, si tempore facti legati non erat constitutus in gratia, at proderunt sacrificia, quamuis tempore legati non fuisset in gratia, tum quia est vberior fructus satisfactionis ex sacrificio; nam offertur ipsemet author, & fons gratiæ Christus Dominus: ergo si datur prælatio inter legata ex præsumpta voluntate testatoris, præferentis ea, quæ ad salutem suæ animæ spectant; debet cunctis legatis etiam pijs præferri legatum pro Missis.

4 Confirmatur, nam quando concurrunt duo priuilegiati, præfertur habens potentius priuilegium, *l. verum §. fin.* vbi Bartolus, & Baldus *ff. de minoribus*, Cynus, & alij *in authentica quas actiones C. de Sacrosanctis Ecclesijs*, Decius *cons. 147.* Corneus *cons. 140. num. 14. vol. 1.* Sed potentius est priuilegium legati Missarum, quam alterius legati pij; nam Missæ sacrificium super omnia alia opera pia prodest animæ defuncti, vt ostendi: ergo hoc legatum præferri debet legato pio pro fabrica Ecclesiæ.

Secundò accedit; nam hoc legatum Missarum factum fuit primo loco ante omnia legata: ergo ceteris
5 præferri debet; siquidem ordo nominationis confert titulum prælationis, Ita Benedictus *in cap. Raynutius verbo testamentum il 2. de testamentis*, textus est *in l. generaliter 24. §. quid ergo de fidei commiss. libertatibus*, vbi si legatarius rogatus est plures seruos manumittere, & quod ei relictum est non sufficit pro omnibus manumittendis, ordo scripturæ sequendus est, & tex. *in l. hæredes mei 56. §. peto ff. ad Trebellianum*, vbi ordo nominationis confert prælationem; quia designat ordinem dilectionis, & affectionis.

Tertiò affertur, quia in casu nostro videtur legatum speciei, nam testator voluit vendi sua mobilia, & ex eorum venditione constitui capitale ex cuius redditibus
6 Missæ celebrarentur: At quando est legatum speciei, deficientibus viribus hæreditatis, hoc non venit in contributionem cum ceteris legatis, sed alijs præfertur, ita per tex. *in l. in fideicommissorum ff. vt in possess. legatorum*, docent Baldus post Glosam *in l. si verò composita §. 1. ff. de militari testamento*, vbi Angelus, Paulus de Castro *in l. si quis testamento §. 1. ff. de legatis primo*, vbi Iason, qui idem scribit *in l. 2. §. 1. 2. notab. ff. de condit. indebiti*, Crotus *in l. prima num. 83. fallent 4. C. communia de legat.* Baldus Nouellus *in l. si quis testamento §. fin. ff. de legatis primo*, Io. Baptista Costa *de portione rata quæst. 107. num. 5. & quæst. 104. nu. 5.* Ceuallos *in pract. quæst. 103. num. 35.* Ratio est, quia rei in specie legatæ transit dominium recta via in legatarium, *l. a Titio ff. de furtis*, non autem sic est in legato quantitatis, tum quia generi per speciem derogatur.

His tamen non obstantibus, respondetur non præferri legatum pro Missis alteri legato pio pro fabrica Ecclesiæ, sed vtrumque pro rata soluendum.

7 Probatur, quia si concurrit legatum pium cum legato profano, non præfertur pium, sed vtrumque soluitur pro rata: ergo à fortiori si concurrit legatum pro Missis, seu legatum magis pium cum altero legato minus pio, seu pro fabrica Ecclesiæ non præfertur, sed vtrumque pro rata soluendum est.

8 Quod autem, quando hæreditas non est sufficiens, fiat diminutio legatorum pro rata, & fiat solutio per æs, & libram, est tex. *in l. si vero composita §. 1. ff. de militari testamento, & in l. si quis testamento 82. §. apud Iulianum*
9 *ff. de legatis primo*, Gaspar Thesaurus *quæstionum forens. lib. 3. quæst. 114.* Adeo quod si vni legatario integraliter facta est solutio per hæredes, potest alter legatarius agere contra eum, cui est facta solutio ad contributionem, & restitutionem suæ partis, tex. est *in l. 2. §. 1. ff. de conditionibus indebiti*, vbi Castrensis, & alij, Gomezius *Variarum resolut. to. 1. cap. 12. nu. 34.* Boerius *decis. 145. numer. 5.* doctissimus Dominus Regens Capycius Latro *tom. 1. decis. 12. num. 3.* Nec solùm legata profana inter se, sed etiam legata pia concurrentia cum profanis venire in contributionem, & pia, ac profana omnia solui pro

rata,

rata, docent communiter Doctores, ita Alex. *in l. si post missionem* per illum textum, *ff. ad legem falcidiam*, Bartolus *in auth. similiter, num. 4. C. ad legem falcidiam, & ibi* Salicetus *num. 6.* Albericus *in l. si quis ad declinandam C. de Episcop. & Clericis*, Iason *in l. si quis testamento 82. §. 1. num. 2. ff. de legatis primo*, & alij, quos citat, & sequitur Tiraquellus *de priuilegijs piæ causæ priuileg. 26. nu. 9. & priuilegio 72.* & ita fuisse decisum in sacro Concilio Neapolitano inter legatarios Comitis Murconi, ac iterùm in Curia Archiepiscopali Neapolitana, refert Riccius *decis. 221. par. 1.* & ita decisum in S. Concilio Neapolitano, & practicari in Tribunalibus, scribit Molsesius *ad consuetudin. Neapol. tom. 1. cons. 13. num. 5.* quamuis ipse oppositum sustineat, & hanc opinionem esse magis approbatam in Regno, ait doctissimus Regens Capycius Latro *tom. 1. decis. 12. nu. 4.* Francus *decis. 236. nu. 2.* Peregrinus *de fideicommissis, art. 4. num. 63. in fine*, Regens Rouitus *decis. 87. num. 2. 3. & 4.* Martha *de success. legali, par. 4. q. 18. art. 9. num. 11. & per totum, vbi latè*, Gregorius Lopes *in l. 1. glos. 1. tit. 11. par. 6.* Parladorus *rerum quotidianarum, lib. 1. c. 18.* Cquallos *pract. qu. 103. num. 32.* Guttierez *in l. nemo potest, num. 97. ff. de legatis primo*, Angelus *verbo Legatum. 1. num. 57.* Tabiena *1. num. 54.* Syluester *num. 20.* Armilla *num. 41.* idem Angelus *verbo legitima*, & Syluester *ibidem, q. 10.* Sanchez *lib. 4. Summæ cap. 15. num. 40. & lib. 4. consiliorum, c. 2. dubio 11.* Bonaccina *de contract. disp. 3. qu. vltima, punc. vltimo, nu. 27.* Comitolus *responsorum lib. 7. q. 10. nu. 4.* Vasquez *de restitut. cap. 11. dub. 6.* Io. Valerus *de different. vtriusque fori, verbo Legatum, differ. 2. nu. 2.* qui ait: legata pia, magis pia, ac profana omnia pro rata solui, quem sequitur Diana *par. 3. tract. 5. resol. 60.*

Duplex autem ratio afferri potest huius communis sententiæ: Prima desumitur ex præsumpta voluntate testatoris, & ista ex his quæ communiter accidunt benè colligitur; siquidem experientia patet: testatores iuxta quantitatem hæreditatis moderari omnia legata, v. g. habens in bonis mille, legat triginta pro Missis, viginti pro alijs pijs operibus, & quinquaginta amicis, proportionaliter iste si haberet decem millia decuplo fortè augeret legata, tum pia, cum profana: ergo mens testatorum non est, vt deficientibus viribus hæreditatis omninò excludantur legata amicorum, seu profana; sed vt moderentur, & pro rata soluantur, tam pia, quàm profana. Tum quia quantum possibile est testatoris voluntas spectanda, & implenda est; hæc autem magis obseruatur solutis legatis omnibus pro rata; quod patet in casu nostro; nam testator reliquit annua mille pro fabrica Ecclesiæ, & annua centumquinquaginta pro Missis: ergo satis declarauit legatum pro fabrica Ecclesiæ esse sexies pinguius legato pro celebratione Missarum: Hæc autem proportio intenta à testatore semper seruatur, cùm soluuntur omnia legata pro rata.

Altera ratio, cur legata omnia pro rata soluantur tam pia, quàm profana hæc est; quia in iure vniuersim statutum est, quod deficientibus viribus hæreditatis omnia legata pro rata soluantur, *l. si vero composita, §. 1. ff. de militari testamento, l. si certarum. §. fin. & l. sequenti, ff. eodem, l. si post missionem, ff. ad legem falcidiam, l. is cui, §. si plures, ff. vt in possessione legatorum*: ergo huic regulæ standum est; nisi exceptio probetur ex speciali priuilegio concesso legatis pijs: at nullum in iure extat tale priuilegium legati pij, vt deficientibus viribus hæreditatis non patiatur diminutionem. Neque refert, quod legatum pium habeat priuilegium, vt non patiatur diminutionem ex falcidia; nam hoc priuilegium est di-
12 uersum à diminutione ex defectu virium hæreditatis, & priuilegium neque ex maioritate rationis est extendendum de casu ad casum, *cap. sanè de priuilegijs*, non enim sunt multiplicanda priuilegia, neque afferenda, nisi iure inueniantur expressa, *l. quod verò, ff. de legibus*, Soccinus Iunior *in l. 1. num. 12. & in l. sciendum, num. 100. ff. de legatis primo*. Tum quia ex priuilegio, ne legatum patiatur diminutionem ex falcidia, non infertur priuilegium ne patiatur diminutionem ex defectu virium hæreditatis; nam legata relicta à milite in castris, seu in militia non patiuntur detractionem falcidiæ; tamen patiuntur diminutionem ex defectu virium hæreditatis, & omnia legata relicta in militia, ac post missionem ex militia pro rata soluuntur, *l. si certarum. §. fin. & l. sequenti, ff. de militari testamento, l. si post missionem*, vbi Bartolus, *ff. ad legem falcidiam*: Ex quibus iuribus Iason *in l. si quis testamento 82. §. 1. num. 2. ff. de leg. 1.* & Guttierez *in l. nemo potest, num. 97. ff. de legatis primo*, & alij Doctores probant, quod deficientibus viribus hæreditatis omnia legata pia, & profana pro rata soluuntur.

Itaque si legata pia, & profana pro rata soluuntur, à fortiori legata pro Missis, & pro fabrica Ecclesiæ debent pro rata solui; absurdum enim est, legatum profanum concurrens cum legato pio pro rata solui; & legatum pium pro fabrica Ecclesiæ concurrens cum alio legato magis pio omnino excludi; nam maior est affectio testatoris ad legatum pium comparatione profani, quàm ad legatum Missarum comparatione alterius legati pij; Sed pium, & profanum pro rata soluuntur: ergo etiam pro rata soluenda sunt legata pia, & magis pia: quandoquidem sicut maior est distantia albi à nigro; quàm sit distantia magis albi à minus albo: ita maior est distantia legati profani à pio, quàm sit magis pij à minus pio: Ergo si non excluditur profanum, neque debet excludi minus pium.

13 Confirmatur; nam estò, quòd deficientibus viribus hæreditatis legata pia haberent priuilegium, vt integrè soluerentur exclusis legatis profanis: at nullibi extat tale priuilegium, vt legatum pro celebratione Missarum excludat cætera legata pia; non enim sunt afferenda priuilegia, nisi in iure habeantur expressa; quare rectè post Vasquez, & Molinam docet Cardinalis Lugo *de Iustitia, disp. 20. sect. 5. num. 88.* tunc præferri vnum creditorem priuilegiatum alijs priuilegiatis, quando ex iure habet priuilegium prælationis etiam respectu aliorum priuilegiatorum; non enim datur prælatio inter habentes idem priuilegium, nisi in iure sit expressum; ita Glosa *in l. priuilegia, ff. de priuilegijs creditorum*: At nullibi habetur in iure expressum, vt legatum pro celebratione Missarum excludat cetera legata pia.

Neque obstat, quòd securiùs, & vberiùs prodest sacrificium Missæ animæ testatoris; quàm legatum pro fabrica Ecclesiæ: quia non spectatur quid magis prosit, sed
14 quid testator disposuerit. At ipse ita legauit pro sacrificijs Missarum, vt legatum sexies pinguius reliquerit pro fabrica; Hoc autem optimè declaratur ex doctrina Cardinal. Lugo *de Iustitia, tom. 1. disp. 6. sect. 12. num. 151.* vbi probat difficillimè posse saluari, quomodo is, qui restituit bona incerta malè ablata, aut inuenta pauperibus, prosit animæ domini defuncti, dando pauperibus; non

enim

enim prodest per modum meriti; quia defunctus non est in statu merendi; non per modum satisfactionis, quia defunctus non habuit voluntatem illius eleemosynæ; & si habuisset; tunc quidem satisfecisset, non nunc; quia iam non est in statu satisfaciendi: non per modum suffragij; quia oporteret restituentem esse in gratia, quando dat eleemosynas; nemo tamen obligabit restituentem, vt tunc se ponat in gratia: ergo non remanet alius modus tutior, & vtilior restituendi, ita vt prosit animæ defuncti Domini, quàm quod detur pro Missarum sacrificijs pro anima Domini: nihilominus, vt egregiè ait Eminentissimus Lugo, non tenetur satisfaciens offerre sacrificia; sed satis est, si det pauperibus: Ratio est, quia voluntas Dominorum præsumitur esse, vt in opera pia ea bona erogentur: Ergo quamuis magis prosit animæ legatum pro Missis, tamen non attendenda est maior vtilitas; sed ipsa voluntas testatoris, quæ est, vt non solùm Missæ celebrentur, sed etiam Ecclesia construatur; imò sexies pinguius legatum reliquit pro fabrica Ecclesiæ, quàm pro Missis.

15 His accedit in terminis ita fuisse decisum Neapoli *die 17. Septembris 1643.* per Reuerendissimum Dominum Commissarium fabricæ Sancti Petri cum voto Doctissimi Domini Regentis Caraccioli; nam cum Monasterium Sancti Spiritus de Neapoli Patrum Ordinis Prædicatorum ex quodam legato pio deberet certum Missarum numerum celebrare pro anima testatricis, & insuper quolibet anno duas virgines dotare; deficientibus viribus hæreditatis, adeò vt celebratio Missarum absorberet totum quod soluebatur decisum fuit, vt quolibet anno Monasterium vnam Virginem dotaret, & reliquum cederet pro celebratione Missarum.

16 Præterea huic sententiæ, quod legatum pro Missis, & legatum pro fabrica Ecclesiæ debeant pro rata solui, subscripserunt decem doctissimi Theologi Ordinis Prædicatorum, ac Societatis Iesu, nempe Magister Ioseph Stagnarius, qui fuerat electus arbiter, & pro ea erudirè scripsit, Magister Clemens Blasius, Marcus de Alexandro Prædicator Generalis, & Prior Conuentus Sancti Spiritus, P. Hippolytus Maria Parascandalus S. Theol. Baccal. Magister Vincentius Cassella, Magister Hyacinthus Donatus, qui nuper edidit insigne opus de Regularibus, & Thomas de Franciscis S. Theol. Baccal. Ex Societate Iesu subscripserunt Patres Franciscus Carrafa, Ioseph Bonanus, ac Lælius San Felicius, omnes viri eruditione, ingenio, ac fama clarissimi.

Ex dictis autem patet responsio ad primum argumentum.

17 Ad secundum argumentum respondetur ex communi Doctorum sententia, quos supra retuli, præsertim ex Iasone *in l. si quis testamento 82. §. 1. numer. 4. & seq. ff. de legatis primo*: Scripturæ ordinem non tribuere legatis prælationem, quod patet ex tex. expresso *in l. is cui, §. si plures, ff. vt in possess. legatorum*, ibi: *Inter legatarios nullum ordinem obseruamus, sed simul omnes aequaliter tuemur*. Neque obstat tex. *in l. generaliter 24. §. quid ergo, ff. de fideicommissarijs libertatibus*, nam, vt rectè docent Francus *decis. 236. in fine*, & Dominus Re-

18 gens Capycius Latro *tom. 1. decis. 12. in fine*, tex. ille procedit, vt diminutio non sit facienda pro rata, sed ordo scripturæ attendatur; quando legata essent indiuidua, vt relicta libertate pluribus pretio mediante; quod non sufficit ad liberationem omnium; nam hoc casu non fiet diminutio pro rata, sed primo nominatus iuxta ordinem scripturæ erit liber, quia legatum tale est indiuiduum; id autem apparet manifestissimè ex tex. *in auth. hoc amplius C. de fideicommissis*, vbi dicitur: quòd in manumissione seruorum attenditur ordo scripturæ; qui ordo non attenditur in alijs legatarijs, sed omnia legata pro rata soluuntur.

Neque obstat tex. *in l. hæredes mei 56. §. peto, ff. ad trebellianum*; nam ibi constabat de voluntate testatoris, quod non plures simul, sed vnus tantùm admitteretur ad fideicommissum; vnde necesse erat ordinem nominationis attendi.

Ad tertium argumentum responderi posset, quod iuxta communem opinionem, etiam legatarij speciei, deficientibus viribus hæreditatis, patiuntur diminutionem, & admittuntur pro rata; ita ex tex. *in l. quærebatur, ff. ad legem falcidiam*, docent ibi Angelus, Io. de Imola, Raphael Cumanus, Alexander, & Castrensis; idem Castrensis, & Corneus *in l. 1. C. communia de legatis*, Tiraquellus *de priuilegijs piæ causæ, priu. 72.* Gomezius *variar. resol. tom. 1. cap. 12. num. 34.* Parladorus *rerum quotid. lib. 1. capit. 18.* Sanchez qui de communi testatur *lib. 4. Summa cap. 15. numer. 40.* Gregorius Lopez *in l. 2. 6. verbo obligados tit. 13. par. 5.* Francus *decis. 236. num. 11.* vbi ait: sacro Consilio Neap. hanc opinionem visam tutiorem, & æquiorem, Gratianus *discept. forens. cap. 646. num. 12.* Dominus Regens Capycius Latro *decis. 12. num. 5. par. 1.* Nec obstat quòd tex. *in l. quærebatur, ff. ad legem falcidiam*, loquatur in legato nominis debitoris, quod videtur legatum quantitatis, non speciei: nam est quæstio de nomine; siquidem æquiualet legato speciei; si enim debitor sit impotens, ad nihil tenetur hæres. Verùm quicquid sit an legatum speciei, deficientibus viribus hæreditatis, patiatur diminutionem, in casu nostro tamen, aliter erat dicendum; nam cùm fuisset factum legatum nostræ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Angelorum Neapol. ab Excellentissima Domina D. Eleonora à Leyua, acutè satis obseruauit R. P. D. Seraphinus Filingerius eius domus Præpositus vir pietate, & prudentia eximius, Testatricem initio sui testamenti disposuisse, vt venditis mobilibus constitueretur capitale ducatorum trium mille, ex cuius redditibus soluerentur annua 150. pro Missarum celebratione; nec adiecit, quid agendum esset in casu, quo capitale illud fieret inexigibile. Deinde legauit Testatrix annua mille pro fabrica Ecclesiæ, & adiecit, quod in casu, quo hæreditatis corpora fierent inexigibilia, hæres pro dictis mille daret quicquid ex hæreditate reciperet, retentis tantùm sibi decem pro singulis centum: ergo mens testatricis fuit, vt assignaretur certum capitale ducatorum trium mille pro Missis, & huius redditus non venirent in contributionem, deficientibus viribus hæreditatis, cum legato fabricæ Ecclesiæ: ergo cùm venditis mobilibus pro satisfactione creditorum, adhuc per viginti annos non fuerit assignatum certum capitale ducatorum trium mille pro Missis, debet nunc ex hæreditarijs corporibus melioribus assignari dictum capitale; nam quando testatrix disposuit, quòd venderentur mobilia pro constituendo capitali Missarum, non id disposuit taxatiuè, & restrictiuè; sed demonstratiuè vnde non debet restringi eius voluntas ad mobilia;

quia quando teſtatur ait, quod ſoluatur ex tali pecu-
10 nia, id debet intelligi gratia demonſtrationeſ, non taxationis, ſeu reſtrictionis, factum prout præclarè docuit Decianus *conſ.70. à num.17. vol.5.* ex tex. *in l. quidam teſtamento ff. de legatis primo, & l. Paulo Callimacho §. vltimo ff. de legatis tertio.* Itaque debet nunc dictum capitale ducatorum trium mille aſſignari; eo autem aſſignato ex melioribus hæreditarijs corporibus, ſi eius redditus annui non aſcendant, propter difficultatem exactionis, ad annuos ducatos 150. quicquid ex ipſis accipitur debet pro celebratione Miſſarum erogari; cæteris hæreditarijs corporibus remanentibus liberis pro legato fabricę Eccleſię, ideſt quod quicquid ex alijs bonis hęreditarijs accipitur debeat ſolui pro legato fabricę hæc enim fuit mens teſtatricis, vt veriſſimè, & ſubtiliter obſeruauit R. Pater Præpoſitus, cuius optimæ & prudentiſſimę ſententię hęredes vnanimes aſſentiti ſunt, & ita ſe in futurum obſeruaturos ſpopóderunt: Præterea P. Filingerij opinio ſolidum in iure habet fundamentum; nam noluit teſtatrix ſimpliciter obligare hæredes ad annua 150. ſed obligauit reſpectu certæ ſpeciei, ideſt reſpectu redditũum capitali ducatorum 3000. aſſignati pro Miſſis: ſed qui tenetur ad quantitatem reſpectu certæ ſpeciei, perempta ſpecie liberatur, vt eſt tex. expreſſus *in l. quidam teſtamento 96. §. ſi tibi & l. titia textores §. fin. ff. de legatis primo.* Quarè ex verbis teſtatricis ſatis colligitur, quod aſſignato capitali ducatorum trium mille pro Miſſis, hoc capitale ſit taxatiuè pro celebratione aſſignatum; quia teſtatrix expreſſe voluit cætera corpora hereditaria eſſe ſubiecta oneribus aliorum legatorum præſertim fabricæ Eccleſiæ.

QVÆSTIO LXV.

An inſtituta hærede Eccleſia, eaque grauata ad celebrandam vnicam Miſſam quotidianam perpetuam, deficientibus viribus hæreditatis, poſſit Eccleſia detrahere ſalcidiam, celebrando tantùm quinque, aut ſex Miſſas in hebdomada?

SVMMARIVM.

An ſi Eccleſia ſit hæres, poſſit detrahere falcidiam de legatis pijs? num.1.

Vtraque opinio eſt communis, ſed probabilior eſt affirmatiua. num.2. & 4.

Speciale priuilegium an ſit potentius generali? numer. 3. & 5.

An ſi Eccleſia hæres inſtituta grauata ſit ad celebrandam Miſſam quotidianam perpetuam, poſſit detrahere falcidiam, & celebrare quinque, aut ſex Miſſas tantùm in hebdomada? num.6.

Quando teſtator certum opus iniunxit, quod nequeat fieri detracta falcidia, an videatur tacitè prohibuiſſe falcidiam? num.7. & 9.11.12.

Tacitè videtur probibita falcidia, quando teſtator ait, ſe velle integrè ſolui legatum. numer.8. quare? numer.11.

Ad probibendum tacitè falcidiam, requiruntur coniectura aperta, & verba concludentia, quæ nequeant in ſua proprietate ſaluari, niſi ea probibita. num.10.

1 PRimum dubium eſt, An ſi Eccleſia ſit hæres, poſſit detrahere ſalcidiam de legatis pijs?

2 Negant Romanus *in authentica ſimiliter in 40. ſpeciali C. ad legem falcidiam,* Alexand. *in l.1. §. ad Municipium ff. ad legem falcidiam, & in l. Marcellus numer.5.* vbi Iaſon *numer.35.* & Soccinus *ff. ad trebellianum,* Bartolus *conſ.102, vol.2.* Aretinus *conſ.12. numer.2. verſ. præterea ſi in Eccleſis,* Corneus *conſ.140. col.2. verſ. circa falcidiam vol.1.* Benincaſius *de priuilegijs paupertatis quæſt.9. in 6. ſpeciali vol.16. tractatuum diuerſorum,* Surdus *de alimentis tit.8. priuilegio 18. numer.5.* Tiraquellus *de priuilegijs pia cauſa priuil.26.* Francus *in cap. ſi pater de teſtament. in ſexto.* Bertrandus *conſ.152. col. pen. vol.1.* Felinus *in capit. in præſentia col.15. de probat.* Fabianus de Monte, *in authentica nouiſſima quæſt.24. verſ. ſed vtrum Eccleſia C. de inofficioſo teſtamento,* Barbatia *in capit. Raynaldus col.151. de teſtamentis, & conſil.15. col.7. vol.3.* Craſſus *in §. falcidia quæſtion.3. in fine,* vbi de communi teſtatur Io. de Monte Sperello *conſ.106.* Vaſquius *de ſucceſſionum progreſſu §. 26. nu.25.*

Probatur primò, quia ſpeciale priuilegium, quód obtinent legata pia, ne ex ipſis detrahatur falcidia, *ex authentica ſimiliter Cod. ad legem falcidiam,* præualet priuilegio generali, quod habet Eccleſia; nam ſpecia-
3 le priuilegium potentius eſt generali, *l. fin. ff. ex quibus cauſis maiore,* Baldus *in authentica quas actiones Cod. de Sacroſanctis Eccleſijs.*

Secundò, quia hoc priuilegium, ne detrahatur falcidia, eſt conceſſum Eccleſiæ paſſiuè, non actiuè, vt inquit Bartolus *conſil.102. vol.2.* ergo pium legatum cùm habeat priuilegium paſſiuè, ne ab ipſo detrahatur ſalcidia; Eccleſia verò hæres inſtituta nullum habeat priuilegium, vt ſalcidiam detrahat, proinde nequit detrahere.

Tertiò in pari cauſa, legata pia habent expreſſam voluntatem teſtatoris.

4 His tamen non obſtantibus, dico: Eccleſiam hæredem inſtitutam detrahere ſalcidiam ex legatis pijs, ac etiam trebellianicam ex fideicommiſſo vniuerſali alteri Eccleſiæ relicto, ita docent Angelus *in §. ſed hoc præſenti* (per illum textum) *authentico de Sanctiſſimis Epiſcopis, & in authentica ſimiliter Codic. ad leg. falcidiam,* Albericus *in leg. ſi quis ad declinandam, quæſtion.2. Cod. de Epiſcopis, & Clericis,* Imola, & Comenſis *in l.1. §. ad municipium ff. ad legem falcidiam,* Salycetus *in authentica qui rem col.2. Cod. de Sacroſanct. Eccleſiis,* Abbas *in capit. in præſentia numer.37.* vbi Decius *numer.54. de probationibus,* Ruinus *conſil.89. numer.7. vol.3.* vbi de communi teſtatur Capra *conſil.68. in tertio dubio,* Vincentius Herculanus *in l. Marcellus ff. ad legem falcidiam,* vbi pariter aſſerit eſſe communem, ſicut quoque ait Peregrinus *de fideicommiſſis artic.3. num.69. & 70.* Cardin. Lugo *de Iuſtitia tom.2. diſp.24. num.299.*

Probatur primò, ex tex. *in §. ſed & hoc præſenti authentico de Sanctiſſimis Epiſcopis,* ex quo textu clarè colligitur, mentem legumlatorum, eſſe priuilegia pijs locis conceſſa non exercere ſuas vires, quando alia concurrit pia cauſa; quare communiter Doctores ibi docent, piam cauſam ſubſtitutam, quæcumque illa ſit, præualere.

Mona-

Monasterio, in quo hæres institutus Religionem professus est.

Confirmatur, nam dos priuilegiata aduersus aliam dotem priuilegiatam non vtitur suo priuilegio, vt probat Peregrinus *de fideicommissis artic. 27. num. 74.*

Probatur Secundò ratione, quia ideò non detrahitur falcidia de legatis pijs, quia præsumitur testatorem prædilexisse animam suam, ac prætulisse hæredi: sed quando tam hæres, quàm legatarius sunt causæ piæ, tunc siue hæres, siue legatarius capiat, prodest animæ defuncti: ergo tunc cessat ratio, quare de legatis pijs prohibita sit detractio falcidiæ.

Probatur tertiò, quia præsumitur testatorem magis dilexisse hæredem, quàm legatarios: sed deficientibus viribus hæreditatis, si duæ Ecclesiæ legatariæ concurrant, non accipit vna Ecclesia totum legatum, vt altera omninò excludatur: ergo si concurrant duæ Ecclesiæ, quarum vna sit hæres, altera legataria; non ita vna Ecclesia debet totum legatum accipere, vt Ecclesia, quæ est hæres, & prædilecta, inanis, & vacua remaneat: ergo debet saltem quartam falcidiam, aut trebellianicam accipere.

5 Ad primum, & secundum argumentum oppositum respondetur, tunc potentius esse priuilegium speciale, quando diuersa est ratio specialis priuilegij, quæ non est in generali: At si eadem omninò ratio sit vtriusque priuilegij; nempè fauor causæ piæ, & animæ defuncti, tunc speciale priuilegium, cùm nihil addat supra generale, consequenter tunc conquassantur priuilegia.

Ad tertium respondetur, imò hæredem habere voluntatem testatoris, quia præsumitur prædilectus: ergo sicuti pluribus legatis relictis, deficientibus viribus hæreditatis, omnia legata diminuuntur; ita æquum est, legata diminui, ne hæres, qui censetur prædilectus, nulla detracta quarta, omnino inanis, & vacuus remaneat.

6 Secundum dubium est, an si Ecclesia hæres instituta grauata sit, ad celebrandam Missam quotidianam perpetuam, possit detrahere falcidiam, & celebrare quinque, aut sex Missas circiter in hebdomada?

7 Pro parte negatiua primò affertur, quia quando certum opus est iniunctum, quod nequeat fieri, si detrahatur falcidia, tunc falcidia non est detrahenda; ratio est, quia cùm testator possit hodie falcidiam prohibere, *authentica sed cum testator C. ad legem falcidiam*, videtur tacitè falcidiam prohibuisse, hoc ipso, quod certum opus iniunxit, quod detracta falcidia, fieri non possit; Ita Oldradus *consil. 225. num. 25.* Lapus *allegat. 30. numer. 10.* Cardin. Tuschus *verbo falcidia concl. 38. numer. 28.* mouentur ex tex. *in l. decem ff. de fideicommissis libertatibus, & in l. si seruus communis 33. ff. ad legem falcidiam*: Sed testator iniunxit certum opus Missæ quotidianæ, & nequit quotidiana Missa celebrari, detracta falcidia; ergo videtur tacitè illam prohibuisse.

Secundò affertur, quia sufficit testatorem per verba æquipollentia prohibere falcidiam, vel trebellianicam;
8 eamque tacitè prohibet, quando dixit, se velle integrè solui legatum, aut integrè restitui hæreditatem, ita communiter Doctores, Glosa *in l. decem ff. de fideicomm. libertatibus*, Castrensis *cons. 28. numer. 4. vol. 2.* Ruinus *cons. 25. numer. 7. vol. 1. & consil. 163. numer. 3. vol. 2.* Parisius *consil. 93. numer. 45. vol. 2.* Bellonus *consil. 65. numer. 3.* Menochius *de præsumpt. lib. 4. præs. 98. numer. 14.* Mantica *de coniecturis lib. 9. tit. vltimo numer. 15. & 17. decis. 183.* Crauetta *cons. 174. numer. 1.* Fernandus Vasquius *de successionum progressu §. 26. numer. 29.* vbi de communi testatur Grassus *in §. falcidia quæst. 10. numer. 2. & 4.* Dilectus *de arte testandi tit. 5. cautela 31. numer. 3.* Molina *de primogen. lib. 1. cap. 17. numer. 15.* Castillo Soto Maior *controuersiarum lib. 5. capit. 86. numer. 48. vers. secundum*: Sed idem est dicere, quod soluatur integrè legatum, ac dicere, quod celebretur Missa quotidiana; nam detracta falcidia, non erit amplius quotidiana: ergo censetur tacitè prohibita falcidia, quando ea detracta nequit celebrari Missa quotidiana.

His tamen non obstantibus, dico: detrahendam esse falcidiam, & ideo celebrandas esse quinque, aut sex Missas tantùm in hebdomada.

9 Probo, quia exceptis Oldrado, Lapo, & Tuscho, nullus Doctor asserit, quòd quando est certum opus iniunctum, tacitè censeatur prohibita falcidia, si opus iniunctum exequi nequeat, detracta falcidia; imò oppositum est in iure expressum, nam de legato pro constructione sepulchri, si sepulchrum non est necessarium, detrahitur falcidia, etiam si sepulchrum, ea detracta, construi nequeat *l. 1. §. fin. & l. 2. ff. ad legem falcidiam*, & ita docent ibi Bartolus, Angelus, Alexander, Castrensis, & Imola, & quamuis aliqui ibi dicant hodie sepulchrum esse opus pium, quare non debet detrahi falcidia, ex *auth. similiter C. ad legem falcidiam*, nemo tamen dicit videri tacitè prohibitam, si sepulchrum construi nequeat. Præterea de legato alimentorum detrahitur falcidia, vt ex tex. *in l. alio ff. de alimentis, & cibarijs legatis, l. hæreditatum, seu l. computationi ff. ad legem falcidiam*, docet Surdus *de alimentis tit. 8. priuileg. 18.* & sanè alimenta quotidiana sunt, nec vllus dicit, quod non detrahatur falcidia de legato alimentorum, si ea detracta, nequeant quotidiana alimenta præstari: ergo neque censetur probita falcidia ex eo, quod ea detracta nequeat quotidie Missa celebrari.

10 Probatur secundò ratione, quia non quæcumque coniecturæ, neque quæcumque verba sufficiunt, ad hoc, vt censeatur prohibita falcidia; sed debent esse coniectucturæ apertæ, ac verba concludentia, quæ nequeant in sua proprietate saluari, nisi prohibita falcidia, Castrensis *consil. 28. numer. 2. & 3. vol. 2.* Iason *cons. 84. col. 9. vol. 1.* Curtius Iunior *cons. 54. col. 5.* Ruinus *cons. 173. col. fin. vol. 2.* Aretinus *cons. 12. col. fin.* Bertrandus *cons. 144. numer. 14. vol. 3.* Gabriel *communium opinionum lib. 4. concl. 2.* Sed longè diuersa sunt, testatorem voluisse integrè solui legatum, ac voluisse fieri certum opus; In priori enim casu censetur tacitè prohibuisse falcidiam, ex eo, quia præsumitur considerasse, fortè vires suæ hæreditatis deficientes, & voluit, quod adhuc deficientibus viribus hæreditatis, integrè soluatur legatum; nam nisi considerasset casum deficientium virium hæreditatis, superflua fuissent ea verba, quod integrè soluatur legatum; quia nisi vires deficiant, certum est debere integrè solui legatum, quare ne ea verba sint frustatoria, intelliguntur, quod integrè soluatur legatum in casu deficientium virium hæreditatis, ex
11 a quo videtur prohibita falcidia. In posteriori autem casu, quando testator certum opus iniunxit, quod nequeat fieri, detracta falcidia; nulla apparet ratio cur prohibuerit falcidiam; nam tunc non apparet, quod considerauit

casum deficientium virium hæreditatis, & adhuc in eo casu mandauerit tale opus; quare præsumendum est, quod si considerasset casum deficientium virium hæreditatis, tunc non mandasset tale opus, sed aliud minoris pretij; nam non præsumitur voluisse hæredem vacuum remanere; nisi aliunde ex apertis verbis id colligatur. Vnde faciliter patet responsio ad contraria argumenta; & ad tex. *in l. decem, ff. de fideicomm. libertatibus, & l. si seruus communis 33. ff. ad legem falcidiam*, respondetur, iuxta communem Doctorum sententiam, esse ibi speciale priuilegium libertatis.

QVÆSTIO LXVI.

An si Religiosus frequenter, & per multas horas alloquatur Monialem, secluso scandalo, & praua intentione, peccet mortaliter? & quædam alia notabilia de hac re, etiam quoad Sæculares loquentes cum Monialibus.

SVMMARIVM.

Affirmant communiter. num.1. Negant alij. num.4. Probabiliùs affirmandum. num.11.

Quando lex pœnalis obliget sub mortali? num.2. 5. 6. 16.

Quando exponens se periculo grauis pœnæ peccet mortaliter? num.7.

Quando lex fundata in præsumptione liget in conscientia? num.8. 17. & 18.

Quando cessante fine legis in aliquo casu particulari, cesset lex? num.9. 18. & 19.

Grauitas legis mensuranda est à fine, ad quem ordinatur. num.12.

Dux belli iustè punit pœna mortis leue furtum militum. numer.13.

Præceptum Adamo impositum quare fuerit grauissimum? numer.14.

In lege Ecclesiastica ea verba: mandamus, præcipimus, obligant ad grauem culpam. num.15.

Loquens cum Moniali ex domo vicina, aut via publica an incurrat pœnas? num.20. An loquens per interpretem? num.21. An si nutibus agat cum Moniali? num.22. An si Monialis nihil respondeat? num.23. An si audiat Monialem loquentem? num.24. An incurrat pœnas loquens cum Abbatissa? num.25. An loquens cum Auscultatricibus? num.26. An Socius Religiosi, qui loquitur cum licentia? num.27. An si differat de rebus spiritualibus, aut auferat scrupulos, vel soluat dubia spectantia ad conscientiam? num.28. An si non obseruet aliqua in licentia præscripta, vt si loquatur sine auscultatricibus, aut sine Confessario, aut si licentia non sit in scriptis? nu.29. An si loquatur cum licentia obtenta ex causa ficta? numer.30. An si loquatur per quadrantem horæ? num.31. An si tantùm duo verba obscœna dicat ex praua intentione incurrat excommunicationem? numer.32. An pueri incurrant excommunicationem latam ab Episcopo contra loquentes cum Monialibus? num.33. An eam incurrant aduenæ, & peregrini? num.34. vsque ad 38. An Sæculares loquentes cum Monialibus exemptis incurrant excommunicationem latam ab Episcopo? num.38. Episcopi possint punire loquentes cum Monialibus exemptis. num.40. Ad quem spectat dare licentiam loquendi cum Monialibus exemptis? num.43. An Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo contra loquentes cum Monialibus; si habeant priuilegium, ne possint excommunicari? num.45. certum est, eam non incurrere, quando in statuto Episcopi expressè non nominantur Regulares, num.48.

1 AFfirmant communiter Doctores Salas 1.2. *disp.* 19. *sect.1. concl.2. num.16.* Duardus *in Bullam Cœnæ lib.3. §.8. quæst.2. num.45.* Pellizzarius *tract. de Monialibus cap.5. num.200. & in manuali Regular. tract.5. capit.6. num.9.* Bonacina *tract. de clausura quæst.3. pun.4. num.4.* Suarez *de Religione tom.4. tract.8. lib.1. cap.10. num.27.* Peyrinus *de priuileg. Minimorum tom.2. const.6. Pij V. §.10. numer.36.* Sayrus *in Claui Regia lib.3. cap.7. num.34.* Barchius *in speculo Monialium cap.9.* Homobonus *par.2. casu 3. vers.4.* Diana *par.1. tract.10. resol.23. & par.3. tract.2. resol.104. & par.10. tract.14. res.55.* Candidus *tom.2. de recto regimine Monialium disquis.51. art.1. dub.11.* Thomas Vrtadus *tom.1. tract.1. cap.5. resol.11. nu.88.* Tamburinus *de iure Abbatissarum disp.25. quæst.5.* Campanilis *in diuersor. iuris Canon. rub.12. de Regular. capit.16. num.43.* Barbosa *de iure Ecclesiastico lib.1. cap.44. num.156.* Coriolanus *de casibus reseruatis par.2. casu 3. num.29.* Naldus *verbo Monialis num.17.*

Probant primò ex tex. *in cap. periculoso de statu Regular. in 7.* vbi Bonifacius VIII. prohibet accessum ad Monasteria Monialium, quam Constitutionem confirmat Tridentinum *sess. 25. de Regularib. cap. 5.* ac etiam Pius V. *in Const. incip. Circa pastoralis anni* 1566. vbi eam, *In omnibus & per omnia districtè obseruari mandauit*, quæ verba æquiualent strictissimo præcepto obedientię, vt patet ex *Clem. exiui, de verborum significatione.*

Secundò, quia sacra Congregatio *anno* 1590. iussu Sixti V. statuit, ac præcepit Regularibus, ne accederent Monasteria Monialium sub pęnis priuationis Officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, atque alijs pęnis eiusdem Congregationis arbitrio: Sed lex mixta, idest præ-
2 ceptiua, & pęnalis, quæ graues pęnas imponit, obligat sub peccato mortali, iuxta communem opinionem Salas *de legibus disp.10. sect.9. reg.8.* Beccanus 1.2. *tract.3. cap.7. quæst.2. num.4.* Sanchez *in Sum. lib.6. cap.4. numer.60.* Vasquez 1.2. *tom.2. disputat.159. capit.2. & 3.* Malderus 1.2. *quæst.96. artic.4. mem.2.* Granado 1.2. *controu.7. tract.3. pun.1. disp.4. sect.2. num.7.* Io. Caramuel *in Regul. S. Benedicti disp.3.*

3 Tertiò, quia sic declarauit Sacra Congreg. *die primo Iulij* 1606. his verbis: *Sacra Congregatio censuit Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contrà formam Decreti, quo huiusmodi accessus per sacram Congregationem prohibetur, vltra pœnas Officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis.* Hanc declarationem ex Duardo, & alijs refert Diana *part.1. tract.10. resol.22.*

4 Negant vero esse peccatum mortale, & tantùm veniale esse asserunt, etiam per longum tempus, & frequenter Regularem loqui cum Moniali; secluso tamen scandalo, & praua intentione. Sanchez *in Sum. lib.6. cap.16. numer.120.* Nauarrus *in Sum. capit.25. numer.110.* Mezolla *tom.1. disputat.1. capit.2. difficult.7. numer.114.* Thomas del Bene *de immunit. Ecclesiastica cap. 14. dub.5. sect.2. numer.1.* Bordonus *tom.1. resolut.7. num.81.*

*numer.*81. latè Vidal *in Inquisit. Moralibus tit. de Monialibus Inquisit.*2. *numer.*49. Lezana *in Summa tom.*1. *capit.*25. *numer.*36. probabile esse fatetur Diana *part.*1. *tractat.*10. *resolut.*22. fauet Caietanus *in Sum. verbo Clericorum peccata*, vbi ait: nulla Clericis prohibita, esse peccata mortalia, secluso scandalo, aut contumacia post monitionem, & Rodriquez *tom.*1. *quæst.*45. *art.*4. qui tamen quoad Regularem frequentantem, idest per tres vices, videtur indicare esse mortale; at per duas vices ait esse veniale.

Probant primò, quia secluso scandalo, & praua intentione, loqui etiam frequenter cum Monialibus est materia leuis: ergo non censetur prohibita sub graui præcepto obligante ad mortale.

5 Probant Secundò, quia leges mixtæ, etiam Ecclesiasticæ, si habeant adiunctam pœnam temporalem, non censentur latæ cum obligatione pro foro interno ad culpam mortalem; quia cùm legislator imponat pœnam temporalem, videtur tantùm illa contentus, & solùm spectare forum externum, ac regimen externum Reipublicæ: & ad regimen externum satis est timor pœnæ temporalis, ita Valentia *tom.*2. *disput.*7. *quæst.*5. *pun.*6. *vers. alterum signum*, post Nauar. *cap.*23. *num.*55. Diana *par.*1. *tract.*10. *resol.*20.

6 Probant tertiò, quia adiunctæ pœnæ priuationis officiorum, ac vtriusque vocis non necessariò supponũt culpam grauem; nam maior est pœna suspensionis, quæ tamen aliquando ob solam culpam venialem incurritur, Caietanus *verbo suspensio*, Valentia *tom.*2. *disp.*7. *qu.*5. *pun.*5. *vers. quartum signum*, Azorius *par.*1. *lib.*5. *cap.*6. *quæst.*5. Præterea maior est pœna excommunicationis ferendæ, & tamen non est signum peccati mortalis, Ita Caietanus, & Castrus, quos citat, & sequitur Nauarrus *cap.*23. *num.*53.

7 Dices primò, peccat mortaliter exponens se periculo subeundi grauem pęnam.

Respondeo primò, ex Caramuele *in regulam Sancti Benedicti disp.*3. *num.*33. non peccare ratione periculi, si probabiliter credit se euasurum, vel quia cautè transgreditur legem, vel quia sperat in patrocinio potentium virorum.

Respondeo secundò, ex eodem Caramuele *num.*32. non peccare ratione huius periculi; quando pęna, quamuis grauissima, tamen eiusmodi est, vt posset pro libito quis extra iudicium eam subire; sic si quis exponat se periculo confiscationis omnium bonorum, peccat si habeat vxorem, ac filios; quia nequit cum eorum præiudicio omnia bona sua donare fisco; at non peccaret carens vxore, & filijs; quippe qui posset sine peccato omnia bona sua donare fisco: At potest quis renunciare omnibus officijs, & voci actiuæ, & passiuæ: ergo non peccat exponens se periculo talis pęnæ.

Dices secundò, peccat Religiosus exponens se periculo famæ, cuius iacturam subiret, si priuaretur officijs, & voce actiua ac passiua.

Respondeo, infamiam non sequi pęnam, sed delictum; at cùm honesta locutio cum Moniali nõ sit aliquod turpe, & infamans, proinde famæ iactura timenda non est.

8 Probant quartò, quia quando lex fundatur in pręsumptione non ligat in conscientia, si veritas sit in contrarium *cap. tua nos* 26. *& cap. is qui fidem* 30. *de sponsalibus*: Sed lex ista prohibens accessum ad Monasteria Monialium fundatur in præsumptione scandali; sic enim ait sacra Congregatio in Decreto *anni* 1590. *Ad occurrendum scandalis, quæ contingere possent*: ergo si nullum sit periculum scandali in tali locutione, nullum erit peccatum, vel saltem leue.

9 Probant quintò, quia cessante fine legis adæquatè, & totaliter in casu particulari, cessat obligatio legis, Ita Nauarrus, Angelus, Henriquez, Emanuel Sà, Comitolus, Mexia, Abbas, Sousa, Megalius, & Granado, quos citat, & sequitur Diana *par.*1. *tract.*10. *resol.*28. ergo si in tali honesta locutione adæquatè cesset finis legis, nempè scandalum, periculum, praua intentio, &c. cessat obligatio legis.

10 Probant sextò, quia nulla lex prohibens hanc locutionem cum Monialibus obligat ad graue peccatum; nam Constitutio Bonifacij VIII. *in cap. periculoso de statu Regular. in* 6. nullum habet verbum indicans peccatum mortale, seu grauem prohibitionem; præterea nunquam fuit vsu recepta ante Tridentinum: neque Constitutionẽ Bonifacij confirmarunt Tridentinum, ac Pius V. nisi quoad egressum è Monasterio, prout aduertit Suarez *de Religione tom.*4. *tract.*8. *lib.*1. *cap.*10. *numer.*26. Constitutio autem Alexandri III. *in cap. Monasteria de vita, & honestate Clericorum*, loquitur tantùm de frequentia, & arguit grauem culpam, stante contumacia, scilicet post monitionem: Decretum sacræ Congregationis *anni* 1590. cùm sit pęnale, non obligat ad grauem culpam, vt dixi. Decretũ verò seu declaratio *anni* 1606. non fuit vsu recepta à Regularibus, vt ait Vidal *in inquis. Moralibus tit. de Monialibus Inquis.*2. *num.*54. Præterea sacrę Congregationis Declarationes non tollunt probabilitatem opinionis oppositæ; quia non habẽt vim legis, vt latè probaui *tract.*2. *quæst.*6. & docent Thomas del Bene *de immun. Ecclesiastica cap.*14. *dub.*5. *sect.*2.

11 His tamen non obstantibus, Dico: peccare mortaliter Regularem semel loquentem vltra horæ quadrãtem cum Moniali, etiam si nullum adsit scandalum, nullum periculum, nulla praua intẽtio: fateor tamen oppositam sententiam esse probabilem, ac tutam in conscientia.

Probo, quia si non esset peccatum mortale, vel esset quia materia in se est leuis; vel quia quamuis materia esset grauis, tamen non esset intentio legislatori obligandi pro foro interno ad grauem culpam: Sed neutrum dici potest: ergo erit mortale peccatum.

12 Probo materiam esse grauem, quia grauitas legis, seu
præcepti mensuranda est à fine, ad quem ordinatur: Sed
Monialium puritas; & euitare scandala, quæ contingere
possunt, ac pericula, est finis grauissimus huius legis: ergo
ista materia grauis est. Tum quia circa materiæ grauita-
tem, vel paruitatem, ea non debet attendi, spectata ip-
sa materia in se, & nudè sumpta, sed spectatis omnibus
circumstantijs, potissimùm fine extrinseco; interdum
enim accedit, quod id, quod prohibetur, in se spectatum,
leue sit; sed relatum ad bonum communitatis, ad scanda-
la cauenda, graue sit: sic iustissimè Dux belli leue furtum
13 militum, vt vnius gallinę, capite punit, ad tuendam milita-
rem disciplinam, & cauẽdas depredationes; sic iustissimè
capite punitur armorum delatio, ità Nauar. *cap.*23. *nu-*
*mer.*58. Valentia *tom.*2. *disp.*7. *pun.*6. *quæst.*3. Salas *de*
*legibus disp.*10. *sect.*6. Suarez *de censuris disput.*4. *sect.*6.
*num.*11. Layman *lib.*1. *tract.*4. *cap.*14. *nu.*3. Sic diuinum
14 præceptum Adamo impositum in se spectatũ leue videri
potest, quid enim leuius, quàm esus pomi? At grauissimã
obligationem attulit ob circumstantiã finis, quia datum

fuit in signum obedientiæ, & quasi in tributum humanæ subiectionis erga Deum, vt benè docet Suarez *lib.3. de legibus cap.25. num.5.* Igitur quamuis vnica honesta locutio per mediam horam cum Moniali in se spectata videri possit leuis materia; at ex scandalis, quæ ex huiusmodi loquutionibus prouenire possunt, grauis censenda est. Præterea hanc esse materiam grauem probo euidenter, nam vt patet ex praxi, iustissime Episcopi eam prohibent sub excommunicatione latæ sententiæ; hæc autem pœna excommunicationis latæ sententiæ nequit imponi in materia leui; quia requirit peccatum mortale, & proinde grauis materia, ad grauissimam excommunicationis pœnam, vt notant Castrus *de lege pœnali lib.1. cap.5. docum.2.* Layman *lib.1. tract.4. cap.14. num.2.*

Probo, quòd supposita grauitate materiæ, vult legislator obligare, etiam in foro interno ad culpam grauem, loquentem cum Moniali; quia in lege Ecclesiastica ea
15 verba: *Mandamus, præcipimus, prohibemus*, ex communi vsu legum Ecclesiasticarum inducunt præceptum obligans sub mortali, vt patet *ex Clementina exiui. de verbor. significatione*, & docent Valentia *tom.2. disp.7, quæst.5. pun.6. in sexto signo*, Layman *lib.1. tract.4. ca-*
16 *pit.14. numer.4.* Neque adiuncta pœna temporalis est sufficiens signum, quòd legislator Ecclesiasticus noluecit obligare pro foro interno; quamuis in legislatore Laico id concedam, cum Villalobos *in Sum. to.1. tract.2. diffic.22. num.6.* vbi citat Nauar. Gonzalum, Io. Andream, Mathesilanum, Decium, & alios. Ratio discriminis inter legem pœnalem, ciuilem, & Ecclesiasticam est; quia finis legis ciuilis est bonum temporale & pax Reipublicæ: finis legis Ecclesiasticæ est salus animarum, & bonum spirituale, & æternum Christianæ Reipublicæ: sed ad finem temporalis boni, satis est coercere per temporalem pœnam, præscindendo ab obligatione pro foro interno; quare in lege ciuili non præsumitur intentionem legislatoris esse obligare pro foro interno, nisi clarè id exprimat: At verò ad finem spiritualem intentum à legislatore Ecclesiastico necesse, aut saltem vtile est, obligare pro foro interno, & non tantùm coercere per pœnam externam; quia finis Ecclesiasticæ legis est bonum spirituale: quare semper præsumitur legem Ecclesiasticam obligare pro foro interno; nisi contrarium habeatur expressum.

Ex his patet responsio ad Primum, secundum, & tertium argumentum.

17 Ad quartum respondet Ioseph de Ianuario *de casibus reseruatis resol.44. num.14.* quod tunc cessat lex, cessante facto, aut delicto præsumpto, quando fundatur in præsumptione facti, aut delicti: secus si fundetur in periculo facti, aut delicti, quia tunc etiam si cesset delictum, non cessat obligatio legis.

Contrà, quia quando lex fundatur in præsumptione delicti, cessat obligatio, si cessat delictum præsumptum: ergo quando lex fundatur in periculo delicti, cessat obligatio, si cesset omninò delicti periculum; in casu autem nostro aliquando omninò cessat periculum, vt si colloquentes sint decrepitæ ætatis, probatæ famæ, & adsit iusta causa locutionis.

18 Respondeo secundò, dupliciter ratione periculi, aut scandali, potest lex prohibere; primò ratione *periculi determinati, seu in determinato casu*: Secundò ratione *periculi indeterminatè, & vagè*; hoc est, quia si sæpius Regulares alloquuntur Moniales in hoc vel illo, vel illo eueniet scandalum aliquod peccatum, aut dissolutio Regularis disciplinæ: Leges autem prohibentes locutionem cum Monialibus non præsumunt periculum aliquod determinatè; *Sed indeterminatè, & vagè*; quare semper obligant in singulis casibus, etiam si in aliquo non adsit periculum; quia potest, & vult legislator in quocumque casu obligare, quia ipsi ignotum est in quo casu aderit scandalum, aut periculum; quod patet, nam legislator, qui tulit legem ne quisquam ferat arma, eo fine vt euitetur periculum occisionum, singulos ciues vult obligare; quamuis multi ad solam defensionem, sine vllo periculo, possent arma ferre; nam non præsumit determinatè in hoc homine esse periculum; sed propter periculum indeterminatè, & vagè præsumptum vult omnes obligare; alioquin periculum vagè præsumptum euitari nequiret; nisi omnes, & singuli obligarentur; cùm enim periculum sit vagum, & indeterminatum, nunquam cessat periculum, nisi omnes, & singuli ciues obligentur arma deponere.

19 Ad quintum respondetur in casu nostro non cessare finem legis; quia finis legis in casu loquutionis cum Moniali est periculum indeterminatè, & vagè præsumptum, quod nunquam cessat.

Ad sextum patet ex dictis.

Libet autem hic breuiter aliqua ad praxim vtilia advertere in hac materia.

20 Loquens cum Moniali ex domo vicina, aut via publica non incurrit pœnas; quia non accedit, Ita Grassius, Bonacina, & Homobonus, quos citat, & sequitur Pellizzarius *in manuali Regularium tract.6. capit.6. num.15.* Thomas del Bene *de immunitate Eccl.c.14. dub.5. sect.3. num.13.* Diana *par.10. tractat.14. resol.49.* Sed probabilius oppositum, docet Merolla *tom.1. disp.1. cap.1. numer.625.* Ratio est, quia locutio principaliter prohibetur, accessus autem per accidens, & accessoriè.

21 Neque loquens per interpretem Diana *par.3. tract.2. resol.48. & par.10. tract.14. resol.49.* Pellizzar. *d.cap.6. num.18.* Tamburinus *de iure Abbatissarum disp.25. qu.5. num.2.* Thom. del Bene *d. cap.14. dub.5. sect.3. num.4.* Diana *par.10. tract.14. resol.51.* vbi ait: non esse prohibitum loqui cum Moniali per intermediam personam; tunc quamuis explicaret suos internos affectus, explicaret alteri, & ex hoc Moniali, quod non est interdictum. Contrarium post Grassium docet Bordonus *resol.7. numer.70.* & Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. nu.595.* Neque scribens epistolam; quia scribere non est loqui, nec accedere, Suarez *de Relig. tom.4. tract.8. lib.1. cap.4. numer.28.* Lezana *tom.1. cap.15. num.37.* Thomas del Bene *num.5.* Pellizzar. *tract.6. cap.6. nu.18.* Diana *par.10. tract.14. resol.51.* Bordonus *resol.7. num.71.* qui rectè docet, quod si excommunicatio expressè lata sit contra scribentem, eam non incurrit, nisi perueniat epistola, & eam Monialis legat, Nauar. *consl.19. de sent.excomm.* Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.601.*

22 Neque incurrit pœnas nutibus agens cum Moniali; quia hoc propriè non est loqui, ita probabile esse inquit Pellizzarius *d. cap.3. num.20.* Thomas del Bene *de immun. Eccles. cap.14. dub.5. sect.3. num.4.* quamuis oppositum doceant, Ianuarius *de casibus reseruatis resol.34. num.49.* & Diana *par.10. tract.14. resol.51.* Bordonus *resol.7. num.70.* Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.593.*

23 Si Episcopus excommunicet colloquentes cum Monialibus, eam excommunicationem non incurrit, qui lo-

quutur

quitur cum Moniali, si ista nihil respondet, ita probabiliter docent Graffius *in quinque casibus lib.2. cap.5. numer.1.* Vidal *tit. de Monialibus Inquisit.4. numer.25.* Ianuarius *de casibus reseruatis resol.39.* Thomas del Bene *loco cit. num 6.*

Sed probabilius oppositum docent Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. nu.589.* & Diana *par.10. tract.14. res.49.* nam ex communi vsu loquendi idem sunt alloqui, & colloqui, & sacra Congregatio vtroque verbo vtitur, cùm
24 prohibet locutionem cum Monialibus. Sed rectè ait Diana *vbi suprà* non incurrere pœnas, si audiat Monialem loquentem, ipse verò nihil respondeat; audire enim non est loqui, vbi citat Pellizzar. Zambellum, Lezanam, & Vidal, & idem docet Thomas del Bene *d. num.6.* Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.591. in fine.*

25 Neque incurrit pœnas loquens cum Abbatissa, quia in odiosis Abbatissa non venit nomine Monialium, Pellizzarius *in manuali Regular. tract.6. cap.6. num 22.* Thomas del Bene *de immun. Eccles. cap.14. dub.5. sect.3. numer.7.* Diana *par.3. tract.2. resol.48. notab.3. & par.10. tract.14. resol.49. not.2.* Ianuarius *de casibus reseruatis resol.44.* Bordonus *resol.7. num.70.* contra Merollam *to.1. disp.1. cap.2. num.604.*

26 Neque si loquatur cum Auscultatricibus, aut cum alijs Monialibus ex officio præsentibus ad colloquium faciendum de licentia Superioris cum determinata Moniali. Ratio est, quia durum est illam assistere mutam, Pellizzar. *de Monialibus cap.5. num.219.* Ianuarius *de casibus reseruatis resol.44. num.15.* Thomas del Bene *loco citato.* Diana *par.10. tract.14. resol.52. in fine.*

27. Neque pœnas incurrit socius Religiosi, qui de licentia loquitur cum Moniali, quia par ratio est de connexis, & durum est illum mutum assistere, Ita Pellizzarius *in manuali Regular. tract.6. cap.6. num.28.* Riccius *prima par. praxis resol.745.* Tamburinus *de iure Abbatissarum disp.26. quæst.3. num.2.* Peyrinus *in addit. priuil. tom.3. ad constitut. Pij V. cap.6. num.6.*

Sed oppositum docent Thomas del Bene *de immun. cap.14. dub.5. sect.3. numer.28.* & Pasqualigus *in quæst. Canon. quæst.158.* Ratio est, quia Socius Religioso datur ad iter, non ad loquutionem cum Moniali; vnde nulla necessitas est, quod mutus assistat; sed potest interim in alio loco vel orare, vel legere &c.

Verùm si esset Socius Religiosi ex necessitate ingredientis Monasterij Monialium clausuram, tunc vtique implicitè daretur licentia loquendi, prout communiter docent omnes.

28 Neque incurreret pœnas si differat de rebus pijs, & spiritualibus, dando salutaria consilia, proponendo bona status Religiosi, aut auferendo scrupulosos, aut soluendo dubia spectantia ad conscientiam: Ratio est, quia iste casus per Epikeiam censetur exceptus, nam finis prohibitionis non fuit iste, sed oppositus, ita Diana *par.3. tract.2. resol.104. & par.10. tract.14. resol.49. in fine.* Vidal *in Area Theol. Moral. tit. de Monialibus Inquis.4. num.93.* Peyrinus *de priuil. Minimorum constit.6. Pij V. §.10. num.36.* Pellizzarius *de Monialibus cap.16. numer.277. & in manuali Regul. tract.6. cap.6. num.29.* Thomas del Bene *de Immun. Ecclesiastica cap.14. dub.5. sect.3. num.3.* Tamburinus *de iure Abbatissarum disp.25. quæst.5. num.a.* Ianuarius *de casibus reser. resol.44. nu.17.*

29 Neque incurrit si obtenta licentia, aliqua præscripta in ea non obseruat; tum quia quoad substantiam obseruat præceptum; quia tantùm in accidentalibus deficit; tum quia ita praxis obseruat; vt si alia die, aut hora, quàm præscripta loquatur, aut sine Confessario, vel Auscultatricum præsentia, aut licentia oretenus obtenta; datur enim in scriptis pro foro externo, ita Sanctorus *in constit. Minorum cap.11. statuto 7. quæst.1.* Pellizzarius *in manuali tract.6. cap.6. num.33. 35. & 40.* Thomas del Bene *num.15.* Diana *par.3. tract.2. resol.120. & par.10. tract.14. resol.50.* Bordonus *in Miscellan. decis.249.* vbi de licentia in scriptis, & idem docent Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.628.*

30 Neque incurrere pœnas, ait Suarez *de religione tom.4. tract.8. lib.1. cap.10. num.27.* si loquatur cum licentia; sed ex causa ficta, concessa; dummodò absit periculum scandali, ac praua intentio, ac nimia frequentia. Ratio est, quia quando quis loquitur cùm licentia, quamuis ista quatenus subreptitia videatur nulliter concessa; tamen ipsa concessio licentiæ tollit tantam deformitatem locutionis, ac magna ex parte remouet periculum scandali: tum quia quodammodò seruatur præceptum quoad substantiam loquendo cum licentia.

31 Neque incurrit pœnas si ex vrbanitate, aut alia ex causa loquatur per quadrantem horæ; quia ista censetur parua materia, & ita obseruat praxis virorum timoratorum, & docet Thomas del Bene *de immunit. c.14. dub.5. sect.3. num.1.* contra Dianam *par.3. tract.2. res.69.* qui ait: paruitatē materiæ non excedere vnum *miserere*.

32. Verùm incurreret excommunicationem, qui vel duo verba obscœna, ex praua intentione loqueretur cum Moniali, quia tunc ratione qualitatis verborum haberetur materia grauis, prout docent Thomas del Bene *loco citato,* Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.607.* quamuis oppositum doceat Bordonus *resol.7. num.70. in fine,* vbi ait; quòd ad incurrendam excommunicationem non sufficiunt quatuor verba, etiam obscœna.

33 Pueri ante annum ætatis decimumquartum, & puellæ ante duodecimum loquentes obscœna cum Monialibus, quamuis peccent mortaliter; tamen non incurrunt excommunicationem latam ab Episcopo; quia Ecclesia non solet pœna excommunicationis coercere eam ætatem; nam ratione ætatis minoratur pena, Thomas del Bene *de immunit. cap.14. dub.5. sect 3. num.10.* Bonacina *de censuris, disp.1. q.1. pun.4. num.7.* Pellizzar. *de Monialib. cap.5. num.221.* Iannuarius *de casibus reseruatis, res.44. num.15.* Diana *par.10. tract.14. resol.49. in fine,* Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.609.* qui *num.610.* rectè docet nō incurrere excommunicationem si dubitet an explouerit annum decimum quartum; quia in dubijs melior est conditio possidentis libertatem loquendi cum quacumque.

34 Non incurrunt excommunicationem ab Episcopo latam Peregrini, & Aduenæ minori parte anni habitantes in aliquo loco; quia peregrini non subijciuntur iurisdictioni, ac legibus loci, per quem transeunt, *l. heres absens, §. proinde, ff. de iudic.* ita Diana *par.10. trac.14. resol.49. vers. nota quinto,* Iannarius *de casibus reseruatis, resol.44. num.14.* Pellizzarius *de Monial bus, cap.5. num.211.* Vidal *tit. de Monialibus Inquisit.4. num.88.*

34 Hanc sententiam Diana *par.10. trac.14. resol.53. in fine,* & Iannarius *de casibus reseruatis, resol.44. num.26.* limitant in peregrino loquente cum Moniali Monasterij exempti, nam quoad Monasterium exemptum Episcopus procedit tanquam delegatus Apostolicus.

Sed

35 Sed reuera non loquuntur consequenter; quia quamuis Episcopus procedat vt delegatus Apostolicus; tamen eam iurisdictionem Delegati Apostolici non exercet, nisi ratione talis loci, & Ciuitatis: sed peregrinus, ratione loci, non subiacet eius iurisdictioni; proinde non incurrit eius excommunicationem. Explico, & probo tali exemplo: si Episcopus vt delegatus Apostolicus ferat excommunicationem contra scribentes ad Moniales exemptas; eam excommunicationem non incurreret, qui scriberet ex loco extra Diœcesim; quia ratione loci, in quo scribit, non est subiectus tali delegato Apostolico; nam delegatio terminatur intra limites suæ Diœcesis: ergo cùm peregrinus ratione loci non sit subiectus ordinario, neque erit subiectus Delegato Apostolico, pro illo loco.

36 His tamen non obstantibus, probabilius videtur aduenas, & peregrinos incurrere excommunicationem latam ab Episcopo contra alloquentes Moniales, ita Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.623.* vbi ait, ita videri esse vsu receptum.

37 Probo, quia quamuis communiter Doctores non obligent aduenas, & peregrinos ad obseruanda statuta loci, in quo reperiuntur; tamen conueniunt omnes obligari; si leges specialiter latæ sint in bonum illius loci, quam transeunt, vt sunt leges, ne quis noctu arma ferat, ne extrahat triticum, &c. Sanchez *lib.3. de Matrim. disp.18. num.14. & lib.1. Summa cap.12. num.36.* Salas *de legibus disput.14. num.54.* Bonacina *de legibus disp.1. quæst.1. pun.6. num.53.* Suarez *lib.3. de legibus cap.32. num.8.* Layman *lib.1. tract.4. cap.14. numer.4. vers. quinto certum est*, vbi ait: de statuto prohibente, ne quis noctu arma ferat: sed huic simile est statutum, ne Moniales quis alloquatur; vtrumque enim latum est pro speciali bono loci, ad pacem custodiendam, & ad vitanda scandala: ergo vtroque statuto tenentur aduenæ, & peregrini.

38 Sed difficultas est: An Sæculares loquentes cum Monialibus exemptis incidant in excommunicationem latam ab Episcopo, expressè etiam quoad loquentes cum Monialibus exemptis?

39 Affirmant Suarez, Coninchius, Salas, Castropalaus, & Filliuccius, quos citat, & sequitur Ioseph de Ianuario *de casibus reseruatis resol.34. num.22.* Nouarius, Campanilis, Barbosa, Gratianus, & Squillante, quos citat, & sequitur Diana *par.10. tract.14. resolut.48.* Fagundez *prac.1. lib.1. cap.7. num.10.* Rodriquez *tom.1. quæst.45. art.2. §. est autem aduertendum*, Zerola *in praxi Archiepiscopali par.1. verbo excommunicatio §.3. Episcopus*, Genuensis *in praxi Neapolitana cap.33.* Rolandus *cons.33. vol.3.* Bellochius *de casibus reseruatis par.2. quæst.9. num.167.* Bordonus *resol.7. num.70.*

Probant primò, ex Trident. *sess.25. cap.5. de Regul.* vbi dicitur: *Episcopi in omnibus Monasterijs sibi subiectis, ordinaria, in alijs verò sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium conseruari procurent, inobedientes per censuras Ecclesiasticas compescendo*: Sed ad clausuræ custodiam spectat, prohibere, ne Sæculares cum Monialibus loquantur.

Probant secundò, ex Constitutione Gregorij XV. *incip. Inscrutabili*, vbi dicitur: *Ad hæc tam Regulares, quàm Sæculares huiusmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum ab Episcopo loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegato puniri, &*
40 *corrigi valeant*. Sed ea verba; *Si deliquerint circa personas intra septa degentes*, intelliguntur *de loquentibus cum illis*, prout declarauit sacra Congregatio, vt refert Thomas del Bene *de immunit. Ecclesiast. cap.14. dub.5. sect.3. num.25.* Vnde eadem sacra Congregatio declarauit, approbante Vrbano VIII. *Anno 1634. Regularem loquentem cum Monialibus Regularibus subiectis posse puniri ab Episcopo*, ita Thomas del Bene *loco citato*, Bonacina *to.3. tract. de clausura, qu.3. pun.4. n.8.* Candidus *to.2 de regimine Monialium disquis.5. art.1. dub.11.*

Dices ex Thoma del Bene *num.26.* in hoc loco non datur Episcopo facultas procedendi per censuras contra transgressores in loco exempto antecedenter ad delictum, sed tantùm consequenter, ita vt post transgressionem solùm subintret delegatio.

Contrà, quia statutum Episcopi, quamuis antecedat delictum, tamen excommunicatio nullum ligat, nisi post delictum: tum quia delegatio non tantùm est ad puniendum delictum, sed etiam ad cauendum delictum: Tum quia cum hæc delegatio sit perpetua, & annexa dignitati Episcopali, consequenter sequitur naturam Episcopalis dignitatis, nempè vt possit condere statutum prohibendo, ne quis cum Monialibus exemptis loquatur.

41 Probatur tertiò, quia reuera non sunt idem, esse aliquem in loco exempto, & esse extra territorium; alioquin Laicus delinquens in Ecclesia, & occidens ibi hominem non posset puniri à Iudice laico: sicuti nequit puniri is, qui deliquit extra Principis territorium: ergo benè potest Episcopus exercere iurisdictionem circa suos subditos ibi delinquentes, *iuxta ea quæ docent* Glosa, & Doctores *in clem.1. vers. aut earum, de foro competenti*, Cagnolus *in l. vlt. num.13. ff. de Iurisdict. omnium Iudicum.*

42 Negant verò alij, quod Sæculares loquentes cum Monialibus exemptis incurrant excommunicationem latam ab Episcopo, ita Auila *par.2. cap.3. disp.2. dub.5.* Sayrus *lib.1. cap.6. num.39.* Henriquez *lib.13. cap.26. num.1.* Alterius *de censuris, lib.3. disp.9. cap.5. vers. exhit*, Layman *lib.1. tractat.1. c.11. num.5. vers. idem* Alphonsus de Leone *de censuris, recoll.2. num.385.* Vidal *tit. de Monialibus inquis. 2. num.101.* Thomas del Bene *de immun. cap.14. dub.5. sect.3. num.18. & seq.* & esse probabile fatentur Iannarius, & Diana *locis citatis*; & quod excommunicatio lata per Episcopum non comprehendat eos, qui delinquunt in loco exempto sito intra Diœcesim, docent Syluester *V. excommunicatio 2. num.12. dub.1.* Riccius *resol.177.* Squillante *de priuilegijs Clericorum, cap.2. num.67.* Alphonsus de Leone *de censuris, recoll.2. num.307.* Magister Donatus *tract.13. quæst.20.*

Probant, quia Tridentinum, & Gregorius XV. loquuntur de clausura tantùm; ad clausuram autem propriè nō spectat collocutio cum Monialibus; nam quamuis Moniales subiectæ Regularibus, quoad clausuram Episcopo subiaceant tanquam Sedis Apostolicæ dele-
41 gato; tamen licentiam loquendi cum ijs dare spectat tantùm ad Prælatum Regularem, vt docent Quaranta *Verbo Monasteria Monialium, vers. hic tangenda*, Piasecius *in praxi Episc. par.2. cap.3. num.54.* Campanilis *in Diuersorio iuris canonici, rub.12. cap.16. nu.45.* Barbosa

de

de potestate Episcopi alleg. 102. *num.* 78. & quamuis sacra Congregatio 21. *Februarij* 1617. vt scribit Barbosa *in Tridentinum, sess.* 25. *cap.* 5. *nu.* 126. *de Regularibus* decreuerit: licentiam loquendi spectare coniunctim ad Episcopum, & Prælatum Regularem; tamen reuerà ex dictis, & ex authoritate tot Doctorum patet longè diuersa esse clausuram, & locutionem cum Monialibus; impropriissimè enim dicitur: loquentem cum Monialibus frangere clausuram. Neque obstat, quòd sacra Congregatio declarauerit ijs verbis: *Si deliquerint circa personas intra septa degentes*, comprehendi *collocutionem*, nam de hac declaratione non constat authenticè: tùm quia non tollit probabilitatem opinionis oppositę.

Præterea, quia secundùm ipsos locus exemptus, & locus extra Diœcesim æquiparantur: sed excommunicatio non ligat existentem extra Diœcesim, *cap. vt animarum, de constitut. in sexto*: ergo neque ligat existentem in loco exempto.

44 Mihi videtur ita distinguendum, vel etiam ad Episcopum spectat dare licentiam loquendi cum Monialibus exemptis; vel ex loci consuetudine, aut aliunde non spectat ad Episcopum dare talem licentiam: Si spectat ad Episcopum, potest proinde prohibere omnibus Sæcularibus sub pęna excommunicationis collocutionem; nam cùm ad ipsum spectet cognoscere de collocutione, potest proinde eam prohibere: si potest prohibere, potest etiam ferre excommunicationem latæ sententiæ contra transgressores. Si non spectat ad Episcopum concedere licentiam colloquendi, neque ad ipsum spectat eam prohibere sub pęna excommunicationis; nam eadem ratio est de connexis: ergo sicuti ad Episcopum non spectat dare licentiam loquendi, neque ad ipsum spectat prohibere locutionem.

Dices Episcopus potest punire Clericum delinquentem extra suam Diœcesim, aut in loco exempto, cùm fuerit ad Diœcesim reuersus, vt patet ex *l.* 1. *Cod. vbi de crimine agi oporteat*, vbi dicitur, posse delinquentem in tribus locis puniri: Primò in loco delicti: Secundò vbi lis fuit contestata: Tertiò in loco domicilij, Boerius *decis.* 270. & de Clerico delinquente in loco exempto, docet doctissimus Pater Magister Donatus *tract.* 13. *q.* 21. qui *num.* 4. ait: quòd Clericus portans arma extra Diœcesim, cùm reuersus fuerit poterit puniri, vt scribunt Jo. Baptista Ciarlinius *controuers. forens. cap.* 61. *num.* 21. Alphonsus de Leone *de censuris recollet.* 2. *nu.* 332.

Respondeo ex eodem Donato *tract.* 13. *qu.* 21. *nu.* 3. Clericum delinquentem in loco exempto, non posse puniri pęna statuti Diœcesani, sed pęna iuris communis; si factum sit eo iure punibile, sin minùs pęna statuti loci, in quo deliquit: Sed suppono, quòd Superior loci exempti non tulerit excommunicationem, si enim pęna in loco exempto statuta, esset excommunicatio; vtique posset Episcopus declarare illum excommunicatum; ergo cùm non sit lata in loco exempto excommunicatio, neque sit lata iure communi, non poterit Episcopus ferre excommunicationem contra delinquentem in loco exempto.

Dices, certum est ex dictis, posse Episcopum punire delinquentem in loco exempto: sed hæc pęna non est iure communi præscripta, atque adeò est pęna arbitraria: ergo Episcopus poterit arbitrari pęnam excommunicationis latæ sententiæ.

Respond. primò: ex hoc argumento satis probabiliter dici potest, reuerà loquentem in loco exempto incurrere excommunicationem latā per statutum Episcopi: præsertim quia probabiliter multi docent, delinquentem in loco extra Diœcesim ligari excommunicatione statuti Episcopalis, Castropalaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punc.* 24. §. 5. *num.* 21. Pontius *de matrim. lib.* 5. *c.* 7. §. 2. *num.* 19. Diana *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 78.

Respondetur secundò, probabilius esse, non incurrere talem excommunicationem; quia illam incurreret existens in loco exempto: ergo in loco exempto puniretur: tum quia ad Episcopum non spectat prohibere locutionem, cùm ad ipsum non spectet eam permittere, seu dare licentiam pro illa, vt suppono.

45 Denique pro coronide quæritur: An Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo contra loquentes cum Monialibus, supposito quòd Regulares habeant priuilegium ne possint ab Episcopis, aut Sedis Apostolicæ Legatis, nisi de latere, excommunicari? de quibus priuilegijs vide Rodriquez *tom.* 2. *qu.* 59. *art.* 5. Lezanam *in Summa, tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. & Bullam Pauli III. Societ. Iesu, *vt in Bullar. Rom. tom.* 1. *Bull.* 48. §. 17.

Prima opinio distinguit inter Moniales subiectas Episcopo, ac Moniales exemptas; Regularis igitur incurrit excommunicationem, si loquatur cum Monialibus exemptis; quia quoad has Episcopus procedit tanquā delegatus Apostolicus; non autem incurrit censuras, si loquatur cum Monialibus Episcopo subiectis, ita Grassius *par.* 1. *lib.* 4. *decisionum, cap.* 6. *nu.* 3. Duardus *in Bullam Cœnæ, lib.* 1. *cap.* 1. *qu.* 3. *num.* 119. Ioseph de Iannario *de casibus reseruatis, resol.* 34. *num.* 19. Riccius *in praxi, tomo* 2. *resol.* 181. Peytrinus *de priuilegijs Minimor. Constit.* 6. *Pij V. quæst.* 15. *numer.* 37. Cespedes *de exempt. Regular. dub.* 339. *num.* 2. Diana *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 53. Sed mihi durum videtur asserere: Episcopum maiorem iurisdictionem habere in Monasterijs exemptis, quàm in sibi subiectis.

46 Secunda opinio est, quæ indistinctè asserit: Regularem loquentem cum quacunque Moniali, siue exempta, siue non exempta, non incurrere excommunicationem latam ab Episcopo, contra loquentes cum Monialibus si habeat priuilegium ne possit censuris, & excommunicatione puniri ab Episcopis, aut ab Apostolicę Sedis Legatis: ita declaratum à sacra Congregatione testatur Suarez *de Religione, tomo* 4. *tract.* 8. *lib.* 1. *capit.* 10. *num.* 27. Sanchez *de matrimonio, lib.* 7. *disput.* 33. *num.* 23. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 45. *art.* 2. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *res.* 48. *vers. nota octauo, & resol.* 103. Fagundez *precep.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 10. Bordonus *tom.* 1. *resol.* 7. *nu.* 70. Quaranta *in Summa Bullarum verbo Monasteria Monialium*, Bonacina *de clausura, q.* 3. *pun.* 4. *num.* 8. Barbosa *de potestate Episcopi, alleg.* 102. *numer.* 73. & in Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 5. *de regularibus, num.* 120. Pasqualigus *in qq. Canonicis, q.* 157. Pellizzarius *de Monialibus, cap.* 5. *num.* 204 *& in manuali Regularium, tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 35. Merola *tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *à num.* 617. Candidus *tomo* 2. *tract. de regimine Monialium disquis.* 5. *artic.* 1. *dub.* 13. Thomas del Bene *de immunit. Eccles. cap.* 14. *dub.* 5. *sect.* 1. Campanilis *in Diuersorio iuris canonici rubrica* 12. *cap.* 16. *nu.* 42. *in fine* Lezana *tom.* 3. *verbo exemptio Regularium, nu.* 21. Plurimi ex his scripserunt post Bullam Greg. XV. *incip. Inscrutabili*, præsertim Diana, Bordonus, Bonacina, Barbosa, Pellizzarius, Merolla, Candidus, Thomas del Bene,

Bene, & Lezana, quam Constitutionem ibidem afferunt, & docent, ex ea constitutione posse Regulares loquentes cum Monialibus puniri, & carcerari ab Episcopo; non tamen posse excommunicari, neque incurrere excommunicationem latam ab Episcopo contra lo-
47 quentes cum Monialibus. Verùm contrarium videtur probabilius, attenta dicta *Constit. Inscrutabili*; nam in ea dicitur: *Regulares nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant.* Sed puniri posse, etiã per censuras, mox declarat Greg. XV. (miror hoc ab alijs non obseruatum) nam post alios quosdam casus, in fine eiusdem Constitutionis subdit: *Ita vt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas, vti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.* Hæc autem clausula in fine posita refertur ad omnes, & singulos casus superiùs expressos; quia clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia; vt ex *cap. secundò requiris, de appellat.* vbi Decius, Felinus *in cap. causam quæ, de rescriptis*, Boerius *decis.* 141. *num.* 2. Capycius *decis.* 108. *numer.* 9. Ergo Regulares colloquentes cum quibuscumque Monialibus, siue exemptis, siue non exemptis, ab Episcopo, tanquam Apostolicæ Sedis delegato (nam non nisi tanquam delegatus procedere potest Episcopus contra Regulares, vtpotè exemptos) puniri possunt, etiam per censuras, nullis priuilegijs, aut exemptionibus obstantibus; & sic non obstante priuilegio, ne possint ab Episcopo, aut Delegato Sedis Apostolicæ excommunicari.

Dices ex Pasqualigo, Bordono, & Thoma del Bene, non posse Episcopum per modum statuti, & legis prohibere Regularibus, ne loquantur cum Monialibus; quia non sunt Delegati, nisi posita transgressione, & post illicitam locutionem possunt puniri.

Sed contrà; nam cùm ista delegatio sit perpetua, & annexa dignitati Episcopali, consequenter sequitur naturam dignitatis, cui annexa est, ita poterit eius virtute facere legem perpetuam; sicuti quia Regulares habentes curam animarum, aut curam Parochialem subduntur Episcopis quoad spectantia ad curam Parochialem quis dubitat, quòd in Synodo Episcopus possit condere statutum obligans omnes Parochos, siue Sæculares, siue Regulares; v. g. ne sub pœna excommunicationis Parochi deferant sine lumine sacrum Viaticum, &c.

48 Verùm quicquid sit, certum est: Regulares non incurrere excommunicationem latam per statutum Episcopi contra loquentes cum Monialibus; nisi in statuto expresè comprehendantur, & nominentur Regulares; statuta enim Synodalia non afficiunt Regulares: nisi exprimantur; quia cum sint exempti, non comprehenduntur in generali locutione, *cap. d nobis, primo, de sententia excommunicationis*, ita Alphonsus de Leone *de officio, & potestate Confessarij, recoll.* 5. *num.* 36. Riccius *in praxi, res.* 210. *in principio*, Cespedes *de exemptione Regularium dub.* 147. *num.* 2. Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 59. *art.* 5. *in fine*, Nouarius *in Lucerna Regular. verbo excommunicatio, numer.* 8. Sanchez *lib.* 6. *opuscul. cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 19. Magister Donatus *de Regularibus, tom.* 1. *par.* 1. *tract.* 13. *quæst.* 25.

PARERGON

Calculus Gratiæ Virginalis, ad quam exprimendam vndecim milliones, & amplius numeralium figurarum requiri demonstratur?

S V M M A R I V M.

Virgo gratia abyssus. num. 1. *Eius gratia immensa. nu.* 2.
Maria gratia omnem collectionem gratiæ Angelorum, & hominum superat. num. 3.
Maria microcosmus Ecclesiæ. num. 4.
Meruit de congruo maternitatem Dei. num. 5.
Virgo habuit actualem vsum rationis in primo instanti suæ conceptionis. num. 6. *In quo instanti Deum clarè vidit. num.* 7. *Facultas vsus rationis in primo instanti conceptionis Virgini data, in ea semper durauit. num.* 8. *Gratia ei collata in primo instanti Conceptionis superauit collectionem gratiæ Angelorum, & hominum. nu.* 9 *Vel saltem superauit gratiam supremi Angeli. num.* 10.
Virgo fuit in continuo actu merendi. num. 11.
Habuit perfectum dominium suorum actuum. num. 12.
Habebat scientiam infusam, & operabatur independenter à phantasmatibus. num. 13. *Etiam dormiendo erat contemplationi intenta, ac merebatur. num.* 14. *Si cessasset à Diuina contemplatione peccasset. num.* 15.
Actus deliberatus, nisi sit bonus, est necessariò malus. nu. 16. *Peccatum est non correspondere gratiæ excitanti, ac Diuinæ inspirationi. nu.* 17. *Virgo in singulis actibus amoris duplicabat gratiam, quam in precedẽti actu habebat. nu.* 18. *Angeli boni cùm fuerunt in via operabantur secundùm totam latitudinem habitus Charitatis. num.* 19. *Idem aliqui tradunt de Paulo cæterisq; Apostolis, ac S. Francisco post eorum vocationem. num.* 20.
Stella firmamenti posita in æquatore in vnica hora percurrit quadraginta duos milliones, & amplius milliariorum. num. 21.
Quare Virgo operabatur independenter à phantasmatibus. num. 22.
Virgo vixit 72. *annos, aliqui verò asserunt, vixisse* 82. *annos. num.* 23.
Fœmina octogesimo die animatur. num. 24.
Quot sunt minuta totius vitæ Virginis. num. 25.
Ad exprimendum calculum gratiæ Virginalis requiruntur figurarum numeralium vndecim milliones, quadrigenta, quadraginta quatuor millia, & quingenta quinquaginta. num. 26.
Si fiat progressio geometrica duplex per sexaginta quatuor loca scacchorum ad portandum frumentum non sufficiũt mille septingenti septuaginta nouẽ milliones nauiũ. n. 27.
Quinquaginta duæ figuræ numerales exprimunt numerum arenularum totius orbis eis repleti vsque ad firmamentum. num. 28.
Reijcitur calculus Patris Glielmi, ac Ricardij. num. 29.

Virgini dicatum opus Virginalis gratiæ calculo absolutum, Sed arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies

dies seculi quis dinumerauit? Altitudinem Cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Certè faciliùs ista enumerare, quàm Virginalis gratiæ abyssum scrutari quis poterit. Meritò Damascenus
1 *orat.2.de dormit.Virginis:Gratiæ Abyssus* vocat.

2 Immensam eius gratiam fatentur Patres.

Sanctus Anselmus *c.3.de excellentia Virginis. Nullus*, inquit, *hominum, vel Angelorum penetrare potest immensitatem Diuini amoris erga Virginem;& cap.8.Immensitatem gratiæ tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit.*

Sanctus Epiphanius *Serm.de laudibus Deiparæ. Gratia*, inquit, *Virginis fuit immensa: solo Deo excepto cunctis superior existis.*

Chrisippus Hierosolymitanus. *Gratia plena; quia tecum vniuersus gratiæ thesaurus.*

Sanctus Hieronymus, siue Sophronius *Ser.de Assump. Et benè plena, quia cæteris per partes præstatur gratia: Mariæ verò tota simul se infundit plenitudo gratiæ.*

Sanctus Bernardus *super signum magnum: Abyssus est luminis, nec facilè dixerim, quod vel Angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget.*

Sanctus Bernardus Senensis *serm.61.cap.10. Excepto Christo, tanta gratia Virgini data est à Domino, quanta vni puræ creaturæ dari possibile est.*

Ioannes Gerson *tract.4. in Magnificat: Virgo sola constituit Hierarchiam secundam sub Deo Trino, & Vno, Hierarcha primo, & Summo, apud quam Hierarchiam humanitas filij sola sublimata sedet à dextris virtutis Dei, per vnitatem suppositi*, idemque docent S. Antoninus *tom.4. tit.15.*& Franc. Mayronus *Serm.de Assumptione.*

3 Doctissimi Scholastici Mariæ gratiam omnem collectionem gratiæ Angelorum, & hominum omnium superare affirmant, sic accipiens illud *Prouerb.31. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*, idest nedum distributiuè, sed etiam collectiuè, ita Suarez *3.par. tom. 2. disputat. 18. sect.4. conclus.2.* Barradius *tom.1.lib.6.cap.10.* Balthasar Sorius *serm.2.de concept.*Salazar *in prouerb. cap.31.vers.29.num.181.*quibus fauent apertissima Patrum testimonia.

S. Bernardus. *In plenitudine*, inquit, *Sanctorum Mariæ detentio fuit, plenitudo enim perfectionis omnium Sanctorum illi non defuit;*Expende illa verba:*plenitudo omnium.*

Petrus Damianus *Ser.de Assumpt. Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros supereminentes erecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit.*Nota:*Singulorum, & omnium*, & infrà subdit: *In illa inaccessibili luce perlucēs, sic vtrorumq; spirituum hebetat dignitatem, vt sint quasi non sint, & comparatione illius, nec possint, nec debeant apparere.* Attende: *Vtrorumq; spirituum hebetat dignitatem*: quasi sol inter astra; solis autem lux longè superat collectionem lucis cęterorum astrorum.

S. Ephrem *trac.de laudibus Virginis. Nulla*, inquit, *comparatione omnibus superis exercitibus gloriosior, præstantissimum orbis terræ miraculum, omnium Sanctorum corona inaccessa.*Expende;*Omnibus exercitibus* quod collectionem significat.

Beatus Laurentius Iustinianus *Serm. de Assumptione. Quicquid honoris, quicquid felicitatis habebatur in singulis, totum abundat in Virgine. Quicquid*, inquit, *habebatur in singulis;* quod collectionem omniū donorū significat.

Sanctus Bonauentura *de laudibus Virginis, cap.7.* ait: *Dei gloriam magis in sola Virgine, quàm in tota collectione creaturarum demonstrari, & in speculo Beatæ Virginis, c.3. Omnia*, inquit, *flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam: flumen gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratię Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam: flumen gratię Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum intrat in Mariam: omnia flumina intrant in Mariam.*

Sanctus Bernardinus Senensis *tom.2. Serm.51. art.2. cap.1.* inquit:*Virgo Beata in conceptionis filij Dei consensu, plus meruit quàm omnes Creaturæ, tam Angeli, quàm homines.* Aduerte *plusquam omnes.*

4 Beatus Thom.de Villanoua *conc.3. de Natiuitate Virginis: Sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura, ideò microcosmus: sic in reformatione mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesia; vnde microcosmus Ecclesiæ dici potest: vniuersæ ergo Ecclesiæ perfectio collectiuè, reperitur in Virgine.*

Omissis autem aliorum rationibus, validissimo argumento ex S. Bernardino Senensi loco citato id confir-
5 mo: nam Beatissima Virgo meruit de congruo Maternitatem Dei, ita S.Bernardinus, & consentiunt communiter Theologi: sed Maternitas Dei est altioris ordinis ad collectionem gratiæ omnium Sanctorum: siquidem spectat quodammodo ad ordinē vnionis hypostaticę, quā trahit, & intrinsecè respicit: ergo gratia, qua de congruo Dei Maternitas meretur, debet longè excellere collectionem gratiæ omnium creaturarum.

Sed iam vt procedamus ad calculum gratiæ Virginalis aliqua priùs obseruanda sunt.

6 Primò obseruandum, Virginem habuisse actualem vsum rationis in primo instanti conceptionis, & sanctificationis suæ, & actum amoris Dei intensissimum elicuisse, ita S.Bernardinus Senensis *tom.1. Serm.61. art.3. cap.7. & tom.2. Serm.51. art.1.cap.2.* Caietanus *3.par. quæst.27.art.6.* Dionysius Carthusianus *de laudibus Virginis art.12. tom.1. operum minorum.* Viguerius *in institutionibus cap.5.§.3.vers.9.* Suarez *to.2. in 3. par.disp.4. sect.7.* Barradius *tom.1.lib.6.cap.4.*& habetur ex reuelatione S. Birgittæ vt apud Carthusianum *vbi suprà art.6. Cum*, inquit, *anima mea sanctificabatur, & suo corpori iungebatur, tanta aduenit illi lętitia, vt impossibile sit effatu* Simon de Cassia ait: *An illa sensum accelerauit piè credendum est.*

7 Quinimmò Beatam Virginem in primo conceptionis instanti Deum clarè vidisse, tradunt Io. Gerson *alph.88. lit.Z.* S.Bernardinus Senensis *tom.2.Ser.51.art.1.cap.2.* B.Alanus *lib. de Beatiss.Virg.cap.75.* S.Antonin.*4.par. tit.15.cap.17.* idemque approbasse Suarez aliosque doctissimos Viros scribit Salazar *de Concept.Virginis c.32. num.54.& seq.qui num.61.* ostendit: sæpiùs in vita vidisse intuitiuè Diuinam essentiam, vnde S.Hieronymus ait: *Fruebatur quotidie visione Dei:* nec tamen id pugnat cum merito Virginis, sicut nec cum merito Christi Domini, vt probant Vasquez *3.p. disp.74. c.2. & 3.* & Suarez *3.p.qu.19. art.4. disp.1.* Neque est id Deo impossibile, vt ait S.August.*lib. de spiritu, & littera, cap. vltimo.*

8 Præterea facultatem datam Virgini in primo instanti suæ conceptionis vtendi ratione, in ea semper durasse, docent S. Bernardinus Senensis *tom.2. serm.51. artic.2. cap.1.*& Suarez *in 3.p.tom.2.disp.4.sect.7.e ancl.4.* contra Caietan. & apertè colligitur ex fide digna historia, qua fertur Beatam Virginem tertio suæ ætatis anno intelligentem, & consentientem fuisse in templo à parentibus oblatam, vt scribunt S.Gregorius Nyssenus *orat. de Christi Natiuitate*, S. Io. Damascenus *lib.4. de fide cap.15.*

Euo-

Euodius & alij. S. Antoninus *in prima parte historiali; tit.4.cap.6.§.70.* Dionysius Carthusianus *prima par. Vita Christi cap.2.*

Quod autem in vtero, ac semper deinde habuerit Virgo vsum rationis. Primò ostenditur, nam hoc fuit concessum Ioanni, vt fatentur Patres: ergo & Virgini: vt enim inquit S.Bernardus *epist.174. Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est, tantæ Virgini fuisse negatum.* Secundò hoc fuit concessum Angelo, qui in primo instanti creationis elicuit actum amoris Dei: ergo & Virgini, quæ ad altiorem finem ordinabatur. Tertiò per Ecclesiam Virgo comparatur soli, qui statim ac est lucet: eiq; aptant illud Apocal.*cap.12. Mulier amicta sole.*

9 Secundò obseruandum, quòd in primo instanti conceptionis gratia Virgini collata, superauit totam collectionem gratiæ omnium Creaturarum, ita sentit S. Gregorius Papa *in 1.Regum, cap.1.* sic accipiens illud Vaticinium Isaiæ *c.2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium,* & Damascenus *orat.1. de natiuit.Virg. Exultate montes, hoc est, ratione prædita creaturæ, quæcumq; ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis, si quidem clarissimus mons Dei, mons Dei, mons ex Anna paritur, mons inquam ille, qui collem omnẽ, & montem, idest Angelorum, & hominum sublimitatẽ exuperat.* Hæc Damascenus in ipso scilicet partu, de quo loquitur Damascenus, seu in ipsa cõceptione Virgo mons oritur, superans omnes montes, & colles, totã scilicet collectio-
10 nem gratiæ Sanctorum. Vel saltem, vt ait Suarez *3.par. tom.2.disp.18.sect.4.* Gratia originalis Deiparæ, vt minimum fuit, quanta supremi Angeli.

Tertiò obseruandum ex Suarez *3.par. tom.2.disp.18. sect.2.* Virginem fuisse in continuo actu merendi, & Canisius *lib.5.c.5. Cuius vita,* inquit, *iugis & continua quedã fuit contemplatio,* & idem tradunt S. Ambrosius *l.2. de Virgine in initio,* S.Bernard. Senens. *serm.51.art.1.* Albertus Magnus *lib.de B.Virgine, c.176.177.& 197.* dicens: *Nouum priuilegium Virginis fuisse, quia quolibet tempore meruit:* idem tradunt S.Antonin.*par.4. tit.15. c.20.§.6.* Bernardinus de Bustis *4.p. serm.9.§. vltimo.*

12 Probatur primò, nam habebat perfectum dominiũ suorum actuum, cùm nullam haberet repugnantiam sensus, nec enim poterat dicere cum Apostolo, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

13 Secundò, quia habebat scientiam infusam, & operabatur independenter à phantasmatibus, & sic non fatigabatur per operationem quantumcumque intensam, Suarez *tom.2.in 3.par.q.37.art.4.disp.19.* quicquid contradicat Grauina *trac. de visionibus, par.1.lib.2.c.12. assert.4.* ideò enim nos fatigamur; quia operamur dependenter à phantasmatibus, & organis materialibus. Hinc
14 etiam sequitur quòd etiam dormiendo merebatur; cũ enim operaretur independenter à phãta smatibus, somnus non interrumpebat contemplationem; Vnde Sanct. Bernardinus Senens. *serm.51.artic.1.cap.2.* ait: *Magis in contemplatione Dei excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando, sicut ipsa testatur Canticorum 5. Ego dormio, & cor meum vigilat;* quod ibidem sentit Rupertus Abbas *lib.5.in Cant. propè initium,* vbi sic ait: *Multarum quoque animarum fuit, & est non solùm secundùm similitudinem, otio sancto dormire, idest à terrenis curis vacare, & in corde vigilare, verùm etiam eodem modo, quo & Iacob dormiuit, secundùm corpus dormire, & secundùm animum cœlestia videre, sed tu ò Cœlum Dei, vnica sedes Domini, in vtroque vigilandi modo cunctis mortalibus longè eminentior extitisti, longè studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere.* Præterea hoc priuilegium alijs concessum est, nam iuxta S. Augustin. *lib.5. contra Iulian.12. cap.9.* hominibus in innocentiæ statu cõcessum est; & iuxta Senens. alijs, ergo Beatissimæ Virgini denegandum non est.

15 Tertiò, quia si Virgo Beatissima aliquando cessasset à Diuina cõtemplatione peccasset. Probo, nam Virgo ratione perfecti dominij supra suos actus, non operabatur, sicuti nos, indeliberatè; sed quicumque actus erat de-
16 liberatus: sed actus deliberatus, nisi sit bonus, & referatur in Deum, est necessariò malus, quia ociosus, & priuatus debito ordine ad Deum; vnde nequit dari actus deliberatus indifferens in indiuiduo, vt docent S. Thomas *1.2.q.18.art.9.* vbi Caietanus, & cæteri Thomistæ, Albertus in *2.dist.40.art.4.* Ægidius *q.2. art.3.* Riccardus *art.2.qu.3.* Durand. *q.1.* Capreolus *qu.1.art.1.concl.1.* Maior *dist.41.quæst.2.concl.5.* Granadus *par.2.tract.13. disp.2. nu.2.* ergo peccasset Virgo si deliberatum actum elicuisset, quo non mereretur, ergo erat in cõtinuo actu merendi. Confirmatur primò, nam vtique potuisset Virgo semper mereri; quia hoc erat ei facilè ob dispoticum, & perfectum dominium supra suos actus, cum nulla repugnantia deordinatę potentiæ, & indepẽdentia à phantasmatibus; ergo si non meruisset, liberè otiosè tempus cõsumpsisset; ergo peccasset. Confirmatur secundò, nam moraliter impossibile est aliquam cessare ab omni actu interno, vel externo, deliberato vel indeliberato; sed quicumque actus Virginis erat deliberatus, cùm inde liberatio oriatur à dependentia à phantasmatibus, qua carebat Virgo in Dei contemplatione; ergo impossibile erat quod nõ mereretur; *alioquin* deliberatè operans, si-
17 ne ordine ad Deum, peccasset. Quartò probatur, nam peccatum est non correspondere Diuinæ inspirationi, & gratiæ diuinæ excitanti, vt ait Toletus *lib.3. cap.2.nu.6.* est enim contra rectam rationem vocanti Deo non respondere, & ingratitudo diuini Beneficij, vt patet in humanis, si quis Regis vocantis gratiam non curaret: sed Spiritus Sanctus continuè ad sui amorem cor Virginis excitabat: *Nam deliciæ meæ esse cum filijs hominum:* ergo peccasset Virgo, si aliquando à diuina contemplatatione cessasset.

Obijcies ex Grauina *tract. de visionibus par.1. lib.2. c.12. in fine:* donum non interruptæ vnionis cum Deo, & operari independenter à phanta smatibus, repugnat statui viæ, quæ tale donum secum non compatitur.

Respondeo gratis id asseri; nam de ratione status viæ est tãtum, quod viator liberè operetur, ita vt possit merere, & demereri: Sed operari independenter à phantasmatibus, & habere continuam vnionem cum Deo, eum continuè cognoscendo, & diligendo, non tollit libertatẽ; ergo neq; tollit statum viæ, seu statui viæ non repugnat.

18 Quartò, obseruandum (& hoc est præcipuum fundamentum nostri discursus) Virginem per singulos actus amoris duplicasse gratiam, quam in præcedenti actu habebat. Explico, posito quòd Virgo, quando elicuit hunc actum amoris habebat mille gradus gratię, eliciendo secundũ actũ amoris consequetur alios mille, & sic habebit bis mille, in tertio actu merebitur alios bis mille, & sic habebit quatuor milha gradu sgratiæ, & sic deinceps.

Probatur primò, faciliter poterat Virgo habens gratiam, & consequenter habitum charitatis vt mille, operari secundùm totam latitudinem habitus charitatis, &

elicere

elicere actum amoris intensum vt mille; atque adeò mereri augmentum mille graduum gratiæ, & ita duplicare gratiam præcedentem; ergo peccasset si elicuisset actum amoris minùs intensum. Antecedens patet ex dictis, quia habebat sufficientes vires ad actum amoris intensum, vt mille, & nullum aderat impedimentum. Consequentia probatur, quia actus Virginis erat deliberati, vt probaui; ergo liberè cessasset ab actu intẽso amoris Dei: Sed hoc est contra rectam rationem, & contra diuinum præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Marci 12.* ergo, vel peccasset Virgo, vel operata saltem esset contra diuinum consilium diligendi ex totis viribus.

Secundò probatur, quia peccatum est, non respondere excitanti gratiæ; sed Spiritus Sanctus excitabat cor Virginis ad actum intensum amoris vt mille; ergo peccasset, si elicuisset actum minùs intensum.

19 Tertiò probatur, quia Angeli boni, cùm fuerunt in via, amarunt Deum secundùm totam latitudinem charitatis, quam habebant, ex eo quia nullum habebãt ita intensi amoris impedimentum, vt tradunt Theologi *in 1. par. quæst. 62. art. 6.* Suarez *de Angelis lib. 6. cap. 4. nu. 17.*

20 imò idem aliqui scribunt de Seraphico S. Francisco, Paulo, & cæteris Apostolis, post eorum vocationem; ergo idem omninò de Virgine dicendum est, semper operatam esse secũdùm totam latitudinem habitus charitatis. Confirmatur optima similitudine Patris Ludouici Granatensis *concione 2. de assumptione Virginis*, vbi sic inquit: *Semper voluntas illa adeò diuinæ voluntati consentiens, & subdita erat, vt quemadmodum cælorum orbes motoribus suis sine vlla mora subduntur ad motum, quoniam nihil in se habent, quod huic motui repugnet; sic Beatæ Virginis voluntas ita Deo subdita erat, vt nihil in ea esset, quod diuinæ voluntati vlla ex parte contrairet:* Sed vtique contrairet si excitanti gratiæ, aliqua ex parte, seu toto conatu non respondisset.

Quintò obseruandum, vt procedamus ad calculum gratiæ Virginalis, quod per astronomos hora diuiditur in sexaginta minuta; minutum in sexaginta secunda; secundum in totidem tertia, & sic deinceps vsque ad decimum: sunt autem decima in hora, sexcenta quatuor millia sexaginta vnum milliones millionum, septingenta sexaginta millia millionum. Vide Clauium *in Sphæram Sacrobosch fol. mihi 285.*

Poterat itaque Virgo in quolibet decimo elicere actum amoris, & singulis decimis duplicare totam gratiam præcedentem.

Dices moraliter est impossibilis tanta actuum multitudo in vnica hora; nam actus humanus cùm sit discursiuus, non producitur in instanti, sed requirit aliquam morulam; ergò nõ potuit Virgo per singula decima singulos actus amoris producere.

Respondetur concedo antecedens, quoad nostrum intellectum; nego quoad Virgineum; disparitas est; quia iste ob independentiam à phantasmatibus, sicut Angelicus intellectus, operabatur simplici intuitu, & in instanti; quare facilis erat illi tãta actuum multitudo. Explico sequenti exemplo: Clauius *in Sphæram Sacrobosch cap. 1.*

21 *tit. de distantijs cælorum, fol.* 216. docet, quòd stella firmamenti posita in æquatore, in vnica hora percurrit quadraginta duos milliones trecenta nonaginta octo millia, quadraginta triginta septem milliaria: Sed Virgineus intellectus, cùm operetur independenter à phantasmatibus, simplici intuitu, breuiori mora producit suos actus, ac stella vnum milliarium percurrat.

Dices secundò, vnde actus amoris distinguebatur numero.

Respondetur ex diuersis numero, cogitationibus, & istæ ex diuersis motiuis, quibus Spiritus Sanctus cor Virginis excitabat ad amorem, actus enim intellectus distinguuntur per obiecta, vt docet D. Tho. *1. 2. quæst. 8. art. 3.*

Dices tertiò, gratis asseritur Virginem independenter à phantasmatibus, ad modum Angeli, vel animæ separatæ, simplici intuitu operatam.

22 Respondetur nego antecedens; nam ita necessarium est asserere, ne frustrà maiora, & pura miracula multiplicentur: quia phantasma, vtpotè materiale impedit operationem intensissimam, & clarissimam, quamuis abstractiuam cognitionis Dei: Nec aliquid materiale phantasma est aptum ad tam intensam, & claram operationem: tum quia propter intensionem, & continuam operationem, fatigato organo materiali phantasiæ, vel cessasset ab operando, vel corrumperetur.

Dices quartò, actiones externæ ambulandi, loquendi, comedendi, dormiendi, impediebant Virginem à tanta multitudine actuum amoris.

Respondetur, nego antecedens; nam sicuti Angelus nunquam cessat ab eodem actu intenso cognitionis, & amoris Dei; quia operatur independenter à phantasmatibus, ita & Virgo.

Itaque poterat Virgo per singula decima horæ, singulos actus amoris elicere. Sed demus singulis minutis horæ, singulos actus amoris, ita vt sequens actus sit duplo intensior præcedenti actu, erunt sexaginta actus in hora, quot sunt minuta.

23 Sextò, obseruandum Virginem vixisse septuaginta duos annos, vt ex S. Dionysio Areopagita, Epiphanio, & Cedreno probat Baronius *anno* 48. Metraphrastes *or. de vita, & dormitione Deiparæ.* Auctor innominatus apud S. Ansel. *opusc. de forma, & moribus B. Virg.* ac Petrus Canisius *de B. Virg. lib. 5. c. 1.* Quamuis aliqui asserant vixisse octoginta duos annos: ita Michael Glicas *par. 3. annalis*, & Andreas Cretẽsis apud Canisium. Vixit etiam in vtero matris menses sex, & diem decem post animæ infusione,

24 & vsum rationis miraculosè acceptũ; fœmina enim octogesimo die animatur, vt docent omnes in *c. 12. Leuitici.*

25 Quare minuta totius vitæ Virginis sunt triginta octo milliones, centum quadraginta octo millia, & quinquaginta, & totidem fuerunt actus amoris.

Septimò obseruandum, quòd in progressione geometrica proportionis duplæ, vt vocant Aritmetici, semper in decimo quoque termino progressionis, inuenientur, additæ tres figuræ numerales. Itaque in decimo termino erunt 512. & sic tres figuræ: in vigesimo termino sunt 524288. & sic sex figuræ: in trigesimo erunt nouem figuræ: in centesimo triginta figuræ, & sic deinceps. His prænotatis.

Respondeo, sic fieri posse calculum gratiæ Virgineæ; nã si fiat progressio geometrica duplæ in gradibus gratiæ Deiparæ, incipiendo ab vnico gradu, & duplicando per singula minuta suæ vitæ, & sic per singulos actus amoris: cũ minuta, & actus sint triginta octo milliones, centum quadraginta octo millia, & quingenta: & cum ad decimum quodlibet minutum progressio duplæ, in numero

mero graduum, addat tres figuras numerales: sequitur
26 quod ad exprimendum calculum gratiæ Virginalis requiruntur figurarum vndecim milliones, quadringenta quadraginta quatuor millia, quingenta quinquaginta: & in solo vltimo actu moris tot gradus gratiæ promeruit Virgo.

27 Vt huius numeri immensitatem percipias, considera: nam vt Clauius *in Arithmetica c. 25.* Si fiat geometrica progressio duplæ per sexaginta quatuor loca schaccorũ; in sexagesimo quarto loco requiruntur viginti figuræ numerales, ad exprimendam quãtitatem frumenti; ad istud autem portandum (vt ostendit Clauius) non sufficiunt mille septingenti septuaginta nouem milliones nauium: attende ergo numeri vastitatem, si fiat progressio duplæ per triginta octo milliones actuum amoris Virginei.

28 Præterea quinquaginta duæ figuræ numerales exprimunt numerum arenularum totius orbis vsq; ad concauum firmamenti, vt ex Archimede *lib. de Arenæ numero,* probat Clauius *in Sphæram Sacroboschi, c. 1. fol. 251.* Sed ad exprimendum numerum gratiæ Virginalis vndecim milliones figurarum non sufficiunt.

Nondum vitæ tertiam horam absoluerat, & Cœli cœlorum M.riæ gratiam capere non poterant; nimirũ quia Virgo immaculata (vt inquit S. Io. Chysostomus *orat. de Annunciat.*) *Animatum erat Dei templum: Cœli, terræq; pariter domicilium: naturæ illius, quæ comprehendi non potest amplissimum habitaculum*: vt meritò de ea dixerit S. Bonauentura *in speculo, c. 5. Gratia Mariæ gratia immensissima, quæ fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui maior cœlo est continere potuit. Tu immensissimam Maria, capacior es Cœlo; quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. Capacior es Mundo, quia quem Deus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capax fuit ventre, quantò magis mente? & si capacitas tam immensa, fuit gratia plena, oportuit quod gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.*

At ne credas vndecim milliones numeralium figurarum posset Mariæ gratiam explicare: attende calculi defectum; Etenim geometrica progressio facta est ab vnico gradu: at originalis Mariæ gratia superauit totam collectionem gratiæ omnium creaturarum. Deinde singulis minutis vitæ Mariæ singulos assignauimus actus amoris, cùm tamen multo plures numerari potuissent. Præterea frequenter Virgo beatissima excitantis gratiæ auxilio, feruentiores actus amoris promebat, quàm esset intensus habitus charitatis, vnde triplo, ac decuplo, atq; vlteriùs priorem gratiam augebat. Vndè S. Bernardinus Senensis *tom. 2. ser. 51. art. 2. c. 1.* inquit: *Virgo Beata in Conceptionis filij Dei consensu plus meruit, quàm omnes creaturæ, tum Angeli, quàm homines*. Specialem autem motionem Spiritus Sancti habuisse creditur tempore Natiuitatis, Passionis, & Ascensionis Christi Domini, ac in die Pentecostes, & cùm per singulos dies per vigintiquatuor annos filij sui corpus in Eucharistia accepit. Præterea calculus est gratiæ ex opere operantis, non autẽ ex opere operato, quæ ex veriori sententia proportionatur dispositioni recipientis Sacramenta. Denique impossibile est exprimere qualitatem figurarum numeralium vndecim millionum, earumque expressio longè maiorem nu-
29 merum conficeret. Hinc facilè tamquam exiguus reijciendus est calculus Patris Glielmi *tract. de Trinitate discursu 25.* & alter Nicolai Riccardij *in Litanijs Deiparæ discursu 13.*

Sed profundum abyssi quis mensus est? Mariæ gratiã quis dinumerauit? *Soli Deo eam cognoscendam reseruari,* ait S. Bernardinus Senensis *tom. 2. serm. 51. art. 3. capit. 1.* iuxta illud *Ecclesiastici 1. Ipse creauit eam in Spiritu Sancto, vidit, & dinumerauit, & mensus est.* B. Thomas de Villanoua *tom. 2. serm. 2. Euangelista*, inquit, *siluere, propterea quia Virginis gloria, magis cogitari poterat, quàm describi*; & Riccard. de S. Laurentio *prolog. 1. de laudibus Virgin. Hanc gloriam, ait, sibi retinuit Cœlestis Artifex, cuius Virgo est opus speciale, nec alteri daturus est eã, quare de Maria per Prophetam dicit: Secretum meum mihi.*

Euge, euge Virgo beatissima (inquit S. Methodius *serm. de purif.*) *quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo enim vniuersi debemus, tibi autem etiam ille debet: ferè inopes sunt Diuinæ gratiæ thesauri, Virgo sanctissima, nec si omnes effunduntur, Maternitatis debitũ æquare poterunt.* Finiam cum Guerrico Abbate *ser. de Assump. Mater misericordiæ, saturare gloria filij tui, & dimitte reliquias paruulis tuis, tu ad mensam Domina, nos sub mensa catelli.*

Tractatus Octaui, ac Primi Tomi Finis.

Laus Omnipotenti Deo Deiparæque Virgini, ac Beato Patriarchæ Caietano.

INDEX



INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM.

A

casum deficientium virium hæreditatis, & adhuc in eo casu mandauerit tale opus; quare præsumendum est, quod si considerasset casum deficientium virium hæreditatis, tunc non mandasset tale opus, sed aliud minoris pretij; nam non præsumitur voluisse hæredem vacuum remanere; nisi aliunde ex apertis verbis id colligatur. Vnde faciliter patet responsio ad contraria argumenta; & ad tex. *in l. decem, ff. de fideicomm. libertatibus, & l. si seruus communis 33. ff. ad legem falcidiam*, respondetur, iuxta communem Doctorum sententiam, esse ibi speciale priuilegium libertatis.

QVÆSTIO LXVI.

An si Religiosus frequenter, & per multas horas alloquatur Monialem, secluso scandalo, & praua intentione, peccet mortaliter? & quædam alia notabilia de hac re, etiam quoad Sæculares loquentes cum Monialibus.

SVMMARIVM.

Affirmant communiter. num.1. Negant alij. num.4. Probabilius affirmandum. num.11.

Quando lex pœnalis obliget sub mortali? num.2. 5. 6. 16.

Quando exponens se periculo grauis pœnæ peccet mortaliter? num.7.

Quando lex fundata in præsumptione liget in conscientia? num.8. 17. & 18.

Quando cessante fine legis in aliquo casu particulari, cesset lex? num.9. 18. & 19.

Grauitas legis mensuranda est à fine, ad quem ordinatur. num.12.

Dux belli iustè punit pœna mortis leue furtum militum. numer.13.

Præceptum Adamo impositum quare fuerit grauissimum? numer.14.

In lege Ecclesiastica ea verba: mandamus, præcipimus, obligant ad grauem culpam. num.15.

Loquens cum Moniali ex domo vicina, aut via publica an incurrat pœnas? num.20. An loquens per interpretem? num.21. An si nutibus agat cum Moniali? num.22. An si Monialis nihil respondeat? num.23. An si audiat Monialem loquentem? num.24. An incurrat pœnas loquens cum Abbatissa? num.25. An loquens cum Auscultatricibus? num.26. An Socius Religiosi, qui loquitur cum licentia? num.27. An si differat de rebus spiritualibus, aut auferat scrupulos, vel soluat dubia spectantia ad conscientiam? num.28. An si non obseruet aliqua in licentia præscripta, vt si loquatur sine auscultatricibus, aut sine Confessario, aut si licentia non sit in scriptis? nu.29. An si loquatur cum licentia obtenta ex causa ficta? numer.30. An si loquatur per quadrantem horæ? num.31. An si tantùm duo verba obscœna dicat ex praua intentione incurrat excommunicationem? numer.32. An pueri incurrant excommunicationem latam ab Episcopo contra loquentes cum Monialibus? num.33. An eam incurrant aduenæ, & peregrini? num.34. vsque ad 38. An Sæculares loquentes cum Monialibus exemptis incurrant excommunicationem latam ab Episcopo? num.38. Episcopi possunt punire loquentes cum Monialibus exemptis, num.40.

Ad quem spectat dare licentiam loquendi cum Monialibus exemptis? num.43. An Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo contra loquentes cum Monialibus; si habeant priuilegium, ne possint excommunicari? num.45. certum est, eam non incurrere, quando in statuto Episcopi expressè non nominantur Regulares, num.48.

1 AFfirmant communiter Doctores Salas 1.2. *disp.15. sect.1. concl.2. num.16.* Duardus in *Bullam Cœnæ lib.3. §.8. quæst.2. num.45.* Pellizzarius *tract. de Monialibus cap.5. num.200. & in manuali Regular. tract.5. capit.6. num.9.* Bonacina *tract. de clausura quæst.3. pun.4. num.4.* Suarez *de Religione tom.4. tract.8. lib.1. cap.10. num.27.* Peyrinus *de priuileg. Minimorum tom.2. const.6. Pij V. §.10. numer.36.* Sayrus *in Claui Regia lib.3. cap.7. num.34.* Barchius *in speculo Monialium cap.9.* Homobonus *par.2. casu 3. vers.4.* Diana *par.1. tract.10. resol.21. & par.3. tract.2. resol.104. & par.10. tract.14. res.42.* Candidus *tom.2. de recto regimine Monialium disquis.51. art.1. dub.11.* Thomas Vrtadus *tom.1. tract.1. cap.5. resol.11. nu.88.* Tamburinus *de iure Abbatissarum disp.29. quæst.5.* Campanilis *in diuersor. iuris Canon. rub.12. de Regular. capit.16. num.43.* Barbosa *de iure Ecclesiastico lib.1. cap.44. num.156.* Coriolanus *de casibus reseruatis par.2. casu 3. num.29.* Naldus *verbo Monialis num.17.*

Probant primò ex tex. *in cap. periculoso de statu Regular. in 7.* vbi Bonifacius VIII. prohibet accessum ad Monasteria Monialium, quam Constitutionem confirmat Tridentinum *sess. 25. de Regularib. cap. 5.* ac etiam Pius V. *in Const. incip. Circa pastoralis anni* 1566. vbi eam, *In omnibus & per omnia districtè obseruari mandauit*, quæ verba æquiualent strictissimo præcepto obedientiæ, vt patet ex *Clem. exiui, de verborum significatione.*

Secundo, quia sacra Congregatio *anno* 1590. iussu Sixti V. statuit, ac præcepit Regularibus, ne accederent Monasteria Monialium sub pœnis priuationis Officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, atque alijs pœnis eiusdem Congregationis arbitrio: Sed lex mixta, idest præ-
2 ceptiua, & pœnalis, quæ graues pœnas imponit, obligat sub peccato mortali, iuxta communem opinionem Salas *de legibus disp.10. sect.9. reg.8.* Beccanus 1.2. *tract.3. cap.7. quæst.2. num.4.* Sanchez *in Sum. lib.6. cap.4. numer.60.* Vasquez 1.2. *tom.2. disputat.159. capit.2. & 3.* Malderus 1. 2. *quæst.96. artic.4. mem.2.* Granado 1. 2. *contron.7. tract.3. par.1. disp.4. sect.2. num.7.* Io. Caramuel *in Regul. S. Benedicti disp.3.*

3 Tertiò, quia sic declarauit Sacra Congreg. *die primo Iulij* 1606. his verbis: *Sacra Congregatio censuit Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contrà formam Decreti, quo huiusmodi accessus per sacram Congregationem prohibetur, vltra pœnas Officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis.* Hanc declarationem ex Duardo, & alijs refert Diana *part. 1. tract.10. resol.22.*

4 Negant verò esse peccatum mortale, & tantùm veniale esse asserunt, etiam per longum tempus, & frequenter Regularem loqui cum Moniali; secluso tamen scandalo, & praua intentione. Sanchez *in Sum. lib.6. cap.16. numer.120.* Nauarrus *in Sum. capit.25. numer.110.* Merolla *tom.1. disputat.1. capit.2. difficult.7. numer.814.* Thomas del Bene *de immunit. Ecclesiastica capit. 14. dub.5. sect.2. numer.1.* Bordonus *tom.1. resolution.7. num.81.*

*numer.*81. latè Vidal *in Inquisit. Moralibus tit. de Monialibus Inquisit.*a. *numer.*49. Lezana *in Summa tom.*1. *capit.*25. *numer.*36. probabile esse fatetur Diana *part.*1. *tractat.*10. *resolut.*22. fauet Caietanus *in Sum. verbo Clericorum peccata*, vbi ait: nulla Clericis prohibita, esse peccata mortalia, secluso scandalo, aut contumacia post monitionem, & Rodriquez *tom.*1. *quæst.*45. *art.*4. qui tamen quoad Regularem frequentantem, idest per tres vices, videtur iudicare esse mortale; at per duas vices ait esse veniale.

Probant primò, quia secluso scandalo, & praua intentione, loqui etiam frequenter cum Monialibus est materia leuis: ergo non censetur prohibita sub graui præcepto obligante ad mortale.

5 Probant Secundò, quia leges mixtæ, etiam Ecclesiasticæ, si habeant adiunctam pœnam temporalem, non censentur latæ cum obligatione pro foro interno ad culpam mortalem; quia cùm legislator imponat pœnam temporalem, videtur tantùm illa contentus, & solùm spectare forum externum, ac regimen externum Reipublicæ: & ad regimen externum satis est timor pœnæ temporalis, ita Valentia *tom.*2. *disput.*7. *quæst.*5. *pun.*6. *vers. alterum signum*, post Nauar. *cap.*23. *num.*55. Diana *par.*1. *tract.*10. *resol.*20.

6 Probant tertiò, quia adiunctæ pœnæ priuationis officiorum, ac vtriusque vocis non necessariò supponũt culpam grauem; nam maior est pœna suspensionis, quæ tamen aliquando ob solam culpam venialem incurritur, Caietanus *verbo suspensio*, Valentia *tom.*2. *disp.*7. *qu.*5. *pun.*5. *vers. quartum signum*, Azorius *par.*1. *lib.*5. *cap.*6. *quæst.*5. Præterea maior est pœna excommunicationis ferendæ, & tamen non est signum peccati mortalis, Ita Caietanus, & Castrus, quos citat, & sequitur Nauarrus *cap.*23. *num.*53.

7 Dices primò, peccat mortaliter exponens se periculo subeundi grauem pęnam.

Respondeo primò, ex Caramuele *in regulam Sancti Benedicti disp.*3. *num.*33. non peccare ratione periculi, si probabiliter credit se euasurum, vel quia cautè transgreditur legem, vel quia sperat in patrocinio potentium virorum.

Respondeo secundò, ex eodem Caramuele *num.*32. non peccare ratione huius periculi; quando pena, quamtuis grauissima, tamen eiusmodi est, vt posset pro libito quis extra iudicium eam subire; sic si quis exponat se periculo confiscationis omnium bonorum, peccat si habeat vxorem, ac filios; quia nequit cum eorum præiudicio omnia bona sua donare fisco; at non peccaret carens vxore, & filijs; quippe qui posset sine peccato omnia bona sua donare fisco: At potest quis renunciare omnibus officijs, & voci actiuæ, & passiuæ: ergo non peccat exponens se periculo talis pęnæ.

Dices secundò, peccat Religiosus exponens se periculo famæ, cuius iacturam subiret, si priuaretur officijs, & voce actiua ac passiua.

Respondeo, infamiam non sequi pęnam, sed delictum; at cùm honesta locutio cum Moniali nõ sit aliquod turpe, & infamans, proinde famæ iactura timenda non est.

8 Probant quartò, quia quando lex fundatur in pręsumptione non ligat in conscientia, si veritas sit in contrarium *cap. tua nos* 26. *& cap. is qui fidem* 30. *de sponsalibus*: Sed lex ista prohibens accessum ad Monasteria Monialium fundatur in præsumptione scandali; sic enim ait sacra Congregatio in Decreto *anni* 1590. *Ad occurrendum scandalis, quæ contingere possent*: ergo si nullum sit periculum scandali in tali locutione, nullum erit peccatum, vel saltem leue.

9 Probant quintò, quia cessante fine legis adæquatè, & totaliter in casu particulari, cessat obligatio legis, Ita Nauarrus, Aogelus, Henriquez, Emanuel Sà, Comitolus, Mexia, Abbas, Sousa, Megalius, & Granado, quos citat, & sequitur Diana *par.*1. *tract.*10. *resol.*28. ergo si in tali honesta locutione adæquatè cesset finis legis, nempè scandalum, periculum, praua intentio, &c. cessat obligatio legis.

10 Probant sextò, quia nulla lex prohibens hanc locutionem cum Monialibus obligat ad graue peccatum; nam Constitutio Bonifacij VIII. *in cap. periculoso de statu Regular. in* 6. nullum habet verbum indicans peccatum mortale, seu grauem prohibitionem; præterea nunquam fuit vsu recepta ante Tridentinum: neque Constitutionẽ Bonifacij confirmarunt Tridentinum, ac Pius V. nisi quoad egressum è Monasterio, prout aduertit Suarez *de Religione tom.*4. *tract.*8. *lib.*1. *cap.*10. *numer.*26. Constitutio autem Alexandri III. *in cap. Monasteria de vita, & honestate Clericorum*, loquitur tantùm de frequentia, & arguit grauem culpam, stante contumacia, scilicet post monitionem: Decretum sacræ Congregationis *anni* 1590. cum sit penale, non obligat ad grauem culpam, vt dixi. Decretũ verò seu declaratio *anni* 1606. non fuit vsu recepta à Regularibus, vt ait Vidal *in inquis. Moralibus tit. de Monialibus Inquis.*2. *num.*54. Præterea sacrę Congregationis Declarationes non tollunt probabilitatem opinionis oppositæ; quia non habẽt vim legis, vt latè probaui *tract.*2. *quæst.*6. & docent Thomas del Bene *de immun. Ecclesiastica cap.*14. *dub.*5. *sect.*2.

11 His tamen non obstantibus, Dico: peccare mortaliter Regularem semel loquentem vltra horæ quadrãtem cum Moniali, etiam si nullum adsit scandalum, nullum periculum, nulla praua intẽtio: fateor tamen oppositam sententiam esse probabilem, ac tutam in conscientia.

Probo, quia si non esset peccatum mortale, vel esset quia materia in se est leuis; vel quia quamuis materia esset grauis, tamen non esset intentio legislatori obligandi pro foro interno ad grauem culpam: Sed neutrum dici potest: ergo erit mortale peccatum.

12 Probo materiam esse grauem, quia grauitas legis, seu præcepti mensuranda est à fine, ad quem ordinatur: Sed Monialium puritas; & euitare scandala, quæ contingere possunt, ac pericula, est finis grauissimus huius legis: ergo ista materia grauis est. Tum quia circa materiæ grauitatem, vel paruitatem, ea non debet attendi, spectata ipsa materia in se, & nudè sumpta, sed spectatis omnibus circumstantijs, potissimùm fine extrinseco; interdum enim accedit, quod id, quod prohibetur, in se spectatum, leue sit; sed relatum ad bonum communitatis, ad scandala cauenda, graue fit: sic iustissimè Dux belli leue furtum

13 militum, vt vnius gallinę capite punit, ad tuendam militarem disciplinam, & cauẽdas depredationes; sic iustissimè capite punitur armorum delatio, ità Nauar. *cap.*23. *numer.*58. Valentia *tom.*2. *disp.*7. *pun.*6. *quæst.*3. Salas *de legibus disp.*10. *sect.*6. Suarez *de censuris disput.*4. *sect.*6. *num.*11. Layman *lib.*1. *tract.*4. *cap.*14. *nu.*3. Sic diuinum

14 præceptum Adamo impositum in se spectatũ leue videri potest, quid enim leuius, quàm esus pomi? At grauissimã obligationem attulit ob circumstantiã finis, quia datum

fuit in signum obedientiæ, & quasi in tributum huma-
næ subiectionis erga Deum, vt benè docet Suarez *lib.3.*
de legibus cap.25. num.5. Igitur quamuis vnica honesta
locutio per mediam horam cum Moniali in se spectata
videri possit leuis materia; at ex scandalis, quæ ex huius-
modi loquutionibus prouenire possunt, grauis censenda
est. Præterea hanc esse materiam grauem probo euiden-
ter, nam vt patet ex praxi, iustissimè Episcopi eam pro-
hibent sub excommunicatione latæ sententiæ; hæc au-
tem pœna excommunicationis latæ sententiæ nequit im-
poni in materia leui; quia requiritur peccatum mortale,
& proinde grauis materia, ad grauissimam excommuni-
cationis pœnam, vt notant Castrus *de lege pænali lib.1.*
cap.5. docum.2. Layman *lib.1. tract.4. cap.14. num.2.*

Probo, quòd supposita grauitate materiæ, vult legisla-
tor obligare, etiam in foro interno ad culpam grauem,
loquentem cum Moniali; quia in lege Ecclesiastica ea
15 verba: *Mandamus, præcipimus, prohibemus*, ex com-
muni vsu legum Ecclesiasticarum inducunt præceptum
obligans sub mortali, vt patet ex *Clementina exiui, de*
verbor. significatione, & docent Valentia *tom.2. disp.7.*
quæst.5. pun.6. in sexto signo, Layman *lib.1. tract.4. ca-*
16 *pit.14. numer.4.* Neque adiuncta pœna temporalis est
sufficiens signum, quod legislator Ecclesiasticus nolue-
rit obligare pro foro interno; quamuis in legislatore
Laico id concedam, cum Villalobos *in Sum. to.1. tract.2.*
diffic.22. num.6. vbi citat Nauar. Gomezium, Io. An-
dream, Mathesilanum, Decium, & alios, Ratio discri-
minis inter legem pœnalem, ciuilem, & Ecclesiasticam
est; quia finis legis ciuilis est bonum temporale & pax
Reipublicæ: finis legis Ecclesiasticæ est salus animarum,
& bonum spirituale, & æternum Christianæ Reipubli-
cæ: sed ad finem temporalis boni, satis est coercere per
temporalem pœnam, præscindendo ab obligatione pro
foro interno; quare in lege ciuili non præsumitur inten-
tionem legislatoris esse obligare pro foro interno; nisi
clarè id exprimat: At verò ad finem spiritualem inten-
tum à legislatore Ecclesiastico necesse, aut saltem vtile
est, obligare pro foro interno, & non tantùm coercere
per pœnam externam; quia finis Ecclesiasticæ legis est
bonum spirituale: quare semper præsumitur legem Ec-
clesiasticam obligare pro foro interno; nisi contrarium
habeatur expressum.

Ex his patet responsio ad Primum, secundum, & ter-
tium argumentum.

17 Ad quartum respondet Ioseph de Ianuario *de casibus*
reseruatis resol.44. num.14. quod tunc cessat lex, cessan-
te facto, aut delicto præsumpto, quando fundatur in
præsumptione facti, aut delicti: secus si fundetur in peri-
culo facti, aut delicti, quia tunc etiam si cesset delictum,
non cessat obligatio legis.

Contrà, quia quando lex fundatur in præsumptione
delicti, cessat obligatio, si cessat delictum præsumptum:
ergo quando lex fundatur in periculo delicti, cessat obli-
gatio, si cesset omninò delicti periculum; in casu autem
nostro aliquando omninò cessat periculum, vt si collo-
quentes sint decrepitæ ætatis, probatæ famæ, & adsit
iusta causa locutionis.

18 Respondeo secundò, dupliciter ratione periculi, aut
scandali, potest lex prohibere; primò ratione *periculi*
determinati, seu in determinato casu: Secundò ratione *pe-*
riculi indeterminatè, & vagè; hoc est, quia si sæpius Re-
gulares alloquuntur Moniales in hoc vel illo, vel illo
eueniet scandalum aliquod peccatum, aut dissolutio
Regularis disciplinæ: Leges autem prohibentes locutio-
nem cum Monialibus non præsumunt periculum ali-
quod determinatè; *Sed indeterminatè, & vagè*; quare
semper obligant in singulis casibus, etiam si in aliquo
non adsit periculum; quia potest, & vult legislator in
quocumque casu obligare, quia ipsi ignotum est in quo
casu aderit scandalum, aut periculum; quod patet, nam
legislator, qui tulit legem ne quisquam ferat arma, eo
fine vt euitetur periculum occisionum, singulos ciues
vult obligare; quamuis multi ad solam defensionem, si-
ne vllo periculo, possent arma ferre; nam non præsumit
determinatè in hoc homine esse periculum; sed propter
periculum indeterminatè, & vagè præsumptum vult
omnes obligare; alioquin periculum vagè præsumptum
euitari nequiret; nisi omnes, & singuli obligarentur;
cùm enim periculum sit vagum, & indeterminatum, nun-
quam cessat periculum, nisi omnes, & singuli ciues obli-
gentur arma deponere.

19 Ad quintum respondetur in casu nostro non cessare
finem legis; quia finis legis in casu loquutionis cum Mo-
niali est periculum indeterminatè, & vagè præsumptum,
quod nunquam cessat.

Ad sextum patet ex dictis.

Liber autem hic breuiter aliqua ad praxim vtilia ad-
uertere in hac materia.

20 Loquens cum Moniali ex domo vicina, aut via publi-
ca non incurrit pœnas; quia non accedit, Ita Grassius,
Bonacina, & Homobonus, quos citat, & sequitur Pel-
lizzarius *in manuali Regularium tract.6. capit.6. num.15.*
Thomas del Bene *de immunitate Eccl. c.14. dub.5. sect.3.*
num.13. Diana *par.10. tractat.14. resol.49.* Sed proba-
bilius oppositum, docet Merolla *tom.1. disp.1. cap.1. nu-*
mer.625. Ratio est, quia locutio principaliter prohibe-
tur, accessus autem per accidens, & accessoriè.

21 Neque loquens per interpretem Diana *par.3. tract.2.*
resol.48. & par.10. tract.14. resol.49. Pellizzar. *d. cap.6.*
num.18. Tamburinus *de iure Abbatissarum disp.25. qu.5.*
num.2. Thom. del Bene *d. cap.14. dub.5. sect.3. num.4.*
Diana *par.10. tract.14. resol.51.* vbi ait: non esse prohi-
bitum loqui cum Moniali per intermediam personam;
tunc quamuis explicaret suos internos affectus, explica-
ret alteri, & ex hoc Moniali, quod non est interdictum.
Contrarium post Grassium docet Bordonus *resol.7. nu-*
mer.70. & Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. nu.595.* Neque
scribens epistolam; quia scribere non est loqui, nec ac-
cedere, Suarez *de Relig. tom.4. tract.8. lib.1. cap.4. nu-*
mer.28. Lezana *tom.1. cap.25. num.37.* Thomas del Be-
ne *num.5.* Pellizzar. *tract.6. cap.6. nu.18.* Diana *par.10.*
tract.14. resol.51. Bordonus *resol.7. num.71.* qui rectè
docet, quod si excommunicatio expressè lata sit contra
scribentem, eam non incurrit, nisi perueniat epistola,
& eam Monialis legat, Nauar. *cons.19. de sent. excomm.*
Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.601.*

22 Neque incurrit pœnas nutibus agens cum Moniali;
quia hoc propriè non est loqui, ita probabile esse inquit
Pellizzarius *d. cap.3. num.20.* Thomas del Bene *de im-*
mun. Eccles. cap.14. dub.5. sect.3. num.4. quamuis op-
positum doceant, Ianuarius *de casibus reseruatis resol.34.*
num.49. & Diana *par.10. tract.14. resol.51.* Bordonus
resol.7. num.70. Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.593.*

23 Si Episcopus excommunicet colloquentes cum Mo-
nialibus, eam excommunicationem non incurrit, qui lo-

quitur

quitur cum Moniali, ſi iſta nihil reſpondet, ita probabiliter docent Graſſius *in quinque caſibus lib.2. cap.5. numer.1.* Vidal *tit. de Monialibus Inquiſit.4. numer.25.* Ianuarius *de caſibus reſeruatis reſol.39.* Thomas del Bene *loco cit. num 6.*

Sed probabilius oppoſitum docent Merolla *tom.1. diſp.1. cap.2. nu.589.* & Diana *par.10. tract.14. reſ.49.* nam ex communi vſu loquendi idem ſunt alloqui, & colloqui, & ſacra Congregatio vtroque verbo vtitur, cùm

24 prohibet locutionem cum Monialibus. Sed rectè ait Diana *vbi ſuprà* non incurrere pœnas, ſi audiat Monialem loquentem, ipſe verò nihil reſpondeat; audire enim non eſt loqui, vbi citat Pellizzar. Zambellum, Lezanam, & Vidal, & idem docet Thomas del Bene *d. num.6.* Merolla *tom.1. diſp.1. cap.2. num.591. in fine.*

25 Neque incurrit pœnas loquens cum Abbatiſſa, quia in odioſis Abbatiſſa non venit nomine Monialium, Pellizzarius *in manuali Regular. tract.6. cap.6. num 22.* Thomas del Bene *de immun. Eccleſ. cap.14. dub.5. ſect.3. numer.7.* Diana *par.3. tract.2. reſol.48. notab.3. & par.10. tract.14. reſol.49. not.2.* Ianuarius *de caſibus reſeruatis reſol.44.* Bordonus *reſol.7. num.70.* contra Merollam *to.1. diſp.1. cap.2. num.604.*

26 Neque ſi loquatur cum Auſcultatricibus, aut cum alijs Monialibus ex officio præſentibus ad colloquium faciendum de licentia Superioris cum determinata Moniali. Ratio eſt, quia durum eſt illam aſſiſtere mutam, Pellizzar. *de Monialibus cap.5. num.219.* Ianuarius *de caſibus reſeruatis reſol.44. num.15.* Thomas del Bene *loco citato.* Diana *par.10. tract.14. reſol.52. in fine.*

27. Neque pœnas incurrit ſocius Religioſi, qui de licentia loquitur cum Moniali, quia par ratio eſt de connexis, & durum eſt illum mutum aſſiſtere, Ita Pellizzarius *in manuali Regular. tract.6. cap.6. num.28.* Riccius *prima par. praxis reſol.745.* Tamburinus *de iure Abbatiſſarum diſp.26. quæſt.3. num.2.* Peyrinus *in addit. priuil. tom.3. ad conſtitut. Py V. cap.6. num.6.*

Sed oppoſitum docent Thomas del Bene *de immun. cap.14. dub.5. ſect.3. numer.28.* & Paſqualigus *in quæſt. Canon. quæſt.158.* Ratio eſt, quia Socius Religioſo datur ad iter, non ad loquutionem cum Moniali; vnde nulla neceſſitas eſt, quod mutus aſſiſtat; ſed poteſt interim in alio loco vel orare, vel legere &c.

Verùm ſi eſſet Socius Religioſi ex neceſſitate ingredientis Monaſterij Monialium clauſuram, tunc vtique implicitè daretur licentia loquendi, prout communiter docent omnes.

28. Neque incurreret pœnas ſi diſſerat de rebus pijs, & ſpiritualibus, dando ſalutaria conſilia, proponendo bona ſtatus Religioſi, aut auferendo ſcrupuloſos, aut ſoluendo dubia ſpectantia ad conſcientiam: Ratio eſt, quia iſte caſus per Epikeiam cenſetur exceptus, nam finis prohibitionis non fuit iſte, ſed oppoſitus, ita Diana *par.3. tract.2. reſol.104. & par.10. tract.14. reſol.49. in fine.* Vidal *in Arca Theol. Moral. tit. de Monialibus Inquiſ.4. num.93.* Peyrinus *de priuil. Minimorum conſtit.6. Py V. §.10. num.36.* Pellizzarius *de Monialibus cap.10. numer.277. & in manuali Regul. tract.6. cap.6. num.29.* Thomas del Bene *de Immun. Eccleſiaſtica cap.14. dub.5. ſect.3. num.3.* Tamburinus *de iure Abbatiſſarum diſp.25. quæſt.5. num.2.* Ianuarius *de caſibus reſer. reſol.44. nu.17.*

29 Neque incurrit ſi obtenta licentia, aliqua præſcripta in ea non obſeruat; tum quia quoad ſubſtantiam obſeruat præceptum; quia tantùm in accidentalibus deficit: tum quia ita praxis obſeruat; vt ſi alia die, aut hora, quàm præſcripta loquatur, aut ſine Confeſſarij, vel Auſcultatricum præſentia, aut licentia oretenus obtenta; datur enim in ſcriptis pro foro externo, ita Sanctorus *in conſtit. Minorum cap.11. ſtatuto 7. quæſt.1.* Pellizzarius *in manuali tract.6. cap.6. num.33. 35. & 40.* Thomas del Bene *num.15.* Diana *par.3. tract.2. reſol.120. & par.10. tract.14. reſol.50.* Bordonus *in Miſcellan. deciſ.249.* vbi de licentia in ſcriptis, & idem docent Merolla *tom.1. diſp.1. cap.2. num.628.*

30 Neque incurrere pęnas, ait Suarez *de religione tom.4. tract.8. lib.1. cap.10. num.27.* ſi loquatur cum licentia; ſed ex cauſa ficta, conceſſa; dummodò abſit periculum ſcandali, ac praua intentio, ac nimia frequentia. Ratio eſt, quia quando quis loquitur cum licentia, quamuis iſta quatenus ſubreptitia videatur nulliter conceſſa; tamen ipſa conceſſio licentiæ tollit tantam deformitatem locutionis, ac magna ex parte remouet periculum ſcandali: tum quia quodammodò ſeruatur præceptum quoad ſubſtantiam loquendo cum licentia.

31 Neque incurrit pęnas ſi ex vrbanitate, aut alia ex cauſa loquatur per quadrantem horæ; quia iſta cenſetur parua materia, & ita obſeruat praxis virorum timoratorum, & docet Thomas del Bene *de immunit. c.14. dub.5. ſect.3. num.1.* contra Dianam *par.3. tract.2. reſ.69.* qui ait: paruitatē materiæ non excedere vnum *miſerere*.

32 Verùm incurreret excommunicationem, qui vel duo verba obſcæna, ex praua intentione loqueretur cum Moniali, quia tunc ratione qualitatis verborum haberetur materia grauis, prout docent Thomas del Bene *loco citato*, Merolla *tom.1. diſp.1. cap.2. num.607.* quamuis oppoſitum doceat Bordonus, *reſol.7. num.70. in fine*, vbi ait; quòd ad incurrendam excommunicationem non ſufficiunt quatuor verba, etiam obſcæna.

33 Pueri ante annum ætatis decimumquartum, & puellæ ante duodecimum loquentes obſcena cum Monialibus, quamuis peccent mortaliter; tamen non incurrunt excommunicationem latam ab Epiſcopo; quia Eccleſia non ſolet pęna excommunicationis coercere eam ætatem; nam ratione ętatis minoratur pęna, Thomas del Bene *de immunit. cap.14. dub.5. ſect 3. num.10.* Bonacina *de cenſuris, diſp.1. q.1. pun.4. num.7.* Pellizzar. *de Monialib. cap.5. nu.221.* Ianuarius *de caſibus reſeruatis, reſ.44. num.15.* Diana *par.10. tract.14. reſol.49. in fine*, Merolla *tom.1. diſp.1. cap.2. num.609.* qui *num.610.* rectè docet nō incurrere excommunicationem ſi dubitet an expleuerit annum decimum quartum; quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis libertatem loquendi cum quacumque.

34 Non incurrunt excommunicationem ab Epiſcopo latam Peregrini, & Aduenæ minori parte anni habitantes in aliquo loco; quia peregrini non ſubijciuntur iuriſdictioni, ac legibus loci, per quem tranſeunt, *l. heres abſens, §. proinde, ff. de iudicijs*, ita Diana *par.10. trac.14. reſol.49. verſ. nota quinto*, Ianuarius *de caſibus reſeruatis, reſol.44. num.24.* Pellizzarius *de Monialibus, cap.5. num.211.* Vidal *tit. de Monialibus Inquiſit.4. num.88.*

34 Hanc ſententiam Diana *par.10. trac.14. reſol.53. in fine*, & Ianuarius *de caſibus reſeruatis, reſol.44. num.26.* limitant in peregrino loquente cum Moniali Monaſterij exempti, nam quoad Monaſterium exemptum Epiſcopus procedit tanquam delegatus Apoſtolicus.

Sed

35 Sed reuera non loquuntur consequenter;quia quamuis Episcopus procedat vt delegatus Apostolicus; tamen eam iurisdictionem Delegati Apostolici non exercet, nisi ratione talis loci, & Ciuitatis: sed peregrinus, ratione loci, non subiacet eius iurisdictioni; proinde non incurrit eius excommunicationem. Explico, & probo tali exemplo: si Episcopus vt delegatus Apostolicus ferat excommunicationem contra scribentes ad Moniales exemptas; eam excommunicationem non incurreret, qui scriberet ex loco extra Diœcesim; quia ratione loci, in quo scribit, non est subiectus tali delegato Apostolico; nam delegatio terminatur intra limites suæ Diœcesis: ergo cùm peregrinus ratione loci non sit subiectus ordinario, neque erit subiectus Delegato Apostolico, pro illo loco.

36 His tamen non obstantibus, probabilius videtur aduenas, & peregrinos incurrere excommunicationem latam ab Episcopo contra alloquentes Moniales, ita Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. num.623.* vbi ait, ita videri esse vsu receptum.

37 Probo, quia quamuis communiter Doctores non obligent aduenas, & peregrinos ad obseruanda statuta loci, in quo reperiuntur; tamen conueniunt omnes obligari; si leges specialiter latæ sint in bonum illius loci, quam transeunt, vt sunt leges, ne quis noctu arma ferat, ne extrahat triticum, &c. Sanchez *lib.3. de Matrim. disp.18. num.14. & lib.1. Summa cap.12. num.36.* Salas *de legibus disput.14. num.54.* Bonacina *de legibus disp.1. quæst.1. pun.6. num.53.* Suarez *lib.3. de legibus cap.32. num.8.* Layman *lib.1. tract.4. cap.14. numer.4. vers. quinto certum est*, vbi ait: de statuto prohibente, ne quis noctu arma ferat: sed huic simile est statutum, ne Moniales quis alloquatur; vtrumque enim latum est pro speciali bono loci, ad pacem custodiendam, & ad vitanda scandala: ergo vtroque statuto tenentur aduenæ, & peregrini.

38 Sed difficultas est: An Sæculares loquentes cum Monialibus exemptis incidant in excommunicationem latam ab Episcopo, expressè etiam quoad loquentes cum Monialibus exemptis?

39 Affirmant Suarez, Coninchius, Salas, Castropalaus, & Filliuccius, quos citat, & sequitur Ioseph de Ianuario *de casibus reseruatis resol.34. num.22.* Nouarius, Campanilis, Barbosa, Gratianus, & Squillante, quos citat, & sequitur Diana *par.10. tract.14. resolut.48.* Fagundez *prac.1. lib.1. cap.7. num.10.* Rodriquez *tom.1. quæst.45. art.2. §. est autem aduertendum*, Zerola *in praxi Archiepiscopali par.1. verbo excommunicatio §.3. Episcopus*, Genuensis *in praxi Neapolitana cap.33.* Rolandus *cons.33. vol.3.* Bellochius *de casibus reseruatis par.2. quæst.9. num.167.* Bordonus *resol.7. num.70.*

Probant primò, ex Trident. *sess.25. cap.5. de Regul.* vbi dicitur: *Episcopi in omnibus Monasterijs sibi subiectis, ordinaria, in alijs verò sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium conseruari procurent, inobedientes per censuras Ecclesiasticas compescendo*: Sed ad clausuræ custodiam spectat, prohibere, ne Sæculares cum Monialibus loquantur.

Probant secundò, ex Constitutione Gregorij XV. *incip. Inscrutabili*, vbi dicitur: *Ad hæc tam Regulares, quàm Sæculares huiusmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum ab Episcopo loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegato puniri, &*
40 *corrigi valeant*. Sed ea verba; *Si deliquerint circa personas intra septa degentes*, intelliguntur *de loquentibus cum illis*, prout declarauit sacra Congregatio, vt refert Thomas del Bene *de immunit. Ecclesiast. cap.14. dub.5. sect.3. num.25.* Vnde eadem sacra Congregatio declarauit, approbante Vrbano VIII. *Anno 1634. Regularem loquentem cum Monialibus Regularibus subiectis posse puniri ab Episcopo*, ita Thomas del Bene *loco citato*, Bonacina *to.3. tract. de clausura, qu.3. pun.4. n.8.* Candidus *to.2 de regimine Monialium disquis.5. art.1. dub.11.*

Dices ex Thoma del Bene *num. 26.* in hoc loco non datur Episcopo facultas procedendi per censuras contra transgressores in loco exempto antecedenter ad delictum, sed tantùm consequenter, ita vt post transgressionem solùm subintret delegatio.

Contrà, quia statutum Episcopi, quamuis antecedat delictum, tamen excommunicatio nullum ligat, nisi post delictum: tum quia delegatio non tantùm est ad puniendum delictum, sed etiam ad cauendum delictum: Tum quia cum hæc delegatio sit perpetua, & annexa dignitati Episcopali, consequenter sequitur naturam Episcopalis dignitatis, nempè vt possit condere statutum prohibendo, ne quis cum Monialibus exemptis loquatur.

41 Probatur tertiò, quia reuera non sunt idem, esse aliquem in loco exempto, & esse extra territorium; alioquin Laicus delinquens in Ecclesia, & occidens ibi hominem non posset puniri à Iudice laico: sicuti nequit puniri is, qui deliquit extra Principis territorium: ergo benè potest Episcopus exercere iurisdictionem circa suos subditos ibi delinquentes, iuxta ea quæ docent Glosa, & Doctores *in clem.1. vers. aut earum, de foro competenti*, Cagnolus *in l. vlt. num.13. ff. de Iurisdict. omnium Iudicum*.

42 Negant verò alij, quod Sæculares loquentes cum Monialibus exemptis incurrant excommunicationem latam ab Episcopo, ita Auila *par.2. cap.3. disp.2. dub.5.* Sayrus *lib.1. cap.6. num.39.* Henriquez *lib.13. cap.26. num.1.* Alterius *de censuris, lib.3. disp.9. cap.5. vers. ex his*, Layman *lib.1. tractat.1. c.11. num.5. vers. idem* Alphonsus de Leone *de censuris, recoll.2. num.385.* Vidal *tit. de Monialibus inquis. 2. num.101.* Thomas del Bene *de immun. cap.14. dub.5. sect.3. num.18. & seq.* & esse probabile fatentur Ianuarius, & Diana *locis citatis*: & quod excommunicatio lata per Episcopum non comprehendat eos, qui delinquunt in loco exempto sito intra Diœcesim, docent Syluester *V. excommunicatio 2. num.12. dub.1.* Riccius *resol.177.* Squillante *de priuilegijs Clericorum, cap.2. num.67.* Alphonsus de Leone *de censuris, recoll.2. num.307.* Magister Donatus *tract.13. quæst.20.*

Probant, quia Tridentinum, & Gregorius XV. loquuntur de clausura tantùm; ad clausuram autem propriè nō spectat collocutio cum Monialibus; nam quamuis Moniales subiectæ Regularibus, quoad clausuram Episcopo subiaceant tanquam Sedis Apostolicæ dele-
41 gato; tamen licentiam loquendi cum ijs dare spectat tantùm ad Prælatum Regularem, vt docent Quaranta *Verbo Monasteria Monialium, vers. hic tangenda*, Piasecius *in praxi Episc. par.2. cap.3. num.54.* Campanilis *in Diuersorio iuris canonici, rub.12. cap.16. nu.45.* Barbosa

de potestate Episcopi allegat. 102. *num.* 78. & quamuis sacra Congregatio 21. *Februarij* 1617. vt scribit Barbosa *in Tridentinum, sess.* 25. *cap.* 5. *nu.* 126. *de Regularibus* decreuerit: licentiam loquendi spectare coniunctim ad Episcopum, & Prælatum Regularem; tamen reuera ex dictis, & ex authoritate tot Doctorum patet longè diuersa esse clausuram, & locutionem cum Monialibus; impropriissimè enim dicitur: loquentem cum Monialibus frangere clausuram. Neque obstat, quòd sacra Congregatio declarauerit ijs verbis: *Si deliquerint circa personas intra septa degentes*, comprehendi *collocutionem*, nam de hac declaratione non constat authenticè: tùm quia non tollit probabilitatem opinionis oppositæ.

Præterea, quia secundùm ipsos locus exemptus, & locus extra Diœcesim æquiparantur: sed excommunicatio non ligat existentem extra Diœcesim, *cap. vt animarum, de constitut. in sexto*: ergo neque ligat existentem in loco exempto.

44 Mihi videtur ita distinguendum, vel etiam ad Episcopum spectat dare licentiam loquendi cum Monialibus exemptis; vel ex loci consuetudine, aut aliunde non spectat ad Episcopum dare talem licentiam: Si spectat ad Episcopum, potest proinde prohibere omnibus Sæcularibus sub pęna excommunicationis collocutionem; nam cùm ad ipsum spectet cognoscere de collocutione, potest proinde eam prohibere: si potest prohibere, potest etiam ferre excommunicationem latæ sententiæ contra transgressores. Si non spectat ad Episcopum concedere licentiam colloquendi, neque ad ipsum spectat eam prohibere sub pęna excommunicationis; nam eadem ratio est de connexis: ergo sicuti ad Episcopum non spectat dare licentiam loquendi, neque ad ipsum spectat prohibere locutionem.

Dices Episcopus potest punire Clericum delinquentem extra suam Diœcesim, aut in loco exempto, cùm fuerit ad Diœcesim reuersus, vt patet ex *l.* 1. *Cod. vbi de crimine agi oporteat*, vbi dicitur, posse delinquentem in tribus locis puniri: Primò in loco delicti: Secundò vbi lis fuit contestata: Tertiò in loco domicilij. Boerius *decis.* 270. & de Clerico delinquente in loco exempto, docet doctissimus Pater Magister Donatus *tract.* 13. *q.* 21; qui *num.* 4. ait: quòd Clericus portans arma extra Diœcesim, cùm reuersus fuerit potest puniri, vt scribunt Jo. Baptista Ciaelinius *controuers. forens. cap.* 61. *num.* 21. Alphonsus de Leone *de censuris recollet.* 2. *nu.* 332.

Respondeo ex eodem Donato *tract.* 13. *qu.* 21. *nu.* 3. Clericum delinquentem in loco exempto, non posse puniri pęna statuti Diœcesani, sed pęna iuris communis; si factum sit eo iure punibile, sin minùs pęna statuti loci, in quo deliquit: Sed suppono, quòd Superior loci exempti non tulerit excommunicationem, si enim pęna in loco exempto statuta, esset excommunicatio; vtique posset Episcopus declarare illum excommunicatum; ergo cùm non sit lata in loco exempto excommunicatio, neque sit lata iure communi, non poterit Episcopus ferre excommunicationem contra delinquentem in loco exempto.

Dices, certum est ex dictis, posse Episcopum punire delinquentem in loco exempto: sed hæc pęna non est iure communi præscripta, atque adeò est pęna arbitraria: ergo Episcopus poterit arbitrari pęnam excommunicationis latæ sententiæ.

Respond. primò: ex hoc argumento satis probabiliter dici potest, reuerà loquentem in loco exempto incurrere excommunicationem latã per statutum Episcopi: præsertim quia probabiliter multi docent, delinquentem in loco extra Diœcesim ligari excommunicatione statuti Episcopalis, Castropalaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punc.* 24. §. 5. *num.* 21. Pontius *de matrim. lib.* 5. *c.* 7. §. 2. *num.* 19. Diana *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 78.

Respondetur secundò, probabilius esse, non incurrere talem excommunicationem; quia illam incurreret existens in loco exempto: ergo in loco exempto puniretur: tum quia ad Episcopum non spectat prohibere locutionem, cùm ad ipsum non spectet eam permittere, seu dare licentiam pro illa, vt suppono.

45 Denique pro coronide quæritur: An Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo contra loquentes cum Monialibus, supposito quòd Regulares habeant priuilegium ne possint ab Episcopis, aut Sedis Apostolicæ Legatis, nisi de latere, excommunicari? de quibus priuilegijs vide Rodriquez *tom.* 2. *qu.* 59. *art.* 5. Lezanam *in Summa, tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 14. & Bullam Pauli III. Societ. Iesu, *vt in Bullar. Rom. tom.* 1. *Bull.* 48. §. 17.

Prima opinio distinguit inter Moniales subiectas Episcopo, ac Moniales exemptas; Regularis igitur incurrit excommunicationem, si loquatur cum Monialibus exemptis; quia quoad has Episcopus procedit tanquã delegatus Apostolicus; non autem incurrit censuras, si loquatur cum Monialibus Episcopo subiectis, ita Grassius *par.* 1. *lib.* 4. *decisionum, cap.* 6. *nu.* 3. Duardus *in Bullam Cœnæ lib.* 1. *cap.* 1. *qu.* 3. *num.* 119. Ioseph de Ianuario *de casibus reseruatis, resol.* 34. *num.* 19. Riccius *in praxi, tomo* 2. *resol.* 181. Peyrinus *de priuilegijs Minimor. Constit.* 6. *Pij V. quæst.* 15. *numer.* 37. Cespedes *de exempt. Regular. dub.* 339. *num.* 2. Diana *par.* 10. *tract.* 14. *resol.* 53. Sed mihi durum videtur asserere: Episcopum maiorem iurisdictionem habere in Monasterijs exemptis, quàm in sibi subiectis.

46 Secunda opinio est, quæ indistinctè asserit: Regularem loquentem cum quacunque Moniali, siue exempta, siue non exempta, non incurrere excommunicationem latam ab Episcopo, contra loquentes cum Monialibus si habeat priuilegium ne possit censuris, & excommunicatione puniri ab Episcopis, aut ab Apostolicę Sedis Legatis: ita declaratum à sacra Congregatione testatur Suarez *de Religione, tomo* 4. *tract.* 8. *lib.* 1. *capit.* 10. *num.* 27. Sanchez *de matrimonio, lib.* 7. *disput.* 33. *num.* 23. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 45. *art.* 2. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *res.* 48. *vers. nota octauo, & resol.* 103. Fagundez *in præcep.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 10. Bordonus *tom.* 1 *resol.* 7. *nu.* 70. Quaranta *in Summa Bullarum verbo Monasteria Monialium*, Bonacina *de clausura, q.* 3. *pun.* 4. *num.* 8. Barbosa *de potestate Episcopi, alleg.* 102. *numer.* 73. & in Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 5. *de regularibus, num.* 120. Pasqualigus *in qq. Canonicis, q.* 157. Pellizzarius *de Monialibus, cap.* 5. *num.* 204 *& in manuali Regularium, tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 35. Merolla *tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 617. Candidus *tomo* 2. *tract. de regimine Monialium disquis.* 5. *artic.* 1. *dub.* 13. Thomas del Bene *de immunit. Eccles. cap.* 14. *dub.* 5. *sect.* 1. Campanilis *in Diuersorio iuris canonici rubrica* 12. *cap.* 16. *nu.* 42. *in fine* Lezana *tom.* 3. *verbo exemptio Regularium, nu.* 11. Plurimi ex his scripserunt post Bullam Greg. XV. *incip. Inscrutabili*, præsertim Diana, Bordonus, Bonacina, Barbosa, Pellizzarius, Merolla, Candidus, Thomas del Bene,

Mm

Bene, & Lezana, quam Constitutionem ibidem afferunt, & docent, ex ea constitutione posse Regulares loquentes cum Monialibus puniri, & carcerari ab Episcopo; non tamen posse excommunicari, neque incurrere excommunicationem latam ab Episcopo contra lo-
47 quentes cum Monialibus. Verùm contrarium videtur probabilius, attenta dicta *Constit. Inscrutabili*; nam in ea dicitur: *Regulares nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant.* Sed puniri posse, etiã per censuras, mox declarat Greg. XV. (miror hoc ab alijs non obseruatum) nam post alios quosdam casus, in fine eiusdem Constitutionis subdit; *Ita vt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas, vti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.* Hæc autem clausula in fine posita refertur ad omnes, & singulos casus superiùs expressos; quia clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia; vt ex *cap. secundò requiris, de appellat.* vbi Decius, Felinus *in cap. causam quæ, de rescriptis*, Boerius *decis.* 141. *num.* 2. Capycius *decis.* 108. *numer.* 9. Ergo Regulares colloquentes cum quibuscumque Monialibus, siue exemptis, siue non exemptis, ab Episcopo, tanquam Apostolicæ Sedis delegato (nam non nisi tanquam delegatus procedere potest Episcopus contra Regulares, vtpotè exemptos) puniri possunt, etiam per censuras, nullis priuilegijs, aut exemptionibus obstantibus; & sic non obstante priuilegio, ne possint ab Episcopo, aut Delegato Sedis Apostolicæ excommunicari.

Dices ex Pasqualigo, Bordono, & Thoma del Bene, non posse Episcopum per modum statuti, & legis prohibere Regularibus, ne loquantur cum Monialibus; quia non sunt Delegati, nisi posita transgressione, & post illicitam locutionem possunt puniri.

Sed contrà; nam cùm ista delegatio sit perpetua, & annexa dignitati Episcopali, consequenter sequitur naturam dignitatis, cui annexa est, ita poterit eius virtute facere legem perpetuam; sicuti quia Regulares habentes curam animarum, aut curam Parochialem subduntur Episcopis quoad spectantia ad curam Parochialem quis dubitat, quod in Synodo Episcopus possit condere statutum obligans omnes Parochos, siue Sæculares, siue Regulares; v. g. ne sub pœna excommunicationis Parochi deferant sine lumine sacrum Viaticum, &c.

48 Verùm quicquid sit, certum est: Regulares non incurrere excommunicationem latam per statutum Episcopi contra loquentes cum Monialibus; nisi in statuto expresè comprehendantur, & nominentur Regulares; statuta enim Synodalia non afficiunt Regulares: nisi exprimantur; quia cum sint exempti, non comprehenduntur in generali locutione, *cap. à nobis, primo, de sententia excommunicationis*, ita Alphonsus de Leone *de officio, & potestate Confessarij, recoll.* 5. *num.* 36. Riccius *in praxi, res.* 210. *in principio*, Cespedes *de exemptione Regularium, dub.* 147. *num.* 2. Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 59. *art.* 5. *in fine*, Nouarius *in Lucerna Regular. verbo excommunicatio, numer.* 8. Sanchez *lib.* 6. *opuscul. cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 19. Magister Donatus *de Regularibus, tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 13. *quæst.* 25.

PARERGON

Calculus Gratiæ Virginalis, ad quam exprimendam vndecim milliones, & amplius numeralium figurarum requiri demonstratur?

SVMMARIVM.

Virgo gratia abyssus. num. 1. *Eius gratia immensa. nu.* 2.
Maria gratia omnem collectionem gratiæ Angelorum, & hominum superat. num. 3.
Maria microcosmus Ecclesiæ. num. 4.
Meruit de congruo maternitatem Dei. num. 5.
Virgo habuit actualem vsum rationis in primo instanti suæ conceptionis. num. 6. *In quo instanti Deum clarè vidit. num.* 7. *Facultas vsus rationis in primo instanti conceptionis Virgini data, in ea semper durauit. num.* 8. *Gratia ei collata in primo instanti Conceptionis superauit collectionem gratiæ Angelorum, & hominum. nu.* 9 *Vel saltem superauit gratiam supremi Angeli. num.* 10.
Virgo fuit in continuo actu merendi. num. 11.
Habuit perfectum dominium suorum actuum. num. 12.
Habebat scientiam infusam, & operabatur independenter à phantasmatibus. num. 13. *Etiam dormiendo erat contemplationi intenta, ac merebatur num.* 14. *Si cessasset à Diuina contemplatione peccasset. num.* 15.
Actus deliberatus, nisi sit bonus, est necessariò malus. nu. 16.
Peccatum est non correspondere gratiæ excitanti, ac Diuinæ inspirationi. nu. 17. *Virgo in singulis actibus amoris duplicabat gratiam, quam in precedẽti actu habebat. nu.* 18. *Angeli boni cùm fuerunt in via operabantur secundùm totam latitudinem habitus Charitatis. num.* 19.
Idem aliqui tradunt de Paulo cæterisq; Apostolis, ac S. Francisco post eorum vocationem. num. 20.
Stella firmamenti posita in æquatore in vnica hora percurrit quadraginta duos milliones, & amplius milliariorum? num. 21.
Quare Virgo operabatur independenter à phantasmatibus. num. 22.
Virgo vixit 72. *annos, aliqui verò asserunt, vixisse* 82. *annos. num.* 23.
Fœmina octogesimo die animatur. num. 24.
Quot sunt minuta totius vitæ Virginis. num. 25.
Ad exprimendum calculum gratiæ Virginalis requiruntur figurarum numeralium vndecim milliones, quadringenta, quadraginta quatuor millia, & quingenta quinquaginta. num. 26.
Si fiat progressio geometrica duplex per sexaginta quatuor loca scacchorum ad portandum frumentum non sufficiũt mille septingenti septuaginta nouẽ milliones nauiũ. n. 27.
Quinquaginta duæ figuræ numerales exprimunt numerum arenularum totius orbis eis repleti vsque ad firmamentum: num. 28.
Rejcitur calculus Patris Glielmi, ac Ricardij. num. 29.

Virgini dicatum opus Virginalis gratiæ calculo absoluam. Sed arenam maris, & pluuiæ guttas, &

dies

dies seculi quis dinumerauit? Altitudinem Cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?. Certè faciliùs ista enumerare, quàm Virginalis gratiæ abyssum scrutari quis poterit. Meritò Damascenus
1 orat.2.de dormit.Virginis: Gratia Abyssus vocat.

2 Immensam eius gratiam fatentur Patres.

Sanctus Anselmus c.3.de excellentia Virginis. Nullus, inquit, hominum, vel Angelorum penetrare potest immensitatem Diuini amoris erga Virginem; & cap.8. Immensitatem gratia tua considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit.

Sanctus Epiphanius Serm.de laudibus Deiparæ. Gratia, inquit, Virginis fuit immensa: solo Deo excepto cunctis superior existis.

Chrisippus Hierosolymitanus. Gratia plena; quia tecum vniuersus gratiæ thesaurus.

Sanctus Hieronymus, siue Sophronius Ser.de Assump. Et benè plena, quia cæteris per partes præstatur gratia: Mariæ verò tota simul se infundit plenitudo gratiæ.

Sanctus Bernardus super signum magnum: Abyssus est luminis, nec facilè dixerim, quod vel Angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget.

Sanctus Bernardus Senensis serm.61.cap.10. Excepto Christo, tanta gratia Virgini data est à Domino, quanta vni puræ creaturæ dari possibile est.

Ioannes Gerson tract.4. in Magnificat: Virgo sola constituit Hierarchiam secundam sub Deo Trino, & Vno, Hierarcha primo, & Summo, apud quam Hierarchiam humanitas filij sola sublimata sedet à dextris virtutis Dei, per vnitatem suppositi, idemque docent S. Antoninus tom.4. tit.15.& Franc. Mayronus Serm.de Assumptione.

3 Doctissimi Scholastici Mariæ gratiam omnem collectionem gratiæ Angelorum, & hominum omnium superare affirmant, sic accipiens illud Prouerb.31. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas, idest nedum distributiuè, sed etiam collectiuè, ita Suarez 3.par. tom. 2. disputat. 18. sect.4. conclus.2. Barradius tom.1.lib.6.cap.10. Balthasar Sorius serm.2.de concept. Salazar in prouerb. cap.31.vers.29.num.181.quibus fauent apertissima Patrum testimonia.

S. Bernardus. In plenitudine, inquit, Sanctorum Maria detentio fuit, plenitudo enim perfectionis omnium Sanctorum illi non defuit; Expende illa verba: plenitudo omnium.

Petrus Damianus Ser.de Assumpt. Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros supereminentes erecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Nota: Singulorum, & omnium, & infrà subdit: In illa inaccessibili luce perlucẽs, sic vtrorumq; spirituum hebetat dignitatem, vt sint quasi non sint, & comparatione illius, nec possint, nec debeant apparere. Attende: Vtrorumq; spirituum hebetat dignitatem: quasi sol inter astra; solis autem lux longè superat collectionem lucis cęterorum astrorum.

S. Ephrem trac.de laudibus Virginis. Nulla, inquit, comparatione omnibus superis exercitibus gloriosior, præstantissimum orbis terræ miraculum, omnium Sanctorum corona inaccessa. Expende; Omnibus exercitibus quod collectionem significat.

Beatus Laurentius Iustinianus Serm. de Assumptione. Quicquid honoris, quicquid felicitatis habebatur in singulis, totum abundat in Virgine. Quicquid, inquit, habebatur in singulis; quod collectionem omniũ donorũ significat.

Sanctus Bonauentura de laudibus Virginis, cap.7. ait: Dei gloriam magis in sola Virgine, quàm in tota collectione creaturarum demonstrari, & in speculo Beatæ Virginis, c.3. Omnia, inquit, flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam: flumen gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratię Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam: flumen gratię Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum intrat in Mariam: omnia flumina intrant in Mariam.

Sanctus Bernardinus Senensis tom.2. Serm.51. art.2. cap.1. inquit: Virgo Beata in conceptionis filij Dei consensu, plus meruit quàm omnes Creaturæ, tam Angeli, quàm homines. Aduerte plusquam omnes.

4 Beatus Thom.de Villanoua conc.3. de Natiuitate Virginis: Sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura, ideò microcosmus: sic in reformatione mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesia; vnde microcosmus Ecclesiæ dici potest: vniuersa ergo Ecclesiæ perfectio collectiuè, reperitur in Virgine.

Omissis autem aliorum rationibus, validissimo argumento ex S. Bernardino Senensi loco citato id confir-
5 mo: nam Beatissima Virgo meruit de congruo Maternitatem Dei, ita S.Bernardinus, & consentiunt communiter Theologi: sed Maternitas Dei est altioris ordinis ad collectionem gratiæ omnium Sanctorum: siquidem spectat quodammodo ad ordinẽ vnionis hypostaticę, quã trahit, & intrinsecè respicit: ergo gratia, qua de congruo Dei Maternitas meretur, debet longè excellere collectionem gratiæ omnium creaturarum.

Sed iam vt procedamus ad calculum gratiæ Virginalis aliqua priùs obseruanda sunt.

6 Primò obseruandum, Virginem habuisse actualem vsum rationis in primo instanti conceptionis, & sanctificationis suæ, & actum amoris Dei intensissimum elicuisse, ita S.Bernardinus Senensis tom.1. Serm.61. art.3. cap.7. & tom.2. Serm.51. art.1.cap.2. Caietanus 3.par. quæst.27.art.6. Dionysius Carthusianus de laudibus Virginis art.12. tom. 1. operum minorum. Viguerius in institutionibus cap.5.§.3.vers.9. Suarez to.2. in 3. par.disp.4. sect.7. Barradius tom.1.lib.6.cap.4.& habetur ex reuelatione S. Birgittæ vt apud Carthusianum vbi suprà art.6. Cum, inquit, anima mea sanctificabatur, & suo corpori iungebatur, tanta aduenit illi lętitia, vt impossibile sit affatu Simon de Cassia ait: An illa sensum accelerauit piè credendum est.

7 Quinimmò Beatam Virginem in primo conceptioni instanti Deum clarè vidisse, tradunt Io. Gerson alph.88. lit.Z. S.Bernardinus Senensis tom.2.Ser.51.art.1.cap.2. B.Alanus lib. de Beatiss. Virg. cap.75. S.Antonin.4. par. tit.15.cap.17. idemque approbasse Suarez aliosque doctissimos Viros scribit Salazar de Concept.Virginis c.32. num.54.& seq. qui num.61. ostendit: sæpiùs in vita vidisse intuitiuè Diuinam essentiam, vnde S.Hieronymus ait: Fruebatur quotidie visione Dei: nec tamen id pugnat cum merito Virginis, sicut nec cum merito Christi Domini, vt probant Vasquez 3.p. disp.74. c.2. & 3. & Suarez 3. p.qu.19. art.4. disp. 1. Neque est id Deo impossibile, vt ait S.August.lib. de spiritu, & littera, cap. vltimo.

8 Præterea facultatem datam Virgini in primo instanti suæ conceptionis vtendi ratione, in ea semper durasse, docent S. Bernardinus Senensis tom.2. serm.51. artic.2. cap.1.& Suarez in 3.p.tom.2.disp.4.sect.7.concl.4. contra Caietan. & apertè colligitur ex fide digna historia, qua fertur Beatam Virginem tertio suæ ætatis anno intelligentem, & consentientem fuisse in templo à parentibus oblatam, vt scribunt S.Gregorius Nyssenus orat. de Christi Natiuitate, S. Io. Damascenus lib.4. de fide cap.15.

Euo-

Euodius & alij. S. Antoninus *in prima parte historiali*, *tit.4.cap.6.§.70.* Dionysius Carthusianus *prima par. Vita Christi cap.2.*

Quod autem in vtero, ac semper deinde habuerit Virgo vsum rationis. Primò ostenditur, nam hoc fuit concessum Ioanni, vt fatentur Patres: ergo & Virgini: vt enim inquit S. Bernardus *epist.174. Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est, tantæ Virgini fuisse negatum.* Secundò hoc fuit concessum Angelo, qui in primo instanti creationis elicuit actum amoris Dei: ergo & Virgini, quæ ad altiorem finem ordinabatur. Tertiò per Ecclesiam Virgo comparatur soli, qui statim ac est lucet: eiq; aptant illud Apocal. *cap.12. Mulier amicta sole.*

9 Secundò obseruandum, quòd in primo instanti conceptionis gratia Virgini collata, superauit totam collectionem gratiæ omnium Creaturarum, ita sentit S. Gregorius Papa *in 1. Regum, cap.1.* sic accipiens illud Vaticinium Isaiæ *c.2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium*, & Damascenus *orat.1. de natiuit. Virg. Exultate montes, hoc est, ratione præditæ creaturæ, quæcumq; ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis, si quidem clarissimus mons Dei, mons Dei, mons ex Anna paritur, mons inquam ille, qui collem omnē, & montem, idest Angelorum, & hominum sublimitatē exuperat.* Hæc Damascenus in ipso scilicet partu, de quo loquitur Damascenus, seu in ipsa cōceptione Virgo mons oritur, superans omnes montes, & colles, totā scilicet collectio-
10 nem gratiæ Sanctorum. Vel saltem, vt ait Suarez *3.par. tom.2.disp.18.sect.4.* Gratia originalis Deiparæ, vt minimum fuit, quanta supremi Angeli.

Tertiò obseruandum ex Suarez *3.par.tom.2.disp.18. sect.2.* Virginem fuisse in continuo actu merendi, & Canisius *lib.5.c.5. Cuius vita*, inquit, *iugis & continua quędā fuit contemplatio*, & idem tradunt S. Ambrosius *l.2. de Virgine in initio*, S. Bernard. Senens. *serm.51.art.1.* Albertus Magnus *lib. de B. Virgine, c.176.177. & 197.* dicens: *Nouum priuilegium Virginis fuisse, quia quolibet tempore meruit*: idem tradunt S. Antonin. *par.4. tit.15. c.20. §.6.* Bernardinus de Bustis *4.p. serm.9.§. vltimo.*

12 Probatur primò, nam habebat perfectum dominiū suorum actuum, cùm nullam haberet repugnantiam sensus, nec enim poterat dicere cum Apostolo, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

13 Secundò, quia habebat scientiam infusam, & operabatur independenter à phantasmatibus, & sic non fatigabatur per operationem quantumcumque intensam, Suarez *tom.2. in 3.par.q.37.art.4.disp.19.* quicquid contradicat Grauina *trac. de visionibus, par.1.lib.2.c.12. assert.4.* ideò enim nos fatigamur; quia operamur dependenter à phantasmatibus, & organis materialibus. Hinc
14 etiam sequitur quòd etiam dormiendo merebatur; cū enim operaretur independenter à phāta smatibus, somnus non interumpebat contemplationem; Vnde Sanct. Bernardinus Senens. *serm.51.artic.1.cap.2.* ait: *Magis in contemplatione Dei excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando, sicut ipsa testatur Canticorum 5. Ego dormio, & cor meum vigilat*; quod ibidem sentit Rupertus Abbas *lib.5. in Cant. propè initium*, vbi sic ait: *Multarum quoque animarum fuit, & est non solùm secundùm similitudinem, otio sancto dormire, idest à terrenis curis vacare, & in corde vigilare, verùm etiam eodem modo, quo & Iacob dormiuit, secundùm corpus dormire, & secundùm animum cœlestia videre, sed tu ò Cœlum Dei, vnica sedes Domini, in vtroque vigilandi modo cunctis mortalibus longè eminentior extitisti, longè studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere.* Præterea hoc priuilegium alijs concessum est, nam iuxta S. Augustin. *lib.5. contra Iulian.12. cap.9.* hominibus in innocentiæ statu concessum est; & iuxta Senens. alijs, ergo Beatissimæ Virgini denegandum non est.

15 Tertiò, quia si Virgo Beatissima aliquando cessasset à Diuina cōtemplatione peccasset. Probo, nam Virgo ratione perfecti dominij supra suos actus, non operabatur, sicuti nos, indeliberatè; sed quicumque actus erat de-
16 liberatus: sed actus deliberatus, nisi sit bonus, & referatur in Deum, est necessariò malus, quia otiosus, & priuatus debito ordine ad Deum; vnde nequit dari actus deliberatus indifferens in indiuiduo, vt docent S. Thomas *1.2.q.18.art.9.* vbi Caietanus, & cæteri Thomistæ, Albertus in *2.dist.40.art.4.* Ægidius *q.2.art.3.* Riccardus *art.2.qu.3.* Durand. *q.1.* Capreolus *qu.1.art.1.concl.1.* Maior *dist.41.quæst.2.concl.5.* Granadus *par.2.tract.13. disp.2.nu.2.* ergo peccasset Virgo si deliberatum actum elicuisset, quo non mereretur, ergo erat in cōtinuo actu merendi. Confirmatur primò, nam vtique potuisset Virgo semper mereri; quia hoc erat ei facilè ob dispoticum, & perfectum dominium supra suos actus, cum nulla repugnantia deordinatę potentiæ, & indepēdentia à phantasmatibus; ergo si non meruisset, liberè otiosè tempus cōsumpsisset; ergo peccasset. Confirmatur secundò, nam moraliter impossibile est aliquam cessare ab omni actu interno, vel externo, deliberato vel indeliberato; sed quicumque actus Virginis erat deliberatus, cùm indeliberatio oriatur à dependentia à phantasmatibus, qua carebat Virgo in Dei contemplatione; ergo impossibile erat quod nō mereretur; alioquin deliberatè operans, si-
17 ne ordine ad Deum, peccasset. Quartò probatur, nam peccatum est non correspondere Diuinæ inspirationi, & gratiæ diuinæ excitanti, vt ait Toletus *lib.3. cap.2.nu.6.* est enim contra rectam rationem vocanti Deo non respondere, & ingratitudo diuini Beneficij, vt patet in humanis, si quis Regis vocantis gratiam non curaret: sed Spiritus Sanctus continuè ad sui amorem cor Virginis excitabat: *Nam deliciæ meæ esse cum filijs hominum*: ergo peccasset Virgo, si aliquando à diuina contemplatatione cessasset.

Obijcies ex Grauina *tract. de visionibus par.1. lib.2.c.12. in fine*: donum non interruptæ vnionis cum Deo, & operari independenter à phanta smatibus, repugnat statui viæ, quæ tale donum secum non compatitur.

Respondeo gratis id asseri; nam de ratione status viæ est tātùm, quod viator liberè operetur, ita vt possit mereri, & demereri: Sed operari independenter à phantasmatibus, & habere continuam vnionem cum Deo, eum continuè cognoscendo, & diligendo, non tollit libertatē; ergo neq; tollit statum viæ, seu statui viæ non repugnat.

18 Quartò, obseruandum (& hoc est præcipuum fundamentum nostri discursus) Virginem per singulos actus amoris duplicasse gratiam, quam in præcedenti actu habebat. Explico, posito quòd Virgo, quando elicuit hunc actum amoris habebat mille gradus gratię, eliciendo secundū actū amoris consequetur alios mille, & sic habebit bis mille, in tertio actu merebitur alios bis mille, & sic habebit quatuor millia gradus gratiæ, & sic deinceps.

Probatur primò, faciliter poterat Virgo habens gratiam, & consequenter habitum charitatis vt mille, operari secundùm totam latitudinem habitus charitatis, &

elicere

elicere actum amoris intensum vt mille; atque adeò mereri augmentum mille graduum gratiæ, & ita duplicare gratiam præcedentem; ergo peccasset si elicuisset actum amoris minùs intensum. Antecedens patet ex dictis, quia habebat sufficientes vires ad actum amoris intensum, vt mille, & nullum aderat impedimentum. Consequentia probatur, quia actus Virginis erat deliberati, vt probaui; ergo liberè cessasset ab actu intēso amoris Dei: Sed hoc est contra rectam rationem, & contra diuinum præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Marci* 12. ergo, vel peccasset Virgo, vel operata saltem esset contra diuinum consilium diligendi ex totis viribus.

Secundò probatur, quia peccatum est, non respondere excitanti gratiæ; sed Spiritus Sanctus excitabat cor Virginis ad actum intensum amoris vt mille; ergo peccasset, si elicuisset actum minùs intensum.

19 Tertiò probatur, quia Angeli boni, cùm fuerunt in via, amarunt Deum secundùm totam latitudinem charitatis, quam habebant, ex eo quia nullum habebāt ita intensi amoris impedimentum, vt tradunt Theologi *in* 1. *par. quæst.* 62 *art.* 6. Suarez *de Angelis lib.* 6. *cap.* 4. *nu.* 17.
20 imò idem aliqui scribunt de Seraphico S. Francisco, Paulo, & cæteris Apostolis, post eorum vocationem; ergo idem omninò de Virgine dicendum est, semper operatam esse secūdùm totam latitudinem habitus charitatis. Confirmatur optima similitudine Patris Ludouici Granatensis *concione* 2. *de assumptione Virginis*, vbi sic inquit: *Semper voluntas illa adeò diuina voluntati consentiens, & subdita erat, vt quemadmodum cælorum orbes motoribus suis sine vlla mora subduntur ad motum, quoniam nihil in se habent, quod huic motui repugnet; sic Beata Virginis voluntas ita Deo subdita erat, vt nihil in ea esset, quod diuinæ voluntati vlla ex parte contrairet*: Sed vtique contrairet si excitanti gratiæ, aliqua ex parte, seu toto conatu non respondisset.

Quintò obseruandum, vt procedamus ad calculum gratiæ Virginalis, quod per astronomos hora diuiditur in sexaginta minuta; minutum in sexaginta secunda; secundum in totidem tertia, & sic deinceps vsque ad decimum: sunt autem decima in hora, sexcenta quatuor millia sexaginta vnum milliones millionum, septingenta sexaginta millia millionum. Vide Clauium *in Sphæram Sacroboschi fol. mihi* 285.

Poterat itaque Virgo in quolibet decimo elicere actum amoris, & singulis decimis duplicare totam gratiam præcedentem.

Dices moraliter est impossibilis tanta actuum multitudo in vnica hora; nam actus humanus cùm sit discursiuus, non producitur in instanti, sed requirit aliquam morulam; ergò nō potuit Virgo per singula decima singulos actus amoris producere.

Respondetur concedo antecedens, quoad nostrum intellectum; nego quoad Virgineum; disparitas est; quia iste ob independentiam à phantasmatibus, sicut Angelicus intellectus, operabatur simplici intuitu, & in instanti; quare facilis erat illi tāta actuum multitudo. Explico sequenti exemplo: Clauius *in Sphæram Sacrobosehi cap.* 1.
21 *tit. de distantijs cælorum fol.* 216. docet, quòd stella firmamenti posita in æquatore, in vnica hora percurrit quadraginta duos milliones trecenta nonaginta octo millia, quadraginta triginta septem milliaria: Sed Virgineus intellectus, cùm operetur independenter à phantasmatibus, simplici intuitu, breuiori mora producit suos actus, ac stella vnum milliarium percurrat.

Dices secundò, vnde actus amoris distinguebatur numero.

Respondetur ex diuersis numero, cogitationibus, & istæ ex diuersis motiuis, quibus Spiritus Sanctus cor Virginis excitabat ad amorem, actus enim intellectus distinguuntur per obiecta, vt docet D.Tho. 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 3.

Dices tertiò, gratis asseritur Virginem independenter à phantasmatibus, ad modum Angeli, vel animæ separatæ, simplici intuitu operatam.

22 Respondetur nego antecedens; nam ita necessarium est asserere, ne frustrà maiora, & pura miracula multiplicentur: quia phantasma, vtpotè materiale impedit operationem intensissimam, & clarissimam, quamuis abstractiuam cognitionis Dei: Nec aliquid materiale phantasma est aptum ad tam intensam, & claram operationem: tum quia propter intensionem, & continuam operationem, fatigato organo materiali phantasiæ, vel cessasset ab operando, vel corrumperetur.

Dices quartò, actiones externæ ambulandi, loquendi, comedendi, dormiendi, impediebant Virginem à tanta multitudine actuum amoris.

Respondetur, nego antecedens; nam sicuti Angelus nunquam cessat ab eodem actu intenso cognitionis, & amoris Dei; quia operatur independenter à phantasmatibus, ita & Virgo.

Itaque poterat Virgo per singula decima horæ, singulos actus amoris elicere. Sed demus singulis minutis horæ, singulos actus amoris, ita vt sequens actus sit duplo intensior præcedenti actu, erunt sexaginta actus in hora, quot sunt minuta.

23 Sextò, obseruandum Virginem vixisse septuaginta duos annos, vt ex S. Dionysio Areopagita, Epiphanio, & Cedreno probat Baronius *anno* 48. Metraphrastes *or. de vita, & dormitione Deiparæ*. Auctor innominatus apud S. Ansel. *opusc. de forma, & moribus B. Virg.* ac Petrus Canisius *de B. Virg. lib.* 5. *c.* 1. Quamuis aliqui asserant vixisse octoginta duos annos: ita Michael Glicas *par.* 3. *annaliū*, & Andreas Cretēsis apud Canisium. Vixit etiam in vtero matris menses sex, & diem decem post animæ infusionē,
24 & vsum rationis miraculosè acceptū; fœmina enim octogesimo die animatur, vt docent omnes in *c.* 12. *Leuitici*.
25 Quare minuta totius vitæ Virginis sunt triginta octo milliones, centum quadraginta octo millia, & quinquaginta, & totidem fuerunt actus amoris.

Septimò obseruandum, quòd in progressione geometrica proportionis duplæ, vt vocant Aritmetici, semper in decimo quoque termino progressionis, inuenientur, additæ tres figuræ numerales. Itaque in decimo termino erunt 511. & sic tres figuræ: in vigesimo termino sunt 524288. & sic sex figuræ: in trigesimo erunt nouem figuræ: in centesimo triginta figuræ, & sic deinceps. His prænotatis.

Respondeo, sic fieri posse calculum gratiæ Virgineæ; nā si fiat progressio geometrica duplæ in gradibus gratiæ Deiparæ, incipiendo ab vnico gradu, & duplicando per singula minuta suæ vitæ, & sic per singulos actus amoris: cū minuta, & actus sint triginta octo milliones, centum quadraginta octo millia, & quingenta: & cum ad decimum quodlibet minutum progressio duplæ, in numero



INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM.

A

Dele-

Habi-

Quan-

Na-

Index Rerum.

hibens

M

N

O

Quan-

Anti

Pœni-

quan-

V

F I N I S.

Testis.

F I N I S.